THOMAE DE VIO CAIETANI ... OPERA OMNIA QUOTQUOT IN SACRAE...

Tommaso De Vio, Ascanio Rivaldi

Digitized by Google

37
38 G
18

R
121

·371·

Digitized by Google

R. R. D. D.

THOMÆ DE VIO

CAIETANI

TITVLI S. XISTI PRESBYTERI
CARDINALIS EMINENTISSIMI

IN OMNES D. PAVLI ET ALIORVM
APOSTOLORVM EPISTOLAS

COMMENTARII,

*NVNC DENVO RECOGNITI, NOTIS MARGINALIBVS
tum Rerum, tum Verſiculorum exornati, & Indice copioſiſſimo illuſtrati.*

ADDITA SVNT EIVSDEM AVCTORIS IENTACVLA, HOC EST,
præclariſſima plurimarum notabilium ſententiarum Noui Teſtamenti literalis expoſitio.

*CVM RESPONSIONE AD CENSVRAS SEXDECIM ARTICVLORVM
ſub nomine Theologorum Pariſienſium editas,*

TOMVS QVINTVS.



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi & Petri Proſt.

M. DC. XXXIX.

Digitized by Google

THOMÆ DE VIO CAIETANI

CARDINALIS S. XISTI, IN OMNES DIVI PAVLI, ET ALIORVM APOSTOLORVM EPISTOLAS.

COMMENTARII.

ET PRIMVM IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS.

PAVLVS. Expoſito textu quatuor Euangeliſtarum, occurrunt Epiſtolæ Pauli. Et in primis ad Romanos. Quæ primâ ſui diuiſione diuiditur in ſalutationem, & narrationem, ibi, *Primum quidem*. Incertum eſt an in principio Paulus fuerit binomius, an à principio nominatus fuerit Saulus, & progreſſu temporis nominatus fuerit Paulus. Ex eo enim quòd ipſe ſemper Paulum ſe nominat in omnibus ſuis Epiſtolis, apparet quòd nominatus fuerit Paulus à principio: alioquin nouo nomine ſe nominans, ambiguum ſe reddidiſſet. Vnde & Petrus nouiter appellatus, nominat ſe, *Simon Petrus*. Et conſequenter Paulus debuiſſet ſe nominare, *Saulus Paulus*. Ex eo verò quòd in Actibus Apoſtolorum vſque ad 13. capitulum, imò vſque ad conuerſionem Sergij Pauli Proconſulis ſemper nominatur Saulus, & tunc incipit à Luca nominari Paulus, apparet quòd Pauli nomen à Proconſule acceperit.

D. Paulus an binomius?

Pauli nomen à Sergio Paulo Proconſule accepit.

Vndecumque autem nominatus fuerit Paulus, conſtat quòd regio nomine (ſcilicet Saul, ſeu Saulus) vti noluit, ſed nomine humili. *Paulus* enim diminutiuum eſt à *paruus*, ſecundùm grammaticam. Inde ſiquidem paulùm, paululum, pauxillum, &c.

SERVVS IESV CHRISTI. Seruus quicquid eſt, Domini ſui eſt, totúmque ſe eſſe Ieſu Chriſti ſignificat. VOCATVS APOSTOLVS. Non eſt ſenſus, nominatus Apoſtolus, ſed accitus Apoſtolus: hoc eſt, vocatus ad Apoſtolatum. Non meipſum feci Apoſtolum, ſed ad Apoſtolatum vocatus ſum. Act. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte vt portet nomen meum*, &c. SEGREGATVS IN EVANGELIVM DEI. Act. 13. *Dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod aſſumpſi eos.* Ita quòd meminit vtriuſque rei geſtæ: Et primæ electionis, dicendo *vocatus Apoſtolus*: & ſubſecutæ ſegregationis ad prædicandum Euangelium, dicendo *ſegregatus in Euangelium Dei*. QVOD ANTE PROMISERAT. Vnuſquiſque poteſt fingere Euangelium Dei eſſe id quod ipſe annunciat. Et propterea ad huiuſmodi fictiones, & adinuentiones excludendas, declarat conditiones Euangelij ad quod prædicandum ipſe eſt miſſus. Declarat autem non eſſe humanum figmentum, non eſſe nouiter adinuentum, aut ex improuiſo ortum, ſed olim promiſſum à Deo. PER PROPHETAS SVOS. Citat teſtes promiſſionis diuinæ Prophetas, non idolorum, ſed *ſuos*: hoc eſt, qui indubiè fuerunt Prophetæ eius. IN SCRIPTVRIS SANCTIS. Promiſſio hæc diuina per Prophetas, demandata eſt Scripturæ: vt excludatur omnis figmenti ſuſpicio. Et non in quibuſcumque ſcripturis, ſed *in Scripturis ſanctis*, mundis ab omni errore, ab omni admixtione. Et intendit ad literam ſcripturas, quæ apud Hebræos appellantur Scripturæ ſanctæ: vtpote mundæ ab omni permixtione humani ſenſus. Et hæ ſunt libri veteris Teſtamenti quos Canonicos appellamus. Magna eſt Euangelij commendatio, ex hoc quod promiſſum eſt à Deo per eius prophetas in ſanctis Scripturis. Nulla ſiquidem ſecta, imò nec ipſa vera fides Patrum legis Moſaicæ ſimili prærogatiua donata eſt.

Seruus quicquid eſt, Domini ſui eſt.

Act. 9. 15.

Act. 13. 2.

DE FILIO SVO. Materia Euangelij explicatur.

Refertur enim hoc quòd dicitur *de filio ſuo*, ad id quòd dixerat *in Euangelium Dei*. Declarat ſiquidem quid annunciat Euangelium Dei. QVI FACTVS EST EI. Superfluit pronomen *ei*. Et ſi verbum verbo reddendum eſt, non eſt legendum qui factus eſt, ſed, *Facto ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*. Intendit Apoſtolus, materiam Euangelij declarare eſſe filium Dei ſecundùm duas naturas & ſecundùm duos aduentus. Et propterea incipit explicare ſimul naturam humanam, & primum aduentum filij Dei. Et hinc apparet beatam Virginem ex qua natus eſt Ieſus, ex ſemine Dauid deſcendiſſe: alioquin non eſſet verum quòd Ieſus ſecundùm carnem factus eſſet ex ſemine Dauid. QVI PRÆDESTINATVS EST FILIVS DEI. Legendum eſt: *Definito filio Dei*, verbum verbo reddendo. Et oportet propter hæreticos, textum ipſum Pauli (non interpretis) exponere. Aiunt enim Arriani & ſimiles: Paulus dicit ſic, quicquid expoſitores interpretentur. Eſt itaque ſenſus literalis quòd factus ſecundùm carnem ex ſemine Dauid, eſt definitus, determinatus, decretus filius Dei.

B. Virgo ex ſemine Dauid

Et bene nota quòd non dicit, *facto filio Dei*, ſed *definito filio Dei*. Filius ſiquidem Dei factus eſt filius hominis, cùm Verbum caro factum eſt ex ſemine Dauid: & filius hominis factus ex ſemine Dauid definitus eſt filius Dei. Declaratur enim per hoc, decretum definitúmque eſſe vt filius hominis ſit filius Dei. Per quod excluditur etiam error dicentium duas in Chriſto hypoſtaſes: alteram filij Dei, alteram filij hominis. Nam ſi duæ eſſent hypoſtaſes, falſum eſſet quòd filius hominis definitus eſſet filius Dei. Et hæc ſint dicta concurrendo cum facientibus punctum in hac ſententia. Mihi enim videtur ſecundùm planum literæ ſenſum non eſſe ibi quodcunque puncti genus faciendum: ſed pendente ſenſu continuandum cum ſequentibus. IN VIRTVTE. Non ſumitur hìc virtus vt diſtinguitur contra vitium: ſed vt diſtinguitur contra imbecillitatem ſeu impotentiam. Et eſt ſenſus; *in poteſtate* ſeu *potentia*. SECVNDVM SPIRITVM. Eadem præpoſitio ſuperiùs interpretata *ſecundùm* (quum dictum eſt *ſecundùm carnem*) & quæ ponitur in principio Euangeliorum (quum dicitur *ſecundùm Matthæum* ſeu *Ioannem*) habetur hìc: & propterea optimè quadrat *ſecundùm ſpiritum*. SANCTIFICATIONIS, pro, *ſanctitatis*, EX RESVRRECTIONE MORTVORVM. Non dicit in reſurrectione eius à mortuis, ſed *ex reſurrectione mortuorum*: vt intelligamus quòd de ſtatu conſurgente ex generali reſurrectione mortuorum loquitur.

Hinc excluditur error dicentium duas eſſe in Chriſto hypoſtaſes.

Literalis itaque ſenſus eſt ſecundus Chriſti aduentus definitus in potentia executiua, non qualicumque ſed *ſecundùm ſpiritum ſanctitatis*. Ita quòd non eſt ſenſus quòd definitus eſt filius Dei, ſed quòd definitus eſt filius Dei in hoc: ſcilicet in potentia non ad creandum cœlum aut terram, ſed in potentia ſecundùm ſpiritum ſanctitatis, in potentia conformi ſpiritui ſanctitatis: ſanctitatis autem non qualiſcunque ſed ex reſurrectione mortuorum: hoc eſt ſanctitatis congruæ ſtatui qui erit ex reſurrectione mortuorum.

De qua definitione filij Dei, diuina, an humana, hic ſermo ſit.

Et quòd iſte ſit ſenſus intentus ab Apoſtolo, patet primò ex eo quòd iam dixerat *De filio ſuo*, iam dixerat *filium Dei*: & diuinam naturam filij ſignificauerat. Et propterea non erat opus ad ſignificandam diuinam naturam filij dicere *definito filio Dei*: ſed bene opus erat declarare quæ potentia executiua decreta erat filio Dei in carne.

Apparet ſecundò ex eo quòd filius Dei omnipotens eſt: & ad nullam definitur potentiam ex diuina natura, & nulla eius potentia impeditur ex humana natura: ac per hoc malè ſonat, dicere quòd eſt definitus filius Dei in potentia, niſi ad diuinæ diſpoſitionis ordinem de potentia exequenda in ſtatu illo reſurrectionis referatur. Et eſt ſenſus quòd ille filius eius *factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, decretus eſt filius Dei in potentia*: hoc eſt, decretus eſt ad vtendum filiatione Dei in potentia non creandi mundū, non violentiæ & armorum, ſed conſona ſpiritui ſanctitatis. Et verè Ieſus qui in primo aduentu apparuit humilis ſecundùm carnem, decretus eſt vt veniat ſecundùm diuinam potentiam congruam ſpiritui ſanctitatis futuræ in ſtatu reſurrectionis mortuorum. Non poterat breuiùs ſimul & clariùs deſcribi potentia quā vtetur Ieſus in ſecundo aduentu, quàm deſcribere eam ex authoritate filij Dei & ex congruitate ad ſpiritum ſanctitatis, quæ erit ex reſurrectione mortuorum. Sub hac enim potētia comprehenduntur omnes actiones tum iuſtitiæ (ſiue puniendo ſiue præmiando) tum gratiæ renouationis mundi, & perpetui ſtatus, &c.

Apparet & tertiò: quia ſic ſemper huiuſmodi participia (ſcilicet *facto* & *definito*) referuntur ſecundum ſuauiſſimam literæ conſtructionem ad illud ablatiuum, *de filio ſuo*, IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI, pro, *Ieſu Chriſto Domino noſtro*. Explicat enim Apoſtolus quod dixerat de filio ſuo *facto, definito*, apponendo proprium nomen *Ieſu*: & nomen dignitatis, *Chriſto*: & nomen poteſtatis, *Domino noſtro*. PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM. Dixerat ſe vocatum ad Apoſtolatum & ſegregatum in Euangelium Dei, ſed non dixerat *per quem*: & propterea modò explicat. Et dicit *accepimus*, connumerans ſe alijs Apoſtolis. Et dicit *gratiam*, ad excludendum merita propria, ad ſignificandum quòd per Ieſum ex gratia acceperunt ſalutem. ET APOSTOLATVM. Non ſolum per ipſum accepimus quæ ſunt gratiæ internæ, ſed etiam officium Apoſtolatus. AD OBEDIENDVM, pro, *ad obedientiam*, FIDEI.

Fructus officij Apoſtolici primus deſcribitur propaganda obedientia fidei: hoc eſt, quod gentes obediant fidei. Ad hoc enim miſſi ſunt, & ad hoc ſtuduerunt Apoſtoli, vt infererent obedientiam fidei, vt redderent homines obedientes fidei, vt in captiuitatem reducerent omnem intellectum in obſequium Chriſti. IN OMNIBVS GENTIBVS. Extenſio fructus explicatur non in vna regione, non in Africa aut Aſia, ſed in omnibus gentibus. PRO NOMINE EIVS. Finis tum officij Apoſtolici, tum fructus obedientiæ gentium deſcribitur, non nomen proprium, non fama aut gloria Pauli & Apoſtolorum, ſed notitia & gloria Chriſti. IN QVIBVS ESTIS ET VOS VOCATI IESV CHRISTI. *Vocati* non eſt participium ſed nomen. Nec ſignificat nominati, ſed acciti ſeu accerſiti. Et eſt ſenſus: inter quas gentes eſtis & vos accerſiti ad conſortium Ieſu Chriſti. Fortè genitiuus *Ieſu Chriſti* refertur ad obedientiā fidei. Ita vt ſit ſenſus: Ad obedientiā

Obedientia fidei primus fructus officij Apoſtolici.

fidei

Digitized by Google

fidei.Ita vt ſit ſenſus : Ad obedientiam fidei Ieſu Chriſti in omnibus gentibus : *in quibus eſtis & vos vocati.*

Verſ. 7. OMNIBVS QVI SVNT, pro, *exiſtentibus*, ROMÆ, Ecce ad quos ſcribit. Non dicit omnibus Romanis, ſed *omnibus exiſtentibus Romæ* : ne ſparſis per orbem Romanis, ſed Eccleſiæ quæ in loco vrbis Romæ erat (ſiue ex Romanis ſiue ex peregrinis conſtanti) explicet ſe ſcribere. DILECTIS DEI. Duabus conditionibus diſcernit ad quos ſcribit ab aliis Romæ exiſtentibus: Altera eſt dilectionis diuinæ: qua ſcilicet Deus diligit eos, volendo eis tantum bonum quantum eſt æterna beatudo. Et *dilectis* non eſt participium, ſed nomen. Altera eſt, VOCATIS SANCTIS. Hoc eſt, accitis ad ſanctitatem. Nomen ſiquidem eſt *vocatis* ſignificans vt ſuprà : vt intelligant quos Deus diligit, vocare etiam ad ſanctitatem, non ad immunditiam morum, ſuperſtitionum, errorum, &c.

Gratia eſt ratio omnium donorum. Pax eſt fructus omnium gratiarum. GRATIA VOBIS ET PAX. Ecce ſalutatio continens extrema dona, primum ſcilicet, & vltimum. *Gratia* ratio eſt omnium donorum, beneficium eſt ſine meritis : *pax* autem fructus eſt omnium gratiarum. A DEO PATRE. Deeſt, *noſtro*, ET DOMINO NOSTRO. Superfluit *noſtro*, IESV CHRISTO. Ne gratiam aut pacem ab homine imprecari videatur, adiungit *a Deo*. Et ne difficile aliquid à Deo obtinendum ſignificet, adiungit *Patre noſtro* : vt paterno affectu audito in Deo, facile eſſe beneficium exiſtimetur. Et vt omnia ſimul à Deo, & Ieſu Chriſto fieri ſignificet, addidit & *Domino Ieſu Chriſto.*

Verſ. 8. PRIMVM QVIDEM. Poſt ſalutationem inchoat narrationem, ſed antequàm ad Epiſtolæ materiam veniatur, præmittit deſcriptionem ſuiipſius erga exiſtentes Romæ. In ſalutatione ſiquidem deſcribendo perſonam ſalutantem, deſcripſerat ſeipſum erga omnes gentes: nunc autem conſequenter deſcribit ſeipſum ſpecialiter

A quinque actionibus deſcribit ſe D. Paulus. Prima. erga exiſtentes Romæ, ad quos ſcribit. Et propterea dicit *primum* : hoc eſt antequam ad materiam Epiſtolæ perueniatur. GRATIAS AGO. A quinque actionibus ſuis deſcribit ſeipſum erga illos. Prima eſt gratias agere Deo. Et hæc reſpicit dona diuina illis iam collata. DEO MEO. Sic deſcribit ſeipſum erga exiſtentes Romæ, vt ſimul ſeipſum aperiat qualis eſt erga Deum. Et hoc immiſcet ad vtilitatem eorum. Dicendo enim *Deo meo*, ſignificat Deum eſſe ſuum fide, ſpe, charitate. PER IESVM CHRISTVM. Quemadmodum Ieſus Chriſtus mediator eſt, dum conferuntur a Deo dona hominibus: ita mediator eſt in gratiarum actione. Vnde & Eccleſia ſemper adiungit orationibus ſuis, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Merita ſiquidem Ieſu Chriſti recognoſcenda ſunt in gratiarum actione, quæ nobis obtinent conferri diuina dona. PRO OMNIBVS VOBIS. Hoc eſt *loco veſtri*, tanquam reputans dona vobis collata tanquam propria ; vel *pro omnibus vobis*, *dilectis Dei & vocatis ſanctis*, tanquam materia gratiarum actionis. QVIA FIDES VESTRA ANNVNCIATVR IN VNIVERSO MVNDO. Huic ſecundo ſenſui magis quadrat hæc ratio. Ideo gratias ago Deo pro vobis omnibus tanquam donis Dei, *quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*, quia tanti doni odor ſpirat in vniuerſo mundo : vtilis eſt vniuerſo mundo : vt pote prouocans vndequaque ad fidem. Primo autem ſenſui magis quadrat legere quòd fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Explicat enim materiam gratiarum actionis eſſe famam fidei eorum vtilem vniuerſo mundo. Roma enim tunc tempo- *Roma caput mundi.*
ris caput erat mundi. Et propterea fama Chriſtianæ fidei Romæ exiſtentis, diuulgabatur ad vniuerſos, & vtilis erat vniuerſis.

TESTIS ENIM MIHI EST DEVS. Hac ſecunda Verſ. 9.
deſcribit ſe actione : quæ eſt ſemper in ſpecie orare pro aduentu ſuo ad eos. Et ad hoc (ſiue *An hic iuret D. Paulus.*
narratiue ſiue inuocatiue) affert Deum teſtem: qui ſolus poteſt eſſe huius actionis teſtis. Et ſi verbum verbo redderetur, apparet quòd narratiue Paulus hæc dicit. Legendum ſiquidem eſſet, *teſtis enim meus eſt Deus.* Vbi narrat Deum eſſe teſtem, non inuocat : ac per hoc non iurat. CVI SERVIO. Dictio Græca ſpecialem illam ſeruitutem ſignificat quæ ſoli Deo exhibetur, quam Theologi *latriam* ſolent appellare : ſed nos in lingua Latina cætemus proprio vocabulo. Et hic iterum Paulus immiſcet qualis eſt ipſe apud Deum. IN SPIRITV MEO. Ad differentiam ſeruientium Deo exteriori tantum ſeruitute. IN EVANGELIO FILII EIVS. Ecce exterior actio in qua ſeruit ex intimo corde : bona ſcilicet annunciatio filij Dei tanquam rei annunciatæ.
QVOD SINE INTERMISSIONE MEMORIAM VE- Verſ. 10.
STRI FACIO IN ORATIONIBVS MEIS. Aduerte quòd non dicit abſolutè ſine intermiſſione, ſed in orationibus meis : ad ſignificandum quòd quandocunque orabat, nunquam intermittebat facere memoriam ſeu mentionem exiſtentium Romæ. OBSECRANS, pro, *rogans*. Ecce ſe-
cunda actio. SI QVO MODO TANDEM ALIQVAN- *Secunda.*
DO. Inculcatio hæc aduerbiorum continuatum affectum ſignificat. PROSPERVM ITER HABEAM IN VOLVNTATE DEI VENIENDI AD VOS. Qualificat Apoſtolus petitionem ſuam, implendam ſecundum voluntatem Dei : quæ omnia diſponit ſuauiter.

DESIDERO ENIM VIDERE VOS. Ecce tertia Verſ. 11.
actio, VT ALIQVID IMPARTIAR GRATIÆ SPI-
RITVALIS, pro, *donum ſpirituale*. Et propterea le- *Tertia.*
gendum eſt, *vt aliquod impartiar vobis donum ſpirituale.* Non enim vanè deſiderabat eos videre, ſed ad communicandum eis aliquod ſpirituale donum ſcientiæ eorum quæ ſpectant ad fidem & mores, &c. AD CONFIRMANDOS VOS. Gratiarum actio, recepta reſpicit beneficia: oratio autem & deſiderium viuendi, reſpicit recipienda firmitatis beneficia.

ID AVTEM EST SIMVL CONSOLARI IN VOBIS Verſ. 12.
PER EAM QVÆ INVICEM EST FIDEM VESTRAM ATQVE MEAM. Parcit Paulus futuro fructui : ne offendantur exiſtentes Romæ à quaſi præſumente & arrogante ſibi officium firmandi illos. Ne inquam in principio Epiſtolæ offendiculum hoc incurrerent, quum dixiſſet ad confirmandum vos, tanquam moderando ſubiungit propriam conſolationem in eis per mutuam fidem. Nec propterea minuit quam dixerat firmitatem : quoniam ipſa confirmatio eorum, futura erat materia conſolationis Pauli. Et quoniam conſolari in paſſiua ſumitur ſignificatione qua caret, legendum eſſet, accipere conſolationem.

NOLO AVTEM VOS IGNORARE FRATRES QVOD SÆPE PROPOSVI VENIRE AD VOS (ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC. Quartam actionem apponit, ſcilicet quòd propoſuit ire ad eos. VT ALIQVEM FRVCTVM HABEAM IN VOBIS SICVT ET IN CÆTERIS GENTIBVS. Iſta particula quoad ſenſum

Digitized by Google

iungenda eſt cum illa, *ſæpe propoſui venire ad vos* Declarat enim quorſum : vt ſcilicet aliquem fructum habeam in vobis ſicut in cæteris gentibus. Inter has enim interpoſita eſt illa particula : *Et prohibitus ſum vſque adhuc.* Prohibitum autẽ intellige occupationibus aliis Apoſtolicis.

Verſ. 14. GRÆCIS AC BARBARIS, SAPIENTIBVS ET INSIPIENTIBVS DEBITOR SVM. Explicat impedimenta prohibentia ex eo quòd debitor eſt, ex iuncto ſibi officio Apoſtolatus, omnibus. Deſcribit autem omnes penès duas differentias. Altera eſt linguæ, dicendo *Græcis ac Barbaris.* Lingua ſiquidem Græca tunc temporis erat velut lingua communis omnibus. Et propterea Barbaros qui non intelliguntur diſtinguit contra Græcos: vt hinc comprehendat omnes nationes tam communicantium in lingua, quàm non communicantium. Altera eſt penès mentem, dicendo *ſapientibus & inſipientibus*: hoc eſt, doctis & indoctis. Siue intelligas de doctrina philoſophica, morali, & huiuſmodi; ſiue de doctrina veræ ſapientiæ ſecundum Deum; vtriuſque enim debitor erat Apoſtolus.

Lingua Græca tempore Apoſtolorum erat quaſi communis omnibus.

Verſ. 15. ITA QVOD IN ME. Subintellige *eſt.* Infert ſiquidem Apoſtolus ex ſupradictis (quòd ſine intermiſſione orat, quòd deſiderat videre, quòd ſæpe propoſuit & impeditus eſt vſque adhuc) infert inquam quintam actionem ſuam erga exiſtentes Romæ, quòd quantùm in me eſt, quantùm eſt ex parte mei, PROMPTVM EST ET VOBIS QVI ROMÆ ESTIS EVANGELIZARE. Putant multi ſubſtantiuè accipiendum eſſe *promptum*, pro promptitudine. Ita vt ſit ſenſus, quantùm in me eſt, promptitudo adeſt. Sed parui refert adiectiuè vel ſubſtãtiuè legere. Senſus enim eſt quòd quantũ in me eſt, paratus ſum & vobis qui Romæ eſtis euangelizare. Ita quòd hæc quinta actio diſpoſitio eſt ad agendũ potius quàm actio.

Quinta.

Verſ. 16. NON ENIM ERVBESCO EVANGELIVM. Deeſt *Chriſti.* Reddit rationem ſuæ promptitudinis, excludendo internum impedimentum. Potuiſſet fortè quiſpiam computare inter impedimenta internas paſſiones, quæ maximè tollunt promptitudinem. Et quia Euangelium Chriſti eſt Euangelium crucifixi (qui Iudæis eſt ſcandalum gentibus autem ſtultitia) ideo paſſio erubeſcentiæ præcipuum tenet locum ad impediendum promptitudinem euangelizandi Chriſtum. Prædicare enim ea quæ exiſtimantur ſtulta & ignominioſa, annexum habet timorem vituperationis paſſiuæ, qui erubeſcentia dicitur. Et propterea Paulus profitens ſe promptum ad euangelizandum etiam Romæ Chriſtum, excluſum à ſe impedimentũ erubeſcentiæ profitetur: vt ſolis externis impedimentis prohibitus intelligatur.

Erubeſcentia eſt timor vituperationis.

VIRTVS ENIM DEI EST. Hîc propriè incipit Epiſtola quantùm ad materiam propriam: vnde & in his verbis vniuerſam Epiſtolæ materiam comprehendendo proponit.

Sed aduerte priùs viam qua ingreditur Paulus materiam Epiſtolæ: artificioſa ſiquidem eſt. Incepit à principio, deſcribendo ſalutantis perſonam, ſe Apoſtolum vocatum & ſegregatum ad Euangelium Chriſti: deinde deſcribendo ſeipſum in ſpecie erga exiſtentes Romæ, deſiderium, orationem, propoſitum, atque promptitudinem demum ad Euangelium Chriſti declarauit, vt hinc ingrederetur ad Euangelium materiam huius Epiſtolæ; hoc eſt, ad rem euangelizatam, ad rem annunciatam Euangelio, quæ eſt materia huius Epiſtolæ. Vnde & continuo apponit coniunctionem *enim*, ad ſignificandum quòd res annunciata Euangelio excludit omnem erubeſcentiam. Quum dicitur itaque *virtus eſt enim*, ſubauditur proculdubio Euangelium (nam eſt ſenſus, Euangelium enim eſt virtus) intellige Euangelium ſecundùm rem euangelizatam, ſecundùm rem annunciatam Euangelio. Et ſumitur *virtus* pro poteſtate ſeu potentia, vt opponitur imbecillitati ſeu impotentiæ: & non vt virtus diſtinguitur contra vitium. Nec dicit, *potens eſt enim* ſed *potentia eſt enim*: vt intelligamus rem annunciatam Euangelio, non ſolùm eſſe potentem, ſed eſſe ipſam potentiam, non hominis, non cœlorum aut Angelorum, ſed Dei. IN SALVTEM. Ecce ad quid eſt Euangelica potentia, ſcilicet ad ſalutem. Verè ad hoc venit filius in mundum vt ſaluet mundum, verè potentia Euangelica ad ſalutem tendit, non ad perditionem: quicunque enim perduntur, ex ſe ipſis perduntur: qui autem ſaluantur, ex ſola hac potentia ſaluantur. OMNI CREDENTI. Abſque exceptione aliqua (conditionis, ſexus, qualitatis, &c.) dicitur *omni credenti.* IVDÆO. Deeſt coniunctio *que.* PRIMVM ET GRÆCO. Executio ſaluationis deſcribitur ordine quodam quod ſcilicet inchoauit in natione Iudæorum. Et hoc patuit ad ſenſum nam Ieſus Chriſtus perſonaliter prædicauit Iudæis: & Apoſtoli primùm prædicauerunt Iudæis: propter quod primi credentes fuerunt Iudæi: ipſi ſcilicet Apoſtoli, & innumera alia multitudo. Et quia Iudæorum fidem ſecuti ſunt immediatè Græci, ideo dicit *Iudæóque primum & Græco.* Ita quòd duplex ordo executionis ſignificatur. Alter inter Iudæos Græcoſque ex vna, & reliquas nationes ex altera parte. Alter inter Iudæum & Græcum inter ſe. Et hic quidem ordo ſignificatur ex ipſo ordine nominandi Iudæum ac Græcum: ille verò tum ex illo aduerbio *primum*: non enim dicit Iudæo primùm, & deinde Græco, quod ſignificaret ordinem inter Iudæum & Græcum tantummodo: ſed dicit *Iudæóque primum & Græco*, clare cõprehendẽdo ſub *primum* vtrumque: tum ex geminata cõiunctione, dicendo *Iudæoque primum & Græco*: hoc eſt primùm tum Iudæo tum Græco. Quum enim dixiſſet *in ſalutem omni credenti*, ſubiungit executionis ordinem eſſe inchoando & à Iudæo, & à Græco ad reliquos omnes. Iudæo quidem vtpote fide Abrahæ & prophetarũ pollente: Græco autem vtpote ſapiẽtiam quærente. Et ſecundùm rei geſtæ ordinem prima natio credẽs poſt Iudæos fuit natio Græcorum. In qua primùm cognominati ſunt Chriſtiani, quod Græcum conſtat eſſe nomen. Et licet iſte fuerit executionis ordo, literalis tamen ſenſus appellatione Græci intendit gentilem, à Græco nominatum propter dictam rationem: quia ſcilicet gentium ſalus à Græca incepit natione. Et ſignificatur ad literam ordo executionis inter Iudæum & Græcum hoc eſt gentilem: quia idem Paulus proponit quod poſtea tractat.

Virtus ſumitur pro poteſtate vt opponitur imbecillitati.

Primi credentes fuerunt Iudæi.

Gentium ſalus à Græcis incepit.

Non conſtat autem in tota hac Epiſtola aliquam ſpecialem de Græcis mentionem fieri, niſi quum paulò antè dictum eſt *Græcis ac Barbaris*: ſed fit ſpecialis tractatus inferiùs de primatu ſalutis Iudæorum reſpectu gentium, tum tempore, tum dignitate: vt patet à cap. 9. vſque ad 11. Eſt itaque literalis ſenſus: *Iudæóque primum*

primùm, tempore & dignitate, *& deinde Græco*, id eſt, gentili. Ita quod gemina commendatione, pariter ſine merito electas ambas nationes, primum vero ordinem executionis & dignitatis hic habitum ſignificat.

Verſ. 17. IVSTITIA ENIM DEI. Non dicit *iuſtitia*, ſed *iuſtitia Dei*: ad differentiam tum iuſtitiæ humanæ, tum iuſtitiæ legis, circumciſionis & cuiuſcunque alterius. Et eſt ſenſus: *Iuſtitia Dei*, hoc eſt, Iuſtitia qua homo iuſtus eſt apud Deum. Iuſtus dico non ſecundùm quid, ſed ſimpliciter & abſolute: Iuſtus rurſus non a iuſtitia quæ eſt virtus ad alterum: ſed a iuſtitia vt eſt recta diſpoſitio totius animi, ſecundùm quam frequenti vſu in ſacris literis iuſtus diſtinguitur ab iniuſto; hoc eſt, bonus ſecundum Deum, ad differentiam exiſtentis in peccato mortali. Hæc iuſtitia Dei (vt inferiùs declarabitur) appellatur alias iuſtitia fidei. IN EO REVELATVR. *In eo*, ſcilicet euangelio. Probat enim quod Euangelium ſecundum rem annunciatam eſt poteſtas ſalutatis omni credenti: quia in Euangelio reuelatur iuſtitia Dei, qua homines iuſti ſunt apud Deum, qua homines ſaluantur. EX FIDE IN FIDEM. Poteſt hoc referri tam ad verbum *reuelatur* (& eſt ſenſus: *Reuelatur ex fide in fidem*: fide patrum veteris Teſtamenti, in fidem hominum noui Teſtamenti) quam ad nomen *iuſtitia*. Et eſt ſenſus quòd Dei iuſtitia ex fide in fidem, hoc eſt, ex fide veteris Teſtamenti in fidem noui Teſtamenti reuelatur in Euangelio. Et vtrumque eſt verum. Euangelium namque Chriſti ex fide patrum prouenit, fidemque patrum firmat, manifeſtatque iuſtitiam patrum eſſe iuſtitiam eiuſdem fidei. Neque enim dicitur *ex fide in fidem*, ad ſignificandum diuerſas fides, ſed ad ſignificandum ſucceſſionem credentium ſecundùm eandem fidem. Nec vacat myſterio reuelatio ex fide in fidem, ſeu reuelatio iuſtitiæ ex fide in fidem. Explicatur enim per hoc quod Euangelium, quod erat occultum in fide patrum, detegit & in manifeſto ponit in fide filiorum. Quod ipſe efficit in hac epiſtola, quod Ieſus in Euangelio manifeſtat. SICVT SCRIPTVM EST, apud Abacuc 2. IVSTVS AVTEM EX FIDE VIVIT, pro *viuet*. Tres res in hac authoritate Scripturæ ordinantur, ſcilicet vita, iuſtitia, & fides. Ita quod conſtituitur: vita ex iuſtitia quæ eſt ex fide. Et complectitur quodammodo omnia quæ propoſuerat. Et punctanda eſſet litera ſic: *Iuſtus autem ex fide*; ita quòd determinetur non vndecunque iuſtus, ſed iuſtus ex fide, eſt ille qui *viuet*, vita procudubio ſalutis æternæ. Et excluditur per hoc a vera vita, tum non ſolùm quicunque iniuſtus, ſed etiam quicunque quomodolibet iuſtus non ex fide: tum habens fidem, non tamen ex fide iuſtus, qualis eſt habens fidem mortuam, fidem informem.

Iuſtitia Dei hic quid?

Ex fide in fidem dicit ſucceſſionem in eadem fide.

Verſ. 18. REVELATVR ENIM IRA DEI. Propoſita materia epiſtolæ, incipit per partes ſingulas tractare. Et primo quidem tractat illam particulam, *reuelatur enim in eo iuſtitia Dei*, vſque ad c. 5. ibi, *Iuſtificati igitur ex fide*. Vbi pro aliquali notitia progreſſus epiſtolaris, ſcito intentionem Apoſtoli eſſe tractare de euangelica gratia, ſeu potentia. Et inde deprimere tum Ethnicos, tum Iudæos, monſtrando eos eſſe pares relatos ad rem Euangelicam, prærogatiuis tamen multis penes modum præferendo Iudæos. Vnde à principio vſque ad finem prærogatiuas aliquas interſerit Iudæorum. Ad proſequendum autem hanc ſuam intentionem propoſuit quod Euangelium eſt *potentia Dei in ſalutem omni credenti*, &c. Intendens quaſi pro themate hæc proponere: & poſtea ſigillatim propoſita enucleare.

Quid intendat Apoſtolus tractare in hac Epiſtola.

Incipiens itaque ab illa particula, *reuelatur enim in eo iuſtitia Dei*, declarat primo ipſam reuelationem ex reuelatione punitionis contrarij. Contrariatur ſiquidem manifeſte iniuſtitia iuſtitiæ Dei: & ideo à reuelatione punitionis iniuſtitia tam in gentibus, quam in Iudæis incipit ſimili ſtylo, ſcilicet proponendo prius velut ſummarium quoddam huiuſmodi punitionis, & deinde per partes exequendo. Summatiú ſiquidem eſt, reuelari iram Dei *ſuper impietatem & iniuſtitiam hominum qui veritatē in iniuſtitia detinent*. Et appellatur ira Dei iuſtitia vindicatiua: metaphorice nominata ira. DE COELO. Poteſt referri, vel ad vindictam, vt ſignificetur vindicta de cœlo, ad differentiam vindictarum quas facit Deus per homines. Ira ſiquidē Dei de cœlo vindicta eſt æternæ damnationis. Vel poteſt referri ad verbum *reuelatur*, vt quod prius dixerat, *reuelatur in eo* (ſcilicet Euangelio) modò explicet reuelationē euangelicam eſſe a Deo. SVPER OMNEM IMPIETATEM ET INIVSTITIAM. Impietas ſpecies eſt iniuſtitiæ, a ſpecie aſcendit ad genus. Nominandæ autem ſunt hæ ſpecies propter magnitudinem criminis. Impietas enim contraria eſt pietati, quæ parentibus, patriæ, eorúmq; beneuolis cultum officiumque exhibet. HOMINVM EORVMQVE VERITATEM DEI. Superfluit *Dei*. IN INIVSTITIA DETINENT. Cauſam impietatis & iniuſtitiæ talium hominū tangit, eſſe detinere veritatem in iniuſtitia: ita quod ex hoc quod detinent veritatem in iniuſtitia, efficiuntur iniuſti & impij. Detinere autem veritatē in iniuſtitia, eſt occludere veritatem notam in intellectu velut ſeris iniuſtitiæ in voluntate: ita quod intellectum verum claudant iniquā voluntate. Detinent, inquam, ne exeat ad effectus, & opera conformia veritati notæ. Hoc enim propriè eſt detinere veritatem in iniuſtitia, hoc eſt, iniuriari veritati notæ. Et hinc patet quod non de quacunq; veritate eſt ſermo, ſed de veritāte diuinorum: cui maxima irrogatur iniuria, eo ipſo quod inuiſa detinetur ne cognoſcatur ab aliis, ne veneretur affectibus, verbis, & operibus.

Iuſtitia vindicatiua vocatur ira Dei.

Detinere veritate in iniuſtitia quid.

QVIA QVOD NOTVM EST DEI. Intendens probare veritatis detentionem, inchoat a probatione quod veritas diuinorum eſt illis nota. Detineri ſiquidem non poteſt quod non habetur: inchoat autem a notitia communi fidelibus & infidelibus: quoniam inchoat executionem ab iniuſtitia Ethnicorum, ſeu gentilium. Et dicit *quod notum eſt Dei*, ad differentiā eorum conditionum Dei quæ ignota ſunt: vtputa quod eſt trinus & vnus, & alia, quorum intellectus humanus non eſt aliquo modo capax. Vt intelligamus per *notum Dei* ſignificari id quod naturali lumine humani intellectus cognoſcitur de Deo: puta quod eſt vnus, princeps omnium, actus purus, æternus, & huiuſmodi. MANIFESTVM EST IN ILLIS. Hoc eſt in intellectis ipſorum. Et bene notā dici *manifeſtum eſt*, contra eos qui nulla putant ratione demonſtrata eſſe ea quæ ſunt de eo, quod non ſolum contra- Verſ. 19.

dicunt Philoſophiæ, ſed Apoſtolico textui. Nam ſi manifeſtum eſt; demonſtratum eſſe oportet. DEVS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT. Non dicit *reuelauit*, ne lumen gratiæ immiſceat: ſed dicit *manifeſtauit*, vt diuinum concurſum mediante lumine naturali (quod Dei donum eſt) ſignificet.

Verſ.20. INVISIBILIA ENIM IPSIVS. Subiungit modum quo Deus illis manifeſtauit. Et eſt modus naturalis intelligentiæ ex effectu. *Inuiſibilia*, hoc eſt, inuiſibiles conditiones ipſius Dei. Et dicit *inuiſibilia* pluraliter, quæ prius dixerat *quod notum eſt Dei*, & nunquam dixit *Deus*: quia quemadmodum ex eo quòd res illa ſimpliciſſima quæ Deus eſt, non nota eſt nobis ſua illa vnica, & ſimpliciſſima ratione, ſed multiplicatis conditionibus (puta quòd eſt actus purus, quòd eſt immutabilis, quòd eſt æternus, & ſimilia) dicit pluraliter *inuiſibilia Dei*, ita ex eo quòd collecta vniuerſa notitia quam de Deo habemus, non cognoſcimus Deum, hoc eſt illam rem ſimpliciſſimam vt in ſe eſt, ſed tanquam habentem aliquid quod de illo cognoſcimus, dixit *quod notum eſt Dei*. Humanus ſiquidem intellectus rem ſimpliciſſimam natus eſt cognoſcere diſtinctis rationibus, & per modum rerum compoſitarum.

Inuiſibilia Dei, quæ.

A CREATVRA MVNDI. Ecce declarat reſpectu cuius dixit *inuiſibilia*. Nulla enim diuina côditio eſt inuiſibilis omnino: quoniã omnes ſunt viſibiles Deo, ſed conditiones Dei ſunt inuiſibiles creaturæ mundi, non alicui, ſed cuilibet. Nullus enim intellectus creatus tantæ eſt facultatis naturalis, vt poſſit videre Deum. Et propterea conditiones Dei dicuntur inuiſibiles a creatura mundi.

Alia conſtructio. Poteſt tamen hic textus aliter punctari: vt hoc quod dicitur *a creatura mundi*, non referatur ad *inuiſibilia Dei*, ſed referatur ad verbum *conſpiciuntur*: vt ſit ſenſus; conſpiciuntur à creatura mundi. Et ſic creatura mundi intelligitur limitari per id quod ſubiungitur, ſcilicet *intellecta*. Eſt enim ſenſus: per ea quæ facta ſunt intellecta à creatura mundi: vt non oporteat vagari per omnem mundi creaturam, ſed eam tantum cuius eſt intelligere. Et comprehendit non ſolos homines, ſed omnes creaturas habentes intellectum. De omnibus ſiquidem verum eſt quod hîc dicitur. Et ſic reſtat infinitè dictum *inuiſibilia Dei*: quia in rei veritate ſunt in ſeipſis inuiſibilia naturali facultate cuiuſcumque intellectus creati.

Scito tamen cum his quòd dictio Græca anceps eſt ad *creaturam*, vel *creationem*. Et propterea aliqui interpretes legunt *a creatione mundi*. Magis tamen quadrare videtur legere *a creatura mundi*: ex eo quòd ſubditur. PER EA QVÆ FACTA SVNT. In quibus comprehenditur creatio mundi. Ecce modus quo diuina conſpici ab aliis poſſunt, ſcilicet *per ea quæ facta ſunt*. Apertè per hoc dicens, quòd inuiſibilia Dei, quæ in ſeipſis videri non poſſunt, ab aliis poſſunt conſpici per ea quæ facta ſunt, quæ ſunt effecta à Deo: vt cauſa conſpicitur per effectus proprios. INTELLECTA. Dictio Græca præſentis eſt temporis, non præteriti: ſed nos caremus participio paſſiuo præſentis temporis. Declarat modum quo per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur diuina. Modus eſt per ea quæ facta ſunt intellecta in præſenti, non ſenſata, non imaginata, non ſuperficie tenus cognita, ſed penetrata intellectu. Et eſt ſimile cùm quis videtur per ſpeculum quod videtur. Deus enim relucet in effectis ab eo, velut in ſpeculis. Et quemadmodum requiritur ad videndum relucens in ſpeculo, intuitus ſpeculi: ita ad conſpiciendum Deum per ea quæ facta ſunt; requiritur intellectio factorum à Deo. Et propriè loquitur vtendo præpoſitione *per*, dicendo *per ea quæ facta ſunt intellecta*: quoniam propriè loquendo Deus non conſpicitur in creaturis factis, quemadmodum res conſpicitur in ſpeculo: ſed per ipſa effecta cùm intelliguntur, aſcendimus ad conſpiciendum conditiones ipſius Dei: puta quòd eſt æternus, quòd eſt actus purus, &c. Vnde magis ſimile exemplum eſt, cùm ex diligentiùs perfectis artificiatis conſpicimus artem qua effecta ſunt: & qui perſpicaciùs artificiata percipit, melius & plus artis quæ effecit, conſpicit.

Quomodo per creaturas conſpiciuntur inuiſibilia Dei.

CONSPICIVNTVR. Quæ prius dixit *inuiſibilia*, modò dicit conſpici *per ea quæ facta ſunt intellecta*, vt intelligamus hinc duos modos manifeſtè cognoſcendi: Alterum per modum viſionis, ſeu intuitus rei in ſeipſa; Et penes hunc dixit *inuiſibilia*. Alterum per modum clarè quidem, ſed tamen in alio videndi: ſicut videmus res in ſpeculo, ſicut conſpicimus artem, videndo effecta ab arte. Et penes hunc modum dicit *conſpiciuntur*.

Duplex modus cognitionis.

Si quæris quomodo Angeli & reliquæ ſuperiores nobis Intelligentiæ conſpiciunt Deum *per ea quæ facta ſunt intellecta*. In promptu eſt reſponſio, quòd intuendo ſeipſas factas à Deo Intelligentiæ conſpiciunt Deum: loquêdo de naturali cognitione, de qua eſt ſermo.

SEMPITERNA QVOQVE pro *que*, EIVS VIRTVS ET DIVINITAS. Non ſuffecit Paulo dixiſſe in genere quod inuiſibilia Dei conſpecta ſunt, ſed explicauit in ſpecie tria, ſcilicet *ſempiternitatem, potentiam, & diuinitatem*. Et denominauit tam potentiam quàm diuinitatem ſempiternam ad differentiam nouorum Deorum, aut cuiuſcumque nouæ potentiæ. Quamuis formalius adiectiuum *ſempiterna* intelligatur determinare ſolam potentiam, vt explicentur tria de Deo nota. Primum in genere, inuiſibilia Dei, ſcilicet quod eſt incorporeus, immaterialis, vnus, viuens, intelligens, beatus in ſeipſo. Deinde in ſpecie potentia eius ſempiterna quatenus poteſtas: vtpote & quæ nunquam exhauritur faciendo, & quæ poteſt ſempiternum facere effectum. Et demum eſſentia eius, dicendo: *& diuinitas*. Quam ideo vltimò ſupputat, quia ex aliis conditionibus & potentia ſempiterna nobis nota eſt. Manifeſte quidem quantum ad hoc quod eſt, & quantum ad multas conditiones negatiuas & poſitiuas. Ex quibus tamen omnibus ſimul iunctis neſcitur quid eſt, propriè loquendo. Nec mirum: quia ſoli Deo naturale eſt noſſe quid eſt Deus. Quoniam ipſi ſoli naturale eſt videre Deum in ſeipſo: Angelis enim & nobis non niſi per effecta conſpicere Deum datum eſt naturali facultate.

Tria inuiſibilia Dei declarat D. Paulus.

Et diſtinxit inter potentiam Dei & diuinitatem: non quod duæ res ſint Dei potentia, & Dei diuinitas, ſed propter ſuperiùs dictam rationem; quia ſcilicet multiplicatis

plicatis rationibus res illa vna atque ſimpliciſſima quæ eſt Deus, & eius quæcunque conditio (potentia, ſapientia, &c.) innoteſcit nobis. Eſt itaque conſpecta, diuinitas Dei, quia conſpectum eſt quod eſt actus purus ab omni potentialitate, à qua nullum aliud ens exemptum eſt: quod eſt ipſum *eſſe* nulla participatione eſſendi, ſed per eſſentiam, in ſeipſo ſubſiſtens, a quo pendet vniuerſitas entium. ITA pro, *in hoc*, VT SINT INEXCVSABILES. Et eſt ſenſus: vt ſint inexcuſabiles in hoc, inferiùs ſubiuncto.

Deus eſt ipſum eſſe.

Verſ. 21. QVIA, pro, *quòd* CVM COGNOVISSENT DEVM, NON SICVT DEVM GLORIFICAVERVNT. Ecce in quo redduntur inexcuſabiles, ecce quomodo veritatem in iniuſtitia detinent: habendò in intellectu notitiam, & non glorificando ipſum vt Deum. Et ſpectat hæc negatio glorificationis tum ad verba laudis, tum ad facta ſacrificiorum & cultus. AVT GRATIAS EGERVNT. Altera negatio gratiarum actionis. Cognoſcentes ſiquidem de Deo ſummam excellentiam, tenebantur glorificare: & cognoſcentes illius liberaliſſimam beneficentiam in omnes, tenebantur gratias agere. SED EVANVERVNT, pro, *ſed vani facti ſunt*. Non ſolùm peccauerunt omiſſione, ſed etiam opere internæ intentionis & affectus. *Factum* enim *eſſe vanum*, eſt redditum eſſe ſtudioſum eorum quæ vana ſunt, eorum quæ friuola ſunt: qualia ſunt fama, honor, & gloria humana, cum reliquis tranſitoriis. Significatur enim per hoc peccatum Philoſophorum quo affecti fuerunt ad humanam gloriam & ſimilia friuola. IN COGITATIONIBVS SVIS. Materia affectus ad vana, ratiocinationes, acutæque mentis cogitationes dicuntur. Ac ſi apertiùs dixiſſet, quòd acumen ingenij eorum quo aſcenderunt ad notitiam Dei, fuit illis materia delectationis in gloria humana, qua facti ſunt vani: & vnde Deum glorificare debebant & gratias agere, inde in propriam vanitatem ruerunt.

In quo peccauerunt Philoſophi, qui Deum cognouerunt.

Philoſophorum vanitas.

ET OBSCVRATVM EST INSIPIENS COR EORVM. Et culpa tum omiſſæ glorificationis Dei & gratiarum actionis, tum admiſſi affectus ad propriá gloriam ſubſecuta deſcribitur pœna obtenebrationis corde. Et appellat *cor eorum inſipiens* ratione culpæ vtriuſque. Ita quod ſenſus eſt: Et cor eorum inſipiens, id eſt, intimum eorum inſipiens, non glorificando nec gratias agendo, & affectum ad vana (inſipientia enim contraria eſt ſapientiæ, quæ rectè iudicat ſecundum vltimum finem, ſecundùm ſupremam cauſam quæ Deus eſt,) obtenebratum eſt, pœnam incurrit obtenebrationis, priuationis luminis quo reſipiſceret à culpa ſua. Et dixit hoc ad tollendam admirationem hominum circa huiuſmodi iniquam detentionem veritatis apud Philoſophos: Tollitur ſiquidem admiratio ex hoc quòd iuſto Dei iudicio obtenebratum eſt intimum eorum, poſtquam affecti ad propriam gloriam, Deo negauerunt glorificationem & gratiarum actiones.

Inſipientia.

Obtenebratio.

Verſ. 22. DICENTES ENIM SE ESSE SAPIENTES. Superfluunt duæ particulæ, *enim* & *ſe*. Verùm pronomen *ſe* coactus eſt addere interpres ad exprimendum ſenſum. Nec eſt ſermo dè quocunque *dicere*: ſed de *dicere profitendo*. Declarat ſiquidem Paulus quod dixerat, *vani facti ſunt in cogitationibus ſuis*; dicendo, profitentes ſe eſſe ſapientes: vt intelligamus cogitationes eorum eſſe cogitationes ſapientiæ quam profitebantur. STVLTI FACTI SVNT. Hoc eſt incurrerunt contrarium ſapientiæ veræ: vt pote diſponentes contraria iis quæ diſponenda erant à vera ſapientia: vnde & hæc contraria ſubiungit.

ET MVTAVERVNT GLORIAM INCORRVPTIBI- Verſ. 23.
LIS DEI. Ecce actiones ſtultitiæ. Et eſt ſenſus: Mutauerunt gloriam debitam, incorruptibili Deo. IN SIMILITVDINEM, pro, *in ſimilitudine*. Non enim ſignificatur terminus *ad quem* mutationis, non eſt ſenſus quod mutauerint gloriam debitam Deo in ſimilitudinem, &c. tanquam in terminum in quem mutata ſit gloria Dei. Sed mutatio gloriæ debitæ Deo, abſque termino *ad quem* ſignificatur in textu: & *ſimilitudo* deſcribitur concurrens tanquam occaſio mutationis, tanquam res in qua occaſionem ſortita eſt mutatio gloriæ Deo debitæ. Eſt enim planus literæ ſenſus quod colendo ſimulacra ſiue hominum, ſiue animalium mutauerunt gloriam debitá Deo. Et verè ſic fuit: quamuis enim Philoſophi non figurarint Deum nec Dei gloriam ſimulacris hominum & animalium, quia tamen hæc ſimulacra colenda fecerunt aut coluerunt, mutauerunt gloriam Deo debitam. Mutauerunt autem tum ſubtrahendo: quoniam hinc ſubtracta eſt gloria Deo debita à genere humano: tum impendendo alteri gloriam Deo debitam. Gloria enim ſacrificiorum ſoli Deo debetur. IMAGINIS. Ad explicandum de qua ſimilitudine eſt ſermo, adiungit IMAGINIS: vt intelligamus quod de ſimilitudine per modum imaginis eſt ſermo. CORRVPTIBILIS HOMINIS, ET VOLVCRVM ET QVADRVPEDVM ET SERPENTIVM. Omnia genera animalium complectitur hac triplici differentia inſtrumentorum ad motum progreſſiuum.

Quomodo Philoſophi mutauerunt gloriam Dei.

PROPTER QVOD TRADIDIT ILLOS DEVS. Pœ- Verſ. 24.
nam tanti ſceleris commiſſi contra gloriam Dei ſubiungit. Cùm autem audis Deum tradidiſſe illos in ſubiuncta, intellige quòd tradidit ſubtrahendo gratiam, retractiuam à ſubiunctis deſideriis & factis. IN DESIDERIA, pro, *in concupiſcentiis*, CORDIS, pro, *cordium*, EORVM IN IMMVNDITIAM. Ecce pœna congrua. Ipſi ſiquidem eleuati fuerant in notitiam Dei, & noluerunt conſequenter ſe diſponere ſecundùm illam notitiam: & propterea meruerunt ſubiici parti ſenſitiuæ. Congruum ſiquidem eſt vt qui noluerunt vti celſitudine intellectus, ſubiiciantur vilitati & ignominiæ ſenſuum. Nec ſunt derelicti in concupiſcentiis propriorum cordium: ſed (quod peius eſt) in illis concupiſcentiis propriorum cordiũ quæ tendunt ad immunditiam: quæ ſunt viliſſimæ. Et meritò: vt qui deſideria munda ex diuina notitia prodeuntia refutarunt, in concupiſcentias immundas tradantur vt ſubditi illis. Vbi nota ratione ſignificatæ rei ſcriptum eſſe, *tradidit illos in concupiſcentiis*: vt ex hoc ipſo intelligeretur Deum tradere, derelinquendo illos in propriis concupiſcentiis. Et ſignificanter dicitur *cordium*: quoniam praui hominis non vnum eſt cor, ſed contrarij ſunt appetitus.

Philoſophorum punitio.

Praui hominis non vnum eſt cor ſed plura.

VT CONTVMELIIS pro, *ignominiis*, AFFICIANT CORPORA SVA IN SEIPSIS. Explicat in actibus exterioribus quod dixerat, *in immunditiam*: declarando ſe loqui de immunditia venerea, non quacunque, ſed ignominioſa, hoc eſt, contra naturam: vt magis explicabit. Deſcribit autem eam ab ignominia, quia verè ignominioſa: vt omnes nationes teſtantur. Et apponitur vt congrua pœna ſubtractæ gloriæ Deo: vt pro ſub-

tracta gloria Deo, incurrant ignominiam propriorum corporum. Et dicit *in ſeipſis*, ad differentiam huiuſmodi ignominiæ, quæ infertur quandoque in hoſtes ad fœdandum eos. Significat enim quod incurrerunt hanc pœnam vt amicorum, vt conciuium, vt ſuorum corpora fœdarent tali ignominia.

Verſ. 25. QVI COMMVTAVERVNT, pro, *qui transmutauerunt*, VERITATEM DEI. Accumulat crimen crimini, antequam explicet in ſpecie pœnam quam deſcripſit in genere. Dixerat quod mutauerunt gloriam Dei: adiungit modò aliud crimen, quod *mutauerunt veritatem Dei*, hoc eſt, veritatem notam eis de Deo. Veritatem ſiquidem Dei in ſeipſa mutare non potuerunt: ſed veritatem Dei ſibi notam mutauerunt IN MENDACIVM, pro, *in mendacio*. Similis eſt enim conſtructio ſimiliſque ſenſus ſuperiori particulæ, cùm dictum eſt *mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis*. Non enim ſignificatur terminus *ad quem* mutationis: non dicitur quòd mutauerint veritatem in mendacium, ſed dicitur quòd in mendacio, hoc eſt, quod vtendo mendaciis mutauerunt veritatem Dei. Vtendo ſiquidem falſis doctrinis, mutauerunt veritatem notam de Deo: mutauerunt autem tum adimendo ea quæ intellectus diuini aut potentiæ ſunt; nam ex mendaciis Philoſophorum ſubſecutum eſt quòd quæ vere nota erant de Deo, aut in dubium verſa ſunt, aut ignota aliis remanſerunt: tum fingendo ea quæ propria ſunt Deo, conuenire aliis. In his enim mendaciis veritas diuinorum prius nota, mutata eſt aut in ambiguum, aut in negationem apud homines.

Veritatem Dei mutauerunt Philoſophi: Quomodo?

ET COLVERVNT ET SERVIERVNT. Hìc inſinuatur mendacium fuiſſe in hoc quòd finxerunt numen quoddam in partibus mundi, ſiue corporeis ſiue incorporeis. Et dico *finxerunt*: quia clarè dicitur *in mendacio*, non *in falſitate*, vt intelligamus non ſolùm falſò, ſed mendaciter, hoc eſt, ex induſtria falſum dixiſſe: dicendo creaturas habere aliquid diuinitatis ſeu eſſe Deos; deberique illis cultum. Et duos actus explicat: alterum venerationis, alterum ſeruitutis. Et eſt ſermo de ſeruitute latriæ, hoc eſt ſoli Deo debitâ. Et ſimiliter eſt ſermo de veneratione diuina. CREATVRÆ. Ecce aliud crimen. Prius deſcripſerat crimen colentium imagines hominum, volatilium, quadrupedum, & huiuſmodi: modo deſcribit crimen colentium creaturas: puta Solem, Lunam, elementa, dæmones, & huiuſmodi. Vtraque enim idololatria orta videtur a Philoſophis: prima quidem à formantibus imagines ſignorum cœleſtium: puta Arietis, Cancri, Libræ, &c. altera autem à dicentibus deberi cultum partibus mundi beneficis, ſeu animatis anima mundi. POTIVS QVAM CREATORI. pro, *præter eum qui condidit*: hoc eſt, prætermiſſo Deo qui condidit creaturas: huiuſmodi enim prætermiſſio complet rationem inexcuſabilis criminis. Tolerabile ſiquidem fuiſſet venerari creaturas, ſub Creatore tamen: ſed venerari eas prætermiſſo Creatore, omnino inexcuſabile eſt.

Philoſophi Idololatræ.

Aduerte quòd iuxta duas omiſſiones (ſcilicet *non glorificauerunt nec gratias egerunt*) ſubiunxit duo opera, ſcilicet, *mutauerunt gloriam in ſimilitudinem imaginis*, & *mutauerunt veritatem in mendacium* ſeruiendo creaturæ prætermiſſo Creatore; hoc enim directè opponitur gratiarum actioni Deo debitæ: ſicut illud gloriæ Deo debitæ.

Duas omiſſiones ſequuntur duæ actiones prauæ.

QVI EST BENEDICTVS, benedictione laudis, IN SECVLA. AMEN. hoc eſt, verè.

PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEVS. Incipit Verſ. 26.
explicare in ſpecie pœnas. IN PASSIONES, pro, *in affectus*, IGNOMINIÆ. Affectus actuum ignominioſorum, appellat affectus ignominiæ. NAM FOEMINÆ EORVM IMMVTAVERVNT NATVRALEM VSVM IN EVM VSVM QVI EST CONTRA NATVRAM. Intellige ſexus.

SIMILITER AVTEM ET MASCVLI RELICTO NA- Verſ. 27.
TVRALI VSV FOEMINÆ, EXARSERVNT IN DESIDERIIS SVIS: pro *in concupiſcentia ſua*, INVICEM MASCVLI IN MASCVLOS TVRPITVDINEM OPERANTES, ET MERCEDEM QVAM OPORTVIT ERRORIS SVI IN SEIPSIS RECIPIENTES. Sicut merces merito reſpondet in bonis, ita transfertur etiàm ad mala: & pœna quam meruit error, dicitur merces erroris. Ita quòd pro eo quòd errauerunt ſubtrahendo debitam Deo gloriam, puniti ſunt huiuſmodi ignominiis.

Ignominioſa Ethnicorum turpitudo.

ET, SICVT NON PROBAVERVNT DEVM HABE-
RE IN NOTITIA. Hoc eſt, & ſicut non laudauerunt Verſ. 28.
factis Deum illis notum, non laudauerunt factis tantum beneficium quod haberent in ſua notitia Deum: quod eſt eos non egiſſe gratias Deo, quod eſt eos neglexiſſe tantum beneficium. TRADIDIT ILLOS DEVS IN REPROBVM SENSVM. pro *in reprobam mentem*. Declarat congruitatem pœnæ ſubiunctæ ex hoc quòd quemadmodum ipſi habentes notitiam Dei non vſi ſunt illa, probando factis illam, ita Deus tradidit illos in mentem reprobam: hoc eſt, reprobatione dignam: hoc eſt, eligentem reproba. Congruum enim eſt vt ſicut ipſi reprobarunt Deum notum, ita incurrant mentem reprobam. VT FACIANT EA QVÆ NON CONVENIVNT. Declaratur in exterioribus actibus reproba mens.

Reprobus ſenſus quis?

REPLETOS OMNI INIQVITATE. pro, *iniuſtitia*.
Reliquit interpres hos accuſatiuos conſtruendos poſt pronomen *illos* MALITIA, FORNICA- Verſ. 29.
TIONE. Tranſpoſitio eſt nominum: nam in textu prius nominatur fornicatio & deinde malitia. AVARITIA. Non proprie ſumitur vt opponitur liberalitati; ſed vt eſt pars iniuſtitiæ, quà homo plus ſibi vſurpat quam iure conueniat. NEQVITIA, pro *vitio*, ſeu *vitioſitate*. PLENOS INVIDIA, HOMICIDIIS, pro, *cæde*, CONTENTIONE, DOLO, MALIGNITATE, pro, *malo more*, SVSVRRONES,

Philoſophorum vitia.

DETRACTORES, DEO ODIBILES, pro, *Dei oſo-* Verſ. 30.
res, CONTVMELIOSOS, ſeu potiùs *iniurioſos*. SVPERBOS, ELATOS. ſeu potius *glorioſos*. INVENTORES MALORVM, PARENTIBVS NON OBEDIENTES,

INSIPIENTES, INCOMPOSITOS, SINE AFFE- Verſ. 31.
CTIONE, pro, *ſine dilectionis affectu*. ABSQVE FOEDERE, pro, *fœdifragos*. SINE MISERICORDIA.

QVI QVVM IVSTITIAM DEI COGNOVISSENT, Verſ. 32.
pro, *qui iuſtitiam Dei cognoſcentes*, NON INTELLEXERVNT QVONIAM QVI TALIA AGVNT, DIGNI SVNT MORTE, NON SOLVM QVI EA FACIVNT, SED ETIAM QVI CONSENTIVNT FACIENTIBVS. Corrupta eſt litera: nec habetur ſenſus ſignificatus in textu ab Apoſtolo. Debet legi ſic, *Qui iuſtitiam Dei cognoſcentes quod qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*. Vbi patet plenum ſenſum literæ eſſe quòd iſti ſupradicti cognoſcentes Dei

iuſtitiam

iuſtitiam (hanc, ſcilicet, *qui talia* ſupradicta *agunt, digni ſunt morte*) nihilominus non ſolùm ipſi hæc morte digna faciunt, ſed etiam conſentiunt aliis eadem morte digna facientibus. Vbi ex duplici capite crimen horum Philoſophorum exaggeratur: primò ex hoc quòd cognouerunt ſecundùm diuinam iuſtitiam agentes talia eſſe dignos morte: ſecundò ex hoc quòd non ſolùm adducti ſunt vt ipſi facerent hæc mala, ſed vſque adeo exorbitarunt vt conſentirent quòd alij facerent ſimilia: minus enim malum fuiſſet ſi ipſi mala hæc perpetraſſent, & tamen reprehendiſſent alios hæc facientes. Dum enim non ſolum ipſi faciunt, ſed aliis conſentiunt, efficiuntur tanquam docentes quòd hæc ſint licita, & ſic trahunt ſecum genus humanum in huiuſmodi vitia quaſi licita.

CAPVT II.

Verſ. 1.

Inexcuſabilis eſt omnis iudicãs alium.

PROPTER QVOD INEXCVSABILIS ES, ô HOMO OMNIS QVI IVDICAS. Ex hoc quod profitentes ſe eſſe ſapientes non ſolùm faciunt, ſed etiam conſentiunt aliis vt faciant digna morte, vniuerſum hominum genus infectum eſſe Apoſtolus ſignificaſſe ſe aperit: inde inferens inexcuſabilem eſſe omnem hominem iudicem aliorum. Alioquin non inferret cum præpoſitione cauſalitatis, dicendo *propter quod*. Et verè rationabile eſt vt ſapientibus non ſolùm mala agentibus, ſed aliorum mala probantibus, omnes fuerint mali. Et propter hoc inexcuſabilis redditur omnis homo iudicans alium.

Apoſtrophando itaque ad omnem hominem iudicis officio fungentem, dicit, *Propter quod inexcuſabilis es* &c. Vbi aduerte quòd cùm Apoſtolus tractet illam particulam, *reuelatur enim in eo iuſtitia Dei*, ab oppoſito (ſcilicet iniuſtitia) & propoſuerit ad hoc ſummariè quòd *reuelatur ira Dei ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem in iniuſtitia detinent*, & hactenus exequendo hoc per partes declarauerit in profeſſoribus ſapientiæ quo pacto veritatem in iniuſtitia detinent, & quâ Dei irâ puniti ſunt, modò conſequenter idem declarat in iudicibus; poſt ſapientes ſiquidem mundi, primum locum tenent iudices terræ. Et propterea ſicut ſapientes dixit inexcuſabiles, ex propria ſapientia collata cum operibus, ita iudices conuincit inexcuſabiles ex proprio iudicio collato cum eorum factis: *retinent* ſiquidem & iſti iudices *veritatem* quam norunt, *in iniuſtitia*, dum illa vtuntur iudicando alios in iniuſtitia propriorum factorum. IN QVO ENIM ALTERVM IVDICAS, TEIPSVM CONDEMNAS, hoc eſt, ipſe actus iudicij quo alterum iudicas, eſt tua condemnatio, non formaliter, ſed virtualiter, quoniam continet condemnationem tui. Et quod hoc ſit verum, probat. EADEM ENIM AGIS, QVÆ, pro *qui*, IVDICAS, hoc eſt, quia tu qui iudicas facis eadem quæ facit reus à te iudicatus, ex hoc enim clare ſequitur quòd ſententia contra illum, continet condemnationem tuam: hoc eſt, ſententiam, ſeu pœnam quam tu mereris. Si enim tu adulter iudicas alterum adulterum, iudicium illud continet pœnam quam tu mereris.

Tranſit à ſapientibus mũdi ad Iudices terra.

Sed occurrit hic quæſtio quid eſt illud à quo inexcuſabilem dicit Apoſtolus iudicem facientem ſimilia iis quæ iudicat, nam ſi illud eſt impœnitentia, videretur ſequi quod alij excuſabiles eſſent ab impœnitentia. Si verò illud eſt noua culpa ex hoc quòd iudicat exiſtens in ſimili crimine, ſequeretur quòd Iudex quantumcunque ex officio & iuſte, iudicaret adulterum, ſi ipſe commiſit adulterium, faciendo iuſtitiam, de nouo peccaret, quod videtur durum.

A quonam inexcuſabilis eſt is qui iudicat?

Solutio eſt quòd inexcuſabilis eſt à licentia ſuorum criminum: ex hoc enim quòd iudicat adulterum, redditur omnino inexcuſabilis ab allegando quòd fuerit deceptus à ſapientibus, putando eſſe licitum: iudicando enim alium, dicit quoque ſeipſum dignum ſimili pœnâ. Et hæc eſt differentia inter iudicem & alios: quòd iudex iudicando excludit à ſe omnem excuſationem; alij autem non iudicantes non excludunt à ſe omnem excuſationem. Et cum hoc inexcuſabilis quoque redditur à noua culpa quam contrahit iudicando perſeuerans in eodem crimine. Vnde & Paulus verbo præſentis temporis vtitur, dicendo *eadem enim agis quæ iudicas*. Nec hoc eſt durum: quoniam ſi

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum,
multo turpius eſt iudici. Nec propterea inferas nouum peccatum mortale; non enim omnis culpa eſt peccatum mortale.

SCIMVS ENIM QVONIAM, pro *quod*, IVDICIVM DEI EST. Ne iudex aliquis excipere poſſit quod eſt exemptus a legibus & legum pœnis, ac per hoc non eſſe eandem rationem de ipſo & de ſubdito: & propterea iudicando ſubditum non damnare ſeipſum, quia alia ratio eſt de ipſo, & alia de ſubdito: Ad tollendam, inquam, huiuſmodi exceptionem, reddit rationem eius quòd dixerat ex certitudine diuini iudicij aduerſus omnes talia facientes: ſiue ſint iudices, ſiue ſubditi: SECVNDVM VERITATEM IN EOS QVI TALIA AGVNT. Iudicia humana ſunt ſecundùm poteſtatem & ſubiectionem: & propterea principes remanent indemnati. Iudicium autem Dei eſt ſecundum veritatem meritorum, & propterea cùm iudices in veritate habeant merita damnationis, remanet iudicium Dei aduerſus eos. Et dixit hæc non ſolùm ad reddendam rationem dicti: ſed ad manifeſtandam diuinam vindictam aduerſus iudices, ſicut manifeſtauerat eandem aduerſus ſapientes.

Verſ. 2.

Iudices non ſunt exempti à legibus.

EXISTIMAS AVTEM HOC, ô HOMO QVI IVDICAS EOS QVI TALIA AGVNT, ET FACIS EA, QVIA, pro *quod*, TV EFFVGIES IVDICIVM DEI? Differentia inter vindictam aduerſus ſapientes, & vindictam aduerſus iudices eſt, quòd illa in præſenti etiam vita inflicta eſt (vt patet ex ſupradictis) iſta autem differtur ad futuram vitam: & propterea ex duobus capitibus (ſcilicet ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis) dilationem diuinæ vindictæ non parui pendendam docet. Et incipiens ab intellectu, dicit: *Exiſtimas autem*, non credendo futurum poſt mortem diuinum iudicium: quod eſt peccatum infidelitatis. Hæc enim eſt prima radix, qua iudex promittit ſibi impunitatem.

Verſ. 3.

Puniĕtur in altera vita.

AN DIVITIAS BONITATIS, pro *benignitatis*, EIVS. Altera radix ſpectat ad voluntatem contemnentem, pro nihilo habentem, diuitias, hoc eſt abundantiam, magnam copiam benignitatis, cùm Deus differt punire, & continuè

eſſluit

effluit in homines quamuis malos, abundantes fructus benignitatis feracis bonorum. ET PATIENTIÆ, hoc eſt, tolerantiæ reſpectu malorum noſtrorum quæ fecimus. ET LONGANIMITATIS, in longum protrahentis vindictam. Hæc enim tria experimur in Deo reſpectu peccatorum in præſenti vita. CONTEMNIS IGNORANS. Non eſt legendum *ignoras*, ſed *ignorans*. QVONIAM, pro *quod* BENIGNITAS DEI, ferax continuè bonorum AD POENITENTIAM TE ADDVCIT, pro, *ducit*, id eſt, prouocat.

Verſ. 5.
Durum eſt quod tangenti non cedit.

SECVNDVM AVTEM DVRITIAM TVAM. *Durum* eſt quod non cedit tangenti: & tranſlatum eſt ad animam: vt dicatur *durus* qui prouocatus tanta benignitate, non emollitur, non cedit diuinæ prouocationi. Et intendit per hoc declarare quòd dilatio vindictæ ex parte quidem Dei fit propter bonum peccatorum, vt prouocentur ad pœnitentiam: ſed ex abuſu, ſed ex parte hominum impœnitentium eſt ad cumulum pœnæ. ET IMPOENITENS COR. Si verbum verbo reddendum eſt, legendum eſſet, *& impœnitibile cor*: vt durum dicatur relatum ad diuinam prouocationem, impœnitibile autem relatum ad malefacta, vt non ſolum non pœniteat, ſed tam alienum a pœnitentia ſit, vt pœnitere non poſſit. Quod in obſtinate perſeuerantibus apparet. Non tamen per hoc intelligas ligatas manus diuinæ gratiæ: ſed peſſimam indurati diſpoſitionem. THESAVRIZAS. Græcam dictionem reliquit interpres: quum potuiſſet Latinè dicere recondis. TIBI deeſt, *ipſi*. IRAM. Ad explicandum hominem ſingularem non ſuæ ſpeciei, ſibiipſi accumulare malum pœnæ, appellatum *iram*.

Tempus vindictæ à tribus explicat.

IN DIE IRÆ. Explicat tempus vindictæ à tribus: primò ab ira, dicendo *in die iræ*: hoc eſt, in die iuſtitiæ vindicatiuæ ſine miſericordia. ET REVELATIONIS. Ecce ſecundum: hoc eſt, detectionis & in manifeſtum deductionis quæcunque erant crimina occulta. Hæc enim eſt ſecunda conditio illius diei. IVSTI IVDICII. Deeſt *&*. Legendum eſt, *Et iuſti iudicij Dei*. Tertia ſiquidem illius diei conditio eſt iuſtum iudicium diuinum, hoc eſt, non ſecundum allegata & probata, ſed ſecundum iuſtitiam Dei. Vnde tanquam hoc declarans ſubiungit.

Verſ. 6.

QVI REDDET VNICVIQVE SECVNDVM OPERA EIVS. Hoc eſt iuſtum iudicium Dei. Et aduerte quòd more ſuo Paulus explicat per partes quod dixit ſummatim, *reddet vnicuique ſecundum opera eius*.

Verſ. 7.
Patientia obiectum non eſt bonum ſed malum.

IIS QVI SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS. Patientia non dicitur boni operis obiectiuè (quoniam patientiæ obiectum non eſt bonum, ſed malum) ſed cauſaliter: hoc eſt, ratione boni operis, ad differentiam patientiæ ratione mali operis, puta furti, adulterij, & huiuſmodi. Deſcribit ſiquidem Apoſtolus patientes mala, ratione boni operis: ita quod

Facere & Pati duæ partes vitæ Chriſtianæ.

claudit in iis vtramque partem, ſcilicet facere bona opera, & pati mala propter bonum opus. Ex his enim duabus partibus integratur perfectio vitæ Chriſtianæ, integratur vita electorum. GLORIAM ET HONOREM ET INCORRVPTIONEM QVÆRENTIBVS, pro, *quærunt*: Alioquin nomen relatiuum *qui* careret verbo ad quod referretur. Et eſt planus ſenſus quod iis qui ſecundum patientiam boni operis quærunt gloriam apud Deum, & honorem cœleſtem, & incorruptionem carnis futuram in reſurrectione. VITAM ÆTERNAM. Conſtruitur hoc accuſatiuum cum verbo *reddet*, antepoſito. Ita quòd ſenſus eſt, reddet vitam æternam iis qui quærunt, &c.

IIS AVTEM QVI SVNT EX CONTENTIONE. Ecce ſecunda pars. Quemadmodum deſcripſit bene operantes, ab omnibus partibus, ita modò deſcribit male operantes ab omnibus manifeſtè partibus mali operis. Deſcribit namque eos à tribus, ſcilicet ex eo quòd non adhærent veritati; ex eo quòd adhærent iniuſtitiæ; & ex contentione quâ exterius pugnant contra veritatem: vt ex his extremis, illis quidem in bono opere, iſtis autem in malo opere, reliquos intelligamus. Appellantur *qui ſunt ex contentione*, illi qui ſecundùm animum conſtant ex hoc quod contendunt aduerſus Euangelicam veritatem, tanquam eorum conſiſtentia fundetur ſuper contentionem. ET QVI NON ACQVIESCVNT, pro, *obtemperant*, VERITATI, quod eſt peccatum omiſſionis valde neceſſarij. CREDVNT, pro, *obtemperant* AVTEM INIQVITATI. Seu *iniuſtitiæ*, quod eſt peccatum manifeſti operis iniqui. IRA ET INDIGNATIO, Verſ. 8.

Malè operantes à tribus deſcripſit.

TRIBVLATIO ET ANGVSTIA, pro, *indignatio & ira, preſſura & anguſtia* ſupple *erit* poſt hanc vitam. Et duo prima ſe tenent ex parte diuinæ iuſtitiæ: *indignatio* quidem cenſuram indignos diuino conſortio hos habentem: *ira* verò ipſam punitiuam iuſtitiam ſignificat. Reliqua verò duo qualitatem iudicij ſeu pœnæ tangunt: nam *preſſura* ſubtilitatem examinis ad ſimilitudinem preſſionis, vel pœnam ad ſimilitudinem preſſorum, & in anguſtia locali poſitorum explicat. Ex his enim corporalibus ſimilitudinibus pœnas inferni Paulus deſcribit: vt cogitemus ibidem animas cruciandas velut in anguſtia & velut in preſſura, quorum neutrum conſumit & tamen cruciat. IN OMNEM ANIMAM HOMINIS OPERANTIS MALVM. Dixerat duo, alterum eſt *vnicuique*, alterum *ſecundum opera eius*. Et declarauit *ſecundum opera* tam bona quam mala, ſupererat vt declararet *vnicuique*, & propterea modò declarat illud, dicendo *in omnem animam*: hoc eſt, aduerſus omnem animam, abſque aliqua exceptione. Et dicit *animam*, vt intelligamus non expectari reſurrectionem corporum in punitione operantium malum. IVDÆI. Deeſt *que*, PRIMVM ET GRÆCI. Quemadmodum ſalus Euangelica primùm data eſt Iudæo & Græco malè operanti. Et videtur *primum* non ordinem executionis, ſed ordinem gradus ſignificare. Ac ſi dictum fuiſſet, *potiſſimum & Iudæi & Græci*: vt qui priùs acceperunt donum, grauius puniantur: vt pote magis ingrati. Verſ. 9.

Sicut ſalus ſic vindicta Iudæo primum inde Græco.

GLORIA AVTEM ET HONOR ET PAX OMNI OPERANTI BONVM. Quemadmodum vnicuique malè operanti vindictam deſcripſit, ita vnicuique bene operanti præmium deſcribit, eâdem ſeruatâ adiectione, ſcilicet: IVDÆOQVE PRIMVM ET GRÆCO. Vt parem vindictæ & præmij reſpectu vniuſcuiuſque & ſpecialiter reſpectu Iudæi & Græci regulam intelligamus. Verſ. 10.

Par vindictæ & præmij regula.

NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARVM APVD DEVM. Reddit rationem totius iudicij deſcripti (ſcilicet *reddet vnicuique ſecundum opera eius*) quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Conſidera quòd loquitur de Deo vindice quatenus eſt iudex, non quatenus eſt donator, ſed quatenus eſt reddens vnicuique ius ſuum: acceptio ſiquidem perſonarum vitium eſt contrarium iuſtitiæ: & non habet locum in liberalibus donis. Et propterea Paulus de iudicio loquens, dicit quod Verſ. 11.

reddet

reddet vnicuique ſecundum opera eius, quia non eſt apud Deum perſonarum acceptio, ſiue reſpectus: vt textus Græcus ſonat. Et vocatur acceptio ſiue reſpectus perſonarum vt perſona opponitur cauſæ: ita quòd non ad cauſam meritoriam, ſed perſonam intuitus iudicis fertur: & propterea crimen eſt, vitians iudicium, quod ad merita cauſæ tantùm ſpectare debet.

Acceptio perſonarū quid.

Verſ. 12. QVICVNQVE ENIM SINE LEGE PECCAVERVNT. Intendit Paulus amplius ſtabilire doctrinam huius capituli, qua dixerat quod Deus *reddet vnicuique ſecundum opera eius*, ad quod attulerat rationem, quia non eſt apud Deum reſpectus perſonarum. Probat ſiquidem modò hoc vltimò dictum: ex hoc quòd *quicunque ſine lege peccauerunt*, hoc eſt, peccauerunt ſine offenſione legis ſcriptæ à Moyſe. SINE LEGE PERIBVNT, hoc eſt, ſine imputatione quòd legem ſcriptam tranſgreſſi fuerint, peribunt in diuino iudicio. ET QVICVNQVE IN LEGE PECCAVERVNT, hoc eſt, peccando offenderunt legem ſcriptam Moyſi. PER LEGEM IVDICABVNTVR, hoc eſt, iudicabuntur etiam per demeritum tranſgreſſionis legis. Et intendit directè per hanc differentiam quòd diuinum iudicium erit ſecundum merita operum, & ſine vllo reſpectu perſonarum: vſque adeò vt gentiles non ſubditi legi Moyſi peccantes, non punientur quòd tranſgreſſi fuerint legem, & Iſraëlitæ ſubiecti legi Moyſi peccantes, punientur de tranſgreſſione legis. Hinc enim clare habetur quòd nullus eſt reſpectus perſonarum apud diuinum iudicium: ſed ſecundum merita reddet vnicuique.

Verſ. 13. NON ENIM AVDITORES LEGIS IVSTI SVNT APVD DEVM. Ratio contextus poteſt accipi duplex: Altera ſecundum verba literæ: vt ſcilicet reddatur ratio vltimò dicti, ſcilicet, *& quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur*: redditur enim ratio huius ex hoc quòd non ſufficit audire legem, ſed oportet ſeruare illam. Et iuxta hunc contextum obrepit ſequens doctrina de iuſtitia Gentilium, occaſione huius probationis. Altera ratio contextus ſpectat ad implicite dicta. Quum enim dictum eſt, *quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt*, ſignificatum ſimul eſt eius contrarium, ſcilicet: quicunque ſine lege bona opera fecerunt, ſine merito legis iuſtificabuntur. Et ſimiliter cùm dictum eſt, *& quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur*, ſignificatum quoque eſt illius contrarium, ſcilicet & quicunque in lege bene operati ſunt, per meritum legis iuſtificabuntur: contrariorum ſiquidem eadem eſt ſcientia. Ita quòd cùm modò ſubiungitur, *non enim auditores legis*, explicatur ratio meriti factorum, quod eſt principale intentum Pauli. Parui autem refert vero modo introducatur textus: nam ſenſus ſemper redit idem, quòd apud Deum non penſatur auditus legis, ſed factum, quòd apud Deum non penſatur perſona audiens legem, ſed factum. Et propterea habetur ratio tum iudicij eorum qui peccauerunt in lege, tum iudicij communis omnibus ſecundum facta.

Duplex hic contextus.

SED FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR. Eſſet hic magna quæſtio aduerſus doctrinam eiuſdem Apoſtoli, ſi non haberetur ratio materiæ de qua eſt ſermo: quoniam expreſſè inferiùs ipſe damnabit dicentes iuſtificari homines ex operibus legis, cuius contrarium ſonat hæc litera. Sed ceſſat quæſtio, perſpiciendo quòd tractatur hic de diuino iudicio reddente vnicuique ſecundum opera eius, ac per hoc tractatur non de meritis abſolutè, ſed de meritis operum. Conſtat autem quòd loquendo de meritis operum, veriſſime dicitur quod *factores legis iuſtificabuntur apud Deum*, ſubintelligitur ſiquidem quantùm eſt ex ratione operum. Nec excluditur per hoc meritum fidei, quod superexcedit meritum operis. Appellantur autem *factores legis*, non conditores legis, ſed factis exercentes ea quæ ſunt legis, ſiue ſciant legem ſcriptam, ſiue non.

Difficultas apparens in verbis D. Pauli.

CVM ENIM GENTES. Nota, prudens Lector, textum progredi iam quartò adiiciendo coniunctionem *enim*, vt intelligamus progreſſum fieri reddendo ſemper rationem rationis, & percipiamus ſtare ſemper in eadem materia ſermonem: probat itaque quod *factores legis iuſtificabuntur apud Deum*, ex hoc quod Gentiles facientes opera legis iuſtificabuntur apud Deū. Vbi licet intueri artem Pauli ſimul declarantis propoſitam materiam, & exequentis officia modò deprimendi, modò erigendi tum Gentiles, tum Iudæos. Cùm enim potuiſſet declarare quod factores legis iuſtificabuntur ex operibus multorum veteris Teſtamenti, elegit ex induſtria declarare hoc ex operibus Gentilium: vt qui iam depreſſerat gentes (tum in ſapientibus extendendo vſque ad fœminas; tum in iudicibus) modò erigat eas. Verum altior adhuc eſt ratio huius artis: vt ſcilicet iuſtitias legis Moſaicæ monſtret eſſe non niſi iuſtitias operum, ex hoc ipſo quod poſſunt fieri à Gentibus, quæ nec legem, nec circumciſionem habent. QVÆ LEGEM, ſcilicet Moyſi ſcriptam, NON HABENT, ſupple *vt legem*: hoc eſt, cùm non ſint ſubditi legi Moyſi. Lex enim Moyſi non eſt data vniuerſo generi humano, ſed Iſraëlitis tantum: iuxta illud, *non fecit taliter omni nationi*. NATVRALITER, hoc eſt, ſine legis adminiculo, naturali lumine rationis. EA QVÆ LEGIS SVNT FACIVNT. Non dicit, omnia quæ legis ſunt faciunt, ſed indefinite *ea quæ legis ſunt*: vt intelligamus quod de moralibus quę lumine naturali innoteſcunt loquitur, non de cærimonialibus, nec iudicialibus legis. *Ea* igitur *quæ legis ſunt*, intellige, non ſolùm honorare parentes, non furari, non adulterari, & huiuſmodi, ſed etiam colere vnum Deum, & reuereri nomen eius: hæc enim ſunt moralia, quæ legis ſunt: hæc ſunt quæ naturali lumine gentes faciunt.

Verſ. 14.

D. Paulus modò deprimit, modò erigit tum Gentiles, tum Iudæos.

Lex Moyſi data eſt pro Iſraëlitis tātùm.

Pſal. 147. 9.

Ea quæ legis ſunt, quæ

Et bene nota quod aliud eſt *facere ea quæ legis ſunt*, aliud eſt, meritorie facere ea quæ legis ſunt. Apoſtolus dicit primum, & non dicit ſecundum. Primum enim ſignificat ſeruare præcepta moralia quantùm ad ſubſtantiam operis: ſecundum autem adiungit ſeruare quantùm ad modum operandi, & adiungit modum excedentem vires naturalis luminis, & humanæ facultatis.

Neque meritoriè.

Rurſus nota quod Apoſtolus non dicit etiā de moralibus (quæ naturali lumine innoteſcunt) quòd *omnia*, ſed dicit *ea*. Et hoc ideo librandum eſt, quia naturaliter facere omnia moralia quæ legis ſunt, eſt hominis ſani, qualis non eſt homo in naturalibus conſtitutus poſt lapſum naturæ in primo parente: facere autem naturaliter aliqua moralia quæ ſunt legis,

Neque omnia quæ legis ſunt Gentes facere hinc inuenimus.

legis, conuenit etiam homini imbecilli: qualis eſt homo poſt lapſum primi parentis.

Et hæc ſunt notata propter quæſtiones Theologorum ex hoc textu. Hinc enim neque habetur quod meritorie reſpectu vitæ æternæ, neque quòd omnia moralia gentes naturaliter facerent, quamuis ſingula quæ legis ſunt naturaliter facerent: in hoc enim æquales erant Gentiles Iudæis quatenus ex lege pendebant.

EIVSMODI. pro, *ij*. LEGEM NON HABENTES. Conſtructio eſt de ſignificato, tranſiens ad particulares homines Gentiles: vt intelligamus hinc exceptionem aliquorum particularium à prius damnato genere Gentilium. IPSI SIBI SVNT LEX. Carentes lege ſcripta, docentes præcepta moralia, ipſimet ſecundum naturale lumen ſupplent vicem legis ſibiij ſis pro quanto vtuntur recta ratione naturali, vt regula ſuarum affectionum, ſuarumque operationum.

Gentiles ipſi ſibi ſunt lex.

Verſ. 15. QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS SCRIPTVM IN CORDIBVS SVIS, hoc eſt, *qui oſtendunt* factis & verbis *opus legis* (ſcilicet non furari, non mœchari, non occidere, non periurare, colere Deum, honorare parentes, ſeruare fidem, & reliqua huiuſmodi) tanquam *ſcriptum*, a ratione naturali firmatum, *in cordibus ſuis*. Et ſcito quod *ſcriptum* non eſt participium ſed nomen: ad ſignificandum quòd monſtratur ab his opus legis tanquam quid decretum ac fixum in cordibus ſuis ad ſimilitudinem legis ſcriptæ. TESTIMONIVM REDDENTE ILLIS, pro, *ſimul teſtificante*. Superfluit enim *illis*. CONSCIENTIA IPSORVM. Foris verbis & factis monſtrant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: intus vero huius legis in corde ſcriptæ teſtimonium reddit conſcientia ipſorum. ET INTER SE INVICEM, COGITATIONVM ACCVSANTIVM AVT ETIAM DEFENDENTIVM. pro, *& inter ſe inuicē cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus*. Inter conſcientiam & cogitationes accuſantes vel defendentes hæc eſt differentia; quod *conſcientia* ſonat applicationem ſcientiæ ad factum ſeu faciendum, examinando illud an factum vel non factum; an bene an male factum; & ſimiliter an faciendum an non faciendum: bene vel male: *cogitationes* autem *accuſantes vel defendentes* ſunt velut partes hinc & inde ad conſcientiæ examen concurrentes, velut allegantes rationes pro & contra ex rationibus naturalibus. Sunt enim cogitationes defendentes, excuſando factum ex aliqua circunſtantia ſecundum rectam rationem: & ſunt cogitationes accuſantes, conuincendo quòd ſecundum rectam rationem eſt male factum: huiuſmodi enim conſcientia cum his cogitationibus teſtis eſt internæ legis.

Differentia conſcientiæ & cogitationum accuſantium.

Verſ. 16. IN DIE QVVM IVDICABIT DEVS OCCVLTA HOMINVM. Merita conſcientiæ & cogitationum accuſantium aut defendentium intellige deſcribi in die quo iudicabit Deus occulta hominum. Intendit enim Apoſtolus quod in illo die libri dicuntur apud diuinum iudicium merita conſcientiarum & rationum accuſantium ſeu excuſantium: & propterea meminit *occultorum*: huiuſmodi enim occulta ſunt in hac vita in cordibus hominum. SECVNDVM EVANGELIVM MEVM. hoc eſt, a me prædicatum. Et dicit hoc, ne intelligeret ex proprio prophetare de futuro iudicio. PER IESVM CHRISTVM. Refertur hæc particula ad verbum *iudicabit*, & eſt enim ſenſus in die quum Deus per Ieſum Chriſtum iudicabit: *Pater enim omne iudicium dedit filio hominis*: & *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt a Deo iudex viuorum & mortuorum*. Et ſic patet quod factores legis apud diuinum iudicium iuſtificabūtur quantùm eſt ex meritis operum propriorum.

Ioan 5. 22.

Act. 10. 42.

SI AVTEM, pro, *ecce*, TV IVDÆVS COGNOMINARIS. Declarauit quod factores legis iuſtificantur apud Deum ex operibus Gentilium: declarat modò idem ex malis factis Iudæorum, audientium quidem legem, ſed non facientium ſecundum eam. In quo ſimul incipit deprimere Iudæos: & ſimilis criminis arguit crimina iudicum. Verſ. 17.

Vbi etiam nota artē Pauli quod ad erigendas gentes deprimendoſque Iudæos reſpectu diuini iudicij penes opera, affert mala opera Iudæorum, & e diuerſo bona opera Gentilium. Ita quod quoad opera bona Gentibus: quoad mala verò vtitur Iudæis. Et rationabiliter: quia difficile apparebat laudare gentes de bono opere. Monſtrat itaque non ex profeſſione legis, ſed ex factis damnari Iudæos, incipiens a prærogatiuis Iudæorum. Inter quas prima deſcribitur generis: dicendo. *Ecce tu Iudæus cognominaris*. Tempore Pauli Apoſtoli Iſraelitæ nominabantur *Iudæi*, ſicut & hodie. Et propterea vſitato nomine vtitur dicendo *Iudæus*, loco nominis generis: magnifaciebant ſiquidem Iudæi genus ſuum. Rationabile autem eſt quòd cognomen Iudaicum à tribu Iuda deriuatum ſit ad omnes tribus Iſraël, ab eo tempore quo tribus Iuda in tanto pretio eſt habita, vt conceſſum ſit ei redire in Hieruſalem & reædificare templum, &c. ſub Cyro rege Perſarum: ex tunc enim Iſraelitæ redeuntes ad terram promiſſionis appellati videntur Iudæi à principibus & magnatibus Gentilium. Et ſic deriuatum eſt Iudaicum cognomen ad omnes Iſraelitas vbicunque eſſent; ita quodvſque hodie vocantur omnes *Iudæi*. Et tali etiam nomine appellantur à ſcriptoribus gentilibus.

Quā arte D. Paulus gentes erigat, deprimatque Iudæos.

Tres Iudæorum prærogatiuæ.

Prima.

Iudæi vnde dicti.

ET REQVIESCIS IN LEGE. Requieſcis inquam intellectu tam circa credenda, quam circa agenda. Quæ eſt ſecunda prærogatiua. ET GLORIARIS IN DEO, legiſlatore & culto a te. Quod ad tertiam prærogatiuam ſpectat.

Secunda

Tertia.

ET NOSTI VOLVNTATEM EIVS. Ecce quarta: Verſ. 18.
qua commendatur notitia reuelatorum dependentium ex ſola diuina voluntate, quale eſt myſterium Meſſiæ & huiuſmodi. ET PROBAS VTILIORA, pro, *eximia*, vt multis videtur eſſe legendum. INSTRVCTVS PER LEGEM. Et eſt quinta prærogatiua: qua Iudæus præfertur Gentili, in hoc, quòd Gentilis probat ea quæ ſunt neceſſaria, Iudæus autem probat etiam egregia in operibus, quæ etiam poſſunt dici vtiliora: qualia ſunt bona ſupererogationis. Quamuis etiam poſſit referri ad ſpecialia opera Dei, ad ſpeciales rationes diuinorum operum quæ velut res egregiæ laudatæ ſunt à Iudæis. Et dicit *inſtitutus*, hoc eſt, viuā voce *inſtitutus* conformiter ad legem: ad explicandam notitiam legis quantum ad veram & ſpiritualem ſenſum, qui explicabatur a doctoribus viua voce: vt intelligamus prærogatiuam Iudæorum fuiſſe non ſolum habere legem ſcriptam, ſed etiam erudiri in ſenſu illius viua voce.

Quarta.

Quinta.

CONFIDIS TEIPSVM. Deſcriptis prærogatiuis Verſ. 19.
quinque, adiungit quinque actiones quas Iudæus

[illegible] ſibi arrogat: Iudæus. Primum. dæus ex his ſibi arrogat. DVCEM ESSE CÆCO-
rum. Metaphoricus eſt ſermo. Et reſpondet
primæ prærogatiuæ. Ex hoc enim quòd Iu-
dæus erat, confidenter profitebatur ſe eſſe du-
cem Gentilium cæcorum: hoc eſt, impoten-
tium dirigere greſſus proprios: confidit enim
Iudæus exhibere ſe ducem talium ſola dire-
ctione, *fac ſic*, & *fac ſic*. LVMEN EORVM QVI IN
Secundum. TENEBRIS SVNT. Secunda actio illuminatiua
Gentilium capacium rationis: vnde non cæci,
ſed in tenebris deſcribuntur: & non duce, ſed
lumine indigentes. Et hæc illuminatio reſpon-
det ſecundæ prærogatiuæ, ſcilicet *requieſcitis in
lege*: ex lege enim confidit Iudæus illuminare
Gentiles, lumen quærentes.

Verſ. 20. *Tertium.* ERVDITOREM INSIPIENTIVM. Tertia actio:
quæ eruditio eſt non amentum, ſed priuato-
rum ſapientiâ, ſed errantium in iis quæ ſunt
ſapientiæ, quæ de Deo eſt. Vnde & hæc eru-
ditio reſpondet tertiæ prærogatiuæ, ſcilicet
gloriaris in Deo: ex Deo ſiquidem noto Iu-
dæis, confidit Iudæus eruditorem ſe eſſe er-
rantium in notitia Dei. MAGISTRVM INFAN-
TIVM, non corpore, ſed mente, egentium
Quartum. adhuc lacte ad diſciplinam. Et reſpondet hæc
quarta doctrinæ actio quartæ prærogatiuæ,
ſcilicet noſſe voluntatem Dei: ex notitia ſiqui-
dem diuinæ voluntatis prima rudimenta tra-
Quintum. denda ſunt. HABENTEM FORMAM, pro *for-
mationem*, SCIENTIÆ ET VERITATIS IN LEGE,
hoc eſt, habentem rationem formandi alios
ſecundum notitiam legis, & ſecundum ve-
rum ſenſum legis. Et directè reſpondet hæc
actio formationis quintæ prærogatiuæ; quâ
inſtitutus Iudæus eſt in ſenſu legis viua voce
à Doctoribus.

Verſ. 21. QVI ERGO ALIVM DOCES, TEIPSVM NON DO-
CES: QVI PRÆDICAS NON FVRANDVM, FVRARIS.

Verſ. 22. QVI DICIS NON MOECHANDVM, MOECHARIS:
QVI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIVM FA-
CIS. Reprehenſiuè legenda videntur hæc om-
nia ſubiuncta. Ita quòd ex his infert deteſta-
bilem peruerſitatem, quam primò aſſerit in
genere dicendo, *qui ergo alium doces*, *teipſum
non doces*. Deinde explicat in ſpeciebus duabus
offenſarum proximi: quoad res quidem, de fur-
to: quoad perſonas autem, de adulterio. Et dua-
bus contra Deum, quarum prima eſt ſacrile-
gium: altera verò tranſgreſſio legis non qualiſ-
cunque, ſed talis ac tanta vt cedat in dehone-
ſtationem Dei, dicendo:

Verſ. 23. QVI IN LEGE GLORIARIS, PER PRÆVARICA-
Deus per le- TIONEM LEGIS DEVM INHONORAS, pro *dehone-
gis præuari- ſtas*. Et propriè videtur ſignificari, vel ex con-
cationem in- temptu, vel frequens, vel notabilis, ſeu ſcanda-
honoratur. loſa tranſgreſſio legis: vt hoc crimen diſtingua-
tur contra alia ſupradicta crimina: huiuſmodi
enim crimen eſt illud quod propriè cauſat vt
Deus à Gentilibus dehoneſtetur. Videntes
enim Gentiles quòd qui gloriantur in lege
Dei, contemnunt illam factis, deſpiciúntque
Deum, putant non eſſe vera quæ de illo dicunt
profitentes Dei legem: vnde & ad hoc affertur
authoritas ſcripturæ.

Verſ. 24. NOMEN ENIM DEI PER VOS, pro *propter vos*,
BLASPHEMATVR INTER GENTES ratione dicta.
Et ſumpta eſt hæc authoritas ex Eſa. 52. cap. &
Ezech. 36. Quod hodie ad literam verificatur
apud exteras nationes videntes abundare ſce-
lera Chriſtianorum. SICVT SCRIPTVM EST.

CIRCVMCISIO QVIDEM PRODEST. Duo ſunt Verſ. 25.
prima principia Iudæorum: alterū eſt lex Moy-
ſi: alterum circumciſio data Abrahæ. Et pro- *Duo princi-*
pterea poſtquam probauit hactenus apud diui- *pia Iudæorū.*
num iudicium facta penſari; ex eo quòd non *Circumciſio,*
legem, ſed opera ſecundùm legem tam in Iu- *& lex Moy-*
dæis, quam in Gentilibus diuinum ponderat *ſi.*
iudicium: modò idem monſtrat declarando ſi-
militer in Gentilibus, & Iudæis relatis ad cir-
cumciſionem. Ita quòd ſicut referendo vtroſ-
que ad legem ſcriptam, probauit non eſſe apud
diuinum iudicium reſpectum perſonarum, ſed
factorum, ita referendo vtroſque ad circumci-
ſionem; idem probat: vt quemadmodum de-
preſſit Iudæos æquando illis Gentiles quoad
merita factorum legis, ita eoſdem deprimat
æquando illis Gentiles quoad facta circumci-
ſionis. Et tendit ad altiorem finem, ſcilicet
quòd iuſtitia circumciſionis non eſt niſi iuſti-
tia operis ex ſimili ratione, ſcilicet ex hoc
quòd Gentiles aſſequi poſſunt factis iuſtitiam
circumciſionis, & circumciſio ſine factis non
prodeſt.

CIRCVMCISIO QVIDEM PRODEST SI LEGEM
OBSERVES. Aduerte hîc quòd ſenſus verborum
ex ratione dicendi intelligitur, & propterea
hæc Pauli verba, *circumciſio quidem prodeſt*, ex
ratione dicendi libranda ſunt: conſtat autem
quòd ratio dicendi eſt è regione diſtinguere,
hinc Iudæos circumciſos, inde Gentiles in præ-
putio ſecundum lumen naturale: nam manife-
ſtè explicatur, *& iudicabit id quod ex natura eſt
præputium*. Ex hoc enim manifeſtè habetur, *Circumciſio*
quòd ſermo præſens eſt de circumciſione & *quomodo*
præputio abſolutè: & non pro ſtatu in quo erāt *prodeſt.*
tunc Chriſtiani conuerſi ex Iudæis & Gentili-
bus. Et propterea verum dicit Apoſtolus abſo-
lutè loquendo, & *circumciſio prodeſt* (proculdu-
bio ad æternam ſalutem) ſi legem obſerues fa-
ctis. Circumciſio enim ſignum erat cuiuſdam
profeſſionis; vnde & ad Galat. ſcribit, *teſtificor* Galat. 5. 3.
*omni circumcidenti ſe quoniam debitor eſt vniuer-
ſæ legis* Et ſicut dicimus quod profeſſio ponti-
ficatus, aut religionis prodeſt, ſi factis com-
probatur, ita Apoſtolus dicit quòd circumciſio
mandata Abrahæ prodeſt, ſi legem obſerues.
SI AVTEM PRÆVARICATOR LEGIS ES, CIRCVM-
CISIO TVA PRÆPVTIVM FACTA EST: hoc eſt,
circumciſio tua carnalis verſa eſt in præpu-
tium: hoc eſt, nihil habet meriti ſicut nec præ-
putium. Et declarauit per hoc quod ſicut lex,
ita circumciſio nihil prodeſt ſine meritis fa-
ctorum.

SI IGITVR PRÆPVTIVM IVSTITIAS LEGIS CV- Verſ. 26.
STODIAT. Intellige *morales*: vt prius declaratum
fuit. Et appellatione præputij intellige Genti-
les in naturalibus. NONNE PRÆPVTIVM ILLIVS
IN CIRCVNCISIONEM REPVTABITVR: Quaſi di-
cat, etiam: hoc eſt, nónne Gentilis ille meritum
habebit tanquam circumciſus: Sicut ſuperius
monſtrauit Gētiles eſſe factores legis, ita modò
monſtrat eoſdē habere meritū circumciſorum.

ET IVDICABIT ID QVOD EX NATVRA EST Verſ. 27.
PRÆPVTIVM. hoc eſt, Gentilis ſecundum lumen
naturale, LEGEM CONSVMMANS, hoc eſt, mora-
lem iuſtitiam legis adimplens. TE? Accuſa-
tiuum *te* conſtruitur cum verbo *iudicabit*.
Eſt enim ſenſus, & id quod ex natura eſt
præputium legem conſummans iudicabit
te, proculdubio comparatiuè; ſicut *viri*

Matth 12.4. *Niniuitæ ſurgent in iudicio & condemnabunt generationem iſtam.* QVI PER LITERAM ET CIRCVMCISIONEM PRÆVARICATOR LEGIS ES. Dicit *per literam* ratione legis ſcriptæ : & dicit *circumciſionem* ratione carnalis circumciſionis. Et eſt ſenſus, condemnabit te qui profitendo legem ſcriptam, & profitendo circumciſionem præuaricator quoad facta es legis.

Verſ. 28. NON ENIM QVI IN MANIFESTO IVDÆVS EST. Reddit rationem vtriuſque æqualitatis inter Iudæos & Gentiles penès facta. Et primò tangit profeſſionem legis Moſaicæ, dicendo: *non enim qui in manifeſto*, hoc eſt, publicâ profeſſione *Iudæus eſt*. Suſpenſus eſt ſermo ſine verbo principali vſque ad calcem. NEQVE QVÆ IN MANIFESTO IN CARNE CIRCVMCISIO, hoc eſt, neque publica profeſſio carnalis circumciſionis.

Verſ. 29. SED QVI IN ABSCONDITO IVDÆVS EST: hoc eſt, ſed qui factis obſeruat iuſtitias morales quæ ſunt in lege Iudæorum. Et talis appellatur ab Apoſtolo *in abſcondito Iudæus*, pro quanto non profitetur ſe Iudæum, ſed factis eſt verè obediens legi datæ à Deo Iudæis. ET CIRCVMCISIO CORDIS, non carnis: quæ ſcilicet tollit ſuperflua à corde. IN SPIRITV NON LITERA. Non ſuffecit dicere *circumciſio cordis*, ſed adiecit *in ſpiritu non litera* : ad declarandum circumciſionem carnalem eſſe non ſolùm circumciſionem carnis, ſed ſpectare ad literam, vt *litera* diſtinguitur contra *ſpiritum*. Quod enim ſit *carnis*, habuit ab Abraham : quod autem ſit *litera*, habuit à Moyſe qui primus ſcripſit illam. Quo contra circumciſio dicitur *cordis* contra *carnem*; & dicitur *in ſpiritu*, hoc eſt, in ſpirituali ſenſu intellecta, contra *literam*: ne intelligeres circumciſionem præceptam in lege, habitam à gentilibus voto, etſi non facto: vel habendam voto fuiſſe, aut fore ab omnibus.

CVIVS LAVS NON EX HOMINIBVS, ſed ex DEO EST. Vſque ad hunc locum ſuſpenſus fuit ſermo: hic autem verbum principale ſubintelligitur verbum ſubſtantiuum *eſt* : dicendo, eſt, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Ita quòd eſt ſenſus, non qui in manifeſto Iudæus, nec quæ in manifeſto circumciſio, ſed qui Iudæus in abſcondito, & cordis circumciſio eſt, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt: hinc pendet tota ratio: quòd ſcilicet à Deo laudatur non legis, aut circumciſionis carnalis profeſſor, ſed qui facto & interno ſpiritu Iudæus & circumciſus eſt. Diuina ſiquidem laus non humana eſt quæ veris meritis reſpondet.

Primi huius capituli epilogus. Et per hæc depreſſit Paulus Gentiles dupliciter: & ratione ſapientium, & ratione iudicum: depreſſit quoque Iudæos dupliciter: tum quoad legem, tum quoad circumciſionem ſine factis: monſtrando Gentiles æquales eis ſecundùm merita factorum. Et hæc omnia dixit declarando reuelatam iram Dei in Euangelio ſuper omnes qui retinent veritatem in iniuſtitia: declarauit ſiquidem iram, & contra ſapientes, & contra iudices, & contra omnes etiam Iudæos, reddendo vnicuique ſecundum opera eius.

CAPVT III.

QVID ERGO AMPLIVS IVDÆO EST? Verſ. 1.
Poſtquam illam particulam, *Iuſtitia enim Dei reuelatur in eo*, declarauit ex contrario (ſcilicet in iniuſtitia punita & punienda à Deo) & mirà arte declarauit ſimul ex deficiente iuſtitia, ſcilicet iuſtitia operis, in qua quodammodo æquati ſunt Gentiles Iudæis, modò directè declarat ac manifeſtat ipſam iuſtitiam Dei reuelatam in Euangelio ex parte ipſius iuſtitiæ Dei. Introducit autem ad hoc mouendo quæſtiones circa prius dictam æqualitatem Gentilium & Iudæorum quoad iuſtitiam operis. Et mouet quæſtiones duas : alteram ſpectantem ad tempus legis : dicendo, *Quid ergo amplius Iudæo eſt* ? iam enim dictum eſt quod prò cognomine populi Iſraëlitici vtitur nomine *Iudæi*. Tempus autem quo Iſraëlitæ inceperunt eſſe populus, idem fuit cum tempore legis: eſt itaque quæſtio prima: Si Gentilis ſine lege aſſequitur iuſtitiam operum legis, quid plus habet Iudæus populus ex lege? Altera autem quæſtio ſpectat ad circumciſionem dicendo: AVT QVÆ VTILITAS CIRCVMCISIONIS? Et eſt ſimilis primæ: Si Gentilis abſque circumciſione aſſequitur iuſtitiam & meritum operum, quæ aſſequitur circumciſus, ad quid eſt vtilis circumciſio? *Mouet duas quæſtiones D. Paulus.* *Prima.* *Secunda.*

Verſ. 2. MVLTVM PER OMNEM MODVM. Reſpondet Paulus vtrique quæſtioni: primò ſummariè, & in genere, duo dicens: & quod *multùm*, & quòd *per omnem modum* : hoc eſt, quòd multo plus, multum vtilitatis habet Iudæus, habet circumciſus ſupra Gentilem, & hoc non ſolùm vno modo, ſed omni modo. Quid autem ſit hoc *multum*, & qui ſint iſti omnes modi inferiùs narrando prærogatiuas Iudæorum (quæ vſque ad finem epiſtolæ extenduntur) declarabit.

PRIMVM QVIDEM. Incipit in ſpeciali declarare *multum*, ac *modum*. Et aduerbium *primum*, ordinem enumerationis ſignificat : ſubiunget enim multas alias Iudæorum prærogatiuas. QVIA, pro *quod*, CREDITA SVNT ILLIS. Superfluit *illis*. ELOQVIA DEI. Ecce magna prærogatiua quâ Iudæus præſtat Gentili, quia non Gentili, ſed Iudaico populo credita, hoc eſt, commiſſa ſunt eloquia Dei: lex enim Moſaica, & prophetiæ datæ ſunt à Deo populo Iudaico, & non Gentili. *Iudæis credita ſunt eloquia Dei.*

Verſ. 3. QVID ENIM SI QVIDAM ILLORVM NON CREDIDERVNT? Contra hanc prærogatiuam Iudaici populi poteſt obiici, quòd licet Deus crediderit illi populo ſua eloquia, reuelando ei quæ facturus erat, hac tamen prærogatiua reddiderunt ſe indignos; quia multi Iudæorũ non crediderunt diuinis eloquiis : vt clarè patet in libris ſacræ Scripturæ. Hanc, inquam obiectionem excludit Apoſtolus, non defendendo indignitatem: ſed defendendo perſeuerantiam diuinæ veracitatis, non obſtante indignitate incredulorum. Et propterea ſubdit : NVNQVID INCREDVLITAS ILLORVM FIDEM. hoc eſt, fidelitatem, veracitatem: ſumitur enim hìc *fides* pro fide quâ fiunt dicta. DEI EVACVAVIT? pro, *euacuabit*. hoc eſt, tollet, abolebit. ABSIT. Aſſertio cum

cum horrore eſt : horrendum ſiquidem eſt vt incredulitas hominum tollat fidem diuinam, tollat à Deo vt faciat dicta à ſe.

Verſ. 4. Eſt pro *ſit*, ſeu fiat, AVTEM DEVS VERAX : OMNIS AVTEM HOMO MENDAX. Aduerte quod imperatiui modi eſt *ſit*, ſeu *fiat*. Et ſicut horrendo dixit *abſit*, intendens aſſerere, ita modò intendens quoque aſſerere deprecatiuo modo ſubiungit, quòd Deus ſit, ſeu fiat verax, quantumcumque omnis homo ſit, ſeu fiat mendax. Poteſt tamen imperatiuè legi : vt ſignificetur imperium ad interpretes ſacræ Scripturæ, vt fiat Deus verax, omnis autem homo mendax : hoc eſt, vt in interpretandis diuinis eloquiis, intelligant ſemper Deum eſſe veracem, quantumcumque oporteret cointelligere omnem hominem mendacem. SICVT SCRIPTVM EST, in Pſalmo 51. VT IVSTIFICERIS IN SERMONIBVS TVIS. Aduerte quòd Paulus affert authoritatem Pſalmi iuxta interpretationem Græcam. Senſus tamen in idem redit. *Iuſtificari* enim *in ſermonibus*, nihil aliud eſt quàm iuſtum fieri in dictis : quod eſt, facere dicta, quod eſt, eſſe veracem: Et ad literam Pſalmus loquitur de omni iuſtificatione in ſermone : quæ nihil aliud eſt quàm facere dictum. Quomodo autem hæc ſententia conſtruatur cum reliquis Pſalmi, ſcripſimus ibi. ET VINCAS CVM IVDICARIS. In Hebræo hæc ſententia verbum verbo reddendo habetur : *Propterea iuſtificaberis in loqui tuo, mundaberis in iudicare tuo*. Græco tamen hoc textu habetur, *& vincas cum iudicaris*, paſſiuè. Et eſt ſenſus quòd dum verax es faciens dicta, vinces aliorum iudicia, cenſentium quòd non facies dicta. Et fuit directe ad propoſitum Apoſtoli, tendentis ad hoc quòd demerita & incredulitas hominum vincuntur à veracitate diuina. Ita quòd quantumcumque ſecundùm humana iudicia non eſſent ſeruanda promiſſa propter demerita hominum, veracitas tamen diuina vincit omnia.

Iuſtificari in ſermonibus quid.

Pſalm. 50.

Veracitas Dei vincit omnia.

Aduerte hîc quòd hæc doctrina eſt vera, & intelligenda in iis quæ dicuntur à Deo abſolutè : non autem in iis quæ dicuntur ratione meritorum humanorum. Vnde Hierem. 18. dicit Deus : *Repente loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum vt eradicem & deſtruam, & diſperdam : ſi egerit pœnitentiam gens illa, pœnitentiam agam, & ego ſuper malo quod locutus ſum*, &c. Vnde hæc à Theologis dicuntur dicta *ſecundum comminationem*, illa autem *ſecundùm prædeſtinationem*. In illis autem intellige incredulitatem & demerita hominum non euacuare fidem Dei : quoniam in illis ſolum habet locum fides Dei : quandoquidem illa ſola Deus dicit ex ſe. Quæ enim dicit comminando, aut promittendo ſecundùm merita mutabilia, non dicit ſecundum ſe, ſed ſecundùm illa merita : & propterea illis mutatis non mutatur veracitas Dei. Simpliciter ergo & abſolutè loquendo, veriſſimum eſt quòd demeritum & incredulitas hominum non tollit veracitatem Dei: quamuis tollat quandoque executiones quæ erant futuræ ſecundùm eorum merita: vt pœnitentia Niniuitarum ſuſtulit Niniues ſubuerſionem, & ſic de ſimilibus.

Ierem. 18. v. 7. 8.

Dicta à Deo ſecundum comminationem & ſecundùm prædeſtinationem.

Verſ. 5. SI AVTEM INIQVITAS, pro *iniuſtitia*, NOSTRA, IVSTITIAM DEI COMMENDAT. Aduerte quòd textus iſte poteſt dupliciter introduci. Vel per modum quæſtionis naſcentis ex dictis: & ſic quæſtio in litera non ſoluitur, ſed inſoluta relinquitur : vt patet intuenti textum. Vel per modum excluſionis falſi ſenſus qui ex verbis Pſalmi allatis percipi poſſet : & ſic omnia quadrant.

Duplex ſenſus.

Et propterea ſic exponendo textum ſcito quòd ſuper coniunctionem *vt* (cùm dictum eſt *vt iuſtificeris*) & multò magis iuxta Hebræum ſuper coniunctionem *propterea*, fundari poteſt falſus ſenſus : adiungitur enim illa coniunctio *vt*, ſeu *propterea* ad commiſſum peccatum : nam cùm dixiſſet, *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*, adiunxit *vt iuſtificeris*, ſeu *propterea iuſtificaberis*. Hinc enim intelligi poſſet quòd peccatum noſtrum eſſet directè ad commendationem diuinæ iuſtitiæ, propter illam coniunctionem *vt*, ſeu *propterea*. Et hunc ſenſum vtpote falſum intendit excludere Apoſtolus. Et propterea proponit hunc ſenſum cum aduerſatiua coniunctione dicendo : ſi autem iniuſtitia noſtra iuſtitiam Dei commendat : vt hic ſenſus dicit : QVID DICEMVS? Ecce inconueniens : quia ſequitur quòd caremus reſponſione : *quid dicemus?* quaſi dicat, nihil habemus quod dicamus. NVNQVID INIQVVS, pro *iniuſtus*, EST DEVS QVI INFERT IRAM? Manifeſtat quare non habemus quid dicamus, ex hoc quòd conſequenter loquendo oporteret dicere Deum eſſe iniuſtum : vtpote qui infert vindictam peccatorum commendantium iuſtitiam ipſius Dei. Nullus enim princeps iuſtè punit quæ fiunt in laudem ipſius principis : ac per hoc Deus non iuſtè puniret iniuſtitiam noſtram, ſi iniuſtitia noſtra commendat iuſtitiam Dei. Hoc inconueniens interrogatiuè ſubiungit, tanquam manifeſtè falſum & vitandum. SECVNDVM HOMINEM DICO. hoc eſt, ſecundum humanam diſceptationem loquor. Scio enim non eſſe vertendum in quæſtionem an Deus ſit iuſtitia.

Verſ. 6. ABSIT. Horrendum eſt etiam audire Deum iniuſtum. ALIOQVIN QVOMODO IVDICABIT DEVS HVNC MVNDVM? Superfluit *hunc*. Et humanæ diſceptationi ſatisfaciendo, affert rationem ab officio iudicandi mundum quòd in Deo non inuenitur iniuſtitia. Iudex enim non tantùm huius aut illius, ſed mundi, oportet quòd ſit iuſtus: cùm ſit ſupremus iudex, hoc eſt, dicens ius. Oportet enim primum dicentem ius, ſuapte natura ab omni eſſe iniuria eleuatum : ſicut primum alterans oportet eſſe inalterabile, & primum mouens oportet eſſe immobile.

In Deo, cùm ſit ſupremus iudex, nõ cadit iniuſtitia.

Verſ. 7. SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABVNDAVIT IN GLORIAM IPSIVS. Quemadmodum deduxit inconueniens (ſcilicet quòd Deus dicendus eſſet iniuſtus) ex illo falſo ſenſu in materia iniuſtitiæ noſtræ, & iuſtitiæ Dei, ita modò deducit inconuenientia ſequentia ex eodem falſo ſenſu applicato ad materiam mendacij noſtri, & veritatis diuinæ. Et diſtincte deducit in materia iniuſtitiæ, ac iuſtitiæ, & in materia mendacij ac veritatis : quia vtraque materia introducta fuerat. Materia quidem iniuſtitiæ noſtræ,

& iuſtitię Dei, in authoritate allata ex Pſalmo: materia verò mendacij & veritatis, in ipſius Pauli verbis, *Sit Deus verax, omnis autem homo mendax.* Excludit itaque eundem falſum ſenſum in materia mendacij noſtri relati ad diuinam veracitatem. Referendo ipſum falſum ſenſum pro antecedente conditionalis, cuius conſequens eſt inconueniens ad quod deducit. Eſt ſiquidem conditionalis iſta: Si in meo mendacio veritas diuina abundauit in gloriam: hoc eſt, creuit ſecundum gloriam, effecta eſt glorioſior: totum hoc eſt Antecedens. Et ſubditur Conſequens primum. QVID ADHVC ET EGO TANQVAM PECCATOR IVDICOR? hoc eſt, non debeo ego mendax iudicari tanquam peccator, ſed tanquam promotor gloriæ diuinæ veritatis. Quod conſtat eſſe manifeſtum inconueniens, & falſum, igitur antecedens ex quo ſequitur eſt falſum:

Verſ. 8. ET NON (SICVT BLASPHEMAMVR, ET SICVT AIVNT QVIDAM NOS DICERE) FACIAMVS MALA VT EVENIANT BONA? Alterum inconueniens ex eodem antecedente & ſenſu conſequens ſubiungitur vniuerſale, ſcilicet licere facere mala vt eueniant bona. Et hoc ſubdit non ſimpliciter, ſed vt impoſitum doctrinæ Apoſtolicæ. Prædicantibus ſiquidem Apoſtolis quòd vbi abundāt delicta, ſuperabundat gratia Dei, & ſimilia, non defuerunt peruerſi ſenſus homines, qui imponerent Apoſtolis quòd docebant facienda eſſe mala, vt eueniant bona: propter quos arguendos fecit Paulus hic quaſi digreſſionem tractando hæc. Conſtat autem hoc falſum & horrendum, ſequi ex illo falſo ſenſu ſcilicet, iniuſtitia noſtra, & mendacium noſtrum commendant iuſtitiam, & promouent gloriam veritatis diuinæ. Ex hoc enim ſenſu habetur quòd hæc licita ſunt ad gloriam Dei: & ſimiliter licita ſunt alia mala vt eueniant bona.

Apoſtolis, quòd decerei facienda mala, vt inde euenirent bona, falsò quidam impoſuere.

Intellige nouitie quòd ſecundum ſanam verámque doctrinam peccata non ſunt eligenda vt media ad quemcumque bonum finem: quia ſuapte natura repugnat peccato quòd ſit eligibile. Et propterea nec propter ſe, nec propter aliud bonum eſt eligibile. Et propterea hunc ſenſum damnat Apoſtolus quem peruerſi acceperant, ſcilicet quòd iniuſtitia noſtra eſſet medium ad commendandum iuſtitiā Dei, & ſimiliter mendacium noſtrum eſſet medium ad augmentum gloriæ diuinæ veritatis: & vniuerſaliter quòd mala culpæ ſint media facienda ad hoc vt eueniant bona. Cum hac tamen ſana doctrina intellige quoque verum eſſe, quòd peccata ſunt materia diuinæ iuſtitiæ, quòd mendacium noſtrum eſt materia diuinæ gloriæ. Sicut crimina latronum, & parricidarum ſunt materia iuſtitiæ iudicis humani, & ſunt occaſiones gloriæ iuſtitiæ eius. Et ſunt quandoque materia miſericordiæ principis: vt patet. Cùm ergo dixit Propheta, *vt iuſtificeris*, & ſimilia, non ſignificatur tributum eſſe medium congruum ad finem: ſed incurſam eſſe materiam, in qua ſuperluceret veracitas, & ſimilia. Sicut qui commiſit parricidium, & petit veniam à principe, vt ſuperluceat in tanto crimine potentiæ eius ſublimitas ſoluta à lege.

Peccatum nunquam eſt eligibile.

Peccatum eſt materia diuinæ iuſtitiæ.

Aduerte & tu, erudite Lector, quòd quia vitatio mali peioris eſt quoddam bonum, & eiuſdem eſt rationis cum bono quoad iuſtum & iniuſtum: honeſtum, vel inhoneſtum (vt etiam Philoſophi ſenſerunt) ideo eadem doctrina, quà horremus facere mala vt eueniant bona, eadem horrere debemus facere mala vt euitemus peiora. Euitare enim peiora quoddam bonum eſt, & multò minus bonum quam euenire bonum: Et propterea ſi propter bonum non eſt faciendum malum, neceſſariò ſequitur quòd nec propter vitandum maius malum. Vnde & Paulus ſubdit:

Nec faciendū eſt malum, vt vitetur peius.

QVORVM DAMNATIO IVSTA EST. Et relatiuum *quorum* refert facientes mala vt eueniant bona. Nec putes contrarium ſenſiſſe Gregorium, aut Toletanum Concilium in 13. diſtinct. decreti. Sed Gregorius conditionaliter loquitur (conditione pendente non ex parte rerum, ſed ex parte hominis) dicens; *Si omnino nullus ſine peccato aditus patet.* Non enim datur perplexio ex parte rerum: ſed contingere poteſt ex parte hominis, neſcientis euadere, non videntis aditum euadendi abſque aliquo peccato. Et in illo caſu conſulit ſecundùm indulgentiam, eligere minus malum: vtens authoritate Apoſtoli de vxore propter fornicationem vitandam. Concilium autem Toletanum non docet eligere minus peccatum, ſed ſolutionem minoris nexus, ſeu vinculi quod conſtat ſine peccato fieri: vt patet in exemplo de ſolutione iuramenti, vel malæ promiſſionis. Nulla ergo ratione faciendum eſt malum vt eueniat bonum quodcumque vitationis peioris, abſolutè loquendo ſecundùm Apoſtoli doctrinam.

Perplexio ex parte rerum non datur.

QVID ERGO? Poſt reſponſionem datam ad primam quæſtionem de prærogatiuis Iudæorum, mouet aliam quæſtionem naſcentem ex data reſponſione, quà dictum eſt quòd *multùm omni modo* collatum eſt Iudæo amplius quàm gentili. Hinc enim ſurgit alia quæſtio, *quid ergo*, hoc eſt, quid ex hac reſponſione infertur? PRÆCELLIMVS EOS? Superfluit *eos*. Et explicat quæſitum: an ſcilicet præcellimus nos Iudæi. Eſt itaque quæſtionis ſenſus, ſequiturne ex dictis quòd nos Iudæi, præcellimus, proculdubio alios. Et eſt ſermo de præſtantia quà homo præſtat alteri non ſecundùm aliquam prærogatiuam, ſed ſimpliciter & abſolute. NEQVAQVAM. Ecce reſponſio ad hanc quæſtionem. CAVSATI, pro *præcauſati*, ENIM SVMVS IVDÆOS, ET GRÆCOS OMNES SVB PECCATO ESSE. hoc eſt, quia attulimus prius cauſam huius negatiuæ, & eſt quòd tam Iudæi quam Græci omnes ſub peccato ſunt. Verſ. 9.

Hinc apparet primò quòd appellatione Ἑλλήνων, id eſt, Hellenorum (quod eſt cognomen Græcorum) Paulus intendit gentiles, vel quia vocabulum extendit ad ſignificandos Gentiles, vt Hieronymus cenſet: vel quia eiuſdem rationis ſunt Græci e regione Iudæorum, cum reliquis Gentilibus.

Ἑλλήνων, id eſt, Græcis.

Apparet ſecundò quòd de peccato actuali Paulus loquitur dicens *omnes eſſe ſub peccato*: quoniam de illo peccato loquitur quod prius dixerat ineſſe Iudæis & Gentilibus, dicente ipſo, *præcauſati enim ſumus*, &c. Conſtat autem quòd hactenus non eſt locutus, niſi de peccatis actualibus. Intendit itaque ex hoc quòd commune eſt Iudæis & Gentilibus ſub

Omnes ſunt ſub peccato, actuali.

[illegible] quod non præſtant [illegible] Gentilibus, quamuis pollent [illegible] prærogatiuis. Significanter [illegible], & non dixit [illegible] eſſe ſub peccato. Intendit enim ſignificare & ſignificat quod commune eſt Iudæis & Gentilibus, omnes ſub peccato [illegible] mentiebatur.

Verſ. 10. SICVT SCRIPTVM EST. Non in vno, ſed in multis ſacræ Scripturæ locis. Non quæ ſubduntur ex diuerſis Scripturæ locis ſumpſit Paulus: ſed [illegible] neſcio quis adiunxit hæc Pſalmo decimoquarto, vt ibi diffuſius declarauimus.

QVIA, pro, *quòd*, NON EST IVSTVS QVISQVAM, *ne vnus quidem*. Hoc ſumptum eſt ex ſeptimo capitulo Eccleſiaſtis. Et eſt ſenſus vt ibidem ſubiungitur, quod non eſt homo qui non peccet.

Verſ. 11. NON EST INTELLIGENS. Hoc cum aliquibus
Pſal. 13.3. ſequentibus ſumptum eſt ex Pſalmo decimoquarto, vbi dicitur *vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt*. Et ſicut negata eſt omnimoda iuſtitia in voluntate, ita negatur omnimoda prudentia. NON EST REQVIRENS DEVM, totaliter.

Verſ. 12. OMNES DECLINAVERVNT. à recto. SIMVL INVTILES FACTI SVNT: ad conſequendum finem æternum. NON EST QVI FACIAT BONVM. ſupple, *ſine peccato*. NON EST VSQVE AD VNVM, incluſiue. Nullus enim purus homo excipitur.

Verſ. 13. SEPVLCHRVM PATENS EST GVTTVR. Hoc ex quinto Pſalmo ſumptum eſt. Et hactenus negationes & receſſus à recto & bono commemorauit: modò verò accedendo ad malum, quæ committuntur mala in locutione commemo-
Mala locutionis commemorantur. rat, incipiens a turpiloquio, comparando guttur eorum ſepulchro patenti, ac per hoc fœtenti. LINGVIS SVIS DOLOSE AGEBANT. Mendax quomodolibet ſermo, doloſa lingua deſcribitur. VENENVM ASPIDVM SVB LABIIS EORVM. Hoc ex Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſumptum eſt. Et ſermo nocuus ſignificatur a ſimilitudine veneni in ſupremo cuiuſmodi: ſcilicet aſpidum, quod dicitur incurabile.

Verſ. 14. QVORVM OS MALEDICTIONE ET AMARITVDINE PLENVM EST. Hoc ſumptum eſt ex Pſal-
Pſal. 10.7. mo decimo, vbi dicitur, *Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine*. Et appellatur os plenum maledicentia imprecatiua & deteſtatiua, & ſimiliter amaritudine erga alios, dum & imprecantur mala aliis, & execrantur aliorum facta: & quod peius eſt amaritudinem aliis ſua lingua ingerunt, non hinc aut inde, ſed vndique. Plenum enim amaritudine effluit vndique.

Verſ. 15. VELOCES PEDES EORVM AD EFFVNDENDVM SANGVINEM. Hæc cum aliquibus ſequentibus ex Eſaiæ quinquageſimonono cap. ſumptum
Peccata operum. eſt. Poſt peccata omiſſionis, & oris adiungit peccata operis, inchoando à peſſimo contra proximum opere: homicidio ſcilicet: Et non ſimpliciter, ſed cum velocitate pedum, cum feſtinatione ad humani ſanguinis effuſionem.

Verſ. 16. CONTRITIO hominum aliorum, ET INFELICITAS, hominum aliorum. IN VIIS, hoc eſt, variis ſtudiis & operibus. EORVM, ad hoc ſtudent vt opprimant imò conterant alios, & ad miſeriam deducant,

Verſ. 17. ET VIAM PACIS NON COGNOVERVNT notitia practica & affectiua: ſed ſolis ſeditionibus, aut bellis ſtudent. Tollunt itaque vitam, res, honores, atque ipſam pacem.

NON EST TIMOR DEI ANTE OCVLOS EORVM. Verſ. 18.
Hoc ſumptum eſt ex Pſalmo triceſimoſexto. Et in hoc vno omnia peccata cogitatio-
Solus timor Dei interiora mala compeſcit. nis, ſeu cordis comprehenduntur: vtpote in quo conſiſtit frenum omnium internorum motuum. Solus enim timor diuinus interius retrahit ab interna animi deordinatione: cum homines omnes lateat.

SCIMVS AVTEM QVOD QVÆCVNQVE LEX LO- Verſ. 19.
QVITVR, IIS QVI IN LEGE SVNT LOQVITVR. Applicat allata ex Scriptura ad Iudæos. Appella-
Scriptura veteris Teſtamenti vocatur Lex. tione *Legis* intellige vniuerſam ſcripturam veteris Teſtamenti. Et eſt ſermo de iis quæ indeterminate dicuntur in Scriptura, ad differentiam eorum quæ ſpecialiter de aliqua natione dicuntur: vt apud Eſaiam *Onus Tyri, Onus Babylonis*, & ſimilia. VT OMNE OS OBSTRVATVR. Quorſum hæc ſcripta ſint, declarat ex fructu. Ideo enim declarantur omnes eſſe ſub peccato, vt obſtruatur omne os, tam Iudæorum, quàm Gentilium præſumentium de propria iuſtitia. ET SVBDITVS FIAT OMNIS MVNDVS DEO Quamuis mundus vniuerſus velit nolit ſubiiciatur Deo, hæc tamen ſcripta ſunt vt ſponte, vt laudabiliter vniuerſus mundus ſe ſubiiciat Deo pro iuſtificatione gratuita: ſeu (vt alij interpretantur) vniuerſus mundus obnoxium ſe reddat Deo pro iuſtificatione.

QVIA, pro *propterea, quòd* EX OPERIBVS LEGIS Verſ. 20.
NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO CORAM EO.
Differentia inter iuſtitiam operis, & iuſtitiam Dei. Inter iuſtitiam operis, & iuſtitiam Dei hæc eſt differentia, quod *iuſtitia operis* iuſtificat tantùm illud opus cuius eſt, & operantem ſecundum habitum illius operis: *iuſtitia* autem *Dei* iuſtificat hominem abſolute. Et hoc eſt dictu quod iuſtitia operis non iuſtificat hominem abſolute, quoniam non delet peccata, ſed relinquit hominem in peccatis quæ fecit. Iuſtitia autem Dei iuſtificat hominem abſolutè, quoniam delet peccata quæ inuenit in homine. Et penes hanc diſtinctionem (quam manifeſtiùs Apoſtolus ſubiunget) verificat quæ nunc dicuntur, & dicta in præcedenti capitulo. Cùm enim dictum ſuit quod *factores legis iuſtificabuntur apud Deum*, intellige de iuſtificatione hominum ſecundum opera: cum autem modò dicitur quod *ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram eo*, intellige de iuſtificatione hominis abſolutè. Et dicit *omnis caro*, ad comprehendendum omnem nationem, ſiue Iudæam, ſiue Gentilem: quam ſuperius dixerat iuſtificari ſecundum facta.

PER LEGEM ENIM COGNITIO PECCATI. Probat quod lex non iuſtificat, quia per legem habetur cognitio peccati. Et ſumitur *cognitio* vt opponitur remiſſioni. Ita quòd eſt ſenſus: per legem habetur cognitio; non autem remiſſio peccati. Iuſtificatio autem abſolute oportet quod ſit cum remiſſione peccati.

NVNC AVTEM, hoc eſt, tempore Meſſiæ. Verſ. 21.
SINE LEGE. hoc eſt, abſque iugo legis Moſaicæ. IVSTITIA DEI diſtincta à iuſtitia operis: de qua in principio dictum eſt, *iuſtitia enim Dei in eo reuelatur*. MANIFESTATA EST. In die

Pétecoſtes,& deinceps manifeſtata eſt ſine nigo legis veteris iuſtitia Dei, iuſtificans hominem abſolute. Et ſignificantiùs dicit *manifeſtata eſt*,& non dicit *creata eſt*, aut *facta eſt*: quoniam iuſtitia Dei fuit ab initio iuſtificans omnes ſanctos, & non eſt de nouo manifeſtata.

Iuſtitia fidei in quibuſdā Gentilibus, ſed occulta.

Erat ſiquidem iuſtitia fidei in Patribus, erat & in aliquibus Gentilibus: vt patet de Iob. Sed erat tanquam occulta, tum quoad rem creditam, ſcilicet Ieſum Chriſtum: tum quoad promulgationem, quoniam non erat mundo promulgata. TESTIFICATA A LEGE ET PROPHETIS. Ne iuſtitiam Dei tanquam rem nouam fingere, aut introducere videretur, appoſuit quòd eſt teſtificata à lege Moyſi,& prophetis: vt etiam ex teſtimonio legis & prophetarum declaret non ex operibus legis (hoc eſt, non ex iuſtitia quorumcumque operum moralium, cærimonialium & iudicialium) iuſtificari ſimpliciter & abſolutè homines, ſed ex iuſtitia Dei.

Verſ. 22. IVSTITIA AVTEM DEI PER FIDEM IESV CHRISTI. Dixerat *iuſtitia Dei*, & dixerat *ex fide in fidem*: ſed non explicauerat materiam fidei, non explicauerat modum quo iuſtitia Dei nobis iungitur. Et propterea vtrumque modò explicat dicendo, *Iuſtitia autem Dei per fidem*. Ecce modus quo applicatur nobis iuſtitia Dei. IESV CHRISTI. Ecce materia fidei. IN OMNES ET SVPER OMNES QVI CREDVNT IN EVM. Superfluit *in eum*. Et verè ſuperfluit: quoniam eſt *in omnes, & ſuper omnes qui credunt*, vt intelligamus iuſtitiam Dei per fidem Ieſu Chriſti eſſe, fuiſſe & fore in omnes & ſuper omnes qui credunt. Et non quemlibet ſaluari in fide ſua, ſed iuſtificari tantum per fidem Ieſu Chriſti. Huiuſmodi enim iuſtitia Dei ſemper fuit ſic: ſed modò eſt manifeſtata, teſtificata à lege & prophetis. Dicit autem *in omnes & ſuper omnes*: ad ſignificandum extenſionem iuſtitiæ Dei erga omnes,& cum hoc ſuperioritatem. Supereminet enim iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, iuſtitiis operum. NON ENIM EST DISTINCTIO. Probat id quod dixerat in omnes & ſuper omnes: quoniam non eſt diſtinctio in hoc.

Verſ. 23. OMNES ENIM PECCAVERVNT. Hinc videre potes antedictam differentiam eſſe de intentione Apoſtoli. Ex hoc enim quòd commune eſt omnibus (tam Iudæis quàm Gentilibus) peccaſſe, probat Apoſtolus *iuſtitiam Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes*: apertè ſignificans quòd per iuſtitias operum, nec Iudæi, nec Gentiles iuſtificabantur iuſtitia remittente peccata: ſed ſolâ iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti hoc fiebat, vt clarè ſubiunget.

Omnes egent gloria Dei. Qua:

ET EGENT pro, *carent*, GLORIA DEI. Siue per *gloriam Dei*, intelligas gloriam cœleſtis patriæ, ſiue magis ad literam gloriam apud Deum. Qui enim peccauit, quouſque remittatur ei peccatum, non laudatur, non clarus eſt apud Deum. Et dixit hoc directè ad differentiam gloriæ quæ habetur apud homines, cum quis quamuis olim peccauerit, iuſtitias operum exercet. Talis enim caret gloria Dei, ex hoc quòd non eſt conſecutus veniam peccati: quamuis habeat gloriam hominum. Et hunc eſſe ſenſum literalem, in ſequenti patere poteſt capitulo: vbi de Abraham dicetur quòd ex operibus gloriam quidem habet, ſed non apud Deum.

Verſ. 24. IVSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIVS. Dictio interpretata *iuſtificati*, participium eſt paſſiuum præſentis temporis, quo lingua Latina caret. Et propterea aliqui interpretes vertunt *iuſtificantur*. Et dicit quòd *omnes peccauerunt & carent gloria apud Deum*: iuſtificantur autem, hoc eſt, ex peccatoribus iuſti fiunt, *gratis*, hoc eſt, non ex operibus, ſed gratuitò. Et ne quæras cuius eſt hoc gratuitum beneficium, explicat *per gratiam ipſius*, ſcilicet Dei. Vbi clarè explicatur, iuſtitiam Dei iuſtificantem, non ex operibus, ſed per gratiam Dei haberi. PER REDEMPTIONEM QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Declarat rationem iuſtitiæ Dei ex interueniente redemptione hominum facta per Ieſum Chriſtum.

Vbi aduerte quòd in hoc quòd homines ex peccatoribus fiunt iuſti, concurrūt gratia Dei, & iuſtitia Dei. Ita quòd nō concurrit ſola gratia, quæ tunc ſola concurreret quando Deus remitteret peccata ſine aliqua ſolutione. Sed hoc Deus nunquam fecit, neque facit: ſed gratiæ ſuæ inſerit iuſtitiam ſuam, quam toties Apoſtolus nominat *iuſtitiam Dei*. Et modò explicat quòd iſta iuſtitia conſiſtit in redemptione: hoc eſt, in ſolutione pretij, quam fecit Ieſus ad abſoluendum nos à captiuitate, ſeu ſeruitute peccati.

In iuſtificatione peccatoris concurrunt gratia Dei, & iuſtitia Dei.

At ſi contra hoc inſtetur, quòd hæc duo ſibi inuicem aduerſantur: ſcilicet quòd ſimus iuſtificati gratis per gratiam Dei, & quòd ſimus iuſtificati per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nam ſi per redemptionem, ergo non gratis: & ſi per gratiam, ergo non per iuſtitiam redemptionis. Solutio eſt, quòd Scriptura ſacra non dicit nos iuſtificari per ſolam gratiam, ſed per gratiam ſimul & iuſtitiam, ſed vtramque Dei: hoc eſt, per gratiam Dei, & iuſtitiam Dei, & non per iuſtitiam hominum. Et proptereà toties Apoſtolus repetit iuſtitiam Dei. Ita quòd gratia Dei non excludit iuſtitiam Dei, ſed iuſtitiam hominum. Redemptio autem facta per Chriſtum, iuſtitia Dei eſt, non iuſtitia noſtra, quia ipſe Ieſus Chriſtus verus Deus eſt. Et ſignificanter non dicit *quæ eſt facta à Chriſto Ieſu*, ſed *quæ eſt in Chriſto Ieſu*: vt redemptionem non rebus, aut pecuniâ factam, ſed exiſtentem in carne & ſanguine, & animâ ipſius intelligeremus.

QVEM PROPOSVIT DEVS PROPITIATOREM. Verſ. 25.
Dictio Græca anceps eſt ad *propitiatorium* in maſculino, vel neutro genere: quoniam eſt accuſatiui caſus: magis tamen quadrare propoſito videtur maſculinum genus: vt ſit ſenſus, quem propoſuit Deus placatorem. Et poſuit hoc ad ſignificandum quòd redemptio Ieſu Chriſti non minuit, ſed potiùs auget gratiam Dei erga nos, vt intelligamus ex diuina gratia non ſolùm dari nobis veniam, ſed etiam dari nobis placatorem. Et propterea ex parte Dei introducit huiuſmodi redemptorem, dicendo, *Quem propoſuit Deus propitiatorem*, ſeu placatorem, proculdubio redimendo. PER FIDEM IN SANGVINE IPSIVS. Paulatim explicat myſteria. In principio enim dixerat, *ex fide in fidem*: poſtea explicauit per fidem Ieſu Chriſti: dicendo *per fidem in ſanguine ipſius*. Fides enim in ſanguine Ieſu, eſt fides quæ innititur morti quæ per effuſionem ſanguinis Ieſu fuit.

Tria Per, in hac ſententia.

Et aduerte tria *per*, attuliſſe Apoſtolum in hac ſententia. Primum dicendo *per gratiam ipſius*, ſecundum *per redemptionem*, & tertium

per

per fidem in ſanguine, vt intelligamus, ad iuſtificandum nos, concurrere primum ex parte Dei, *gratiam*. deinde ex parte Ieſu Chriſti, *iuſtitiam redemptionis*: & demum ex parte noſtri, *fidem in ſanguine Ieſu Chriſti*. Et gratia quidem primum tenet locum, vt pote etiam cauſa ſecundi & tertij. Secundum autem ita eſt gratiæ, quòd tamen rationem iuſtitiæ Dei conſtituit: tertium (ſcilicet fides) applicatio & connexio eſt vtriuſque nobiſcum.

AD OSTENSIONEM IVSTITIÆ SVÆ. Iunguntur hæc verba cum præcedentibus, ſcilicet *in ſanguine ipſius*. Et ſubiunguntur ad reddendam rationem quare *in ſanguine ipſius*, quare Deus poſuit Ieſum placatorem in ſanguine ipſius Ieſu. Et explicatur ratio, ſcilicet *ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*. ſcilicet Dei. Ad demonſtrãdum enim iuſtitiam diuinam ſtatuit Deus Ieſum placare Deum in proprio ſanguine, tanquam ſoluendo pretium redemptionis humanæ. PROPTER REMISSIONEM PRÆCEDENTIVM DELICTORVM. Subditur hîc ratio iuſtitiæ eius. Et eſt remiſſio præcedentium delictorum: ad hoc vt remitterentur præcedentia delicta exegit iuſtitia diuina huiuſmodi ſupradictam redemptionem: alioquin remiſſio delictorum non eſſet fructus iuſtitiæ diuinæ. Vbi clariſſimè videre potes quod ſuperiùs diximus de intentione Apoſtoli, in hoc differre iuſtitiam Dei à iuſtitia operum, quòd iuſtitia operum non eſt remiſſiua præcedentium delictorum, iuſtitia autem Dei eſt remiſſiua præcedentium delictorum. Et ſignificanter appoſuit *præcedentium*: vt intelligamus etiam præteritorum hominum ante aduentum Chriſti peccata. Propter quod declarandum apertiùs ſubiungit.

Deum placauit Ieſus in ſanguine ſuo.

Verſ. 26. IN SVSTENTATIONE, pro, *tolerantia*, DEI AD OSTENSIONEM IVSTITIÆ SVÆ IN HOC TEMPORE. Dixerat *ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum*, ſubdit modò rationem quare inter præcedentia delicta & oſtenſionem iuſtitiæ diuinæ interceſſit tantum temporis ſpatium. Et explicat quòd ratio eſt tolerantia diuina qua præcedentia delicta tolerauit ad hoc vt in hoc tempore à ſe definito oſtenderet iuſtitiam diuinam. Et ne quæras quorſum iſta tolerantia dilatiua iuſtitiæ, ſubiungit rationem.

Tolerantia diuina.

VT SIT IPSE IVSTVS ET IVSTIFICANS EVM QVI EST EX FIDE IESV CHRISTI. Superfluit *Chriſti*: hoc eſt, propter duo ſimul implenda. Alterum eſt vt ſit in executione ipſe Deus iuſtus, & non ſolùm miſericors ſeu gratiam conferens. Et hoc directè eſt ratio oſtenſæ diuinæ iuſtitiæ. Alterum eſt *vt ſit iuſtificãs eum qui eſt ex fide Ieſu*. Et hoc directè reſpicit definitionem iuſtitiæ ad tempus hoc, ſcilicet mortis Ieſu: ad hoc vt iuſtificetur homo à Deo non qualitercunque, ſed ratione fidei in ſanguine Ieſu. Oportuit enim expectari ipſam mortem Ieſu, in qua executioni mandata eſt redemptio & placatio. Et expectari eam in fide: quia oportet omnes qui iuſtificantur, eſſe, hoc eſt, conſtare ſecundum mentem & animum, ex fide Ieſu.

Verſ. 27. VBI EST ERGO GLORIATIO TVA? Superfluunt duæ dictiones: ſcilicet *eſt* & *tua*. Ita quod legendum eſt, VBI ERGO GLORIATIO? Infinitè infert, arguendo, vbi eſt gloriatio? Et eſt ſermo de gloria iuſtitiæ: infert autem ex dictis, ſcilicet quòd propter remiſſionem præcedentium peccatorum poſuit Deus placatorem Ieſum in fide ſanguinis ipſius. Hinc enim excluditur omnis gloria humanæ iuſtitiæ. Et ſermo hîc quamuis communis eſſe poſſit Iudæo & Gentili, dirigitur tamen directè ad Iudæum, de quo mouerat quæſtionem an excelleret: quique gloriabatur de iuſtitia legis à Deo acceptæ per Möyſen. EXCLVSA EST. ſcilicet gloriatio. PER QVAM LEGEM? Interrogatiuè legendum eſt. FACTORVM? Interrogatiuè legendum eſt. *Legem factorum* appellat legem Moyſi, & quoad moralia, & cærimonalia, & iudicialia: quoniam erat lex operum, ſicut & quælibet alia lex ſcripta. Et in hoc etiam comprehenditur lex naturalis: quæ ſimiliter eſt lex factorum. NON. Ecce reſponſio quoad partem negatiuam. SED PER LEGEM FIDEI. Et eſt reſponſio quoad partem affirmatiuam. *Legem fidei* appellat vniuerſam ſtructuram prius dictorum concurrentium ad iuſtitiam Dei iuſtificantis homines.

Humana iuſtitia deprimitur.

Si quæris quo pacto *lex fidei* diſtinguitur à Paulo contra *legem operum* etiam moralium: quum etiam fides in genere operum comprehendatur. Credere enim opus eſt noſtrum. Solutio eſt quòd credere in eum qui iuſtificat impios, innititur iuſtitiæ alienæ, ſcilicet Dei per Chriſtum: reliqua verò opera innituntur iuſtitiis propriis, vt ſcilicet quodlibet opus ſecundum ſe bonum eſt, & bonum reddit habentem, & ideo iuſtitia fidei diſtinguitur contra iuſtitiam operum.

Lex fidei quomodo diſtincta à lege operum.

ARBITRAMVR ENIM, pro, *igitur*, IVSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM SINE OPERIBVS LEGIS. Explicat clarius intentam concluſionem ex præmiſſis, dicendo: *Arbitramur igitur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, iuſtificantibus. Non enim intendit excludere opera legis, de quibus ſuprà dixit quòd *factores legis iuſtificabuntur apud Deum*. Non intendit, inquam, excludere ab executione ſed à iuſtificatione: hoc eſt, à virtute iuſtificatiua hominis abſolute: quod eſt dicere, à virtute remiſſiua peccatorum. De tali enim iuſtificatione eſt ſermo. Verſ. 28.

AN IVDÆORVM DEVS TANTVM? Directè affertur hæc ratio aduerſus cærimonalia & iudicialia præcepta legis Moyſi: quoniam hæc erant propria Iudæis: Moralia ſiquidem communia erant illis & gentibus. Et intendit quòd ſi ad iuſtificandum hominem requirerentur opera legis iudicialia & cærimonalia, in quibus tanquam propriis gloriabantur Iudæi, ſequeretur quod Iudæorum tantum eſſet Deus, ſupple iuſtificator. Et propterea ad hoc excludendum dicit, *an Iudæorum Deus tantum?* Sicut modò verè dicimus quòd credentium tantùm eſt Deus: quoniam ſolos credentes iuſtificat. NONNE ET GENTIVM? IMÒ ET GENTIVM. Et rationem ſubdit. Verſ. 29.

QVANDOQVIDEM VNVS EST DEVS. Ex hoc quòd vnus atque idem Deus eſt qui fide iuſtificat tam Iudæos quam gentiles, manifeſtat quòd Deus eſt Iudæorum & gentilium, hoc eſt, quòd non oportet gentiles effici Iudæos, non oportet eos ſubire iugum legis Moyſi ad hoc vt iuſtificentur. QVI IVSTIFICAT, pro, *iuſtificabit*. Futuri eſt temporis, ad ſignificandum perſeuerantiam, hoc eſt, quòd non modò tantùm, non præteritos aut præſentes tantùm, ſed ſemper in hoc perſeuerabit quod iuſtificabit fide. Et Verſ. 30.

dixit hoc in futuro, quia iam dixerat de præterito: propter remiſſionem præcedentium delictorum. CIRCVNCISIONEM EX FIDE hoc eſt, circunciſus non ex ipſa circunciſione, ſed fide ſuperiùs explicatâ. ET PRÆPVTIVM, hoc eſt, gentiles perſeuerantes incircunciſos. PER FIDEM, eandem: & non per iuſtitias operum moralium.

Verſ. 31. LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER FIDEM: Interrogatiue legendum eſt: mouet enim aduerſus dicta quæſtionem: tanquam ex his ſequatur quòd fides deſtruat legem Moyſi. ABSIT. Reſponſio eſt horrentis. SED LEGEM STATVIMVS. hoc eſt firmamus. Aduerte hic quòd cùm fides Ieſu Chriſti ſemper fuerit explicite vel implicite in omnibus qui conſecuti ſunt remiſſionem peccatorum ab initio mundi, ex hoc quòd commendatur & declaratur virtus fidei ad iuſtificandum, non deſtruitur nec aboletur lex Moyſi (alioquin oportuiſſet legem Moyſi nunquam habuiſſe locũ apud fideles) ſed declarãtur quod nec in lege, nec in operibus legis eſt vis remiſſiua peccatorum, & propterea optimè Paulus horret dicendo *abſit*. Quod autem ſubdit, *ſed legem ſtatuimus* (hoc eſt, firmamus) non eſt ſic intelligendum quòd per hanc doctrinam firmitatem aliquam lex Moyſi acceperit: ſed quòd commendata fides redundat in fulcimentum legis. Et verè ſic eſt: nam niſi fides fulciret legem, vacillaret & nutaret in mentibus hominum tanquam humana adinuentio: vt patet ex hoc quod talis habetur lex Moyſi apud infideles.

Fides Chriſti explicita vel implicita ab initio mundi.

Fides firmat legem quo ſenſu.

CAPVT IV.

Verſ. 1. QVID ERGO DICEMVS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRVM SECVNDVM CARNEM? Mouerat in principio capituli tertij quæſtiones duas, alteram de Iudæo, alteram de circunciſione. Et ſoluta prima quæſtione modò intendit tractare ſecundam: ſcilicet *quæ vtilitas circunciſionis*. Vnde & reſumit eam in parte circunciſionis Abraham ſub aliis verbis: dicendo *quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem*: hoc eſt, ſecundum carnalem circunciſionem? Ita quod *ſecundum carnem* refertur ad verbum *inueniſſe*. Et emergit hæc quæſtio ex dictis: ſcilicet quod non ex operibus ſed ex fide Ieſu Chriſti iuſtitia Dei eſt in omnes & ſuper omnes. Hinc enim quæſtio conſurgit: quid ergo Abraham inuenit ſecundum circunciſionem in carne, ſi non inuenit iuſtitiam Dei?

Differit hic D. Paulus de circunciſione.

Verſ. 2. SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBVS LEGIS IVSTIFICATVS EST. Reſpondet quæſtioni: primò negatiue quoad iuſtificationem: hoc eſt, quòd per circunciſionem non eſt iuſtificatus. Et ad hoc declarandum aſſumit conditionalem cuius antecedens eſt, *Abraham ex operibus iuſtificatus eſt*: conſequens autem eſt, HABET GLORIAM. pro, glorificationem. SED NON APVD DEVM. Quia enim circunciſio carnalis inter opera eſt, ideo comprehendendo etiam circunciſionem & reliqua moralia opera aſſumit quod ſi Abraham eſt iuſtificatus ex operibus ſiue moralibus, ſiue cæremonialibus, habet quidem gloriationem (quoniam ex operibus iuſtis habet vnde glorietur) ſed non apud Deum: quia remanerent adhuc delicta eius. Quantumcunque enim (vt prius dictum fuit) homo exerceat ſe in bonis operibus moralibus & cæremonialibus, nunquam tamen per hæc conſequitur remiſſionem peccatorum: ſed iuſtificabitur tantùm in operibus & in ſeipſo ſecundum habitus operum. Et propterea habet merita virtutum vnde glorietur, ſed non apud Deum, apud quem remanet adhuc inglorius ratione peccatorum.

QVID ENIM DICIT SCRIPTVRA? Propoſita conditionali, progreditur a deſtructione conſequentis authoritate ſcripturæ. Conſequens fuerat, *non habet gloriationem apud Deum*: hoc intendit deſtruere, monſtrando ex authoritate ſcripturæ veritatem ſui contrarij: ſcilicet quòd Abraham habuit iuſtitiam apud Deum. CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM. Ex Geneſ. 15. cap. ſumpta eſt hæc ſententia. In qua apparet quod fides Abrahæ reputata eſt illi ad iuſtitiam apud Deum: ita quod iuſtitia apud Deum non ex operibus ſed ex fide imputata eſt Abrahæ. Verſ. 3.

EI AVTEM QVI OPERATVR. Declarat ex inducto textu differentiam intentam inter iuſtitiam ex operibus & iuſtitiam ex fide. Declarat autem hoc dupliciter: Primò ponderando verba ſcripturæ: ſcilicet *credidit & imputatum eſt*. Deinde confirmat authoritate Dauid. Et vtitur ratione tali, Operanti merces non gratuitò, ſed ex debito datur: non operanti autem ſed credenti, gratuitò imputatur fides eius ad iuſtitiam: ergo Abraham non ex operibus, ſed ex fide iuſtificatus eſt. Vide ſingula. EI AVTEM QVI OPERATVR, hoc eſt, qui opera meretur, ſiue moralia ſiue cæremonialia, &c. MERCES NON IMPVTATVR SECVNDVM GRATIAM, SED SECVNDVM DEBITVM. Hæc vniuerſalis eſt clariſſima. Verſ. 4.

Declarat differentiam inter iuſtitiam ex operibus & iuſtitiam ex fide.

EI VERÒ QVI NON OPERATVR. Non dicit, qui contraria operatur, ſed ſolùm negat merita operum, hoc eſt, etiamſi non operetur, etiam non concurrentibus meritis operum. CREDENTI AVTEM IN EVM QVI IVSTIFICAT IMPIVM, remittendo peccata. REPVTATVR, pro, *imputatur*. Interpres mutauit vocabula: modò *imputatur*, modò *reputatur*: quum tamen Paulus eodem vtatur vocabulo, quod potiùs ſignificat *imputari* quàm *reputari*, ſignificat enim *adſcribi*, *attribui*. FIDES EIVS AD IVSTITIAM. In hoc ipſo quod fides imputatur ad iuſtitiam, ſignificatur quod non ex debito, non ex merito confertur iuſtitia: cuius oppoſitum dictum eſt de operante. Ita quod inter credentem & operantem elicit Paulus differentiam: quòd credens non meretur, quod credenti non debetur iuſtitia, ex hoc ipſo quòd ſcriptura dicit quòd fides eius imputatur ad iuſtitiam. Operans verò inquantum operans, ex debito ſortitur mercedem iuſtificationis ſuæ, non remiſſiuæ tamen peccati: vt ſæpe dictum eſt. SECVNDVM PROPOSITVM GRATIÆ DEI. Hæ quatuor dictiones ſuperfluæ ſunt, adiunctæ fortè ab aliquo ad explicandum quid importat imputari fidem ad iuſtitiam: verè ſiquidem imponit gratuitam iuſtitiæ collationem. Verſ. 5.

Iuſtitia non confertur ex debito.

SICVT ET DAVID DICIT. Confirmat idem authoritate Dauidis: primò explicans ſententiam quæ habetur ex verbis Dauidis ad propoſitum, ſubiungendo. BEATITVDINEM HOMINIS, ſupple Verſ. 6.

eſſe.

eſſe. CVI DEVS ACCEPTO FERT. pro, *imputat.* Idem enim eſt vocabulum apud Paulum. IVSTITIAM SINE OPERIBVS. Hæc ſunt Apoſtoli verba, dicta à Dauide quoad ſenſum: verba autem ipſius Dauidis ſubiunguntur.

Verſ. 7. *Authoritas Dauidis.* BEATI QVORVM REMISSÆ SVNT INIQVITATES. Et eſt ſermo de beatitudine in ſpe. Remiſſæ autem iniquitates dicuntur quoad offenſam, ſecundùm quam iniuria illata eſt Deo. ET QVORVM TECTA SVNT PECCATA. quoad turpitudinem actuum: ne ſcilicet eorum turpitudo redundet amplius in eos qui peccauerunt: hoc eſt, ne ſint amplius turpes.

Verſ. 8. BEATVS VIR CVI NON IMPVTAVIT DOMINVS PECCATVM. ad reatum æternæ pœnæ. Ex his omnibus & ſpecialiter ex hoc vltimo (ſcilicet non imputatione peccati) accepit Apoſtolus Dauidem dicere quod Deus imputat iuſtitiam ſine operibus, ita quod beatum illum reddit. Nullius enim operis noſtri mentio a Dauide fit, ſed ſolius diuini operis remittentis, tegentis & non imputantis.

Verſ. 9. BEATITVDO ERGO HÆC. Applicat authoritatem Dauidis ad propoſitam materiam de iuſtitia Abrahæ. IN CIRCVNCISIONE TANTVM MANET. Superfluunt duæ dictiones, ſcilicet *tantum manet.* AN ETIAM IN PRÆPVTIO? Ex hac Dauidis authoritate arguit ad propoſitam materiã, *An habeat locum etiam in incircunciſis?* quærendo an hæc promulgata à Dauide beatitudo habeat locũ in ſolis circunciſis, an etiam in non circunciſis. Et ſtatim probat quod habet locum in non circunciſis, ex tempore quo fides Abrahæ reputata eſt ei ad iuſtitiam: quia ſcilicet tunc temporis hoc fuit quãdo Abraham non erat circunciſus, ſed adhuc erat in præputio. Et progreſſus literæ eſt clarus, primò repetens quod dictum eſt, ſcilicet: DICIMVS ENIM QVIA, pro *quod,* REPVTATA EST FIDES ABRAHÆ AD IVSTITIAM. & deinde dicens:

Verſ. 10. QVOMODO ERGO REPVTATA EST. Inquirit ſtatum Abrahæ. IN CIRCVNCISIONE, hoc eſt, in ſtatu circunciſionis. AN IN PRÆPVTIO? hoc eſt in ſtatu præputij. Et ſubdit reſponſionem clariſſimam: NON IN CIRCVNCISIONE SED IN PRÆPV-
Verſ. 11. TIO, vt patet Geneſ. 15. ET SIGNVM ACCEPIT CIRCVNCISIONIS. Poſtquam reſpondit negatiuè quoad iuſtificationem, quæſtioni motæ quid inuenit Abraham in carnali circunciſione: Reſpondet modò affirmatiuè: hoc eſt declarat quid aſſecutus eſt Abraham per circũciſionem, declarat quæ vtilitas circunciſionis. Oportebat *Vtilitas ſigni in circunciſione* enim non ſolum dicere quid non confert, ſed etiam quid confert. Et explicat vtilitatem circunciſionis eſſe vtilitatem ſigni. Et hoc accepit *Geneſ 17.11.* Apoſtolus ex Geneſ. 17. cap. vbi clare dicitur a Deo ad Abraham de circunciſione. *Et erit ſignum pacti inter me & vos.* Ita quòd Abraham accepit carnalis circunciſionis ſignum: hoc eſt circunciſionem in ſignum. SIGNACVLVM IVSTITIÆ FIDEI QVÆ EST IN PRÆPVTIO. Superfluit *eſt.* Per hoc quòd circunciſionẽ accepit in ſignum pacti fœderis inter Deum, &c. Accepit ipſam in ſignaculum, hoc eſt tanquam characterem ſeu impreſſam notam non cuiuſcunque rei ſed iuſtitiæ habitæ ex fide in præputio. Ita quod circunciſionem dicit non ſolum ſignum diſtinctiuum populi aſciti à Deo, ſed etiam in ſpecie eſſe velut characterem iuſtitiæ imputatæ Abrahæ in præputio quia credidit Deo. Hæ ſunt igitur duæ vtilitates circunciſionis, hæc ſunt quæ conſecutus eſt Abraham in circunciſione carnali. VT SIT PATER OMNIVM CREDENTIVM PER PRÆPVTIVM. Ex re ſignificata ſignaculo circunciſionis (ſcilicet iuſtitia fidei imputatæ Abrahæ in præputio) deducit Apoſtolus veram paternitatem Abrahæ tam reſpectu incircunciſorum quàm circumciſorum. Et primò reſpectu incircumciſorum: dicendo, *vt ſit pater omnium credentium per præputium,* vt ab ipſo ſecundum fidem generentur omnes credentes incircuncisi: vtpote imitantes fidem Abrahæ adhuc incircuncisi. *Abraham pater omnium credentium.* Et hæc paternitas ſit illis vtilis, ſicut fuit vtilis fides ipſi Abrahæ: ſcilicet VT REPVTETVR ET ILLIS AD IVSTITIAM. illorum credere, ſicut reputatũ fuit Abrahæ patri.

ET SIT PATER CIRCVNCISIONIS. Ex eadem re ſignificata ſit etiam verus pater non carnalis ſed ſpiritualis circunciſionis: hoc eſt circunciſorum. NON IIS TANTVM QVI SVNT EX CIRCVNCISIONE. Corruptus eſt textus: *Legendum eſt, Iis qui non tantum ſunt ex circunciſione.* Solâ enim carnali circunciſione Abrahæ ſecundum legem gaudentes illi ſunt qui tantùm ſunt ex circunciſione: hoc eſt, qui ſolum conſtant ex hoc quod ſunt circunciſi. Quos Apoſtolus non comprehendit inter filios Abrahæ: imò ad differentiam talium dicit, *Iis qui non tantum ſunt ex circunciſione,* ſubiungendo, SED ET IIS QVI SECTANTVR VESTIGIA FIDEI, QVÆ EST IN PRÆPVTIO PATRIS NOSTRI ABRAHÆ. Superfluit verbum *eſt.* Ecce quorum in circunciſione eſt pater Abraham. Non ſufficit enim ad huiuſmodi filiationem quòd ſint circũciſi: ſed oportet quod imitentur fidem quam habuit Abraham in præputio. Hæc vera paternitas Abrahæ reſpectu vtrorumque deducitur ex re cuius ſignaculum eſt circunciſio: ſcilicet iuſtitia fidei Abrahæ in præputio. Et dixit hoc ad excludendam proprietatem quam ſibi Iudæi vſurpabant paternitatis Abrahæ reſpectu circunciſionis: hoc eſt, quod Abraham ſit proprius pater circunciſorum. Ex hoc enim quod non ſufficit circunciſio ad hoc vt ſit quis filius Abrahæ, ſed exigitur imitatio fidei Abrahæ, habetur quod paternitas Abrahæ non eſt carnalis, non eſt legalis ſecundum circunciſionem, ſed eſt ſpiritualis conſiſtens formaliter in generatione filiorum in eadem fide: quæ generatio communis eſt circunciſis & incircunciſis. Verſ. 12.

Verſ. 13. NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHÆ AVT SEMINI EIVS VT HÆRES ESSET MVNDI. Coniunctio *enim* teſtatur quod hæc particula inducitur ad probandum prædicta: ſcilicet quòd Abraham ratione iuſtitiæ fidei eſt communis pater credentium tam circunciſorum quàm incircunciſorum. Et cùm prius hoc probaſſet ex iuſtitia imputata Abrahæ tempore quo erat in præputio, modò hoc probat ex promiſſione facta Abrahæ iam circunciſo: vt arctius ad idem cogat Iudæos: promiſſio ſiquidem hæreditandi mundum facta legitur Abrahæ, Geneſ. 22. in illis verbis, *In te benedicentur omnes gentes.* In ipſius enim Abrahæ ſemine (ſcilicet Meſſia,) benedictæ ſunt vniuerſæ nationes, cùm Meſſias prius per fidem & demum per regnum conſtitutus eſt hæres, non terræ promiſſionis, non Aſiæ, non totius terræ, aquæ aut aeris, ſed mundi iuxta illud, *quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Et apte ex adimpletione *Geneſ 22. 18.* *In Abraha omnes benedicta omnes nationes.* *Hebr. 1. 2.*

tione promiſſæ hæreditatis probatur paternitas Abrahæ, nam in ſuo ſemine futurus erat hæres: ac per hoc illo modo comprobatur pater quo futura erat hæreditas. Cum itaque dicit *promiſſio non per legem*, non ſubauditur participium *facta*, ſed participium *adimplenda*: vt claré comprobat ſubiuncta ratio. Affert enim pro ratione quòd promiſſio facta Abrahæ de hæreditate mundi, non erat adimplenda per legem Moyſi. SED PER IVSTITIAM FIDEI, communis tam circunciſis quam incircunciſis ad imitationem fidei Abrahæ.

Verſ. 14. *Non per legem.* SI ENIM QVI EX LEGE HÆREDES SVNT. Ecce ratio patris negatiuæ: ſcilicet quòd non per legem adimplenda erat promiſſio. Et eſt ratio ducens ad inconueniens, imò ad contrarium adimplendæ promiſſionis. *Si enim qui ex lege*, hoc eſt, qui ſubditi ſunt legi Moyſi, conſtituti ſunt *hæredes* mundi. EXINANITA EST FIDES. Ecce inconueniens contrarium promiſſioni hæreditatis, euacuata eſt fides (quà fiunt dicta) a veracitate. *Promiſſio prior fide.* ABOLITA EST PROMISSIO. Addit promiſſio ſupra fidem: fides enim ſpectat ad executionem promiſſionis: promiſſio autem prior eſt. Et propterea augendo inconueniens dicit non ſolùm euacuari fidem, ſed etiam aboleri ſeu irritari promiſſionem. Quomodo autem vtrumque ſequatur, manifeſtat ſubiungendo.

Verſ. 15. LEX ENIM IRAM OPERATVR. hoc eſt, lex enim punit: operari enim iram, eſt efficere vindictam. Et hanc actionem legis probat ſubiungendo: VBI ENIM NON EST LEX, NEC PRÆVARICATIO. Supple imputatur ad pœnam. Vtrúque horum clarum ex ſe eſt: nam medium legis (quo ſcilicet lex trahit homines) eſt pœna. Et experientia teſtatur quòd in locis ſeu in actionibus exemptis à lege præuaricatio non imputatur ad pœnam. Quocirca vis rationis *Legis eſt punire.* conſiſtit in hoc quod quia legis eſt punire, imò quia proprium legis eſt punire, ad legem ſpectat exhæredare, indignos hæreditate priuare illos: ac per hoc ad legis actionem conſequitur non adimpletio promiſſionis: priuatis enim hæreditate non eſt implenda promiſſio, & ſic exinanitur fides, & aboletur promiſſio ex propria actione legis.

Verſ. 16. *Promiſſio per fidem implenda.* IDEO EX FIDE. Supponit Apoſtolus ſufficientem diuiſionem: aut per legem, aut per fidem adimplenda eſt promiſſio, & excluſa lege tanquam propria actione tendente ad contrarium, infert a ſufficienti diuiſione, ideo ex fide. Et tamen ſubiungit accommodam rationem quare per fidem adimplenda eſt prômiſſio, ſubiungendo: VT SECVNDVM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI. Lex ſcripta non ſolum minuit promiſſionem puniendo, ſed etiam non niſi ſecundum rationem debiti implet promiſſa: & hoc etiam ſolis ſubditis. Quo contra *Ex iiſdem res firmatur ex quibus fit.* fides quemadmodum eſt diſpoſitio hominis ad hoc vt Deus illi promittat, ita eſt firmatiua promiſſionis: ex iiſdem enim res firmatur ex quibus fit. Vnde cùm promiſſio facta Abrahæ fuerit ex fide, optime quadrat vt fide quoque firmetur executio. Ruſſus cum ita fides diſponat ad prômiſſionem vt non ex debito, ſed ex gratia fuerit promiſſio, conſequens eſt vt etiam adimpletio firmetur fide, vt ſit firma ſecundum gratiam: ac per hoc omni ſemini. Reddit ergo rationem quare ex fide, tangendo hæc omnia. Dicendo enim *vt ſecundum gratiam*, excludit debitum: fides enim imputatur ad iuſtitiam ſecundùm gratiam. Dicendo autem *firma ſit*, tangit actum congruum fidei. Et dicendo *omni ſemini*, comprehendit tam ſub lege quam ſine lege: vt ipſemet declarat, ſubiungendo, NON EI QVI, pro, *quod*, refertur enim ſemen neutri generis. EX LEGE EST SOLVM, SED ET EI QVI, pro, *quod*, EX FIDE EST ABRAHÆ, QVI PATER EST OMNIVM NOSTRVM. ſcilicet credentium.

SICVT SCRIPTVM EST. Geneſ. 17. QVIA PATREM MVLTARVM GENTIVM POSVI TE. Verſ. 17. Verba hæc ſunt Dei ad Abraham, ſcripta ibidem. ANTE DEVM CVI CREDIDISTI. pro *coram Deo cui credidit*. Non ſunt verba hæc ſumpta ex Geneſi, ſed ſunt adiecta a Paulo ad exponendum quali paternitate Deus poſuit Abraham patrem multarum gentium: exponit ſiquidem quòd non paternitate carnali quæ eſt coram hominibus, ſed paternitate ſpirituali quæ eſt coram Deo cui ipſe Abraham credidit, poſitus eſt pater multarum gentium. Hæc eſt enim paternitas qua Abraham eſt pater omnium credentium. QVI VIVIFICAT MORTVOS, ET VOCAT EA QVÆ NON SVNT TANQVAM EA QVÆ SVNT. Si verbum verbo reddendum eſt, legendum eſſet, *& vocat non entia tanquam entia*. Primum horum duorum (ſcilicet *qui viuificat mortuos*) miraculum ſignificat rei geſtæ: quoniam tunc viuificauit ad generandum tam mortuum corpus Abrahæ quam mortuam matricem Saræ. Hoc enim fuit cum Deus dixit, *patrem multarum gentium conſtitui te*. Alterum verò (ſcilicet & *vocat non entia*) ad promiſſos filios multarum gentium ſpectat: inter eos enim quidam futuri erant filij ſecundum carnem, quidam vero non, & tamen Deus *vocat non entia tanquam entia*, vocat non filios Abrahæ tanquam filios Abrahæ: vt in hoc ipſo ſignificetur paternitas ſpiritualis.

QVI CONTRA SPEM IN SPEM CREDIDIT. Verſ. 18. Græci textus non omnino concordant in verbis: veruntamen ſenſus in idem redit legendo, QVI PRÆTER SPEM IN SPE CREDIDIT VT FIERET PATER MVLTARVM GENTIVM. Significatur enim ad literam quod præter ſpem naturæ crediditſe fore patrem multarum gentium in ſpe diuinæ promiſſionis.

Vbi occurrit quæſtio quonam pacto Paulus *Paternitas illa Abrahæ an ſpiritualis an carnalis.* nunc dixit Abraham patrem omnium noſtrum, qui pater multarum gentium poſitus eſt, loquens proculdubio de paternitate ſpirituali; modo autem eundem Abraham dicit fore patrem multarum gentium mediante generatione carnali, nam proculdubio de generatione carnali loquitur, cum dicit quod præter ſpem in ſpe credidit, imò & expreſſe ſubiungit de mortuis corpore eius & vulua Saræ. Solutio eſt quod Abrahæ paternitas ſpiritualis adimplenda præcipuè erat per fidem Chriſti. Chriſtus autem ſecundùm carnalem generationem, promiſſus erat filius Abrahæ per Iſaac: & propterea ad paternitatem ſpiritualem Abrahæ exacta eſt fides carnalis generationis Chriſti ex Abraham per Iſaac. Vnde hæc duo non ſibi inuicem aduerſantur, ſed magis cohærent: vt ex hoc quòd ſperabat generando filium ſe futurum patrem multarum gentium, intelligamus quòd ſperauit generando Chriſtum ſe fore patrem omnium credentium.

SECVNDVM QVOD DICTVM EST EI. Superfluit *eſt.* Applicat Apoſtolus ad ſpem Abrahæ, cum nonagintanouem eſſet annorum, ea quæ longe ante fuerant reuelata eidem. Et ad hoc ſignificandò dicit, *ſecundum quod dictum eſt*: hoc eſt, ſecundum quod dictum fuerat præterito tēpore. SIC ERIT SEMEN TVVM. Hæc verba fuerat dicta

Geneſ. 15. 5. à Deo Abrahę, Gen. c. 15. præmittēte, *aſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes*: his enim dictis ſubiūxit, *ſic erit ſemen tuum*, ſcilicet innumerabile ad ſimilitudinem ſtellarum. SICVT STELLÆ COELI ET ARENA MARIS. Hæ ſex dictiones ſuperfluæ ſunt.

Verſ. 19. ET NON INFIRMATVS EST IN FIDE. Superfluunt verbum *eſt* & præpoſitio *in*. NEC CONSIDERAVIT. Continuanda eſt oratio. Et non legendum *nec*, ſed *non*. Ita quòd textus eſt, *Et non infirmatus fide non conſiderauit* CORPVS SVVM, EMORTVVM, QVVM IAM FERE CENTVM ESSET ANNORVM, ET MORTVAM VVLVAM SARÆ. Sententia eſt clara legenti hiſtoriam ſcriptam Geneſ. 17. & 18. & intelligenti quòd eſt ſermo de mortuo quoad generandum, & quòd nomine vuluæ non pudibundum muliebre, ſed quæ à medicis vocatur matrix intelligitur.

An conſiderauit Abrahàm emortuum corpus Sara contra hunc locum. At ſi obijciatur contra hæc Pauli verba, *non cōſiderauit emortuum corpus*, &c. quòd Abraham conſiderauit hæc: nam ſcriptum eſt Geneſ. 17. quòd Abraham audita promiſſione filij ex Sara *cecidit ſuper faciem ſuam & riſit, & dixit in*

Geneſ. 17. 17. *corde ſuo, num quid centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet*: In quibus verbis apparet Abraham minus credidiſſe conſiderando hæc. Solutio eſt quòd Abraham initio illius reuelationis non perceperat eſſe reuelationem aſſertiuam: & propterea contulit ſecum (reuerenter tamen) impedimenta naturæ tam in ſe quàm in Sara: contulit autem non minus credendo, aut dubitando de promiſſione Dei, ſed percunctando ſenſum diuinorum verborum, an verè ad ſignificandum hoc quod ſonabant dicta eſſent. Cuius ſignum eſt quòd ſubiungit Scriptura Deum poſtea dixiſſe, verè

Geneſ. 17. 19. *Sara vxor tua pariet tibi filium*, & tunc Abraham non conſiderauit vt dicit Apoſtolus, &c. Ita quòd verba Apoſtoli referenda ſunt ad tempus completæ reuelationis.

Verſ. 20. IN REPROMISSIONE, pro, *in promiſſione*, ſeu *ad promiſſionem*, ETIAM DEI NON HÆSITAVIT DIFFIDENTIA. Ex ſubiunctis verbis, *ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, habetur quòd hic eſt ſermo de promiſſione ſcripta. Geneſis 15. quando dictum eſt ei, *ſic erit ſemen tuum*, &

Geneſ. 15. 6 *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Poſtquam enim commendauit fidem Abrahæ abſque alia vacillatione cùm 90. eſſet annorum, commendat modò fidem Abrahæ etiam abſque vacillatione, cum longe prius fuerat ei facta promiſſio quòd ſemen eius foret innumerabile ſicut multitudo ſtellarum. Et adiunxit hanc commendationem, ne forte commendatio poſterioris fidei interpretaretur minoratio prioris fidei: præſertim quia poſteriorem fidem commendauerat, recolendo priorem reuelationem. Ad excludendam itaque hanc ſiniſtram interpretationem, commendat magis fidem Abrahæ in prima promiſſione ſeminis eius innumerabilis: vnde & plus dicit ſubiungendo, SED CONFORTATVS

Credere Deo eſt dare gloriam Deo. EST FIDE. Ibi dixerat, *non infirmatur fide*: hic dicit confortatum fide. DANS GLORIAM DEO. Ipſum credere Deo, eſt dare gloriam Deo tanquam veraci & potenti adimplere.

PLENISSIME SCIENS, pro *certificatus*, ſeu *certificatum*, QVOD QVÆCVMQVE PROMISIT DEVS, POTENS EST ET FACERE. Et inſinuatur per hoc quod viſio hæc non fuit ſimplex viſio, ſed cum effectu certificationis potentiæ ſupernaturalis Dei ſpecialiter ad implendam illam promiſſionem. Abraham ſiquidem ante illam viſionem certus erat de potentia Dei ſupernaturali in genere: ſed tunc certior eſt effectus in ſpecie de ſupernaturali potentia Dei reſpectu illius promiſſionis adimplendæ. Verſ. 21.

IDEO ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM. Verſ. 22.

NON EST AVTEM SCRIPTVM TANTVM PROPTER IPSVM, QVOD IMPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM. Verſ. 23.

SED PROPTER NOS, QVIBVS IMPVTABITVR CREDENTIBVS IN EVM QVI SVSCITAVIT IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM A MORTVIS. Repetit fidem ſimilem fidei Abrahæ eſſe non reſpectu cuiuſcumque crediti, ſed Ieſu Chriſti reſuſcitati à Deo. Et rationem rei creditæ ſubiungit. Verſ. 24.

QVI TRADITVS EST PROPTER DELICTA NOSTRA, hoc eſt, qui traditus eſt morti à Deo, à ſeipſo propter delicta noſtra delenda: iam enim dictum eſt quòd ſanguis Chriſti eſt pretium redemptionis noſtræ à ſeruitute peccati. Verſ. 25.

ET RESVRREXIT PROPTER IVSTIFICATIONEM NOSTRAM. Niſi Chriſtus reſurrexiſſet non fuiſſemus nos iuſtificati à peccatis noſtris, quamuis mortuus fuiſſet, & ſoluiſſet pretium pro nobis: quoniam non credidiſſemus. Sed ex eo quòd reſurrexit credimus: ac per hoc peruenit ad nos iuſtificatio, & propterea dicitur quòd reſurrexit propter iuſtificationem noſtram: hoc eſt, propter hoc, vt perueniret ad nos iuſtificatio. Et aptiſſimè imitatores fidei Abrahæ imputatæ ad iuſtitiam remiſſionem peccati, ſubrogat credentes in Deum per mediatorem Ieſum iuſtificantem nos à peccatis: vt fides fidei, imputatio imputationi, & iuſtitia iuſtitiæ reſpondeat. *Quomodo reſurrectio Chriſti cauſat iuſtificationem noſtram?*

CAPVT V.

IVSTIFICATI IGITVR EX FIDE. Declarata illa particula, *Iuſtitia enim Dei reuelatur in eo*, declaratur modò illa alia ibidem propoſita, ſcilicet *virtus*, ſeu *potentia enim Dei eſt in ſalutem omni credenti*: tractat autem hoc vſque ad capitulum nonum. Vnde & in principio huius capituli proponit ſalutem in quatuor bonis quæ habent iuſtificati ex fide per Ieſum Chriſtum, tractaturus per hæc capitula, hæc quatuor bona quæ habemus per gratiam annunciatam Euangelio: in hoc enim manifeſtè apparet quòd Euangelium ſecundum rem euangelizatam potentia Dei eſt in ſalutem omni credenti. PACEM HABEAMVS, pro *habemus*, AD DEVM. Hoc eſt primum bonum ex quo conſtat ſalus iuſtificatorum ex fide: ex illa ſiquidem iuſtificatur ad Deum, tranſlati ſunt in ſtatum pacis ad Deum: vt ſcilicet viuant cum Deo tanquam pacem habentes: vt ſolent viuere homines apud principes ad Verſ. 1. *Quatuor bona iuſtificatorum.* *Primum. Pax ad Deũ*

ad quos habent pacem. PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Declarat mediatorem pacis.

Verſ. 2. PER QVEM HABEMVS. Legendum eſt *habuimus*: & deeſt coniunctio *&*. Ita quòd legendum eſt, *Per quem & habuimus* ACCESSVM, ſeu *aditum*. Declarat Ieſum mediatoré non ſolùm pacis iuſtificatorum, ſed etiam acceſſus ſeu aditus in ipſam gratiam iuſtificationis: vt intelligamus vnum atque eundem mediatorem in via & in termino, hoc eſt, in acceſſu & in pace ſubſecuta. PER FIDEM. pro *fide*. Explicat ſiquidem modum acceſſus fuiſſe fide. Ita quod per Ieſum vt mediatorem, *fide*, hoc eſt credendo, habuimus acceſſum, IN GRATIAM ISTAM, ſcilicet iuſtificationis. Iam enim dictum eſt quod ex diuina gratia fides imputatur ad iuſtificationem, & propterea fide aditum habuimus in gratiam iſtam iuſtificationis, IN QVA STAMVS, pro, *ſtetimus*. Paulus in perſona iuſtificatorum perſeuerantium loquitur, connumerans ſe illis (vt vere erat vnus ex illis) non abſque myſterio: ſed vt percipiamus quòd de iuſtificatis ſimilibus ſibi verificantur hæc quatuor bona, & non de imperfectis quamuis iuſtificatis: vt hinc quilibet Chriſtianus diſcat quantùm ſibi deeſt iuſtificationis perfectæ: contemplando enim hæc iuſtificatorum bona, videmus imperfectiones noſtras.

Secundum: Gloriari in ſpe gloriæ. ET GLORIAMVR IN SPE GLORIÆ FILIORVM DEI. Superfluit *filiorum*. Secundum bonum ex quo conſtat ſalus credentium quod habent iuſtificati, eſt hoc, ſcilicet gloriari in ſpe gloriæ Dei. Et directè gloriatio hæc reſpicit cæleſtis patriæ gloriam, quam iuſtificati ſperant: illa enim propriè eſt gloria Dei quæ ſperatur à nobis. Ita quòd hoc ſecundum bonum non ſolum comprehendit ſpem diuinæ gloriæ adipiſcendæ in cæleſti patria, ſed etiam gloriationem & velut iactantiam quamdam noſtram in tali ſpe. In qua gloriatione ſignificatur ſecuritas aſſequendi rem ſperatam.

Verſ. 3. NON SOLVM AVTEM. Supple, hanc gloriationem habemus. SED ET GLORIAMVR IN TRIBVLATIONIBVS, pro, *afflictionibus*. Ecce tertium

Tertium. Gloriari in afflictionibus. bonum ſalutis noſtræ quod habent hic iuſtificati, ſcilicet gloriari in afflictionibus. Prima gloriatio eſt reſpectu futuræ in alia vita felicitatis, hæc autem eſt reſpectu præſentium malorum pœnæ. Rurſus prima gloriatio eſt ratione animæ ſperantis: hæc autem eſt ratione corporis & reliquorum exteriorum bonorum. Inſinuat ſiquidem Apoſtolus per hæc quod gloriatio iuſtificatorum quoad bona animæ reſpicit futuram gloriam: quoad bona verò corporis reſpicit præſentem afflictionem, ita quod non gloriantur de bonis corporis aut exteriorum rerum, ſed de afflictionibus tam in corpore quam in rebus. SCIENTES. Manifeſtat vtramque gloriationem dupliciter, ſcilicet ex parte Spiritus ſancti, & ex parte Filij Dei. Manifeſtat autem rationem quòd gloriatio vtraque non eſt vana, ſed eſt bene fundata, firma & certa. Procedit verò primùm declarando, artificioſo progreſſu inchoans ab afflictione quæ eſt materia ſecundæ gloriationis: & tranſiens per ſpem quæ eſt materia primæ gloriationis, & perueniens ad charitatem Dei per Spiritum ſanctum, quæ eſt ratio ſtabiliens vtramque gloriationem. Vide ſingula. QVOD TRIBVLATIO. pro, *afflictio*, PATIENTIAM OPERATVR. Intellige materialiter & occaſionaliter: afflictio enim materia eſt patientiæ, & eſt occaſio vt patientiæ virtus exerceatur: ſicut copia rerum eſt materia libertatis, & occaſio exercendæ liberalitatis. *Afflictio eſt materia patientiæ.*

PATIENTIA AVTEM PROBATIONEM. vt cauſa effectum. Siue *probatio* ſumatur pro experimentum facere, ſiue pro illius termino, qui eſt laudatio ſeu commendatio. Patientia ſiquidem vtrumque efficit, nam & experimentum facit animi patientis, & probatum ſeu laudatum reddit animum ſufferentem. PROBATIO VERÒ SPEM. occaſionaliter confortando & augendo ſpem: probatus enim animus, & roboratur & augetur in ſpe gloriæ Dei. Verſ. 4.

SPES AVTEM NON CONFVNDIT. pro, *non pudefacit*, hoc eſt, non afficit hominem verecundiâ, non facit vt pudeat hominem ſuæ ſpei. Ad hoc enim tendit vis progreſſus: nam diligenter intuenti, artificioſè Paulus reduxit vtramque gloriationem ad ſpem. Et de ipſa dicit quòd non fecit hominem pudere, proculdubio ſuæ ſpei. QVIA CHARITAS, pro, *dilectio*, DEI DIFFVSA, pro, *effuſa*, EST IN CORDIBVS NOSTRIS PER SPIRITVM SANCTVM QVI DATVS EST NOBIS. Efficeret ſpes vt puderet nos ſpei quam habemus de gloria, niſi haberemus firmitatem noſtræ ſpei. Huiuſmodi autem firmitas vt poſſimus aſſequi gloriam Dei, pendet ex amore Dei erga nos: certum eſt enim quòd Deus poteſt & ſcit communicare gloriam ſuam nobis: ſed in hoc pendet totum an velit illam nobis: quod eſt amare nos ad illam. Et propterea ſolidum ſpei fundamentum ex dilectione Dei erga nos manifeſtat dicendo *quia dilectio Dei*. Et quoniam dilectio Dei erga nos, diſtinguitur ſecundum genera bonorum quæ nobis vult Deus (alia eſt enim dilectio quâ vult Deus nobis bona naturalia, & alia quâ vult nobis bona ſupernaturalis gratiæ & beatitudinis) ideo ad differentiam dilectionis diuinæ qua condita ſunt corda noſtra, ſubiungit: *effuſa eſt in cordibus noſtris*, hoc eſt, largiter collata eſt ſecundùm ſuos effectus & ſimilitudinem, *in cordibus noſtris*, in intimis animarum noſtrarum. Et modum effuſionis ſubiungit dicendo *per ſpiritum ſanctum*, non per ſpiritum naturæ. Et ne ambiguum quid aut inopinatum ſuſpiceris, ſubiungit, *qui datus eſt nobis*: acceperat ſiquidem Paulus (ſicut & alij Apoſtoli & iuſtificati perſeuerantes in principio Eccleſiæ) ſpiritum ſanctum cum tanta donorum ſupernaturalium affluentia, vt experirentur in ſeipſis dilectionem Dei effuſam in propriis cordibus, tum in multis donis ſupernaturalibus, tum in præcipuo dono ſimilitudinis dilectionis Dei: hoc eſt, dilectionis eorum erga Deum. Vnde patet quòd primum fundamentum ſpei explicat dilectionem Dei erga nos, largè effuſam in nobis per ſpiritum ſanctum habitantem in nobis: in quo clauditur reciproca dilectio noſtrâ erga Deum tanquam pars effuſionis.

Solidum ſpei fundamentum eſt dilectio Dei in nos.

Verſ. 6. VT QVID ENIM CHRISTVS QVVM ADHVC INFIRMI ESSEMVS. Dictio interpretata *vt quid*, anceps eſt ad *adhuc* vel *etiam* ſeu *præterea*. Et quod dicitur *cùm adhuc infirmi eſſemus*, verbum verbo reddendo, legendum eſt *exiſtentibus nobis infirmis*. Quò fit vt varia ſit textus interpretatio: dum quidam legunt, *adhuc enim*

Varia hic interpretatione textus.

Chriſtus

Chriſtus exiſtentibus nobis infirmis. Et referunt illud *adhuc* ad participium *exiſtentibus*: ita quod ſenſus eſt, quia Chriſtus exiſtentibus adhuc nobis infirmis. Alij autem legunt: *præterea* ſeu *etiam* ſeu *amplius, enim Chriſtus exiſtentibus nobis infirmis.* Et eſt ſenſus: præter hoc quod diximus de dilectione Dei erga nos per ſpiritum ſanctum, ſubeſt alia ratio: quia Chriſtus exiſtentibus nobis infirmis, &c. Vitiata dicitur dictio hæc in hoc vltimo ſenſu, cùm continuatur ratio rationi: quemadmodum ſcriptores Latini vtuntur *præterea* ſeu *amplius* ſeu *etiam*. Et ſenſu meo ſatis quadrat huic loco: addit enim ad idem rationem ex parte Chriſti rationi dictæ ex parte ſpiritus ſancti. Clarior tamen lectio eſſet, ſi legeretur: *præterea nam Chriſtus exiſtentibus nobis infirmis* hoc eſt, impotentibus (proculdubio ſecundum animam) ad opera ſalutis. SECVNDVM TEMPVS. Dictio interpretata *tẽpus* plus ſignificat quam tempus: ſignificat enim *tẽpus opportunum*: eo modo quo dicimus de aliquo, qui, cum oportuit, tunc aduenit, quòd venit in tempore, ſignificantes quòd venit tempore congruo, tempore quo oportuit. Intendit enim & ſignificat Paulus quòd Chriſtus *tempore congruo*, tempore quo oportuit (ita quòd nec tardauit nec præuenit) redemit nos morte ſua. PRO IMPIIS MORTVVS EST. Collige tres conditiones, prima eſt indigentiæ humanæ, ſignificatæ per infirmitatem: ſecunda eſt congruitas temporis: & tertia eſt impietas hominum. Et appellantur homines impij impietate verſus cœleſtem patrem & patriam.

Verſ. 7. *Ponderat Apoſtolus, quòd Chriſtus pro impijs mortuus eſt.*

VIX ENIM PRO IVSTO QVIS MORITVR. pro, *morietur*. Librat Paulus *pro impiis*, ex eo quod rarus inuenitur qui moriatur pro iuſto: & ſi rarus, aut nullus inuenitur qui moriatur pro iuſto, cõſequens eſt vt nullus inueniatur qui moriatur pro impio. NAM PRO BONO FORSITAN QVIS AVDEAT, pro, *audet*, MORI. Vniuerſus iſte ſermo intra latitudinẽ mortis voluntariè ſubeundæ pro altero homine, intelligendus eſt. Ita quòd duabus conditionibus vallatur. Altera eſt vt quis eligat mori, & hoc ad differentiam præliantium: præliantes enim non eligunt mori, ſed pugnant vt vincant, malentes euadere ſi poſſent. Altera eſt vt eligatur mors pro altero, hoc eſt, ſalute alterius: propterea enim dicit quòd rarus aut nullus eſt qui pro iuſto moriatur: pro bono autem, hoc eſt, pro viro autem non ſolum iuſto, ſed etiam ſupererogationis bonis prædito, forſitan inuenietur aliquis audens eligere mortem: verbi gratia pro ſaluando Elia forte inuentus fuiſſet eligens mori, ſed pro ſaluando homine quocunque iuſto vix inuenietur qui eliget mortem. Et in hoc commendatur Chriſtus qui elegit mori, non pro bono nec pro iuſto, ſed pro impiis.

Verſ. 8. COMMENDAT AVTEM CHARITATEM SVAM DEVS IN NOBIS. pro *in nos*. Vim rationis intentæ, narrato facto Chriſti explicat, quòd hac etiam alia via dilectionem ſuã erga nos Deus commendat. In priore ſiquidem ratione declarata eſt charitas Dei erga nos penes intima in nobis: in hac autem ratione declaratur penes extrinſeca, qualis eſt mors Chriſti. QVONIAM CVM ADHVC PECCATORES ESSEMVS SECVNDVM TEMPVS,

Verſ. 9. CHRISTVS PRO NOBIS MORTVVS EST. Manifeſta eſt charitas hæc: & manifeſtata amplius ex dictis. Et ſuperfluunt illæ duæ dictiones *ſecundum tempus*. MVLTO IGITVR MAGIS NVNC IVSTIFICATI IN SANGVINE IPSIVS. Ecce alterum fundamentum ſpei ſatis clare deductum in litera. Ad ſpem enim ſpectat quod dicitur, SALVI ERIMVS AB IRA: hoc eſt, a vindicta vltimi iudicij. PER IPSVM.

Verſ. 10 SI ENIM CVM INIMICI ESSEMVS, RECONCILIATI SVMVS DEO PER MORTEM FILII EIVS, MVLTO MAGIS RECONCILIATI, SALVI ERIMVS IN VITA IPSIVS. Collige, prudens Lector, quatuor nomina humani generis in hac ratione: appellantur ſiquidem *infirmi*, contra potentiam: *impii*, contra bonam voluntatem: *peccatores*, contra rectitudinem mentis: & *inimici*, contra ſtatum in quo conditi ſunt. Et multiplicat argumenta: nam vbi prius argumentatus eſt ex contrarietate qualitatum noſtrarũ (penès hæc quòd ſi pro infirmis, impiis, peccatoribus, ac inimicis, &c.) modo colligendo arguit ex contrarietate mortis & vitæ ipſius Chriſti: quòd ſi mors Chriſti tantum valuit pro inimicis, multò magis vita Chriſti qui reſurrexit valebit pro iam reconciliatis ad ſalutem æternam quam ſperant. Hoc eſt enim ſolidum ſpei noſtræ fundamentum.

Quatuor epitheta hominum.

Verſ. 11. NON SOLVM AVTEM. Reſpectu duplicis gloriationis antedictæ & fundatæ dicit *non ſolum*: intendens ſiquidem adiungere quartum bonum quod iuſtificati ex fide habent, continuat dicendo *non ſolum autem*, ſcilicet gloriamur in tribulationibus. SED ET GLORIAMVR IN DEO. Tertia hæc eſt gloriatio. Ita quòd primum bonum prouenĭens iuſtificatis, eſt, pax ad Deum: & huic adiungitur triplex gloriatio: prima in ſpe gloriæ Dei, ſecunda in afflictionibus: & tertia in Deo. Et per hæc conſtituuntur quatuor bona iuſtificatorum, per quæ Euangelium potentia Dei eſt ad ſalutem efficiendam. Tantum autem differt gloriatio in ſpe gloriæ Dei à gloriatione in Deo, quantùm differt gloria Dei à Deo, quantum diſtat effectus à cauſa: nam quam ſperamus gloriam Dei, effectus Dei eſt: vtpote ipſa cœleſtis patriæ beatitudo: gloriantur autem iuſtificati non ſolum ratione ſperatæ beatitudinis, ſed ratione ipſius Dei (in quo totius ſalutis ſumma conſiſtit) qui eſt pro ipſis. Ex his talibus tamque magnis bonis iuſtificatorũ apparet quòd de effectibus iuſtificationis nõ qualitercunque ſed, ſi dicere licet, *in ſummo* Paulus loquitur. Hi enim effectus non ſunt propriè loquẽdo in omnibus iuſtificatis, vt patet: ſed quantũ eſt ex parte iuſtificationis, ſunt in omnibus iuſtificatis ſtătibus (hoc eſt perſeuerantibus) niſi impedimentũ ipſimet ponant. Propter quod ſignificanter dixit *in qua ſtetimus*: vt ſcilicet ſignificaret iuſtificatos perſeuerantes, non qualitercunque, ſed ſicut ipſe Paulus & ſibi ſimiles perſeuerabant: ad hoc enim in prima perſona loquitur communicans ſe aliis iuſtificatis ſtantibus habentibus huiuſmodi dona: vt prætactum eſt. PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Idem mediator in hac vltima gloriatione deſcribitur: quia ipſe eſt ratio quod gloriemur in Deo. PER QVEM NVNC. Tempus demonſtrat noui Teſtamenti. RECONCILIATIONEM ACCEPIMVS, de ſtatu inimicitiæ in ſtatum pacis mutari.

Quartum bonum iuſtificatorum.

Gloriatio in Deo.

PROPTEREA SICVT PER VNVM HOMINEM. Hic Verſ. 12.

De his quatuor iuſtificatorũ bonis incipit hic diſſerere Apoſtolus.

incipit tractare prædicta quatuor bona iuſtificatorum, inchoans a *pace*. Vnde dicit *propterea*, hoc eſt, propter hanc reconciliationem quam accepimus faciendam: reconciliationis ſiquidem terminus pax eſt. Et cum *pax* ſignificet non actionem aut paſſionem, ſed bonum tranquilli ſtatus, intendit Apoſtolus deſcribere pacem iuſtificatorum a ſtatu contrario (hoc eſt, ſtatu peccati) & aperire iuſtificatos conſecutos ſtatum pacis per Ieſum Chriſtum à ſtatu peccati, tali ordine. Primo enim oſtendit liberatos eſſe a peccato, deinde ab augmento peccati, poſtea ab extrinſeca occaſione augẽdi peccatũ, quæ eſt lex Moyſi, & demũ à lege peccati, quamuis non ex parte carnis: vt ſic patefaciat à contrario, quantum bonum aſſequuntur iuſtificati.

Contextus exponitur.

Declarat itaque communem hominum ſtatum in peccato aſſumendo vnam ſimilitudiné cuius altera pars differtur, adeò quòd videtur textus mancus: non tamen eſt mancus: ſed inchoatà ſimilitudine proſequitur hoc membrum, vſquequo reſumendo hoc mẽbrum explicet aliud membrum ſimilitudinis, ibi, *igitur ſicut per vnius delictum*. Maneat ergo ſuſpenſum in mente lectoris aduerbium *ſicut*, quantum ad id in quo tenet ſimilitudo: & interim aduertat eruditus lector Paulum excludere ea in quibus non tenet ſimilitudo. Quod vt clariùs penetres, ſimilitudo intenta eſt inter delictum primi hominis & iuſtitiam Chriſti, & antequam declaret penes quid verificetur *ſicut*, excludit duo in quibus non verificatur *ſicut*, & propterea mancus apparet ſermo, qui in veritate non eſt mancus, ſed ſuſpenſus propter dictas excluſiones medias.

Et dicit *per vnum hominẽ* (ſcilicet Adam) cùm tamen duo fuerint homines, primi parẽtes, ſcilicet Eua & Adã, quia pro nihilo ſupputat mulierẽ, vt hinc intelligamus, quòd ſi Adã non peccaſſet, quamuis Eua peccaſſet, non fuiſſet infectũ genus humanum. PECCATVM IN HVNC MVNDVM INTRAVIT. Superfluit *hunc*. Certũ eſt quòd de peccato Adæ eſt ſermo. Quod cum fuerit ſimul actuale ac originale vtroque modo vtitur hic illo Paulus: dicendo enim per vnum hominem intraſſe peccatum, quatenus originale eſt tractat: nam actuale prius per Euam, & prius per diabolum intrauerat.

Si Adam non peccaſſet Eua peccante non fuiſſet infectum genus humanum.

Geneſ. 2. 17. ET PER PECCATVM MORS. In Geneſi clare habetur: *In quacumque die comederis ex eo morte morieris* neceſſitatem moriendi incurres: & ſic per peccatum ſecuta eſt pœna mortis. Et ex hac pœna iterum apparet quòd de peccato Adæ quatenus originali, eſt ſermo: nam pœna mortis inflicta ei pro tota poſteritate, teſtatur peccatum cuius eſt pœna, imputari ei & toti poſteritati.

Per peccatũ mors in renatus in omnes homines.

ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT. Non ſuffecit Paulo dixiſſe hæc duo (ſcilicet peccatum & mortem) per vnum hominem intraſſe in mundum: ſed ne ſuſpicateris intraſſe quidem hæc in mundum: ſed non ſparſa in omnes, adiunxit non ſolum intraſſe hæc in mundum, ſed in omnes homines. Et hoc retrogrado ordine ſubiungit: inchoando ſcilicet a morte, dum dicit: *& ita in omnes homines mors pertranſiit*. Subſequenter verò redit ad peccatum, dicendo, IN QVO OMNES PECCAVERVNT. Dictio Græca interpretata *in*, anceps eſt ad *propter* vel, *in*, ideo vtroque modo poteſt legi: vel *propter quod omnes peccauerunt*, vel *in quo omnes peccauerunt*. Et ſi legitur *in quo*, coniunctio harum dictionum in Græco para ſenſum quodammodò vnius aduerbij ſeu coniunctionis: vt idem ſit ſenſus legendo *propter quod* & *in quo*. Teſtis Cicero, qui has iunctas dictiones interpretatur *in eo quod*. Et hic sẽſus aptiſſimè quadrat contextui & vero ſenſui: nam ſignificatur mortem pertrãſiſſe in omnes in eo quòd omnes peccauerunt, hoc eſt, propter hoc quòd omnes peccauerunt. Ita quòd ſignificatur mors communis omnibus ratione peccati cõmunis omnibus: ne intelligeres mortis quidem pœnam communem omnibus: peccatum autem non commune omnibus. Non ſic vult intelligi Paulus: ſed pœnam mortis communem omnibus ratione peccati communis omnibus.

VSQVE AD LEGEM ENIM. Declaratã cõmunitate tam peccati quam mortis, ſubiũgit diuerſos ſtatus vtriuſque in mundo. Alter eſt ab Adam vſque ad Moyſen: alter poſtea. Et quãuis vtrumque ſtatum ſimul patefaciat, pro quanto manifeſtato vno manifeſtatur ex cõſequẽti alter, directe tamen, & explicitè modò proſequitur ſtatum ante legẽ, poſtea autẽ proſequetur ſtatum ſub lege, ibi *lex autem*. Ratio autem quare Paulus proponit non ſolũ peccatum primi hominis, ſed diuerſos illius ſtatus, eſt duplex. Altera eſt vt hinc patefaciat per gratiã Chriſti liberari homines non ſolum a peccato, ſed ab abundantia peccati quæ fuit ſub lege: altera eſt vt hinc occaſionem habeat patefaciendi quòd gratia Chriſti ſicut liberat ab abundantia peccati, ita liberat à iugo legis quæ eſt occaſio augmenti peccati. Differentia itaque implicite & ex conſequenti hic prælibata eſt duplex; & quoad peccatum quidem differentia conſiſtit penes imputationem & non imputationem, non penès eſſe. Et propterea dicit quod vſque ad legem, quod comprehendit tempus primi ſtatus. PECCATVM ERAT IN MVNDO. Ita quòd Moyſes qui tradidit hoc peccatum in Geneſi, non finxit hoc peccatum, ſed erat ſparſum in mundo: ita ante legem ſicut poſt legem extenſum eſt: & in hoc non eſt differentia. Verſ. 13.

PECCATVM AVTEM NON IMPVTABATVR CVM LEX NON ESSET, pro, *Peccatum autem non imputatur lege non exiſtente*. Ecce differẽtia ex communi ratione legis declarata. Cõmune eſt omni loco ac omni tempori quod non exiſtente lege, cuius eſt punire, peccatum non imputatur ad pœnam: & proptérea habetur iſta differentia in propoſito, quod non exiſtente lege Moyſi, peccatum quod erat in mundo commune omnibus, non imputabatur ad pœnam: minus dicit, quia nec cognoſcebatur. Adueniente autem lege Moyſi, peccatum quod erat in mundo imputatum eſt ad pœnam: declarante hoc lege, eſt enim ſermo de imputatione humana.

SED REGNAVIT MORS AB ADAM VSQVE AD MOYSEN. Ecce differentia quoad mortem. Et conſiſtit in hoc quod ab Adam vſque ad Moyſen mors regnauit, poſtea vero habita eſt pœna, ita quod mors non reputatur pœna peccati, ſed velut habens regnum iure naturæ in omnes: adueniente autem lege Moyſi cognita & habita eſt pœna peccati communis humano Verſ. 14.

Regnauit mors ab Adã vſque ad Moyſen.

no generi. ETIAM IN EOS QVI NON PECCAVERVNT IN SIMILITVDINEM. pro, *in ſimilitudine*, PRAEVARICATIONIS ADAE. Ad clarè explicandum communitatem peccati in omnibus abſque exceptione tam paruulorum quàm iuſtorum, dicit *etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudine præuaricationis Adæ.* Paruuli enim etſi peccatum habent, non tamen peccauerunt ſimili tranſgreſſione tranſgreſſioni Adæ: quoniam nunquam peccauerunt actualiter. Iuſti quoque etſi peccauerunt etiam actualiter, non tamen peccauerunt ſimili tranſgreſſione tranſgreſſioni Adæ: vtpote qui numquam tranſgreſſi ſunt actuali peccato præceptum Dei: qualis tamen fuit tranſgreſſio Adæ: nam diuinum præceptum ſibi factum tranſgreſſus eſt. *Qui eſt forma futuri.* Græca dictio anceps eſt ad futurum in maſculino vel neutro genere: ſicut & Latina: & propterea poteſt eſſe ſenſus duplex. Alter eſt, qui typus ſeu figura futuri Adæ, hoc eſt Chriſti: inchoata ſiquidem eſt ſimilitudo *ſicut per vnum hominem*, &c. Et tenet figuratio penès hoc quòd Adam fuit pater peccati & mortis, Chriſtus autem pater iuſtitiæ & vitæ. Alter eſt: Adam eſt typus, hoc eſt, velut forma exemplaris, futuri peccati: quoniam ab eo deductum eſt peccatum totius humani generis, velut à typo exprimitur forma. Vtrumque eſt verum: elige lector ſenſum quem vis. In vtroque tamen ſenſu futurum dicitur reſpectiuè non ad tempus Pauli ſed Adæ.

Adam forma futuri, quid.

Verſ. 15. SED NON SICVT DELICTVM ITA ET DONVM. Antequam (vt dictum eſt) explicet ſimilitudinem, excludit ſimilitudinem, quoad vtrumque, ſcilicet & quoad peccatum & quoad mortem. Et prima diſſimilitudo conſiſtit referendo hinc peccatum Adæ ad limitatam pœnam (ſcilicet mortem) inde verò referendo gratiam Chriſti ex gratia Dei ad exuberandum in donum: vt intelligamus longè diſſimile eſſe donum per Chriſtum collatum humano generi, morti illatæ humano generi per delictum Adæ: quoniam mors certa quædam pœna eſt, donum autem Chriſti immenſum eſt. Et ad hoc inferuntur cauſæ tantæ redundantiæ duæ: altera principalis, ſcilicet gratia Dei; altera inſtrumentalis, ſcilicet gratia Ieſu Chriſti hominis. Vide ſingula. SED NON SICVT DELICTVM. Nota aduerbium *ſicut*: quoniam diſſimilitudo explicatur penes modum, ITA ET DONVM: ſupple *Chriſti.* SI ENIM VNIVS DELICTO MVLTI MORTVI SVNT. Ecce modus quo delictũ infert mortem, quòd ſcilicet delictum vnius (Adæ) tam potens fuit quòd conſtituit mortuos multos: multitudinem ſcilicet humani generis. MVLTO MAGIS. Ecce principium diſſimilitudinis: multo maiori potentia. GRATIA DEI ET DONVM. E regione mortis ponit hæc duo, gratiam Dei & donum, ad comprehendendum omnia tam extrinſeca quàm intrinſeca beneficia diuina collata humano generi per Chriſtum. IN GRATIA VNIVS HOMINIS IESV CHRISTI. Contra delictum vnius hominis (ſcilicet Adæ) locat gratiam vnius hominis Ieſu Chriſti: vt quanto potentior eſt gratia delicto, quanto excellentior eſt Chriſtus Adam, tanto clarior appareat diſſimilitudo. IN PLVRES. pro, in multos. Nulla ſignificatur differentia penes multitudinem hominum: quoniam hinc & inde deſcribuntur multi. ABVNDAVIT. pro, *exuberauit.*

Delictum vnius occidit multos.

ET NON SICVT PER VNVM PECCATVM, ITA Verſ. 16.
ET DONVM. Interpretes addiderunt aduerbium & coniunctionem, ſcilicet *ita &*. Et neſcio quo errore legitur *peccatum*, pro, *qui peccauit*. Legendum itaque eſt ſic; *Et non ſicut per vnum qui peccauit donum.* Et eſt ſenſus: & donum non eſt ſicut per vnum qui peccauit. Altera ſimilitudo excluditur. Et conſiſtit diſſimilitudo in hoc, quod peccatum Adæ vnius meruit diuinum iudicium in condemnationem: donum autem Chriſti multis reſpondet delictis in iuſtificationem. Intendit enim magnificare donum Chriſti ex hoc quod reſpondet ſufficienter innumerabili multitudini delictorum humani generis: condemnatio autem Adæ, vnius tantum hominis delicto reſpondet. Vnde & dicit, NAM IVDICIVM QVIDEM, diuinum, ſcriptum in Geneſi contra Adam. EX VNO, ſcilicet, peccante. IN CONDEMNATIONEM. ibi latam. GRATIA, pro, *donum* ſupple Chriſti. AVTEM EX MVLTIS DELICTIS. ex multitudine delictorum humani generis. IN IVSTIFICATIONEM. multitudinis hominum.

SI ENIM VNIVS DELICTO MORS REGNAVIT Verſ. 17.
PER VNVM. Tanquam colligens vtramque diſſimilitudinem ad amplius explicandum & adiungendum, format argumentum: quod ſi vnius delicto mors regnauit per vnum. MVLTO MAGIS ABVNDANTIAM, pro, *exuberantiam* GRATIAE. proculdubio diuinæ. ET DONATIONIS ET IVSTITIAE. pro, *& doni iuſtitiæ*, ACCIPIENTES. Dicit *doni iuſtitiæ* contra peccatum diffuſum per vnum. IN VITA REGNABVNT. contra regnum mortis. PER VNVM IESVM CHRISTVM. contra vnum Adam.

IGITVR SICVT VNIVS DELICTVM. Declaratis Verſ. 18.
diſſimilitudinibus reſumit inchoatam ſimilitudinem vt integret illam. IN OMNES HOMINES. Ecce vis ſimilitudinis, quòd delictum Adæ fuit delictum in omnes homines ſuapte natura redundans: quoniam peccauit, quamuis vnus tamen vt caput naturæ humanæ. Quod autem dicit *in omnes homines*, intellige puros homines: ad differentiam illius qui homo & Deus ſimul eſt. IN CONDEMNATIONEM. Vtrumque dicit: & quod delictum Adæ fuit in omnes homines, & quod fuit in condemnationem: vt explicet amborum communitatem, ſcilicet delicti & condemnationis: hoc eſt pœnæ. SIC ET PER VNIVS IVSTITIAM. pro, *iuſtificationem.* Declarat ſimilitudinem proportionalem, è regione delicti vnius hominis locans iuſtificationem etiam vnius, proculdubio Ieſu Chriſti. IN OMNES HOMINES. Suapte natura iuſtificatio Chriſti in cruce fuit in omnes homines: quoniam ipſe eſt caput totius Eccleſiæ à principio mundi vſque ad finem: & propterea meritum ipſius eſt ſuapte natura meritum omnium quantùm ad ſufficientiam. IN IVSTIFICATIONEM VITAE. E regione condemnationis ponit non vitam, ſed iuſtificationem vitæ: quoniam in hoc tempore per meritum Chriſti non conſequimur vitam corporis, ſed iuſtificationem vitæ, ſed iuſtificationem vitalem etiam ſecundum corpus in futuro ſeculo.

Delicto Adæ opponitur iuſtificatio Chriſti.

SICVT ENIM PER INOBEDIENTIAM VNIVS Verſ. 19.

HOMINIS. Explicat ſimilitudinem à ſpecie peccati, & quod toties delictum Adæ nominauit, modò ſpeciem delicti patefacit fuiſſe inobedientiam. Et aptè inobedientia appellatur peccatum Adæ, quoniam non fuit peccatum ex obiecto ſeu materia. Comeſtio enim illa fuit non ex ſe mala, ſed quia prohibita, & propterea inobedientiæ aſcribitur.

Inobedientia peccatum Adæ.

PECCATORES CONSTITVTI SVNT. pro, *ſumus*, MVLTI. Non ſolùm explicat ſpeciem delicti Adæ, ſed etiam explicat modum quo delictum illud imputatur reliquis: dicendo quòd ſumus conſtituti peccatores; vt abſque vlla ambiguitate intelligamus non ſolùm pœnam peccati, ſed peccatum ipſum omnes nos incurriſſe per inobedientiam vnius. Vbi clariſſimè explicatur peccatum originale: dicendo enim quòd per inobedientiam vnius ſumus conſtituti peccatores, apertiſſimè ſignificat quòd per illam inobedientiam concepti ſumus peccatores. Dicendo ſiquidem *conſtituti ſumus*, manifeſtat quòd ſine operibus noſtris conſtituti ſumus peccatores per illius inobedientiam: quod eſt omnes nos habere peccatum originale: vnde & commemorauit ſeipſum Paulus in hoc multitudini humanæ. ITA ET PER VNIVS OBEDITIONEM, pro, *obedientiam*, proculdubio quâ *factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*. IVSTI CONSTITVENTVR MVLTI, etiam ſine propriis operibus: vt patet in Baptiſmo. Ita quòd ſicut per hoc quòd homines generantur ab Adam conſtituuntur peccatores, ita per hoc quòd generantur à Chriſto per Baptiſmum conſtituuntur iuſti.

Peccatum originale

Philipp. 2. 8.

Commune omnibus, vt & iuſtitia Chriſti.

Et ex hac Pauli doctrina habes non ſolum peccatum originale commune omnibus hominibus, ſed etiam iuſtitiam Chriſti communem omnibus hominibus: ac per hoc infantibus: alioquin potentius eſſet peccatum Adæ iuſtitiâ Chriſti: quia illud extenderet ſe ad infantes, & iuſtitia Chriſti non ſe extenderet ad illos. cuius oppoſitum Paulus docet apertè. Et hæc nota pro Baptiſmo infantum.

Verſ. 20. LEX AVTEM SVBINTRAVIT. Verbum verbo reddendo legendum eſſet, *lex autem præteraduenit*. Intendit enim & ſignificat malam conditionem aduentus legis: malam autem dico, hoc eſt præter intentionem. Lex ſiquidem quamuis ſancta & ex intentione data à Deo ad bonum, quoad illum tamen effectum ſubiunctum (ſcilicet abundantiam peccati) aduenit præter intentionem: quoniam non ad hoc dedit eam legiſlator vt abundaret peccatum. Et propterea Paulus intendens tractare de lege quoad hunc effectum, formaliſſimè locutus eſt, dicens; *lex autem præteraduenit*. Continuatur itaque hæc particula ſuperiori particulæ, quâ dictum eſt, *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo*: ibi enim cœpit Paulus tractare diuerſos ſtatus peccati, ſcilicet ante legem & ſub lege: & declarato ibidem ſtatu peccati ante legem, poſt proſecutas diſſimilitudines & ſimilitudines peruenit ad alterum membrum ſtatus peccati, ſcilicet ſub lege. VT ABVNDARET DELICTVM. Ecce effectus præter intentionem, ecce ſtatus peccati ſub lege. *Abundaret* autem fructificando: delictum enim originale abundauit plus fructificando ſub lege, vt inferius Paulus declarabit. VBI AVTEM ABVNDAVIT DELICTVM, SVPERABVNDAVIT ET GRATIA. Superfluit *&*. Ecce ratio quare Apoſtolus tractauit diuerſos ſtatus peccati ante legem & ſub lege. Quia enim tractat de peccato vt à quo per Chriſtum liberati ſumus, par fuit vt monſtraret quod ſumus liberati & à peccato & ab augmento ſeu abundantia peccati: & propterea oportuit ſtatum peccati ante legem & ſtatum abundantiæ peccati ſub lege patefacere: vt ſicut ex ſtatu peccati manifeſtauit gratiam Chriſti, ita ex ſtatu abundantiæ peccati manifeſtet ſuperabundantem gratiam Chriſti.

VT SICVT REGNAVIT PECCATVM IN MORTE: Verſ. 21.
pro, *in mortem*. Aduerte quod in ſtatu ante legem dixerat, *regnauit mors*: modò in ſtatu ſub lege, dicit *regnauit peccatum in mortem*. Nam tunc peccatum non cognoſcebatur: & mors quaſi regnans reputabatur: ſub lege autem cognitis peccato & mortis pœnâ, non regnauit mors ſed exiſtimata eſt pœna: regnauit tamen peccatum, quia abundauit peccatum, & regnauit in mortem, quia regnauit ad multiplicandam mortem, adiungendo mortem animæ morti corporis. ITA ET GRATIA REGNET PER IVSTITIAM. E regione ad regnum peccati abundantis ſub lege locat gratiam contra legem, & iuſtitiam contra peccatum, vt etiam intelligas non ſic abundare gratiam vt excludat iuſtitiam: ſed ſic vt regnet in hominibus noui Teſtamenti per iuſtitiam fidei. IN VITAM ÆTERNAM. Hinc apparet quod intendit æternam mortem cùm dixit *regnauit peccatum in mortem*: non enim gratia regnat in perpetuitatem præſentis vitæ, ſed in vitam illam quæ ex ſe eſt æterna. PER IESVM CHRISTVM. Ecce mediator per quem ſuperabundat gratia & regnat in vitam æternam.

CAPVT VI.

QVID ERGO DICEMVS; Duo ſimul offi- Verſ. 1.
cia exercet Paulus. Nam & efficaciam doni Chriſti reſpectu peccati, quamuis abundantis, explicat: & ſolicitus eſt ad excludendam calumniam imponentium ei quòd doceret facienda mala vt venirent bona: vnde & hinc occaſionem accipit continuandi textum. Dixerat enim quòd *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*, & poterat quiſpiam ex hoc bono fructu & fine (ſcilicet vt abundaret gratia) licentiâ accipere multiplicandi peccata vt abundaret gratia. Hanc itaque licentiam excludens ſubdit: *Quid ergo dicemus*. MANEBIMVS IN PECCATO VT GRATIA ABVNDET. Hæc eſt licentia. Vbi nota quòd manere in peccato & multiplicare peccatum, pro eodem vtitur: quoniam mutuò ſe inferunt. Patet autem quòd pro eodem vtitur: quoniam quod prius dixerat *abundare peccatum*, modò appellat *manere in peccato*: & hinc habes quòd hæc duo inuicem ſe inferant.

Manere in peccato eſt multiplicare peccatum.

ABSIT. Horrentis eſt. QVID ENIM. Superfluit Verſ. 2.
enim. MORTVI SVMVS PECCATO. Datiui caſus eſt *peccato*, tam hic quam inferius vbi millies repetitur ſimilis ſermo variis verbis. Rationem reddit duplicem ex ipſa abundantia gratiæ quòd non eſt manendum in peccato. Ita quòd intendit patefacere quòd repugnat rationi, ſeu cauſæ abundantiæ gra-

tiæ

tiæ manere in peccato. Propter quod aſſumit duos effectus abundantis gratiæ cum ſuis cauſis ex quibus format duas rationes. Alter eſt quòd nos mortui ſumus peccato. Et penes hunc effectum primò procedit: intendens quod ſicut Chriſtus mortuus eſt vitæ mortali, &c. ita percipientes abundantem gratiam ex morte Chriſti, mortui ſunt peccato. Mortuus enim alicui, non viuit amplius illi, non ſentit illi, non fructificat illi: ac per hoc *mortui peccato* dicuntur, & ſunt, qui non fructificant peccato, qui vita ſubiecta rationi non viuunt peccato. QVOMODO ADHVC VIVEMVS IN ILLO? Optimum argumentum conſequenter ad mortem. Sicut enim mortuus non redit ad vitam priſtinam, ita mortuus peccato non debet amplius viuere peccato, alioquin non verè mortuus eſt, aut non verè officium mortui exequitur.

Mortuus peccato, quis?

Verſ. 3. AN IGNORATIS FRATRES. Superfluit *fratres*. Declarat aſſumptum, ſcilicet quòd mortui ſumus peccato. QVOD QVICVNQVE BAPTIZATI SVMVS IN CHRISTVM IESVM. Ad differentiam baptiſmi Ioannis dicit *in Chriſtum Ieſum*. Et affert baptiſmum ad probandum, quòd mortui ſumus peccato: vt intelligamus in Baptiſmo conferri abundantiam gratiæ tantam, vt moriamur peccato. IN MORTEM IPSIVS BAPTIZATI SVMVS? Græcus textus anceps eſt tam hic, quàm inferiùs ad *in morte*, vel *in mortem*. Sed hic nihil refert: quoniam in ſimilitudine mortis Chriſti, & in virtute mortis Chriſti baptizati ſumus.

Verſ. 4. CONSEPVLTI ENIM SVMVS CVM ILLO PER BAPTISMVM IN MORTE, ſeu *mortem*. Ex ſepultura declarat mortem, ex ritu baptizandi: quia ſcilicet qui baptizatur ſub aqua ponitur: ac per hoc ſimilitudinem gerit eius qui ſepelitur, qui ſub terra ponitur. Quia itaque ſepeliri non eſt niſi mortuorum, ex hoc ipſo, quòd in baptiſmo ſepelimur, aſſimilamur Chriſto ſepulto, ſeu cum ſepultus eſt. Hoc enim ſignificat, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum. Quod autem addit *in morte*, ſeu *mortem*, vel ſimilitudinem explicat quòd ſepulti ſumus, tanquam commortui: vel vim baptiſmi explicat quod eſt in mortem peccato, hoc eſt, quod facit nos mortuos peccato. Quem ſenſum accuſatiuus caſus ſonat, ſcilicet *in mortem*: vt intelligamus baptiſmum non præſupponere nos mortuos peccato, ſed efficere nos mortuos peccato, & in hoc eſſe diſſimilitudinem inter mortem & ſepulturam noſtram, & mortem & ſepulturam Chriſti. Chriſtus enim priùs mortuus eſt, & deinde ſepultus: nos autem dum baptizamur in morte Chriſti, ſepelimur in mortem: hoc eſt, dum ſepelimur reddimur mortui peccato. Et hic videtur ſenſus directe intentus à Paulo.

In baptiſmo Chriſto conſepelimur. quomodo?

VT QVOMODO CHRISTVS SVRREXIT A MORTVIS PER GLORIAM PATRIS. Declarato modo quo mortui ſumus peccato, declarat ſequelam debiti non viuendi poſthac in peccato. Declarat autem proſequendo aſſimilationem ad Chriſtum, vt quomodo Chriſtus ex ſepulchro ſurrexit non ad priſtinæ vitæ conditiones, ſed *per gloriam patris*: hoc eſt, per glorioſam, & ad glorioſam vitam. Prior enim vita Chriſti fuit vita per infirmitatem carnis inter ignominias & vilitates multas: de ſepulchro autem ſurrexit: hoc eſt, ad vitam venit, non per infirmitatem carnis exigendam, ſed per patriæ gloriam perſeueraturam. Tangendo cauſam, deſcribit conditiones vitæ glorioſæ. ITA ET NOS IN NOVITATE VITÆ AMBVLEMVS. Vita Chriſti glorioſa in quam ſurrexit, noua vita fuit. Et propterea Paulus non dicit, ita, & in glorioſa vita ambulemus: ſed ſubtile moderatus eſt ſimilitudinem non quoad gloriam, ſed quoad nouitatē imitandam: vt qui non poſſumus imitari gloriam vitæ Chriſti, imitemur nouitatem.

SI ENIM COMPLANTATI FACTI SVMVS SIMILITVDINI MORTIS EIVS. Verſ. 5. Ordo literæ eſt: *ſi enim facti ſumus complantati ſimilitudini mortis eius*. Et *complantati* non eſt participium, ſed vim habet nominis verbalis. Et intendit Paulus aperire facultatem eius, quod immediate dixerat, *in nouitate vitæ ambulemus*. Et quoniam ambulare in vita noua, proficere eſt in vita gratiæ: ideò nouam metaphoram aſſumpſit ſignificantem huiuſmodi profectum. Aſſumpſit autem metaphoram complantatarum arborum: tanquam mors Chriſti ſit vna arbor, & eiuſdem reſurrectio ſit altera arbor. Et intendit ac dicit quòd ſi facti ſumus tanquam complantati Chriſto mortuo, erimus ſimul complantati Chriſto reſurgenti. Et quoniam cōplantationis ſimilitudo ſi ad complantationem propriè ſpectetur, minus congruit propoſito (nam ex hoc quòd vna arbor ſimul plantatur alteri, vim ex altera non trahit) ideo complantatio pro inſitione hic poſita intelligitur. Transfertur enim apud Græcos vocabulum hoc ad ſignificandum inſitionem, ea ratione quia quod inſitum eſt arbori alteri, complantatum eſt illi, pro quanto in eandem coit plantam: in cuius ſenſus ſignum non dicit, cōplantati cum morte. Et quantùm ad ſenſum recte interpretati ſunt, qui pro *complantati* dixerunt *inſititij*. Eſt enim ſenſus quòd ſi ſumus facti inſititij aſſimilatione ad mortem Chriſti, erimus quoque inſititij aſſimilatione ad reſurrectionem eius: ſi habemus vim ex morte eius velut inſiti, habebimus quoque vim ex reſurrectione eius, ſicut ramus inſitus vim habet à planta cui eſt inſitus. SIMVL ET RESVRRECTIONIS ERIMVS. ſupple, ſimilitudini complantati. Et hæc complantatio eſt illa quæ facultatem nobis præbet ambulandi in nouitate vitæ: quoniam præbet facultatem proficiendi. Complantatio enim reſurrectioni Chriſti, vim trahit ex Chriſti reſurrectione ad vitam ſimilem nouæ vitæ Chriſti.

HOC SCIENTES QVIA, pro *quòd*, VETVS HOMO NOSTER. Verſ. 6. Prima ratio non manendi in peccato vt abundet gratia, ſumpta eſt ex hoc effectu abundantis gratiæ, quòd nos mortui ſumus peccato: hæc autem ſecunda ratio ſumitur ex parte eorum quæ ſunt peccati. Et bene nota quòd non dico *ex parte peccati*, ſed *ex parte eorum quæ ſunt peccati*: qualia ſunt conſequentia ad peccatum, ſiue ſint malæ inclinationes, ſiue reatus, ſiue quouis alio nomine appellentur reliquiæ peccati. Et dicit quòd nō ſolùm nos mortui ſumus peccato, ſed etiam *vetus homo noſter*: hoc eſt, reliquiæ peccati in nobis. Quicquid enim ex peccato illatum eſt nobis ſecundum animum, toto vnico vocabulo vetuſtatem Paulus appellauit. Et meritò: quoniam vetuſtas defectus eſt, præter intentionem

Reliquiæ peccati.

Vetus homo.

eſt,& in coordinatione mali continetur:& ſecundum veritatem ab antiquo peccato primi parentis nobis ineſt. Cùm itaque dicit *vetus homo noſter*, animum non ſecundùm ſubſtantiam,ſed ſecundum vetuſtatem ex peccato cõtractam ſignificat. SIMVL CRVCIFIXVS EST. Aduerbium *ſimul* refertur tum ad tempus, quo mortui ſumus peccato, tum præcipue ad crucifixionem Chriſti: ac ſi dictum fuiſſet, ſimul cum Chriſto crucifixus eſt. Non dicit *mortuus eſt*, ſed *fixus cruci eſt*: vt intelligamus quòd quamuis nos mortui ſumus peccato,vetus tamen homo noſter non eſt mortuus:ſed eſt crucifixus.

Crucifixus.

Et quidem quòd non ſit mortuus experimur:vnde & inferiùs clamabit Paulus: *Infelix ego homo*,&c. Sed eſt velut fixus cruci, impeditus ab operibus vetuſtatis. Et vt hanc cõditionem non mortis,ſed crucifixionis clariùs explicaret,ſubiungit duos fructus,ſeu fines huius crucifixionis.

Duo fructus crucifixionis veteris hominis. Primus.

Alter eſt: VT DISTRVATVR CORPVS PECCATI. Quantumcumque per baptiſmum mortui ſumus peccato ſecundum animam, noſtrum tamen corpus remanet corpus peccati, vnde & inferiùs dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Ad deſtruendum autem corpus noſtrum, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm quod eſt peccati,vetus homo noſter crucifixus eſt, hoc eſt, diminutio & impedimentum ex cruce Chriſti præſtitum animo noſtro ſecundum id quod habet vetuſtatis,ad hoc præſtitum eſt, vt redundet ad deſtruendum etiam in corpore id quod eſt peccati. Quod fit continuè ſubiiciendo carnem ſpiritui ex Chriſti cruce.

Secundus.

VT VLTRA NON SERVIAMVS PECCATO. Ecce alter fructus, ſeu finis,cui ſubordinatur præcedens: ad hoc enim deſtruendum eſt corpus peccati vt vltrà non ſeruiamus peccato. Non dicit vt vltrà non peccemus(cùm hoc ſit impoſſibile ſecundum præſentem ſtatum) ſed dicit *vt vltra non ſeruiamus peccato*, tanquam ſerui Domino. Et per hunc finem poſſibilem in hac vita modificauit anteriorem finem,ſcilicet deſtruere corpus peccati. Hoc enim videtur impoſſibile in præſenti ſtatu,ſicut & non peccare. Sed deſtruere quantùm exigitur ad hoc vt non ſeruiamus peccato,non eſt impoſſibile, ſed communicatum multis viris perfectis.

Verſ. 7. QVI ENIM MORTVVS EST, IVSTIFICATVS EST A PECCATO. Allatis duabus rationibus quòd non eſt manendum in peccato,vt gratia abundet, quia ratio abundantis gratiæ tam in nobis, quàm in veteri noſtro homine repugnat manſioni in peccato, proſequitur modò Paulus ſigillatim ſingulas rationes, deſcendendo ad res ipſas. Et primò primam.

Vbi aduerte quòd prima ratio (ſcilicet ex hoc quòd mortui ſumus peccato per baptiſmum,&c.) eſt ratio ſecundum formam ſermonis, magis ſonans vinculum profeſſionis & debitum ex profeſſione conſurgens,quàm rem ipſam: nam ſonat ritum baptiſmi in ſimilitudinem mortis, & ſepulturæ Chriſti ex huiuſmodi aſſimilationibus: quemadmodum ſi diceremus profitentibus quòd induti ſunt veſte nigrà, quòd proſtrauerunt ſe pronos in terram & ſimilia. Modò autem proſequitur huiuſmodi mortem & vitam explicando res ipſas. Et propterea dicit, *qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato*, Ecce res baptiſmi, ecce res mortis, ſcilicet iuſtificatio à peccato, vt ex ipſa iuſtificatione perceptâ, metaphora mortis noſtræ ad ſimilitudinem mortis Chriſti pleniùs intelligatur & procedatur.

Verſ. 8. SI AVTEM MORTVI SVMVS CVM CHRISTO. Proportionaliter intellige, illum mortuum vitæ priori, nos mortuos peccato. CREDIMVS. Quod prius dixerat debitum ex ſuſcepto baptiſmo, modò explicat futurum ex gratia Chriſti. Et propterea dicit *credimus*, iam iuſtificati & mortui cum Chriſto indubitanter confidimus.

Mortui cum Chriſto

QVIA, pro *quod*, ET VIVEMVS CVM ILLO, vitâ gratiæ. Et dicit, viuemus cum Chriſto, quamuis in cœlis exiſtente: quoniam confidimus quod vita noſtrà hîc conuerſatio erit cœleſtis. Et nihilominus ſicut mori cum Chriſto, eſt imitari mortem eius, ita viuere cum Chriſto, eſt imitari nouitatem vitæ eius. Et rurſus ſicut mori cum Chriſto, eſt inniti morti Chriſti, ita viuere cum Chriſto eſt inniti vitæ Chriſti, quâ viuit & regnat.

Viuent cum illo.

Verſ. 9. SCIENTES QVOD CHRISTVS. Proſequendo explicat conditiones nouæ vitæ imitandæ. RESVRGENS, pro *excitatus*, EX MORTVIS. Chriſtus enim non reſurgit, ſed reſurrexit. IAM NON MORITVR, MORS ILLI VLTRA NON DOMINABITVR. Interpres eandem dictionem variè interpretatus eſt, Vtrobique enim in textu Græco habetur idem, præter hoc quod præſens mutatum eſt in futurum. Legendum itaque eſt: *Non amplius moritur, mors illi non amplius dominabitur*. Et excludit à Chriſto excitato à mortuis duo, ſcilicet actualem mortem, & dominium mortis in eum. Et non ſuffecit excludere mortem: quoniam commune erit omnibus hominibus poſt iudicium vniuerſale non ampliùs mori, ſed non erit communis omnibus exemptio à dominio mortis. Dominabitur enim mors tunc in omnibus illis qui pœnas continuè dabunt, & nunquam morientur. Ad excludendum omnem itaque poſſibilem pœnalitatem adiunctum eſt: mors illi amplius non dominabitur. Sunt enim pœnalitates de dominio mortis.

Conditiones nouæ vitæ.

Etiam poſt iudiciũ mors dominabitur æternaliter.

Verſ. 10. QVOD ENIM MORTVVS EST. Declarat ex cauſis propriis mortis & vitæ Chriſti conditiones dictas. Et primò ex cauſa mortis, quia quòd mortuus eſt Chriſtus, PECCATO MORTVVS EST SEMEL, hoc eſt, peccato tollendo ſufficit mortuum eſſe ſemel. Vbi ſimul tangit cauſam mortis Chriſti fuiſſe tollere peccatum, ſufficere ad tollendum peccatum quòd ſemel ſit mortuus. Et hoc non aliter probauit: quoniam hinc ſufficientia mortis Chriſti, inde imbecillitate peccati notoriis exiſtentibus per ſe notum eſt velut ex terminis quòd ſufficit ſemel mortuum eſſe. In idem autem redit ſenſus (quamuis non ita clare) ſi legatur in neutro genere, *quod enim mortuum eſt*, ſcilicet in Chriſto, *peccato mortuum eſt ſemel*. Vtramque ſiquidem lectionem textus Græcus admittit. QVOD AVTEM VIVIT, VIVIT DEO. Hinc apparet punctandum eſſe vt punctauimus: nam ſicut dicit *quod autem viuit*, ita antè dixit quòd enim mortuus eſt: & quemadmodum modò ſubiungit *viuit Deo*, ita tunc ſubiunxit *peccato mortuus eſt*. E regione peccati cauſæ mortis

mortis Chriſti, locat Deum cauſam vitæ nouæ in quam Chriſtus reſurrexit, vt intelligamus ratione ab oppoſitis quòd Chriſtus mortuus eſt conſonè ad peccatum moriendo ſemel, & ſimiliter viuit conſonè ad Deum viuendo ſemper. Deus enim quantum ex ſe eſt, indeficiens eſt author, finis & ratio vitæ: ac per hoc qui viuit Deo, indeficientem rationem vitæ habet. Quo contra qui moritur ad tollendum peccatum, eo ipſo quòd peccatum abſtulit, nullam habet rationem iterum moriendi.

Verſ. 11. Ita et vos existimate. Vnico aduerbio ſimilitudinis complectitur omnia ſupradicta de **Chriſto, tã mortuo quàm excitato à mortuis.** Vosipsos mortvos qvidem esse peccato. **Non ſufficit eſſe mortuum peccato, ſed oportet** reputare ſe mortuum eſſe peccato, oportet **ita ſe habere in vita & actionibus ſuis tan**quam reputantem ſe mortuum peccato. Ita quòd huiuſmodi exiſtimatio non ſpeculatiua, ſed practica ſit. Perinde ac ſi dictum fuiſſet: Exiſtimate in vita, moribus, & vniuerſis actibus veſtris voſipſos mortuos eſſe peccato, ita (hoc eſt, ſicut) Chriſtus mortuus eſt ſemel ſine reditu ad mortem, ſine mortis dominio.

Viventes avtem Deo. Indeſinenter quæcunque ſunt veſtræ vitæ exercentes propter Deum, ad honorem diuini nominis, &c. in Christo Iesv. deeſt, *Domino noſtro*, hoc eſt, innitentes non propriis viribus, ſed meritis ac præſidio Chriſti Ieſu Domini noſtri, **cui cura eſt de nobis.**

Verſ. 12. Non ergo regnet peccatvm. Proſequitur ſpectantia ad ſecundam rationem de crucifixo noſtro veteri homine. Et quoniam dixerat quòd abundante ſub lege peccato regnauit peccatum, è regione modò dicit quòd crucifixo veteri noſtro homine, (quod eſt diminuta ratione peccandi, hinc & inde exiſtentibus nobis mortuis peccato) conſequens eſt ſic vos habere vt non regnet peccatum. Non dicit vt non ſit peccatum, ſed vt non regnet peccatum, vt non teneat principatum & dominium. In vestro mortali corpore, vt obediatis concvpiscentiis eivs. Deſunt duæ dictiones, **Legendum eſt,** ***Vt obediatis ei in concupiſcentijs eius.*** Et pronomen *ei* fœminini eſt generis in Græco: hoc eſt, refertur ad peccatum. Pronomen autem *eius* neutri eſt generis, & refertur ad corpus. Dixerat ſuperius, vetus noſter homo crucifixus eſt vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato: explicat modò corpus peccati eſſe corpus mortale; & ſeruire peccato, eſſe ſeruire peccato ſecundum concupiſcentias corporis. Et ſicut ibi, ita & hic modificando adiungit, *vt obediatis* &c. exigit enim vt peccatum non regnet in corpore **mortali, non** totaliter excludendo à regno (cum hoc ſit impoſſibile in hac vita) ſed ſic excludẽdo à regno vt ſubtrahatur obedientia peccato ſecundum concupiſcentias corporis. Obedientia enim ſeruitutis eſt ſpecies. Ac ſi apertius dixiſſet: Non exigo exterminari regnum peccati à corpore veſtro, ſed exigo ſubtrahi ei obedientiam: voluntariam ſcilicet obſecutionem in concupiſcentiis corporis, vt quamuis corpus peccati concupiſcat, vos tamẽ obediatis peccato in huiuſmodi concupiſcentiis. Vbi aptè vtrũque coniungit, ſcilicet concupiſcentias corporis & peccatum: vt intelligamus pro tanto eſſe malum obedire concupiſcẽtiis corporis, pro quanto ſunt velut præcepta peccati. Et hoc ad differentiam earundem affectionum quatenus ſunt naturales.

Non regnet peccatum in mortali veſtro corpore.

Obedientia eſt ſpecies ſeruitutis.

Neqve exhibeatis, pro, *exhibete*, membra vestra. Obedire actus eſt interior voluntatis, exhibere autem membra, actus eſt exterioris **executionis. Vtrumque Paulus prohibens ad**iungit, neque exhibete membra veſtra Arma iniqvitatis peccato. Peccatum (vtpote ex ſe inualidum & impotens) eget vt armetur ad exercendas iniquitates: armatur autem cum membra quæ ad naturæ officia condita ſunt, transferuntur in obſequium peccati. Hoc eſt enim ipſa membra fieri arma peccati, reddentia ipſum validum & bellicoſum. Et adiungit ***iniquitatis*, ad explicandam iniuſtitiam exhibitionis: exhibere enim arma iniquitatis, ex ſuo** genere eſt iniuſtum. Sed exhibete vos Deo tanqvam ex mortvis viventes, et membra vestra arma ivstitiæ Deo. Iuxta duo quæ dixerat (ſcilicet *vos* & *membra veſtra*) reſpectu peccati ambo repetit exhibenda Deo. Verſ. 13.

Peccatum de ſe impotens, eget armari.

Peccatvm enim vobis non dominabitvr. Verſ. 14.
Vide diſparitatem peccati relati ad mortale corpus noſtrum, vel relati ad nos. De peccato enim relato ad corpus mortale, monet nos vt ſtudeamus ne regnet in noſtro mortali corpore, ſic vt obediamus ei in concupiſcentiis corporis: de peccato verò relato ad nos baptizatos, & cætera, aſſerit quod non dominabitur nobis, nec ſolũm aſſerit, ſed pro ratione affert præmoniti ſtudij: ſignificante hoc coniunctione *enim*. Ita quòd ex hoc quòd peccatum non **dominabitur vobis, facultas ſtudendi vt pec**catum non regnet in veſtro mortali corpore ſic, & cætera, ſignificatur. Hanc autem aſſertionem (ſcilicet quòd peccatum non domina**bitur vobis) probat ſubiungendo:** Non enim svb lege estis, sed svb gratia. Quadrat hæc ratio ſententiæ quam ſupra dixit quòd ſub lege regnauit peccatũ: ex oppoſito enim ſequitur quòd non ſub lege careat dominio **peccatum. Et quoniam** clarè Paulus vtitur lege contra gratiam, *eſſe ſub lege*, vt opponitur ad *eſſe ſub gratia*, aduerte primum quod appellatione legis intelligitur **lex Moyſi: vt patet ex** eo quòd ſubdit legem dicere, **non concupiſ**ces: lex autem Moyſi non ſecundum partem (puta præcepta cæremonialia, aut iudicialia) ſed integraliter ſumendo etiam moralia: vt conuincunt dicta verba, *non concupiſces*: conſtat ſiquidem morale eſſe hoc negatiuum legis præceptum.

Aduerte ſecundò differentiam inter *eſſe ſub lege*, & debitum ſeruandi aliqua quæ continentur ſub lege: **quoniam valde** diſtant inter ſe: nam *eſſe ſub lege*, eſt eſſe ſubditum legi, vt patet: teneri autem ad ſeruandum multa quæ continentur in lege, poteſt aliunde ortum vinculũque habere. Et hæc cum abſolutione, ſeu libertate à lege: vt patet de gentilibus, qui tenebantur ad ſeruandum moralia (Honora patrem tuum, non occides, non concupiſces, &c.) non ex eo quod ſubiecti eſſent legi Moyſi, in qua hæc præcepta continentur, ſed aliunde, ſcilicet ex regula naturalis rationis exigente hæc. Paulus non dicit, *non tenemini ad ea quæ continentur in lege*, ſed dicit, *non eſtis ſub lege*: vt intelligamus nos baptizatos abſolutos

Eſſe ſub lege, & debitum ſeruandi aliqua legis differunt.

 quidem

quidem à ſubiectione legis Moyſi, non tamen propterea liberos à vinculo ſeruandi multa quæ continentur in lege: nam & ſumus obligati tum quoad culpam & offenſam Dei: tum quoad pœnam, & reatum æternæ damnationis.

Tres conditiones eius qui eſt ſub lege. Aduerte tertiò quòd *eſſe ſub lege*, vt opponitur ad *eſſe ſub gratia*, eſt nomen ſtatus legalis, qui integratur ex tribus conditionibus: Prima eſt ſubiectio hominis legi Moſaicæ. Secunda, eſt negatio diuinæ gratiæ adiutricis: pro quanto lex præcipiebat, ſed per ſua opera quæcumque non afferebat gratiam adiutricem: vt patet ex dictis ſuperius a Paulo, quòd ex operibus legis nemo iuſtificatus eſt. Tertia hinc conſequens eſt, quòd homo ſub lege relinquebatur ſibiipſi: vtpote non adiutus interno dono diuinæ gratiæ.

Nec per hæc intelligas nouitie quòd Iudæi ante Chriſti aduentum ſub lege exiſtentes, caruerint gratia, quoniam hoc non dicimus: ſed intellige quod ex illo ſtatu non habebant gratiam: ſed habebant gratiam qui illam habebant, ex participatione ſtatus noui reuelandi per Chriſtum. Participabant autem ſtatum noui Teſtamenti fide & deuotione ad mediatorem Dei & hominum Meſſiam. Et patent nihilominus duæ vltimæ conditiones, quæ cum explicantur vocabulo *eſſe ſub lege*, ex ipſa oppoſitione ad *eſſe ſub gratia*. Conſtat namque quòd *eſſe ſub gratia*, nomen eſt ſtatus hominum ſub diuinæ gratiæ vmbra, protectione, ac dono quo intus viuimus ſpirituali vita. Et ex hoc ipſo quòd opponitur ad *eſſe ſub lege*, monſtrat negationem gratiæ ſub lege. Vnde iungẽdo hæc duo (ſcilicet, non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia) & ſignificatur ſtatus exemptus à legis iugo diuina fultus gratiâ, & ratio redditur quare peccatum vobis non dominatur: quia ſcilicet non eſtis in ſtatu abundantis peccati, negationis gratiæ, vobipſis relicti, ſed in ſtatu protectionis ac doni diuinę gratię, Hinc enim fit vt peccatum non habeat dominium ſuper nos, ſuper volũtarias vires & actiones noſtras.

Verſ. 15. QVID ERGO? PECCABIMVS QVONIAM NON SVMVS SVB LEGE, SED SVB GRATIA? Duo bona ex Chriſti gratia reſpectu legis collata nobis dixerat. Alterum eſt abundantia gratiæ: alterum exemptio a lege. Et reſpectu primi mouerat & ſoluerat quæſtionem; *Nunquid manebimus in peccato vt abundet gratia?* modo mouet quæſtionem ſimilem reſpectu ſecundi: *Nunquid peccabimus, quia exempti ſumus a lege?* Significanter autem dicit *peccabimus*, & non dicit *tranſgrediemur* præcepta legis. Soluto enim a lege non eſt timenda tranſgreſſio præceptorum legis, ſed cauendum eſt ne peccet: peccare

Peccare quid? ſiquidem, eſt à rectitudine rationis obliquas efficere actiones. Vt hinc intelligamus quòd de iis quæ ſunt ſecundum ſe peccata loquitur: qualia ſunt mala moraliter. Et eſt ratio quæſtionis, ne quiſquam intelligeret licitum eſſe baptizatis in Chriſto Ieſu operari mala ex eo quòd non ſunt ſub lege.

Verſ. 16. ABSIT. Reſponſio horrẽtis eſt. AN NESCITIS QVONIAM, pro *quod*, CVI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDVM, SERVI ESTIS EIVS CVI OBEDISTIS. Rationem reſponſionis reddit. Et conſiſtit in hoc quòd *peccare* reducit hominem in ſeruitutem peccati, *rectè* autem *viuere* ducit in ſeruitutem iuſtitiæ & Dei: vt hinc intelligamus quòd exemptio a lege per donum iuſti contrariatur peccato, & è diuerſo: rectè autẽ viuere, conſonat exemptioni à lege & è diuerſo. Inchoat itaque velut à communi conditione actionum noſtrarum voluntariarum, quod ſcilicet cui homo ſe ſubiicit obediendo, in illius emergit ſeruum. Et ſpecificans in vtroque genere ſubdit: SIVE PECCATI AD MORTEM, SIVE OBEDITIONIS, pro, *obedientiæ*. AD IVSTITIAM? *Peccato obediẽtia, morti verò iuſtitia opponitur.* Vbi diſparitas nonnulla interuenit: quoniam in genere malorum nominatur duo, ſcilicet peccatum & pœna peccati mors: in genere verò bonorum è regione peccati locatur obedientia; e regione verò mortis non locatur præmium vitæ, ſed iuſtitia. Et aptè quidem peccato opponitur obedientia: quoniam peccatum omne eſt inobedientia aliqua; morti verò opponitur iuſtitia: vt intelligas, quòd non de morte corporis, ſed de morte animæ eſt ſermo (morti ſiquidem animæ opponitur vita iuſtitiæ) & perpendamus quòd actualis peccati pœna eſt mors animæ: quemadmodum ex oppoſito, actualis obedientiæ præmium præſens eſt animam viuere vita iuſtitiæ. Stat ergo vis aſſumptæ huius propoſitionis in hoc: quòd ſi homo ſemetipſum exhibet ad obediendum peccato, ex hoc ipſo fit ſeruus peccati ad mortem: & ſimiliter ſi exhibet ſe ad obediẽdum (hoc eſt ad obſequendum) Deo, ex hoc ipſo fit ſeruus obedientiæ ad iuſtitiam.

GRATIAS, pro, *gratia*, AVTEM DEO. Subſumit Verſ. 17.
Minorem quoad ipſos, quibus ſcribit, Romanos: dicendo, *Gratia autem Deo*, ſupple, ſit, ſeu debetur: gratiâ enim pro gratiarum actione ſumitur. *Gratia pro gratiarum actione.*

Vbi nota, quòd cùm Maiorem huius argumenti propoſuiſſet abſolute, Minorem ſubſumit addendo gratiarum actiones Deo: vt intelligamus non ex propriis ſtudio ac viribus, ſed ex dono Dei illos obediſſe ſecundum formam Euangelicam: iuxta illud Oſeæ 13. *perditio tua ex te*, ſalus autem ex me. QVOD FVISTIS SERVI PECCATI, OBEDISTIS AVTEM EX CORDE. Non eſt materia gratiarum actionis quod fuiſtis ſerui peccati abſolutè, ſed iunctum cum ſequenti obedientia: hoc eſt, quòd tranſlati eſtis de ſeruitute peccati, obediendo non fide, ſed ex corde. IN EAM FORMAM DOCTRINÆ. hoc eſt, ſecundum eam formam doctrinæ. IN QVAM TRADITI ESTIS. Græcus ſermo hunc modum loquendi admittit, Latinis ineptum, ſed ratione myſterij immutatum. Significatur enim quòd non tam Euangelicæ doctrinæ forma tradita eſt hominibus, quam homines traditi ſunt formæ doctrinæ Euangelicæ, vt Euangelicæ doctrinæ formatio principatum ac dominium in homine obtinere ſignificetur, & non è diuerſo.

LIBERATI AVTEM A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS IVSTITIÆ. Et eſt caſus datiui *iuſtitiæ*. Verſ. 18.
Iuxta duo aſſumpta in Maiore (ſcilicet actionẽ & ſtatum conſequentem) duo ſimiliter ſubſumpſit: primò actionẽ, *obediſtis in eam formam*, &c. modò ſtatum conſequentem ad huiuſmodi obediẽtiam, ſcilicet exemptionis a peccato, & ſeruitutis ſeu addictionis ad iuſtitiam. Ex quibus omnibus habes, prudens lector, quam ſummanimus reſponſionem, ſcilicet quòd peccare reddit hominem ſeruum peccati; Euangelicè

gelicè verò viuere reddit hominem ſeruum iuſtitiæ.

Verſ. 19. HVMANVM DICO: Cùm arctius exigendum eſſet officium, temperando tamen mandatum humano more dico. PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ. Ecce ratio moderationis. Et intendit manifeſtiùs explicare quò ducit peccatum, & quò ducit Euangelica obedientia. Ea autem eſt neceſſitas ſubiunctæ huius monitionis, vt quia ſuperiùs duo mandauerat: (alterum *Exhibete vos Deo*, alterum *& membra veſtra arma iuſtitiæ Deo*) poſtquam proſecutus eſt primú, declarando quòd cui vos exhibetis ad obediendum, &c. modò proſequitur ſecundum, & propterea dicit: SICVT ENIM EXHIBVISTIS MEMBRA VESTRA. Ad executionem exteriorem quæ per corporea membra fit; manifeſtè hoc ſpectat. Et dicendo *ſicut*, monet modum proportionalem tam penes cogitationes quàm affectus, ſtudia, & vigilantias, quibus vſi ſunt ad exhibendum membra propria. SERVIRE IMMVNDITIÆ. Hinc apparet quòd de peccatis venereis loquitur. ET INIQVITATI. Adiungit ſpeciei genus, augendo rationem. Et nihilominus propter ſpecialem turpitudinem venereorum, meminit ſpecialiter immunditiæ, tanquam ſit peculiaris quædam fœditas membrorum. AD INIQVITATEM. Refertur hoc vtrique prædictorum. Et eſt ſenſus, ad iniquitatem conſummandam. Affectatæ ſiquidem immunditiæ & vniuerſaliter iniquitati exhibentur membra ſeruientia ad conſummandam iniquitatem, vel ad iniquitatis ſtatum incurrendum. ITA, proportionaliter. NVNC, baptizati & addicti iuſtitiæ, EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE IVSTITIÆ IN SANCTIFICATIONEM. E regione tam immunditiæ quàm iniquitatis locat iuſtitiam: è regione verò ad iniquitatem locat *in ſanctificationem*. Fructus ſiquidem iuſtitiæ actualis, quæ per mébra exercetur, eſt ſanctificatio: hoc eſt, mundum fieri, mundus ſtatus. Monet itaque vt ſimili proportionaliter diligentiâ, ſtudio, affectu, vigilantiâ, &c. nunc exhibeant membra corporis ad ſeruiendum cognitæ iuſtitiæ, ad executioni mandandum bona opera in ſanctificationem in mundificationem propriam, in aſſecutionem ſtatus mundi: de quo ſcriptum eſt: Beati mundo corde.

Verſ. 20. CVM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI, LIBERI FVISTIS IVSTITIÆ. Et eſt caſus datiui *iuſtitiæ*. Et eſt ſenſus quòd ſtatus ſeruitutis peccati exemit vos à iuſtitia. Liber enim iuſtitiæ appellatur exemptus à iuſtitia: in quem ſcilicet iuſtitia nó dominatur, & quem fortè iuſtitia nulla frænat. Propoſitá namque monitione tam humanâ, ſubiungit conditiones partium, ſcilicet hinc peccati, inde iuſtitiæ, vt innoteſcat quàm humanum fuerit non plus exigere. Et prima conditio penès ſtatum ſeruitutis deſcribitur: ſecunda verò penes fructum, dicendo.

Tres conditiones peccati & iuſtitiæ.

Verſ. 21. QVEM ERGO FRVCTVM HABVISTIS TVNC IN ILLIS, IN QVIBVS NVNC ERVBESCITIS: Non ſolùm ſeruitus peccati eximit à iuſtitia, ſed fructum inducit annexam ſemper habentem pœnitudinem, imò & turpitudinem: dicendo *in quibus nunc erubeſcitis*. Tertia autem conditio penes finem deſcribitur, ſubiungendo: NAM FINIS ILLORVM MORS EST. Intellige finem illorum, non intentum ab hominibus peccantibus, ſed finem ad quem ſuapte natura ducunt peccata. Mors enim tum animæ, tum æternæ damnationis, finis eſt proportionatiſſimus peccatis.

Mors animæ finis peccatis proportionatus.

NVNC VERÒ LIBERATI A PECCATO, SERVI AVTEM FACTI DEO, HABETIS FRVCTVM VESTRVM IN SANCTIFICATIONEM, FINEM VERÒ VITAM ÆTERNAM. Ordinatè tres conditiones oppoſitas è regione ponit, ſatis claras. Nam contra ſtatum de quo dixerat, *ſerui peccati liberi fuiſtis iuſtitiæ*, directè opponit, *liberati à peccato, ſerui autem facti Deo*. Contra id verò quod dixerat *quem ergo fructum*, opponit, *habetis fructum veſtrum in ſanctificationem*. Contra id demum quod dixerat, *nam finis illorum mors eſt*, opponit *finem verò vitam æternam*. Verſ. 22.

STIPENDIA ENIM PECCATI MORS. Memor Paulus ſimilitudinis præaſſumptæ (cùm dixit, *nec exhibete membra veſtra arma iniquitatis peccato*) meminit modò ſtipendij, dicendo *ſtipendia enim peccati mors*. Exhibentibus ſiquidem arma peccato, ſtipendia debentur a peccato. Non recedens ergo à membrorum officiis, & ſimul declarans quod dixerat *finis illorum mors*, finem verò veſtrum vitam æternam: explicat quòd merces quæ à peccato redditur tanquam ſtipendium iis, qui membris ſuis illud armant, qui membris ſuis illi militant, eſt mors tam animæ (quæ conſiſtit in ſeparatione animæ à Deo) quàm æterni cruciatus: quæ conſiſtit in pœnis inferni. Et hoc de peccato actuali loquendo: nam comprehendendo etiam peccatum originale, inter ſtipendia peccati eſt etiam mors corporis. GRATIA, pro *donum*, AVTEM DEI VITA ÆTERNA. Non dicit quòd ſtipendia iuſtitiæ vita æterna, ſed *donū Dei vita æterna*: vt intelligamus non ex noſtris meritis, ſed ex gratuito dono aſſequi nos pro fine vitá æternam. Propter quod & ſubdit, IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Ecce meritum, ecce iuſtitia cuius ſtipendium eſt vita æterna: nobis autem eſt donum ratione ipſius Chriſti Ieſu. Verſ. 23.

Stipendia peccati mors.

CAPVT VII.

AN IGNORATIS FRATRES. Dixerat ſuperiùs, *non eſtis ſub lege*: nec hoc manifeſtauerat: ſed ſtatim quæſtionem tractauit nūquid ex hac libertate peccabimus? Tractata itaque quæſtione manifeſtat quod aſſumpſerat, ſcilicet *non eſtis ſub lege*. Et ad hoc manifeſtandum inducit regulam generalem de lege, ſatis notam iis qui aſſueti ſunt viuere ſub lege. SCIENTIBVS ENIM LEGEM LOQVOR, QVOD LEX IN HOMINE DOMINATVR QVANTO TEMPORE VIVIT. Hæc eſt regula generalis. In qua verbum *viuit*, anceps eſt ad hominem, vel ad legem. Verūtamen parui, aut nihil refert ad vim ſenſus: nam in eundem ſenſum redit vtraque conſtructio. Si enim intelligitur *quanto tempore viuit lex*, hoc eſt, habet vim coactiuam, verum dicitur. Et ſimiliter ſi intelligitur *quanto tempore viuit homo*, verum dicitur: dummodo intelligas de vita non naturæ, ſed de vita ſtatus. Quanto tempore enim homo viuit in ſtatu militari, dominabitur in eo lex militaris: & quanto tempore homo viuit in ſtatu coniugali; dominatur in eo lex coniugij: & ſic de ſimilibus. Hoc autem conſtat in idem redire Verſ. 1.

Viuit hic ad quid referatur.

cum

cum prius dicto, quanto tempore viuit lex. Ceſſante ſiquidem ſtatu coniugali in homine, non viuit amplius illi lex coniugij. Et quamuis hæc coincidentia vera ſit, ſubiuncta tamen in textu aſtruunt quòd *viuit* refertur ad hominem. Nam tam in exemplo de muliere coniugata quàm applicando ad principale intentum ſubſumitur mutatio ſtatus hominis ſub lege: ſecundùm quam mutationem indicat Paulus exemptionem à lege. Eſt itaque ſenſus regulæ, quòd lex dominatur in homine quamdiu homo viuit ſecundum illum ſtatum quem dirigit lex.

Verſ. 2. NAM QVÆ SVB VIRO EST MVLIER, VIVENTE VIRO ALLIGATA EST LEGI: SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, SOLVTA EST A LEGE VIRI.

Verſ. 3. IGITVR VIVENTE VIRO VOCABITVR ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO: SI AVTEM MORTVVS FVERIT VIR EIVS, LIBERATA EST A LEGE VIRI: VT NON SIT ADVLTERA, SI FVERIT CVM ALIO VIRO. Manifeſtat regulam ab exemplo mulieris coniugatæ, quæ ſoluitur à lege ex mutatione ſtatus. Et quò multa ſuppeterent exempla, elegit hoc Paulus, quoniam iuxta hoc exemplum intendit manifeſtare intentum principale. Litera ſatis clara eſt: in qua interpres aliquas dictiones addidit non nociuas.

Legis dominium à ſimilitudine coniugij probatur.

Aduerte tamen, caute Lector, quòd hæc Pauli verba intelliguntur regulariter: ſecus verò in caſu. Sciebat Paulus, ſciunt & docti in lege Moyſi (quos alloquitur) quòd ſecundum legem verum eſt regulariter quòd mulier alligata eſt quanto tempore viuit vir eius: & cum hoc ſciunt quòd in caſu libelli repudij ſecundùm legem mulier ſoluta erat à lege viri etiam viuente viro. Paulus enim legis regulà vtitur, tacens exceptiones caſuales.

Verſ. 4. ITAQVE FRATRES MEI. Applicat ad propoſitum tam regulam quàm exemplum. ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI. Non vſquequaque applicat exemplum explicitè. In exẽplo ſiquidem ſunt velut quatuor perſonæ, ſcilicet *lex, mulier, vir eius, & vir alter*, cui mortuo primo iungi poterat: in hac autem applicatione lex quidem eſt: & ſimiliter loco mulieris ſunt baptizati: loco ſecundi viri eſt Chriſtus qui reſurrexit à mortuis: ſed loco primi viri inſinuatur mors, cùm ſubiungitur, *ad fructificandum morti*. Mulier enim fructificat marito. Cum itaque dicitur, *& vos mortificati eſtis legi*, non introducitur lex tanquam vir primus, ſed more ſuo Paulus proponit concluſionem intentam: dicendo quòd vos baptizati *mortificati eſtis legi Moyſi*. Hæc eſt enim concluſio ad quam tendit. Et idem eſt dicere, *vos eſtis mortificati legi*, & dicere, *vos eſtis exempti à lege*: ipſa enim mortificatio exemptio eſt. PER CORPVS CHRISTI, non per veſtra opera, ſed per mortem quam ſuſtinuit corpus Chriſti. Mors ſiquidem Chriſti reddit omnes baptizatos mortuos legi: quod eſt mortificare eos legi. VT SITIS ALTERIVS QVI EX MORTVIS RESVRREXIT. Alludit ad exẽplum inductum. Sicut coniugata per mortem viri mortificatur legi coniugij, vt licitè ſit alterius viri, ita vos per mortem Chriſti mortificati eſtis legi Moſaicæ vt ſitis alterius, ſcilicet noui hominis qui reſurrexit à mortuis. VT FRVCTIFICETIS, pro *vt fructificemus*, DEO. Et hoc ad idem exemplum ſpectat. Mulier enim ſecundo viro iuncta illi fructificat: & ſic nos fructificemus Deo, non morti.

CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE. Hactenus narrauit: Verſ. 5. modò probat ex differentia inter vtrumque ſtatum, & quem prius appellauit *ſtatum ſub lege*, modò appellat *ſtatum carnalem*: quoniam vt ſuperiùs dixit, & infrà declarabit, lex præteraduenit vt abundaret peccatum: & *eſſe ſub lege* vt opponitur *ad eſſe ſub gratia* (vt prædeclaratum eſt) claudit in ſe negationem gratiæ, & hominem ſibiipſi in ſua carnalitate relictum. Nec dicendo, *cum enim eſſemus in carne*, loquitur de eſſe ſubſtantiæ (quoniam etiam baptizati in carne ſecundùm ſubſtantiam) ſed loquitur de eſſe in carne ſecundũ ſtatũ: hoc eſt, cũ eſſemus in ſtatu purè carnali, abſque adminiculo gratiæ; talis enim erat ſtatus ſub lege.

PASSIONES PECCATORVM. Cenſent multi legendum eſſe, *affectus peccatorum*. Et certè confert claritati literæ: quoad rem tamen ſignificatam nihil refert: quoniam tam paſſiones, quàm affectus ſignificant eas quas paſſiones animi dicimus, iram, triſtitiam, delectationem, cupiditatem, &c. immoderatas. Tales enim propriè ſunt paſſiones peccatorum, affectiones peccatorum, morbi animi, & huiuſmodi. QVÆ PER LEGEM ERANT. Si legitur *affectus peccatorum*, legendum conſequenter eſt, *qui per legem erant*, nam relatiuum non refertur ad peccata, ſed ad paſſiones. Modus autem quo affectus peccatorum erant per legem, interiùs à Paulo declarabitur: pro nunc autem ſufficiat noſſe quòd modus eſt, quia nitimur in vetitum. Affectiones ſiquidem animi noſtri vetante lege excitantur ad peccandum: & propterea deſcribuntur eſſe per legem. Eſt enim ſenſus quòd paſſiones peccatorum erant per legem excitatæ. OPERABANTVR IN MEMBRIS NOSTRIS. Affectiones ſiquidem animi propter hoc quod cum corporali ſunt mutatione, operantur intus mouendo membra noſtra, ſiue iraſcendo, ſiue timendo, ſiue concupiſcendo, &c. VT FRVCTIFICARENT MORTI. hoc eſt vt membra noſtra fructum facerent non Deo, ſed morti. Ecce conditio ſtatus ſub lege: quod ſcilicet ex hoc quod eramus in pura carne, affectiones immoderatæ occaſione legis excitatæ operabantur non ſolùm in animis noſtris, ſed etiam in membris noſtris vt fructus proferrent mortis animæ, & æternæ damnationis.

Nitimur in vetitum.

Vbi erudite Lector, percipere potes rationem ex ſtatu carnali, & occaſione legis.

NVNC AVTEM. Ecce conditio noui ſtatus per Chriſtum. Verſ. 6. SOLVTI SVMVS A LEGE MORTIS. Corrupta eſt litera. Legendũ eſt *morientes*. Ita quòd integra litera eſt, SOLVTI SVMVS A LEGE MORIENTES IN QVA DETINEBAMVR. Et participium *morientes* refertur ad *ſoluti*. Ita quòd ſenſus eſt, nunc autem à lege in qua detinebamur ſoluti ſumus morientes. E regione eius quod dixerat *cum eſſemus in carne*, dicit *nunc autem morientes*: & è regione eius quod dixerat *affectus qui per legem erant*, dicit *ſoluti ſumus a lege in qua detinebamur*. Et intendit quòd morientes in baptiſmo peccato, & iis quæ peccati ſunt (quod fit per virtutem mortis Chriſti) ſoluti ſumus a lege Moyſi in qua detinebamur creſcentibus paſſionibus. ITA VT SERVIAMVS

IN

IN NOVITATE SPIRITVS. Non ſumus ſoluti à lege [illegible] habeamus, ſed vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus. Et dicit hoc contra id quod dixerat, *[illegible] in membris noſtris ad fructificandum morti*. Nec ſolum dicit *in nouitate*, ſed *in nouitate ſpiritus*: vt intelligamus nouitatem ſpiritualem: nouitatem vitæ ſecundum ſpiritum: cuius eſt tendere ad ſuprema bona. ET NON IN VETVSTATE LITERÆ. Dicit te contra legem Moyſi dicit hoc: non detrahendo illi, ſed declarando ſtatum eius eſſe ſtatum vetuſtatis: quod eſt verum tum ratione vetuſtatis quam relinquit in homine, non conferendo gratiam: tum ratione vetuſtatis, quam occaſionaliter excitat, ſeu auget. Vt intelligamus ex hac differentia, [illegible] nouitatem ſpiritus, & vetuſtatem legis ſcriptæ, quæ propterea *litera* appellatur, repugnare ſtatum quem adepti ſumus per Chriſtum, ſtatum ſub lege, quemadmodum nouitas ſpiritus repugnat vetuſtati literæ.

Status legis Moſaica eſt ſtatus vetuſtatis.

Verſ. 7. QVID ERGO DICEMVS? Poſtquam declarauit quod baptizati non ſunt ſub lege, ex imperfectis conditionibus ſtatus ſub lege repugnantibus perfectis conditionibus ſtatus ſub gratia, quæſtionem ſubiungit. LEX PECCATVM EST? hoc eſt, nunquid lex mala eſt? Et eſt occaſio quæſtionis, tum quia dictum eſt quod lex [illegible] vt abundaret peccatum, tum quia dictum eſt quod affectus peccatorum, qui per legem erant, operabantur in membris noſtris ad fructificandum morti. Ex his enim apparenter prima fronte videtur quod lex eſt mala: & propterea mouit quæſtionem ad excludendum hunc ſenſum. ABSIT. Horrentis eſt. SED PECCATVM NON COGNOVI NISI PER LEGEM. Siue vniuerſaliter de peccato, ſiue ſpecialiter de aliquo peccati genere (puta actus interioris) ſit ſermo, ſenſus eſt quod *peccatum* quatenus eſt offenſa Dei, quatenus puniendum eſt à Deo, *non cognoui niſi per legem*: nam ſine lege Moyſi (de qua eſt ſermo, vt patet ex ſubiunctis) cognouerant homines non ſolum homicidia, & furta eſſe peccata, ſed etiam interiores actus, vt patet in libris Philoſophorum, ſed non cognouerunt peccatum ſecundum primam rationem culpæ, quæ eſt offenſa Dei, nec ſecundum poſteriorem reatum pœnæ quo meretur [illegible] damnationem. Hoc enim per legem communiter cognitum eſt. Et dico *communiter* ad differentiam aliquorum fidelium extra legem, qui diuinitus fuerunt inſtructi. Et eſt ſermo de notitia non tam ſpeculatiua quam practica: quia illa quæ ſunt per legem vetita cognoſcimus vt non attentanda à nobis. Huiuſmodi enim notitiam directè parit lex etiam quoad illa quæ prius nota erant eſſe mala: nam per legem tanquam cognoſcuntur vt vitanda, ac punienda; medium enim proprium legis eſt pœna. Lex namque parit notitiam peccati vt vitandi, vt puniendi.

Peccatum nõ cognoſcitur niſi per legem.

Medium proprium legis eſt pœna.

NAM CONCVPISCENTIAM NESCIEBAM. Probat ab exemplo in vno ſpeciali genere peccati. Et aſſert peccatum interius concupiſcentiæ, in quo maxime [illegible] appareret vis legis notificatiua. Nam nulla lex humana punit actus interiores. Vnde intendendo *[illegible] nesciebam*, non intendit de ipſa concupiſcentia [illegible] vt peccatum punibile.

Et eſt ſermo de concupiſcentia, tam rei alienæ, quam venereæ: vt patet ex authoritate legis ſubiuncta. NISI LEX DICERET, NON CONCVPISCES. Hinc clarè apparet quod de lege Moyſi loquitur, in qua ſcriptum eſt Exod. 20. hoc præceptum.

Verſ. 8. OCCASIONE AVTEM ACCEPTA. Non dicit *occaſione autem data* (quoniam lex non dat occaſionem peccandi) ſed dicit *occaſione acceptâ*: quia ex notitia habita per legem occaſionem accepimus peccandi. PECCATVM. Ecce quis accepit occaſionem. Et nomine peccati ſignificatur fomes interius: hoc eſt, inferior pars animi tendens ad bonum delectabile ſecundum ſenſum, ſeu mundum. Hæc enim pars appellatur *peccatum* multiplici ratione, tum cauſaliter, vel quia eſt cauſa peccati, vel quia eſt effectus peccati primi parentis: tum formaliter, pro quanto eſt pars peccati originalis. Hæc inquam pars animi appellata peccatum, eſt illa quæ accepit occaſionem. PER MANDATVM, non vt inſtrumentum, non vt medium ad hoc adhibitum, ſed vt per contrarium depellendum.

Peccatũ ſumitur pro fomite interno.

Quod vt clarius intelligas, aduerte quod quia naturale eſt vnicuique inſurgere in ſuum contrarium approximatum ſibi, vt patet in naturalibus, calore ſcilicet & frigore: & lex vetans concupiſcere, eſt veluti contrarium approximatum parti animæ concupiſcenti, repræſentatum concupiſcenti animo præceptum legis vt contrarium libertati eius: ac per hoc occaſionem accepit inſurgendi in præceptum: & ſic nititur ad concupiſcentiam vetitam per mandatum. Vbi cernere potes, quod concupiſcens animus non vtitur mandato vt inſtrumento, aut medio ad concupiſcendum, ſed occaſionem concupiſcendi accipit, tanquam defendens libertatem cui contrariatur mandatum: & hoc ne oporteat repetere, ſit dictum pro ſemper. OPERATVM EST IN ME OMNEM CONCVPISCENTIAM. Omne genus concupiſcentiæ: habet enim multas partes concupiſcentia. Vnde & in Exodo dicitur, *Non concupiſces vxorem proximi tui, non ſeruum, non ancillam, non aſinum*, &c. Et eſt ſermo de concupiſcentia actuali: inſurgens enim animus pro libertate, à nullo [illegible] concupiſcentia: ſed quandoque quod prius non concupiſcebat, [illegible] per mandatum [illegible], incipit concupiſcere.

Quomodo [illegible] concupiſcentiam.

Exod. 20. 17.

SINE LEGE ENIM. Continuatio hæc cogit me ad interpretandum [illegible] Pauli verba, vt rationem eius quod dicit inueniam, ſcilicet quod peccatum occaſionem accepit per mandatum operandi concupiſcentiam. Et propterea [illegible] repetenda occurrunt [illegible] quod Paulus duas vitas, & duas mortes [illegible] verbis, ſcilicet *[illegible] peccatum [illegible] mortem*. Vitamque meam & vitam peccati contrarias ponit, atque [illegible] mors peccati, & vita peccati mors mea: hæc enim [illegible] in textu [illegible].

Duæ ſunt vitæ, & duæ mortes.

Red[illegible] quæ [illegible] quod [illegible] de lege Moyſi [illegible] in principio humani generis. [illegible] Deus primis parentibus [illegible] mandatum dederat de non comedendo fructum arboris [illegible], homo ſine lege viuebat, & peccatum [illegible]. Quod homo quidem viueret [illegible] bonum [illegible], & ſine lege, ex hoc conſtat quod

Ante legem peccatū mortuum erat. de ſtatu eius ante factum ſibi præceptum eſt ſermo. Quòd verò tunc peccatum mortuum fuerit, ex hoc patet quod pars illa inferior animi, quæ cauſa peccati in nobis eſt, & propterea *peccatum* appellatur, mortua erat quantùm ad hoc quòd exiret in actum peccati, erat enim velut hoſpita per donum iuſtitiæ originalis, in qua creatus eſt homo. Ex primo itaque ſtatu hominis per locum à maiori probat intentum: dicendo, *ſine lege enim*, hoc eſt, ante mandatum aliquod poſitiuum. Peccatvm, hoc eſt, inferior pars animi quatenus ad peccandum eſt. Mortvvm erat. velut mortuum ſopitum erat per iuſtitiam originalem.

Verſ. 9. Ego avtem. In perſona humani generis loquitur. Vivebam. vita ſpiritus, & corporis abſque neceſſitate moriendi, vitâ contrariâ vitæ peccati. Sine lege aliqvando, in illo primæuo ſtatu ſine lege poſitiua etiam à Deo la-
Geneſ. 2.17. ta. Sed cvm venisset mandatvm. *In quacunque die comederis ex ea arbore, morte morieris*; hoc enim fuit lex, ſeu mandatum legis poſitiuæ, diuinæ tamen. Peccatvm revixit. Sopita
Per mandatū reuixit. pars animi ad peccandum reuixit. Nec dicit, *reuixit*, eo quòd antea peccando vixerit: ſed quia deſcripſerat peccatum mortuum, nec moritur niſi quod viuit, oportuit dicere quòd reuixit: mortuum enim viuere eſt reuiuere.

Verificatur autem *reuiuere*, ſicut verificatur *mortuum*, per priuationem vitæ actualis peccati, non quam habuerat, ſed quam habuiſſet. Niſi enim adfuiſſet donum iuſtitiæ originalis, ſenſualitas hominis exiſſet in actum peccandi: quod eſt actuale viuere peccati, cuius priuatione dicitur mortuum peccatum, & cuius acquiſitione modò dicitur quòd reuixit. Vixit enim concupiſcentia in homine, audito præ-
Geneſ. 3.1. cepti nomine: *cur præcepit vobis Deus*, &c.

Verſ. 10. Ego avtem mortvvs svm, *profui*. Vita ſiquidem peccati fuit mors mea, nam vita peccati fuit ipſum actuale peccare: quod fuit mors & animæ & corporis: quia anima mortua eſt ſpiritualiter, & corpus incurrit neceſſitatem moriendi. Et inventvm est mihi mandatvm, diuinum. Qvod erat ad vitam, animæ & corporis datū à Deo, hoc est ad mortem, animæ & corporis. Modus autem, quo quod erat ad vitam verſum eſt in mortem, ſubiungitur vt directè applicentur dicta ad propoſitum.

Verſ. 11. Nam peccatvm, hoc eſt, inferior pars animi cauſa peccati. Occasione accepta per mandatvm. Modo ſuperius expoſito. Sedvxit me. Ad literam deceptus eſt homo occaſione accepta ex præcepto: inde enim incepit exceptio vnde incepit appetitus libertatis, ſcilicet *cur præcepit vobis Deus*. Et homo quidem ſeductus eſt in muliere, & abductus eſt à via recta in Adam; quam abductionem dictio interpretata *ſeduxit* propriè ſignificat. Et per illvd occidit. Ad literam mortem animæ & corporis intulit inferior pars animi per mandatum excludendum, velut contrarium libertati eius. Nec huic obſtat quòd mulier
Geneſ. 3.13. dixerit, *ſerpens decepit me*: quoniam interna deceptionis cauſa fuit peccatum: hoc eſt, inferior pars animi, concupiſcens delectabile; dæmon autem eſt cauſa extrinſeca.

Verſ. 12. Itaqve. Manifeſtato intento (quòd occaſione accepta inferior pars animi vertit mandatum prohibens peccatum, ad peccandum) concludit reſponſionem ad quæſitum, quòd lex non ſolum non eſt peccatum, ſed eſt ſancta. Lex qvidem sancta. De vniuerſa Moyſi *Lex ſancta.*
lege dicit quòd eſt ſancta: quia eſt dicans homines Deo. Et mandatvm sanctvm. In ſpecie ſingula genera præceptorum legis deſcribit, incipiens à cærimonialibus: dicendo mandatum ſanctum, relationem ad Deum mundam ſignificans. Et ivstvm, quoad iudicialia. Et bonvm, quoad moralia.

Qvod ergo bonvm est, mihi factvm est Verſ. 13.
mors? Prima quæſtio fuerat de malo culpæ quærendo, *quid ergo dicemus, lex peccatum eſt?* hæc quæſtio ſecunda de lege, eſt de malo pœnæ, mors enim tam animæ quam corporis, malum pœnæ eſt. Quæ dicit, *quod ergo bonum eſt*, tum vt de præceptis moralibus (quæ præcipuè ſecundum ſe bona ſunt, ac per hoc remotiſſima ab illatione mali) quæſtionem hanc intelligamus: tum quia ipſa ratio boni aduerſatur ad efficere malum. Et eſt ratio quæſiti id quod ſupra dictum eſt, quòd per mandatum occidit me. Ne ergo quiſpiam intelligeret mandatum legis verſum eſſe velut in inſtrumentum occidendi, mouit hanc quæſtionem. Absit. Horrentis eſt. Sed peccatvm vt appareat peccatvm per bonvm operatvm, pro *operans*, est mihi mortem. Inter animum concupiſcentem vetita, & animum concupiſcentem illa met non vetita, hoc intereſt, quod non vetitus animus concupiſcit ſimplici appetitione: vetitus autem animus concupiſcit vetita non ſimplici appetitione, ſed vt appareat liber, ſed vt appareat vis eius, ſed vt appareat quid ipſe eſt: certat enim velut pro propria gloria contra mandatum reſtrictiuum libertatis eius. Et hoc eſt quod Paulus dicit, *ſed* *Cur nitimur in vetitum.*
peccatum vt appareat peccatum, hoc eſt, pars illa animi prona ad peccandum vt appareat quid ipſa eſt, vt monſtret ſe liberam, *per bonum*, hoc eſt, per mandatum quantumcunque bonum depellendum tanquam contrarium ſuæ libertati, *eſt operans mihi mortem*. In quo apparet quòd bonum non eſt verſum mihi in mortem: ſed pronitas ad peccandum vt appareat in ſua libertate, inſurgit ad excludendum bonum: & ſic operatur mihi mortem.

Vbi nota quod efficere mortem mihi, commune eſt pronitati ad peccatum, tam ſine mandato quàm cum mandato: ſed ad propoſitum Pauli erat declarare modum quo concurrente mandato, non ipſum mandatum, ſed libido peccandi efficit mortem.

Vt fiat svpra modvm peccans pecca- Verſ. 14.
tvm per mandatvm. Dictio interpretata *peccans*, non eſt participium, ſed adiectiuum quo lingua Latina caret. Cuius loco fingunt aliqui *peccaminoſum*: alij interpretantur *ſceleſtus*. In Græco ſonat ac ſi diceretur *infirma infirmitas*: ita quòd quemadmodum diceretur, vt infirmitas fiat ſupra modum infirma per mandatum, ita dicitur vt peccatum fiat ſupra modum, ſeu per exceſſum, id eſt exceſſiuè habens peccatum occaſione mandati. Et deſcribitur ac declaratur per hoc proprius effectus occaſionis acceptæ ex mandato: quod ſcilicet non eſt peccare, ſed exceſſiuè peccare, declarando id quod propoſuerat: *lex autem ſubintrauit, vt abundaret peccatum.*

Verſ.14. SCIMVS ENIM Coniunctio *enim* ad reddendam rationem vtriuſque relatum. ſcilicet quod lex eſt bona, & quod peccatum (hoc eſt inferior pars animi ad peccandum prona) eſt quod ſeducit & occidit. Quod autem dicit *Scimus*, in perſona ſapientum dicit. QVIA, pro *quod*, LEX SPIRITALIS EST. Lex Moyſi lex ſpiritualis dicitur, quia eſt regulatiua ſpiritus, hoc eſt, ſuperioris partis hominis: ad hoc enim tendunt præcepta moralia legis. EGO AVTEM CARNALIS SVM. Contra ſpiritualitatem legis, è regione diſtinguit ſe carnalem: vt intelligamus quòd quemadmodum lex tendit ad id quod eſt ſpiritus, ita ego tendo ad id quod eſt carnis. Et ne ſit quæſtio quo ſenſu Paulus vtitur *ſe*, cùm dicit *Ego autem carnalis ſum*, ſubiungit, VENVNDATVS, pro *venditus*, SVB PECCATVM. vt hinc intelligamus quòd vtitur ſe ex illa parte quâ venditus eſt ſub peccatum: hoc eſt quâ ſeruus eſt peccati. Eſt itaque ſenſus quòd ego ſecundum inferiorem animi partem carnalis ſum, ad ea quæ carnis ſunt tendo. Secundum enim hanc partem animi homo velit nolit ſeruus eſt peccati, homo quátumcunque iuſtus, & ſecundum eam dicitur fomes peccati. Dicit autem *venditus*: vt intelligamus hominem non eſſe cōditum in ſeruitute peccati, ſed eſſe venditum in ſeruum peccati. A quo autem fuerit venditus, non explicat: quoniam conſtat hominem vendidiſſe ſeipſum viliſſimo precio concupiti delectabilis in primis parentibus. Qui enim facit peccatum, eo ipſo ſe conſtituit ſeruum peccati, quod eſt vendi ſub peccatum, referendo ad pretium concupiti delectabilis ſeu vtilis propter quod homo peccat.

Lex ſpiritualis & ego carnalis.

Homo venditus ſub peccato.

Verſ.15. QVOD ENIM OPEROR NON INTELLIGO. Probaturus ſigillatim tria præmiſſa præponit tanquã baſim omnium conditiones hominis iuſti, penes hoc quod non eſt ſimplex ſed compoſitus ex duobus principiis: mente ſcilicet & carne: ſpiritu & peccato, hoc eſt fomite. Quocirca coniūctio *enim* omnium fundamentum afferri ſignificat, in duabus conditionibus teſtantibus hominem eſſe tanquam duos, ſcilicet operari præter intellectum & inobedientiam ac contrarietatem operis ad voluntatem. Dicendo enim, *quod enim operor non intelligo*, ſe operari ſine imperio intellectus aperit: & dicendo *non enim quod volo ego* inobedientem ſe ſibi volenti deſcribit: & dicendo *ſed quod odi malum hoc facio*, contrarium ſe ſibi odienti ſeu volenti teſtatur. Sapienter autem Paulus ex actibus docet principia interna, & ex eo quòd præter intellectum & præter ac contra volitiones homo multa operatur, monſtrat hominem conſtare ex contra ſeſe pugnantibus. Et nihilominus hac eadem particula textus vtitur Paulus ad probandum iſtam particulam, *ego autem carnalis ſum*: hoc enim probat ex hoc quod operatur præter intellectū. Rationalis ſiquidem hominis quatenus rationalis eſt operatio eſt per intellectum, & propterea ex hoc ipſo quòd non intelligo id quod operor, ex hoc ipſo quòd operor abſque imperio intellectus, experior me eſſe carnalē. Nec indiget probatione nos operari abſque imperio intellectus: quoniam experimur in nobis multas appetitiones animi, multaſque cogitationes abſque imperio intellectus prouenientes ex inclinationibus animi ad propria delectabilia: hoc eſt enim eſſe carnalem. Attamen Paulus probat ſubiungens, NON ENIM QVOD VOLO BONVM HOC AGO. Superfluit *bonum*. Manifeſtat ſe operari præter intellectum, ex hoc quod non operatur ſecundum voluntatem: intellectus enim mediante voluntate imperat. SED QVOD ODI MALVM ILLVD FACIO. Superfluit *malum*. Ex vtroque actu (ſcilicet, velle & nolle) manifeſtat quæ experimur quotidie in nobis, dum ſenſualitas & non facit quod volumus & facit quod nolumus, variis appetitionibus.

Conſtat homo ex contra ſe pugnantibus.

Pugna à ſenſualitate.

SI AVTEM QVOD NOLO ILLVD FACIO, Verſ.16.
Ex hoc vltimo dicto (hoc eſt, ex contrarietate operis ad velle) poſtquam probauit ſe carnalem, probat quòd lex eſt ſpiritualis. Et ſcito quòd vis medij termini conſiſtit in contrarietate voluntatis ad opus: ſed procedit ex parte velle, in eo quod dicitur, *ſi autem quod nolo*. Ex hoc enim quod ego nolo id quod facio ſecundum carnē, manifeſtè ſequitur quòd voluntas mea concors eſt legi: quæ etiam prohibet id quod facio ego carnalis. Et propterea optimè infertur. CONSENTIO LEGI QVONIAM, pro, *quod*, BONA EST. Nota autem progreſſus. Non dicit *conſentit voluntas*, ſed *conſentio*: poſtquam enim ſeipſum diſtinxit in contrarios, (ſcilicet ſe intelligentē ac volentem, & ſe operantē) intendit locare ſe ſimpliciter & abſolutè à loco ſui intelligentis & volentis, & excludere ſe ſimpliciter & abſolute à loco ſui operantis, attribuendo locum illum non ſibi, ſed peccato in carne habitanti. Ita quòd vbi hactenus tanquã confundens ſe, vſus eſt ſe vtrinque, modò diſtinguens, ordinans, & reſoluens in propria principia, vtitur ſe ſecundū id quod eſt, & non ſecundum id quo æger eſt: quod non eſt eſſe, ſed priuatio, ſed morbus, ſed peccatum. & propterea dicit *conſentio* ego ſimpliciter & abſolute.

Vbi alterum non minoris artis aduerte quòd vbi ſuperius ſe contra legem locauerat, dicendo: *lex ſpiritalis eſt, ego verò carnalis ſum*, modò ex parte legis ſe locat dicendo, *conſentio legi quod bona eſt*. Simpliciter ſiquidem & abſolute homo ſecundum id quod eſt, conſentit legi, atteſtatur quod lex eſt bona, dum vult contrarium eius quod caro infecta operatur: quoniam ſicut hoc velle eſt bonum, ita lex habens idem velle eſt bona. Ita quòd ab intimis mentis & voluntatis teſtimonium perhibemus quòd lex eſt bona.

NVNC AVTEM IAM NON EGO OPEROR ILLVD. Verſ.17.
Vbi probauit quòd lex eſt bona, vbi locauit ſe ex parte legis, ne etiam locares ipſum quoque abſolute ex parte carnis, ſeparat ſe abſolute à loco ſeu parte carnis ſeu ſui operantis. Dicendo *nunc autem*, tempus iuſtificati hominis ſignificat *nunc*. & pronomen *ego* demonſtrat ſe non ſecundum quod (vt ſuperius demonſtrauit, cùm dixit, *Ego carnalis ſum*) ſed ſimpliciter & abſolute, ſecundum id quod eſt, & propterea verè dicit quòd non ego operor illud inuoluntarium. SED QVOD INHABITAT IN ME PECCATVM. Ecce operimus opus præter intellectum & voluntatem, non ſum ego cauſa inuoluntarij operis, ſed peccatum habitans in me. Appellatur *peccatum habitans*, pronitas inferioris partis animi ad

Peccatum inhabitans eſt pronitas inferioris partis animi ad peccatum.

peccatum, quæ peccatum dicitur & eſt, quia eſt pars originalis peccati, quæ remanet etiam in baptizatis & iuſtis, ac ſanctis viris. Quæ etſi naturalis eſt, pro quanto natura ſenſitiua naturaliter tendit ad bonum ſenſibile (quod frequenter contrariatur bono rationali) eſt tamen peccati originalis pars, pro quanto deſtituta eſt fræno originalis iuſtitiæ: ex hac enim priuatione voluntaria voluntate primi parentis, habet rationem peccati: & remanet in baptizatis, & iuſtis ſub ratione effectus inflicti, & pœnæ peccati originalis, ſicut & mortalem eſſe. Nec deſinit appellari *peccatum*, vel quia eſt cauſa peccati, vel potius quia eſt ex peccato: ſicut litera manu meâ ſcripta, vſitato vocabulo appellatur *manus mea*: dicentibus omnibus de litera, iſta eſt manus illius. Et dicitur *inhabitans*, quia iſta definitio per modum non hoſpitantis, ſed habitantis manet, & perſeuerat in nobis continuè.

Verſ. 18. Scio enim. & certâ ſcientiâ, & experimento. Probat quòd immediatè ante dixerat, ſcilicet quòd peccatum habitans in me operatur inuoluntarium. Qvia, pro *quod*, non inhabitat in me (hoc eſt, in carne mea) bonvm. Ex hoc quòd bonum gratiæ habitans in ſpiritu non habitat in carne, probat quòd peccatum habitans in carne, operatur huiuſmodi inuoluntaria. Bonum ſiquidem gratiæ diuinæ per baptiſmum inhabitat in ſuperiori parte hominis: non autem in inferiore animi parte quæ appellatur caro. Et propterea veriſſimè dicit ſe ſcire, & experiri quòd in ſe, hoc eſt, in carne ſua, non habitat bonum gratiæ. Vbi clarè vides quod exponit ſe carnalem reiiciendo in carnem, & excludendo à ſe abſolutè, ſe carnalem, & ex hoc quòd bonum gratiæ diuinæ non reformat carnem ſicut reformat mentem, relinquitur caro deordinata, relinquitur fomes peccati. Nam velle adiacet mihi. Probat hoc vltimò dictum (ſcilicet quòd bonum non habitat in carne mea) ex hoc quòd *velle adiacet mihi*: hoc eſt, facultas volendi bonum eſt in me iuſtificato. Perficere avtem bonvm non invenio. hoc eſt, facultatem exequendi bonum ſpectans ad partem inferiorem, non inuenio. Hoc eſt enim quod ſub aliis verbis Chriſtus
Matth. 26. 41. dixit, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Et quòd hoc ſit verum, probat ab actionibus, vtendo ſuperiùs dictis.

Verſ. 19. Non enim qvod volo bonvm hoc facio, sed qvod nolo malvm hoc ago. Superius hanc inobedientiam, & hanc contrarietatem explicauerat ſine bono & malo: modò applicat inobedientiam ad bonum, & contrarietatem ad malum: quoniam ex his euidenter patet quòd quamuis velle bonum, & nolle malum ſit in facultate mea, perficere tamen bonum, & cauere malum non inuenio in carne executiua: hoc eſt, in parte inferiori animi: inuenitur enim inobediens cum volo bonum, & contraria (vtpote faciens malum) cum nolo malum.

No quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago.

Verſ. 20. Si avtem qvod nolo illvd facio. Reſumendo vltimo dictum arguit ad concludendũ, ſcilicet quod non ego, ſed inhabitans in me peccatum operatur malum inuoluntarium. Et optime ex contrarietate facti ad nolle, infert, Iam non ego operor illvd, sed qvod habitat in me peccatvm. Ex eo namque quòd ego nolo malum aliquid, ſequitur quòd ego non operor illud: ex eo verò quòd illud malum facio, hoc eſt, exequor ſecundùm partem inferiorem, ſequitur quòd habitans in me peccatum operatur malum illud.

Recole hic quòd ex hacmet propoſitione, ex hacmet contrarietate (ſignificata dicendo, *ſi autem quod nolo illud facio*) paulò ſuperius intulit, *conſentio legi quod bona eſt*: & modò infert quòd ego non operor malum, ſed habitans in me peccatum: contrarietas enim iſta ex parte ſuperiori infert, & concordiam legi, & negationem operandi malum: ex parte verò inferiori infert quòd peccatum habitans in me eſt id quod operatur malum quod nolo.

Invenio igitvr legem volenti mihi facere bonvm. Non ſatis fuerat ex conditionibus iuſtificati hominis declarare legem eſſe bonam, ſed oportebat ex eiſdem declarare legem eſſe ſpiritualem: cum hoc propoſitum fuerit. Et propterea modò infert ex eiſdem conditionibus contrariis ſpiritualitatem ſimul, & neceſſitatem legis. *Spiritualitatē* quidem inferendo: *inuenio igitur legem mihi volenti facere bonum.* Iam enim patet ex ſuperioribus, quòd ego volens facere bonum, ſum ego ſecundùm ſpiritum. Et propterea ex hoc ipſo quòd mihi volenti facere bonum inuenio legem, apparet quòd lex eſt ſpiritualis: alioquin inuenirem legem contra me volentem facere bonum, ſed non inuenio legem contra me, ſed mihi volenti facere bonum, hoc eſt ſpirituali: igitur lex ſpiritualis eſt, vtilis eſt mihi ſpirituali. *Neceſſitatem* autem ſubiungendo, Qvoniam mihi malvm adiacet. Ideo inuenio legem vtilem mihi ſpirituali, quia malum mihi adiacet: neceſſitas ſiquidem legis eſt ex parte mali mihi adiacentis. Si enim bonum gratiæ eſſet in vtraque parte iuſtificati hominis, inueniret quidem homo ſpiritualis legem vtilem, ſed non neceſſariam ex parte contrarietatis in homine: ſed ex eo quòd malum adiacet etiam iuſtificato, lex inuenitur tanquam frænum, ad cohibendum pronitatem ad peccandum. Verſ. 21.

Spiritualitas, & neceſſitas legis.

Condelector enim legi Dei secvndvm interiorem hominem. Rationem reddendo vtriuſque vltimò dicti, progreditur ad declarandum quod reliquum erat, ſcilicet *venditus ſub peccatum*, declaratis duobus prioribus, ſcilicet *lex ſpiritualis eſt & ego carnalis ſum*. Quòd enim verum ſit, inuenio legem mihi volenti bonum facere, hinc patet quia condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, hoc eſt, ſecundùm mentem, ſecundùm ſpiritum. Et appellauit ſuperiorem partem animi interiorem hominem, eo quòd operationes ſuas perficit intus: in ſeipſa ſcilicet abſque organis corporeis: intellectus enim, & voluntas ſupereminent ſeparati ab vniuerſo corpore. Et per oppoſitum exterior homo vocatur homo ſecundum partes ſenſitiuas, tam interiores, quàm exteriores, eo quòd carnalibus officiis immerſæ ſunt. Verſ. 22.

Interior homo eſt ſuperior pars animi.

Exterior homo vocatur ſecundùm partes ſenſitiuas.

Video avtem aliam legem in membris meis. Ecce partes exterioris hominis, ecce ex quibus componitur [illegible] exterior homo, ſcilicet membra Verſ. 23.

membra carnalia, tam interna, quàm externa. REPVGNANTEM LEGI MENTIS MEÆ. Lex Dei, & lex mentis meæ ſunt concordes: nam per legem mentis meæ intelligit naturalem legem inditam menti: lex autem in membris, eſt ipſa ordinatio affectuum carnalium ad delectabilia & vtilia ſecundum ſenſum: huiuſmodi enim inclinatio lex nominatur, quia eſt tanquam lex naturalis partis ſenſitiuæ quatenus ſenſitiua eſt. Repugnat autem hæc lex legi mentis: quia inclinatio partis ſenſitiuæ tendit ad bonum vtile, ac delectabile ſecundum ſenſum: inclinatio autem mentis, & ſpiritus tendit ad bonum ſecundum rectam rationem & ſpirituale. Conſtat autem quòd hæc duo bona ſæpe ſibiinuicem aduerſantur: vt experientia teſtatur. Et propterea veriſſimè dicit Paulus quamuis iuſtificatus & ſanctus, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI, QVÆ EST IN MEMBRIS MEIS. Ecce quod dixerat *venditus ſub peccatum.* Conſiderare libet quod quemadmodum ex parte animi ſuperiore meminit duarum legum (ſcilicet, legis Dei, & legis mentis meæ) ita ex parte quoque inferiori meminit duarum legum, ſcilicet legis membrorum meorum, & legis peccati, vt lex carnis è regione legis mentis, & lex peccati è regione legis Dei locetur. Et ſicut lex mentis ſubdit hominem legi Dei, ita lex carnis ſubdit hominem legi peccati. Et quamuis tam lex carnis, quàm lex peccati ſit in membris meis, vt Paulus clarè dicit, differunt tamen in hoc, quòd lex carnis & naturalis, eſt inclinatio naturalis virium inferiorum ad propria bona: lex verò peccati eſt pœna peccati originalis: & eſt deordinatio earundem virium derelicta ex perditione iuſtitiæ originalis. Diſtinguuntur ergo *lex carnis*, & *lex peccati*, non materialiter non ſubiecto, ſed formaliter & penes principia, quia illa à natura, iſta à peccato: illa inclinatio eſt, hæc priuatio: vnde & illa captiuum me reddit ſub iſta, vt Paulus dicit. Et verè: quia inclinatio naturalis partis ſenſitiuæ in bonum delectabile ſecundùm ſenſum, reddit me captiuum ſub peccato. Scrutare modum quo peccauerunt primi parentes, & videbis quod nos peccamus ſicut & illi, quos naturalis inclinatio ad delectabile bonum duxit in ſeruitutem peccati. Conuenit autem legis nomen huic pœnæ peccati, quia tanquam lex à peccato edita ad peccandum ducit: illo tamen modo quo priuatio trahens ducit, ſcilicet licentiando, ſeu remouendo prohibens. Senſualis itaque inclinatio captiuum reddit hominem inuitum ſub lege peccati, dum inuitum malis appetitionibus ſubiicit in primis motibus inuoluntariis.

Legi mentis repugnat lex in membris.

Lex membrorum, & lex peccati, oppoſita legi mentis, & legi Dei.

Lex carnis, & lex peccati qui diſtinguantur.

Verſ. 24. INFELIX EGO HOMO. Hinc apparet clarius, quòd in perſona iuſtificati hominis locutus eſt: nam affectus huiuſmodi ſuſpirantis ægrè ferendo ſtatum carnis, manifeſtè affectus eſt non ſolùm iuſtificati, ſed ſancti viri, miſerum ſe profitentis ratione affectuum carnalium, & ſuſpirantis pro liberatione. Vnde & dicit, QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS? In textu Græco pronomen *huius* anceps eſt ad *corpus*, vel *mortis*. Ita quòd poteſt legi *de corpore mortis hoc*: vt ſignificetur, hoc corpus eſſe corpus mortis. Et poteſt legi *de corpore mortis huius*: ſignificãdo quòd non ſuſpirat vt liberetur à corpore abſolutè, ſed à corpore mortis huius: hoc eſt, à corpore quatenus eſt miniſtrans mortem hanc; eſt enim nonnulla mors pati huiuſmodi ſenſuales motus. Et eſt ſenſus; Ex quo donum gratiæ Chriſti non me liberat ab hac carnis conditione mortifera, quis me ab illa liberabit? quaſi dicat, nullus. Et verum dicit pro ſtatu præſentis vitæ, propter quod dicit me iuſtificatum, de quo loquitur.

Suſpirat in carnem ſuam deiiciens.

GRATIA DEI, pro *gratias ago Deo*, PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Verſ. 25.
Non ſignificatur gratia Dei liberans, ſed gratiarum actio, ne paruipendentis iuſtificatum ſtatum ſuum propter miſeriam carnis, & deſperati voce dictum intelligeres, *Infelix ego homo quis me liberabit*, ſubiungit gratiarum actiones Deo per Ieſum, vt ex hoc quòd gratias agit Deo per Ieſum, intelligamus beneficium eſſe vocem hanc: intelligamus beneficium Dei per Ieſum Chriſtum collatum eſſe vocem dictam. Et verè beneficium magnum eſt, quòd homo iuſtificatus non ſolum cognoſcit, ſed æſtimat quod carnis in ſe videt, vt miſeriam, & æſtuat deſiderio rei communiter impoſſibilis, non ſimpliciter, ſed in hac vita. Huiuſmodi enim velleitas accepta vt homo totus ſeruiat Deo meritoria eſt: & vtilis eſt ad magis ac magis recedendum à ſeruitute carnis. Eſt itaque ſenſus: quamuis ex parte carnis miſerum, & non liberandum in hac vita cognoſcam me, de hoc tamen ipſo quòd æſtimo hanc miſeriam, & æſtuo deſiderio libertatis, gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum: quia hoc eſt beneficium collatum mihi ex dono gratiæ Ieſu Chriſti reformantis mentem meam: ideo gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum, quia ipſe mediator eſt: vtpote per quem conſecutus hoc mentis beneficium ſum. IGITVR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI, CARNE AVTEM LEGI PECCATI. Concluſio iſta continuum eſt præcedentium, & ſubſequentium. Tranſitiue ſiquidem hinc incipit Paulus ad monſtrandum donum pacis, quod iuſtificati per Chriſtum habent ad Deum, extendi ad liberandum à lege peccati: extendi autem per voluntariam viam legis ſpiritus. Ita quòd vel hactenus declarat donum Chriſti non liberare iuſtificatos à carne, nobis inuitis operante motus præter intellectum, modo conſequenter intendit docere quod donum Chriſti in iuſtificatis efficit in carne, voluntario interueniente vſu ipſius doni. Et propterea ex dictis infert ambarum libertatum actiones, & fructus: dicendo quòd ex dictis ſequitur in me iuſtificato eſſe duo principia inclinatiua ad contraria, mentem ſcilicet & carnem: ac per hoc ego iuſtificatus, mente inclinor ad ſeruiendum voluntariè legi Dei, carne autem inclinor ad ſeruiendum voluntariè legi peccati, & vtrunque clarum eſt. Crediderim itaque ego hanc particulam aptius iungi & effici principium capituli ſequentis quàm finem præcedentis, quoniam materiam ſequentem inchoat.

Gratia Dei hic ſumitur pro gratiarũ actione.

Duo in iuſtificato principia inclinantia ad contraria, mens & caro.

CAPVT VIII.

Verſ. 1. NIHIL ERGO NVNC EST DAMNATIONIS. Cùm in antedictis docuiſſet iuſtificatos per donum Chriſti non carere malo carnis pugnantis aduerſus ſpiritum, ne donum Chriſti putares imperfectum vt donum legis antiquæ (eo quòd iuſtificatis in Chriſto, & ſectantibus iuſtitiam legis diuinnæ per Moyſen datæ, commune apparet mente ſeruire legi Dei, carne autem legi peccati, commune eſt habere carnem & ſpiritum contra ſe inuicem pugnantes) ideo ſubiungit differentiam inter iuſtificatos in Chriſto ambulantes ſecundum ſpiritum, & ſectantes legem Dei ambulantes ſecundum legem. Et conſiſtit differentia in hoc quòd in illis nihil committitur damnabile propter donum Chriſti tam externum, quàm internum: in iſtis committuntur multa damnabilia, propter impotentiam legis vigente carne: vtpote non conferente lege gratiam, & non damnante peccatum in carne. Intendit itaque per nullam damnationem nullum actum quo meremur damnari: vt patet ex eo quòd non dicitur hoc de exiſtentibus in Ieſu Chriſto, ſed ambulantibus in Ieſu Chriſto ſecundum ſpiritum: quod manifeſtè ſonat exercitium operum noſtrorum. Et dixit hoc ad differentiam primorum motuum qui ſunt etiam apud iuſtificatos in Chriſto, vt intelligamus illos non eſſe materiam damnationis, vt intelligamus illos non contrariari exemptis ab omni condemnationis merito: primi enim motus non reddunt ſanctos viros damnabiles, tum ob eorum imperfectionem, tum quia abſorbentur à copia ſanctarum actionum continuarum. Et dicit *nunc*, vt intelligamus quòd de præſentis vitæ ſtatu loquitur: ne intelligeres quòd ratione ſtatus futuræ beatitudinis excludit omnem damnationem ab iſtis. IIS QVI SVNT. Superfluit *ſunt*. IN CHRISTO IESV, QVI. Superfluit *qui*. NON SECVNDVM CARNEM AMBVLANT. Deſunt tres dictiones: *Sed ſecundum ſpiritum*. Vnica eſt in textu Pauli oratio: ſed interpres diſtinxit in duas. Paulus enim habet, *iis qui in Chriſto Ieſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum*. Quamuis ad ſenſum non interſit. Ne omnibus iuſtificatis in Chriſto communem intelligeres exemptionem ab omni damnatione, explicauit quibus illa conuenit: vt intelligamus hanc exemptionem non ſeruari cum operibus quibuſlibet, ſed cum continuo progreſſu, non ſecundum carnales affectus, ſed ſecundum ſpiritus inclinationem: & hoc in Chriſto Ieſu. Et dixit *in Chriſto Ieſu*, ad differentiam ſectatorum legis diuinæ ſecluſo Ieſu. Et dicit *ambulant*, vt continuum vitæ rectæ non ſtatum, ſed progreſſum excluſà negligentià ac deſidià ſignificet: ad differentiam Chriſtianorum, qui ab omni damnatione exemptos parum curant ſe ſeruare. Et adiungit negationem operum carnalium ad confutationem hæreticorum ambulantium ſecundum ſpiritum ſimul & carnem, dum opera carnalia perficiunt ſub prætextu ſpiritus. Et adiungit negationi operum carnalium opera ſecundùm ſpiritum, ad excitationem tepentium, quibus magnum videtur quod abſtinent à proſecutione carnalium: vt intelligamus non ſufficere ad euitandam omnem damnationem abſtinere à carnalibus, ſed oportere proficere in ſpiritualibus.

Differentia inter iuſtificatos in Chriſto ambulantes ſecundum ſpiritum, & ſectantes legem ambulantes ſecundum eam.

Verſ. 2. LEX ENIM SPIRITVS VITÆ IN CHRISTO IESV. Quinta eſt hæc lex inter nominatas hic à Paulo: nam quatuor prænominatis (ſcilicet *legi Dei, legi mentis meæ, legi membrorum*, ſeu carnis, & *legi peccati*) modò ſuperadditur *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu*. Et eſt ordo: Lex ſpiritus, non cuiuſcumque, ſed *ſpiritus vitæ*, hoc eſt, ſpiritus vitalis, ſpiritus viuificantis, ſpiritus ferentis ſecum vitam, *vitæ* autem non naturalis, ſed *vitæ in Chriſto Ieſu*, vitæ quà viuimus in fide, ſpe, dilectione, & imitatione Ieſu Chriſti. Et appoſuit hoc ad differentiam legis Dei per Moyſen, quam appellauerat legem ſpiritualem. Ac ſi apertius dixiſſet, quamuis vtraque ſit lex ſpiritus, iſta tamen de qua loquor, eſt lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, illa non: vtraque eſt Spiritus ſancti vt actoris, vtraque eſt ſpiritus noſtri directiua, ſed hæc eſt Spiritus ſancti quatenus eſt viuificator noſter in Ieſu Chriſto, quatenus habitando in nobis viuificat nos in Ieſu Chriſto. Et eſt iſta lex *ordinatio, diſpoſitio, dominiúmque Spiritus ſancti in nobis proueniens ex Spiritu ſancto viuificante nos in fide, ſpe, & dilectione Ieſu Chriſti*. De qua ſiquidem ordinatione verificatur quod ſubditur. Vbi, erudite Lector, cerne quàm propriè probat nihil damnabile committi ab ambulantibus in Chriſto ſecundum ſpiritum, ex efficacia legis ſpiritus viuificantis in Ieſu Chriſto.

Quatuor prædictis legibus additur quinta, lex ſpiritus vitæ in Chriſto.

Quanam hæc lex?

LIBERAVIT ME A LEGE PECCATI. Pronomen *me* demonſtrat ipſum in Chriſto ambulantem non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum: perſonam ſiquidem talium induit. Non dicit, *liberauit me à corpore mortis huius*: de quo ſuperiùs ſuſpirauerat: *quis me liberabit de cor-pore mortis huius*? nam à corpore huius mortis nemo in præſenti vita liberatur; à peccati autem lege liberantur omnes baptizati ambulantes ſecundum ſpiritum, dum abſoluuntur dominio peccati ſuper ipſos, ab obligatione conformandi voluntarias ſuas operationes legi peccati: à quo vinculo non abſoluebat lex. Spiritus enim ſanctus viuificans nos in Ieſu Chriſto, ordinat ita intus animos noſtros, vt tali auxilio fulti legem peccati non ſequamur, ob cuius doni priuationem ſectantes legem, ſibiipſis derelicti, velut ſubditi peccato ferè coguntur conformare opera ſua voluntaria legi peccati. ET CARNIS. Non dicit *liberauit à morte*, ſed *à lege mortis*, quæ lex ipſo Paulo inferiùs exponente eſt ex permanentia in morte: nam lex mortis, lex mortem ſequens, eſt mortuum perſeuerare mortuum, eſt de morte non eſſe redditum ad vitam. Et ab hac lege liberati ſumus per Spiritum ſanctum habitantem in nobis: vt patet inferiùs.

Verſ. 3. NAM QVOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI. Multa

more

more ſuo Paulus propoſuit in hac materia ambulantium ſecundum ſpiritum in Chriſto Ieſu, & propterea more quoque ſuo intendens ſingula propoſita declarare, incipit a primo, ſcilicet, *Nihil damnationis eſt ambulantibus in Chriſto*, &c. & directè probat per Chriſtum effectum eſſe vt nihil damnabile incurramus:
Lex impotens ad hæc duo, 1. ad dominiũ ſpiritus ſuper carnem. 2. ad perfectã mandatorum executionem. quod lex Moyſi efficere nequiuit. Et vt clarius hæc intelligantur, duo quantum ad propoſitum ſpectat, ſubordinata ſunt, quæ lex nequiuit efficere. Alterum eſt dominium ſpiritus ſuper carnem: alterum hinc conſequens, eſt perfecta præceptorum legis executio. Ratio autem quare lex neutrum horum potuit, ſubiungitur, IN QVO INFIRMABATVR PER CARNEM, hoc eſt, in eo quòd impotens erat ratione ſtatus carnalis: lex enim Moyſi quamuis ſpiritualis eſſet (hoc eſt, ad regulandum ſpiritum hominis data à Deo) quia tamen non adiuuabat intus per gratiam, lex erat infirma & imbecillis ob ſtatum carnalem hominum in quo relinquebat illos: ex hac enim legis imbecillitate clarè patet prouenire quòd lex non poterat efficere illa duo quæ explicauimus. DEVS FILIVM SVVM MITTENS IN SIMILITVDINE CARNIS PECCATI. Dictio interpretata *mittens*, participium eſt præteriti temporis actiuum, quo Latini carent, & propterea ad ſeruandum, & participium & tempus, aliqui interpretes verterunt (& rectè) actiuum in paſſiuum. Legendo ſic: *Deus filio ſuo miſſo in ſimilitudine carnis peccati.* Non dicit *in ſimilitudine carnis*: quia miſſus eſt in vera carne, & non in ſimilitudine carnis, ſed determinat qualitatem carnis de qua loquitur, adiungendo *peccati*: quia miſſus eſt non in vera carne peccati, hoc eſt, ſubiecta peccato, ſed in ſimilitudine carnis,
Caro peccati quæ quæ ſubiecta eſt peccato. Caro ſiquidem noſtra caro peccati eſt, poſtquam Adam peccauit: filius autem Dei miſſus eſt in carne ſimili carni noſtræ ſubiectæ peccato, pro quanto miſſus eſt in carne paſſibili & mortali: per has enim conditiones caro Chriſti in hac vita fuit ſimilis carni peccati; nam caro ex peccato ſubiecta eſt paſſionibus & morti: vt patet in principio Geneſ. ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE,

Verſ. 4. VT IVSTIFICATIO LEGIS IMPLERETVR IN NOBIS. Aduerte in primis quòd nec in Græco, nec in Latino apparet ordo literæ perfectus: niſi vtendo coniunctione, *&*, pro *etiam*, vel ſimili æquiualente coniunctione. Appoſitam ſiquidem intelligimus coniunctionem ad ſignificandam ſequelam alterius beneficij: vt ſcilicet notemus Deum non tantum miſiſſe filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, ſed & de peccato damnaſſe peccatum in carne. Et nihilominus ſenſus remanet obſcurus: apparet autem penetrando cauſas proprias rerum, & reſoluendo effectus in proprias cauſas (vt tantum decet Doctorem) quod quia dixerat legem imbecillem ob carnem ad iuſtificationem implendam, quæ impletur in ambulantibus in Chriſto, affert modò ex parte Chriſti efficaciam ſuper carnem, *vt iuſtificatio legis impleatur in nobis ambulantibus in ipſo*, &c. Et cum multis medijs hanc effica-
Efficacia Chriſti ſuper carnem. ciam potuiſſet monſtrare Paulus, elegit hanc viam: quoniam in hac explicatur propria cauſa ſubactæ carnis noſtræ à Deo per Chriſtum, non viâ potentiæ, ſed iuſtitiæ. In hoc ipſo itaque quòd Filius Dei habuit in hac vita carnem ſimilem carni peccati, conſtat quòd filius Dei veſtitus eſt peccato, ſeu perſonam induit peccatum habentis, multò magis quàm indutus veſtes, laruamque Cæſaris induit perſonam Cæſaris: quandò caro paſſionibus mortique ſubiecta ſignum communiſſimum eſt hominis peccatum habentis: nec in aliquo feſellit niſi in Chriſto.

Vnde cum dicitur *de peccato*, ſignifica- *Chriſtus peccato indutus.*
tur peccatum non inexiſtens, ſed indutum: eſt enim ſenſus, & de peccato induto. Chriſtus enim nullum vnquam habuit in ſeipſo peccatum; ſed induit peccatum aſſumendo ſimilitudinem carnis peccati. Et quemadmodum reddendo ſingula ſingulis, Chriſtus morte ſuâ mortem noſtram deſtruxit, & vita ſua immortali vitam noſtram reparauit, ita peccato induto ex ſimilitudine carnis peccati damnauit peccatum in carne: hoc enim eſt effectus in proprias cauſas reſoluere. Et hinc habes quod Paulus meminit miſſi in ſimilitudine carnis peccati, tum ad explicandum modum quo Chriſtus induit peccatum, tum ad explicandum innocentem carnem Chriſti damnantem peccatum in carne noſtra. Aptiſſime ſiquidem peccatum in carne noſtra damnatur merito innocentis carnis indutæ peccatum: ſicut mors merito mortis. Intendit enim quod ſicut Chriſtus ſua morte meruit deſtructionem mortis noſtræ, ita in hoc quòd voluntariè induit peccatum in carne ſimili carni peccati, meruit damnationem peccati in carne noſtra. Nec interceſſit meritum tantummodò, conſequens aſſumptam carnem (priùs enim aſſumpta eſt caro, & deinde meritum eſt voluntarium ſuſtinendi indumentum peccati in Chriſto iam homine) ſed interceſſit actio damnatiua: ſicut moriendo non ſolùm interfuit meritum, ſed actio diuina deſtruens mortem. Propter quod Paulus attribuit damnationis actionem non Chriſto, ſed Deo per Chriſti carnem indutam peccato: dicit enim quòd Deus miſſo filio, &c. damnauit peccatum in carne: vt intelligamus diuinam actionem damno afficientem peccatum in carne noſtra, & ex tali carne filij ſui, & ex merito induti peccati.

Nec dixit *euincit*, ſed *damnauit peccatum in carne*: quia loquitur reſpectu noſtri, qui ambulamus per ſpiritum, &c. in carne ſiquidem noſtra dum hic ſumus, non eſt penitus per Chriſtum extinctum peccatum
(nam remanet fomes) ſed eſt damnatum, *Damnari eſt iudicialiter addici dãno.*
eſt addictum damno: damnari enim eſt iudicialiter addici damno: & peccatum in carne noſtra (hoc eſt, in baptizatis omnibus) ex iuſtitia innocentis carnis Chriſti ſub iniuria peccati induti damnatum eſt, addictum eſt extinctioni: ſed extinctio non perficitur in hac vita: ſed ſatis eſt quod interim ſubiectum & affectum eſt damno diminutionis tali ac tanto vt iuſtificatio legis impleretur in nobis ambulantibus.

Et non dicit *vt iuſtificatio impleretur in nobis*, ſed *vt iuſtificatio legis*, proculdubio Moſaicæ: vt intelligamus quòd de iuſtificatione (hoc eſt, perfecta executione legis)

Iuſtificatio legis eſt eius perfecta executio.

loquitur: quam lex obſtante carnis peccato indemnato, & vigente non poterat perficere. Et quòd de iſta iuſtificatione ſit ſermo, patet ex eo quòd ſubdit hanc iuſtificationem non adimpleri in omnibus baptizatis, ſed in ambulantibus ſecundum ſpiritum. Hinc enim duo habentur, & de qua iuſtificatione loquitur, ſcilicet quæ ambulantibus in Chriſto ſecundum ſpiritum propria eſt: quæ eſt perfectè adimplere præcepta legis, proculdubio quoad moralia: & modus quo damnatio facta peccati per Chriſtum ſortitur hunc effectum, perducitur ad hunc finem, qui eſt iuſtificationem legis impleri in nobis: habetur enim hinc quòd modus eſt, quòd mediante lege ſpiritus ambulatio fit. Ita quòd damnatum eſt peccatum in carne noſtra per meritum Chriſti, dum damno extinctionis addictum eſt, & ſubiectus fomes, ita vt in ambulantibus ſecundum ſpiritum impleatur legis iuſtificatio; quod conſtat fieri per donum internæ gratiæ per Chriſtum habitæ. Ita quòd concurrere ſignificantur duo dona Chriſti, alterum ex parte carnis, quod principaliter in hac ratione intendit, ſcilicet quòd peccato induto in carne ſimili damnatum eſt peccatum in carne noſtra; alterum ex parte ſpiritus tanquam modus perducendi donum carnis ad talem effectum: quæ eſt plena legis iuſtificatio.

Senſus huius loci.

Declaratâ itaque materiâ, collige ſenſum. Patefacit Paulus quòd ambulantes in Chriſto ſecundum ſpiritum, nihil committunt damnabile, quemadmodum ambulantes ſecundum ſpiritum in lege, committebant aliquid damnabile: quia plena adimpletio legis quam lex propter ſtatum carnalem efficere nequibat, efficitur in ambulantibus in Chriſto ſecundum ſpiritum. Efficitur autem hoc modo: quia ſtatum carnalem quem lex tollere non poterat, Deus abſtulit in nobis, miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati: ac per hoc de peccato induto damnauit, iuſtè addixit damno extinctionis, & affecit damno diminutionis peccatum in carne noſtra, quod faciebat ſtatum carnalem, vt ſic iuſtificatio legis impleretur in nobis: hoc eſt, vt facultatem etiam ex parte carnis minùs impedientis haberemus implendi iuſtificationes legis, & ſic nulli in nobis damnationi locum relinqueremus, quamuis primi motus inſurgant.

QVI NON SECVNDVM CARNEM AMBVLAMVS, SED SECVNDVM SPIRITVM. Explicat quos demonſtrat pronomen *nobis*: vt explicitè concludat intentum quod propoſuerat.

Verſ. 5. *Differentia ambulantiũ ſecundũ carnem ab ambulantibus, ſecundum ſpiritum.*

QVI ENIM SECVNDVM CARNEM SVNT. Declarat differentiam ambulantium ſecundum carnem ab ambulantibus ſecundum ſpiritum, vt notitiam terminorum quibus vtitur explicet. Vnde cùm dicitur *qui ſecundum carnem ſunt*, & ſimiliter cum ſubditur, *qui ſecundum ſpiritum ſunt*, non eſt ſermo de eſſe ſubſtantiali, ſed de eſſe morali: nam ſenſus eſt, qui animum habent diſpoſitum ſecundum carnem; & ſimiliter qui animum habent diſpoſitum ſecundum ſpiritum. QVÆ CARNIS SVNT, SAPIVNT. Dictio interpretata *ſapiunt*, à qua deriuatur nomen verbale quod inferius interpretatur modò *ſapientia*, modò *prudentia*, propriè ſignificat aliquid ſub genere cognitionis, cui nulla Latina dictio apparet reſpondens. Et quoniam vtuntur eâ ad ſignificandum adiunctum affectum animi, ideo nulla occurrit propinquior interpretatio quàm *cura* & *curare*, vt ſenſus ſit, quæ carnis ſunt curant. Et ſimiliter cum ſubiungitur *quæ ſunt ſpiritus ſentiunt*, adimendum eſt *ſentiunt*: quia in textu Græco nullum verbum habetur: ſed ſubintelligitur idem verbum. Cura enim actus eſt intellectus adiunctus animi affectui. Et veriſſima eſt differentia quòd diſpoſiti in animo ſecundùm carnem, vacant curæ ſpectantium ad carnem, vtilium ac delectabilium: diſpoſiti autem in animo ſecundùm ſpiritum, vacant curæ ſpectantium ad ſpiritum: honeſtorum ſcilicet & vtilium, ac delectabilium ad ſpiritum. QVI VERÒ SECVNDVM SPIRITVM SVNT, QVÆ SVNT SPIRITVS SENTIVNT.

NAM PRVDENTIA CARNIS, MORS EST. hoc eſt, mortem infert animæ, & damnationis æternæ. Scito quòd *prudentiæ* nomen propinquum eſt dictioni Græcæ prædictæ, & conſonat ſenſui intento; nam ad intellectum ſpectat ex affectu ad finem: vnde prudentia carnis eſt ratio hominis affecti ad carnem vt finem: qui enim finem habet carnem, cogitat, ratiocinatur, conſulit, iudicat, præcipit relatiuè ad carnem. Et ſimile eſt proportionaliter de prudentia ſpiritus. PRVDENTIA AVTEM SPIRITVS, VITA ET PAX. Rationem reddit congruentis actionis. Ex eo enim quòd cura, ſeu prudentia carnis mortifera eſt, habetur quòd congruit diſpoſitis in animo carnaliter, caro ſiquidem ipſa mortifera eſt. Et ſimiliter ex eo quòd cura, ſeu prudentia ſpiritus infert vitam animæ, & pacem animæ, habetur quòd congruit habentibus animum ſpiritualem: nam ipſe ſpiritus, vitæ & pacis parens eſt

Verſ. 6. *Prudentia carnis, mors.* *Prudentia ſpiritus, vita & pax.*

QVONIAM SAPIENTIA, pro *cura*, ſeu *prudentia*, CARNIS INIMICA EST DEO, pro *inimicitia eſt in Deum*. Vt intelligamus curam carnis non eſſe actum naturæ qui poteſt bene & male fieri, ſed eſſe peccatum quod non poteſt bene fieri, dixit quòd eſt inimicitia in Deum. LEGI ENIM DEI NON EST SVBIECTA. Ecce manifeſta inimicitiæ ratio. Non dicit, *Deo non eſt ſubiecta* (quoniam etiam peccata ſubduntur Dei poteſtati) ſed *legi Dei* negat eſſe ſubiectam: vtpote formam legis non ſuſcipientem. NEC ENIM POTEST. Ne putares quod quandoque ſubiiceretur legi Dei, excludit hoc poſſe, impoſſibile ſiquidem eſt vt coëant forma legis, & peccatum.

Verſ. 7. *Sapientia carnis Deo inimica.*

QVI AVTEM IN CARNE SVNT. Subiungit habentes prudentiam carnis, eſſe carnales ſecundum animum: vt patefaceret quòd non ſolùm ipſa cura carnis, ſed etiam ipſi carnales inimici ſunt Deo. DEO PLACERE NON POSSVNT. Hoc non eſt intelligendum ſicut de cura carnis, ſed intelligendum eſt formaliter: hoc eſt, quatenus ſunt in tali ſtatu carnali ſecundùm animum: ſic enim Deo placere non poſſunt. Cum quo tamen ſtat quòd per diuinam gratiam poſſunt mutari de eſſe ſecundum carnem, hoc eſt, de diſpoſitione carnali animi; & ſic poſſunt placere Deo. Verſ. 8.

VOS AVTEM IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITV. Hinc clarè apparet non loqui Paulum de eſſe in carne ſecundùm ſubſtantiam, nam conſtat Romanos quibus ſcribebat, fuiſſe Verſ. 9.

tunc

tunc in carne ſecundùm ſubſtantiam, & tamen dicit eis, *vos autem in carne non eſtis*, hoc eſt, non eſtis ſecundùm animum carnales, ſed ſpirituales. Et ſimili ratione dicit *vos*, quia hactenus dixerat *nos*, dicendo *vt impleretur in nobis* qui non ſecundùm carnem ambulamus, &c. Loquendo ſiquidem modò in prima perſona, & modò in ſecunda, ſignificat communem eſſe hanc diſpoſitionem etiam aliis non Apoſtolis. Quamuis etiam ex induſtria hoc dixerit, vt ex ſeipſis intelligerent Romani, qui qualeſque ſunt quos appellauit eſſe ſecundùm ſpiritum: ne putarent altius quid latere ſub hac appellatione.

SI TAMEN. Poſtquam Paulus declarauit duo eorum quæ in principio capituli propoſuit (ſcilicet *nihil damnationis eſt*, & *ambulantes ſecundùm ſpiritum, non ſecundùm carnem*) modò declarat tertium, ſcilicet lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu. Declarat autem hoc, ſimul rationem reddendo quare ipſi Romani ſunt in ſpiritu, & non in carne. Et rationem reddit ſub conditione, dicendo *ſi tamen*: vt intelligant Romani quòd ad non eſſe in carne, ſed in ſpiritu, non ſufficit fuiſſe baptizatos (quales omnes ipſi erant) ſed exigitur quòd perſeueret Spiritus ſanctus. Et propterea vtendo verbo præſentis temporis & vocabulo inhabitationis vtitur, ſubdendo, SPIRITVS DEI HABITAT IN VOBIS. Dicendo *ſpiritus Dei*, aperit quòd cùm dicit lex ſpiritus, ſermo fuit de ſpiritu Dei habitante, non hoſpitante in animis hominum. Et propterea dicit *habitat*. Niſi enim per modum habitantis quieſcat in animo, efficacem legem in homine non ſortitur: ac per hoc non habet locum lex ſpiritus.

Spiritus Christi quid.

SI QVIS AVTEM SPIRITVM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EIVS. Particula illa, *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu*, declaranda erat non ſolùm quoad ſpiritum, ſed etiam quoad vitam in Chriſto Ieſu. Et propterea ad eius declarationem ſubiungit quòd vita in Chriſto Ieſu, eſt per habere ſpiritum Chriſti: vt intelligamus eundem eſſe ſpiritum Dei, & ſpiritum Chriſti, nec haberi ſpiritum Dei, niſi habeatur ſpiritus Chriſti: hoc eſt, quòd nunquam ſpiritus Dei habitat in nobis, niſi iungat nos Chriſto. Vnde pronomen *eius* demonſtrat ſpiritum Dei. Eſt enim ſenſus, quòd ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ſpiritus Dei, aut templum in quo habitat ſpiritus Dei. Et iuxta hunc ſenſum directè habetur quòd Spiritus ſanctus habitans in hominibus, eſt ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu: quoniam eſt ſpiritus Chriſti in nobis: ac per hoc iungit homines Chriſto, proculdubio ſecundum animam: ſecundùm credere, ſperare, diligere, imitari, &c. Dicitur autem & eſt Spiritus ſanctus ſpiritus Dei: quia a Deo Deus eſt, & ad Deum nos inſpirat, mouet ac impellit habitans in nobis: ſpiritus autem Chriſti, quia & à Chriſto ratione diuinæ naturæ eſt, & Chriſti merito ab ipſo eſt nobis datus, & ad Chriſtum inſpirat, mouet, ac impellit illos in quibus habitat.

Verſ. 10. SI AVTEM CHRISTVS IN VOBIS EST. Declarat illud aliud propoſitum (ſcilicet *liberauit me à lege peccati*) continuando ſenſus conſequenter ſe habentes. Et pro eodem vtitur, Chriſtus in vobis eſt, & ſpiritus Chriſti in vobis eſt: quoniam de eſſe in animo eſt ſermo: in quo idem eſt eſſe Chriſtum, & eſſe ſpiritum Chriſti. Nam Chriſtus habitat in animo per eandem fidem, ſpem, & charitatem: & ſimiliter ſpiritus ſanctus qui eſt Dei & Chriſti, habitat in nobis per eandem fidem, ſpem, & charitatem. CORPVS QVIDEM MORTVVM EST PROPTER PECCATVM. Breuitati ſtudēs Paulus, ſimiles nos Chriſto deſcribit ex Chriſto inhabitāte in nobis: vt quemadmodum Chriſtus habuit corpus mortale & ſpiritum viuum, ita corpus noſtrum eſt mortuum, hoc eſt, mortale, ſpiritus verò viuus. Sed diſſimilitudo eſt penès cauſam: quòd corpus noſtrum eſt mortuum propter peccatum proprium: peccatum enim originale eſt commune peccatum omnium hominum, excepto Chriſto. SPIRITVS VERÒ VIVIT, pro, *vita*, PROPTER IVSTIFICATIONEM. pro, *iuſtitiam*. Et hic quoque eſt diſſimilitudo penès cauſam: quia vita ſpiritus Chriſti non pendet à iuſtitia, ſed ab initio beata fuit: vita verò ſpiritus eorum in quibus habitat Chriſtus, eſt propter iuſtitiam Chriſti, quâ ſatisfecit Deo ſoluendo pretium redemptionis humanæ: propter illam enim iuſtitiam extrinſecè & per participationem eius intrinſecè eſt vita eorum in quibus habitat Chriſtus. Et hoc eſt liberatos hos eſſe à lege peccati: vt ſuperius declaratum eſt.

Spiritus eſt vita.

Sed pro litera aduerte quòd *ſpiritus* eſt nominatiuus, cùm dicitur *ſpiritus verò vita*: & ſubintelligitur *eſt*. Et verificatur de ſpiritu noſtro in actu, hoc eſt, actualiter operante: ſpiritus quidem noſter credens, ſperans, diligens, prudens, eſt vita gratiæ, propter iuſtitiam Chriſti participatam ex habitatione Chriſti in nobis.

QVOD SI SPIRITVS EIVS. Declarat particulam vltimò propoſitam (ſcilicet *liberauit me à lege mortis*) continuando nihilominus conſequenter ſe habentes ſenſus. Verſ. 11.

Vbi recole in principio capituli quinti propoſita fuiſſe quatuor bona quæ habent iuſtificati ex fide Ieſu: & aduerte quod illorum quatuor primum (ſcilicet, *pacem ad Deum*) ab illo loco hucuſque Paulus declarauit: manifeſtando quòd per donum Chriſti liberati ſumus à peccato originali, ab abundantia peccati actualis, à ſeruitute legis Moyſi, & à lege peccati: modò autem tria reliqua (ſcilicet quòd *gloriamur in ſpe gloriæ Dei*, quòd *gloriamur in tribulationibus*, & quòd *gloriamur in Deo*) intendit declarare: ſimul continuando & declarando quomodo lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit nos à lege mortis. Intendit enim pateſacere quòd per ſpiritum Dei & Chriſti habitantem in nobis conſequimur hæc tria. Quorum primum coincidit cum liberatione à lege mortis. Et propterea ſimul declarat quòd lex ſpiritus habitantis in nobis, liberauit nos à lege mortis, & quòd tribuit nobis gloriari in ſpe gloriæ Dei: immortalis enim vita præparata nobis poſt reſurrectionem eſt liberatio à lege mortis, & eſt gloria Dei in cuius ſpe gloriamur.

Vnde à ſpiritu Dei inchoat, dicendo quòd *ſpiritus eius*, proculdubio Dei. QVI SVSCITAVIT IESVM A MORTVIS. Ieſus quatenus homo ſuſcitatus eſt à Deo: quatenus verò Deus ſuſcitauit ſeipſum. HABITAT IN VOBIS. Totum hoc eſt antecedens propoſitionis conditionalis, cuius

conſequens ſubiungitur. QVI SVSCITAVIT CHRISTVM IESVM A MORTVIS. Relatiuum *qui* refert Deum. Et eſt ſenſus, Deus qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis. VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA PROPTER INHABITANTEM SPIRITVM EIVS IN VOBIS. Iuxta duo aſſumpta in antecedente (ſcilicet habitationem ſpiritus Dei in nobis, & ſuſcitationem Ieſu Chriſti à mortuis) duo quoque refert in conſequente, ſcilicet viuificationem noſtrorum mortalium corporum, & hanc ex ſuſcitatione Ieſu Chriſti: & cauſam iuſtificationis, & hanc ex inhabitante ſpiritu Dei in nobis. Reddit enim cauſam futuræ immortalitatis noſtræ ex concomitantia qualitatis corporis ad qualitatem ſpiritus, ex quaſi naturali ſequela donorum in corpore ad dona ſpiritus, vitæ corporis ad vitam ſpiritus: vt quia ſpiritus Dei qui ſuſcitauit Ieſum (hoc eſt, & datus à Deo per ſuſcitationem Ieſu, & ſpirans & impellens ad Deum non qualitercunque, ſed quatenus ſuſcitauit Chriſtum Ieſum a mortuis) habitat in vobis. Ideo conſequens eſſe oportet vt illemet Deus qui ſuſcitauit Ieſum, propter dignitatem dicti ſpiritus habitantis in vobis viuificet tempore congruo mortalia corpora veſtra: ſic enim donis ſpiritus correſpondebunt dona corporis: ſic enim reſurrectio Chriſti communicata prius in nobis fide, ſpe & charitate Spiritus ſancti habitantis in nobis, communicabitur poſtea in corpore: ſic demum nos qui in carne poſiti tantùm dignitatis obtinuimus quòd Spiritum ſanctum habitatorem habuimus ſecundum animam, etiam ſecundum corpus propter dignitatem tanti habitatoris viuificabimur. Hanc enim rationem ad literam ſonat textus, reddendo rationem immortalitatis futuræ propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis.

Cauſa futura noſtra immortalitatis.

Viuificatiò perfecta excludit omnem paſſibilitatem

Cùm autem dicit *viuificabit*, intellige non de ſolius vitæ dono (quoniam viuere commune erit in futuro ſeculo tam bonis quàm malis) ſed intellige viuificationem perfectam, quæ excludit omnem paſſibilitatem. Sola enim talis viuificatio liberat totaliter à lege mortis. Nam ſub lege mortis erunt damnati: quamuis non quoad hoc quòd moriantur iterum, ſed quoad hoc quòd continuè patiantur, quod eſt continuè mori. Viuificatio autem corporum propter inhabitantem Spiritum ſanctum excludet non ſolùm mori, ſed quodcunque pati, non ſolùm in actu, ſed potentiâ: reddet enim corpora immortalia & impaſſibilia.

Cur dicit mortalia, non mortua?

Nec dicit *corpora veſtra mortua* ſed *mortalia*, ad comprehendendum omnes. Quod dico propter illos qui in ſecundo Chriſti aduentu inuenientur viui: nam illorum corpora non mortua, ſed mortalia viuificabuntur.

Verſ. 12. ERGO FRATRES DEBITORES SVMVS NON CARNI, VT SECVNDVM CARNEM VIVAMVS. Ex tot differentiis dictis inter carnem & ſpiritum, & ex tot donis ſpiritus ad liberandum nos ab iis quæ ſunt carnis, infert cui ex duabus in nobis partibus ſimus debitores: vt hinc progrediamur ad manifeſtandum modum quo dictam viuificationem conſequimur, quòve gloriamur in ſpe gloriæ Dei. Cauſa enim dicta eſt ſpiritus ſanctus habitans in nobis: modus
Verſ. 13. autem eſt operari ſecundū ſpiritum, & propterea debitum talis operis infert.

SI ENIM SECVNDVM CARNEM VIXERITIS, MORIEMINI. Ex fructu operis probat debitum noſtrum non carni, ſed ſpiritui: fructus enim vitæ carnalis deſcribitur mors, & animę & corporis ſecundum æternam paſſionem. SI AVTEM SPIRITV. Intellige ſpiritu ſancto habitante in ſpiritu veſtro, ſeu (quod idem eſt) ſpiritu veſtro fulto Spiritu ſancto. FACTA, pro *actus*, CARNIS MORTIFICAVERITIS. Contra *viuere ſecundum carnem*, opponit ſpiritu mortificare actus carnales. Non dicit *occideritis*, ſed *mortificaueritis*: vt intelligamus conformem doctrinam ſuperiùs dictis. Actus ſiquidem carnales extinguere non poſſumus, ſed mortificare: tum inſurgentes compeſcendo, tum ne inſurgant domando carnem, & non continuè exercendo ea quæ ſunt ſpiritus, vel ad ſpiritum. VIVETIS. Ecce fructus contrarius. Et eſt ſermo de vita animæ & corporis beata.

Facta carnis mortificanda, non extinguenda.

QVICVNQVE ENIM SPIRITV DEI AGVNTVR. Verſ. 14.
Probat hoc vltimò dictum: quod ſi ſpiritu actus carnis mortificaueritis, viuetis. Probat autem ex parte ſpiritus, iungens huiuſmodi *viuere* cum gloria filiorum Dei: tendit enim, vt dictum eſt, ad declarandum quòd per donum Chriſti habemus hoc bonum, quod eſt gloriari in ſpe gloriæ Dei. Et propterea probat quòd *viuetis*, probando quod eſtis filij Dei: vita enim beata eſt filiorum Dei.

Spiritu Dei agi quid?

Cùm audis *ſpiritu Dei aguntur*: caue non furorem intelligas, ne velut amentes agi homines à ſpiritu Dei intelligas: ſed obedientiam talem ac tantam ſpiritus noſtri exhiberi ſpiritui ſancto habitanti in viris perfectis, vt parendo agantur obſequentiſſimi à Spiritu ſancto habitante in eis: agitur autem non ſolùm inuitus aut neſcius, ſed etiam promptiſſimè obſequens. Et iuxta hunc modum ſancti viri dicuntur agi à ſpiritu Dei.

HI SVNT FILII DEI. De filiis adoptiuis eſt ſermo. Et aptè iungit hæc duo, eſſe filios Dei & agi ſpiritu Dei: nam filiorum eſt tam obſequentiſſimos ſe exhibere patri, vt agantur ſpiritu patris, vt operentur ad nutum patris.

NON ENIM ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS ITERVM IN TIMORE. Verſ. 15.
Probat eos qui aguntur ſpiritu Dei eſſe filios Dei: ex hoc quòd ſpiritus Dei habitans in illis eſt ſpiritus adoptionis, & non eſt Spiritus ſeruitutis & timoris, quemadmodum fuit ſtatus veteris legis. Ex hoc enim quod dicit *iterum*, monſtrat ſe loqui reſpectiuè ad acceptionem legis veteris: tunc enim primâ vice acceperunt à Deo ſpiritum, ſed ſeruitutis in timore. Seruitutis quidem legalis, & in timore tum *extrinſeco*: quoniam ad literam territi ſunt tonitruis ſonantibus, adeò vt reſilirent & dicerent Moyſi; *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, &c. Exod. 20. 19. Et *interno*, quoniam non acceperunt per legem gratiam, ſed in timore tranſgrediendi & pœnas incurrendi ſibiipſis dimiſſi ſunt. Nec huiuſmodi ſpiritus ſeruitutis & timoris donum gratiæ gratum facientis ſignificat: ſed motionem diuinam ad acceptandam legem. Non ſic nunc vobiſcum agitur, inquit Paulus: ſed vos ideo dixi filios Dei, quia non accepiſtis hac ſecunda vice ſpiritum ſeruitutis in timore, non eſtis moti à Deo ad acceptandam ſeruitutem legis ſine gratia.

Spiritus ſeruitutis in timore fuit veteris legis.

SED ACCEPISTIS SPIRITVM ADOPTIONIS FILIORVM

Spiritus adoptionis eſt legis gratia. LIORVM DEI. Superfluit *filiorum*. Contra ſpiritum ſeruitutis in timore, e regione locat ſpiritum adoptionis: hoc eſt, ſpiritum filiorum adoptiuorum: hoc eſt, accepiſtis Spiritum ſanctum in vobis habitantem ad mouendum vos ad actiones conſonas filijs Dei adoptiuis. Nec opus fuit dicere ſpiritum amoris, ſeu adoptionis in amore, ſicut dixerat ſeruitutis in timore: quoniam adoptio filiationem ponit & amorem, tantò exactiùs, quantò adoptio gratuitam fert filiationem excitantem amorem verſus adoptantem.

Abba Syrum id eſt Pater. IN QVO CLAMAMVS ABBA PATER. *Abba* Syra dictio eſt, *pater* verò Latina ex Græcis tamen mutuata, & idem ſignificant. Et quia *pater* caſus eſt nominatiui, rationabile eſt vt *Abba* quoque ſit caſus nominatiui. Nec dicit *in quo dicimus* (quod commune eſt Chriſtianis omnibus) ſed *in quo clamamus*, magnitudine affectus, quod eſt proprium verè filiorum: vt ex hoc quod clamamus (hoc eſt affectu magno profitemur) in Spiritu ſancto, *pater, pater*, ſignum habere cognoſcamus internum quòd accepimus ſpiritum adoptionis. Nam ſi non eſſet adoptionis ſpiritus, non inſpiraret nobis tam confidenter appellare Deum patrem. Et geminatur patris nomen ad ſignificandum firmitatem ac certitudinem fiduciæ.

Verſ. 16. IPSE ENIM SPIRITVS. ſupple, ſanctus habitans in nobis TESTIMONIVM REDDIT, pro, *conteſtatur*. SPIRITVI NOSTRO QVOD SVMVS FILII DEI. Ecce ratio clamoris, hoc eſt magnæ confidentiæ recognoſcendi Deum vt patrem. Vbi aduerte quòd in textu Græco non eſt directè illemet ſenſus quem Latinus interpres ſonat, quoniam Græcus ſonat duos conteſtes (ſcilicet Spiritum ſanctum & ſpiritum noſtrum) de eadem re: ſcilicet quòd ſumus filij Dei. Latinus autē vnum teſtem (ſcilicet Spiritum ſanctum) teſtificantem non nobis, ſed ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei. Et quamuis vtrumque ſit verum & in idem redeat: quia tamen Paulus Græcè ſcripſit, ille eſt literalis ſenſus quem Græcus textus ſonat: ſcilicet quòd Spiritus ſanctus conteſtis eſt ſpiritui noſtro, ambobus teſtificantibus nobis quòd ſumus filij Dei.

Teſtimonium Spiritus ſancti quòd ſumus filij Dei. Teſtimonium hoc quod Spiritus ſanctus reddit ſimul cum ſpiritu noſtro de hoc quòd ſumus filij Dei, internum eſſe ſignificatur ex eo quòd ab vtroque interno ſpiritu perhibetur non aliis ſed nobiſipſis. Et quoniam teſtimonium hoc non eſt de poſſibili, ſed de facto (hoc eſt, non eſt de hoc, ſcilicet quòd poſſumus eſſe filij Dei, ſed eſt de hoc quòd filij Dei ſumus) ideo donum ſpeciale eſt. Nam teſtimonium quòd poſſimus eſſe filij Dei, inter teſtimonia cōmunia filij comprehēditur: teſtimonium autem quòd ego ſum filius Dei, ſpeciale donum eſt. Et quoniam nullius teſtimonij effectus eſt videre ſeu ſcire rem teſtificatam, ſed credere (non enim inducitur teſtimonium, ſed lumen aut ratio euidentiam faciens, ad hoc vt videatur aut ſciatur res: ſed teſtimonium inducitur, ad hoc vt credatur res teſtificata, ad hoc vt videatur eſſe credendum ſic eſſe quod teſtificatur) ideo ex hoc teſtimonio Spiritus ſancti & noſtri quòd ſumus filij Dei, non intelligas me videre aut ſcire, ſed credere quòd ſum filius Dei, ſed videre eſſe mihi credendum quòd ſum filius Dei.

Duplex ſignum filiationis Dei. Media autem quibus vtitur Spiritus ſanctus, quæ aſſumit Spiritus ſanctus ſimul cum noſtro in teſtimonium quòd ſumus filij Dei, ſunt regulariter duo: Alterum eſt amor Dei promptus ad obſequendum Spiritui ſancto, quem efficit Spiritus ſanctus in iis qui ſpiritu Dei aguntur: alioquin non agerentur ſpiritu Dei, niſi fortè ad momentum. Alterum eſt experta continuatio diuinæ gubernationis: cuſtodiendo à damnabilibus, illuſtrando, inſpirando, excitando, mouendo, fouendo & huiuſmodi. Nam cùm experimur tam promptè nos diligere Deum, & tali tantâque curâ gubernari a Deo, teſtimonium à Spiritu ſancto & noſtro habemus ſufficientiſſimum ad hoc vt credamus quòd ſumus filij Dei: nam ex hoc teſtimonio clarè videmus credendum nobis eſſe quòd ſumus filij Dei. At ſi non tantùm profecimus, vt teſtimonium hoc habeamus à Spiritu ſancto & noſtro, ſtudeamus ad efficiendum in nobis promptitudinem exequendi quæ ſpiritus ſunt, & mortificandi quæ carnis ac mundi ſunt, ne deſimus gratiæ tanti teſtimonij.

SI AVTEM FILII ET HAEREDES. ad hoc enim adoptatur quis in filium vt ſit hæres. Verſ. 17. *Si filii & hæredes.* HAEREDES QVIDEM DEI. Cùm hæres non ſit niſi mortui, quo pacto Paulus dicit *Dei heredes*: cùm Deus immortalis ſit? Solutio eſt: Hæreditare inter homines duas habet conditiones: alteram perfectionis, alteram imperfectionis: nam perfectionis eſt, quòd hæres vniuerſa bona patris acquirat ac poſſideat vt dominus: imperfectionis verò eſt, quòd ad hunc effectum mors interueniat patris. Quam oportet interuenire: quia vniuerſitatis bonorum non poſſunt eſſe ambo ſimul domini ſine damno alterius; puta patris, expoliantis ſe libertate domini, ex hoc ipſo quòd adſciſcit filium in condominum omnium. Quocirca filij Dei ſunt hæredes Dei, ſecundùm quòd hæreditas perfectionem, ſeluſa imperfectione ſignificat: nam filij Dei ſuper omnia bona Dei conſtituuntur domini abſque vllo detrimento Dei patris, &, quod plus eſt, abſque vlla diminutione in quolibet hærede.

Cohæredes Chriſti. COHAEREDES AVTEM CHRISTI. De Chriſto homine eſt ſermo, ſub cuius pedibus omnia ſubiecta ſunt. Cohæredes autem non partitione, ſed communione hæreditatis decreti ſumus. SI TAMEN COMPATIMVR. Inſerit quòd gloriamur in afflictionibus Dei, quod eſt gloriamur in ſpe gloriæ Dei; vtrumque bonum ſimul tractando: quoniam per afflictiones aſſequimur gloriam filiorum Dei. Nec ſumitur *Si compatimur.* *compati* pro *commiſerari*, ſed pro *ſimul pati* pro *ſimul ſuſtinere* afflictiones & preſſuras. *Simul* autem relatiuè ad Chriſtum. Eſt enim ſenſus: Si tamen ſimul compatimur: hoc eſt, ſi imitando Chriſtum patimur afflictiones mundi. VT ET CONGLORIFICEMVR. Hanc enim conditionem apponit cohæredibus Chriſti: vt ſcilicet ſint ſimiles Chriſto in vita iſta qui inſtituti ſunt cohæredes Chriſti in vita futura.

EXISTIMO ENIM. Obuiat querelis de hac appoſitione tanquam durâ: quòd ſcilicet oporteat pati in hac vita propter conſequendam Verſ. 18. hæreditatem in futura: obuiat autem patefaciendo quòd præſentes afflictiones non ſunt condignæ ad gloriam futuram. Nec dicit *exiſtimo* opiniatiuè, ſed cognitionem quam habet manife

manifeſtando: dictio ſiquidem Græca rectiùs interpretata fuiſſet *reputo* ſeu *arbitror*, vt certa cognitio explicata fuiſſet. QVOD NON SVNT CONDIGNÆ PASSIONES HVIVS TEMPORIS. hoc eſt, non hæ vel illæ, ſed vniuerſaliter quæcunque paſſiones, hoc eſt, afflictiones, cruciatus, tormenta, &c. non vnius horæ, aut diei, ſed totius huius temporis. AD FVTVRAM GLORIAM. Non dicit ad pœnam peccatorum, ſed *ad futuram gloriam*, ne contradicat Iob dicenti: *Vtinam appenderentur peccata mea, à quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret*, Iob 6. Rurſus non dicit; non ſunt condigni actus meritorij, non eſt condigna patientia meritoria ad futuram gloriam: ſed dicit *non ſunt condignæ paſſiones*: ne contradicat ſibiipſi ſcribenti ad Timoth. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex* Significatur itaque quòd paſſiones ipſæ quatenus tales ſunt, non merentur de condigno futuram gloriam, quod eſt dicere malum paſſionum huius temporis non eſſe par bono futuræ gloriæ, ſed multo minus eſſe malum quod patimur in hoc tempore, bono futuræ gloriæ. Hic eſt ſenſus literalis. QVÆ REVELABITVR IN NOBIS. Quamuis textus Græcus anceps ſit ad id *in nobis*, vel *in nos*, contextui tamen magis quadrat *in nobis*, ad ſignificandum gloriam, quæ in futuro manebit in nobis. Erit enim intus in animis, & in corporibus noſtris inexiſtens, ad differentiam gloriæ præſentis, quæ cum clara ſit fama cum laude, non in nobis, ſed in aliorum actibus conſiſtit. Et dicit *reuelabitur*: quoniam tunc manifeſta fiet gloria ſanctorum, quæ nunc occulta eſt velut in radice in eorum meritis.

Omne malũ pœnæ huius mundi no eſt par bono futuræ gloriæ.

Iob. 6. 2.

2. Tim. 4. 7.

Verſ. 19. NAM EXPECTATIO. Deeſt vna dictio. Legendum eſt, *Nam anxia expectatio* CREATVRÆ. Duplici ratione intendens probare hoc vltimò dictum (ſcilicet quòd paſſiones huius temporis non ſunt condignæ ad futuram gloriam) primò probat ex vehementia appetitus, ſeu expectationis ipſorum Apoſtolorum. Et conſiſtit vtraque ratio in hoc, quòd expectatio anxia communis tam omni nationi, quam Apoſtolis, quæ ſcilicet ſimpliciter, & abſolutè viget in illis, eſt expectatio gloriæ adoptionis, & non boni quod tollitur per paſſiones huius temporis quas patienter ſuſtinent expectando illam adoptionis gloriam. Ex hac enim vehementia expectationis communi tum omni nationi, tum Apoſtolis, ſignum in hac vita habemus, conteſtans quòd paſſiones præſentis temporis non ſunt condignæ ad futuram in nobis gloriam. Et artificioſè Paulus magnitudinem futuræ gloriæ ex magnitudine non puræ appetitionis, ſed expectationis, non alicuius vnius, ſed communis tum omni nationi, tum Apoſtolis, docet: quoniam magnitudo boni, quod eſt finis & obiectum appetitus, ex vehementia communi non velleitatis, ſed expectationis cognoſcitur, ſecundum veræ Philoſophiæ rationem.

Expectatio creaturæ hic quænam.

Vide ſingula. Significanter dicitur *expectatio*, non ſolùm ad excludendum velleitatem (quæ eſt etiam impoſſibilium) ſed etiam deſiderium dubij adhuc hominis de futuro bono: expectare enim eſt hominis certificati de futuro bono. Et non de qualicumque expectatione, ſed de *anxia* expectatione loquitur, vt ex ipſa anxietate maximam vehementiam expectationis deſcribat: expectatio namque anxia importat tam vehemens deſiderium, vt ſemper ſeipſam ſolicitet & mœrorem pariat ob carere re expectatâ. Poterat ſiquidem Paulus alio vocabulo vehementiam expectationis ſignificare, ſed maluit per anxietatem illam ſignificare: quoniam magnitudinem affectus noſtri erga bonum, ſolicitus mœror maximè teſtatur: vt ad ſenſum experimur.

Expectatio anxia.

Creaturæ verò nomine cùm conſtet non intelligi creaturam omnem (vt teſtantur Angeli beati, quibus conſtat hæc ſubiuncta non competere) & in Euangelio inueniamus *omnis creaturæ* nomine omnem nationem ſignificatam (dicente Chriſto, *prædicate Euangelium omni creaturæ*) conſequens eſt vt quadret ſacræ Scripturæ quod quadrat contextui præſentis literæ: ſcilicet creaturæ nomine nationem omnem, conditionem omnem hominum appellari. Et appellatur omnis conditio, ſeu natio hic (quemadmodum & in Euangelio) *creatura*, ad explicandum rationem quâ de ipſis nationibus eſt ſermo, ſcilicet ratione eius quod habent à Deo Creatore: excluditur enim per hoc nomen quicquid peccati eſt in natione & conditione quacumque hominum, & conſequenter quicquid comitatur peccatum.

Creatura.

Marc. 16. 15.

Et eſt ſenſus: Anxia expectatio nationum ſecundum id quod habent à Creatore, non ſecundum id quod habent admixtum peccati REVELATIONEM FILIORVM DEI EXPECTAT. Et in hoc clauditur negatiua, quòd ſcilicet creaturæ anxia expectatio non tendit ad bonum huius temporis, quo priuant paſſiones huius temporis. Ex hoc enim quòd tendit indubiâ expectatione ad ſtatum manifeſtationis filiorum Dei, manifeſtè ſequitur quòd non tendit ad bonum præſentis temporis, ac per hoc manifeſtè habetur, quòd anxia expectatio creaturæ præfert futuram gloriam bonis præſentis temporis, quod eſt mala præſentis temporis minora eſſe, quàm bonum futuræ gloriæ.

VANITATI ENIM CREATVRA SVBIECTA Verſ. 20.
EST, NON VOLENS, SED PROPTER EVM QVI SVBIECIT EAM IN SPE. Superfluit *eam*. Probat ex cauſa extrinſeca primum, quòd anxia expectatio creaturæ expectat manifeſtum ſtatum filiorum Dei. Extrinſecæ autem cauſæ ſunt duæ: finalis & efficiens, & propterea vtramque tangit. Finalem quidem, dicendo *propter eum*, ſcilicet Deum: effectiuam verò dicendo *qui ſubiecit*. Et iuxta tria aſſumpta (ſcilicet expectationem, anxietatem, & gloriam filiorum Dei) tria quoque affert: ſcilicet *ſpem*, quâ probatur expectatio, & *ſtatum ſubiectum vanitati* contrarium gloriæ adoptionis: (vanitatis enim nomine conſtat in Scriptura intelligi varietates huius temporis tam contrarias quibus omnes ſubiicimur,) & *modum*: ſcilicet non volens, ſed propter Deum, ad probandum anxietatem. Et dicitur *non volens*, non ſolùm quia nec ex appetitu, aut electione voluit, ſed potiùs quia non placet creaturæ ſtatus iſte: non voluntariè manet in ſtatu iſto, ſed propter Deum vt finem promerendum.

Vanitas in Scriptura, quid.

Et eſt ſenſus ac vis probationis: quod quia

creatura

creatura ſubiecta eſt vanitati huius temporis, (ſub qua clauduntur omnia bona & mala temporalia) & talem ſtatum habet creatura non volens: (ſi enim ei placeret iſte ſtatus, non eſſet vera anxia expectatio futuri ſtatus) ſed hunc ſtatum ſuſtinet propter Deum tanquam finem promerendum: & quia ipſe Deus ſtatuit hanc ſubiectionem non ſemper duraturam, ſed in ſpe tranſeundi ad ipſum, ad ſtatum gloriæ filiorum Dei: ideo ex hoc optime infertur quod creaturæ expectatio anxia eſt ad ſtatum gloriæ adoptionis. Nam hinc habetur ratio expectationis ex ſtatuta ſibi ſpe: hinc habetur ratio anxietatis, ex eo quod caret ſperato: vtpote non volens ſubiecta contrario ſtatui ad promerendum Deum.

Verſ. 21. Qvia et ipsa creatvra liberabitvr a servitvte corrvptionis in libertatem gloriæ filiorvm Dei. Probat ex cauſa intrinſeca idem: directe tamen tendit hæc probatio ad probandum illud; ſcilicet *expectatio creaturæ*: & eius probationem, ſcilicet *ſubiecit in ſpe*. Probat ſiquidem ex futura liberatione creaturæ ab intrinſeco corruptionis malo. Minus dico, imò ab vniuerſa ſeruitute corruptionis: ſumus enim nunc non ſolùm corruptibiles, ſed ſerui corruptionis. Cuiuſlibet ſiquidem mali non ſolùm incurſus ſed timor quædam corruptionis ſeruitus eſt: quandoquidem velimus nolimus ſubiicimur corruptionis dominio. Aduenìente autem gloria filiorum Dei, liberabimur ab hac ſeruitute, tranſlati in libertatem non ſolùm à corruptione & corruptionis iugo, ſed (quod amplius eſt) in libertatem talem; ſcilicet gloriæ filiorum Dei, quæ longe plus continet quàm libertatem à ſeruitute corruptionis.

Sumus ſerui corruptionis.

Verſ. 22. Scimvs enim qvòd omnis creatvra ingemiscit et partvrit vsqve adhvc. pro, *congemiſcit & comparturit vſque nunc*. Poſtquam declarauit cauſas extrinſecas & intrinſecas anxiæ expectationis creaturæ, declarat modò ipſam anxiam expectationem creaturæ ab effectu anxietatis manifeſtante vehementiam ſummam expectationis. Et quoniam ſermo eius fuit non de hac vel illa creatura, ſed communiter; ideo explicat modò tum omnem creaturam, tum communem anxietatem, dicendo *congemiſcit & comparturit*. Ex authoritate autem certæ notitiæ quam Apoſtoli & ſimiles paſtores curam gerentes Eccleſiarum habent, manifeſtat dicendo, *ſcimus*, nos Apoſtoli *quod omnis* non aliqua *creatura*, hoc eſt, natio ratione eius quod habet à Deo, *congemiſcit & comparturit*, conuenit in hoc effectu expectationis quod prorumpit in gemitum & dolorem velut parturientes expectando gloriam adoptionis: ex hoc enim quod carere expectatà gloria, infert illis hos effectus, manifeſtè monſtratur vehemens valde ſeu anxia expectatio. Et attulit ſimilitudinem doloris partus non ratione cauſæ (ſcilicet, *quia venit hora eius*) ſed ratione fructus expectati: ad ſignificandum dolorem in ſpe fructus. Aduerbium autem *nunc*, demonſtrat tempus hoc præſentis vitæ, perinde ac diceret, durante præſentis vitæ tempore: vſquequo namque durat hoc tempus, congemiſcit & comparturit omnis natio, non omnis nationis quilibet homo expectando gloriam filiorum Dei. Nulla ſiquidem natio, nulla conditio, nullus gradus, nullus ſtatus, nullus ſexus, nulla ætas rationalis, ab hac anxia expectatione excipitur: vt teſtantur martyria, teſtaturque perfectio ſpiritualis inuenta vigens in qualibet hominum conditione, in quolibet ſtatu, in quolibet ſexu, &c.

Omnis creatura ingemiſcit.

Non solvm avtem illa. Alteram apponit Verſ. 23.
rationem eodem effectu, ſcilicet congemiſcendi: vt ex teſtimonio quoque primatum incomparabilitas gloriæ ad paſſiones huius temporis innoteſcat. Sed et nos ipsi, primitias spiritvs habentes. Ad ſimilitudinem primitiarum fructuum terræ deſcribuntur maiora Spiritus dona (nam primitiæ ſunt magis deſideratæ, pretioſæ, ac gratæ: vnde & Deo dicabantur) vt ſignificaret quòd pretioſiora & quæ magis deſiderabilia ſunt ab hominibus, quæve ſunt Deo magis grata Spiritus ſancti dona habuerunt Apoſtoli. Et dixit hoc, vt ex tanta Apoſtolorum celſitudine teſtimonium de magnitudine gloriæ authoritatem haberet maiorem. Et ipsi intra nos gemimvs, pro, *congemiſcimus*. Communis ſiquidem ſignificatur Apoſtolis gemitus: non exteriori ſono, ſed interna promptitudo prorumpens in actum gemendi. Adoptionem filiorvm Dei expectantes. Interpres addidit ad maiorem explicationem duas dictiones, ſcilicet *filiorum Dei*. Legendum eſt, *adoptionem expectantes*. vbi tum rationem congemitus tam ipſorum, quàm omnis creaturæ explicat eſſe expectationem adoptionis: tum tempus congemiſcendi explicat eſſe tempus expectationis: vt intelligamus quod toto tempore hoc congemitus eſt ob carere expectatà adoptione. Redemptionem corporis nostri. Niſi appoſitiue ſubiunxiſſet *redemptionem corporis noſtri*. fluctuaſſes quo pacto Paulus dicit ſe & alios expectare adoptionem, qui dixit iam accepiſſe nos ſpiritum adoptionis & eſſe filios adoptionis: ſed modò ex eo quòd dicendo expectantes adoptionem, appoſitiue explicat *redemptionem corporis noſtri*, omnem tollit ambiguitatem: explicando quòd adoptio expectata dicitur, & eſt quantùm ad corporis redemptionem. Corpus ſiquidem noſtrum quod vſque ad reſurrectionis gloriam detinetur ſub captiuitate & dominio corruptionis, redimetur ſecundum effectum liberationis, exoluto prius in cruce pretio, cùm reſurget aut fiet immortale per donum gloriæ ad quam adoptati ſumus hæreditandam.

Primitiæ ſpiritus, maiora Spiritus S. dona.

Corporis à corruptione redemptio, eſt adoptio expectata.

Spe enim salvi facti svmvs. Probat ſimul Verſ. 24.
duo: Alterum eſt quòd congruit huiuſmodi expectatio ſtatui ſalutis noſtræ: quia ſaluati ſumus à Chriſto in ſpe, non in re hæreditatis æternæ: hinc enim manifeſtè habetur conſonantia expectationis ad ſtatum ſalutis noſtræ in hac vita. Alterum (quod principalius intendit Paulus) eſt quod ſuperius dixerat, *ſi tamen compatimur vt & conglorificemur*. Quem contextum vt eruditus lector penetret, conferat huius particulæ concluſionem (ſcilicet *per patientiam expectamus*) cum verbis illis, ſcilicet *ſi tamen compatimur* adhuc non probatis: & cum omiſſibus interpoſitis in textu: Perſpiciet ſiquidem quòd poſtquam conditionem illam adiecit, ſcilicet *ſi tamen compatimur*, ſtatim non probauit ſed obuiauit, ne dura haberetur conditio adiecta. Obuiauit autem monſtrando impares eſſe paſſiones huius temporis ad futuram in nobis

Spe ſalui facti ſumus quomodo.

gloriam

gloriam ex anxia expectatione tum omnis creaturæ tum Apoſtolorum. Vnde ordo ipſe contextus exigebat, vt completa obuiatione rediret, imò proſequeretur probando adiectam conditionem: ſcilicet ſi tamen compatimur vt ſimul glorificemur. Et hanc conditionem adiectam directè probat, afferendo pro ratione quia *ſpe ſalui facti ſumus*. Dupliciter poteſt aliquis ſaluari, vel quod immediatè transferatur in rem termini: vel quod mediante ſtatu ſpei transferendus ſit in rem termini. Chriſtus non ſaluauit nos primo modo (quia nec ipſe ſeipſum ſaluauit primo modo, ſed voluit per merita peruenire ad gloriam ſuam) ſed ſecundo modo. Et vtrumque dicit, ſcilicet & quòd ſalui facti ſumus (hoc eſt ſalutis ſtatum non acquiſiuimus, ſed ab alio habuimus: hoc enim paſſiua locutio ſignificat) & quod non in re termini, ſed in ſpe donati ſumus ſtatu ſalutis. Hinc enim inchoat Paulus rationem ad probandum *ſi tamen compatimur*. Vnde ſubiungit, SPES AVTEM QVÆ VIDETVR, NON EST SPES. (Ratio textus conſiſtit in duabus illationibus: *ſpe ſalui facti ſumus*: ergo *quod non videmus ſperamus*, ergo *per patientiam expectamus*; probat primam illationem ex hoc quod ſpes, hoc eſt, res ſperata quæ videtur non eſt ſpes: hoc eſt, non ſperatur. Et hoc probat ſubdendo, NAM QVOD VIDET QVIS, QVID SPERAT? Legendum eſt, *Quid etiam ſperat*? Significatur enim quod non eſt ampliùs locus ſpei accedente viſione.

Dupliciter poteſt quis ſaluari.

Verſ. 25. SI AVTEM QVOD NON VIDEMVS SPERAMVS, PER PATIENTIAM EXPECTAMVS.) Hæc ſecunda illatio abſque probatione relinquitur pro conſtanti.

Vide ſingula. Quæſtio in primis occurrit circa veritatem aſſumptorum: eo quòd rei ſperatæ non repugnat videri. Speratur enim regnum Romanum quod videtur, ſperatur magnum præmium propoſitum aliquibus militibus, &c. quod videtur. Nec ſatisfit quæſtioni, dicendo quod ſermo præſens eſt de ſpe Theologica: quoniam Paulus manifeſtè probat ex communibus omni ſpei: vt clarè teſtantur vniuerſaliſſima verba eius: nam quod videt quis, quid enim ſperat? Solutio eſt quod res ſperata integratur ex duobus: ſcilicet ex ipſa re quandoque præexiſtente (puta Deo, regno, ciuitate, & huiuſmodi) & ex conſecutione rei. Speratur enim conſecutio regni ſeu ciuitatis: & ſimiliter conſecutio Dei. Et hæc conſecutio eſt propriiſſimè res ſperata: ſpe enim directè tendimus ad regnum vt conſequendum: & ſic de aliis. Et de hac re ſperata loquitur Paulus, dicens quod non videtur. Vnde non intendit dicere, quòd res præexiſtens ad quam conſequendam tendit ſpes, non videtur: ſed quòd res ſperata formaliter (hoc eſt conſecutio ſperata) non videtur. *Videre* autem & *videri* in propoſito, commune eſt viſioni tam oculis corporis quam oculis mentis. Et eſt ſenſus quod conſecutio quæ ſperatur non euidenter cernitur, quia quod euidenter conſpicitur habendum, hoc eſt, quod habebitur ex hoc ipſo quod euidenter cognoſcitur quod erit, perdit rationem ardui, perdit rationem difficilis: ac per hoc non amplius ſubeſt ſpei: conſecutio enim quantumcunque in ſeipſa ardua, ſi euidenter cernitur quod erit, iam ſecura eſt, iam non habet rationem difficilis, iam non ſperatur.

Res ſperata integratur ex duobus.

Vnde dux exercitus cùm pugna eo deducta eſt, vt euidenter, non probabili coniectura conſpiciat conſecutionem victoriæ, non amplius ſperat victoriam, ſed alio animi affectu (ſcilicet amore, deſiderio ac inchoatâ delectatione) proſequitur illam.

Et per hæc patet quod vis primæ illationis conſtat ex propria conditione rei quæ ſperatur: quoniam fundatur ſuper arduitatem conſecutionis. Ex hoc enim quòd cõſecutio quamdiu ſperatur eſt ardua, ſequitur quod non eſt, viſa: hoc eſt, non euidenter nota quod erit: ſi enim euidenter conſpiceretur quod erit, deſineret eſſe ardua illi à quo videtur: vt pote euidenter ſecura.

Conſecutio quamdiu ſperatur, eſt ardua.

Secunda autem illatio abſque probatione in textu ſub forma conditionalis poſita, difficultatem habet: quia formalis non apparet ex eo quod non tenet in omni materia. Sperant ſiquidem Imperatores exercituum, victoriam quam non vident, & tamen non expectant illam per patientiam. Nec latuit Paulum hoc, imò inter has duas illationes differentiam ex modo loquendi inſinuauit, dum primam tanquam formalem ex communi ratione ſpei probauit: vtendo tam ſpe abſolutè (*ſpes quæ videtur non eſt ſpes*) quam ſperantibus communiſſimè, quòd videt quis quid etiam ſperat? Hanc autem inducit applicando ad nos, dicendo *ſi autem quod non videmus ſperamus*: vt hinc intelligeremus quod hanc introducit deſcendendo & applicando ad materiam propoſitam: ſcilicet ad noſtram ſpem hæreditatis diuinæ, vt intelligamus illationem primam eſſe ex communibus communem: hanc eſſe propriam propoſitæ materiæ, & fundari non ſuper ſpem abſolutè, ſed ſuper ſpem contractam ad materiam propoſitam. Et propterea quamuis non ſit formalis de ſpe abſolutè, eſt tamen formalis de ſpe contracta ad materiam propoſitam.

Contextus D. Pauli explicatur.

Quod vt penetres, ſcito quod in communi loquendo ex hoc quod conſecutio ſperata non videtur, ſequitur quod non eſt euidenter ſecura: ac per hoc eſt anceps difficili periculo ſubiecta. Et hinc ſequitur quòd oportet ſperantem ad pericula ſuperanda paratum eſſe: ſed quia iſta promptitudo ad pericula ſuperanda, non vno ſed multis modis poteſt eſſe, nam poteſt eſſe vel per magnanimitatem aggrediendi: vt contingit in huiuſmodi regnis temporalibus quæ homines propriis actionibus conſequuntur, vel per patientiam ſuſtinendi omnia mala ne impediatur conſecutio tanti boni: vt contingit in bonis ſperatis non ex propriis actionibus ſed ex dono alterius: quale eſt bonum quod nos ſperamus, ideo non ex communibus ſpei inquantum ſpes, ſed ex contracta & applicata ſpe ad hæreditatem diuinam ſperatam à nobis, intulit Paulus, *per patientiam expectamus*. Sperando enim ancipitem multis periculis conſecutionem non noſtris ingenio, viribus, atque actionibus, ſed ex Dei dono habendam, oportet nos expectare ab alio (Deo ſcilicet) per patientiam tolerando mala periculorum omnium: patienter ſiquidem tolerando mala huius temporis, ſuperamus difficilia pericula conſecutionis. Et ſic probauit adiectam conditionem *ſi tamen compatimur vt & conglorificemur*, ex hoc quod ſpe ſalui facti ſumus: ſpe inferente non videri

Sperantem oportet ad pericula ſubeunda paratum.

non

conſecutionem ſperatam, & conſecutione ſperata non viſa a nobis inferente expectationem per patientiam.

Verſ. 26. SIMILITER AVTEM, ET SPIRITVS ADIVVAT INFIRMITATEM NOSTRAM. Pro *infirmitates noſtras*. Hic incipit tractare bonum quartum iuſtificatorum, ſcilicet *gloriamur in Deo*: continuando præcedentia. Nam cùm declarauit, quòd per Spiritum ſanctum *gloriamur in ſpe gloriæ Dei*, quia eſt ſpiritus adoptionis, ſubiungit conſequenter modò quòd quemadmodum eſt ſpiritus adoptionis, ſimili modo eſt ſpiritus adiutorij infirmitatum noſtrarum: Vt ex hoc quod eſt ſpiritus adoptionis, filiationem Dei habere nos intelligamus: ex hoc verò quod eſt ſpiritus adiuuans infirmitates noſtras, progreſſum noſtrum adiuuari ab eodem Spiritu cognoſcamus. Et quod ſicut per Spiritum ſanctum inhabitantem in nobis, pro quanto eſt ſpiritus adoptionis, gloriamur in ſpe gloriæ Dei, patientes: ita per eundem habitantem in nobis Spiritum ſanctum, pro quanto & ſpiritus adiuuans imbecillitates noſtras, gloriamur in Deo. Et aptè hoc officium ſpiritus habitantis in nobis diſtulit explicandum poſt oſtenſam neceſſitatem patiendi cum Chriſto: vt intelligamus Spiritum ſanctum adiuuare infirmitates noſtras non ſolùm circa bona agenda, ſed etiam circa mala toleranda. Modus autem quo adiuuat (tum ex parte noſtri, tum ex parte Dei exequentis) ſubiungitur.

Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.

NAM QVID OREMVS SICVT OPORTET NESCIMVS. Non ſaltat Paulus ab adiutorio imbecillitatum ad ignorantiam orationis: ſed ex hoc quòd ſupplet Spiritus ſanctus ignorantiam orationum noſtrarum, probat Spiritum ſanctum adiuuare imbecillitates noſtras: vt doceat nos non noſtris ingenio, viribus, aut operibus poſſe iuuare infirmitates noſtras, ſed mediante oratione expectare adiuuari à Deo. Quia itaque prima arma noſtra ad auxiliandum imbecillitatibus noſtris ſunt orationes: ideo ex ſupplemento harum, Spiritum ſanctum, ſpiritum eſſe adiutorij declarat. Quod autem dicitur neſcire nos quid oremus ſicut oportet, intellige modum ſignificatum per *ſicut oportet* ex parte rei petendæ. Et eſt ſenſus quòd quamuis ſciamus quid oremus, non tamen ſcimus modum quo res petenda expedit, ſeu neceſſaria eſt nobis. Verbi gratiâ, ſcimus quòd petenda eſt ſalus æterna, ſed neſcio modum quo ſalutem æternam oportet, ſeu expedit communicari mihi, acquiri à me. Infiniti enim ſunt modi, quibus poteſt acquiri, & modus qui eſt vtilis vni, non eſt vtilis alteri, & credimus quandoque modum aliquem eſſe nobis vtilem, qui ſecundum veritatem non expedit nobis, vt patet de Paulo qui petiit angelum Satanæ auferri à ſe, putans talem modum eſſe ſibi vtilem, & tamen non erat in veritate ei expediens. Ignorantiam itaque particularium modorum expedientium ſingulis edocet, dicendo quòd ignoramus quid oremus ſicut oportet: hinc indigentiam adiutorij Spiritus ſancti ſignificet.

Neſcimus modum quo res petenda expedit nobis.

Intellige autem ignorantiam reſpectu eorum quorum tam affirmatio, quàm negatio ſtat cum ſalute æterna: & non reſpectu eorum quæ ſunt de neceſſitate ſalutis: qualia ſunt credere, ſperare, diligere Deum, ac proximum propter Deum, miſericordem, patientem, benignum, pœnitentem, manſuetúmque eſſe, & ſimilia. Hæc enim ſcimus eſſe petenda, ſed expedientes, ſeu neceſſarios mihi ad conſeruationem, & profectum horum modos, euentus, occurſus, & huiuſmodi, in particulari ignoro, & propterea neſcio quid orem ſicut oportet me illud aſſequi.

SED IPSE SPIRITVS POSTVLAT PRO NOBIS GEMITIBVS INENARRABILIBVS. Ecce ſupplementum quo modos ſalutis æternæ nobis incognitos Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis. Caue hic in primis ne argumentum ſumas quòd Spiritus ſanctus non eſt Deus, eo quòd poſtulare pro nobis, repugnat Deo: quoniam poſtulare eſt inferioris: vnde & filio Dei non conuenit, niſi ratione naturæ humanæ. Non enim intendit Paulus quòd ipſe Spiritus ſanctus in ſeipſo, ſeu ſecundùm ſeipſum orat, aut poſtulat: ſed quòd in nobis habitans, ſecundùm actus noſtros poſtulat. Quod perinde eſt ac dicere, poſtulantes nos facit: ſeu ad poſtulandum nos mouet, poſtulationes nobis inſpirat. Et quòd hic ſenſus ſit intentus à Paulo, conuincitur ex verbis ſubiunctis: ſcilicet *gemitibus inenarrabilibus*. Oportet enim, aut fateri quòd Spiritui ſancto ſecundum ſe conueniant gemitus inenarrabiles (quod eſt ridiculum) aut quòd de poſtulatione in nobis, quæ fit noſtris gemitibus inenarrabilibus, eſt ſermo. Et appellantur gemitus ineffabiles, gemitus illi, quorum termini ad quos tendunt ſunt nobis incogniti. Propterea ſiquidem ineffabiles dicuntur & ſunt: quia nobis eorum materia ad quam tendunt, ignota eſt, quæ enim ſunt nobis ignota, ſunt etiam nobis ineffabilia. Experimur autem in nobis tales gemitus, cùm ardenti deſiderio orantes petimus dirigi, ſeu duci ad æternam ſalutem & ſimilia, neſcientes quid nobis de occurrentibus magis expediat. Talibus ſiquidem gemitibus nobis ineffabilibus, quia neſcimus particulares terminos, particularia remedia, ſeu adminicula ad quæ impetranda tendunt, Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis: quoniam Spiritus ſanctus habitans in nobis dirigit eos ad vtilia nobis impetranda.

Quomodo Spiritus ſanctus pro nobis poſtulat?

Gemitibus inenarrabilibus. Quibuſnam?

QVI AVTEM SCRVTATVR CORDA, SCIT, pro, *ſciuit*, QVID DESIDERET SPIRITVS. Verſ. 27.
Dictio interpretata *deſideret*, non eſt verbum, ſed nomen in Græco: & eſt illamet dictio ſuperius interpretata *prudentia, ſapientia, ſenſus, affectus, cura, cogitatio*, à diuerſis interpretibus. Vnde & hîc diuerſitas eſt: alij quæ prudentia ſpiritus, alij quis ſenſus ſpiritus, alij quis affectus ſpiritus, alij quæ cura ſpiritus interpretantur. Sed parui refert ad ſententiam: quia in eamdem coeunt: eſt enim ſenſus quòd Deus ſcrutator cordium ſciuit quò in particulari tendit cura Spiritus ſācti, ſic in nobis poſtulātis. Vana quidem eſſet Spiritus ſancti cura poſtulare nos faciētis tanquā in cōfuſo, niſi adeſſet Deus à quo petitur, intelligens quid in particulari intēdit obtinere Spiritus ſanctus in nobis pro nobis.

Et dicit *ſciuit* in præterito, ne noua aliqua notitia in Deo credatur. Et eſt ſermo de notitia approbationis quo contra dicitur fatuis virginibus, *neſcio vos*. Eſt enim ſenſus quòd Deus cognouit approbando id quod intendit

Notitia approbationis.

petere Spiritus ſanctus per noſtros ineffabiles nobis gemitus. Meminit autem Dei ſecundùm officium ſcrutandi corda, quia approbate petita in particulari, pendet ab exacta notitia cordium in profundiſſimo eorum: oportet namque illum qui mihi de verè expedientibus prouidet, noſſe cor meum quid facet in illo euentu, & quid in alio: & quid poſt alterum, tertiúmque, ac deinceps euentum, non in hac, vel illa materia, ſed in omnibus occurſibus, alioquin contingeret aliquam inutilem, aut nociuam, quamuis per accidens petitionem admittere, ſeu prouiſionem efficere. Et hic incipit fructus ſupplentis Spiritus ſancti: nihil enim prodeſſet ad auxilium imbecillitatum noſtrarum poſtulare pro nobis, niſi poſtulatio approbaretur: hæc enim approbatio eſt ex parte Dei initium adiutorij, quo Spiritus ſanctus dicitur adiuuare nos poſtulando illud. QVIA SECVNDVM DEVM POSTVLAT PRO SANCTIS. Hinc apparet, quòd de notitia approbationis ſermo eſt, dicendo *ſciuit* quæ prudentia ſpiritus: nam falſa eſſet hæc redditio cauſæ, ſi de ſimplici notitia eſſet ſermo: ſimplici ſiquidem notitiâ nouit Deus poſtulationes etiam quæ non ſunt ſecundum Deum: ſed notitiâ approbationis ſolas nouit petitiones quæ ſunt ſecundùm Deum: & ideò approbat eas quia ſunt ſecundùm Deum. Reddit itaque rationem quare Deus ab æterno approbauit, quæ poſtulat Spiritus ſanctus in nobis, quia Spiritus ſanctus poſtulat ſecundùm Deum pro ſanctis. Vnico verbo (ſcilicet *ſecundùm Deum*) ſignificat Apoſtolus vniuerſa petita ſicut oportet; hoc eſt, quæ omnibus conſideratis ſunt neceſſaria cuiuſque ſancti ſaluti. Quod enim prius dixerat *ſicut oportet*, modò dicit *ſecundùm Deum*. Et continet quicquid ſecundùm diuini ordinis diſpoſitionem in veritate ſingulis ſanctis expedit.

Non filii notitiâ ſimplici, ſed notitiâ approbationis nouit Deus petitiones ſecundum Deũ.

Verſ. 28. SCIMVS AVTEM QVONIAM, pro *quòd*. Non enim redditur ratio primi dicti (vt continuatio per coniunctionem *autem* inſinuat) ſed cùm dixiſſet *ſecundùm Deum*, declarat quid ſignificatur per hanc formam *ſecundùm Deum*: & propterea optimè continuatur textus, legendo, *ſcimus autem quòd* DILIGENTIBVS DEVM, OMNIA COOPERANTVR IN BONVM. Textus Græcus anceps eſt ad *omnia* in nominatiuo, vel accuſatiuo: & rurſus ad *cooperantur* pluraliter, vel *cooperatur* ſingulariter. Interpres intellexit in nominatiuo *omnia*, & pluraliter *cooperantur*. Legere autem *omnia* in accuſatiuo, & *cooperatur* in ſingulari, vndique quadrát, tum ſententiæ, tum contextui. Eſt enim ſenſus: Scimus autem quòd Deus cooperatur omnia in bonum diligentibus Deum, &c. Et hic ſenſus quadrat ſequenti ſtatim rationi, *nam quos præſciuit & prædeſtinauit*. Certum eſt enim quòd Deus ſubintelligitur dicendo *præſciuit & prædeſtinauit*: & ita Deus, quòd non Spiritus ſanctus: cùm expreſsè ſubiungatur filij ſui. Quadrat & præcedentibus, cùm dixit, *qui autẽ ſcrutatur corda ſciuit*, &c. nam conſtat quòd Deus ibi ſubintelligitur. Et ſimiliter quadrat vltimò dictæ formæ: ſcilicet *ſecundùm Deum*: aſſerit ſiquidem Paulus ſe cum aliis Apoſtolis ſcire quid eſt hoc *ſecundùm Deum*. Et declarat illud nobis, quòd ſcilicet Deus cooperatur omnia in bonum diligentibus Deum, &c. Iuxta hanc enim formam petit Spiritus ſanctus in nobis pro ſanctis: & ſimul explicat ex parte Dei ſcrutatoris cordium executionem adiutorij imbecillitatum noſtrarum quòd Spiritus ſanctus efficit petendo in nobis, vt hinc perpendamus ad hoc dirigi inenarrabiles gemitus noſtros à Spiritu ſancto, vt executioni mandet Deus hoc: ſcilicet cooperari omnia in bonum ſanctis: habet enim diuinæ prouidentiæ lex atque ordo, vt etiam quæ diſpoſuit Deus ſe facturum, adimpleat mediantibus cauſis ſecundis: de quarum numero eſt Spiritus ſanctus, quatenus habitans in nobis poſtulat gemitibus ineffabilibus pro ſanctis. Et dicendo *omnia*, nihil excludit ſpectantium quomodolibet ad ſingulos ſanctos; ſermo enim præſens directè eſt de ſanctis diſtributiuè, & non de vniuerſa collectione ſanctorum: ad cuius bonum non eſt dubium Deum omnia ordinare; etiam infernum: nam & ad gloriam ſanctorum cedit infernus. Sed ſermo præſens eſt de ſingulis ſanctis: de quorum quolibet licet verificetur illud Euangelicum, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*, præſentis tamen textus intentio directè tendit ad hoc quòd Deus etiam in hac vita coëfficit omnia quomodolibet ſpectantia ad ſanctum quemcunque, ſiue quomodolibet redundantia in illum, in bonum illius.

Varia cõſtructione.

Deus per ſecundas cauſas adimplet, quæ ſe diſpoſuit facturũ.

Etiam infernum ad gloriã ſanctorum cedit.

Dicit autem *cooperatur*, & non dicit *operatur*: vt intelligamus gratiam Dei non ſolam, ſed ſimul cum libero electorum arbitrio coëfficere ad bonum electorum. Et dicit *diligentibus Deum*, ad differentiam ſanctorum pro quanto non ſunt diligentes Deum: reſtrictio enim fit dicendo *diligentibus Deum*. Vnde non oportet quæſtiones mouere de iis quæ occurrerunt Paulo, Auguſtino, & ſimilibus antequam eſſent in ſtatu diligentium Deum: textu ipſo expreſsè reſtringente ad diligentes Deum.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

IIS QVI SECVNDVM PROPOSITVM VOCATI SVNT SANCTI. Superfluit *ſancti*: & *vocati* non eſt participium, ſed nomen: perinde ac ſi diceretur *aſcititij*. Altera conditio reſtrictiua adiungitur: vt non de omnibus diligentibus Deum, ſed de ſolis illis qui aſcititij ſunt ſecundum propoſitum diuinum intelligatur. Vbi perpendere potes has duas conditiones ad hoc iunctas vt altera alteram reſtringat: nam ſtatus diligendi Deum reſtringit aſcititios: vt non de prædeſtinatis ſecundum omnem eorum ſtatum, ſed ſecundum ſtatum quo diligunt Deum, ſermo præſens intelligatur: & ſimiliter non de omnibus diligentibus Deum; ſed de ſolis illis qui ſunt diligentes Deum, & prædeſtinati, ſermo præſens intelligatur. Multi enim ſunt quandoque in ſtatu diligendi Deum, qui tamen non ſunt prædeſtinati: & de his non dicit quòd Deus cooperetur omnia in bonum illis: ſed tantummodo habentibus ambas conditiones ſimul. Quid autẽ ſit *diuinum propoſitum*, ſtatim Paulus ſubiungit.

NAM QVOS PRÆSCIVIT, ET PRÆDESTINAVIT, pro, *& prædefiniuit*, CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII DEI, VT SIT IPSE PRIMOGENITVS IN MVLTIS FRATRIBVS. Aduerte circa literam differentiam inter coniunctionem horum duorum (*præſciuit & prædefiniuit*) & reliquorum ſubſequentium: nam in reliquis ſubſequentibus Verſ. 29.

tibus habetur ſemper relatiuum *quos*, & pronomen *hos*: dicendo, *quos autem prædefiniuit, hos vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit*, &c. coniungendo autem hæc duo nullum pronomen in textu Græco inuenitur: ita quòd non dicitur, *quos præſciuit, hos & prædefiniuit*, ſed dicitur *quos præſciuit & prædefiniuit*, vt ipſa differentia myſterium aliquod inſinuet.

Aduerte deinde quòd in reliquis verba (*vocauit, iuſtificauit, glorificauit*) abſolute ſine oppoſito aliquo dicuntur: hæc autem duo habent appoſitum, ſcilicet *conformes imaginis filij ſui*, &c.

Aduerte tertiò quòd non dicit *conformes imagini* in datiuo, ſed *imaginis* in genitiuo: & ita habetur in Græco. Non enim ſignificantur conformes imagini filij Dei: eſſet enim conformitas huiuſmodi ad filium Dei mediata: quia eſſet conformitas imagini eius, & mediante imagine conformitas ad ipſum: ſicut ſi quis fingeretur conformis ſtatuæ Cæſaris, eſſet conformis Cæſari mediate: & verè diceretur conformis imagini Cæſaris. Et hunc in propoſito ſenſum neſcirem intelligere: quoniam neſcio aliquam imaginem filij Dei cui ſancti decreti ſint conformes: ſed ſenſus eſt, conformes inter ſe ratione imaginis filij Dei: Hoc enim quadrat veritati & doctrinæ

1.Cor.15.49. Apoſtolicæ, 1. ad Corinth. 15. *quemadmodum geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus & imaginem cœleſtis*, hominis Chriſti. Ad explicandum enim in quo ſunt decreti conformes, ſubiungitur *imaginis*, hoc eſt, ſecundùm imaginem, ſeu ratione imaginis ſecundum vſum Græcæ conſtructionis, non cuiuſcumque, ſed *filij Dei*. Decreti ſunt enim omnes conformes ſecundum hanc imaginem, pro quanto ad imitationem filij naturalis omnes erunt filij Dei, vt ipſe filius Dei ſit *primogenitus in multis fratribus*.

Aduerte quartò quòd cùm Paulus more ſuo propoſuerit, *ſcimus quòd diligentibus Deum*, &c. modò ſubiungit declarationem ſingularum particularum: incipiendo ab illa, ſcilicet *ſecundum propoſitum*.

Scientia rerū abſolute, & ſcientia euentuum.

His prælibatis, ſcito ex Theologia ſpeculatiua differentiam inter ſcientiam Dei quatenus eſt rerum abſolute, & quatenus eſt rerum euentuum: nam quamuis vtraque ſit æterna, prima tamen non præſupponit Deum velle creare res: ſecunda autem præſupponit Deum velle creare res. Et hinc ſequitur quòd præſcientia horum euentuum (ſcilicet conformes eſſe inter ſe ſanctos ſecundùm imaginem filij Dei, vt ſit ipſe primogenitus, &c.) non præcedit diuinam prædefinitionem eorundem euentuum, ſed ſequitur illam; prius enim (non tempore, ſed rationis ordine) Deus volendo definit hos euentus, quam ſciat illos fore: imò ratio quòd ſciat illos fore, eſt quia volendo definit illos.

Præſcientia non eſt ratio prædeſtinationis, ſed è contra.

Non ſignificat itaque Paulus præſcientiam eſſe rationem prædeſtinationis, ſed è conuerſo prædefinitionem eſſe rationem præſcientiæ. Et ne intelligeres præſcientiam eſſe rationem prædefinitionis, abſtinuit a pronomine: vt dictum eſt. Si enim dixiſſet *quos præſciuit, hos & prædefiniuit*, intellexiſſes ordinem inter præſcientiam & prædefinitionem ſimilem ſubſequentibus: ſed abſtinendo a pronomine, iungendóque ſimul, inſinuauit myſterium alterius ordinis: inſinuauit hæc eſſe ſimul tempore, imò æternitate, & alterum inter ſe ordinem habere, quàm ſubſequentia inter ſe ſignificantur habere. Eſt itaque ſenſus: dixi *ſecundum propoſitum: nam quos præſciuit, conformes*, &c. *& prædefiniuit*, hoc eſt, etiam prius prædefiniuit, quàm præſciret: vt præpoſitio poſita ante *definiuit* referatur non ſolùm ad definitos, ſed ad præſcientiam, diſpari tamen ordine: nam ad illos ordine durationis, ad iſtam ordine quaſi cauſalitatis. Probando ſiquidem quòd *ſecundum propoſitum* dixit hæc, ad confutandum dogma eorum, qui primum ſalutis noſtræ locum tribuunt diuinæ præſcientiæ futurorum, qui præſcientiam meritorum ponunt rationem definitionis diuinæ: ad confutandum inquam hæc, primum noſtræ ſalutis locum tribuit diuino propoſito, dicendo *iis qui ſecundum propoſitum*. Et probando hoc manifeſtat quòd diuina definitio conformium filio Dei, prior eſt diuinâ præſcientiâ eorundem, dicens, *nam quos præſciuit & prædefiniuit*, hoc eſt, etiam prius quàm præſciret, definiuit.

Præſcientia approbationis.

At ſi opprimeris à maieſtate tam alti ſenſus, potes planiore vti ſenſu, exponendo præſcientiam de præſcientia approbationis: vt quemadmodum dicendo, *qui autem ſcrutatur corda, ſcit* quæ prudentia ſpiritus, loquitur de ſcientia approbationis, ita nunc loquatur de præſcientia approbationis. Et ſic planus eſt omnibus ſenſus, quòd nos præſciuit præſcientiâ approbationis, non ſolùm approbauit, ſed etiam prædefiniuit: quod maius eſt: nam definitio adiungit firmitatem approbationi.

Imago conformitatis filij Dei conſiſtit in duabus conditionibus.

Conſiſtit autem imago conformitatis ad filium Dei, in duabus conditionibus. Altera eſt participatio gloriæ filij Dei, ſecundùm quod homo beatus, &c. & hæc conditio comprehendit corpus noſtrum configuratum corpori claritatis Chriſti, & animam noſtram ſimilem animæ Chriſti in gloria, &c. Altera eſt participatio gloriæ filij Dei ſecundùm quod eſt filius Dei: & hæc conditio eſt quòd nunc ſumus filij Dei, tandem autem apparebit glorioſa hæc filiatio. Et hanc conditionem eſſe principaliter intentam à Paulo hic, apparet ex eo quod loquitur de filio Dei, & de fratribus.

Filius Dei nō ſolum primogenitus, ſed vnigenitus.

Primogenitura verò filio Dei attributa inter multos fratres, non proprio, ſed metaphorico ſermone eſt intelligenda: qui tam ſecundum diuinam, quàm ſecundum humanam natiuitatem naturalem, eſt non ſolùm primogenitus, ſed vnigenitus, ac per hoc carens fratribus. Vnde dicitur *primogenitus in multis fratribus*, ſecundùm aſſimilationem ad primogenitum inter multos fratres: quòd ipſe filius Dei, & multi alij ſunt filij Dei, ac per hoc multi fratres ipſius filij Dei, & quia ipſe eſt priùs cæteris genitus, ei attribuuntur iura ſimilia iuri primogeniti, vt ſcilicet fratres alij ſint ſub ipſo, & ab ipſo alántur, & huiuſmodi. Hæc enim dignitas Chriſti ſignificatur reſpectu noſtri, per hoc quod definitus eſt *primogenitus in multis fratribus*. Et dixit hoc, ne errares intelligendo, nos cohæredes Chriſti ex æquo, cùm dixerat *cohæredes autem*

rem Chriſti: explicat enim quòd ſumus cohæredes Chriſti, vt primogeniti inter omnes fratres, quod eſt dicere, Chriſtum quidem eſſe hæredem vniuerſorum: & ſub ipſo, & per ipſum, nos eſſe cohæredes, nos participare bona diuinæ hæreditatis: hæc enim lex primogenitorum in principibus etiam hodie apparet.

Verſ.30. QVOS AVTEM PRÆDESTINAVIT, pro *prædefiniuit*, HOS ET VOCAVIT, interna vocatione. Declaratâ ſiquidem illâ particulâ, *ſecundum propoſitum*, declarat conſequenter illam aliam, *vocati*. Differentia autem inter *vocare*, & *prædefinire*, ac *præſcire*, manifeſta eſt: nam vocatio in tempore fit: præſcire autem, & prædefinire ab æterno fuerunt, & exequendo prædefinitionem, vocat. ET QVOS VOCAVIT, HOS ET IVSTIFICAVIT: QVOS AVTEM IVSTIFICAVIT, ILLOS ET MAGNIFICAVIT, pro *glorificauit*.

Vocare fit in *tempore* præſcire. *&* prædefinire *ab æterno.*

Quæſtiones duæ occurrunt. Altera eſt circa verba præteriti temporis in huiuſmodi executionibus ((*vocauit, iuſtificauit, glorificauit*) cùm executiones iſtæ futuræ ſint. Solutio eſt quòd executiones iſtæ reſpectu multorum ſunt præteritæ, & reſpectu multorum ſunt futuræ multi enim iam ſunt vocati, iuſtificati, & glorificati: multi quoque ſuperſunt vocandi, iuſtificandi, & glorificandi. Par autem fuit vt doctrina à certioribus quæ iam facta ſunt, traderetur: & propterea vtitur verbis præteriti temporis. Poteſt nihilominus dici quòd propter certitudinem futurarum executionum ſignificantur abſolutè in præterito: ſicut Prophetæ faciunt.

Quomodo quos iuſtificauit hos & glorificauit?

Altera eſt circa veritatem harum executionum: nam falſum conſtat eſſe quòd quoſcumque iuſtificauit, illos & glorificauit, cùm multi iuſtificati ceciderint à iuſtitia, & ſint damnati. Solutio eſt duplex. Vel penes differentiam inter vocatos & iuſtificatos ſimpliciter, vel ad tempus, & quòd hîc eſt ſermo de vocatione, & iuſtificatione ſimpliciter: obiectio autem procedit de vocatis & iuſtificatis ad tempus: tales enim ſunt qui à iuſtitia cadentes damnantur. Vel penès differentiam inter vocationem & iuſtificationem: vt ſunt executiones prædefinitionis, aut vt ſunt ſecundum ſe quædam diuina dona, & quòd ſermo præſens eſt de iſtis quatenus ſunt executiones diuinæ prædefinitionis: ſic enim veriſſimum eſt quòd omnes iuſtificati ſunt etiam glorificati: obiectio autem procedit de iuſtificatione & vocatione, vt ſunt quædam gratiæ, non vt ſunt executiuæ diuinæ prædeſtinationis.

Dicendo itaque *hos & iuſtificauit*: declarat illam particulam *diligentibus Deum*: iuſtificamur enim fide per dilectionem operante. Et dicendo *hos & glorificauit*, declarat bonum ad quod omnia pro electis Deus coëffecit.

Verſ.31. QVID ERGO DICEMVS AD HÆC? Declarat illam particulam *Deus cooperatur*, declarando efficaciam diuinæ cooperationis præmittendo ſtuporem, ſeu contrariæ linguæ executionem. *Quid ergo dicemus ad hæc*? hoc eſt, quid ergo dicemus contra hæc? quaſi dicat nihil: vel quid ergo dicemus aſpicientes ad hæc? quaſi dicat non dicendum, ſed ſtupendum nobis eſt ſpectantibus ad hæc. SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS? hoc eſt, ſi Deus coëfficit noſtrum bonum tot modis, tantâ efficaciâ: *quis contra nos*? quis contra bonum noſtrum, ſupple præualebit? quaſi dicat; nullus.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

QVI ETIAM PROPRIO FILIO SVO. Superfluit *ſuo*. NON PEPERCIT. hoc eſt, non abſtinuit ab exinanitione & afflictione proprij filij. SED PRO NOBIS OMNIBVS, electis, TRADIDIT ILLVM. Liberali dono dedit illum. QVOMODO NON ETIAM CVM ILLO OMNIA NOBIS DONAVIT? pro *donabit*. Animaduerterat Paulus quòd præallegata ratio tot donorum non efficaciter inferebat Deum omnia cooperari in bonum, & propterea vt efficaciter concluderet, quòd *omnia*, adiunxit quod Deus liberaliter donauit etiam filium pro electis: vt hinc inferret ſicut & infert, quòd omnia cum filio electis donata: ac etiam omnia in bonum electorum diſpoſita ſunt. Et dicit in futuro *donabit*, ad ſignificandum quòd conſummata executio boni in quod omnia electis cooperatur Deus, non eſt in præſenti, ſed in futuro ſtatu gloriæ. Verſ. 32.

QVIS ACCVSABIT ADVERSVS ELECTOS DEI? Obuiat obiectioni poſſibili fieri propter peccata commiſſa ab electis: multi enim electorum multa crimina commiſerunt, propter quæ obiicere poſſet aliquis quòd remanent puniendi: vt ſic impediretur glorificatio eorum. Et directè dicuntur hæc verba propter illam ſequelam, *quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit*. Quis, inquit, *accuſabit*, quis erit accuſator præteritorum criminum aduerſus electos Dei, vt non glorificentur? quaſi dicat; nullus. Et rationem ſubdit: DEVS QVI IVSTIFICAT. hoc eſt, *Deus* (non homo, non angelus) *qui iuſtificat*, qui iuſtos facit electos ex peccatoribus. Verſ.33.

QVIS EST QVI CONDEMNET? Verbum verbo reddendo legendum eſt, *quis condemnans*: Deo iuſtificante electos ab omnibus eorum criminibus quis condemnans erit? quaſi dicat; nullus. Verſ.34.

Vbi aduerte quòd excludit tam accuſatorem, quam iudicem condemnantem, ex hoc quòd Deus eſt qui iuſtificat: quoniam nullus relinquitur accuſationi, aut condemnationi Deo iuſtificante locus. Quia tamen poſſet quiſpiam obiicere quod Chriſtus comparebit accuſator & condemnator (accuſator quidem, quia contra præcepta eius fecerunt: ſicut & Moyſes accuſator Iudæorum dicitur Ioan.5. condemnator verò quia ipſe eſt conſtitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum) propter hanc inquam obiectionem ſubiungit;

Deo iuſtificante nullus relinquitur accuſationi, vel condemnationi locus.

CHRISTVS QVI MORTVVS EST, IMÒ QVI ET RESVRREXIT, QVI, Deeſt, *&*, EST AD DEXTERAM DEI, QVI ETIAM INTERPELLAT, pro *poſtulat*. PRO NOBIS? Totum hoc ſub hoc puncto interrogatiuo legendum eſt. Eſt enim ſenſus: numquid Chriſtus electos accuſabit, aut condemnabit, qui contulit nobis hęc beneficia, qui habet has conditiones? Quaſi dicat, hæc beneficia, hæ conditiones teſtantur quòd non.

Vbi aduerte quòd vltima verba (ſcilicet *pro nobis*) reſpiciuntur ab omnibus & ſingulis quatuor beneficiis, qui mortuus eſt pro nobis, qui reſurrexit pro nobis, qui ſedet in dextera Dei pro nobis, qui poſtulat pro nobis. Et pronomen electos demonſtrat.

QVIS ERGO NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI? pro *Dei*. Et ſuperfluit *ergo*. Recole ſuperius propoſitorum & dictorum: & perpende Verſ. 35.

pende quòd cùm tractauerit bona, quæ habent iuſtificati tria (ſcilicet pacem ad Deum, gloriationem in gloria Dei, & gloriationem in Deo) modò tractat, quæ ſupererat gloriationem in tribulationibus. Diuiſit namque Paulus hunc tractatum de gloriatione in afflictionibus inſerendo partem illius (ſcilicet neceſſitatem patiendi) cum ſecundo bono, ſcilicet *gloriamur in gloria Dei*: & partem alteram (ſcilicet ipſam gloriationem) inſerendo quarto bono, ſcilicet *gloriamur in Deo*, quod modò tam diffuſè declarauit, ex hoc quòd Deus omnia nobis cooperatur in bonum: definiendo, vocando, donando filium, & cætera. Fecit autem hanc partitionem, vt intelligamus per Spiritum ſanctum, & quatenus eſt ſpiritus adoptionis, & quatenus eſt Spiritus adiuuans imbecillitates noſtras poſtulando, conſurgere in nobis gloriationem in afflictionibus, comitem aliarum duarum gloriationum in hac vita. Per modum itaque quæſtionis tractat gloriationem noſtram in afflictionibus: monendo ſcilicet & ſoluendo quæſtionem an aliquis ſeparabit electos a charitate Dei. Quocirca pronomen *nos*, demonſtrat electos, & à charitate, ſeu dilectione Dei ſignificat dilectionem Dei ergà electos. Narratâ ſiquidem tanta erga electos Dei dilectione vt prædefiniuerit, præſciuerit, vocauerit, iuſtificauerit, glorificauerit, ac filium proprium donauerit, omnia in bonum eorum vertendo, aptiſſime ſubiungit quæſtionem, *quis nos ſeparabit à dilectione Dei*, tali ac tanta: intendens (vt ſubiungit) quòd nullus; nulla vis ſeparabit electos à Dei erga illos dilectione. Separarentur autem ſi ab illius effectibus (ſcilicet fide, ſpe, charitate, patientiâ, reliquiſque virtutibus) finaliter caderent. TRIBVLATIO? Motâ quæſtione quis, diſcurrit inducendo interrogatiuè ſeptem malorum genera: ad quæ mala omnia quæ hoc tempore pati poſſumus reducuntur, vt perpendamus quòd tractat de gloriatione electorum in tribulationibus. Et tribulatio, ſeu afflictio vniuerſos comprehendit cruciatus ſecundum pœnam ſenſus, ſeu dolorem ſenſibilem circa mortem. AN ANGVSTIA? priuans libertate corporis. AN FAMES? priuans cibo. AN NVDITAS? priuans veſtimento. AN PERICVLVM? quod timorem ponit imminentis mali. AN PERSECVTIO? Quæ tertio loco in textu Græco ſita, neſcio a quo apud Latinos tranſlata ſit in ſextum. Et ponit perſecutio perſeuerantiam actionis contra electos. AN GLADIVS? priuans vitâ.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti

Inducit ſeptem malorum genera, ad quæ cætera reducuntur.

Verſ. 36. SICVT SCRIPTVM EST. electos pati, in Pſalmo quadrageſimoquarto. Et citauit Scripturæ teſtimonium, ne hic per mala diſcurſus ſuperfluus putaretur. QVIA PROPTER TE. Deus, quia tui ſumus cultores. MORTIFICAMVR. Electi loquuntur Deo. Et quæcunque patiendo in corpore, mortificari ſe dicunt: quia qualibet paſſio corporis ſpecies eſt mortificationis. TOTA DIE. Continuitas ſignificatur perſeuerans. ÆSTIMATI SVMVS. Malo corporis adiungitur malum vilipenſionis talis ac tantæ. SICVT OVES OCCISIONIS. hoc eſt, vt occidere nos, æſtimetur vtile ad vitam hominum, ſicut occiſio ouium in macello vtilis eſt ad vitam hominum. Et verè ſic æſtimati ſunt Chriſtiani primitiui vt patet legentibus hiſtorias.

SED IN HIS OMNIBVS SVPERAMVS. pro *ſuperuincimus*. Reſpondendo quæſtioni, declarat gloriationem noſtram in tribulationibus: non contentus dicere *vincimus*, ſed *ſuperuincimus*. Verè gloriatio noſtra eſt in his, non aliquibus, ſed omnibus; non viſcere, ſed plus quam vincere: eſt enim plus quàm vincere, ſuperare mala & gaudere patiendo mala. Quod impletum legimus in Apoſtolis & Martyribus multis. PROPTER, pro, *per*, EVM QVI DILEXIT NOS. Non ſignificatur cauſa finalis, ſed efficiens adiuuando & cooperando. Et quadrat dilectioni Dei erga nos: nam Deum diligere nos, eſt ratio faciendi nobis bonum, eſt enim dilectio, quâ Deus diligit, efficax. Et ex hac particula apparet quòd de dilectione Dei erga nos dixit, *quis nos ſeparabit a charitate Dei*? Eadem ſiquidem dilectio pro cauſa affertur noſtræ ſuperuictoriæ, quâ non ſeparamur ab ipſa Dei erga nos dilectione: ita quòd non noſtris viribus, non noſtra charitate, ſed adiutorio gratuito Dei ſuperuincimus: vt intelligamus non habitualis gratiæ, ſed Dei adiuuantis gratuito, hanc ſuperuictoriam noſtram effectam eſſe. Hoc enim ſignificatur dicendo, *per eum qui dilexit nos*. Verſ. 37.

Gaudere patiendo eſt ſuperuincere.

De charitate Dei erga nos intelligit Apoſtolus, Quis nos ſeparabit, &c.

CERTVS SVM. pro perſuaſus ſum, ENIM. Non enim de certitudine euidentiæ, ſed de certitudine perſuaſionis (quam conſtat eſſe certitudinem fidei) eſt ſermo. Nec explicat à quo perſuaſus eſt: quoniam ab authore fidei conſtat hanc perſuaſionem eſſe, QVOD NEQVE MORS, NEQVE VITA, NEQVE ANGELI, NEQVE PRINCIPATVS, NEQVE VIRTVTES. Quatuor differentias rerum explicat Paulus, quibus præcipue attribui poſſet vis ſeparandi electos à charitate Dei. Prima eſt differentia vitæ & mortis: vita ſiquidem ſummum eſt appetibile, & mors vltimum terribilium. Sub quibus duobus comprehenduntur reliqua appetibilia & refutabilia. Verſ. 38.

Quatuor rerum differentia maximè fortium, quæ tamen in charitatem nil poſſunt.

Secunda differentia eſt ſpiritualium ſubſtantiarum ſecundum tres diuerſitates, ſcilicet Angelos, Principatus, & Virtutes. Et *Angelus* quidem nomen eſt infimarum ſubſtantiarum ſpiritualium: *Principatus* autem nomen eſt ordinis illarum quæ præſunt prouinciis: *Virtutes* demum nomen eſt ſupremi ordinis ſpiritualium ſubſtantiarum miniſtrantium, ſeu exequentium. Et quemadmodum per mortem & vitam excludit omnes creatas cauſas finales, ita per differentiam harum ſubſtantiarum excludit omnes creatas cauſas effectiuas ſpirituales. Quas ternario comprehendit numero, vt omnes includi intelligantur: numerus enim ternarius perfectionis eſt. Nec obſtat quòd de ſanctis Angelis, & non ſolùm de damnatis ſpiritibus hæc intelligantur: quoniam non dicitur quòd velint ſeparare nos à charitate Dei, ſed quòd non poſſint, quod eſt veriſſimum.

Tertia differentia eſt penes tempus. NEQVE INSTANTIA, NEQVE FVTVRA. De præteritis enim nulla poterat eſſe ambiguitas. Et hæc differentia temporis quoniam ſpecialem ingerit difficultatem & facilitatem, & communiſſima eſt cauſis omnibus, meritò adiecta eſt. Magni ſiquidem refert præſentibus, vel futuris allici: & ſimiliter præſentibus, vel

futuris terreri: magni refert præſentem, vel futuram eſſe actionem, eſſe formam, eſſe materiam. NEQVE FORTITVDO. Superfluit. Et neſcitur quis addidit: cùm in textu Græco non inueniatur.

Verſ. 39. NEQVE ALTITVDO, NEQVE PROFVNDVM.

Quarta differentia eſt, penes differentias vniuerſi corporei ſecundum celſitudinem & profunditatem: videtúrque quòd Paulus differentias tantùm eas aſſumpſerit quæ attenduntur penès communia omnibus hominibus, qualia ſunt mors & vita: ſubſtantiæ ſpirituales, tempus & vniuerſum corporeum. Ita quòd ſub *altitudinis* nomine intelliguntur ſuperiora corpora, *profundi* verò inferiora.

NEQVE CREATVRA ALIA. More eorum qui computatis præcipuis ſubiungunt clauſulam generalem, vt intelligatur quod de omnibus intendunt, Paulus ſubiungit neque creatura alia: vt hinc intelligamus quod nullam excipit creaturam. POTERIT. Superius dixerat de facto, *quis nos ſeparabit*: & ſimiliter de facto, *ſed in his omnibus ſuperuincimus*: modò verò loquitur de poſſibili, dicendo *poterit*. Ita quòd non ſolum negat creaturam quamcunque ſeparare electos à charitate Dei, ſed negat poſſe ſeparare. Et ratio eſt in promptu: quia charitas Dei erga nos eſt ſuprema cauſa, ſuperior omni creaturâ, ſuperans potentiam cuiuſcunque creaturæ. NOS SEPARARE. Pronomen *nos* demonſtrat electos. Et eſt ſermo de ſeparatione totali, non de ſeparatione ad tempus, quæ non eſt contraria dilectioni Dei erga electos: vt patet de lapſu Petri. A CHARITATE DEI: actiuâ: hoc eſt, à charitate Dei erga nos. QVÆ EST IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. tanquam in mediatore & executore ipſius charitatis Dei erga nos: vt intelligamus non ſolùm ſimilem eſſe Ieſu Chriſti erga electos charitatem charitati diuinæ, ſed etiam in ipſius Ieſu myſterio, opere, paſſione, reſurrectione, &c. adimpleri charitatem Dei erga electos.

Eſt hic ſermo de ſeparatione totali.

CAPVT IX.

Verſ. 1. VERITATEM DICO IN CHRISTO, NON MENTIOR: TESTIMONIVM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA IN SPIRITV SANCTO. Non ſaltat, non noua inſerit Paulus: ſed poſtquàm tractauit propoſita in principio (ſcilicet quòd Euangelium quoad rem euangelizatam, *poteſtas Dei eſt in ſalutem omni credenti*) conſequenter tractat reliqua ibidem propoſita (ſcilicet *Iudæóque primum & Græco*, cum adiuncta authoritate, *iuſtus ex fide viuet*) in his tribus capitulis. Et in hoc quidem capitulo declarat modum ſimul & cauſam quo & quare primùm tum Iudæo, tum Gentili eſt in ſalutem. Et modus eſt: quia paucis Iudæis profuit, Gentibus verò communiter, cauſa verò ex parte Dei eſt diuinum propoſitum: ex parte verò exequentium, eſt quia Gentes confiſæ ſunt in fide Chriſti, Iudæi verò in iuſtitia legis.

Ruinam itaque Iudæorum communiter paucis exceptis proponit condolendo: ne videatur ex malo ad Iudæos affectu loqui. Et Chriſtum ac Spiritum ſanctum teſtem inducit cum propria conſcientia: animi enim mei ſolus Deus eſt conſcius. Et quoniam ad integritatem veri ſermonis duo exiguntur (alterum ex parte rei quæ dicitur, quod ſcilicet ſic ſit: alterum ex parte dicentis, ſcilicet quòd non mentiatur: nam contingit & abſque mendacio proferri non verum in re, & mentiendo dicere quod in re verum eſt) ideo Paulus vtrumque comprehendit, & ex parte rei dicit, *veritatem dico in Chriſto*: hoc eſt, illam cuius Chriſtus eſt conſcius; & ex parte ſui dicit, *non mentior*.

Duo ad veritatem integram ſermonis requiruntur.

Verſ. 2.

QVONIAM pro *quod*. TRISTITIA MIHI. Ecce res dicta. MAGNA, intenſiue. EST ET CONTINVVS DOLOR. Non ad horam, ſed perſeuerans. CORDI MEO. Non ſuperficie tenus, ſed in corde, in intimis animi mei.

Verſ. 3.

OPTABAM ENIM. Simul manifeſtat materiam & cauſam tantæ triſtitiæ in ſe: afferendo ſtatum Iudæorum communem olim ſibi. Talis enim Iudæorum ſtatus materia eſt tantæ triſtitiæ. Et quoniam ipſe ſtatum illum valde dilexerat, ideo magna ſubſecuta eſt triſtitia: cùm enim videmus ruinam rei valde amatæ, dolemus valde. Reddendo itaque rationem magnæ in ſe triſtitiæ, ſimul patefacit materiam triſtitiæ eſſe illam quæ olim fuit ſibi maximè dilecta.

Modeſtia D. Pauli.

Vbi & nota modeſtiam. Intendit dicere cauſam tantæ triſtitiæ eſſe, quòd Iudæi eligunt anathema eſſe à Chriſto: modeſtè loquens, dicit hoc implicite: explicando quod ipſemet elegit olim anathema eſſe à Chriſto: vt ex ipſius crimine intelligamus cæterorum Iudæorum perſeuerantium in Iudaiſmo, peccatum ſimile. Nec dicit opto modò habens ſancta deſideria, ſed optabam, ſeu optaui olim in ſtatu Iudaiſmi. EGO IPSE. Vt intelligamus loco deſiderij ſucceſſiſſe dolorem ex eo quod eſt ipſemet. ANATHEMA ESSE A CHRISTO. Græca dictio dicitur *anathema* ſignificans per tranſlationem *ſeparatum*, quemadmodum Deo dicata ſeparata ſunt à communi vſu: elegit ſiquidem Paulus olim in Iudaiſmo ſeparationem à Chriſto potius quam ſeparationem à Iudaiſmo. Vnde abſolute, & non ad tempus anathema ſe eſſe à Chriſto dicit ſe optaſſe. PRO FRATRIBVS MEIS. Aperit ipſe Paulus zelum ſuum quem habuerat in Iudaiſmo contra Chriſtum, fuiſſe propter Iudæos: ne ſcilicet Iudæi à ſtatu Iudaiſmi tanquam ſeducti tranſirent ad ſtatum Chriſtianum. Iudæos ſiquidem fratres ſuos appellat: vtpote ex eodem patre, ſcilicet Iacob. QVI SVNT COGNATI MEI SECVNDVM CARNEM. Hoc eſt (ſi dicere licet) congeneres, ex vno genere ſecundum carnem. Quos conſanguineos appellantes, non oportet addere *ſecundum carnem*.

Anathema quid.

Quomodo D. Paulus anathema eſſe à Chriſto optabat.

Verſ. 4.

QVI SVNT ISRAELITÆ. Explicat à communi patre generis carnalis nomen. QVORVM ADOPTIO EST FILIORVM. Superfluunt duæ vltimæ dictiones, *eſt filiorum*. Incipit exponere priuilegia Iudæorum: vt tantò maior materia ſignificetur triſtitiæ, ex maiori perditione: & ſimul primitas Iudæi ſecundum dignitatem priuilegiorum diuinorũ explicetur. Vtraque adoptio fuit Iſraëlitarum: & vetus Exod. 4. *Primogenitus meus Iſrael*. & noua, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*: & rurſus Apoſtolis Iſraëlitis dicit Ieſus, *filioli adhuc modicum*, &c.

Priuilegia Iudæorum.

Adoptio.

Exod. 4.
Matth. 15. 26
Ioan. 13. 33.

Et

Gloria. ET GLORIA. Vtraque ſimiliter gloria Iſraelitarum fuit: tum vetus, apparente gloriâ domini apud illos, & ſuper tabernaculum, & in monte Sina, & in columna, &c. tum noua, cùm apparuit gloria Chriſti coram tribus Apoſtolis.

Teſtamentum ET TESTAMENTVM. pro, *& teſtamenta.* Ipſemet Paulus ad Galatas duo explicat Teſtamenta, alterum vetus in monte Sina: alterum nouum, quod Chriſtus fecit. Et vtrumque conſtat Iſraelitis datum.

Legiſlatio. ET LEGISLATIO. Lex namque vetus conſtituta eſt ad Iſraelitas: & ſimiliter lex Euangelica per Chriſtum Iſraelitis data eſt tam verbo quam ſpiritu in Pentecoſte.

Obſequium. ET OBSEQVIVM. pro, *& cultus.* Nam & vetus cultus diuinus & nouus ad Euchariſtiæ ſacrificium baptiſmique ritum, datus eſt Iſraelitis.

Promiſſa. ET PROMISSA. Pro & *promyſsiones* tum tot bonorum, & præcipuè Meſſiæ, tum æternæ vitæ & reſurrectionis a Chriſto. In his enim omnibus priuilegiati ſunt Iſraelitæ: nam & vetera propria eorum fuerunt, & noua primùm fuerunt. Ita quod per eos ad alios deriuantur, quod ad ipſorum magnam ſpectat dignitatem: & maiorem môſtrat eſſe Iſraelitarum iacturam,

Verſ. 5. *Chriſtus ſecundùm carnem.* QVORVM PATRES. Septimum priuilegium Iſraelitarum proprium ac maximum poſtremò ſcribitur, ſcilicet quod Chriſtus natus eſt ex eorum patribus, quod Chriſtus ſecundum carnem eſt frater eorum. EX QVIBVS EST. Superfluit *eſt*, CHRISTVS SECVNDVM CARNEM. Non ſecundùm totum id quod eſt, non ſecundùm diuinam ſed humanam naturam. QVI EST. Verbum verbo reddendo legendum eſt. *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, ens* SVPER OMNIA DEVS BENEDICTVS IN SECVLA: AMEN. Hic eſt primus locus in quo habemus à Paulo, Chriſtum eſſe Deum: hoc eſt quòd explicitè appellat Chriſtum Deum, non qualitercunque ſed ſuper omnia *benedictum in ſecula, amen:* vt nulla relinquatur Arrianis exceptio: cùm hæ conditiones non niſi de ſummo Deo verificentur: & de ſolo ſummo Deo fas ſit hæc dicere.

Verſ. 6. NON AVTEM. pro, *Non ſic autem.* Supple Iſraelitæ optant anathema eſſe à Chriſto. QVOD EXCIDERIT VERBVM DEI. A veracitate adoptionis Iſrael. NON ENIM OMNES QVI EX ISRAEL SVNT, HI SVNT ISRAELITÆ. Interpres addidit pro claritate vtrobique *ſunt*: & loco *Iſrael* poſuit *Iſraelitæ*, ſenſum magis quam verba ſectatus. *Non omnes qui ex Iſrael Iſraelitæ.* Intentio Pauli eſt patefacere quod ob tantam ruinam Iudæorum, non eſt diminuta veracitas diuinæ promiſſionis, quia Iſraelitæ quotcunque ruêtes non ſunt in numero Iſraelitarum quibus facta eſt promiſſio: quia nôn ſunt filij promiſſionis ſed carnis. Cùm ergo dicit, *non omnes qui ex Iſrael*, intelligit *ſecundum carnem deſcendunt*. & cùm ſubdit, *hi Iſraelitæ*, intendit, hi computantur Iſraelitæ.

Verſ. 7. NEQVE QVI. pro, *quia*, SEMEN SVNT ABRAHÆ, OMNES FILII. Similis eſt ſenſus quòd non propterea quòd carnaliter deſcêdunt ab Abraham, ideo omnes tales computantur filij Abrahæ. SED IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN. Ne putares ſine Scripturæ authoritate inducere Paulum hanc diſtinctionem inter deſcendentes tam ex Iſrael quàm ex Abraham, quòd aliqui computantur inter filios, & alij non, attulit authoritatem: Geneſ. 21. in qua expreſsè non omnes filij Abrahæ ſed Iſaac tantum in ſemen adſciſcitur.

IDEST, NON QVI FILII DEI. Iuxta duos patres (ſcilicet Iſrael & Abraham) exponit ſenſum diſtinctionis dupliciter, ad idem tamen: Verſ. 8.
primùm inter filios carnis & filios Dei; & hinc habet quòd non omnes deſcendentes carnaliter ab Iſrael ſunt filij adoptiui Dei: ac per hoc adoptio diuina reſpectu Iſral non defecit ex ruina multorum filiorum Iſrael ſecundum carnem: vtpote non filiorum adoptionis diuinæ. SED QVI FILII SVNT PROMISSIONIS. Ne locum inquirendi relinqueret qui ſunt filij Dei, declarat hoc, dicendo quòd ſunt filij promiſſionis: ita quòd contra filios carnis, filios promiſſionis diſtinguit. *Filij promiſſionis diſtincti à filiis carnis.* Nec opus eſt laborare circa ſenſum diſtinctionis: quoniam ipſe Paulus ad Galat. 4. explicat Iſmaelem natum ſecundum carnem, Iſaac verò per promiſſionem. Res geſta patet in Geneſi, vbi promittitur conceptio natiuitaſque Iſaac à Deo. Nec ſis adeo rudis, vt dubites Iſaac carnaliter conceptum & genitum. Sed differentia conſiſtit in hoc quod Iſmael ſecundùm carnem præciſè: Iſaac autem non præciſe ſecundum carnem, ſed ratione diuini miraculi promiſſi à Deo: miraculosè enim reſtituta eſt virtus generatiua tam Saræ quam Abrahæ promittendo filium Abrahæ ex Sara. ÆSTIMANTVR IN SEMEN. Vitio ſcriptorum legitur *æſtimantur* pro *exiſtimantur* ſeu *reputantur*. Non ſat fuit Paulo diſtinguere in re, ſed etiam in reputatione: vt hinc haberet quod omnes Iſraelitæ ruentes non reputantur in ſemen Iſrael & Abrahæ: ac per hoc ob illorum perditionem nihil perit veracitatis diuinæ. Igitur filij Abrahæ, & Iſrael diſtinguntur in filios carnis & filios Dei, qui ſunt filij promiſſionis, qui ſoli reputantur in ſemen Abrahæ & Iſrael. Hoc eſt quod intendit & dicit Paulus.

PROMISSIONIS ENIM VERBVM, HOC EST, SECVNDVM HOC TEMPVS VENIAM, ET ERIT SARÆ FILIVS. Probat filios promiſſionis ex verbis Domini. Geneſ. 18. Verſ. 9. *Filij promiſſionis vnde dicti.*

NON SOLVM AVTEM ILLA. Superfluit *illa*. Ne electio diuina inter filiôs Abrahæ ſolos ſcripta credatur, affert diuinam quoque electionem inter filios Iſaac: vt ex his duobus teſtimoniis credatur quam docere intendit diuina electio inter filios Iſrael, quorum tam magna pars ruit. Non ſolùm autem in Saræ filio apparuit diuina promiſſio. SED ET REBECCA. Vxor Iſaac. EX VNO CONCVBITV HABENS ISAAC PATRIS NOSTRI. Corrupta eſt litera: nam in textu Græco non habetur *concubitu*, nec poteſt dictio illa coniungi cùm *ex vno*: quia *vno* eſt generis maſculini, & caſus genitiui pro ablatiuo, dictio vero interpretata *concubitu* quæ ſignificat cubile, eſt generis fœminini & caſus accuſatiui, & regitur à participio *habens*. Legendum eſt, *Ex vno cubile habens*. Sed ambiguitate non caret an *Iſaac* in genitiuo poſitum quoque ſit loco ablatiui, & iungatur cum *ex vno*, ita quòd litera ſit *ex vno cubile habens Iſaac patre noſtro*, an legendum ſit *ex vno cubile habens Iſaac patris noſtri*. Si omnes illi genitiui mutantur in ablatiuum, excluditur pluralitas patrum reſpectu plurium filiorum Rebeccæ, identitaſque patris & matris reſpectu duorum filiorum explicatur. Si verò in genitiuo relinquitur *Iſaac patris noſtri*, magis quadrat explicatio

quod electus ſit vnus filius, ita quòd non ſolùm ex vno filio Abrahæ (nempe quem genuit illi Sara) ſed etiam ex vno filio quem genuit Rebecca habens cubile Iſaac patris noſtri, electio diuina patet. Honeſto autem vocabulo à loco (hoc eſt, *cubili*) actum matrimonij ſignificauit: vt diſcamus de venereis pudicè loqui. Iuxta hunc ſiquidem ſenſum non ſolum pater Iſaac, ſed etiam vnus filiorum electus ſignificatur. Et quadrat huic ſenſui coniunctio *enim*, ſubiuncta dicendo.

Verſ. 11. CVM ENIM NONDVM NATI FVISSENT. Redditur ſiquidem manifeſte ratio vnius filiorum electi. Et dicit hoc ad excludendum præſagium futurorum ex hora natiuitatis. AVT ALIQVID BONI EGISSENT, AVT MALI. Adiunxit hoc ad excludendum errorem tam ponentium circulum animarum, quàm opinantium animas creatas priùs, quàm infundantur corporibus, & in illo priori aliquid boni aut mali egiſſe.

Verſ. 12. VT SECVNDVM ELECTIONEM PROPOSITVM DEI MANERET. Antequam proferat authoritatem Scripturæ, reddit rationem illius. Quam magis explicat ſubiungendo, NON EX OPERIBVS. filiorum. SED EX VOCANTE *Deo*. DICTVM EST EI. ſcilicet, Rebeccæ. Geneſ. 25.

Verſ. 13. QVIA. pro, *quòd*, MAIOR SERVIET MINORI. Non eget expoſitione locus iſte, ſed applicatione mentis, ad quam ipſemet Paulus explicauit rationem. Nihil enim aliud ex hac authoritate Paulus intendit, niſi quòd hinc apparet, quòd non ex operibus noſtris, ſed ex voluntate Dei eligentis & vocantis vnus eligitur, & alter reprobatur. Et quoniam hæc authoritas monſtrat vnum præeligi alteri, adiungit alteram authoritatem, teſtantem de eiſdem quòd vnus eligitur, & alter odio habetur. SICVT SCRIPTVM EST. Malach. 1. IACOB DILEXI, ESAV AVTEM ODIO HABVI. Vbi aduerte quod *odio habere*, non ſonat ſolam priuationem dilectionis, ſed ſignificat velle malum.

Ex voluntate Dei vnus eligitur, alter reprobatur.

Et propterea dura quæſtio occurrit, quo pacto verificatur quòd Deus velit malum alicui non ex operibus illius. Solutio eſt, quòd Deus ab æterno verè quoſdam eligit, & quoſdam reprobat; quoſdam diligit, & quoſdam odio habet, pro quanto quibuſdam ab æterno vult conferre opem gratiæ ſuæ, & adiuuare illos vſque ad gloriam æternam, quoſdam autem ab æterno quoque vult permittere ſibiipſis, nec adiuuare eos gratuito auxilio, quod electis decreuit conferre. Et hoc eſt, Deum illos odio habere, hoc eſt, Deum reprobare illos non ex operibus. Cùm quo tamen ſtat quòd nullus dânatur niſi ex propriis operibus. Nec ſententia ſiquidem, nec executio damnationis fit antequam huiuſmodi reprobi peccent. Nec ex hac æterna diſpoſitione diuina poteſt inferri iniuſtitia in Deo, ſed libertas ſumma, quoniâ neutris tenetur, & ex ſua mera libertate pendet, velle dare gratuitum bonum aliquibus, & velle non dare aliquibus, ſed permittere eos in ſuis naturalibus.

Quo ſenſu Deus dicitur velle malum alicui, non ex operibus illius.

Verſ. 14. QVID ERGO DICEMVS? Animaduertit Paulus quam tetigimus quæſtionem à multis inferendam. Et propterea præuenit eos, mouendo eandem quæſtionem. NVNQVID INIQVITAS APVD DEVM? Apparet enim prima fronte quòd velle vni malum, & alteri bonum, abſque quacunque diuerſitate meritorũ, iniuſtitiæ ſit. ABSIT. Horrentis eſt reſponſio.

Verſ. 15. MOYSI ENIM DICIT. Exodi trigeſimotertio. MISEREBOR CVI MISERTVS SVM. pro, *cuius miſereor*. ET MISERICORDIAM PRÆSTABO CVI MISEREBOR. pro, *& miſerabor quem miſeror*. Primum enim verbum eſt *miſereor*, ſecundum autem *miſeror*. Et hoc quidẽ affectionem animi condolentis propriè ſonat: illud autem ad effectus gratuiti collationẽ transfertur, quum in miſeria aliqua conſtitutis confertur. Et ad hoc inducitur hæc authoritas, vt libertas diuina tam ad miſerendum, quàm ad miſerandum explicetur. Dicendo ſiquidem, *miſerebor cuius miſereor*, monſtrat effectum miſericordiæ ſe daturum non omnibus, ſed illis, quorum miſeretur: hoc eſt, quorum eligit miſereri ab æterno. Et ſimilis ſententia eſt de miſeratione, quæ non cadit in Deum niſi metaphoricè: ſicut ira, & reliquæ paſſiones aliæ. Et ponitur in Deo reſpectu malorum noſtrorum, illud autem reſpectu bonorum gratuitorum, ſecundum literalem ſenſum Exodi: penuria vocabulorum vtente *miſereri*, quod etiam paſſionis animi conſtat eſſe verbum. Tota ergo reſponſio conſiſtit in manifeſtando libertatem Dei: quoniam conſtat, iniuſtitiam non habere locum in mera gratuitorum collatione, & negatione: iuxta parabolam Euangelicam, *An non licet mihi quod volo facere? tolle quod tuum eſt*.

In gratuitorum collatione & negatione non eſt iniuſtitia. Matth. 20.

Verſ. 16. IGITVR NON VOLENTIS, hoc eſt, non operum internorum. NEQVE CVRRENTIS, hoc eſt, neque operum exteriorum. SED MISERENTIS EST DEI. ſupple, electio, hoc eſt, quòd homo ſit electus.

Verſ. 17. DICIT ENIM SCRIPTVRA PHARAONI. Exodi nono. Poſtquam enim Paulus authoritate Scripturæ monſtrauit, non eſſe iniuſtitiam in Deo in hoc quod aliquos eligit: nunc conſequenter authoritate quoque Scripturæ monſtrat, non eſſe iniuſtitiam in Deo in hoc quod aliquos odio habet, ſeu reprobat, QVIA IN HOC IPSVM EXCITAVI TE, *vt dimittas populum meum*: hoc eſt, ideo excitaui te per Moyſen & Aaron, vt dimittas populum meum. VT OSTENDAM IN TE POTENTIAM MEAM. Ac ſi apertiùs dixiſſet, non ideo excitaui te vt cum effectu dimittas, (ſcio enim te non dimiſſurum) ſed ideo excitaui te ad dimittendum, vt oſtendam in te potentiam meam, per tot miracula, & ſubmerſionem tandem tui & tuorum. ET VT ANNVNTIETVR NOMEN MEVM IN VNIVERSA TERRA. Quod & ſubſecutum eſt. Ex qua authoritate habet Paulus non iniuſtitiam, ſed bonam Dei voluntatem, etiam in intentione, & gubernatione reproborum, cum illos excitat, & ordinat ad demonſtrationem potentiæ ſuæ & gloriæ nominis ſui, etiam illis nolentibus.

Verſ. 18. ERGO CVI. pro, *cuius*, VVLT MISERETVR, ET QVEM VVLT INDVRAT. Concludit conſiſtere negotium tam electionis, quàm reprobationis, in velle ipſius Dei. Et nota quòd vtrobique ponit actum poſitiuum voluntatis diuinæ: & quæ ſuperiùs nominauit dilectionem & odium, modò vtrumque nominat *velle*. Et, vt declaratum eſt, vtrobique concurrit velle diuinum: ſed in electione velle diuinum habet pro volito hominem cum gratuito auxilio vſque ad æternam gloriam; in reprobatione autem gabet pro volito hominem cum dimiſſione ſuipſius in ſuis naturalibus. In hoc enim volito clauditur negatio gratuiti auxilij ad vitam æternam,

Negotium tam electionis quam reprobationis conſiſtit in velle Dei.

Differentia diuini velle in electione & in reprobatione.

æternam, claudit at permiſſio caſus. Et propterea dicit quòd illius miſeretur, cuius vult miſereri: & ſimiliter illum indurat, quem vult indurare. *Indurare* autem intellige, relinquere hominem ſibiipſi. Ita quòd ſenſus eſt, Illum relinquit ſibiipſi homini, quem vult ſibiipſi homini relinquere.

Indurare, quid.

Verſ. 19. DICIS ITAQVE MIHI. Mouet Paulus aliam quæſtionem quæ naſcitur ex dictis. QVID ADHVC QVERITVR? Non à *quæro, quæris*, ſed à *queror, quereris* dictio hæc formatur. Ita quòd non eſt ſenſus: quid adhuc interrogatur: ſed, *quid adhuc conqueritur*: & ſubauditur, Deus. Et dicit *adhuc*, ſignificans perſeuerantiam querelæ diuinæ, quam per Prophetas & Apoſtolos continue exercet. Significatur enim quòd non remanet Deo locus querelæ de perditione reproborum. Et rationem ſubdit, in perſona diſputantis contra Deum. VOLVNTATI ENIM EIVS QVIS RESISTIT? pro *reſiſtit?* quaſi dicat, nullus. Ex hoc enim quòd ſit voluntas Dei tam in reprobatione, quam in electione, ex hoc quòd nullus vnquam reſtitit voluntati eius (nam electus proceſſit ſecundum electionem Dei, & reprobus proceſſit ſecundum reprobationem adimplendo voluntatem Dei) conſequens eſt quòd Deus non habet vnde conqueratur de perditione reproborum. Vbi aduerte quòd cum dicitur, *voluntati enim eius quis reſiſtit*, pronomen *eius* monſtrat quòd in præcedenti particula (ſcilicet, *quid adhuc queritur*) ſubintelligitur Deus, alioqui in ſubiunxiſſet, voluntati enim Dei: ſed ſubiungendo pronomen *eius*, Deus repetitur.

Voluntati Dei nullus reſtitit vnquam.

Verſ. 20. O HOMO. Deeſt vna dictio, quam alij interpretantur *vere*, alij *quinimo*, alij *atqui*: & deinde ſubiungitur, *o homo*. Dupliciter confutat Paulus hanc quæſtionem. Primò arguendo præſumptionis.

TV QVIS ES, QVI RESPONDEAS DEO. pro, *contra reſpondens Deo*? Præſumptionis eſſe dicit, quòd homo non ſolum reſpondeat, ſed ex aduerſo reſpondeat Deo. Huiuſmodi ſiquidem verba, *quid adhuc Deus conqueritur*, nihil aliud ſunt, quam reſpondere Deo eligenti & reprobanti, tanquam ſi homo homini ex aduerſo reſponderet, impugnando cauſam querelæ: arguendo contra, quia ſit quod vult. NVNQVID DICIT FIGMENTVM EI, QVI SE FINXIT. Superflua eſt, *ſe*. QVID ME FECISTI SIC? Probat crimen præſumptionis ab exemplo operis figuli: vt intelligamus perinde eſſe, hominem quærere a Deo rationem voluntatis eius, ac figmentum reſpondeat figulo, *cur me ſic feciſti*: homo ſiquidem figmentum eſt Dei.

Deus figulus, nos vaſa teſta.

Verſ. 21. AN NON HABET POTESTATEM FIGVLVS LVTI EX EADEM MASSA FACERE ALIVD QVIDEM VAS IN HONOREM, ALIVD VERO IN CONTVMELIAM. Diceret fortè aliquis, quòd ſi figmentum haberet rationem diceret figulo, *cur me ſic feciſti?* Et propterea rationem præſumptioſi huius dicti ſubiungit liberam poteſtatem figuli ex eodem luto faciendi vas vnum ad honorabiles vſus (puta ad bibendum) alterum verò inhonorabiles, puta ad fæces. Ex hac enim libera poteſtate irreprehenſibilis monſtratur figulus: & querela figmenti monſtratur non fundata ſuper ius aliquod.

Mad. de iure figulo non queretur.

Verſ. 22. QVOD SI, pro *ſi autem*, DEVS. Vbi priùs repreſſit præſumptionem hominis audientis quodammodo imputare Deo ſuperfluam querelam, ſoluit quæſtionem, reddendo rationem ex parte finis: & declarando diuerſitatem actionis diuinæ hinc & inde. Et prius patefacit finem propinquum reprobationis, dicendo, VOLENS OSTENDERE IRAM. Obiectum diuini velle non deſcribitur *ira*, hoc eſt, vindicatiua iuſtitia, ſed oſtendere illam. Quod directè ſpectat ad gloriam Dei inter creaturas, & ad vtilitatem creaturarum: quibus monſtratur in re hic diuinæ bonitatis radius, qui eſt iuſtitia vindicatiua. Quæ in hac vita non monſtratur, tum quia non exercetur à Deo in hac vita: quoniam præſentis temporis pœnæ non ſunt congruæ peccatis, tum quia illa patula vindicta, quæ quandoque fit in hac vita à Deo, non apertè monſtrat ſe eſſe iuſtitiam Dei, ſed alijs cauſis aſſcribitur. Vindicta enim reproborum monſtrabit Deus vniuerſis & ſingulis iuſtitiam ſuam vindicatiuam. Vnde & nunc quia monſtratur hæc Iuſtitia, non glorificatur Deus vt vindex: ſed tunc glorificabitur vt iuſtus vindex.

Iuſtitiam ſuam in reprobis oſtendit Deus.

ET NOTAM FACERE POTENTIAM SVAM. Hic eſt alter finis propinquus ſimilis prædicto: quia ſcilicet vult Deus notificare in opere potentiam ſuam. Quamuis Deus exercuerit potentiam ſuam creando, & miracula faciendo, & exerceat continue conſeruando ac gubernando vniuerſum, hominibus tamen non fit euidenter nota potentia Dei: cum autem rebelles præceptis ſuis reprobos ſubijcit æternis pœnis inuitos, notam euidenter omnibus, etiam ipſis incredulis, faciet potentiam ſuam. Quæ notitia & creaturis vtilis, & diuinæ eſt gloriæ in creaturis: glorificabitur enim tunc Deus potens. SVSTINVIT IN MVLTA PATIENTIA. Nota verba: quoniam hinc pendet quæſtionis ſolutio, hinc patefit ratio querelæ diuinæ: nam ſignificatur quòd peccata quæ reprobi committunt, ratione quorum exercenda eſt vindicta ex potentia diuina manifeſte, non ſunt volita à Deo. Non dicit quòd propter hos fines voluit aut fecit vaſa iræ: ſed dicit, *ſuſtinuit*: quæ enim volumus, non toleramus patienter, ſed probamus. Et longè plus ſignificatur quam Deum non velle illa: quoniam ſignificatur quòd ſuſtinuit, quòd permiſit illos peccare, non qualitercunque, ſed *in multa patientia*, non ſtatim exterminando vt merentur: quod gratiæ eſt, vt homines mutabilis voluntatis ſpatium haberent mutandi voluntatem a patrandis criminibus. VASA IRÆ. Alludendo ad ſimilitudinem diuerſorum vaſorum figuli, dicit *vaſa iræ*. Et verè reprobi ſunt vaſa iræ: ſunt enim contentiua in ſeipſis diuinæ iuſtitiæ vindicatiuæ: quoniam in eis locabitur ſicut aqua in vaſe. Huiuſmodi enim vaſa ſuſtinet patienter Deus in hac vita. APTA, pro, *aptata*, IN INTERITVM. Non dicit quæ Deus aptauit in interitum, ſed dicit *aptata in interitum*: vt intelligamus quòd ab eodem ſunt vaſa iræ, à quo ſunt aptata in interitum: procul dubio æternæ mortis. Conſtat autem quòd proprijs peccatis, proprijs meritis, quæ Deus non vult, ſed ſuſtinet patienter, reprobi ſunt vaſa vindictæ. Non enim Deus priùs eſt vltor, quam homo ſit peccator & conſequenter a ſeipſis reprobi ſunt vaſa aptata ſuis meritis in interitum æternum.

Et potentiam.

Peccata reproborum non ſunt volita à Deo.

Reprobi vaſa iræ.

Non prius Deus eſt vltor, quam homo peccator.

Vt

Verſ. 23. VT. Deeſt copulatiua coniunctio. Legendum eſt, *Et vt* OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ SVÆ. Poſt propinquos reprobationis fines, diuinámque circa reprobos tolerantiam ſubiungit finem propinquum electionis, conſiſtentem ſimiliter in oſtenſione. Sed vbi in reprobis determinatum quid monſtratur, in electis per diuitias multitudo & abundantia bonorum ſpectantium ad gloriam Dei præparare electis ſignificantur. IN VASA MISERICORDIÆ. proculdubio diuinæ, ſicut reprobi vaſa iræ. QVÆ PRÆPARAVIT IN GLORIAM. Vide differentiam. Totum, quod eſt electorum, attribuitur Deo: ipſe præparator gloriæ, ipſe præparator vaſorum ad gloriam. In reprobis autem aliquid aſſcribitur Deo, ſcilicet velle oſtendere iram & potentiam, & patienter tolerare: aliquid non Deo, ſed ipſis: ſcilicet agere toleranda, ob quæ ſunt vaſa iræ, & aptantur in interitum. Aduerte erudite lector, quòd tota hæc particula (*ſi autem Deus volens*, &c.) manca apparet, & quòd ſubintelligi exigat aliquid confutans reſpondentem Deo: puta, vana eſt obiectio tua. Ex his enim libratis elucet falſum eſſe quòd reprobi faciant placita voluntati diuinæ: ſuper quod fundabatur obiectio, & propterea meritò Deus per Prophetas & Apoſtolos continuè conqueritur de iniuriis, quæ ſibi irrogantur à peccantibus; vtpote quæ Deus non vult facientibus. & cum his omnibus Deus ad bonos fines omnia diſponit.

Totum quod eſt electorum Deo tribuitur, aliquid autem circa reprobos.

ANTEQVAM ad reliqua procedatur, occurrit continuæ hominum curioſitati de prædeſtinatione & reprobatione reſpondere. Aiunt enim; Si ego ſum de numero electorum, tandem ita erit in re quòd ſaluus ero: & ſimiliter ſi ſum de numero reproborum, tandem ita erit quòd damnatus ero. Et tollendo reſponſiones Theologorum ſubiungitur: non eſt mihi curæ an neceſſariò an contingenter ſic eueniet: ſatis eſt mihi quòd ſic erit, quocunque modo id erit. Et propterea nihil ad hanc curioſitatem diſtinctio de ſenſu compoſito vel diuiſo, ſeu de neceſſitate conſequentiæ vel conſequentis: non curo, vt dixi, *neceſſario* vel *contingenter*: ſed vt propono, noſſe velim an vera ſunt quæ propono.

Quæſtio communis de Prædeſtinatione.

Reſpondeo quod dupliciter poſſumus in hac curioſa quæſtione loqui: vel inchoando ab iis, quæ ſe tenent ex parte Dei, & deſcendendo ad nos: vel e conuerſo, inchoando ab iis, quæ ſe tenent ex parte noſtri, & aſcendendo ad Deum. Si inchoamus à Deo, profitemur primò quòd Deus ab æterno elegit ſingulariter hunc & illum, quia ſic ei placet: ſecundò quòd electio huius infallibiliter (non dico neceſſariò, ſed quòd tandem) habebit effectum ſuum: ſcilicet ſaluté iſtius. Inchoando verò à nobis, profitemur primò quòd quilibet eſt liberi arbitrij ad bonum & malum eligendum: ſecundò quod quilibet faciens quantùm in ſe eſt ad ſalutem conſequendá æternam, ſaluus erit per diuinam gratiá. Quo pacto autem, ſeu quò vinculo, quo glutino aſcenſus & deſcéſus iungantur, non apparet: nam aſcendendo deficit gradus coniungens hanc noſtram libertatem & ſecuritatem (quòd faciendo quantũ in nobis eſt, diuina non deerit gratia ſaluans) cum æternitate & immutabilitate diuinæ electionis, quę habet quòd ſoli electi ſaluantur. Et ſimiliter deſcendendo ab æterna immutabili & efficaci diuina electione deficit gradus coniungens cum his noſtris libertatibus & ſecuritatibus. Et propterea non eſt mirum ſi non quietamus intellectus quærentium & inducentium inconuenientia, ſcilicet faciat quiſque quod vult, tandem implebitur electio, & ſimilia horrenda. Quocirca ad curioſitatem dico illa eſſe vera ex parte diuinæ electionis ſeu reprobationis, ſed non eſſe vera ſola, ſed aſſociata aliis veritatibus ex parte noſtri, ſcilicet quod ſumus liberi arbitrij, quod faciendo quod ex nobis eſt, erimus per diuinam gratiam ſalui, & quod noſtris meritis ſaluamur aut damnamur nos adulti.

Curioſæ huic quæſtioni ſit ſatis.

Electio Dei eſt infallibilis.

Quiſque liber.

Et cum obiicies, coniunge hæc verba ſimul, reſpondeo me ſcire quòd verum vero non eſt contrarium, ſed neſcire hæc iungere: ſicut neſcio myſterium Trinitatis, ſicut neſcio animam immortalem, ſicut neſcio Verbum caro factum eſt, & ſimilia, quæ tamen omnia credo, Et ſicut credo reliqua fidei myſteria, ita credo & hæc myſteria prædeſtinationis & reprobationis. Meum eſt tenere quod mihi certum eſt (ſcilicet vti libero arbitrio & reliquis bonis mihi à Deo conceſſis omni ſtudio ad conſequendam vitam æternam) & expectare vt videam, in patria myſterium diuinæ electionis mihi modò ignotum, ſicut & reliqua fidei myſteria. Hæc ignorantia quietat intellectum meum.

Verum vero non eſt contrarium.

Credo.

Salubris ignorantia.

QVOS ET VOCAVIT. Deéſt, *nos*. Explicat va- Verſ. 24.
ſa miſericordiæ, connumerando ſeipſum aliis. NON SOLVM EX IVDÆIS, SED ETIAM EX GENTIBVS. Vnitatem ſignificauit pronomine *Nos*. in electis ac vocatis ex vtraque notione, vt doceat, vocatos tam ex gentibus, quàm ex Iudæis, eſſe filios promiſſionis, eſſe filios Dei, eſſe eos, qui computantur in ſemine Abrahæ & Iſrael.

SICVT IN OSEE DICIT. circa primum & ſecun- Verſ. 25.
dum capitulum. VOCABO NON PLEBEM MEAM PLEBEM MEAM, ET NON DILECTAM DILECTAM. Propter electos ex gẽtibus affertur hæc authoritas, quà ſignificatur quod gentilium populus, qui non erat populus Dei ſecundum cultum, nec dilectus ad dona gratiæ, vocabitur populus Dei, & dilectus à Deo, vt experientia teſtatur. ET NON MISERICORDIAM CONSECVTAM, MISERICORDIAM CONSECVTAM. Tota hæc particula ſuperfluit. Adiuncta eſt fortè ab aliquo, qui legit hanc particulam in Oſee: & non aduertit quòd loco eius Paulus dixerat, *& non dilectam dilectam*.

Gentiles erunt populus Dei dilectus.

ET ERIT. Proſequitur Paulus verba Oſee. & Verſ. 26.
faciendum eſt punctum ibi, *& erit*: ſignificat quòd erit hoc, quod ſubiungam. IN LOCO VBI DICTVM EST EIS, NON PLEBS MEA VOS IBI VOCABVNTVR FILII DEI VIVI. pro, *viuenti*. Non ſolum prophetatur mutatio gentilium de non populo Dei in populum Dei, de non dilecto in dilectum, ſed etiam prophetatur identitas loci: ita quòd abſque tranſmigratione locali ipſarum gentium mutabuntur in filios Dei. Et dixit hoc propheta ad differentiam Iudæorum, qui in determinato loco (ſcilicet in Hieruſalem, In terra promiſſionis tantummodo) habebant integritatem diuini cultus & obſeruationis legalis. Ac ſi apertiùs diceret, abſque eo quod tranſmigrent in Iudæam, abſque eo

quod

quòd venient in Hieruſalem, gentiles in ſuis propriis locis erunt populus Dei, dilectus à Deo, filij Dei viuentis. Et eſt hæc ſententia eadem cum illa, quam dixit Dominus Samaritanæ, Ioan. 4. 21. *Venit hora quando nec in Hieroſolymis, nec in monte hoc adorabitis patrem: ſpiritus eſt Deus, &c.*

Verſ. 27. ESAIAS AVTEM CLAMAT PRO ISRAEL. Cap. 10. Dixerat *ex Iudæis & gentibus*, & poſtquam ex Scriptura declarauit illam particulam *ex gentibus*, declarat ex Scriptura quoque illam particulam *ex Iudæis*, & inducit Eſaiam clamantem, clamore ſuſpirij, ſeu doloris, propter paucitatem electorum ex Iudæis. SI FVERIT NVMERVS FILIORVM ISRAEL TANQVAM ARENA MARIS, RELIQVIÆ SALVÆ FIENT. Coniunctio *ſi*, non tenetur conditionaliter, ſed aduerſatiue. Et eſt ſenſus, quamuis fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, *reliquiæ ſaluæ fient*: hoc eſt, tam pauci ſalui fient, vt ſint ſimiles reliquiis, quæ paucæ communiter ſunt. Reliquiarum ſiquidem nomine ſolemus appellare reſidua fragmenta. Intendit enim ad literam ſignificare paucitatem electorum ad Christi fidem ex Iſrael, quamuis populus Iſrael eſſet innumerabilis tanquam arena maris.

Paucitas electorum ex Iſrael.

Verſ. 28. VERBVM AVTEM. pro, *enim*. Proſequitur Paulus authoritatem Eſaiæ. Vbi aduerte non errorem, ſed obſcuritatem textus Latini: quia interpres vſus eſt vocabulo *verbi*, quod eſt neutri generis, ſimilem habens nominatiuum accuſatiuo: poterat remouere hanc obſcuritatem dicendo, *ſermonem enim*: quoniam *verbum* accuſatiui caſus eſt. CONSVMMANS ET ABBREVIANS. Vtrumque eſt nominatiui caſus, & ſignificatur Deus perficiens & concidens ſermonem. Dictio ſiquidem Græca interpretata *abbreuians*, *concidentem* ſignificat proprie: & transfertur ad abbreuiantem: quia concidendo fit abbreuiatio. IN ÆQVITATE. pro, *in iuſtitia*. Ratio ſubiungitur reliquiarum ex hoc quòd Deus iuſtitia exigente concidit & perficit ſermonem ſuum: ipſa ſiquidem derelictio innumerabilis populi Iſrael ſaluando tam paucos ex eis, concisio eſt ex iuſtitia procedens meritorum eorum qui derelinquuntur, & eſt perfectio ſermonis diuini de iuſtitia eius. QVIA VERBVM BREVIATVM FACIET DOMINVS SVPER TERRAM. hoc eſt, quia ſermonem conciſum, & ſic breuiatum in paucorum ſalutem faciet Dominus ſuper terram ex ſua gratia. Et redditur ratio ſalutis reliquiarum, poſtquam reddita eſt ratio derelictionis tantæ multitudinis.

Obſcuritas textus Latini.

Verſ. 29. ET SICVT PRÆDIXIT ESAIAS. Cap. 1. NISI DOMINVS SABAOTH. Hebræa dictione vtitur Paulus, & ſignificat *virtutum*, non vt virtus eſt nomen moralis habitus, ſed ſummæ poteſtatis. RELIQVISSET NOBIS SEMEN. Diuina gratia commendatur in hoc quod etiam paucos ſaluauit. QVASI SODOMA FACTI ESSEMVS, ET SICVT GOMORRHA SIMILES FVISSEMVS. Merita Iudæorum ſimilia meritis Sodomæ & Gomorrhæ per hoc ſignificantur, ad commendandam diuinam gratiam relinquentem gratuito ſemen, ſaluantem gratuitò aliquos. Quamuis etiam hoc poſſit referri ad diuinam ſeruationem innumerabilis populi relicti, pro quanto non eſt deletus in hac vita ſicut Sodomitæ & Gomorrhæi deleti ſunt. Derelictum ſiquidem eſt ſemen eorum non ex eorum meritis, ſed ex diuina gratia: vt quandoque (in fine ſcilicet mundi) fructificet Christo.

Dominus Sabaoth quid?

Merita Iudæorum ſimilia meritis Sodomæ & Gomorrhæ.

Verſ. 30. QVID ERGO. Interrogando intendit concludere. Eſtque ſenſus, quid ergo ex allatis vis inferre? Et ſtatim ſubiungit reſponſionem. DICEMVS. pro *dicimus*, QVOD GENTES. & reliqua. Aduerte iterum erudite lector quòd ideo dixi apparere (non dixi eſſe) defectiuam literam ab illa particula *ſi autem Deus volens*: quoniam non deſunt dicentes perſpicaciter pendere literam ab illo loco vſque ad hæc verba *quid ergo*. Ita quòd ordo literæ eſt: *ſi autem Deus volens oſtendere*, & reliqua, *quid ergo*, ſupple dici poteſt aduerſus eum? Apparet enim ex dictis conſtare argumentationem & rationabiliter Deum eligere ac reprobare. Et deinde ſubditur quid nos intelligimus rationis eſſe ex parte gentium & Iſrael: dicendo *dicimus quod gentes* QVÆ NON SECTABANTVR IVSTITIAM, vtpote ſine cultu Dei & ſine lege. APPREHENDERVNT IVSTITIAM. Et declarando qualem, ſubiungit. IVSTITIAM AVTEM QVÆ EX FIDE EST. Interpres addidit *eſt*. Quæ ſit iuſtitia ex fide, ſuperius declaratũ eſt: eſt enim iuſtitia Christi, communicata nobis per fidem: hac enim iuſtificamur: & hanc apprehenderunt gentes credendo.

Textus apparet defectiuus.

Verſ. 31. ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM IVSTITIÆ. Quæ eſt lex Moyſi, quæ præcipit iuſtitiam, & in his quæ ſunt ad Deum in tribus primis præceptis, & in his quæ ſunt ad homines in reliquis præceptis. IN LEGEM IVSTITIÆ NON PERVENIT, pro, *præuenit*. Vbi nota duo: Primum quòd ſermo eſt de multitudine innumerabili populi Iſrael. De hac enim dicitur quod *in legem iuſtitiæ non præuenit*. Secundum, quod Paulus vtitur metaphorâ euntiũ ad terminũ aliquem, ad quem alter præoccupat alterum: & gentes introducit euntes non ſectando præcepta iuſtitiæ, & tamen apprehendentes iuſtitiam fidei; Iſraelitas verò euntes ſeruando præcepta legis: & tamen non præuenerunt gentiles, cùm appareat quod debuiſſent præuenire: vtpote expeditiores per præcepta legis incedentes. Et dicit *non præuenit*, vt intelligamus populum Iſrael quandoque licet ſerò, peruenturum. ſcilicet cùm intrauerit plenitudo gentium à qua præuentus eſt.

Iſraelita in legem iuſtitiæ fidei non peruenerunt prius gentilibus.

Quod autem dicit *in legem iuſtitiæ*: poteſt dupliciter exponi, vel intelligendo per legẽ iuſtitiæ, iuſtitiam quæ eſt ex fide, vel (quod magis quadrat verbis Pauli) intelligitur plena executio ipſius legis Moyſi: de qua in præcedenti cap. dixit, *vt iuſtificatio legis impleretur in nobis*. Et eſt ſenſus quod Iſrael ſectando legem præceptorum iuſtitiæ, non præuenit gentiles ad plenam obſeruationem præceptorum iuſtitiæ. Et hoc eſt verum: quia adhuc non peruenerunt ad huiuſmodi plenam obſeruationem, vt ſuperiùs monſtratum eſt: gentiles autem mediante fide peruenerunt ad plenam obſeruationem legis iuſtitiæ. Ita quod gentiles non ſolum apprehenderunt iuſtitiam Christi, ſed etiam præuenerunt ad plenam obſeruationem legis iuſtitiæ. Nec propterea mutatur terminus quò tendunt gentes & quò Iſrael: quoniam hæc duo (ſcilicet iuſtitia ex fide & plena legis obſeruatio) mutuò ſeſe inferunt, vt in præcedenti patet capitulo: non enim aliter quam per iuſtitiam fidei, quam per legem ſpiritus vitæ in Christo iuſtificatio legis impleri poteſt

Imò Gentiles ad eam peruenerunt.

poteſt. Sed Paulus ex induſtria ſeruatâ identitate termini ſecundùm rem deſcripſit vnum atque eundem terminum ſub diuerſis rationibus, vnicuique ſecundum aſpectum & intentionem ſuam correſpondentibus: gentiles quidem ad iuſtitiam Chriſti, Iudęi verò ad plenam legis obſeruationem tendunt directè.

Verſ. 32. QVARE; Quærit cauſam huius diſparitatis. QVIA NON EX FIDE. Reddit rationem diſparitatis: primò ex radice: dicendo, *quia non ex fide*, Iſraelitæ iuerunt. SED QVASI EX OPERIBVSS deeſt *legis*. Radicalis ratio diſparitatis eſt: quia Iſraelitæ non fundarunt greſſum animi ſui ſuper fidem, ſed progreſſi ſunt tanquam fundantes iter ſuum ſuper opera legis. Et appoſuit *quaſi* ſeu *tanquam*, ad ſignificandum affectum Iudæorum citra excluſionem fidei à mentibus eorum. Sicut enim videmus ſuperbos Chriſtianos abſque perditione fidei operari tanquam confidenter in ſeipſis ratione affectus ad ſeipſos, ita deſcribit Paulus Iſraelitas quamuis habentes fidem vnius veri Dei, &c. affectum tamen ſuum fundantes non ex parte fidei, ſed ex parte operum legis: cùm tamen præcipuum fundamentum debuiſſet eſſe fides. OFFENDERVNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS. pro, *offendiculi*. Manifeſtat diſparitatem ex ipſo progreſſu. Iam enim dictum eſt quòd iuxta metaphoram itinerantium loquitur. Et propterea quid ſubſecutum eſt in itinere ex antedicta radice, modò affert: apertè monſtrans rationem non præueniendi, quia impegerunt in itinere in lapidem offendiculi, qui Chriſtus eſt. Et verè impegerunt in ſuam ruinam, dum occurrentem Chriſtum, infidelitatis actu attigerunt.

Verſ. 33. SICVT SCRIPTVM EST. Affert teſtimonium *Teſtimonium Iſaiæ adducit.* Scripturæ ex Eſaia. Vbi aduerte quòd tam prima, quàm vltima pars ſubiunctæ ſententiæ ſumpta eſt ex Eſaia 28. cap. media autem pars ſumpta eſt ex Eſaiæ cap. 8. Nec ſumpta ſunt verba omninò: ſed partim verba, partim ſenſus. ECCE PONO IN SION LAPIDEM. Hæc eſt prima pars. Et loquitur Deus de Chriſto: Ecce fundo lapidem in Sion, ecce pono fundamentalem lapidem in Sion. Ad literam enim Chriſtus in Iudæa & ex Iudæis originem duxit, ibique tantùm prædicauit: & in Hieruſalem crucifixus eſt ac reſurrexit. OFFENSIONIS. Pro *offendiculi*. ET PETRAM SCANDALI, pro, *offenſionis* Hæc eſt media pars. Vbi in Hebræo haberi dicitur *lapidem percuſsionis*, loco eius quod nos habemus *offenſionis*. Sed hoc parui refert. *Chriſtus lapis offenſionis.* Chriſtus enim eſt lapis & offenſionis & percuſsionis & offendiculi: nam eſt in quem poteſt impingi, & in quem impingitur, & à quo percutitur in ipſum impingens. Quæ omnia impleta videmus in Iudæis cæcitate & induratione percuſſis, ex eo quod infidelitatis motu impegerunt in Chriſtum. ET OMNIS QVI CREDIT IN EVM NON CONFVNDETVR. pro, *non pudefiet*. Hanc vltimam particulam Paulus ex induſtria non attulit ſecundùm verba ſed ſenſum: vt ſcilicet exponeret ſenſum prophetiæ. In Eſaia ſiquidem habetur, *qui credit non feſtinet vt videat hoc*. Paulus exponit *non pudefiet*: vt intelligamus Prophetam idem ſignificare metaphorà feſtinantis ad videndum: monendo enim quod credens non feſtinet ad videndum, timorem tollit confuſionis ſeu verecundiæ. Qui enim feſtinat ad videndum quod credit, ſolicitus eſt ne forte aliter ſit: & timet pudore ſeu verecundiâ affici credendo. Et propterea Propheta monens quod credens non feſtinet ad videndum hoc, ſecurum eum reddit quod non pudefiet credens & expectans. Vt itaque nos liberaret Paulus à labore intelligendi Prophetam, poſuit ipſe non verba ſed ſenſum. Et per hoc habet quod Chriſtus ita eſt incredulis lapis offenſionis & petra ſcandali, quod tamen credentibus in eum eſt ſalus credita & expectata: ita quod nullus credens in eum erubeſcet de expectatione ſua.

CAPVT X.

Verſ. 1. FRATRES, VOLVNTAS QVIDEM CORDIS MEI. Cùm declaraſſet Euangelium eſſe in ſalutem Iudæis & gentilibus (verum paucos ex Iudæis electos, multos autem ex gentibus) & ex parte gentium ac Iudæorum reddidiſſet quandam rationem, quòd gentes ex fide, Iudæi verò tanquam ex operibus legis progreſſi ſunt: proſequitur modò hanc rationem caſus Iudæorum: monſtrans ignorantiam habere annexam, non tamen excuſantem: hoc enim intendit in hoc capitulo: inſerens declarationem illius in principio propoſitæ particulæ, *Iuſtus ex fide viuet*. Et meritò: quoniam ratio Iudæorum, iuſtitiæ innititur. *Caſus Iudæorum ignorantiam habuit annexam, non tamen excuſantem.* Inducturus autem, ignorantiam Iudæorum, modeſtiſſimè affert eam vt rationem orandi pro ipſis: peccantibus enim ex ignorantia vtiles ſunt aliorum orationes: vnde & Dominus orauit, *Pater ignoſce illis: quia neſciunt quid faciunt*. Luc 23. 34. Ad hoc enim ſpectat quod Romanam Eccleſiam alloquens (ex Iudæis & gentibus conflatam) explicat eis duas conditiones ſuſpirius Pauli erga Iudæos qui non ſunt conuerſi ad Chriſtum. Prima conditio eſt voluntas cordis, hoc eſt, propenſus animus ad ſalutem eorum. ET OBSECRATIO AD DEVM FIT PRO ILLIS. Pro, *Et deprecatio ad Deum pro Iſrael eſt*. AD SALVTEM. Secunda conditio eſt quod preces effundit pro Iſrael, non deſperatas ſed ſalutares: hinc enim ingreditur ad propalandam ignorantiam eorum.

Verſ. 2. TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO ILLIS. Reddit rationem quare preces pro Iſrael ſunt ad ſalutem. QVOD ÆMVLATIONEM QVIDEM DEI HABENT. Superfluit *quidem*. Et hæc æmulatio laudabilis eſt. SED NON SECVNDVM SCIENTIAM. Pro *cognitionem*. Hoc eſt habent zelum Dei, ſed non regulatum neceſſaria cognitione. & hæc eſt Iudæorum ignorantia.

Verſ. 3. IGNORANTES ENIM IVSTITIAM DEI, ET SVAM Deeſt, *iuſtitiam*, QVÆRENTES STATVERE, IVSTITIÆ DEI NON SVNT. PRO *Fuerunt*. SVBIECTI. *Iuſtitia Dei & iuſtitia legis.* Iuſtitiam ſecat Paulus in iuſtitiam Dei & iuſtitiam legis: quam appellat iuſtitiam propriam Iudæorum: & dicit Iudæos ignorare iuſtitiam Dei & ſtudere ad ſtatuendum iuſtitiam legis. *Iuſtitia Dei quæ.* Et ne inuoluatur lector obſcuritate terminorum, recolat ſuperius dicta, quòd *iuſtitia Dei* eſt iuſtitia ſatisfactionis Deo pro humano genere per mortem Chriſti. Et hæc appellatur iuſtitia ex fide ſeu iuſtitia fidei,

Iuſtitia

Iuſtitia legis quænam. *Iuſtitia* verò *legis* eſt ipſa obſeruatio præceptorum legis iudicialium, cærimonialium & moralium. Hanc Dei iuſtitiam quam ſolus Chriſtus exercuit, Iudæi increduli ignorauerunt, & ſectando legem Moyſi quærunt ſtabilire iuſtitiam præceptorum legis tanquam ſufficientem ad ſalutem ſine iuſtitia Dei per Chriſtum facta. Hic eſt ſenſus præ oculis habendus in iſta materia. Et propterea de illis dicitur quòd iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubditi: hoc eſt noluerũt ſubiici. Subiicitur enim quilibet iuſtitiæ Dei credendo in Chriſtũ, & non aliter.

Verſ.4. Finis enim legis Christvs ad ivstitiam omni credenti. Ne intelligeremus has duas iuſtitias diſparatas, & tanquam e regione ſeparatas, aut confictas abſque teſtimonio ſcripturarum ſubiungit, ordinem. Minùs dico, probat ex ordine cauſæ finalis inter has iuſtitias particulam vltimò dictam, *iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti*: huiuſmodi ſiquidem ordo ſignificatur dicendo, quòd Chriſtus eſt finis legis, non qualitercumque, ſed ad iuſtitiam communicandam omni credenti. Et quidem quòd Chriſtus ſit finis legis, etiam increduli Iudæi fatentur: dum dicunt prophetas vſque ad Meſſiam propheraſſe. Quòd verò Meſſias per propriam iuſtitiam ſaluet omnes credentes, fortè Iudæi increduli negant; ſed hoc Paulus ſuperiùs manifeſtauit. Et per hoc quòd Chriſtus finis eſt ad quem ordinatur lex, vt omnis credens conſequatur iuſtitiam, probat quòd Iudæi non fuerunt ſubditi iuſtitiæ Dei: nam repellendo finem legis Chriſtum, repulerunt iuſtitiam Dei. Hæc more ſuo Paulus propoſuit, declaraturus ſingula.

Verſ.5. Moyses enim scripsit, pro *ſcribit* Leuit.18. Simul declarat dictas duas iuſtitias, & earum ordinem ex authoritate Moyſi. Qvoniam, Superfluit *quoniam*. Ivstitiam qvæ ex lege est. Hæc ſunt verba Pauli, non Moyſi: prædeclarat enim ſubiecta Moyſi verba deſcribere iuſtitiam quæ ex lege eſt. Qvi fecerit. Deeſt coniunctio *quod*. Legendum eſt, *Quod qui fecerit* hac homo, vivet in eis. & non in ea. Et eſt ſenſus quòd faciens ſecundum præcepta legis viuet in illis: hoc eſt, vitam temporalem habebit: ad differentiam enim futuræ vitæ dicitur *in illis*. Et hoc eſt, quod intendit Paulus ex hac authoritate habere: quod ſcilicet iuſtitia legis præſtat præſentem vitam, dum præſtat viuere in præceptis legis. Iuſtitia autem Dei præſtat ſalutem æternam: vt ſubiunget. Perſpicaciùs autem intelligitur *viuet in illis*, hoc eſt ſecundum illorum merita: ad differentiam vitæ ſimpliciter & abſolutè.

Iuſtitia legis præſtat vitã præſentem. Iuſtitia Dei vitam æternam.

Et hoc directiùs quadrat Paulo, iuxta ſuperius dicta quod factores legis iuſtificabuntur, non ſimpliciter, ſed quantum eſt ex operibus.

Verſ.6. Qvæ avtem ex fide est ivstitia sic dicit. Aduerte quòd Paulus non inducit Moyſen dicentem quæ ſubiunguntur, ſumpta ex Deuteronom. 30. cap. ſed inducit iuſtitiam quæ eſt ex fide loquentem, non ſine myſterio. Sciebat ſiquidem verba iſta apertè dici in perſona Moyſi: ſed quoniam acutiſsimè vidit, quòd hæc dicebantur ratione iuſtitiæ fidei, ideò induxit iuſtitiam fidei dicentem, quæ pro ipſa dicuntur.

Quod vt penetres, conſidera diligentius textum Deuteronomij, & perſpicies quòd cùm Moyſes in ſcriptis redegiſſet legem continentem tot præcepta (tum moralia, tum cærimonialia, tum iudicialia) prædixit populo quod ſi recederet à Deo, diſpergeretur per orbem, & cum hoc vbicumque eſſent per orbem diſperſi, ſi ex toto corde reuerterentur ad Deum, Deus reduceret eos de captiuitate, diſperſione, &c. Et de hac mentis conuerſione ad Deum ex toto corde, & ex tota mente diligendo eum loquens, dicit hæc quæ Paulus affert.

Vbi perſpicax lector intueri facilè poteſt, quòd ad differentiam iuſtitiæ legis, Moyſes ſcripſit hæc de iuſtitia internæ conuerſionis ad Deum, & illam (ſcilicet legis iuſtitiam) pendere ex iſta & ordinari ad iſtam, ſatis ſignificat, ſcribendo ſequelam illius ex iſta: quòd cùm ad Deum conuerſus fuerit ſeruabit cæremonias & iudicia, &c. & liberando vſque adeò iſtam vt excuſabiles ab iſta vbicumque forent, prædiceret. Intendit enim Moyſes ad literam, quod quamuis diſperſi per orbem poſsint excuſari à iuſtitia legis ſcriptæ, propterea quod carent ea, non tamen poſſunt excuſari à iuſtitia quæ eſt ex interna conuerſione ad Deum: quoniam hæc non eſt diſtans loco, ſed eſt prope quemlibet in corde & ore ipſius. Nec eſt dubium quin hæc ſit finis totius legis ſcriptæ: & propterea tantopere à Moyſe ponderata.

His ſi adiunxeris diſtinctionem Pauli inter iuſtitiam legis, & iuſtitiam Dei quæ ex fide eſt, videbis quòd ad literam Moyſes loquitur de iuſtitia ex fide, de iuſtitia quam Paulus appellat Dei. Et ſi vltra progreſſus conſideraueris quòd iuſtitia ex fide etiam ante Moyſi tempora implicitè ſaltem erat iuſtitia ex fide Chriſti (nullus enim vnquam ſaluatus eſt ſine fide Chriſti explicite, vel implicite) videbis quòd non digreditur Paulus explicando hanc dictam à Moyſe eſſe iuſtitiam ex fide quam Apoſtoli prædicant applicando ad Chriſtum.

Nullus vnquam ſaluatus eſt ſine fide Chriſti explicita, vel implicita.

Hanc autem diſtinctionem ſi præ oculis habueris, habebis clarum intellectum diuerſarum ſcripturarum de iuſtitia ſeruantium legem. Nam quandoque Scriptura loquitur de ipſa lege ſecundùm ſe ſolam: & ſic de ea dicitur, & quòd nullus vnquam iuſtificatus eſt ex operibus legis, & quod qui fecerit præcepta legis viuet in illis: & ſimilia multa imperfectionis. Quandoque autem eſt ſermo de lege iuncta internæ iuſtitiæ fidei, & ſic de ea dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. & ſimilia promittentia vitam æternam obſeruantibus legem. Ne dixeris in corde tvo. Præceptum negatiuum velut latum à iuſtitia fidei introducitur, ſpectans ad cor, in quo eſt ſedes iuſtitiæ fidei. Qvis ascendet in coelvm: In Deuteron. tanquam refugium reputatum neceſſarium quidem, ſed impoſsibile prohibetur: Paulus autem tanquam refugium incredibile prohibitum dicit, exponendo de Chriſto, cùm ſubiungit, Hoc est Christvm dedvcere. Et eſt ſenſus; Quis aſcendet in cælum ad deducendum Meſsiam? Quod eſt dubitare, ſeu impoſsibile reputare Deum fieri hominem: hoc eſt enim aſcendere ad deducendum Chriſtum. Matth.19.17.

Avt qvis descendet in abyssvm: Verſ.7.

HOC EST CHRISTVM A MORTVIS REVOCARE, pro *reducere*. Et eſt ſenſus, quis deſcendet in abyſſum ad reducendum Chriſtum à mortuis? quod eſt dubitare, aut impoſſibilem reputare reſurrectionem Chriſti. Ita quod in his duobus myſterium incarnationis Verbi, & reſurrectionis Chriſti (in quibus reliqua res comprehenditur) negatur. Quòd quia ſecundùm ſenſum myſticum Paulus ex Deuteronomio traxit, ideò non inducit Moyſen loquentem. Nec mireris Paulum afferre: *quis deſcendet in abyſſum*: cùm in Deuteronomio legatur, *quis transfretabit*: quoniam Hebræi, quam interpretes transfretationem vocant, deſcenſionem in abyſſum (hoc eſt, in profundas aquas) appel-

Pſal 106.23. lant: iuxta illud, *qui deſcendunt in mare nauibus, &c.*

Verſ.8. SED QVID DICIT SCRIPTVRA? Superfluit *ſcriptura*. Quoniam primum dictum fuit negatiuũ, ſubiungit, *ſed quid dicit*: ac ſi dixiſſet ſed quid affirmat. PROPE. Deeſt, *te*, EST VERBVM IN ORE TVO, ET IN CORDE TVO. Hæc ſunt verba Deuteronomij de verbo internæ conuerſionis ad Deum: *prope te eſt*, in promptu vbicumque fueris apud te eſt, non eſt opus libris, aut transmigratione aliqua, verbum inquam corde credendum, & ore confitendum. HOC EST VERBVM FIDEI QVOD PRÆDICAMVS. Hoc de quo loquitur Deuteronom. inquit Paulus, eſt verbum fidei quod nos Apoſtoli Chriſti prædicamus, non prædicamus nouum aliquid, ſed illud idem quòd Moyſes tantopere commendauit, quod vbiq; apud omnes propinquũ inuenitur.

Verſ.9. QVOD SI CONFITEARIS. Declarat illa verba Deuteronomij: *In ore tuo, & in corde tuo*; quoad materiam tunc implicitè ſignificatam. IN ORE TVO DOMINVM IESVM. Duobus nominibus integrum Incarnationis myſterium ſignificat. Dicendo *Dominum*, diuinitatem: dicendo *Ieſum*, humanitatem ſignificat. Perinde ac dixiſſet, ſi confitearis verum Deum Ieſum verum hominem. ET IN CORDE TVO CREDIDERIS, QVOD DEVS ILLVM SVSCITAVIT A MORTVIS. Myſterium mortis, reſurrectionis, & gloriæ Chriſti his verbis comprehendit, SALVVS ERIS. De iuſtitia legis dictum eſt, *viuet in eis*: de iuſtitia fidei dicitur, *ſaluus eris*: vt intelligamus æternam ſalutem dari per iſtam: per illam verò vitam præſentem. Et per hoc declaratum eſt illud, *Iuſtus autem ex fide viuet*.

Duobus nominibus integrum Incarnationis myſterium ſignificat.

Verſ. 10. CORDE ENIM CREDITVR AD IVSTITIAM. Declarat eadem verba, ſcilicet (*in ore & in corde*) ex parte neceſſitatis: explicando quod oportet corde credere ad habendam iuſtitiam quæ appellatur iuſtitia Dei, & iuſtitia fidei. Et attribuitur cordi credere: tum ad excludendum fictionem ſimulantium ſe credere, tum ad ſignificandum quod à voluntate imperatur credere conferens iuſtitiam. Et hoc ad differentiam fidei coactæ, qualis eſt in dæmonibus, qui coacti ab euidentia factorum credunt myſteria fidei, ſed non ad iuſtitiam. ORE AVTEM CONFESSIO FIT AD SALVTEM. Neceſſitas confitendi veritatem creditam etiam ſermone vocali explicatur neceſſitas ſalutis. Quando enim oportet loqui ad ſalutem ſeruandam, tunc ne-

Corde credere, quid?

Luc.9.26. ceſſe eſt ore confiteri: alioquin *qui me erubuerit coram hominibus, & filius hominis erubeſcet eum coram Angelis Dei.*

Verſ. 11. DICIT ENIM SCRIPTVRA. Eſai.28. ſuperiùs quoque inducta. OMNIS QVI CREDIT IN EVM NON CONFVNDETVR, pro *non pudeſcet*. Et repetiit hoc ad declarandum hoc quod aſſumpſerat, quod ſi credideris ſaluus eris: futura ſiquidem ſalus credentis explicatur dicendo, quod *omnis qui credit non pudeſcet*.

NON ENIM EST DISTINCTIO IVDÆI ET GRÆCI, pro *Iudæique & Græci*, hoc eſt Gentilis. Proſequitur declarando illam particulam, *omnis*. Et hoc vt declaret quod ſuperiùs propoſuit, ſcilicet ad iuſtitiam omni credenti. Iam enim declarauerat & duas iuſtitias, & ordinem earum, adiuncta neceſſitate iuſtitiæ Dei. Tractat itaque modò vniuerſalitatem dicendo, quòd non eſt diſtinctio Iudæi & Gentilis, quoad fructum fidei, hoc eſt iuſtitiam, & ſalutem ex fide habendam. Quamuis enim quoad multa priuilegia diſtinctio ſit inter Iudæum & Gentilem; quoad fructum tamen fidei non eſt diſtinctio Iudæi & gentilis. Et hoc probat: Verſ. 12.

Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci quoad fidei fructum.

NAM IDEM DOMINVS OMNIVM, DIVES IN OMNES QVI INVOCANT ILLVM. Tangitur in hac ratione tum identitas Domini Iudæorum & gentilium, tum affluentia diuitiarum ipſius Domini erga omnes inuocantes ipſum. Vtraque enim conditio exigitur: nam quantumcunque quis affluat diuitiis, ſatis ei eſt cura de ſibi ſubditis: & ſimiliter quantumcunque idem ſit Dominus, excuſatur ſi non affluit diuitiis, vſque adeò vt in omnes ſubditos poſſit effundere. Vtráque itaque conditione iunctâ, probatur non eſſe diſtinctionem circa fructus fidei ex parte Dei.

OMNIS ENIM QVICVMQVE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT. Cùm priùs authoritate Scripturæ declaraſſet ſalutem credẽtis: modò conſequenter declarat ſalutem confitentis. Et propterea tranſit à credentibus ad inuocantes: inuocatio enim confeſſionis eſt ſpecies. Et affert authoritatem Ioël.2. de inuocantibus. hæc enim verba, *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, ſcripta ſunt Ioëlis 2. Verſ.13. Ioël.2.

QVOMODO ERGO INVOCABVNT. Tractatâ illâ authoritate Deuteronomij quoad illas particulas, *in ore tuo, & in corde tuo*: tractat conſequenter quoad illam particulam, *prope te eſt*, ſimul declarando quod ipſe Paulus adiunxerat, ſcilicet, quod prædicamus. Declarat enim neceſſitatem prædicationis Apoſtolicæ, quâ verbum fidei eſt prope quemlibet. Declarat autem prædicationis neceſsitatem inchoando ab vltimo ſcilicet à *confeſſione oris* ſub inuocationis nomine: dicendo, *Quomodo ergo inuocabunt*, IN QVEM NON CREDIDERVNT? Inuocatio enim præſupponit fidem. QVOMODO AVTEM CREDENT EI QVEM NON AVDIERVNT? Secundum communem curſum credere præſupponit auditionem corporalem, quamuis Deus quandoque intus doceat ſine exteriori auditu: vt docuit Paulum. QVOMODO AVTEM AVDIENT SINE PRÆDICANTE? Hinc clarè patet quòd de auditione exteriori eſt ſermo, ſicut & de prædicatione. Verſ.14.

Prædicationis Apoſtolicæ neceſſitas.

QVOMODO VERÒ PRÆDICABVNT NISI MITTANTVR? Supple à Deo: prædicare enim quæ Dei ſunt, quæ diuini conſilij ſunt, nullus rectè attentat niſi miſſus à Deo: ſicut nullus niſi miſſus à rege, abſque temeritate conſilium regium prædicare poteſt. SICVT SCRIPTVM Verſ.15.

Miſſio ad prædicandum requiſita.

tum est. Affert ad hoc vltimum authoritatem Esaiæ quinquageſimoſecundo, Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Ex ſpecioſitate, ſeu pulchritudine pedum declarat, quod mittuntur, nam mittuntur aliqui, ſine progreſſus ſignificatur per *pedes*, ex hoc ipſo quod pulchri ſunt, omnem habent rectæ rationis proportionem & formam, qua niſi mitterentur conſtat quod caderent. Vnde quotquot præſumpſerunt, aut præſumunt euangelizare, tandem fallaces inuenti ſunt, vt & Chriſtus dixit Apoſtolis, *Sicut me miſit pater, & ego mitto vos.* Per *pacem* autem & *bona*, virtutem materia Euangelica ſignificatur, vt facile eſt applicare.

Pax & bona materia Euangelij.

Verſ.16. Sed non omnes obediunt, pro *obedierunt*. Evangelio. Quod ideo ſubiungit, vt inferat declarationem illius particulæ propoſitæ, ſcilicet *iuſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti*: hoc eſt enim quod modò explicat quod *non omnes obedierunt Euangelio*: quamuis per prædicatores euangelicos verbum fidei prope quemlibet ſit, non tamen omnes obedierunt Euangelio. Et dicit *obedierunt*, quoniam credere in Chriſtum, obedientia quidem eſt intellectus imperati a voluntate affecta paci, & Euangelicis bonis. Esaias enim dicit, cap.53. Domine quis credidit auditui nostro? Quamuis in Eſaia non habeatur *Domine*, quia tamen LXX. addiderunt hanc dictionem, Paulus ſecutus interpretationem LXX. attulit: *Domine quis credidit auditui noſtro?* Et eſt ſenſus. Domine quis credidit auditui a nobis dicentibus? appellat etiam Eſaias auditum noſtrum: hoc eſt, Prophetarum, auditionem populi ex ore prophetarum. Quamuis etiam pronomen *noſtro* monſtrare poteſt Deum & prophetam. Et ſic auditio populi ex ore Eſaiæ ex parte Dei, appellatur *auditus noſter*. Et dicitur *quis credidit*, non quaſi dicat, nullus, ſed quaſi dicat, pauci Iudæorum.

Verſ.17. Ergo fides ex auditu. Hinc clarè apparet quod non de auditione paſſiua ipſius Eſaiæ (qua ſcilicet ipſe audiuit a Deo) ſed de auditione paſſiua populi, qua ſcilicet populus audiuit ab Eſaia, dixit *quis credidit auditui noſtro?* nam conſtat quod ex auditu populi a prophetis naſcitur fides. Vbi & nota quod fides (vt dicitur ad Epheſ.2.) donum Dei eſt, & non creaturæ quoad ipſam voluntatem credendi, ipſum opus credere in Deum. Verum quoad explicationem horum credibilium determinate, fides eſt ex auditu: audiendo ſiquidem doctrinam Euangelicam, diſcimus quæ ſunt nobis determinate credenda. Vnde & Cornelius Centurio domo fidei iam credens in Deū, mittit pro Petro, & ab eo didicit quæ ſunt ei determinate credenda, vt patet in Actibus Apoſtolorum, [illegible]. Auditus autem per verbum Christi, pro *Dei*. Auditus populi determinatus a verbo Dei reuelato prophetis, atque Apoſtolis, vt de primo ad vltimum [illegible] ex verbo Dei non hominum intellectum procedere quoad determinationem credendorum. Ita quod fides vtrinque eſt a Deo: vnde nulla hominum authoritate poſſunt credenda noua introduci: ſed tantum explicari quæ per verbum Dei reuelata ſunt Apoſtolis & Prophetis.

Fides ex auditu.

Verſ.18. Sed dico, nunquid non audierunt? Neceſſario afferretur dicendo verbum fidei non eſſe prope omnes, ſubiungit auditum prædicationis Apoſtolicæ extenſum eſſe ad vniuerſum orbem. Et ad hoc vtitur verbis Pſalmi, ſubiungendo, Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quod dicit *in omnem terram*, in omnem plagam terræ intelligere oportet, arctare hunc textum ad ſingulas terras. Et ſimiliter, quod dicit *in fines orbis terræ*, intellige de finibus habitabilis terræ noſtræ coarctato vocabulo per *fines* intelligendo extremas regiones. Et hæc dixerim vtendo hac authoritate ad tempus Pauli: quod tamen non oportet: ſed ſufficit ſic eſſe in decurſu temporis: nam ſic ſufficit intelligere prope quemlibet eſſe verbum fidei: quod intendit Paulus. Nec obſtat authoritas Pſalmi, quoniam ad literam non loquitur de Apoſtolorum prædicatione, ſed de corporeis cœlis: nec in Hebræo habetur *ſonus*, ſed *filum*, ſeu *linea*. Verum quia Apoſtoli cœli ſunt ſpirituales, myſtico ſenſu vtitur Paulus applicando hoc ad Apoſtolos, & ſic communem apud Græcos textum: & propterea dixit *ſonus eorum*.

Fines terræ, id eſt, extrema regiones [illegible]

Apoſtoli ſunt cœli.

Verſ.19. Sed dico nunquid Israel non cognovit? Poſtquam tractauit plane verba Deuteronomij ad declarandum rationem caſus Iudæorum, redit modò ad proſequendum inexcuſabilitatem eorum. Dixerat enim quod ignorantes [illegible]: ne autem ignorantia excuſare [illegible], ſubiungit modò ipſam ignorantiam non excuſare, quia habuerunt in promptu vnde cognoſcerent. habuerunt enim verba prophetarum ex quibus potuerunt cognoſcere euangelizata ab Apoſtolis eſſe vera. Cum itaque dicit: *nunquid Iſrael non cognouit*, hoc eſt, non cognoſcere potuit? Primus Moyses dicit. Primus tempore inter ſcriptores ſacræ Scripturæ: primus authoritate inter prophetas iuxta illud Deuteron. vlt. *Et non ſurrexit Propheta vltra in Iſrael ſicut Moyſes*, &c. Ego ad æmulationem vos adducam, pro prouocabo, in non gentem, pro, in non gente. Verba hæc ex Deuteron. 32. ſumpta ſunt: vbi nos habemus: *Ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* Et eſt ſenſus quod tantum boni conferam ego Deus non genti, hoc eſt Gentilibus, quod prouocabo Iſraelitas ad inuidiam. Et ſimiliter quod ſequitur, In gentem insipientem in iram vos mittam, pro, *in gente inſipiente irritabo vos.* Ex nimia namque indignatione naſcitur ira: & propterea ſubiungit, commouebo vos ad iram [illegible] bonum quod conferam genti inſipienti. Gentiles ſiquidem appellantur tum non gens, tum gens inſipiens: pro quanto ſine lege diuina viuebant: ſine enim & peruerſum iudicium de iis, quæ ſecundum Deum ſunt, quod inſipientia eſt, incurrerant, & dignitatem generis humani ſecundum rectæ rationis vſum perdiderant: propter quod dicuntur non gens.

Moyſes primus tempore & authoritate.

Deuter. 32.

Dicitur autem Deus prouocare ad inuidiam, & commouere ad iram, non excitando ad peccatum, ſed largiendo Gentilibus bona vnde occaſionem inuidiæ & iræ Iudæi accipere poſſunt. Per hanc enim authoritatem intendit Paulus probare [illegible] a Moyſe & exaltationem gentium, & cæcitatem Iudæorum. Quorum

Quomodo Deus dicatur prouocare ad inuidiam, & commouere ad iram?

Quorum vtrunque cùm viderent Iudæi adimpletum, cognoſcere poterant adimpletam prophetiam.

Verſ. 20. ESAIAS AVTEM AVDET ET DICIT, cap. 65. hoc eſt, audenter dicit in perſona Dei. INVENTVS SVM A NON QVÆRENTIBVS ME. Salus Gentilium prædicitur, & gentes non quærentes Deum cultu, & iuſtitia appellantur, ad differentiam Iudæorum diuino cultu, & iuſtitiá legis quærentium Deum. PALAM APPARVI, pro *manifeſtus factus ſum*, IIS QVI ME NON INTERROGABANT. Magnitudinem gratiæ collatæ Gentilibus deſcribit inuentionem à non quærentibus, manifeſtationem non interrogantibus, vt totum diuinæ gratiæ adſcribatur, & ſtatus gentium ante ſuſceptam fidem Chriſti declaretur diuerſimode a Moyſe, & Eſaia.

Verſ. 21. AD ISRAEL AVTEM DICIT. 65. c. Quod dicit ad Iſrael, quantùm ad ſenſum verborum *ad*, pro *contra* ſumitur: aduerſus enim Iſraël hæc quæ ſubiunguntur dicit. Quamuis directio ſermonis ad increpationem Iſraelis ſit. TOTA DIE. Verba ſunt Dei apud Eſaiam: & *tota die*, id eſt, toto tempore. EXPANDI MANVS MEAS. conferendo beneficia tot, tanta & talia. AD POPVLVM NON CREDENTEM: ad populum incredulum. Appellatur populus Iſrael, populus incredulus, vt experientia teſtatur. SED, pro, *&*, CONTRADICENTEM MIHI. Superfluit *mihi*. Non ſolùm Iſraël incredulus eſt Meſſiæ, ſed contradicit, impugnat quantùm poteſt veritatem diuinam de Ieſu Chriſto miſſo ad ſalutem mundi. Per has Scripturas intendit Paulus patefacere quòd Iudæi potuerant cognoſcere tam ſalutem gentium, quàm ruinam propriam quam vident ſubſecutam in aduentu Ieſu Chriſti, prophetatam eſſe in ſacris prophetis. Ita quòd præter Euangelicam prædicationem habent ſcripturas teſtes, vnde ignorantia eorum redditur non excuſans eos.

CAPVT XI.

Verſ. 1. DICO ERGO. Proſequitur caſum Iſraël ex parte Dei. Poſtquam enim deſcripſit ipſum ex parte ipſorum Iudæorum, modò proſequitur eundem ex parte Dei: declarando ex diuina gratia non eſſe repulſum totum populum Iſrael. Et hoc per modum quæſtionis introducit, ſubiungendo: NVNQVID DEVS REPVLIT POPVLVM SVVM? Supple *totum*. ABSIT. Reſponſio eſt horrentis. NAM ET EGO. Tripliciter probat reſponſionem: primò ex ſeipſo non repulſo. ISRAELITA SVM genere: EX SEMINE ABRAHAM. Hoc addidit ad explicandum quòd eſt Iſraelita non tanquam proſelytus, ſed naturali genere. DE TRIBV BENIAMIN, ad magis certificandum ſuum genus.

Verſ. 2. NON REPVLIT DEVS PLEBEM SVAM QVAM PRÆSCIVIT, pro *præcognouit*. Ne obiiceretur, quòd *vna hirundo non facit ver*: probat ſecundò ratione, ſcilicet quia Deus præcognouit populum ſuum Iſrael. Vbi clare vides Paulum vti *cognitionis* nomine pro notitia approbationis: nam ſenſus eſt quòd ideo non repulit Deus populum, quia præcognouit notitia approbationis, quâ ſemel approbauit illum, ideo non repulit ipſum ex integro.

Cognitio ſumitur hic pro notitia approbationis.

AN NESCITIS IN ELIA QVID DICIT SCRIPTVRA. Probat tertiò ab exemplo multitudinis afferendo hiſtoriam ſcriptam tertij Regum decimonono ſatis claram. QVEMADMODVM INTERPELLAT, pro *colloquitur*, ſeu *poſtulat*, DEVM ADVERSVS ISRAEL?

Verſ. 3. DOMINE PROPHETAS TVOS OCCIDERVNT, ALTARIA TVA SVFFODERVNT: ET EGO RELICTVS SVM SOLVS, ET QVÆRVNT ANIMAM MEAM.

Verſ. 4. SED QVID DICIT ILLI DIVINVM RESPONSVM? Superfluit *diuinum*. Et reſponſum, interpretatum clarius eſſet oraculum. RELIQVI MIHI IPSI SEPTEM MILLIA VIRORVM QVI NON CVRVAVERVNT GENVA, pro *genu*, ANTE BAAL.

Verſ. 5. SIC ERGO, ET IN HOC TEMPORE RELIQVIÆ SECVNDVM ELECTIONEM GRATIÆ DEI SALVÆ FACTÆ SVNT. Superfluunt duæ dictiones, *Dei ſaluæ*. Ita quòd litera eſt, *reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt*: ſed interpres ad claritatem ſenſus addidit duas illas dictiones. Paulus tamen abſque illis docet quod in hac conditione temporis, *reliquiæ*, hoc eſt, pauci Iudæorum velut reliquiæ, factæ ſunt ſecundùm electionem gratiæ, hoc eſt, factæ ſunt conformes electioni gratuitæ, factæ ſunt prout diuina electio gratuita diſpoſuit eas eſſe.

Verſ. 6. SI AVTEM GRATIA. Et eſt caſus ablatiui *gratia*: & ſignificat *ſi autem ex gratia*. IAM NON EX OPERIBVS. Et eſt ſermo de proprio effectu gratiæ. ALIOQVIN GRATIA NON IAM EST GRATIA, ſed merces, ſeu præmium. Et deeſt in Latino textu integra vna ſententia. *Si autem ex operibus, non iam eſt gratia: alioquin opus non iam eſt opus.* E regione ſiquidem diſtinguit *opus* & *gratiam*: & quod datur gratuitò ad id quod datur ex opere: nam quod datur ex opere merces propriè eſt: iuxta illud, *voca operarios, & redde illis mercedem*. Matth. 20. a. Quod autem datur gratuitò, liberaliter datur, & non ex debito. Quòd ſi hæc confundimus, gratia non eſt gratia, & opus non eſt opus, perdunt enim rationes proprias. Quorſum autem hæc adiecerit Paulus, declarat quærendo.

Si gratia ex operibus iam nō eſt gratia.

Verſ. 7. QVID ERGO hinc dicitur? Et ſtatim ſubiungit reſponſionem. QVOD QVÆREBAT, pro *inquirit*, ISRAEL, HOC NON EST CONSECVTVS. Recole ſuperiùs dictum in fine capituli noni, quod Iſrael ſectando legem iuſtitiæ quærit ſalutem: ad illud enim reſpiciunt hæc verba, *quod inquirit Iſrael, hoc non eſt conſecutus*. Inquirit enim quaſi ex operibus legis: vt ibidem dicit: & propterea hoc non eſt conſecutus: quia aſſecutio iſta eſt ex gratia, & non ex operibus. ELECTIO AVTEM CONSECVTA EST. Contra inquiſitionem per opera, opponit electionem ex gratia. Et propterea dicit quòd electio reliquiarum conſecuta eſt ſalutem. CÆTERI VERÒ, non electi. EXCÆCATI SVNT. Ecce pœna excæcationis internæ, qua non viderunt iuſtitiam Dei factam per Chriſtum.

Per opera legis quod quærebat Iſrael, non eſt conſecutus.

Verſ. 8. SICVT SCRIPTVM EST. Eſaiæ 29. DEDIT ILLIS DEVS SPIRITVM COMPVNCTIONIS. vbi litera noſtra habet, *miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis*. Nec diuerſus eſt ſenſus prophetæ, & Pauli: nam *compunctio* ſumitur hic pro *percuſſione*, ſicut etiam in Euangelio dicitur quòd vnus militum latus Chriſti lancea pupugit: & in Apocal. *Videbunt eum qui eum pupugerunt*. Et propterea in idem redit *ſpiritus*

ſoporis

Spiritus ſoporis, & compunctionis idem.

ſoporis, & ſpiritus compunctionis. Spiritus ſiquidem ſoporis eſt ſpiritus hominis tanquam ſopore affecti: & ſimiliter ſpiritus compunctionis eſt ſpiritus hominis tanquam percuſſi. Commune ſiquidem eſt vtriſque (ſcilicet ſoporatis & percuſſis) tanquam extra ſe eſſe, & ferè exanimes. Hunc autem eſſe literalem ſenſum, ſequentia & hic, & apud Prophetam teſtantur: nam tanquam priuatio ſenſus concomitans ſubiungitur, OCVLOS VT NON VIDEANT ET AVRES VT NON AVDIANT. Hæc ſumpta ſunt ex 7. cap. Eſaiæ: conflauit enim Paulus ex vtroque loco ſententiam vnam. Ad ſpiritum ſiquidem ſimilem percuſſis, conſequitur habere oculos, & non videre, aures & non audire: vt experientia teſtatur in corpore. Et proportionaliter deſcribit ſtatum interiorem animi, quòd velut percuſſi, ſunt ſopiti, ita vt nec oculis mentis, nec auribus mentis vtantur ad videndum & audiendum myſteria Meſſiæ. Adſcribitur autem Deo infligere hæc omnia, quia hæc omnia facit negatiuè: non tribuendo ſcilicet eis gratiam. VSQVE IN HODIERNVM DIEM. Verba ſunt Pauli: quia experientià teſte perſeuerare videbat velut ſopitum genus Iudæorum erga myſteria Meſſiæ.

Verſ.9. ET DAVID DICIT. Pſalmo 69. FIAT MENSA EORVM CORAM IPSIS. Superfluit *coram ipſis*: quamuis in textu Pſalmi habeatur. IN LAQVEVM, ET IN CAPTIONEM, pro *venationem*. Hæc quæ hic dicuntur optatiuè, in Hebræo habentur in futuro indicatiui: ſed Paulus vſus videtur interpretatione communi. Et eſt ſenſus; *fiet menſa*, fidei Iudæorum (hoc eſt, ſacra Scriptura, quæ eſt menſa credulitatis eorum) *illis in laqueum*. Ordo præpoſterus: fiet illis in venationem, & deinde in laqueum. ET IN SCANDALVM, hoc eſt, offendiculum ad impingendum. ET IN RETRIBVTIONEM ILLIS, hoc eſt, iuſtè prout exigunt eorum merita. Sacra enim Scriptura, quæ data eſt Iudæis ad fomentum fidei, ad illuminandum eos circa credenda, verſa eſt propter peccatum Iudæorum illis in laqueum, ligantem eos ne credant Meſſiæ, & ſimiliter in venationem velut perſequentem eos ad idem, & ſimiliter in offendiculum. Et ratio ſubditur.

Sacra Scriptura facta eſt Iudæis in laqueum.

Verſ. 10. OBSCVRENTVR OCVLI EORVM NE VIDEANT. hoc eſt, quia obſcurabuntur interni oculi eorum ne videant, ne perſpiciant in ſacris literis iam verificata myſteria Meſſiæ. ET DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA. Hoc eſt etiam imperatiuum in Hebræo. Vbi habetur, *& lumbos eorum continuè fac labi*. In quo ſignificantur Iudæi quaſi pondus ferentes, & preſſi pondere, continuè labentes. Et verè premuntur continuè maiori pondere peccatorum: ac per hoc ſemper incuruantur.

Verſ. 11. DICO ERGO, NVNQVID SIC OFFENDERVNT, VT CADERENT? Superfluit *ſic*. Et finis, *vt caderent* exprimitur, tum ad excludendum vtilitatem, tum ad excludendum reparationem. Ita quod ſenſus eſt, nunquid impegerunt vt caderent abſque vtilitate? & ſimiliter vt caderent abſque reparatione? Iuxta vtrunque ſiquidem ſenſum Paulus reſpondet. ABSIT. Horrentis eſt reſponſio iuxta vtrunque ſenſum.

Aduerte quod à tempore Chriſti duo extrema & vnum medium diſtinguenda ſunt. Alterum extremum eſt delictum Iudæorum incipiens a perſecutione & occiſione Chriſti: alterum eſt plena conuerſio Iudæorum ad Chriſtum quæ erit in fine mundi: medium verò conuerſio aliquorum ex Iudæis ad fidem Chriſti. Paulus itaque ex extremis conditionibus intendit procedere, & declarare ex vtilitate extremorum vtilitatem etiam medij.

Duo Iudæorũ extrema, & vnum medium diſtinguuntur.

Et à primi extremi vtilitate inchoat dicens, SED ILLORVM DELICTO. Simul vtrumque ſenſum tractat, quia verificatio vtilitatis infert veram quoque eſſe reparationem, vt patebit. Deſcribit itaque vtilitatem (tum gentium, tum Iudæorum) concomitantem caſum Iudæorum. Et vtilitas quidem gentium ſignificatur ſubiungendo: SALVS GENTIBVS. Vbi expreſsè dicitur, quòd Iudæorum delicto ſalus gentibus: ſed non explicatur verbum, puta *eſt*, aut *fit*. Et poteſt intelligi verbum ſubſtantiuum, referendo ad delictum quo occiderunt Chriſtum: ex illo enim delicto ſalus gentium eſt, occaſionaliter. Nec illud delictum eſt extra rationem caſus Iudæorum, quoniam illud fuit meritorium ruinæ Iudæorum. Et poteſt intelligi verbum *ſeruatur*: quoniam ex delicto perſeuerantis pertinaciæ Iudæorum ſeruatur ſalus gentium: nam ſicut diuina prouidentia propter ſalutem gentium diſpertit Iſrael per vniuerſum mundum multis antea ſeculis, vt cùm prædicaretur Meſsias per Apoſtolos alióſque Chriſti diſcipulos, téſtes eſſent Iudæi ipſi diſperſi, quòd promiſſus eſt Meſsias eorum patribus, &c. ita ordinat obſtinationem Iudæorum ad ſeruandam fidem gentium.

Iudæorũ delicto ſalus fit gentibus, occaſionaliter.

Duas ſiquidem maximas vtilitates ex illorũ obſtinatione percipimus; altera eſt fides librorum ſacrorum: altera eſt promiſsio Meſsiæ. Si enim omnes Iudæi conuerſi eſſent ad Chriſtũ, putaret iam mundus adinuentionem Iudæorum fuiſſe approbare iſtos quos habemus libros veteris Teſtamenti: & ſimiliter crederetur humanam fuiſſe adinuentionem, quòd fuerit promiſſus Meſsias. Sed vbi inimici Chriſti Iudæi perſeuerant, & teſtantur nullos alios apud patres fuiſſe libros canonicè ſacros niſi iſtos, & vſque hodie expectant Meſsiam, tollitur omnis humana ſuſpicio quòd Chriſtiani confinxerint authoritatem ſacræ Scripturæ, aut promiſsionem Meſsiæ: tollitur & omnis obliuionis occaſio cuicunque poſteritati de crucifixo Chriſto, & aliis huiuſmodi: quorum memoria periculo obliuionis ſubiaceret, niſi Iudæorum obſtinata natio inimica Chriſto perſeueraret. Ex illorum itaque delicto ſalus gentium & eſt, & ſeruatur: occaſionaliter tamen. VT ILLOS ÆMVLENTVR. Ecce vtilitas Iudæorum. Si verbum verbo reddendum eſt, legendum eſt *ad æmulari ipſos*. Et pronomen *ipſos* non congruit ſecundùm grammaticam cum nomine *gentibus*, quoniam neutri generis eſt apud Græcos, & *ipſos* maſculini: vnde Iudæos demonſtrare videtur, qui demonſtrati fuerant pronomine *illorum*. Perinde ac ſi dictum fuiſſet: ad hoc vt Iudæi æmulentur, proculdubio gentes. Hæc ſiquidem eſt vtilitas Iudæorum concomitans eorum caſum. Quemadmodum enim caſum Iudæorum diuina prouidentia ordinat in ſalutem gentium vtilitatibus dictis,

Duas vtilitates ex Iudæorum obſtinatione percipimus.

Salus gentium in ſalute Iudæorum.

ita etiam ordinat ſalutem gentium in ſalutem ipſorum Iudæorum, vt æmulatione gentium excitentur ad ſalutem: tum aliqui particulares interim, tum demum omnes. Hæc more ſuo Paulus proponit: & poſtea ſingula declarat, incipiens ab vltimo, ſcilicet vtilitate æmulantium Iudæorum.

Verſ. 12. *Delictum Iudæorum diuitiæ ſunt mũdi.* SI AVTEM DELICTVM ILLORVM, DIVITIÆ SVNT MVNDI. Dicendo *mundi*, monſtrat quòd de delicto Iudæorum vtili vniuerſo mundo loquitur: & non ſolùm de delicto Iudæorum vtili gentibus. Conſtat autem delictum Iudæorum ditans mundum eſſe occiſionem Chriſti. ET DIMINVTIO EORVM DIVITIÆ GENTIVM. *Diminutio* Iudæorum intelligitur, vel pœna quâ obſtinati Iudæi diminuti ſunt à vera cognitione Scripturæ, vel pars minima Iudæorum conuerſa ad Chriſtum. Iuxta vtrumque ſiquidem intellectum verificatur quòd *diminutio Iudæorum ſunt diuitiæ gentium*. Et iuxta primum quidem iam declaratum eſt: iuxta ſecundum verò clarè patet: quia Apoſtoli & primi Eccleſiæ patres pars minima Iudæorum, ditarunt gentes diuitiis ſpiritualibus. QVANTÒ MAGIS PLENITVDO EORVM? Cùm duo præmiſiſſet (ſcilicet, de *delicto*, & de *diminutione*) non tamen dicit: quantò magis non delictum, ſeu innocentia, ſeu iuſtitia, contra delictum: quia ſine morte Chriſti patrata delicto Iudæorum, careret mundus diuitiis ſpiritus: ſed tantummodo dicit *quantò magis plenitudo*, contra diminutionem. Et argumentum eſt formale, quòd ſi diminuta pars ditat gentes, quantò magis integrum genus Iudæorum ditaret gentes? Per ſe loquendo argumentum quadrat, & concludit: quamuis per accidens nocuiſſet gentibus conuerſio omnium Iudæorum, propter cauſas ſupradictas. Et vtitur hoc argumento Paulus, ad ſignificandum quantùm per ſe loquendo vtilis ſit mundo conuerſio Iudæorum ad Chriſtum, quantùm vtilis ſit gentibus quòd Iudæi ſaltem æmulatione veniant ad Chriſtum. Et dicendo *plenitudo*, monſtrat quòd ex vltimi extremi conditione procedit.

Verſ. 13. VOBIS ENIM DICO GENTIBVS. Apoſtrophat ad gentiles, hoc eſt, conuerſos ad fidem ex gentilibus. QVAMDIV, pro *inquantum*, ſic enim ſonat textus Græcus. Verùm illud *inquantum*, anceps eſt ad *quamdiu*, & ad *quatenus*: magis tamen quadrare videtur propoſito *quatenus*.

S Paulus gẽtiũ Apoſtolus. QVIDEM EGO SVM GENTIVM APOSTOLVS. Apoſtolatum Pauli reſpectu gentium, nominatum legimus primùm in Hieruſalem cùm Paulus eſſet cum aliis Apoſtolis: vt ſcribitur ad Galat. 2. Deſtinatus tamen Apoſtolus gentium à Spiritu ſancto, ex Actibus Apoſtolorum colligitur: vbi Paulus miſſus à Spiritu ſancto, primitias gentium obtulit Deo Sergium Paulum Proconſulem. Et in conuerſione ipſius Pauli à Chriſto, dictum eſt Ananiæ de Paulo:
Act. 9. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus.* Ita quòd primùm in officio Pauli nominatæ ſunt à Chriſto gentes: non tamen ſolæ: ſubditur enim *& filiis Iſrael*. Dicitur itaque *Apoſtolus gentium*, quoniam præcipuum officium eius erat circa ſalutem gentium.

MINISTERIVM MEVM HONORIFICABO, pro *glorificabo*. Quod duplici ex capite verificatur. Tum ex parte ſalutis gentium: in hoc enim quòd promouebat ſalutem gentium, glorificabat miniſterium ſuum: & ipſa aucta ſalus gentium, maior erat occaſio æmulationis Iudæorum. Tum ex parte generis ſui: in hoc enim quòd commendat conuerſionem Iudæorum tam vtilem eſſe gentibus, glorificat miniſterium Apoſtolatus ſui ad gentes. Et hinc quoque augetur occaſio æmulationis Iudæorum: vt ſaltem videndo Paulum Iudæum tantum fructum proferre in gentibus, excitentur ſancta inuidia ad Chriſtum. Vtrique ſiquidem capiti congruit quòd ſubiungitur.

SI QVO MODO AD ÆMVLANDVM PROVOCEM CARNEM MEAM, hoc eſt, Iudæos. Verſ. 14. ET SALVOS FACIAM ALIQVOS EX ILLIS. Clarè apparet quòd ex extremis venit ad medium: vtilitas enim Iudæorum propoſita fuit æmulatio, tum futura in extremo, quam media quæ quotidie in aliquo fit.

SI ENIM AMISSIO EORVM RECONCILIATIO Verſ. 15. EST MVNDI. Declarat ſuperiùs dictum, ſcilicet quòd *ſi delictum eorum diuitiæ ſunt mundi*. Ibi dixit *delictum*, hîc dicit *amiſſio*, quæ eſt effectus delicti. Ibi dixit *diuitiæ ſunt mundi*: hic explicat diuitias mundi: dicendo *reconciliatio eſt mundi*. Et quoniam ibi nihil inde intulit proprium correſpondens, ideo nunc declarando explicat. QVÆ ASSVMPTIO NISI VITA EX MORTVIS? Et eſt ſenſus, quid aliud eſt adiunctio totius Iſraël ad Chriſtum, niſi vita ex mortuis, niſi ſtatus qui erit ex reſurrectione mortuorum? Argumentum ſiquidem procedit ad maius ex maiore: ſi enim perditio Iudæorum tanti boni (ſcilicet recõciliationis mundi) occaſio eſt, reparatio eorum multo maiori bono reſeruatur, ſcilicet vitæ ex mortuis: credimus enim Iudæos omnes prope finem mundi (in quo erit vita ex mortuis) reducendos ad Chriſtum. *Iudæi omnes prope finem mundi ad Chriſtum reducendi.*

QVOD SI DELIBATIO SANCTA. Dictio interpretata *delibatio*, anceps eſt etiam ad *primitias*: Verſ. 16. & frequenter interpretata inuenitur *primitiæ*, & quadrat propoſito legere, SI AVTEM PRIMITIÆ SANCTÆ, ET MASSA. *Si primitiæ ſancta & maſſa.* Quadrat ſiquidem contextui, quòd de principio maſſæ intendit loqui Paulus: conſtat autem quòd primitiæ frugum ſunt principium maſſæ, & propterea optimè arguit: ſi autem primitiæ ſunt ſanctæ, etiam maſſa eſt ſancta. Intendit enim ex hac metaphora dicere, quòd quia principium Iudæorum eſt ſanctum, tota quoque maſſa Iudæorum habet vnde ſit ſancta, ſicut in lege oblatis, ac per hoc ſanctificatis primitiis frumenti Deo, vniuerſa maſſa panis, quæ poſtmodum fiebat, habebat vnde eſſet ſancta. Et hoc idem clariori metaphorâ ſubiungit, ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI. Supple, ſancti ſunt. Et intendit per has metaphoras quòd vniuerſum genus Iudæorum habet tanquam legalem & naturalem ſanctitatem: quamuis de facto ad tempus careat illâ. *Iudæi habent tanquam legalem & naturalem ſanctitatem.* Metaphora enim primitiarum & maſſæ legalitatem, metaphora verò radicis & ramorum naturalitatem monſtrat ſanctitatis. Et dixit hæc omnia non ad grauandum delictum Iudæorum, ſed ad monſtrandum tam legalem, quàm naturalem habilitatem Iudæorum ad hoc vt iungantur Chriſto: tractat enim de eorum adiunctione demum futura.

Si

Verſ. 17. SI AVTEM ALIQVI EX RAMIS FRACTI SVNT. Declarat vnum modum quo delictum Iudæorum ſalus fuit gentibus, ſcilicet quòd ſubrogati ſunt gentiles in ramos Patriarchalis radicis loco fractorum ramorum, ſcilicet Iudæorum. Subrogati enim ſunt gentiles in filios Abrahæ, in filios Iſrael quibus facta eſt promiſſio ſalutis per Meſſiam: & ſic fractio ramorum naturalium ceſſit in ſalutem ramorum inſitorum. Et intellige hæc de facto: nam de poſſibili loquendo etiamſi non eſſent obſtinati Iudæi, etiamſi non eſſent fracti naturales rami, infiniti fuiſſent gentiles. TV AVTEM. Gentiles alloquitur. CVM OLIASTER ESSES, INSERTVS ES IN ILLIS, ET SOCIVS. pro, *& comparticeps*, RADICIS ET PINGVEDINIS OLIVÆ FACTVS ES. Oliua ſumitur pro arbore.

Gentiles ſubrogati in filios Abrahæ.

Verſ. 18. NOLI GLORIARI ADVERSVS RAMOS. Reprehendit gentiles ne glorientur aduerſus Iudæos ex vtilitate conſecuta in ipſis gentilibus. SI AVTEM GLORIARIS, aduerte, quod, NON TV RADICEM PORTAS, SED RADIX TE. Prius inhibuit gloriationem aduerſus ramos ex conditionibus ramorum: quia illi naturales, ipſi inſiti. Et quoniam hoc non ſufficiebat ad reprimendam gloriationem aduerſus ramos, ideo adiungit irrefragabilem rationem ex parte radicis. Ac ſi apertiùs dixiſſet, ſi permittitur tibi gloriari aduerſus Iudæos ramos, animaduerte quod radix Iudæa quoque eſt: & ipſa te portat, non tu ipſam, & ſic ceſſabit gloriatio tua aduersùs Iudæos. Patriarchæ ſiquidem & Prophetæ, radicis locum tenent: & ipſi ſuſtinent viridem veritatem fidei omnium ramorum. Vnde alibi Paulus dicit, Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.

Verſ. 19. DICIS ERGO. Proſequitur dearticulatè diſputationem cum gentibus, afferens verba eorum gloriationis aduerſus Iudæos. FRACTI SVNT RAMI VT EGO INSERAR. Reſpondet Paulus:

Verſ. 20. BENE. hoc eſt, probo quòd dicis, veruntamen aduerte quæ ſubiungo. PROPTER INCREDVLITATEM. pro, *incredulitate*. FRACTI SVNT: TV AVTEM FIDE STAS. pro, *ſtetiſti*. Conſidera rationem fractionis illorum & rationem inſitionis tui. NOLI ALTVM SAPERE, SED TIME. Hinc excluditur ſuperbia & incutitur timor.

Verſ. 21. SI ENIM DEVS NATVRALIBVS RAMIS NON PEPERCIT, NE FORTE NEC TIBI PARCAT.

Verſ. 22. VIDE ERGO BONITATEM ET SEVERITATEM DEI. IN EOS QVIDEM QVI CECIDERVNT SEVERITATEM DEI: IN TE AVTEM BONITATEM DEI, SI PERMANSERIS IN BONITATE: ALIOQVIN ET TV EXCIDERIS.

Verſ. 23. SED ET ILLI SI NON PERMANSERINT IN INCREDVLITATE, INSERENTVR. POTENS EST ENIM DEVS ITERVM INSERERE ILLOS.

Verſ. 24. NAM SI TV EX NATVRALI EXCISVS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATVRAM INSERTVS ES IN BONAM OLIVAM, QVANTO MAGIS HI QVI SECVNDVM NATVRAM INSERENTVR SVÆ OLIVÆ? Textus eſt ſatis clarus cum ſimilitudine oliuæ & oleaſtri: penes quas arbores intellige quod dicitur ſecundùm naturam & contra naturam. Et eſt aliquid proportionaliter ſimile in Iudæis & gentibus pro quanto Iudæi habent ſanctitatem tanquam naturalem & legalem, gentiles autem neutro modo.

NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES MYSTERIVM HOC. Quod tot metaphoris hactenus deſcripſit myſterium futuræ tandem ſalutis Iudæorum, modò explicat. VT NON SITIS VOBISMETIPSIS SAPIENTES. pro, *vt non ſitis apud voſipſos prudentes*, ſeu potius *elati*. Dictio enim Græca anceps eſt, & ad elationem animi quandoque ſpectans, quamuis quod eſt partis cognoſcitiuæ ſignificet. Et verè propoſito ſatis quadrat ſignificari hoc myſterium futurum ad reprimendam elationem gentium aduerſus Iudæos. QVIA. pro, quòd. CÆCITAS EX PARTE, CONTIGIT IN ISRAEL. Non eſt hoc myſterium ſed quod ſequitur. DONEC PLENITVDO GENTIVM INTRARET. pro, *intret*. Verſ. 25.

Cæcitas in Iſrael.

ET SIC OMNIS ISRAEL SALVVS FIERET, pro, *fiet*. Verſ. 26. Duas nouas res pandit hoc myſterium declaratum. Altera eſt temporalitas cęcitatis populi Iſrael: per hoc enim ſcitur quod non eſt perpetua, ſed ad tempus, ſcilicet *donec intret plenitudo gentium*. Altera eſt quòd completo hoc tempore non aliqui Iſraelitæ, ſed omnis Iſrael qui tunc inuenietur, ſaluus fiet. SICVT SCRIPTVM EST. Eſaiæ 59. VENIET EX SION QVI ERIPIAT. pro, *eripiens*, ET AVERTAT, pro, *auertet*, IMPIETATEM. pro, *impietates*. A IACOB. Meſſias prædicitur venturus ex Sion: hoc eſt, de ſtirpe Dauidis. Sion enim appellata eſt ciuitas Dauid: & in ea erat ſedes regia regni Dauidis. *Eripiens* autem dicitur ad ſignificandam difficultatem liberandi Iudæos à ſua perfidia. Effectus autem ſignificatur manifeſtè dicendo quòd *auertet impietates*, non paupertatem & quæcunque reliqua corporis mala, ſed *peccata*: non ab vno aut multis, ſed *à Iacob*, ab vniuerſo populo Iſrael.

Sion ciuitas Dauid appellata, in qua ſedes regia.

ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTVM, CVM ABSTVLERO PECCATA EORVM. Verſ. 27. Aduerte quòd Paulus expoſitiuè adiunxit hæc verba, *cùm abſtulero peccata eorum*. In Eſaia ſiquidem ſic legitur, *Veniet ex Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, hoc fœdus meum cum eis*: nec amplius ibi habetur. Verùm Paulus ad declarandam conditionem noui Teſtamenti, ad differentiam veteris, adiunxit declarationem quod tunc eſſet nouum fœdus inter Deum & homines, cùm veniret ad auferendum peccata. Primum namque fœdus fuit in monte Sina, cùm non abſtulit peccata, ſed corporalem ſeruitutem Iſraelis ab Ægyptiis.

SECVNDVM EVANGELIVM QVIDEM INIMICI. Verſ. 28. Rationem reddit tantæ intercapedinis qua differtur adimpletio huius promiſſi ad populum Iſrael. Et dicit quòd Iudæi habent duas conditiones relati ad Deum. Altera eſt quòd ſecundum Euangelium, hoc eſt, ſecundùm formam Euangelicæ fidei ac doctrinæ, ſunt inimici ipſius. PROPTER VOS. gentiles: hoc eſt ratione ſalutis veſtræ quæ ex Iudæorum caſu eſt & ſeruatur: vt prædeclaratum eſt. Altera conditio eſt: SECVNDVM ELECTIONEM AVTEM. hoc eſt, prout ſubſtant diuinæ electioni quâ elegit in fide omnes ſaluare. CHARISSIMI. pro, *dilecti ſunt à Deo*. PROPTER PATRES. propter merita patrum, propter promiſſiones diuinas diſpoſitas patribus eorum.

SINE PŒNITENTIA. pro, *impœnitenda*, ENIM Verſ. 29. SVNT DONA ET VOCATIO DEI. Interpres addidit *ſunt*. Paulus enim, quantùm reor, aſſuetus Hebræo ſermoni ſæpe loquitur ſine copula

Sine pœnitentia ſunt dona Dei & vocatio.

verbali. Probat electionem diuinam erga Iudæos in fine, immobiliter firmam: quia dona Dei & vocatio Dei (intellige ex electione procedentia) ſunt impœnitenda, ſunt quorum Deum nunquam pœnitet. Et dixit hoc ad differentiam donorum & vocationum quæ non procedunt ex electione: ſed ſunt tantùm ſecundum præſentem iuſtitiam, vel ſunt dona ſpectantia ad corpus ſeu res exteriores. Huiuſmodi enim effectus quia deſtruuntur, ſunt velut pœnitenda: ita Deus ad ſimilitudinem pœ-
Geneſ. 6. nitentis ſe habet reſpectu illorum, iuxta id quod ſcriptum eſt: *pœnitet me feciſſe hominem.*

Verſ. 30. SICVT ENIM ALIQVANDO ET VOS NON CREDIDISTIS DEO. Declarat tanquam viciſſitudinem quandam diuina prouidentia diſpoſitam in hac dilata conuerſione Iudæorum. Quam vt clariùs perſpicias, pone ante mentis oculos hinc progreſſum conuerſionis gentium habere
Tres termini conuerſionis gentium. tres terminos (ſcilicet infidelitatem gentium pro termino *à quo*: erant enim infideles; miſericordiam conſecutam pro termino *ad quem*: & incredulitatem Iudæorum, pro occaſione vt declaratum eſt) inde verò progreſſum
Vt & conuerſionis futuræ Iudæorum. conuerſionis futuræ Iudæorum, ſimiliter ſecundum tres terminos ſcilicet incredulitatem Iudæorum pro termino *à quo*, miſericordiam conſequendam pro termino *ad quem*, & miſericordiam quam conſecutæ ſunt gentes pro occaſione conuerſionis Iudæorum. Superiùs enim iam dictum eſt vt Iudæi æmulentur, vt prouocentur ad æmulandum ſalutem gentium. Hæc Paulus in hoc textu aſſimilatiuo horum progreſſuum, hinc gentium, inde Iudæorum ſecundùm hos terminos explicat, incipiens à progreſſu gentium, quia aſſimilat progreſſum Iudæorum progreſſui gentium penès hos terminos. Dicendo enim gentibus *non credidiſtis*, terminum *à quo* monſtrat. NVNC AVTEM MISERICORDIAM CONSECVTI ESTIS. Ecce terminus *ad quem*. PROPTER INCREDVLITATEM. pro, *incredulitate* ILLORVM. ſcilicet Iudæorum. Ecce medium occaſionale.

Verſ. 31. ITA ET ISTI ſcilicet Iudæi. NVNC NON CREDIDERVNT. Ecce terminus *à quo*. IN VESTRAM MISERICORDIAM. pro, *veſtra miſericordia*. Ablatiuus eſt, & eſt medium occaſionale. Eſt enim ſenſus occaſione veſtræ miſericordiæ: hoc eſt, vt prouocentur veſtrâ miſericordia. Ideo enim permiſſi ſunt Iudæi non credere in Chriſtum, vt exemplo miſericordiæ conſecutæ à gentilibus prouocarentur ad Chriſtum: vt fiet in fine mundi, & quotidie in aliquibus fit. VT ET IPSI MISERICORDIAM CONSEQVANTVR. Ecce terminus *ad quem*.

Verſ. 32. CONCLVSIT ENIM DEVS OMNIA. pro *omnes*. IN INCREDVLITATE. pro, *in incredulitatem*: VT OMNIVM MISEREATVR. Rationem ex parte Dei huiuſmodi progreſſuū quoad peccata permiſſa reddit, attribuendo Deo quod concluſit permiſſiuè omnes tam Iudæos quàm gentiles in peccatum infidelitatis, quaſi in quoddam rete: ad hunc finem vt vtrorumque miſereatur: ſubleuando à miſero infidelitatis ſtatu, & conſequenter à miſeria pœnarum debitarum infidelibus.

Verſ. 33. O ALTITVDO. Hactenus reddidit Paulus ratio-
Incomprehenſibilitas diuinæ electionis, vocationis, reprobationis, &c. nem diuinæ electionis, reprobationis, vocationis, permiſſionis, &c. Et ne putares intentionis eius fuiſſe completam doctrinam tradere de huiuſmodi operibus Dei, ſubiungit eorum incomprehenſibilitatem. Subiungit autem admirationis exclamatione: vt etiam ex modo loquendi propriam fateatur ignorantiam: dicendo, *ô altitudinem*, hoc eſt, celſitudinem. Dictio tamen Græca ſignificat etiam *profunditatem*. DIVITIARVM SAPIENTIÆ. Deeſt,
Diuitiæ ſapientiæ Dei &. Legendū eſt, *Et ſapientiæ* ET SCIENTIÆ. pro, *cognitionis*. DEI: Admiratur ſublimitatem non ſapientiæ & cognitionis, ſed diuitiarum tum ſapientiæ tum cognitionis diuinæ: vt diuitiarum nomine immenſam copiam tum ſapientiæ tum cognitionis diuinæ ſignificaret. Balbutiendo ſiquidem vt poteſt, excelſa Dei reſonat: profunditas enim diuitiarum immenſitatem intenſiuam & extenſiuam tam ſapientiæ quàm cognitionis diuinæ circumloquitur. Differentia autem inter ſapientiam & cognitionem eſt ſimilis differentiæ inter ſpeciem & genus: ſapientia ſiquidem ſpecies eſt cognitionis, ſignificans illam ſpeciem cognitionis qua ſupremum fit iudicium & ordo diſponitur. Vnde à *Sapientia quid* ſpecie ad genus aſcendit: & non ſolum diuinorum iudiciorum & ordinum rationes, ſed vniuerſaliter totius diuinæ notitiæ admiratur immenſas diuitias. QVAM INCOMPREHENSIBILIA. pro, *inſcrutabilia*. SVNT IVDICIA EIVS. Explicat effectum ſapientiæ: nam ſapientiæ effectus ſunt iudicia. Et hæc admiratur tanquam inſcrutabilia: quoniam nulla creatura ſufficit ad ſcrutandum ex integro rationes diuinorum iudiciorum. ET INVESTIGABILES VIÆ EIVS. Negatiuè tenetur *in*. Et eſt ſenſus, *Viæ Dei inueſtigabiles.*
& non veſtigabiles viæ eius. Viæ Dei (gratia ſcilicet & veritas: ad quas reducuntur vniuerſæ viæ domini) non ſolùm ab hominibus, ſed nec ab Angelis veſtigari poſſunt, intellige perfectè.

QVIS ENIM COGNOVIT SENSVM. pro, Verſ. 34.
mentem, DOMINI? AVT QVIS CONSILIARIVS EIVS FVIT? Probat quæ dixit. Et directè quidem primò *altitudinem*, deinde *diuitias*. Concomitanter autem probat etiam inſcrutabilia iudicia, & non veſtigabiles vias: horum enim rationes prima ſunt: ac per hoc probatis primis, probata ſunt & hæc. *Altitudinem* itaque probat authoritate Eſaiæ 40. vbi habetur clarè ſecunda pars huius ſententiæ. Sed prima ſub aliis verbis. Nam litera noſtra habet *quis adiuuit ſpiritum Domini*: noua ex Hebræo interpretatio habet, *quis direxit ſpiritum Domini*: Paulus affert *quis cognouit nomen Domini*. Et verè quadrat, *quis direxit*, cum diſiunctione *aut quis conſiliarius*, ad excludendum tam ſuperiorem dirigentem quàm parem conſulentem. Et quia hic ſenſus quadrat contextui Pauli (quandoquidem per hæc duo directè probatur celſitudo: excluditur enim & ſuperior & par) ideo tùm Paulus dicit *cognouit*, de cognitione approbationis ſuperiori propria intelligendus eſt: tanto veriùs quanto dictione Græca hic poſita vtuntur quandoque ad ſignificandum *ſtatuere* ſeu *decernere*: hoc enim redit in idem quod *dirigere*: & ſuperioris eſt notitiæ.

AVT QVIS PRIOR. pro, *ante*. DEDIT ILLI ET Verſ. 35.
RETRIBVETVR EI? Hæc ſententia ſumpta eſt ex Iob 14. & indicta ad probandum *diuitias*. Non enim eſſet plenitudo diuitiarum Dei, ſi *Plenitudo diuitiarum Dei.*
quis ante dediſſet illi, ſi debitor eſſet alicui pro prius acceptis. In hoc enim ipſo minus habens

bens inueniretur, ſi aliquis antè dediſſet illi, ſi aliquis ius haberet petendi reſtitutionem. Quo contra ex hoc quod nullus potuit ante dare illi, nihil deeſſe diuitiis propriis comprobatur.

Verſ. 36. QVONIAM EX IPSO. Dupliciter plenitudo diuitiarum comprobatur. Primò ex negatione indigentiæ ab alio, & hinc iam probatum eſt ex dicta ſententia Iob. Secundò ex effluxione in alios: & hinc modò ſubiungitur probatio dicendo, *quoniam ex ipſo*, effectiue. ET PER IPSVM. formaliter forma exemplari. ET IN IPSO. pro, *in ipſum*, Finem. SVNT OMNIA. Interpres addidit *ſunt*. Paulus enim ſine verbo declarat diuinas diuitias vſqueadeo quòd *ex ipſo* efficienter, & *per ipſum* exemplariter, & *in ipſum* finaliter, non aliqua ſed omnia. Et verè ſubaudiri poteſt verbum ſubſtantiuum *ſunt*: & quodcunque aliud verbum huiuſmodi, ſubſeruiens cauſalitatibus. IPSI HONOR ET GLORIA. Superfluit *honor* cum coniunctione. IN SECVLA SECVLORVM. Superfluit *ſeculorum*. Subaudi verbum ſubſtantiuum tam *eſt* quam *ſit*. AMEN. Terminantis eſt tractatum propoſitum de Euangelio quod *virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæoque primum & Græco*, &c

CAPVT XII.

Verſ. 1. OBSECRO. pro, *adhortor*, ITAQVE VOS FRATRES. Incipit hic Paulus morali doctrinâ inſtruere Romanos. Poſtquam enim inſtruxit de gratia Euangelica, conſequens fuit vt de vſu gratiæ illos inſtrueret, qui moralis eſt. Et inchoat ab vſu corporum propriorum. PER MISERICORDIAM. pro, *miſerationes*, DEI. Hortatur ſiquidem eos per modum adiurantis miſerationes diuinas illis collatas: vt efficacior reddatur exhortatio. VT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA. Ecce vſus corporum propriorum. HOSTIAM. Hortatur vt corpora noſtra vertamus in ſacrificium: ad hunc enim vſum declarat data corpora Chriſtianis. VIVENTEM. Prima conditio huius hoſtiæ deſcribitur vita, ad differentiam Martyrum: qui corpora ſua exhibent hoſtiam occidendam. Ac ſi apertiùs dixiſſet, non loquor modò de vſu corporum veſtrorum ad ſacrificium per martyrium, ſed vt viuentibus corporibus veſtris in ſacrificium viuens: hoc eſt, dum hanc degitis vitam, exhibete corpora veſtra hoſtiam: SANCTAM. Secunda conditio eſt munditia, proculdubio ab inquinamentis peccatorum. DEO PLACENTEM. Tertia conditio eſt exercitatio operum quę ſecundum ſe grata ſunt Deo. RATIONABILE OBSEQVIVM VESTRVM. Dictio interpretata *obſequium*, *latria* eſt, quam cultum ſoli Deo debitum intelligimus ſonare. Et propterea legendum eſt, *Rationabilem cultum veſtrum*, Senſus tamen in idem redit: quoniam non eſt ad propoſitum ſermo de cultu diuino generaliter: ſed directè ad propoſitum Pauli, eſt loqui de cultu diuino in exhibendo corpora noſtra *hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*. Et ſignificatur per hanc conditionem quod non ſufficiunt ſacrificio corporum noſtrorum prædictæ conditiones niſi addatur & hæc quarta: nam quamuis homo vtatur corpore ſuo cum munditia ab iis quæ ſunt ſecundum ſe peccata, & cum operibus quæ ſunt ſecundum ſe grata, niſi addatur ratio relatiua, contingeret cultum noſtrum in hac hoſtia eſſe minus rationabilem. Verbi gratia, ſi Epiſcopus aut doctor cæteris ſeruatis minus conſideraret impedimenta maioris vtilitatis vacando ſacrificio corporis, irrationabilis eſſet cultus. Et ſic de ſimilibus reſpectibus quos oportet conferre rationem cùm offert corpus ſuum Deo, caſtitate, abſtinentia, vigiliis, laboribus, & aliis huiuſmodi.

Moralí doctrinâ Romanos ab hinc inſtruit Apoſtolus.

Hoſtia Deo accepta quatuor conſtituitur.

Sit cultus Deo exhibitus rationalis.

Verſ. 2. ET NOLITE CONFORMARI. pro, *& ne conformamini*. HVIC SECVLO. Poſt vſum corporis immediate ſequitur vſus exteriorum rerum. De quibus vnico verbo dicit *& ne conformamini huic ſeculo*, in vſu rerum temporalium, pecuniarum, honorum, & id genus reliquorum. Quid ſit autem *conformari huic ſeculo*, quotidiana experientia docet: eſt enim conformari in affectu & vſu prout homines affecti huic ſeculo, afficiuntur & vtuntur. SED REFORMAMINI. pro, *transformamini*, IN NOVITATE. Superfluit *in*. SENSVS VESTRI. pro, *mentis veſtræ*. Duo difficilia propoſuerat, ſcilicet vſum corporum in ſacrificium, & negationem conformitatis huic ſeculo in vſu rerum. Et propterea ad monſtrandam facilitatem explicat modum quo vtrumque fieri poteſt, ſcilicet per redundantiam nouitatis quam habent in mente ad transformandum eos in hos vſus. Quamuis enim ambo vſus difficiles ſint abſolutè, non tamen difficiles ſunt renouatis mente per diuinam gratiam, quoniam ex illa mentis nouitate deriuatur transformatio hominis in nouum vſum corporis & rerum. Præſupponens itaque Paulus Romanos iam mente renouatos per gratiam diuinam quam tantopere ſuperiùs tractauit: monet modò vt illa mentis nouitate transformentur: tranſeant in nouam formam vtendi tam corpore quàm rebus. VT PROBETIS. hoc eſt, vt experimento ſentiatis. QVÆ SIT VOLVNTAS. Superfluit *ſit*. DEI BONA. hoc eſt, volens bona. ET BENEPLACENS. Non ſolum vult voluntas Dei bona, ſed etiam quantùm eſt ex ſe, grata ſeu ſuauis eſt omnibus. ET PERFECTA. Tum quia nihil ei deeſt, tum quia ad perfectionem adducit quæcunque vult bona. Et deſcribit per hæc fructum vtriuſque vſus. Declarat ſiquidem quòd per huiuſmodi vſus corporum & rerum perueniunt homines ad internum guſtum tam bene diſpoſitum vt tanquam ſentiendo experimento cognoſcant voluntatem Dei bonam, & ita bonam vt nulli malam, & beneplacentem quaſi ſuauem guſtui, & perfectam, non deficientem, ſed fouentem atque ad perfectionem ducentem. Quod eſt in hac vita inchoare vitam cœleſtem: hoc enim in patria beati perfectè habent: ſed viatores tales experiuntur vtcunque illud. Oportuit enim tam difficilibus mandatis fructum adiicere pretioſum in hac vita.

Conformari huic ſeculo quid.

Voluntas Dei tam eſt bona vt nulli mala.

Verſ. 3. DICO ENIM PER GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI. Poſt vſum corporis & rerum, ad vſum donorum, quæ quiſque a Deo accepit, tranſit. Et intendit per gratiam ſibi datam, Apoſtolatum ſuum. Et præmittit hoc, quoniam ad modeſtè cogitare monituus eſt: ne quis ei obiiceret quod tu excedis modeſtiam, quod non tuum eſt ordinare noſtra, regereque nos: ad occurrendum ſiquidem huic obiectioni, præmittit

præmittit quòd loquitur ex authoritate non vſurpata, ſed data ſibi. Quæ vere gratia eſt quia non ex meritis, ſed gratuito a Chriſto eſt ei collata.

Verſ. 4. Omnibvs qvi svnt inter vos. nullo excepto, Gentili, aut Iudæo. Et dixit hoc, quia in præcedenti capitulo apoſtrophauerat ad Gentiles, ne quis putaret quòd ad ſolos Gentiles loqueretur. Non plvs sapere. Dictio ter hic interpretata *ſapere*, eſt illa qua frequenter hic vtitur Paulus: de qua ſuperius diximus quòd ſignificat actionem partis cognoſcitiuæ, quam Latina lingua proprio non explicat vocabulo. Vnde fit vt cogitare, curare, ſentire, ſapere, & prudentiæ atque elationis nomina aſſumantur. Inter circumloquẽdum igitur quamuis nec ſapere nec ſentire ſignificetur, magis tamen videtur vtendum *ſentire*, ea ratione, quia *ſapere* ſonat actum virtutis, *ſentire* autem (non exteriori ſenſu, ſed intellectu) ſonat actum indifferentem ad virtutem vel vitium. Legendum itaque eſſet; *Non superſentire quàm oportet ſentire, ſed ſentire ad modeſtum eſſe.* Sic enim habet textus Græcus: quamuis communiter interpretetur *ad ſobrietatem* ſeu *modeſtiam*.

Sapere ſonat actũ virtutis: ſentire indifferens eſt ad virtutem vel vitium.

Prima culpa circa vſum donorum, quædam ſuperbiæ ſpecies eſt applicata ad actionem intellectus, quæ ſignificatur per *ſuperſentire*. Non dicit Paulus ſuperſentire de ſeipſo, aut de alio: vt intelligamus in omni materia (hoc eſt ſiue de ſe, ſiue de alio, ſiue de vſu doni: & hoc directe eſt ad propoſitum) non eſſe ſuperſentiendum. Et ad quid referatur præpoſitio *ſuper*, explicat ipſemet ſubiungendo *quàm oportet ſentire*: hoc eſt, quàm exigit donum, officium, miniſterium, & huiuſmodi. Et ne in ſola prohibitione exceſſus ſiſteret monitio, adiungit affirmationem modi ſentiendi, cum dicit: *ſed ſentire ad modeſtum eſſe*. Ecce limes vt cogites, ſentias, & indices infra limites modeſtiæ tibi congruæ. Si dixiſſet *ad modeſtiam*, latior relinqueretur campus: ſed dicendo *ad modeſtum eſſe*, arctat ad modeſtiam cuique congruam. Aliquid eſt enim modeſtum viro quod non eſſet modeſtum mulieri: & aliquid eſt modeſtum doctori, quod non eſt modeſtum diſcipulo. Et vnicviqve. Superfluit *&*, Iungitur ſiquidem hæc particula immediate præcedenti: explanat enim tum quod de vſu donorum diuinorum loquitur, tum rationem non excedendi, ſed modeſtiam ſeruandi. Sicvt devs divisit mensvram fidei. Ecce materia, ſcilicet diuiſa dona Dei. Ecce menſura inter exceſſum & defectum, ſecundum quam ſeruatur medium. Appellat autem diuina dona diuiſam a Deo menſuram fidei, eò quòd primum donum eſt fides, & reliqua dona ſunt quædam menſuræ primi doni. Menſuræ autem quia ad menſuram dantur: ſolo Chriſto excepto, de quo ſcriptum eſt, quòd non ad menſuram illi datur. Iubet itaque quòd nullus ſupra menſuram doni ſibi dati in fide Ieſu Chriſti ſuperſentiat in vſu donorum. Hic enim exceſſus valde nociuus eſt cuicunque collegio, etiam prophano: vt experientia teſtatur.

Aliquid eſt modeſtum viro quod non eſſet modeſtũ mulieri.

Verſ. 5. Sicvt enim in vno corpore mvlta membra habemvs, omnia avtem membra non evndem actvm habent. Probat ex ſimilitudine naturalis corporis ſeruandam eſſe huiuſmodi menſuram. Similitudo autem eſt clara.

Ita mvlti vnvm corpvs svmvs in Christo. Non vnum corpus naturale, ſed vnum corpus myſticum. Ita quod quantumcunque multi, omnes tamen ſumus vnum corpus myſticum in Chriſto: hoc eſt in fide, in ſpe, in charitate, in imitatione, & (quod ſummum eſt) in ſpiritu Chriſti. Chriſtus enim eſt velut anima viuificans Spiritu ſancto totum corpus myſticum. Singvli avtem alter alterivs, pro *inuicem*, membra. Non ſolum ſumus vnum corpus relati ad Chriſtum, ſed etiam ſinguli relati inter nos mutuò, ſumus inuicem membra: hoc eſt, quemadmodum membra naturalia eiuſdem corporis non ſolum vniuntur in corpore vno, ſed etiam inter ſe membra ſunt inuicem membra (oculus enim videt pedi & manui reliquiſque membris: & è conuerſo manus operatur oculo & pedi, &c. & ſic de aliis) ita ſinguli Chriſtiani ſunt inuicem membra: vnus enim operatur alteri & è conuerſo. Hæc eſt enim ſanctorum communio. Verſ. 6.

Vnum corpus ſumus in Chriſto.

Habentes avtem donationes secvndvm gratiam, qvæ data est nobis, differentes. Dixerat de membris naturalibus, *omnia autem membra non eundem actum habent*: & huic ſimile nondum explicauerat in corpore Chriſti myſtico. Et propterea modo explicat hanc ſimilitudinem: declarando quod ſic ſinguli ſumus inuicem membra, quòd non habemus eadem dona, ſed dona diuerſa. Ita quòd nomen, *differentes*, eſt accuſatiui caſus, & refertur ad *donationes*. Et eſt ordo literæ, habentes autem donationes differentes. Interponitur autem ſecundum gratiam datam nobis: vt intelligamus tam dona quam differentiam donorum eſſe ſecundum gratiam nobis datam, & non eſſe ex meritis noſtris, ſed ex gratuita diuina diſtributione. Sive prophetiam. Explicat in ſpecie diuerſa dona Dei gratuita, membris Chriſti collata: & ſimul explicat modeſtiam ſeruandam in vſu eorum, inchoans à dono prophetiæ. Secvndvm rationem fidei. Dictio Græca interpretata *rationem*, analogiam ſignificat: hoc eſt rationem proportionalem. Optimus vſus doni prophetiæ eſt ſemper inſpicere ad ea quæ proportionata ſunt fidei. Prophetas enim declinantes a ratione quadrantium fidei, pſeudoprophetas potius quam prophetas habeto. Et quoniam vana & indecentia a proportione Chriſtianæ fidei diſcrepant, omnes vaticinantes talia abiiciendi ſunt. Verſ. 7.

Singuli habent dona diuerſa.

Dona Dei gratuita: Prophetia.

Sive ministerivm. Ecce donum officij. In ministrando. Ecce vſus: vt ſcilicet & miniſtret & contentus ſit miniſtratione. Sive qvi docet. Ecce donum doctoris. In doctrina. Ecce vſus: vt ſcilicet doceat, & ſat ſit ei docere. Verſ. 7.

Miniſterium.

Doctrina:

Qvi exhortatvr. Ecce donum gratiæ exhortatoriæ. In exhortando. Ecce vſus: vt ſcilicet exhortetur, limites exhortationis non excedendo. Qvi tribvit. Ecce donum facultatis, qua poteſt donare res vel officia. In simplicitate. Ecce vſus: vt ſcilicet ſimplici corde non tanquam redhibiturus, aut ad aliquid machinans donet. Qvi præest. Ecce donum, quo aliis præeſt. In solicitvdine. pro, *in ſtudio*. Ecce vſus: oportet enim præſidentem ſtudioſum eſſe ad ea quæ ei incumbunt. Qvi miseretvr. Ecce donum quo & poteſt miſereri, & miſericordiæ exercet opera. In hilaritate. Ecce vſus. Subuenientem ſiquidem miſeris iubet Verſ. 8.

Exhortatio

Facultas:

Prælatio:

Miſeratio:

bet Paulus non mœſtè, non quaſi faſtidio habentem miſeros, ſed hilariter ſubleuare miſerias: quia ex parte miſerentis perficitur affectus, & ex parte miſeri recipitur cum conſolatione ſubleuatio. Et ſcito quòd in Græco participia ſunt, *qui docet, qui exhortatur*, & reliqua. Ita quòd clarius ſonat dona textus Græcus, dicendo *docens, exhortans, tribuens, præſidens, miſerens*, quæ interpres Latinus reſoluit in verbum & relatiuum.

Verſ. 9. *Dilectio:* Dilectio. Et hoc donum eſt. Sine simvlatione. Ecce vſus dilectionis. Odientes. Et hoc donum eſt. Malvm. Ecce vſus odij: vt *Odium mali:* ſcilicet vtamur eo verſus malum. propria enim materia odij eſt malum quod eſt vere malum. *Adhæſione:* Adhærentes. Et hoc donum eſt. Bono. Ecce vſus adhæſionis.

Verſ. 10. *Charitas fraternitatis:* Charitatem. pro, *charitate fraternitatis*. Ecce donum, dilectio fraterna. Invicem diligentes. Ecce vſus. Iubet Paulus vt fraternum amorem extendamus ad omnes mutuò: quod eſt Chriſtianos omnes inuicem ſe diligere vt fra-*Honos mutuus:* tres. Honore. Ecce donum. Invicem prævenientes. pro *præcedentes*. Ecce vſus honoris, vt vnuſquiſque præcedat alterum honorando actiue.

Verſ. 11. *Solicitudo:* Solicitvdine. pro, *ſtudio*. Ecce donum. Non pigri. Ecce vſus. oportet enim ſtudio vti abſque pigritia in exequendo. Spiritv. Ecce donum. Ferventes. Ecce vſus: vt non feruea
Feruor ſpiritus: caro, ſed ſpiritus, vt vtamur ſpiritu ad feruendum in ſpiritualibus. Domino. & hoc magnum donum eſt, recognoſcere Deum dominum. Servientes. Ecce vſus.

Verſ. 12. Spe. Ecce donum. Gavdentes. Ecce vſus. *Spei gaudiũ:* ſpes enim quamuis annexam habeat afflictionem ratione dilationis, abſolutè tamen vt reſpicit rem ſperatam, gaudium parit: & proprius vſus eius in quantum ſpes, eſt gaudere. In tri-*Patientia in tribulatione:* bvlatione. Superfluit *in*. Et parui refert legere tribulationem vel afflictionem vel preſſuram: mala ſiquidem huius mundi ſignificatur. Et hæc inter dona Dei ſunt. vnde & ſuperius dictum eſt *gloriantes in tribulationibus*. Patientes. Ecce vſus, non à patiendo, ſed à patien-*Orationis aſſiduitas:* tiæ virtute. Orationi. Ecce donum. Instantes. Ecce vſus aſſiduitatis.

Verſ. 13. *Hoſpitalitas:* Necessitatibvs sanctorvm commvnicantes. Hospitalitatem. Et hoc donum eſt. Sectantes. optimus vſus. Benedicite. Vſus *Benedicere Perſequentibus:* præponitur hic. Persequentibvs vos. Et hoc Dei donum eſt. Iubet enim vt perſecutoribus vtamur ad benedicendum eis: hoc eſt ad imprecandum eis bona.

Verſ. 14. Benedicite, et nolite maledicere. pro, *& ne maledicite*. Exaggerat Paulus mandatum hoc, prohibendo quaſcunque maledicentias (ſiue imprecando, ſiue detrahendo, ſiue conuicium aut contumeliam dicendo) ſed iterum mandando benedicentiam.

Verſ. 15. Occurrit tamen hic quæſtio quo pacto Paulus prohibet ne maledicamus perſequentibus nos: cum ipſe Actuum vigeſimotertio maledi-*Act. 23. 3.* xit perſecutorem ſuum: *percutiet te Deus paries dealbate*. Solutio eſt, quòd Paulus non imprecando, ſed arguendo, & prædicando diuinam iuſtitiam verba illa dixit: vt manifeſtè teſtantur ſubiuncta verba. Non prohibemur autem hoc mandato quin arguendo & diuinam præ[illegible] iuſtitiam, mala futura perſecutoribus prænuntiemus, & culpas præſentes reprehendamus. Quæ duo Paulus fecit, à quibus abſtinuiſſet ob reuerentiam gradus, ſi ſciuiſſet illum ſummum ſacerdotem.

Gavdete cvm gavdentibvs: Vti gaudentium bono, iubet gaudendo. Et flete cvm flentibvs. Similis eſt ſententia. Verſ. 16. *Gaudere cum gaudentibus:*

Idipsvm, pro, *idem*, invicem sentientes, Verſ. 17.
Optimus vſus ſenſus interni cuiuſcunque collegij eſt vt idem mutuò ſentiant: ſola enim hac ratione concordia ſeruatur. Non alta sapientes. pro *ſentientes*. Impedimentum idem ſentiendi eſt altum ſentire. Et eſt ſermo de alto reſpectiuè: hoc eſt, altiùs quàm oporteat, quàm deceat, quàm expediat. Sed hvmilibvs consentientes. Dictio interpretata *conſentientes*, *Accommodare ſe infimis.* quia eſt participium paſsiuum præſentis temporis, non potuit Latine vna dictione ſignificari: Et propterea circumloquendo legendum eſt. Accommodantes vos. Sic enim ſeruatur tempus præſens: & accommodari per pronomen *vos* in accuſatiuo ſignificatur, Ita quòd literalis ſenſus eſt: ſed *humilibus*, hoc eſt, abiectis ſeu infimis, vos ipſos accõmodantes: hoc enim tollit impedimentum alta ſapiendi, & eſt fomentum concordiæ. Nolite esse prvdentes apvd vosmetipsos. Verbum verbo reddendo legendum eſſet, *ne ſitis prudentes*. Et hoc ad perfecte tollendum impedimenta diſcordiæ. Putant aliqui imprudentiæ eſſe accommodare ſentire ſuum minoribus & infimis: & propterea huic opinioni obuiando, adiungit, *non ſitis prudentes apud vosmetipſos* Et eſt ſimile præcepto illi, *ne innitaris prudentia tua*.

Nvlli malvm pro malo reddentes. Red- Verſ. 18.
Non reddere malum pro malo. dere malum pro malo proprie eſt ex intentione reddere malum: ita quòd intentio tendit ad malum alteri reddendum Et eſt actus illicitus cuicunque. Et per hoc monet non vti actu reddendi (qui proprie eſt actus iuſtitiæ) hac intentione ſcilicet ad malum, quamuis alter mereatur: debet enim reddi malum ſub ratione iuſti, quamdo redditur licitè. Providentes bona non tantvm coram Deo, sed etiam omnibvs hominibvs. Sex dictiones ſunt ſuperfluæ, ſcilicet, *non tantum coram Deo, ſed etiam*. Monet vſum prouidentiæ vt habeat pro materia bona, & non mala: nec ſolum terminetur prouiſio ad bona, ſed etiam ad bona coram omnibus hominibus: hoc eſt, ad bona quæ ſunt talia, vt coram omnibus habeant vnde ſint bona: ad differentiam eorum qui prouident quidem bona, ſed non talibus circunſtantiis vallata, vt coram omnibus habeant vnde appareant bona, ſed locum relinquunt ſuſpicionibus alicuius mali admiſſi. Et quoniam valde difficile eſt hoc ſeruare reſpectu omnium hominum, ideo Paulus adiungit.

Si fieri potest. Inſtruit enim per hoc vt Verſ. 19.
prouideamus ſecundum vires bona coram omnibus. Et ſi fieri nequit vt omnibus videantur bona, relinquamus ipſis curam. Qvod ex vobis est. *Quod* pro quantùm. Et ſuperfluit *eſt*, in veritate tamen ſubauditum. Cvm omnibvs hominibvs pacem habentes. Vſus pacis cum *Pacem habere cum omnibus.* omnibus præcipitur quantùm eſt ex parte noſtra: vſus enim pacis pendet non ſolùm ex nobis, ſed ex aliis: qui cum hominibus pacis nolunt pacem, ſed vtuntur inimicitiâ aut perſecutione, & huiuſmodi.

Verſ. 19. NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES CHARISSIMI. pro, *vindicantes dilecti.* Inter vindictam & reddere malum pro malo, hoc intereſt, quòd reddere malum pro malo, eſt formaliter & ex intentione velle malum reddere: vindicare autem eſt materialiter quidem malum, formaliter autem iuſtum velle reddere. Vnde & vindicare eſt actus iuſtitiæ: velle autem malum eſt actus odij. Non ſuffecit Paulo inhibere nulli malum pro malo reddendum, ſed etiam inhibuit non voſmetipſos vindicantes.

Vindicare eſt actus iuſtitiæ, velle malum, eſt actus odij.

Et quoniam inhibitio illicitorum eſt, hinc clarè patet illicitum eſſe quod prohibet. Sed bene nota quid prohibet. Non enim dicit *non vindicantes*, ſed *non voſmetipſos vindicantes*: ad ſignificandum quòd prohibet hominem per ſeipſum propriam exercere vindictam. Cum quo conſtat quòd poſſit exercere vindictam brachio Prætoris vel Principis. Nec princeps tranſgreſſor eſt huius mandati, quia priuatorum ſeu Republicæ vlciſcitur iniurias, etiamſi fuerint commiſſæ contra perſonã propriam: quoniam non ipſe priuatim, ſed authoritate publicâ principem vlciſcitur. Et adiungit *dilecti*, ad demulcendum Romanos in hoc præcepto communiter contrario humano impetui.

Principis eſt priuatorum iniurias vindicare.

SED DATE LOCVM IRÆ. Duplex poteſt eſſe ſenſus, vel cedite iræ iniuriantium, vel reſeruate locum iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ non eſt virtus priuatorum, ſed publicâ fungentium poteſtate. Vtrumque enim horum fit abſtinendo ab vltione per noſipſos. SCRIPTVM EST ENIM. Deute. 32. MIHI VINDICTAM. pro, *vindicta*: ET ERGO RETRIBVAM, DICIT DOMINVS. Superfluit *&c.* affert authoritatem ex cantico Moyſi, vbi clariùs legimus, *mea eſt vltio, & ego retribuam.* Propriam ſibi Deus aſſerit eſſe vltionem, qui ſolus omnium vindictas exercere poteſt, qui ſolus nihil relinquit impune. Ipſi ergo Deo ſaltem reſeruandam cenſet vindictam: cui proprium eſt omnia mala punire.

Deuter. 32.

Verſ. 20. SED SI ESVRIERIT. Superfluit *ſed.* INIMICVS TVVS, CIBA ILLVM: SI SITIT, DA POTVM ILLI. Sumpta eſt hæc ſententia ex Prouerb. cap. 25. Superiùs dixerat vt benedicerent iniuriantibus modò mandat vt etiam benefaciant illis.

Sed aduerte quòd non abſolutè, ſed in articulo neceſſitatis hoc mãdatur dicẽdo *ſi eſurierit, ſi ſitit*: vt intelligamus quòd inimico in particulari benefacere non præcipitur niſi in articulo neceſſitatis. Et tunc præcipitur quod neceſſarium eſt tribui, dicendo, *ciba illum, potum da illi.* Non enim dicit dita illum, exalta illum; præcepta ſiquidem Dei rationabilia ſunt, vt ſubueniatur naturæ & indigentiis. HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SVPER CAPVT EIVS. Duplex poteſt eſſe ſenſus. Vel referendo ad reſeruatam Deo vindictam: & ſic eſt ſermo prænuntiatiuus augendæ vindictæ, quantò inimicus fit amico ingratior ex beneficio cibi & potus, vt quemadmodum prius monuit non vindicandum, quia Deus vindicat, ita modò moneat eſurientem inimicum paſcendum, quia per hoc non minuitur, ſed augetur vindicta diuina inimici quatenus inimici: de tali enim eſt ſermo. Vel ſignificando occaſionem conuerſionis inimici ab inimicitia ad amicitiam Nullum ſiquidem medium accommodatius eſt ad prouocandum amorem quàm beneficium ſpontaneum tempore neceſſitatis conferre: & ſic ſermo iſte rationem mandati affert ex natura beneficij: quia ſcilicet congregabit velut prunas ſuper caput, incentiuas cauſas amoris erga te, in ipſo inimico. Et hic ſenſus valde quadrat tam Prouerbiorum textui quàm Paulo apponenti coniunctionem *enim*: dicens hoc enim faciens: vt intelligamus rationem reddi mandati.

Præcepta Dei rationabilia.

NOLI VINCI. pro, *ne vincaris*, A MALO, SED VINCE IN BONO MALVM. Omni ex parte Paulus conſulit. Apparet hominibus filiis huius ſeculi, quòd ſuccumbere quoddam eſt non vlciſci: & inſuper benefacere eſurienti inimico. Quo contrà Paulus monſtrat oppoſitum, & quòd tam vlciſci quàm non paſcere inimicum eſurientem eſt ſuccumbere malo, eſt vinci à malo. Viliſſimus & debiliſſimus hoſtis eſt malum non ſolum inimicitiæ, ſed quodcunque malum: vtpote quod nihil eſt, quod exoſum omnibus ſuapte natura eſt; victoria autem eſt, bona voluntate, bono affectu atque beneficio ſuperare malum inimicitiæ. Ac ſi apertius dixiſſet: Si turpe putatis ſuccumbere ac vinci, hoc ipſum ego moneo vt non vincamini à malo, ſed vincatis in bono malum. Verſ. 21.

Malum eſt viliſſimus & debiliſſimus hoſtis.

CAPVT XIII.

OMNIS ANIMA. Poſtquam Paulus inſtruxit Romanos circa vſum corporis, rerum, & donorum Dei, proſequitur inſtructionem circa vſum libertatis reſpectu Principum. Cauet ſiquidem ne occaſione libertatis conſecutæ per Chriſtum, Romani exemptos ſe putent à iuriſdictione Principum ſecularium: propterea enim inſtruit eos vt ſubditi ſint ſecularibus Principibus. Et ſignificantiùs dicit *omnis anima*, cùm debuiſſet dici *omnis homo*, vt intelligeremus non ſolùm res noſtras, non ſolùm corpora noſtra, ſed etiam animas debere ſubiici Principibus ſecularibus in iis quæ poſſunt legitimè imperare. Et dicendo omnes, neminem excepit. POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS. pro, *præcellentibus*, SVBDITA SIT. Non dicit *poteſtatibus*, ſed *poteſtatibus præcellentibus*, ad differentiam poteſtatum tyrannicarum: hoc eſt, eorum qui non verè ſunt domini, ſed tyranni. Eorum ſiquidem poteſtates ſunt poteſtates, ſed non ſunt poteſtates præcellentes: ſed poteſtates hoſtiles, poteſtates latronicæ. Ad differentiam enim hoſtilium poteſtatum, dicit *poteſtatibus præcellentibus*: vt intelligerent non mandari ſibi vt omnis anima ſubiiciatur poteſtatibus tyrannicis, ſed poteſtatibus præcellentibus, & vt vno verbo dicatur, *poteſtatibus legitimis.* Verſ. 1.

Inſtruit Romanos Paulus circa ſubiectionem debitam Principibus.

Poteſtatibus ſublimioribus & legitimis non tyrannicis.

NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO. Quamuis hæc ſententia ſolitaria vera ſit vniuerſaliſſimè, ad propoſitum tamen Pauli non eſt niſi arctata ad poteſtatem de qua eſt ſermo: hoc eſt, poteſtatem præcellentem, poteſtatem legitimam: nam ex hoc quòd eſt a Deo, probat quòd neceſſariò debemus illi ſubiici: conſtat autem hanc rationem non habere locum, ſi applicaretur ad omnem quomodolibet poteſtatem: non eſt enim neceſſe vt ſubiiciamur poteſtati hoſtili, quæ tamen eſt etiam a Deo. Subintellige igitur *præcellens.* Ita quòd ſenſus eſt: non

eſt

eſt enim poteſtas præcellens niſi à Deo. Et hoc (ne oporteat repeti) in ſubſequentibus ſubintelligatur. QVÆ AVTEM SVNT. Deeſt, *poteſtates*. Totum hoc ſubiectum eſt enunciationis. A DEO ORDINATA. pro, *ordinatæ ſunt*. Prius dixerat omnes poteſtates præcellentes eſſe à Deo: modò adiungit eaſdem eſſe quoque ordinatas à Deo, vt intelligamus non ſolum poteſtates ipſas quantùm ad earum ſubſtantiam eſſe à Deo, ſed etiam quantum ad ſubordinationem aliorum ipſis: ad poteſtati, ſiquidem ordinem ſpectat ſubordinatio aliorum: alioquin ſine ordine eſſet poteſtas.

Poteſtates ordinatæ à Deo.

Verſ. 2.

ITAQVE QVI RESISTIT. pro, *reſiſtens*, POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT. pro *reſtitit*. Infert Paulus quod reſiſtens poteſtati præcellenti, dum putat ſe reſiſtere homini, in veritate tamen reſiſtit ordinationi Dei. Deſcribit autem participio præſenti reſiſtentiam poteſtatis, reſiſtentiam autem Dei ordinationi verbo præterito: quia dum illa ex intentione ſit, poſt factum comprehenditur à ſcientia fuiſſe commiſſam reſiſtentiam in Dei ordinationem. QVI AVTEM RESISTVNT. pro, *reſtiterunt*, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQVIRVNT. pro, *ſibiipſis iudicium ſument*. Non ſolum culpam contra Dei ordinationem, ſed etiam pœnam ex demerito patratæ reſiſtentiæ deſcribit. Et quoniam prænunciat ſumpturos iudicium ſibiipſis, & in hac vita ſæpe hoc non verificatur, ideo de diuino iudicio ſermo iſte loquitur: nihil enim impune diuinum relinquit iudicium. Conſtat autem quod ſumere iudicium, eſt accipere quod ſibi iure pro merito debetur.

Verſ. 3.

NAM PRINCIPES. Occurrit tacitæ obiectioni: qua ratione tu dicis, anima poteſtatibus præcellentibus ſubiiciatur, ingerendo nobis timorem ſecularium poteſtatum: cum lex Euangelica ſit lex amoris, & Chriſtianis ſolus Deus timendus ſit? Huic inquam obiectioni obuiat Paulus, dicendo in ſubſtantia quod principes ſeculares non ſunt ad timorem bonis, ſed malis: ac per hoc non ſunt timendi veris Chriſtianis non ſolum nomine, ſed re. NON SVNT TIMORI BONI OPERIS, SED MALI. pro, *non ſunt timor bonorum operum ſed malorum*. Et verum dicit quantùm eſt ex natura extremorum, ſcilicet principatus & operum. Secus autem euenit ſæpe ex abuſu: vt patet in Martyribus, qui propter bona opera à principibus puniebantur: ſed non ex natura operum erat timor ſi quis erat in aliquibus, ſed quia principes abutebantur poteſtate. Et iuxta hunc ſenſum intellige ſubiuncta. VIS AVTEM NON TIMERE POTESTATEM? BONVM FAC. Quod autem interſerit, ET HABEBIS LAVDEM EX ILLA. relatiue verificatur. dum enim mala opera puniuntur, laudantur bona: ipſa enim punitio malorum, laus eſt bonorum.

Principem non timent bona opera ſed mala.

Verſ. 4.

DEI ENIM MINISTER EST. Rationem reddit quare principes non ſunt timor bonorum, ſed malorum operum, ex hoc quod ſunt miniſtri Dei, ac per hoc imitantes Deum. TIBI IN BONVM. SI AVTEM MALVM FECERIS, TIME: NON ENIM SINE CAVSA GLADIVM PORTAT. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui male agit. Ecce ad quid eſt miniſter Dei, ad vindicandum, ad iuſtitiam vindicatiuam exercendam in punitionem eius qui male facit. Et hinc apparet quo ſenſu dictum ſit *omnis anima poteſtatibus præcellentibus ſubiiciatur*: ſcilicet pro quanto princeps miniſter Dei eſt. In iis enim quæ præcipit exorbitans à miniſterio Dei nullus ei ſubiicitur.

Princeps Dei miniſter eſt.

Verſ. 5.

IDEOQVE NECESSITATI SVBDITI ESTOTE. pro, *ideo quod neceſſe eſt ſubiici*, NON SOLVM PROPTER IRAM. hoc eſt, punitionem quam poteſt inferre princeps. SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM. Et hæc eſt concluſio principaliter intenta.

Verſ. 6.

IDEO ENIM ET TRIBVTA PRÆSTATIS. pro, *penditis*. Poſtquam inſtruxit de ſubiectione principibus debita in genere, modò deſcendit ad ſpeciem tributorum, deducendo ex eodem fonte debitum tributorum. MINISTRI ENIM DEI SVNT, IN HOC IPSVM SERVIENTES. pro, *inſeruientes*. Manifeſtat illam communem cauſam vtriuſque (ſcilicet ſubiectionis & tributorum) eſſe hanc, ſcilicet quod miniſtri Dei ſunt principes inſeruientes in hoc ipſum Dei miniſterium: ex eo namque quòd incumbunt diuino miniſterio, debemus tanquam ſtipendia eorum, ſoluere tributa illis.

Tributa Principibus ſoluenda.

Verſ. 7.

REDDITE ERGO OMNIBVS DEBITA. Monſtrato debito & ſubiectionis & tributorum, mandat extendendo executionem iuſtitiæ quoad omnia debita omnibus reſpectiue. CVI TRIBVTVM, TRIBVTVM: CVI VECTIGAL, VECTIGAL: CVI TIMOREM, TIMOREM: CVI HONOREM, HONOREM. Enumerat in ſpecie quatuor, tributum, vectigal, timorem, & honorem. Nec caret quæſtione quod dicitur de timore: cùm in vero Chriſtiano locum non habeat debitum timoris reſpectu principum, vt ipſemet Paulus nunc docuit. Solutio eſt, quòd Paulus non dicit Romanis quò debeant timere, ſed quòd cui debent timorem, reddant timorem: ita quòd præſuppoſito debito timoris præcipit timere: hoc autem ſanctum eſt præceptum, præſuppoſito quod aliqui Chriſtiani agant malum, quod in tanta multitudine ineuitabile eſt: dixerat enim: ſi malum agis, time. Poſſet nihilominus timor offendendi intelligi: minus proprie nomen *timor* habet pro materia malum culpæ.

Debita quatuor, tributum, vectigal, timor, honor.

Verſ. 8.

NEMINI QVICQVAM DEBEATIS, NISI VT INVICEM DILIGATIS. Ne multitudo debitorum homini oneroſa appareret, debita omnia monſtrat eſſe vnum tantum debitum. Et propterea ſummando omnia debita cuicunque homini, dicit, quod nemini quicquam debeat niſi vnum, ſcilicet inuicem diligere. Et hoc probat ſubiungendo: QVI ENIM DILIGIT PROXIMVM. pro, *alterum*, LEGEM IMPLEVIT. Optima ratio, quia in hoc vno impletur vniuerſa lex. Et quod hoc ſit verum, probat inductiue diſcurrendo per ſingula præcepta legis.

Qui diligit proximum, legem impleuit.

Verſ. 9.

NAM NON ADVLTERABIS. Deeſt pronomen *illud*. Legendum eſt: NAM ILLVD NON ADVLTERABIS, NON FVRABERIS, NON FALSVM TESTIMONIVM DICES, NON CONCVPISCES, ET SI QVOD EST ALIVD MANDATVM, IN HOC VERBO INSTAVRATVR. pro, *ſummatur*, ſeu *conſummatur*: hoc eſt, ſummatim colligitur. DILIGES. Deeſt *videlicet*. Legendum eſt; *Videlicet diliges* PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM. In hoc vno præcepto ſcripto Leuitici decimonono contineri omnia, intendit probare Paulus. Senſus autem huius præcepti ad literam eſt vt diligas proximũ tuum, & diligas illum eo modo quo diligis teipſum: hoc eſt amore amicitiæ,

quod eſt velle illi bonum honeſtum, bonum vtile, bonúmque delectabile propter illum, non propter te: ſicut vis tibiipſi bona hæc propter teipſum. In hoc enim ſenſu ſi impletur hoc mandatum, vniuerſa lex ad proximum impleta eſt.

Verſ. 10. *Dilectio non operatur malum proximo.* DILECTIO PROXIMI. pro *proximo*. MALVM NON OPERATVR. Manifeſtat Paulus probationem aſſumptam, ſcilicet quòd omnia mandata in hoc vno continentur, ex hoc quòd dilectio (ſupple amicitiæ) non operatur malum proximo. Minus dicit & plus ſignificat: nam non ſolùm non operatur malum alteri, ſed etiam efficit illi bonum. Verum quia efficere bonum non ſemper eſt in poteſtate diligentis, ideo non dixit; dilectio efficit bonum proximo, ſed dixit, *non operatur malum proximo:* quod ſemper & vbique eſt in poteſtate diligentis. Et in hoc ipſo quod eſt non operari malum proximo, clauditur non ſubtrahere bonum debitum quando & vbi poteſt: nam ſubtrahere debitum bonum, eſt operari malum. Non eſt ergo diminuta, ſed totum complectens debitum hæc ratio.

Dilectio eſt plenitudo legis. PLENITVDO ERGO LEGIS EST DILECTIO. Si obiicis quòd Dominus dixit non in hoc vno, ſed in duobus mandatis (dilectionis ſcilicet Dei & proximi) pendere legem & prophetas, ſcito dupliciter quæſtionẽ ſolui. Primò quòd Paulus loquitur de lege relata ad homines: quoniam tractat de debitis homini. Cuius ſignum eſt quòd non attulit niſi præcepta debitorum hominibus: Dominus verò loquitur de lege abſoluté. Et hic videtur ſenſus literalis: nam de dilectione Dei ſuperiùs docuerat: Poteſt nihilominus dici quòd in mandato dilectionis proximi, clauditur mandatum dilectionis Dei ſicut cauſa in effectu. Vel quòd Paulus non dicit *plenitudo ergo legis eſt dilectio proximi*, ſed *dilectio:* vt proportionaliter ſignificaret quòd quemadmodum dilectio proximi implet vniuerſa debita homini, ita dilectio Dei implet vniuerſa debita Deo: vt ſic proportionaliter omni ex parte concludatur, *plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

Verſ. 11. ET HOC. Aduerte quòd pronomen *hoc*, non poteſt referri ad nomen *tempus* in textu Græco: nam alterum eſt generis maſculini, alterum neutri. Et propterea commate punctandum eſt pronomẽ. Exaggerat ſiquidem Paulus adimplendum eſſe hoc præceptum mutuæ dilectionis ex parte oblatæ opportunitatis. Eſt itaque ſenſus, & hoc tanto magis adimplere debemus, SCIENTES TEMPVS. *Temporis* nomen hoc in loco accommodum tempus ſignificat, tanquam occaſionem dans recte operandi. Sicut etiam cùm offertur nobis congrua occaſio alicuius negationis, conſueuimus dicere *ecce tempus:* intendentes non tam tempus quàm occaſionem congruam.

Tempus pro occaſione.

Status culpæ nocti & ſomno, gratiæ verò dies & vigilia comparatur. QVIA HORA EST IAM NOS DE SOMNO SVRGERE. pro, *excitari*. Metaphorâ vtitur noctis & diei, ſomni & vigiliæ: comparans ſtatum culpæ nocti & ſomno: ſtatum verò gratiæ, vigiliæ & diei. Et quoniam negligentia ex parte ſtatus culpæ ſe tenens, ſicut ſomnus congruit nocti, & tempus gratiæ ex parte Dei velut diei principium ſe tenet (clarus enim dies vſque ad futuram vitam non erit) ideo tanquam principium diei ſit, dicit quia hora eſt iam nos de ſomno negligentiæ excitari, intendens quod quia ſcimus occaſionem nobis dari ex tempore vt abiiciamus nocturna, oportet nos ſectari diurna, per quæ impletur vniuerſa lex.

NVNC ENIM PROPIOR EST NOSTRA SALVS QVAM CVM CREDIDIMVS. Dictio *quam* non eſt pronomen relatiuum, ſed aduerbium reſpondens comparatiuo *propior*. Aſſignat rationem accommodi temporis ex maiore propinquitate ſalutis modò, quàm quando incepimus credere. Et verificatur propinquitas maior tum ſecundùm tempus: quia continuè accedimus ad mortem in qua erit noſtra ſalus: tum ſecundùm diſpoſitionem meritorum: quia continuè proficimus in meritis. Conſiſtit itaque ratio ſurgendi ab omni neglectu, quia propinquiores ſumus ſaluti æternæ modò quàm cùm incepimus ſurgere à peccato, credendo in Chriſtum.

NOX PRÆCESSIT. peccatorum nox iam præteriit. DIES AVTEM APPROPINQVAVIT. Dies clarus æternæ ſalutis appropinquauit per gratiam. Et vere apropinquauit nobis: quoniam in nobis iam inchoauit, & incrementa continuè ſuſcipit, ſi nos non deſimus gratiæ Dei. ABIICIAMVS ERGO OPERA TENEBRARVM. Ex hoc quòd nox præceſſit, congruè infertur abiectio operum conuenientium tenebris. ET INDVAMVR ARMA LVCIS. Ex hoc quod dies appropinquauit, quòd iam eſt aurora, congruè infertur, *induamur arma lucis*. Opera luci conſona appellauit *arma lucis*: quia non ſolùm ſunt opera, ſed ſunt arma. Et dixit hoc ad differentiam operum tenebrarum: nam peccata quæ ſunt tenebrarum opera (quia *omnis qui malè agit odit lucem*) ſunt tantùm opera noſtra. Æternæ autem ſalutis meritoria opera (quæ appellantur arma lucis) non ſolùm ſunt opera luci conſona, ſed ſunt arma, tum defenſiua, tum offenſiua hoſtium, virtute diuinæ gratiæ. Verſ. 12.

Nox præceſsit, dies appropinquauit.

Arma lucis quænam?

SICVT IN DIE HONESTE AMBVLEMVS. Vna dictio eſt *ſicut*. Conſequenter adiungit præceptum ambulandi contra quietem ſomni, & præceptum modi: dicendo *honeſte ſicut in die*, hoc eſt, quemadmodum exigit dies hominem compoſite incedere. Quamuis enim nox ſit ſomni tempus, ſi tamen contingit nocte ambulare, minus compoſitè incedimus, tanquam nox licentiam tribuat qualitercunque eundi: ſed in die morale eſt omnibus ſe componere, tanquam dies exigat honeſtatem compoſitæ perſonæ. NON IN COMESSATIONIBVS ET EBRIETATIBVS, NON IN CVBILIBVS ET IMPVDICITIIS, NON IN CONTENTIONE ET ÆMVLATIONE. Ecce opera tenebrarum, quorum prima duo ſunt gulæ: duo ſequentia ſunt venereæ rei. *Cubilia* enim honeſto vocabulo opus venereum ſignificant; *impudicitiæ* autem laſciuias tactuum. Duo verò vltima quamuis alterius ſint naturæ, concomitantur tamen prædicta: tam *contentio* ſiue lis (verbo vel facto) quàm *inuidia* interna, crapulationes & venerea comitantur: vt experientia teſtatur, & propterea inter opera nocturna computantur. Verſ. 13.

Cubile hic quid.

SED INDVAMINI DOMINVM IESVM CHRISTVM. Ecce arma lucis, imitari opera Domini Ieſu Chriſti. Poſtquam enim per baptiſmum induti ſumus meritis Chriſti: oportet nos imitatione operum induere nos Verſ. 14.

Ieſu

Ieſu Chriſti patientiâ, manſuetudine, humilitate, charitate, &c. ET CARNIS CVRAM NE FECERITIS IN DESIDERIIS. pro, *in concupiſcentias.* Non prohibet carnis curâ haberi, ſed ad talem finem ſcilicet ad concupiſcentias. Sufficere debet Chriſtiano prouidere carni ad neceſſitates, ad commoditates ſecundum rectam rationem: & non extendat prouidentiam carnis vt concupiſcentiæ poſcunt.

CAPVT XIV.

Verſ. 1. INFIRMVM AVTEM IN FIDE Superfluit *in.* Proſequens Paulus inſtructionem vſus gratiæ, inſtruit in hoc capitulo vſum gratiæ, erga infirmos fide, quoad duo, ſcilicet & quoad actus animæ qui ſunt dicernere & iudicare, & quoad executionem operis habentis annexum ſcandalum: more autem ſuo prius proponit, declaraturus

Infirmus fide quis? poſtea propoſita. *Infirmum fide* (non corpore) appellat eum qui minus adhuc inſtructus in libertate fidei, reputat aliqua ſibi illicita quæ tamen ſecundùm fidei libertatem licita ſunt. Talis enim ideo *infirmus fide* dicitur, quia minus eſt firmatus in iis quæ ſunt libertati fidei. ASSVMITE, hoc eſt, adiungite vobis. Non ſolum non eſſe eiiciendos, ſed etiam iubet adiungendos aliis Chriſtianis. vult enim eos foueri ipsâ adiunctione, vt proficiant in fide. NON IN DISCEPTATIONIBVS COGITATIONVM, pro *non ad diiudicationes diſceptationum.* Ne intelligerent Romani aſſumendos eſſe huiuſmodi infirmos ad diſcernendum, diſputationes hinc inde prohibet non expreſſe Paulus, volens illos aſſumi abſque huiuſmodi iudicio diſputationum. Quare autem hæc dicat, inferiùs ſubiungit. Hæc ſunt quæ proponit ſummariè.

Verſ. 2. ALIVS ENIM CREDIT. Incipit declarare propoſita, inchoans à primis terminis, ſcilicet quem appellat *infirmum*, ſimul explicans materiam diſceptationum. Declarat itaque infirmum fide, aſſignando differentiam inter infirmum & firmum in materia intenta. Et de firmo quidem dicit *alius enim credit:* SE MANDVCARE OMNIA. Superfluit *ſe.* Nec culpandus eſt interpres quòd obſcurè tranſtulit: quia ſic iacet in textu Græco. Senſus tamen eſt, quod alius credit edenda eſſe omnia. Et hic eſt firmus fide, qui libertate fidei fultus, credit quæuis eſſe edenda, nullam faciens differentiam

Qui infirmus eſt olus man-ducat. Cur? inter cibum, & cibum. QVI AVTEM INFIRMVS EST. Non corpore, ſed fide. OLVS MANDVCET, pro *olera manducat.* Ecce quem appellauit infirmum fide, qui diſcernit inter cibum & cibum, diſcernit inter carnem & carnem: & propterea dicit, *manducat olera*: inter quæ nulla eſt diſcretio. Et hinc apparet quòd de Iudæis loquitur conuerſis ad Chriſtum: quorum aliqui integri fide, comedebant omnia quantumcunque prohibita eſſent in lege Iudæorum, alij autem infirmi fide, abſtinebant ab eſu animalium immundorum apud Iudæos: apud quos quia nullum olus immundum erat, ideo deſcribuntur veſci oleribus.

Verſ. 3. IS QVI MANDVCAT, NON MANDVCANTEM NON SPERNAT. Declarato primis terminis cum materia, declarat conſequenter quod ſubiunxerat prohibendo, non in diiudicationibus. Hanc enim particulam modò proſequitur, inhibendo firmo deſpectionem infirmi: dicendo, *qui manducat non manducantem non ſpernat.* *Qui manducat, non manducantem non ſpernat.* Deinde inhibendo infirmo iudicium firmi, cùm ſubiungit, ET QVI NON MANDVCAT, MANDVCANTEM NON IVDICET. Æqua lance librat Paulus vtrumque: pronus eſt enim integer fide (qui omnibus veſcitur) ad ſpernendum ſcrupuloſos: & è conuerſo pronus eſt abſtinens, ad temerariè iudicandum quaſi voracem veſcentem indifferenter omnibus. *Nec è contra.* DEVS ENIM ILLVM ASSVMPSIT. Proſequitur monitionem infirmi vt non iudicet firmum, ex hoc quòd Deus illum firmum aſſumpſit: hoc eſt, ſub ſuo adiunxit dominio. Vbi diligentius aduerte quòd non eſt hic ſermo de dominio communi quo Deus Dominus eſt omnium, nec de dominio ſpeciali quo eſt Dominus eorum qui ei ſponte ſeruiunt: ſed eſt ſermo de dominio ſpecialiſſimo, quo ſolus Deus eſt Dominus occultorum cordis. Ad quod dominium ſpectat iudicium operum ſecundùm ſe licitorum, inquantum pendent ex corde operantis. Vnde ad hoc dominium ſpectant integri fide indifferenter veſcentes omnibus: pro eo, bonóne an malo animo hoc faciant. Quoad hoc enim ſolius Dei ſunt ſerui, ſoli diuino iudicio reſeruantur: nec poſſunt à quouis homine iudicari. De hoc itaque dominio ac iudicio intellige textum hunc.

TV QVIS ES QVI IVDICAS ALIENVM SERVVM? Verſ. 4.
Ad ſimilitudinem alieni ſerui deſcribitur homo firmus qui iudicatur vorax, non diſcernens inter cibos. DOMINO SVO STAT, AVT CADIT. Occurrit obiectioni excuſantis temeritatem iudicij propter vtilitatem fratris. Ac ſi apertiùs dixiſſet, non tua intereſt: nam alienus ſeruus Domino ſuo ſtat, quamdiu ſtat, & Domino ſuo cadit, ſi caderet. Hæc tamen de alieno *Neque noſtrũ* ſeruo applicata ad propoſitum non ſic ſunt in- *ſtare prodeſt,* telligenda, vt noſtrum ſtare proſit Deo, aut ca- *neque* [illegible] dere noſtrum noceat Deo: quoniam vtrumque *cadere nocet Deo* eſt falſum, loquendo de Deo ſecundùm ſe: & vtrumque eſt verum loquendo de gloria Dei ad extra: hæc enim ſuſcipit augmenta, & decrementa. STABIT AVTEM, pro *ſtabilietur autem.* In fauorem firmorum adiungit hoc Paulus. Et meritò: quoniam Deus propenſus eſt ad promouendum conceſſa bona. POTENS EST ENIM DEVS STATVERE ILLVM. Ne intelligeres quod *Perſeuerãtia* propriis viribus, aut etiam meritis ſtabiliatur *à Deo ſolo.* homo, diuinam affert potentiam: vt intelligamus quod ſolâ diuinâ potentiâ conceditur perſeuerantia: nulla ſiquidem eſt in homine virtus ſufficiens ad hoc: vt patet ex eo quòd quilibet viator poteſt cadere: hoc enim reſeruatur diuinæ gubernationi potentiſſimæ ad præſeruandum ne cadamus.

NAM ALIVS, pro *alius quidem.* IVDICAT Verſ. 5.
DIEM INTER, pro *iuxta*, ſeu *ad*, ſeu *præter*. DIEM, ALIVS IVDICAT OMNEM DIEM. Explicauerat firmum & infirmum in materia cibi, explicat modò eoſdem in materia dierum. In his enim *Infirmus cir-* duobus apud Iudæos diſcretio conſtituta erat: *ca dies, ſeu* nam & ſecreti ſunt cibi mundi à cibis im- *tempus.* mundis, & dies feſtales à diebus non feſtiuis. Diſcernens enim inter diem & diem, appellatur [illegible] *ad*, ſeu *iuxta*, ſeu [illegible]

diem: qui autem omni die indifferenter vtitur, dicitur iudicans omnem diem, quaſi æquans omnem diem. Sicut enim dictum eſt, de Iudæis conuerſis eſt ſermo iſte: quorum aliqui libertatem Chriſtianam à legis Moyſi inſtitutis ſectabantur, aliqui verò ſeruabant Sabbathum inſtitutum in lege Moyſi, & hæc ſunt materiæ diſceptationum, de quibus ſcilicet diſputabant. VNVSQVISQVE IN SVO SENSV ABVNDET. *vnuſquiſque propriæ menti ſatiſfaciat.* Neutros vituperat aut damnat Paulus. Et rationẽ ſubdit:

Verſ.6. QVI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT. Deeſt hic contraria: videlicet, *Et qui non ſapit diem Domino non ſapit.* vterque militat Domino, tam iudicans inter diem & diem, quam æquans omnem diem.

Vbi aduerte quod dictio interpretata *ſapit*, eſt illa dictio ſpectans ad partem cognoſcitiuam, quæ fortè adhuc non inuenit vocabulum proprium Latinum. Vnde dici poteſt qui cogitat, qui ſentit, qui curat diem, &c. ET QVI MANDVCAT, DOMINO MANDVCAT: GRATIAS ENIM AGIT DEO, ET QVI NON MANDVCAT, DOMINO NON MANDVCAT, ET GRATIAS AGIT DEO. Aduerte prudẽs lector quod prima ratio circa mãducationem ſumpta ex ſimilitudine alieni ſerui, propria fuit contra temerarium iudicium: hæc autem communis eſt, & contra iudicium, & contra deſpectionem in materia cibi, & ſimiliter in materia dierum. Et propterea omnia hic Paulus complectitur, monſtrans vniuerſa hæc quatuor poſſe abſque peccato fieri, modò referantur ad Deum. Et quòd hoc ſit verum, declarat ex ſimilibus, ſcilicet *viuere & mori.* Poſſumus enim tam vitã quàm morte vti relatiuè ad Deum, & pari ratione poſſumus & mãducare, & abſtinere, & diſcernere, & æquare dies, vti relatiuè ad Deum. Minus dico, quoniam Paulus non loquitur de poſſe, ſed de facto. Et meritò: quoniam loquitur in prima perſona, vt intelligamus quod de ſibi ſimilibus, (hoc eſt, in Dei gratia, & charitate conſtitutis) loquitur: tales enim ſe, & ſua omnia dedunt Deo. Et propterea de his dicit:

Verſ.7. NEMO ENIM NOSTRVM SIBI VIVIT, ET NEMO SIBI MORITVR. Hoc eſt dictu quòd nullus nobis ſimilis, nullus vere Chriſtianus vita ſuã vtitur propter ſe, ſed eam dirigit ad Dei gloriam, & ſimiliter nullus eligit mori propter ſe, ſed propter Dei gloriam. Et iuxta hunc ſenſum intellige ſequentia:

Nemo noſtrũ ſibi viuit, nemo ſibi moritur, ſed Domino.

Verſ.8. SIVE ENIM VIVIMVS, DOMINO VIVIMVS: SIVE MORIMVR, DOMINO MORIMVR. Ex quo infert, SIVE ERGO VIVIMVS, SIVE MORIMVR, DOMINI SVMVS. Ex quo tam vitam, quam mortem noſtram propter Deum diligimus, conſequens eſt quòd nos ipſi ſumus non noſtri met, ſed Domini. Quod & congruit fini ipſius Chriſti.

Verſ.9. IN HOC ENIM CHRISTVS MORTVVS EST, ET RESVRREXIT, VT ET VIVORVM, ET MORTVORVM DOMINETVR. Et vtraque via concludit Paulus nos eſſe Chriſti, prius enim concluſit ex hoc quod Domino viuimus & morimur: modò autem idem infert ex hoc quòd Chriſtus ad hoc ipſum mortuus eſt, & reſurrexit vt Dominus ſit viuorum, atque mortuorum. Aduerte quod in textu Latino poſt *reſurrexit*, deeſt *&* *reuixit.* Quod adiunxit Paulus ad ſignificandum quod non ſurrexit iterũ moriturus quemadmodũ Lazarus: ſed quod reſurrexit ad hoc vt reuiueret.

TV AVTEM QVID IVDICAS FRATREM TVVM? Verſ. 10.
Declarata immunitate à peccato in vniuerſis his quatuor, rationem communem aduerſus omnes tam iudicantes, quam ſpernentes in vtraque materia affert. Et primò alloquitur infirmum: tu autem infirme in vtraque materia, quid iudicas fratrem tuum firmum? Deinde alloquitur firmum. AVT TV QVARE SPERNIS FRATREM TVVM? Infirmum, OMNES ENIM STABIMVS ANTE TRIBVNAL CHRISTI. Ex eo quòd commune erit omnibus puniri ſi peccamus, monet omnes abſtinere à peccato temerarij iudicij & deſpectionis.

Decet abſtinerum à iudicio temerario & deſpectione.

Nec contrariatur hæc Pauli ſententia verbis Domini promittentis, *ſedebitis ſuper ſedes duodecim*, &c. Vtrumque ſiquidem eſt verum: nam omnes ſiſtemur Chriſti iudicio quoad pœnam, vel præmium: non omnes autem ſtabunt, ſed quidam ſedebunt, & quidam ſtabũt quoad diſcuſſionem. Quorum enim merita omni ſunt exceptione maiora, ſedebunt: mediocres autem & imperfecti (vtpote diſcutiendi) non ſedentes, ſed ſtantes prædicũtur. In relatione ergo ad pœnam & præmium Paulus loquitur.

SCRIPTVM EST ENIM. Eſai.45. VIVO EGO DICIT DOMINVS. Vbi textus habet, *In memetipſo iuraui.* Sed idem eſt; quia ille erat iurandi modus tunc temporis: homines enim iurabant, *viuit Dominus*: Deus autem iurat per ſeipſum, *viuo ego.* Reliqua ſunt clara. Quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Verſ. 11.

Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe Verſ. 12.
rationem reddet Deo

Non ergo amplius inuicem iudice- Verſ. 13.
mus. Sed hoc iudicate magis. Poſtquàm inſtruxit in infirmitate fidei cauenda eſſe iudicium temerarium, & deſpectionem, modò inſtruit vt caueant ab executione operis habentis annexum ſcandalum. Et continuat iudicium iudicio. Non exerceamus iudicia perſonarum, ſed iudicate hoc potiùs, ſed tranſite ad iudicium operis. Et explicando qualis operis, ſubiungit, NE PONATIS OFFENDICVLVM FRATRI, VEL SCANDALVM. Inter offendiculum & ſcandalum neſcio differentiam niſi Græcæ & Latinæ dictionis. Et propterea Latine legendum cenſent, OFFENSIONEM FRATRI, VEL OFFENDICVLVM: vt offenſio referatur ad opus faciens ſtatim impactionem offendiculũ verò ad opus quod poteſt parere impactionem. Cum enim aliquis præſentibus infirmis quos nouit ſcandalizari ex ſua comeſtione comedit, ponit offenſionem: cùm verò abſentibus talibus hoc facit, ponit offendiculum: quoniam in primo caſu ſimul eſt actus & offenſio: in ſecundo autem poteſt ſequi & non ſequi impactio. Et dicendo *ne ponatis*, explicat quod non de credere, aut iudicare, ſed de executione operis loquitur: hactenus enim tractauit actiones animi, quæ ſunt credere, iudicare, & ſpernere: modò autem deſcendit ad facta.

Cauendũ ab opere habente annexum ſcandalum.

Offenſio & offendiculum in quo differant?

SCIO ET CONFIDO, pro, *& perſuaſus ſum*, IN DOMINO IESV, QVIA, pro *quod*, NIHIL COMMVNE PER IPSVM. Determinat Paulus ſe ſecundum Chriſti ſcientiam noſſe nihil eſſe *commune*, hoc eſt, immundum. Vtitur vocabulo apud Hebræos ſolito, ad ſignificandum immundum: vt etiam hinc perpendamus de qua Verſ.14.

materia

materia loquitur. Dictio autem interpretata per *ipſum*, anceps eſt ad *per ipſum*, vel *per ſe*. Et ſi legitur *per ſe*, refertur materia. Et eſt ſenſus, nullus cibus, nullum tempus eſt immundum per ſe hoc eſt, ſecundum ſe, omnis enim creatura Dei bona eſt. Si autem legitur *per ipſum*, refertur Chriſtus. Et eſt ſenſus quòd per Chriſtum nihil eſt immundum: donauit ſiquidem Chriſtus omnes hac libertate legalium: & nullum cibum vetuit, nullum tempus diſcreuit. NISI EI QVI EXISTIMAT ALIQVID COMMVNE ESSE, ILLI COMMVNE EST. Secundùm ſe, ſeu per Chriſtum nihil huiuſmodi eſt immundum: veruntamen ex conſcientia alicuius reputantis aliquem cibum immundum, illi redditur immundus. Ita quòd abſolutè nullus cibus eſt immundus, relatus autem ad conſcientiam exiſtimantem immundum, aliquid eſt immundum illi. Cibus enim non propter conſcientiam redditur immundus: ſed illi redditur immundus, redditur illicitus ex propria conſcientia. Hinc habes à Paulo quòd conſcientia erronea ligat. Et in promptu eſt ratio: quia habet illud pro illicito.

Nullus cibus ex ſe eſt immundus.

Verſ. 15. SI AVTEM PROPTER CIBVM. Monet quadruplici ratione ad id quod propoſuit; ſcilicet ne ponatur offendiculum fratri. Prima ratio ex parte dilectionis debitæ fratri ſic tenet. Si autem propter cibum FRATER TVVS CONTRISTATVR, IAM NON SECVNDVM CHARITATEM AMBVLAS. Et eſt ſenſus. Si propter tuum cibum indifferentem frater tuus infirmus fide contriſtatur, tanquam videns aliquid illicitum, tu qui non curas de triſtitia eius, non ambulas ſecundùm dilectionem, quâ debes proſequi fratrem, quâ debes cauere ne triſtitiâ illum afficias. Triſtitia enim quoddam malum eſt.

A ſcandalo fratris quadruplici ratione cunctandum monet.

Prima.

NOLI CIBO TVO ILLVM PERDERE, pro *ne cibo tuo illum perdas*, PRO QVO CHRISTVS MORTVVS EST. Secunda ratio ex parte dilectionis exhibitæ fratri à Chriſto, ſic tenet: & commemorat dilectionem tantam vt pro illo mortuus fuerit: apertè monens quòd redemptum tanto pretio, quantum eſt mors Chriſti, ne perdas ob tam minimam rem, ſcilicet cibum. Perdi autem dicitur, vel propter peccatum ſcandali paſſiui, vel propter periculum apoſtaſiæ. Huiuſmodi enim infirmi poſt triſtitiam prorumpunt in temeraria iudicia: & quandoque retrocedunt à fide, exiſtimantes Chriſtianos non ſecundùm Deum viuere.

Secunda.

Verſ. 16. NON ERGO BLASPHEMETVR BONVM NOSTRVM, pro *veſtrum*. Tertia ratio ex parte ſtatus (quia ſcilicet ſtatus Chriſtianus eſt regnum Dei) ſumitur. In qua artificiosè vertit Paulus rationem Chriſtianorum liberè viuentium aduerſus eos. Tuebantur enim libertatem vitæ ſuæ ex eo quòd inchoauerat tempus regni Dei, quod eſt liberum ab omnibus huiuſmodi legalibus, & propterea tanquam regno Dei vtentes, liberè viuebant. Retorquet Paulus rationem ex parte regni Dei aduerſus eos, tum declarando, quod regnum Dei principalius conſtat ex internis virtutibus, & ſecundario habet huiuſmodi libertates cibi, & potus: ac per hoc vt vacent iis in quibus ſubſtantialiter conſiſtit regnum, & non huiuſmodi annexis, & velut accidentalibus libertatibus. Tum declarando vitandum eſſe periculum infamiæ, imò blaſphemiæ in ſtatum Chriſtianum: audientes ſiquidem quòd prætextu regni Dei veſcimini quibuſcumque, vituperant, imò blaſphemant regnum Dei, tanquam regnum cibi & potus. Vnde ad vitandam hanc blaſphemiam, monet vt abſtineant potius quàm tali libertate vtantur.

Tertia.

NON EST ENIM REGNVM DEI ESCA ET POTVS: non conſiſtit ſubſtantiale regni Dei in libertate, ſeu potiùs in vſu libertatis eſcæ, & potus indifferenter. SED IVSTITIA, ſed ſubſtantiale regni Dei eſt iuſtitia reddens vnicuique debitum. ET PAX, tranquillitas ſine occaſione perturbandi quemcunque. ET GAVDIVM. Hæc enim tria interna, ſcilicet iuſtitia continens omnem virtutem; & pax tollens omnem perturbationem, tam intùs, quàm extrà; & gaudium non ſeculare, ſed IN SPIRITV SANCTO, perficiunt ſubſtantiam regni Dei, tam in ſingularibus hominibus, quàm in collegiis. Appellatur enim regnum Dei quo Deus regnat in nobis: conſtat ſiquidem quòd internis virtutibus regnat in nobis, & per ipſas ſimus partes regni Dei. Verſ. 17.

Regnum Dei non eſca & potus.

Subſtantia regni Dei ex tribus perficitur.

QVI ENIM IN HOC, pro *in his*, ſcilicet iuſtitia, pace, & gaudio in Spiritu ſancto. SERVIT CHRISTO, PLACET DEO, ET PROBATVS EST HOMINIBVS. Ecce probatio quòd in his conſiſtat regnum Dei. Regnum ſiquidem Dei, & gratum eſt Deo, & probatum hominibus: vtramque autem conditionem habet qui in his ſeruit Chriſto, regnum igitur Dei in his conſiſtit. Verſ. 18.

ITAQVE QVÆ PACIS SVNT SECTEMVR. Quarta ratio ſumitur ex parte operis diuini: hoc eſt, ex parte mutuæ ædificationis ac pacis. Mutua ſiquidem ædificatio eſt opus Dei: ad quod ſeruandum incumbere debemus. Quod directè deſtruit qui ſcandalizat. Huius itaque rationis primò quod eſt illud opus Dei ſub ſpecie ſectandi declarat dicendo: *itaque quæ pacis ſunt ſectemur*. ET QVÆ ÆDIFICATIONIS SVNT INVICEM CVSTODIAMVS. Superfluit ſunt & cuſtodiamus. Legendum eſt, ET QVÆ ÆDIFICATIONIS MVTVÆ. Subauditur enim *ſectemur*. Verſ. 19.

Quarta.

NOLI PROPTER ESCAM DESTRVERE REGNVM DEI, pro *ne propter eſcam deſtruas opus Dei*, ſcilicet ædificationem mutuam, ac pacem. Et cùm omnia opera tam naturæ, quàm animæ ſint opera Dei, ſingulariſſimè tamen mutua ædificatio ac pax appellatur opus Dei: tum quia hoc eſt proprium diſcipulorum Chriſti: dicente ipſo: *In hoc cognoſcent homines quod diſcipuli mei eritis*, &c. Tum quia pax eſt etiam propria ipſi; dicente ipſomet: *Pacem meam do vobis*. OMNIA QVIDEM SVNT MVNDA. Si ſuperiùs dicta perſpiciantur, Paulus dixit & omnia eſſe licita tam quæ firmorum, quàm quæ infirmorum ſunt: & nihilominus prohibuit multis rationibus firmos quidem à ſuæ libertatis vſu propter ſcandalum, & prohibuit infirmos à iudicando: ideo modò concludendo declarat licita, vel illicita firmis, & deinde infirmis. Reſumit ergo in primis quòd omnia ſunt munda, quòd omnia ſunt licita ſecundùm ſe, & abſolutè, tam manducare, quàm non manducare, &c. Et hoc reſumit communiter tam firmis quã infirmis. Deinde ſpecialiter ad firmos quid bonũ, & quid malum per accidens (hoc eſt, ratione ſcandali) dicendo, SED MALVM EST HOMINI QVI PER OFFENDICVLVM MANDVCAT. Et eſt ſermo de bono & malo morali, clare dicens malũ eſſe Verſ. 20.

Pax ſingulariſſimè dicitur opus Dei.

Ioan. 13. 35.

Ioan. 14. 27.

Comeſtio aliqua mala propter ſcandalum.

actum manducandi ratione accidentis offendiculi.Et è conuerſo.

Verſ. 21. Bonvm est non mandvcare carnem, et non bibere vinvm : & vniuerſaliter. Neqve in qvo frater tvvs offenditvr, pro *offendit*, hoc eſt,impingit. Avt scandalizatvr. Quod Latinè dicitur *offenditur.* Videtur Paulus per hæc duo (*offendit*,aut *offenditur*) ſignificare, aut differentiam ſuperiùs dictam inter ſtatim impingentem, & cum cui occaſio datur impingendi, quamuis non impingat.: aut ſignificare differentiam eorum qui ſcandalizantur, penès hoc quod alij de facto impingunt, alij excitantur ad impingendum. Quæ duæ differentiæ ferè in idem redeunt : quoniam ſolùm differunt penes propè, vel non propè. Avt infirmatvr. Etiamſi non impingat, etiamſi non ſit periculum quòd impingat, ſed hoc ſolum habeat infirmus quòd infirmatur fide, in huiuſmodi bonum eſt abſtinere. Nominauit autem *carnem* & *vinum*, quæ ſunt præcipua inter appetibilia cibi & potus: vt ex his intelligas quemcunque cibum, & quemcunque potum.

Carne & vino quicũque cibus & potus intelligitur.

Verſ. 22. Tv fidem habes. Obuiat obiectioni quà aliquis potuiſſet dicere; Ego comedo quæcunque ſpectant ad profeſsionem fidei meæ.Huic obiectioni occurrit, tu fidem habes rectam de libertate ciborum. Penes teipsvm habe coram Deo.hoc eſt, non opere tali ipſum profitearis coram hominibus,ſed ſufficit tibi habere illam coram Deo. Et dicit hoc Paulus,quia opus hoc non eſt de neceſsitate fidei : vt patet de ĳs qui veſcuntur ſolo pane & aquâ.

Beatvs qvi non ivdicat semetipsvm in eo qvod probat.Poſtquam monſtrauit firmis quid eſt eis per accidens bonum, vel malum, monſtrat modò infirmis quibus prohibuerat iudicium, quid eſt eis bonum & malum : imò quid beatum & quid miſerum.Et quoad actum iudicij, beatos eos eſſe dicit ſi abſtinent non ſolum à iudicando alios in materia diſceptabili,ſed etiam ſi abſtinent à iudicando ſeipſos in materia certa & laudata. Vult enim eos eſſe imitatores ſui, id eſt Pauli,qui dicebat, *Nihil mihi conſcius ſum ,ſed tamen neque meipſum iudico.* Tales iubet eſſe infirmos, vt etiam in omnibus operibus probatis (hoc eſt,laudatis) abſque diſceptatione non ſeipſos iudicent.non ſibiipſis ius dicant iuſtificando ſeipſos, ſed relinquant iudicium Deo : & ſic non ſolùm bene,ſed beate agent.

Verſ. 23. Qvi avtem discernit, inter cibum & cibum. Declarat quid miſerum euenire poteſt iſtis infirmis.Si mandvcaverit,quod reputat illicitum.Damnatvs est. Ecce miſeria.Qvia non ex fide. Omne avtem qvod non est ex fide, peccatvm est. Non caret quæſtione hæc Pauli ratio, eo quòd multa opera humana non ex fide fiunt; & tamen peccata non ſunt. Cùm enim Gentiles reddunt depoſita, aut debita creditoribus, & ſimilia alia opera bona ex ſuo genere exercent,non peccant : & tamen non ex fide operantur.

Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Quo ſenſu Solutio eſt duplex. Altera quod *non ex fide*, poteſt ſumi negatiue,vel cõtrarie:obiectio autem procedit intelligendo *negatiue*:Paulus autẽ intendit *contrarie*.Infirmi enim fide,contra dictamen fidei ſuæ comedunt quæ illicita reputant:& propterea abſque dubio peccant.

Altera eſt ſumendo *non ex fide* negatiuè, in genere tamen operum quæ debent procedere ex fide.Ita quòd ſenſus eſt : omne quod debet procedere ex fide,& non eſt ex fide,peccatum eſt. Et hic ſenſus eſt magis literalis : quoniam non trahit negationem in contrarietatem, & quadrat materiæ : vniuerſus ſiquidem huius capituli ſermo eſt de operibus natis ex fide procedere:libertas enim ab immundis, & diſcretio inter mũdum & immundũ,ad fidem manifeſtè ſpectant. Quocirca quia huiuſmodi manducare procedere debet ex fide, & non procedit.ex fide,peccatum manifeſtè eſt. Et ſimile eſt vniuerſaliter de omnibus quæ debent ex fide procedere. Vnde patet ceſſare obiectionem de operibus bonis ſecundum ſuum genus quæ exercent Gentiles : nam illa ex recta ratione ſuapte natura procedunt, etiamſi fides non adſit.

Aduerte prudens lector hæc Pauli dicta intelligi de illicitis ſecundum completam rationem illiciti, hoc eſt quòd huiuſmodi infirmi reputent aliquos cibos ſeu dies illicitos ſecundum completam rationem peccati: quod tantummodo eſt peccatũ mortale.Si quis enim reputaret illicitum vt veniale,& tamen comederet, non niſi venialiter peccaret. Et ſimiliter intellige de ponere offendiculum formaliter ſecundum propriam rationem ſcandali ad ruinam mortalem alterius. Patet autem hunc eſſe ſenſum Pauli, ex eo quòd manifeſtè dicit, *ne perdas illum pro quo Chriſtus mortuus fuit*. Et turſus:*qui autem diſcernit ſi manducauerit, damnatus eſt*.

CAPVT XV.

Debemvs avtem nos. Propoſuerat in principio 14.c.*infirmum fide aſſumite*, non ad diiudicationes diſceptationum : & tractatis particulis cæteris,declarat modò illã quæ ſupererat, ſcilicet *aſſumite*. Tractat autem hanc particulam in prima perſona pluraliter:tum propter difficultatem actionis,tum ad diſcernendum perfectiores ab aliis : vt intelligeremus præceptum hoc ad viros dirigi perfectiores:vnde ſeipſum aliis connumerans non ait,bene facimus, ſed *debemus*:ad ſignificandum non ſpectare ad bonum ſupererogationis, ſed ad debitum. Firmiores, pro *potentes* ſpiritu, & actibus virtutum. Imbecillitates,pro *infirmitates*. Infirmorvm,pro *impotentium*.Appellantur infirmitates impotentium non ægritudines corporũm inualidorum,ſed ægritudines animi, quibus ſubiiciuntur minus ſpirituales, & minus præditi virtutibus, quales apparent innumeræ inter oues Chriſti. Svstinere,pro *portare*, quòd multipliciter adimpletur : quandoque tolerando,quandoque compatiendo, quandoque opem ferendo verbo & exemplo,vel etiam opere.Et non nobis placere.Deeſt *ipſis*. Legendum eſt,*Et non nobiſipſis placere*.Duo officia debita Paulus indicit perfectioribus.Alterum eſt affirmatiuum, ſcilicet portare infirmitates inualidorum.Alterum eſt negatiuum, ſcilicet & non nobiſipſis placere. Et adiunxit hoc negatiuum, quia eius contrarium præſtat impedimentum

Verſ. 1.

Perfectioribus duo iniunxit Apoſtolus.

Imbecillitates infirmorum hic quanam

dimentum præceptæ affirmationi : diſplicent ſiquidem nobis naturaliter aliorum defectus: & ideo ſi, quæ nobis inſunt placita, proſequimur, non portabimus aliorum defectus. Ad tollendum itaque impedimentum portandi aliorum infirmitates, optimum adhibuit remedium non ſequi quæ nobis ſunt placita. Vtrunque horum difficile eſt inſuetis operibus adimplere : & tamen eſt debitum.

Verſ. 2. VNVSQVISQVE VESTRVM. pro, *noſtrum*. Retrogrado ordine hæc duo proſequitur Paulus. PROXIMO SVO. Superfluit *ſuo*. PLACEAT IN BONVM AD ÆDIFICATIONEM. Declarat quo ſenſu dixit quod nobiſipſis non placeamus in huiuſmodi toleratione infirmorum : & contra non nobiſipſis placere, dixit quod vnuſquiſque noſtrum placeat proximo. In quo docet ſtudium noſtrum debere eſſe in huiuſmodi ad placendum proximo, etiamſi nobiſipſis diſpliceat.

Quiſque proximo ſuo placeat.

Duo grana ſalis apponit.

Verùm duo grana ſalis apponit. Alterum ex parte materiæ, dicendo *in bonum* : vt intelligamus in materia bona, vel ſaltem non mala, relata tamen ad bonum placendum eſſe proximo, ita quod actio placentis non ſit mala, ſed bona. Alterum eſt, *ad ædificationem*, præter bonum actionis in ſe, habeat quoque quod ſit vtilis ad ædificationem : huc enim tendit toleratio defectuum : vt, ſcilicet ſit illis ad ædificationem. Et cum hoc ſit bona & placens proximo.

Verſ. 3. ETENIM CHRISTVS NON SIBI PLACVIT. Probat dictum exemplo Christi, SED SICVT SCRIPTVM EST. *Pſal. 69.* IMPROPERIA IMPROPERANTIVM TIBI, CECIDERVNT. pro, *inciderunt*, SVPER ME. Et afferuntur hæc verba in perſona Chriſti directa ad Patrem. In quibus manifeſtè apparet Chriſtum non elegiſſe ea quæ ſibi placebant, ſed quæ ſummè diſplicebant, ad ædificationem Eccleſiæ. Et eſt ſermo de placere & diſplicere ſecundùm naturalem affectum voluntatis. Sic enim dicimus mortem, flagella, crucem, opprobria, & reliqua huiuſmodi diſplicuiſſe Chriſto : quæ tamen dilectione ſummâ propter noſtram ſalutem elegit & quæſiuit pati.

Verſ. 4. QVÆCVNQVE ENIM SCRIPTA SVNT. pro, *præſcripta ſunt*, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SVNT. pro, *præſcripta ſunt*. VT PER PATIENTIAM. in malis. ET CONSOLATIONEM. in bonis, SCRIPTVRARVM. hoc eſt, in ſcripturis ſacris commemoratam ſeu doctam. SPEM HABEAMVS. Ecce finis doctrinæ ſacræ : confidere in Deo tam in aduerſis quàm in proſperis.

Finis doctrina ſacra eſt, vt confidamus Deo tam in aduerſis quàm in proſperis.

Verſ. 5. DEVS AVTEM PATIENTIÆ ET SOLATII. pro, *conſolationis*. Adiungit Paulus preces ad Deum pro Romanis ad effectum adimplendi hoc mandatum, & ad propoſitum inuocat Deum auctorem patientiæ neceſſariæ ad tolerandum, & conſolationis neceſſariæ ad complacendum proximo. DET VOBIS IDIPSVM. pro, *idem*, SAPERE. Dictio illa tam frequenter diuerſimodè interpretata eſt : & hoc in loco rectius diceretur *ſentire*. IN ALTERVTRVM. Petit identitatem mutui ſenſus interni, non qualitercunque, ſed adiungendo formam. SECVNDVM IESVM CHRISTVM.

Verſ. 6. VT VNANIMES. pro, *vnanimiter*. Non ſolùm petit eundem ſenſum in parte cognoſcitiua, ſed eundem animum in parte affectiua: & quod plus eſt, IN VNO ORE. etiam exteriorem concordiam precatur. HONORIFICETIS. pro, *glorificetis*, DEVM ET PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

PROPTER QVOD ASSVMITE. Tractat primam particulam, ſcilicet *debemus nos potentes ſ. firmitates impotentium portare*. Et vt diximus, non placere ſibiipſi hominem, impedimentum tollit portandi defectus alienos : ſtudere autem ad placendum proximo in bonum ad ædificationem, proxima cauſa eſt portandi alienos defectus : propterea Paulus ſublato impedimento, & appoſitâ cauſâ redit ad propoſitum præceptum, inferendo, *propter quod aſſumite*. INVICEM, Deeſt, *vos*, SICVT ET CHRISTVS SVSCEPIT, pro *aſſumpſit*, VOS, pro, *nos*, IN HONOREM, pro, *in gloriam Dei*. Ordo literæ eſt, *propter quod aſſumite vos inuicem in gloriam Dei, quemadmodum & Chriſtus aſſumpſit nos*. In quo ſimul declarat quid ſignificet huiuſmodi *aſſumere*, ſcilicet ſimilem aſſumptionem illi qua Chriſtus aſſumpſit nos, quæ fuit pati pro nobis, compati nobis, conſolari nos, inſtruere & docere, inſuper & ſocium ſe exhibere, &c. hæc autem ad gloriam Dei ordinari à nobis præcipit, vt etiam in hoc imitemur Chriſtum. Verſ. 7.

DICO AVTEM CHRISTVM IESVM. Declarat quod dixerat *ſicut & Chriſtus aſſumpſit nos*, prius quoad nationem Iudæorum, & deinde quoad gentes nonnullam in modo differentiam ſignificans. MINISTRVM FVISSE CIRCVNCISIONIS. Hoc eſt perſonaliter functum fuiſſe officio miniſtri reſpectu nationis Iudæorum, iuxta verbum ipſius, *non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*. Conſtat enim Chriſtum Ieſum miniſtraſſe ſoli nationi Iudæorum, tum verbum doctrinæ, tum operationes miraculorum, tum conuerſationem ſocialem. PROPTER VERITATEM DEI AD CONFIRMANDAS PROMISSIONES PATRVM. Ecce ratio propria quare Chriſtus ſolos Iudæos aſſumpſit hoc modo, ſcilicet miniſtrando perſonaliter. Veracitas ſiquidem Dei ſeruans promiſſa patribus cauſa propria eſt. Promiſerat ſiquidem Deus patribus daturum ſe illis ex & in proprio genere Meſſiam. Verſ. 8.

Soli nationi Iudæorum doctrinam & miracula miniſtrauit ipſe Chriſtus.

Cur

GENTES AVTEM SVPER MISERICORDIA HONORARE. pro, *glorificare*, DEVM. Quia huiuſmodi promiſſio non fuerat facta gentibus, ideo ratio illa fundata ſuper veritatem Dei non habet locum, vt ſimili modo Chriſtus aſſumeret gentes. Et propterea Chriſtus non fuit in propria perſona miniſter gentium, ſed per diſcipulos ſuos aſſumpſit eas. Et quemadmodum differentia eſt in hoc modo, ita eſt differentia in ratione. Ratio ſiquidem illius modi aſſumendi Iudæos, eſt veritas ſeu fides ſeruans promiſſa patribus Iudæorum : ratio autem aſſumendi gentes eſt miſericordia. Et eſt ſermo de miſericordia vt diſtinguitur contra veracitatem dictæ promiſſionis, quæ tamen miſericordia non fuit repentina, ſed etiam longe antè per prophetas prænuntiata. Et propterea hîc dicitur quod gentes ſic aſſumptæ ſunt à Chriſto vt ſuper miſericordia glorificent Deum. Et adiungitur, SICVT SCRIPTVM EST, PROPTEREA CONFITEBOR TIBI IN GENTIBVS DOMINE. Superfluit *domine*. ET NOMINI TVO CANTABO. Sententia hæc ſumpta eſt ex fine Pſal. 18. Et ſunt verba Dauidis poſtquam gratias egit Deo pro ereptione ab omnibus inimicis ſuis & ſui Verſ. 9

Iudæi aſſumpti in veritate ſeu fide, Gentes vero in miſericordia.

ſublimatione. Terminat ſiquidem gratiarum actiones ad futurum beneficium Meſſiæ ſibi iam promiſſi: vt receptis beneficiis accumulet ſummum beneficiorum recipiendum. Vnde ad literam textus ille loquitur de tempore Meſſiæ: prophetat enim Dauid ſe confeſſurum Deum per filium ſuum Meſſiam in gentibus, & cantaturum nomini diuino. Quod ad literam quotidie impleri videmus: dum quotidie Dauid laudat Deum & cantat nomen diuinum vbique gentium per ſuos pſalmos. Quod proculdubio Meſſias & fecit & facit.

Verſ. 10. ET ITERVM DICIT, LÆTAMINI GENTES CVM PLEBE. pro, *populo* EIVS. Sententia hæc ex Eſaia ſumpta videtur. In his tamen verbis non inuenitur: & credimus Paulum ſenſum non verba attuliſſe: fortè in Hebræo ſunt, quæ non habemus ſic interpretata.

Verſ. 11. ET ITERVM, LAVDATE DOMINVM OMNES GENTES, ET MAGNIFICATE. pro, & *ſuperlaudate* EVM, OMNES POPVLI. Verba hęc Pſalmi ſunt 117. ad literam de ſalute gentium per Meſsiam ſcripti. Et propterea inuitantur gentes omnes ad laudandum Deum.

Verſ. 12. ET RVRSVS, Eſaias ait cap. 11. ERIT RADIX IESSE, ET QVI EXVRGET REGERE GENTES pro *imperare gentibus*: Vtraque Chriſti natura prophetatur. Humana quidem, dicendo *radix Ieſſe*: fuit enim Ieſſe pater Dauidis. Et Meſsias apellatur *radix Ieſſe*, hoc eſt, ex radice, ex virtute generatiua Ieſſè, pro quanto ſecundum humanam naturam inde duxit originem. Diuina autem ex eo quòd dicitur copulatiuè & *qui exurget*, à mortuis, ad imperandum gentibus, Quæ etiam magis explicatur cùm ſubiungitur, IN EO GENTES SPERABVNT. Ita quòd incarnatio, reſurrectio, regnum, deitaſque Chriſti ſignificantur ad gentes.

Incarnatio Chriſti refertur hic ad gentes.

Verſ. 13. DEVS AVTEM SPEI. Quemadmodum mandato negatiuo adiunxit preces pro Romanis, ita etiam mandato affirmatiuo adiunxit preces pro eiſdem. Inuocat autem Deum auctorem, rationem & finem ſpei, ad continuandum preces ſuas cum fructu prophetato ab Eſaia, præter hoc quòd adimpletio mandati oportet quòd innitatur ſpei. REPLEAT VOS OMNI GAVDIO ET PACE IN CREDENDO. Egent portantes defectus aliorum his duobus præcipuè: ſcilicet gaudio & pace, ne ipſum portare triſte ſit, nec perturbet mentis tranquillitatem. Addit autem *in credendo*, vt tam gaudium quàm pacem ſuper fidem ſtabiliri poſcat. VT ABVNDETIS IN SPE. ET, pro, *in*, VIRTVTE SPIRITVS SANCTI. Ecce finis propter quem petit pacem & gaudium in credendo, abundantiâ ſpei, non quæ innititur virtuti humanæ, ſed quæ innititur virtuti Spiritus ſancti.

Verſ. 14. CERTVS SVM. pro *perſuaſus ſum*, AVTEM FRATRES MEI ET EGO IPSE DE VOBIS. Terminata doctrina quam intendebat tradere de gratia Euangelica & vſu illius, excuſat ſe Paulus, imò excludit à ſe Paulus quam potuiſſent Romani concipere de eo opinionem, ſcilicet quòd exiſtimaret deeſſe Romanis doctores & inſtructores de huiuſmodi. Hanc inquam opinionem excludit, fatendo inter Romanos eſſe viros bonitate & cognitione plenos, ſufficientes ad admonendum alios. QVONIAM. pro, quod, ET IPSI PLENI ESTIS DILECTIONE. pro, *bonitate*. ET hoc quoad effectum, REPLETI OMNI SCIENTIA,

Modeſtia D. Pauli excuſatio.

pro *cognitione*. Et hoc quoad intellectum. ITA VT POSSITIS ALTERVTRVM. pro, *potentes & alios monere*.

AVDACIVS AVTEM SCRIPSI VOBIS FRATRES EX PARTE. Verſ. 15.
Excluſâ opinabili, falsâ tamen cauſâ aſsignat cauſam veram quare auſus fuit eis ſcribere, ſciens inter eos eſſe viros tam idoneos. Et dixit, *audacius autem ex parte*: hoc eſt, aliquantulum audaciâ vſus ſum, aliquâ ex parte audacior fui ſcribendo vobis. TANQVAM IN MEMORIAM VOS REDVCENS. Non dicit *in memoriam vos reducens* (quoniam in veritate non commemorando, ſed docendo ſcripſit) ſed dicit *tanquam*, quoniam ad ſimilitudinem commemorantis ſcripſit. Et hoc non paruæ eſt induſtriæ, vt doctor tanquam commemorans doceat pares ſeu alios doctores: PROPTER GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI A DEO. Quamuis audaciuſculus fuerim, authoritas tamen Apoſtolatus mei hanc peperit audaciam.

Pares ſeu alij doctores tanquam commemorando docendi.

VT SIM MINISTER CHRISTI IESV IN GENTIBVS. Verſ. 16.
Ecce gratia data ei non ab hominibus, ſed à Deo. Nec dicit, *vt ſim Apoſtolus*, ſed humiliori nomine dicit, *vt ſim miniſter*, ſeruitutem enim ſuam recognoſcit. Et ſignificanter dicit *in gentibus*: vt hinc rationem audaciæ ſuæ monſtret, ſcribendo gentibus. SANCTIFICANS EVANGELIVM DEI. Nota, qualis miniſter: præaduertendo quod dictio interpretata *ſanctificans*, non deriuatur à ſanctitate, ſed à ſacro: & ſignificat ſacrum operans. Perinde ac dixiſſet, ſacrificans Euangelium Dei. Ita quòd ad hoc ſe electum dicit vt ſic euangelizet in gentibus vt Euangelium vertat in ſacrificium. Quod tunc fit cùm euangelizamus tanta reuerentia vitæ & morum, quanta ad celebrandum fructuosè tantum ſacrificium exigitur: propter quod & ſubiungitur fructus. VT FIAT OBLATIO GENTIVM. tanquam rerum oblatarum à me ſacrificio Euangelico. ACCEPTA ET SANCTIFICATA IN SPIRITV SANCTO. Superfluit &. Fructus intentus eſt vt per Euangelium velut quoddam ſacrificium offerantur gentes Deo non qualitercunque, ſed huiuſmodi oblatio habeat duas conditiones: altera eſt quod ſit accepta Deo: altera (quæ eſt ratio prioris) eſt, vt ſit ſanctificata in Spiritu ſancto. Non enim eſt oblatio hæc rerum, ſed animarum. Et propterea acceptabilitas eius non ex quacunque ſanctificatione, ſed ex ſanctificatione in Spiritu ſancto habitante in animabus pendet. Hic eſt enim fructus quò tendere debet prædicans Euangelium Dei.

Sanctificans idest, ſacrum operans.

HABEO IGITVR GLORIAM. pro, *gloriationem*, Verſ. 17.
IN CHRISTO IESV. Vt intelligerent Romani vſum gratiæ Apoſtolicæ qui fuit in Paulo apud alios, vt hinc authoritatem ſuam faciliùs recipiant, ſubiungit qualiter vſus eſt Apoſtolico miniſterio: ante omnia, omniâ referens ad gloriam Chriſti, vt omnis ſuſpicio humanæ vanitatis fugaretur in ſubiunctis. Affirmat itaque quod habet vnde glorietur, non in ſe, ſed in Chriſto Ieſu. AD DEVM. Deſunt hîc aliquæ dictiones. Verbum enim verbo reddendo legendum eſſet, *In quæ ad Deum*. Hebræo more truncatè loquitur. Senſus eſt, in iis quæ ad Deum. Explicat materiam gloriationis eſſe ea quæ ad Deum, ad differentiam materiæ gloriationis de qua alibi, *libenter gloriabor in infirmitatibus meis*, &c. nunc enim de operibus directis

rectis ad Deum tam doctrinæ quàm miraculorum & huiuſmodi eſt ſermo.

Verſ. 18. NON ENIM AVDEO. pro, *audebo*. ALIQVID LOQVI EORVM QVÆ PER ME NON EFFECIT. pro, *non efficit* Chriſtus. Magna cura fuit Paulo vndique tueri gloriationem hanc: nam primò retulit ad Chriſtum: deinde materia ad Deum, modò excludit omnem falſitatem recenſendorum. Quæ ſunt autem quæ per illum effecit Chriſtus, quæ ſunt materia gloriationis in Chriſto ſubiungit præmiſſo fine, ſcilicet, IN OBEDIENTIAM GENTIVM. Hoc eſt, ad hoc vt gentes obediant Euangelio. IN VERBO. prædicationis, doctrinæ, Euangelij &c. ET FACTIS. ſanctæ vitæ & ſanctorum morum.

Verſ. 19. IN VIRTVTE SIGNORVM ET PRODIGIORVM. Ad comprehendendum maiora & minora miracula quæ fecerat. IN VIRTVTE SPIRITVS SANCTI. Non eſt *ſancti*, ſed *Dei*. Et refertur hæc particula ad omnes & ſingulas præcedentes: hoc eſt, *verba, facta, ſigna, & prodigia*. Hæc enim omnia, in virtute Spiritus Dei, non magicis artibus, non humanis figmentis aut induſtriis, narrat Chriſtum feciſſe pro ſe. ITA VT AB HIERVSALEM PER CIRCVMITVM. pro, *& in circumitu*. VSQVE AD ILLYRICVM REPLEVERIM EVANGELIVM CHRISTI. Non dicit Paulus, *ita vt in Hieruſalem & in circumitu*, ſed *Hieruſalem* vtitur vt termino *a quo*, dicendo *vt ab Hieruſalem*: & *Illyricum* vtitur vt termino *ad quem*, dicendo *vſque ad Illyricum*. Et in hoc itinere circunquaque affirmat ſe prædicaſſe. Qui etiam apponit poſtmodum vnam aliam limitationem, ſubiungendo:

Verſ. 20. SIC AVTEM PRÆDICAVI. pro, *ſic porrò annitens prædicare*. EVANGELIVM. Adiungit enim ſtudium ſuum fuiſſe etiam in circumiacentibus regionibus ab Hieruſalem vſque ad Illyricum, prædicare Euangelium vbi ante non erat prædicatum. Quod non ſic intellige quod renuerit Paulus prædicare in locis vbi iam Chriſtus erat annuntiatus: nam vt patet in Actis Apoſtolorum prædicauit Antiochiæ, in qua Chriſtus erat annuntiatus: vt patet Act. 11. Sed quod præferebat Paulus loca in quibus annuntiatus non erat Chriſtus aliis locis. Quod etiam intellige poſtquàm a Spiritu ſancto ſegregatus eſt cum Barnaba ad prædicandum gentibus, propter quod forte præpoſuit illam particulam, *in obedientiam gentium*. Ex tunc enim ad hoc ſtuduit præcipue vt gentes ad obedientiam Euangelij duceret. NE SVPER ALIENVM FVNDAMENTVM ÆDIFICAREM. Non ſunt ſpernentis ſed præferentis verba hæc: hoc eſt, non quod malum reputaret ædificare ſuper alienum fundamentum, ſed quia melius exiſtimabat prædicare vbi Chriſti fides non erat ab aliis fundata. Et ad hoc melius directe ſeruit ſcriptura ſubiuncta ex Eſa. 52. SED SICVT SCRIPTVM EST, QVONIAM

Præferebat D. Paulus loca in quibus annunciatus non erat Chriſtus aliis locis ad prædicandum.

Verſ. 21. QVIBVS NON EST ANNVNTIATVM DE EO, VIDEBVNT. Superfluit *quoniam*. Et eſt ſenſus quod gentiles quibus non eſt per prophetas annuntiatum de Chriſto, videbunt oculis mentis. Quod contra de Iudæis dictum eſt, ne videant. ET QVI NON AVDIERANT DE EO. Superfluit *de eo*. INTELLIGENT. Penetrabunt gentiles qui non audierunt per voces prophetarum. Cuius oppoſitum dictum eſt de Iudæis induratis.

Verſ. 22. PROPTER QVOD ET IMPEDIEBAR PLVRIMVM VENIRE AD VOS. Narrato vſu Apoſtolici miniſterij, inde explicat rationem quam propoſuerat in principio Epiſtolæ, impedimenti ſui acceſſus ad Romanos. ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC. Omnes hæ dictiones ſunt ſuperfluæ.

Verſ. 23. NVNC VERO VLTERIVS LOCVM NON HABENS IN HIS REGIONIBVS, CVPIDITATEM AVTEM HABENS VENIENDI AD VOS EX MVLTIS IAM PRÆCEDENTIBVS ANNIS. Superfluit *iam præcedentibus*. & conſequenter exponit ſe executurum antiquum deſiderium eundi ad Romanos.

Verſ. 24. CVM IN HISPANIAM PROFICISCI CŒPERO. pro, *vt ſi iero in Hiſpaniam, veniam ad vos*. Adhuc enim incertus futuri euentus conditionaliter loquitur. SPERO QVOD PRÆTERIENS VIDEAM VOS. pro, *Spero enim pertranſiens videre vos*: ET A VOBIS DEDVCAR ILLVC. pro, *& à vobis deduci illuc*. SI VOBIS PRIMVM EX PARTE FRVITVS FVERO. pro, *ſatiatus fuero*. Non dicit abſolute ſi vobis prius ſatiatus fuero, ſed limitatè *ex parte* ac ſi apertè diceret. Satiari totaliter vobis, hoc eſt, veſtrâ conſuetudine, eſſet impoſſibile, tam vehementi afficior deſiderio: ſed ſaltem ex parte aliqua ſatiabor veſtrâ conſuetudine.

Verſ. 25. NVNC IGITVR PROFICISCAR. Intermedium adhuc tempus ante aggreſſum itineris verſus Romam narrat. Et legendum eſt: NVNC AVTEM EO IN HIERVSALEM MINISTRARE. pro, *miniſtrans ſanctis*. Et miniſterium declarando ſubiungit:

Verſ. 26. PROBAVERVNT ENIM MACEDONIA ET ACHAIA COLLATIONEM. pro, *communicationem*, aliquam facere. Eleemoſynam communicationem appellat. IN PAVPERES SANCTORVM, QVI SVNT IN HIERVSALEM. Non dicit, omnes ſanctos in Hieruſalem pauperes, non dicit, in pauperes ſanctos: ſed *in pauperes ſanctorum*: multi ſiquidem Chriſtiani in Hieruſalem habebant vnde viuerent, vt in Actibus Apoſtolorum diffuſius declarabitur. Ex eiſdem reliqua clara ſunt.

Eleemoſynam D. Paulus vocat communicationem.

Verſ. 27. Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum: nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare eis.

Verſ. 28. Hoc igitur cùm conſummauero & aſſignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar. Legendum eſſet, *Redibo per vos in Hiſpaniam*. Dicit quod intendit, ſed aliud diſpoſuit Spiritus ſanctus: quandoquidem vinctus fuit in Hieruſalem &c.

Verſ. 29. SCIO AVTEM QVOD VENIENS AD VOS, IN ABVNDANTIA. pro, *in plenitudine* benedictionis Chriſti. Deeſt *Euangelij*. Legendum eſt: *In plenitudine benedictionis Euangelij* CHRISTI VENIAM. Et eſt ſenſus, quod in plenitudine multiplicationis ſeu multiplicati Euangelij Chriſti veniam. Præſagit Euangelicum fructum interim multiplicandum Romæ: ita quod veniens inueniet Romam plenam Euangelio Chriſti. Quamuis etiam hoc poſsit referri ad fructum aduentus eius, quòd veniens implebit multiplicationem Euangelij iam Romæ fundati.

Verſ. 30. OBSECRO ERGO. pro, *adhortor autem*. VOS FRATRES PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Commendat ſe & negocia prædicta

orationibus Romanorum. ET PER CHARITATEM SANCTI SPIRITVS. Superfluit *ſancti*. Rogat enim eos per dilectionem ſpiritualem: hoc eſt ratione dilectionis ſpiritualis. VT ADIVVETIS ME IN ORATIONIBVS VESTRIS. Superfluit *veſtris*. PRO ME AD DEVM,

Commendat ſe Apoſtolus orationibus Romanorum.

Verſ. 31. VT LIBERER AB INFIDELIBVS. pro, *ab incredulis* QVI SVNT IN IVDÆA, ET OBSEQVII MEI OBLATIO ACCEPTA FIAT IN HIERVSALEM SANCTIS. pro, *& vt miniſterium meũ Hieruſalem acceptabile fiat ſanctis*. Niſi Hieruſalem cum aliqua præpoſitione ſubintellecta conſtruatur (puta *erga Hieruſalem*) vel locum ſignificet miniſterij (pro quanto exhibitio facienda erat Hieruſalem) mancus eſt ſermo.

Verſ. 32. VT VENIAM AD VOS IN GAVDIO PER VOLVNTATEM DEI VT REFRIGERER. pro, *refocillet*, VOBISCVM. Vide tum humilitatem tanti Apoſtoli poſcentis orationum ſuffragia etiam in his quodammodo minimis: tum fiduciam quam habebat in orationibus Ecleſiæ Romanæ.

Verſ. 33. DEVS AVTEM PACIS SIT CVM OMNIBVS VOBIS: AMEN. Et ſic terminat tractatum Epiſtolæ.

CAPVT XVI.

Verſ. 1. COMMENDO AVTEM VOBIS. Vltimum hoc capitulum modica eget expoſitione. PHOEBEN SOROREM NOSTRAM, QVÆ EST IN MINISTERIO ECCLESIÆ QVÆ EST IN CENCHRIS. Mulier hæc quæ (vt infra patebit) detulit epiſtolam hanc ad Romanos, erat in Cenchris: hoc eſt in portu Corinthiorum. Et erat miniſtra Eccleſiæ Chriſti ibidem. Per quod ſignificatur quòd erat mulier hoſpitalitati ſanctorũ & eleemoſynis vacans. Subditur enim de ea quòd fuit aſtitrix tum multis, tum ipſi Paulo. In textu ſiquidem Græco non habentur verba ſed nomina: ſcilicet *miniſtra* & *aſtitrix*, vt intelligeremus ex ipſis officiis aſsiſtendi & miniſtrandi, & fauoribus & facultatibus fouiſſe Eccleſiam.

Commendat Phœben quæ detulit Epiſtolam hanc.

Cenchri portus Corinthiorum.

Verſ. 2. VT EAM SVSCIPIATIS IN DOMINO DIGNE SANCTIS: ET ASSISTATIS EI IN QVOCVMQVE NEGOTIO VESTRI INDIGVERIT. Hinc apparet quòd iſta ibat Romam tunc. Quod autem dicitur *digne ſanctis*, ſignificat ſuſcipiendam prout dignum eſt ſuſcipi ſanctos.

Etenim ipſa quoque aſtitit multis & mihiipſi.

Verſ. 3. Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu,

Verſ. 4. Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt. Act. 18. cap. narrantur. Priſca vxor & Aquila vir Corinthi & deinde Epheſi morantes: cum quibus Paulus ſimul habitauit Corinthi aliquandiu, ſed tempore huius epiſtolæ redierant iſti Romam: alioquin Paulus non iuberet eos ſalutari Romæ. Laudantur autem & quòd fuerunt adiutores Pauli in Chriſto Ieſu. Quod ideo dixit, ne intelligeremus de adiutorio operis manualis: erant enim eiuſdem artis cuius Paulus. Intendit ſiquidem eos commendare quod ſe adiuuerunt ſuadendo viam Dei, & quòd ſuppoſuerunt ceruices ſuas pro vita Pauli. Quod tunc creditur fuiſſe quando fuerunt Corinthi: nam tunc Paulus Iudæos habuit ſibi repugnantes: & Paulus receſſit ex habitaculo in quo manebat cum Priſca & Aquila: & aliquis non aliter ſcriptus caſus fortè tunc obuenit, in quo hi coniuges expoſuerunt ſe periculo mortis pro vita Pauli. QVIBVS NON SOLVM. pro, *non ſolus*. EGO GRATIAS AGO, SED ET CVNCTÆ ECCLESIÆ GENTIVM. Hinc apparet quod in magno diſcrimine fuit vita Pauli tunc. Et propterea cunctæ Eccleſiæ gentium, quibus vita Pauli fuit tanto pòſt tempore vtilis, debent agere gratias Priſcæ & Aquilæ.

Priſca & Aquila adiutores D. Pauli.

Fortè ſe expoſuerunt periculo mortis pro D. Paulo.

ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORVM. ſcilicet Priſcæ & Aquilæ: & refertur ad *ſalutate*. SALVTATE EPENETVM DILECTVM MIHI QVI EST PRIMITIVVS ECCLESIÆ ASIÆ, pro, *qui eſt primitiæ Achaiæ*, IN CHRISTO IESV. Errore ſcriptorum videtur mutatum nomen *Achaiæ* in *Aſiæ*: iſte enim Epenetus dicitur *primitiæ Achaiæ*, quia fuit primus fructus Achaiæ. Verſ. 5.

SALVTATE MARIAM: QVÆ MVLTVM LABORAVIT IN NOBIS. pro, *in vos*. Maria iſta laudatur quod multum laborauit erga Paulum & Pauli comites. Vbi autem aut quo genere laboris hoc fuerit, ſcriptum non eſt. Verſ. 6.

SALVTATE ANDRONICVM ET IVLIAM. pro, *Iuniam*. Nomen eſt proprium viri Iudæi, COGNATOS MEOS. Intellige tam hic quam inferius cognationis nomen à genere: ſicut & ſuperiùs dixit omnes Iudæos ſibi cognatos propter vnitatem generis, perinde ac diceretur congeneres meos. ET CONCAPTIVOS MEOS. Vbi & quando fuerit iſta concaptiuitas, ſcriptum non eſt. QVI SVNT NOBILES. pro, *inſignes*, IN APOSTOLIS: QVI ET ANTE ME FVERVNT IN CHRISTO. Andronicus & Iunias genere Iudæi, diſcipuli Chriſti adhuc in vita mortali viuentis videntur fuiſſe: ex eo quod Paulus dicit eos inſignes inter Apoſtolos, proculdubio Chriſti. Vnde etiam habetur qui Chriſti diſcipuli fortè etiam ante Petrum Romæ fidem Chriſti docuerint. Verſ. 7.

Cognati id eſt eiuſdem generis.

SALVTATE AMPLIATVM DILECTISSIMVM MIHI. pro, *Ampliam dilectum meum*, IN DOMINO. Verſ. 8.

Multos hic ſalutat D. Paulus.

SALVTATE VRBANVM ADIVTOREM. pro, *cooperatorem*, NOSTRVM IN CHRISTO, ET STACHYN DILECTVM MEVM. Verſ. 9.

SALVTATE APELLEM PROBATVM IN CHRISTO. Verſ. 10.

SALVTATE EOS QVI SVNT EX ARISTOBVLI DOMO. Superfluit *domo*, & articulus præpoſitus dictioni *Ariſtobuli*, inſinuat ſubintelligendum pronomen *illis*. Ita quòd ſenſus eſt, qui ſunt ex illis Ariſtobuli. Et ſimile intellige cùm ſubiungitur *ex Narciſſi domo*. Nam ſuperfluit *domo*: & eſt ſimilis articulus. Verſ. 11.

Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. Verſ. 12.

Salutate Tryphænam & Tryphoſam quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſſimam. pro, *dilectam*: quæ multum laborauit in Domino. Verſ. 13.

Salutate Rufum electum in Domino: & matrem eius ac meam. Verſ. 14.

Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen: & qui cum eis ſunt fratres. Verſ. 15.

Salutate

Verſ.15. Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & ſororem eius: & Olympiadem, pro *Olympiam*, & qui cum eis ſunt omnes ſanctos.

Verſ.16. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Superfluit *omnes*.

Verſ.17. Rogo autem vos fratres vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis.

Verſ.18. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones & benedictiones, pro, *& per blandiloquium, & benedicentiam*, ſeducunt corda innocentium. Iudæos notat, qui ſub ſpecie boni ſeminabant legalia legis Moyſi: & ſic diſſenſiones ac ſcandala inter Chriſtianos ſerebant.

Verſ.19. Veſtra enim obedientia in omni loco diuulgata eſt, pro, *in omnes peruenit*, proculdubio nomine & famâ. Gaudeo igitur in vobis: ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, pro *in bonum*. ET SIMPLICES IN MALO, pro, *ſynceros autem ad malum*. Hoc eſt non viciatos, non contaminatos ad malum. Et eſt ſermo de malo moris.

Verſ.20. DEVS AVTEM PACIS CONTERAT, pro *conteret*. SATANAM SVB PEDIBVS VESTRIS VELOCITER. Aſſerit & pronuntiat affuturum diuinum auxilium ad conterendum citò Satanam: hoc eſt, diabolum hoſtem Chriſtianorum. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM.

Verſ.21. SALVTAT, pro *ſalutant*, VOS TIMOTHEVS. Hic eſt Timotheus ille Pauli diſcipulus. ADIVTOR, pro *cooperator* MEVS. Sonat enim ſocium & conſortem operis. ET LVCIVS, ET IASON, ET SOSIPATER COGNATI MEI.

Verſ.22. SALVTO VOS EGO TERTIVS QVI SCRIPSI EPISTOLAM HANC. Alicubi legitur *ego Terentius*, videtur tamen legendum *Tertius*. Et eſt nomen proprium ſcribæ, qui ſcripſit hanc epiſtolam dictante Paulo: hic enim acceptâ licentiâ à Paulo, interpoſuit hanc ſalutationem propriam. IN DOMINO. Referri poteſt ad *ſcripſi*, ad excludendum pretium: & poteſt referri ad *ſaluto vos*.

Tertius, nomē proprium eius qui ſcripſit hanc epiſtolā dictante D. Paulo.

Verſ.23. SALVTAT VOS GAIVS HOSPES MEVS, ET VNIVERSA ECCLESIA, pro, *& totius Eccleſiæ*. Diuerſis in domibus hoſpitatus legitur Paulus Corinthi diuerſis temporibus: vt patet Act. 18. Et hic Gaius, ille eſt quem Paulus dicit ſe baptizaſſe in 1. cap. Epiſt. ad Corinth. Qui erat hoſpes non ſolum ipſius, ſed etiam omnium Chriſtianorum tranſeuntium. Et hinc apparet quòd Corinthi ſcripſit hanc epiſtolam, adhuc hoſpes apud Gaium. SALVTAT VOS ERASTVS ARCARIVS CIVITATIS. Abominanter *Arcarij* nomen, officium hoc ſignificant, vel quæſtor ærarius, vel procurator. Curam ſiquidem habebant rerum ciuitatis Corinthi ſicut diſpenſator, ſeu œconomus, vt textus Græcus ſonat. ET QVARTVS FRATER. Nomen proprium eſt *Quartus*.

Scripſit Paulus hanc epiſtolam Corinthi, apud Caium.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti Verſ.24.
cum omnibus vobis: Amen.

Ei autem qui potens eſt vos confirma- Verſ.25.
re. Aduerte, prudens lector, quòd tota hæc particula vſque ad finem, non habet claram conſtructionem propter relatiuum *cui* in calce adiunctum, ſine verbo enim inuenitur prolata hæc ſententia. Propter quod non incongrue continuaretur particula hæc cum præcedente. Ita quòd dicatur, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen, potenti autem vos confirmare*: hoc eſt, vobiſcum quidem ſit Domini noſtri Ieſu Chriſti gratia, ſit autem potenti vos confirmare, hoc eſt ad gloriam potentis vos confirmare. Vt quemadmodum ſuperiùs dixit *ſiue viuimus, ſiue morimur, Domino viuimus, & Domino morimur*, ita modò dicat de eſſe gratiæ in eis quòd ſit Domino potenti eos confirmare.

Aduerte tamen hic quòd hæc particula in pleriſque Græcorum codicibus omnino non inuenitur, in pleriſque autem inuenitur hic: in nonnullis verò inuenitur in calce 14. cap. IVXTA EVANGELIVM MEVM, ET PRÆDICATIONEM IESV CHRISTI. Confirmatio Chriſtianorum deſcribitur à potentia Dei tum euangelizata ab ipſo Paulo, tum prædicata à Ieſu Chriſto: vt vndique intelligant Romani non defecturam firmitatem Chriſtianorum. SECVNDVM REVELATIONEM MYSTERII. An appellatione *myſterij* intelligatur hoc in loco myſterium Verbi incarnati, an myſterium firmitatis Chriſtianorum, non facile eſt diſtinguere. Ad literam tamen intelligendum videtur myſterium Verbi incarnati non ſolum in ſeipſo, ſed in ſuo fructu. Et ſic comprehenditur vtrumque: firmitas ſiquidem Chriſtianorum eſt ſecundùm reuelationem myſterij incarnati Verbi. TEMPORIBVS ÆTERNIS TACITI, hoc eſt, omnibus retroactis temporibus ab æterno occulti. Non quòd præceſſerint æterna tempora ſecundùm rem, ſed imaginaria. Æternitas enim ſuperexcedit æterna tempora realia ſi fuiſſent, & imaginaria quæ intelligimus dicendo ante, ante, ante.

Hæc particula in quibuſdam Græcis codicibus deeſt.

QVOD NVNC PATEFACTVM EST, pro *patefacti* Verſ. 26.
autem nunc, PER SCRIPTVRAS PROPHETARVM. Myſterium Verbi incarnati æternis temporibus fuit tacitum, apud Deum ſolum conſiſtens: patefactum autem eſt nunc in aduentu Meſſiæ per ſcripturas prophetarum. Duo tempora deſignat, Alterum Prophetarum qui prædixerunt hoc myſterium, ſed tamen tunc non eſt patefactum: quoniam ſub velamine ſcriptum eſt à prophetis. Alterum eſt tempus Apoſtolorum, incipiens à Chriſto. Et hoc demonſtratur, dicendo *nunc patefacti*, teſtimonio etiam ſcripturarum Prophetarum. SECVNDVM PRÆCEPTVM ÆTERNI DEI. Tertiam conditionem tanti myſterij apponit. Poſtquam enim dixit quòd eſt tacitum æternis temporibus, & quod eſt nunc patefactum per ſcripturas Prophetarum, adiungit quod eſt cognitum in cunctis gentibus non temerè, aut caſu, ſed ſecundùm præceptum æterni Dei, nec inſtructione, ſed ad obedientiam fidei hoc eſt, ad hoc vt omnes gentes obediant fidei. AD OBEDITIONEM, pro

Myſterium Verbi incarnati æternis temporibus tacitum.

ad obedientiam, FIDEI IN CVNCTIS GENTIBVS, pro *in cunctis gentes* COGNITI.

Verſ. 27. SOLI SAPIENTI DEO. Datiuus iſte iungitur datiuo illi in principio huius particulæ, ſcilicet *ei autem*. Et dictio *ſoli*, ſi referatur ad *Deo* (*ſoli Deo ſapienti*) non eget gloſſa. Si autem iungatur *ſapienti*, ſic ſolus eſt ſapiens, ſicut ſolus eſt bonus: hoc eſt, ſolus ex ſua natura eſt bonus & ſapiens. PER IESVM CHRISTVM, CVI HONOR ET GLORIA. Superfluunt *honor &*: & ſimiliter ſuperfluit *ſeculorum*. Legendum eſt, *Per Ieſum Chriſtum: cui gloria in ſecula*, AMEN. Et planus literæ ordo eſt: *cui Deo per Ieſum Chriſtū in ſecula: Amen*. ſubintelligitur *eſt*, aut *ſit*. Et ſic finitur textus Epiſtolæ ad Romanos. Inueniuntur tamen apud Græcos ſubiuncta hæc verba: *Ad Romanos miſſa fuit à Corintho per Phœben miniſtram Eccleſiæ Cenchreenſis*. Ex qua ſcriptione clare patet locus in quo ſcripta fuit epiſtola hæc, conſonans ſupradictis. Et quòd miſſa fuit per mulierem illam nomine Phœben, quæ erat miniſtra Eccleſiæ Cenchreenſis, Nec dedecuit Paulum vti oblata commoditate mulieris honeſtæ, ac ſecundum mundi huius ſtatum non infimæ, euntis Romam: tutiſſimus enim ſimul & certiſſimus lator Epiſtolæ electus eſt, ob reuerentiam ſolitam exhiberi huiuſmodi matronis, & certitudinem non vagandi, ſeu aliò diuertendi, vt viris accidere potuiſſet. Amen.

Miſſa fuit hæc Epiſtola per Phœben miniſtrā Eccleſiæ Cenchreenſis.

Caietæ in die ſancti Xiſti, anno Domini, M.D.XXXII.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XISTI, IN PRIOREM PAVLI EPISTOLAM AD CORINTHIOS COMMENTARII.

Verſ. 1. PAVLVS VOCATVS APOSTOLVS IESV CHRISTI. In principio Epiſtolæ ad Romanos declaratum eſt Pauli nomen. Et ſimiliter dicitur *vocatus Apoſtolus*, quemadmodum & ibi. Nam *vocatus* non eſt participium, ſed nomen. Nec ſignificatur *vocatus Apoſtolus*, ſed aſcititius Apoſtolus: à Chriſto enim aſcitus eſt ad Apoſtolatum. PER VOLVNTATEM DEI. Voluntas beneplaciti apponitur, vt donum Apoſtolatus ſine pœnitudine ſignificetur. ET SOSTHENES FRATER. Quia alium neſcio, Soſthenes hic Princeps fuit ſynagogæ, qui cum Paulo coram Gallione comparuit, & percuſſus eſt à Græcis, Actuum decimooctauo. Hunc ergo velut collegam Paulus inducit conſalutantem Eccleſiam Corinthiorum.

Soſthenes Princeps Synagogæ, &c.

Verſ. 2. ECCLESIÆ DEI QVÆ EST CORINTHI. Ecce cui ſcribit. SANCTIFICATIS IN CHRISTO IESV, proculdubio per Baptiſmum. Et addidit hanc conditionem ad differentiam ſynagogæ Iudæorum, quæ erat Corinthi, quæ etiam erat Eccleſia Dei, non idolorum, ſed non erant membra ſynagogæ ſanctificati in Chriſto Ieſu: quia non erant baptizati in nomine Ieſu. VOCATIS SANCTIS. Non eſt participium, ſed nomen *vocatis*: & effectus conſequens Baptiſmum ſignificatur, quòd non ſolum per Baptiſmum mundamur, ſed etiam eleuamur, vt tanquam patres conſcripti ſimus aſcititij ſancti, quod magnæ eſt dignitatis. CVM OMNIBVS QVI INVOCANT NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Extendit ſalutationem ad omnes Chriſtianos, morantes in diſtrictu Corinthiorum: quem modò dicimus diœceſim. Vnde reſtringendo inuocantes nomen Chriſti ſubiungit, IN OMNI LOCO IPSORVM ET NOSTRO. Deeſt altera coniunctio. Legendum eſt, *In omni loco ipſorúmque & noſtro*. Manifeſtè ſignificans quòd non ſcribit omnibus inuocantibus nomen Chriſti: ſed omnibus inuocantibus nomen Chriſti in omni loco Corinthiorum & noſtro. Et addidit *& noſtro*, vt quemcumque locum qui eſt Corinthiorum inuocantium nomen Chriſti, explicaret eſſe etiam Apoſtolorum. Quod eſt verum non ſolùm propter vnitatem charitatis, ſed etiam propter extenſionem iuriſdictionis Apoſtolicæ.

GRATIA VOBIS ET PAX. Similis ſalutatio in Verſ. 3.
principio Epiſtolæ ad Romanos poſita eſt, principium & finem totius boni comprehendens:

dem: gratia ſiquidem initium eſt: pax verò terminus. A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Apponitur Deo Dominus Ieſus Chriſtus, propter naturam humanam explicatam nomine Ieſu: vt vniuerſum bonum intelligamus communicari nobis à Deo, mediante Ieſu homine.

Verſ. 4. *Variæ res in hac Epiſtola tractantur.* GRATIAS AGO DEO MEO. Poſt ſalutationem epiſtolarem aggreditur tractatum. Cuius non eſt vna materia, ſicut eſt vna materia Epiſtolæ ad Romanos: ſed diuerſorum generum res in hac Epiſtola tractantur, quarum diuerſitas ſuis locis apparet. Prima autem materia eſt reprehenſio diſſenſionum velut ſectarum quæ erant apud Corinthios: quam quatuor capitulis tractat. *In quatuor primis capitulis reprehendit diſſenſiones velut ſectarum, quæ erant apud Corinthios.* Et quia non omnes erant in crimine diſſentionis, & multi inter eos erant viri diuinis gratiis præditi, nec intendit deſcendere ad particulares, ſed in communi reprehendere, ideo inchoat à laudibus ratione eorum, qui præſtabant ſapientia, & aliis diuinis donis: vt laudata virtus collegij Corinthiorum præparet animos ad faciliùs ſuſcipiendum reprehenſionem. Laudat itaque Eccleſiam Corinthiorum per modum gratias agentis Deo de illorum bonis: vt hinc etiam perpenderent Corinthij quàm magnifaciat Paulus eorum virtutes.

SEMPER PRO VOBIS. Non ſolùm habitu gratitudinis, ſed etiam actu. *Vniuerſa D. Pauli opera erant gratiarum actiones.* Ex eo namque quòd Paulus vniuerſas ſuas tam actiones, quàm paſſiones etiam ipſum dormire, offerebat Deo pro vniuerſis beneficiis ſibi, ſuiſque omnibus (inter quos erant Corinthij) collatis, ſufficienter habetur quòd ſemper actu gratias agebat Deo pro Corinthiis: non quòd actu ſemper cogitaret de Corinthiis, ſed virtualiter (virtute ſcilicet primæ intentionis) vniuerſa eius opera erant gratiarum actiones. IN GRATIA DEI, pro *ob gratiam Dei*. QVÆ DATA EST VOBIS IN CHRISTO IESV. Materia enim gratiarum actionis ſignificatur in genere.

Verſ. 5. QVIA IN OMNIBVS, pro *in omni*. Nullum ſubſtantiuum in Græco apponitur. & multi interpretes appoſuerunt *re*: vt ſignificentur Corinthij ditati *in omni re*, ſubintelligendo ſpectante ad ſalutem æternam. Expeditiùs tamen ſine omni ſubſtantiuo ipſa dictio *omni* ſubſtantiue intelligitur: ac ſi diceret ſimiliter *in vniuerſo*. Et ſignificatur per hoc quòd ditati ſunt in vniuerſo: hoc eſt, quòd non ſinguli ditati ſunt, ſed vniuerſum collegij corpus ditatum eſt abundantia gratiarum. Hunc enim ſenſum oportet, vel ex hac dictione habere, vel per modum gloſſæ apponere: quoniam conſtat Paulum non eâ ratione dicere, quòd diuites facti eſtis, eo quòd ſinguli ditati fuerint, ſed quòd vniuerſitas Eccleſiæ illius diuitias gratiarum conſecuta ſit.

DIVITES FACTI ESTIS IN ILLO. Proculdubio Ieſu perſeuerantes. IN OMNI VERBO, ET IN OMNI SCIENTIA, pro *cognitione*. Hæ duæ materiæ explicantur, ſcilicet ſermo & notitia, abundabant enim notitiâ rerum ſacrarum, & ſermone earundem. Et in his duobus donis conſiſtit perfectio doctrinæ. *In notitia & ſermone rerum ſacrarum conſiſtit perfectio doctrinæ.*

Verſ. 6. SICVT TESTIMONIVM. Clariùs legendum eſt, *Quemadmodum teſtimonium* CHRISTI CONFIRMATVM EST IN VOBIS. Et ſignificatur quòd illo eodem modo ditati eſtis in omni verbo, & in omni cognitione, quo modo teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis. Si quæris quis ſit ille modus, in promptu eſt ſtudioſitas bonorum morum & ſacrarum literarum. Tali ſiquidem ſtudioſitate confirmatum eſt teſtimonium Chriſti conſiſtens in fide, quæ per dilectionem operatur, & eadem, & ſimili ſtudioſitate ditamur in omni ſermone, & cognitione ſacrorum.

ITA VT NIHIL VOBIS DESIT IN VLLA GRATIA. Verſ. 7. Verbum verbo reddendo dicendum eſt, *Ita vt non deſtituamini vllo dono*, EXPECTANTES REVELATIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Sed hoc parùm refert: niſi quòd explicatur magis diuina largitas conſeruatiua omnium donorum in eis. Et quantùm verba Pauli ſignificant, deſcribuntur Corinthij nullo deſtituti dono gratiæ. Per quod apparet quòd erat in Eccleſia illa gratia prophetiæ, & donum linguarum, & reliquæ gratiæ gratis datæ. Quod etiam conſonat inferius ſubiunctis, cap. 14. De donis autem gratiæ gratum facientis collatis eiſdem, ſubiungit *expectantes reuelationem*. Expectare ſiquidem manifeſtationem meritorũ, quam efficiet Chriſtus reuelando, ſeu detegendo hominum merita, electorum eſt. Vnde ad eundem gratiæ infallibilem terminum ſpectat ſubiuncta firmitas: vt in vtriuſque gratiæ donis Corinthios laudari intelligamus. *Gratia gratis data, & gratum faciens in Eccleſia Corinthi.*

QVI ET CONFIRMABIT VOS VSQVE IN FINEM, Verſ. 8. SINE CRIMINE, pro *incriminabiles*. Magna eſt hæc promiſſio, & non carens quæſtione: cum multis electis firmitatis donum negetur quandoque: vt patet de Petro. Solutio eſt quòd dictio *incriminabiles* iungitur cum ſubiuncto tempore, ſcilicet *die Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Et eſt ſenſus quòd confirmabit vos vſque in finem, ſic quòd reddet incriminabiles in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et tale firmitatis donum commune eſt omnibus electis. Et non eſt ſenſus quòd confirmabit vos incriminabiles vſque in finem. IN DIE ADVENTVS. Superfluit *aduentus*, DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Dies Domini Ieſu Chriſti quamuis principaliter appelletur dies ſecundi aduentus eius, extenditur tamen ad ſignificandum diem iudicij in morte vniuſcuiuſque: quoniam tunc apparet claritas meritorum eius in ſaluatione electorum. *Dies aduentus Chriſti quot*

FIDELIS DEVS. Ad probandam veritatem Verſ. 9. futuræ ſalutis in die Domini noſtri Ieſu Chriſti, affert Paulus rationem ex fidelitate Dei: quia ſcilicet verax ac promiſſa ſeruans eſt Deus. PER QVEM: hoc eſt, cuius imperio, & non humana adinuentione. VOCATI ESTIS IN SOCIETATEM, pro *in conſortium*, ſeu *in communionem* FILII EIVS, IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI. Electi enim vocati ſunt ad participationem, ad communionẽ, ad conſortium gloriæ Chriſti diuino imperio: & propterea faciet Deus dicta.

OBSECRO, pro *adhortor*, AVTEM VOS FRA- Verſ. 10. TRES. Laudatâ Corinthiorum Eccleſia, aggreditur reprehenſionem eorum de ipſorum ſectis: præponendo more ſuo ſummam illa quæ intendit tractare. Per modum autem hortantis inchoat præponendo quatuor, ſeu quinque.

PER NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Peccãtes in nomine huius, vel illius præceptoris, aptiſſime monet per nomen Ieſu Chriſti: vt

ex reuerentia debita nomini Ieſu Chriſti, incipiant reſipiſcere à peccatis præferendi nomen illius, vel illius. VT IDIPSVM, pro *idem*, DICATIS OMNES. Ecce primum quod exigit, concordiam, ſcilicet in ſermone. ET NON SINT IN VOBIS SCHISMATA. Interpres reliquit dictionem Græcam: cùm potuiſſet dicere *diſſidia*. Et hoc eſt, ſecundum. SITIS AVTEM PERFECTI IN EODEM SENSV pro *in eadem mente*, ET IN EADEM SCIENTIA, pro *ſententia*. Continentur in his tria reliqua, ſcilicet concurſus omnium ad eandem, tam mentem, quàm ſententiam: cùm perfectum ſignificet id, cui nihil deeſt de requiſitis ad illius integritatem, quod conſtat ex omnibus ex quibus conſtare debet. Non ſat fuit Paulo exigere negationem diſſenſionum, ſed exegit vt ex omnibus ſuis membris conſtet Eccleſia nullo deficiente: conſtet inquam ſub vna mente, & vna ſententia. Parum eſt, vt concordent in ſermone exteriori: & propterea adiunxit concordiam in vna mente, circa cognoſcenda; & in vna ſententia, circa agenda. Mens ſuprema pars animæ, ſententia infimum tenet in progreſſu cognoſcitiuæ partis locum: vtpote terminus cognitionis, tam ſpeculatiuæ, quàm practicæ. Et ideo concordantes in his duobus, ſufficienter conueniunt ad ſeruandam vnitatem corporis myſtici.

Quinque exigit à Corinthiis D. Paulus.

Perfectũ eſt, cui nihil deeſt.

Verſ. 11. SIGNIFICATVM EST ENIM MIHI DE VOBIS FRATRES MEI. Rationem reddit propoſitorum ex facto ipſorum. AB IIS QVI SVNT CHLOES. Interpres addidit duas dictiones medias. Et ſonat a domeſticis, ſeu familiaribus mulieris illius nuncupatæ *Chloës*. Mulier ſiquidem Corinthiis nota, non aliter circunſcribitur. Amplector autem hanc expoſitionem, quia conſtat *Chloe* nomen eſſe mulieris, & nomen conſtat non eſſe alicuius oppidi, ſeu vici. QVIA, pro *quòd*, CONTENTIONES SVNT INTER VOS. In hoc narrato facto apparet inter Corinthios diſſenſiones fuiſſe, non in ſermone, ſed in ſectis diuerſarum mentium, & ſententiarum iuxta diuerſitatem præceptorum.

Chloë nomen eſt mulieris, non oppidi.

Verſ. 12. HOC AVTEM DICO QVOD VNVSQVISQVE VESTRVM DICIT: EGO QVIDEM SVM PAVLI, EGO AVTEM APOLLO, EGO VERÒ CEPHÆ, EGO AVTEM CHRISTI. Aduerte hic quod (vt ipſemet Paulus explicat in 4. cap. huius Epiſtolæ) perſonæ iſtæ (ſcilicet Paulus, Apollos, Cephas, & Chriſtus) ſunt perſonæ ex induſtria fictæ ab ipſo Paulo loco perſonarum illarum quæ erant capita factionum inter Corinthios: noluit ſiquidem Paulus nominare illos, ſed ſeipſum & Apollo, &c. nominauit loco illorum: vt vel ſic inuitarentur ad reſipiſcendum, nec ad peiora procederent propriis nominibus dehoneſtati, ſciſſuraſque augerent. Non eſt ergo intelligendum quòd apud Corinthios erant ſectæ Paulinorum, & Apolloniſtarum, ſed quod erant ſectæ quorundam innominatorum capitum: loco quorum Paulus ſeipſum, Apollo, Petrum, & Chriſtum nominat ratione dicta.

Varia Corinthiorũ ſecta.

Nomina hæc fingebat ingeniosè D. Paulus.

Verſ. 13. DIVISVS EST CHRISTVS? Execrando inconueniens diuiſionis factum, incipit proſequi propoſita, inchoando à ſecundo: ſcilicet *& non ſint in vobis ſchiſmata*: quod bis tractat: primò ex parte rei, & iterum in tertio capite ex parte principij. Arguit itaque ſchiſma ex parte ipſius ſciſſionis: quia ſcilicet repugnat vnitati Chriſti. Et non dicit diuiſi ſunt Chriſtiani, ſed *diuiſus eſt Chriſtus*: tum quia corpus Chriſti myſticum ſcinditur, tum quia ſpiritus Chriſti vniens Eccleſiam, per huiuſmodi ſectas ſignificatur ſciſſus. Chriſtus quamuis multa habeat membra, nullam tamen compatitur ſciſſionem membrorum, & perinde eſt diuidere eius membra, ac diuidere Chriſtum, quod eſt impoſſibile: quia ipſa diuiſio ſeparat à Chriſto.

Prima ratio contra ſectas.

Chriſtus indiuiſus.

Et propterea ab huiuſmodi diuiſionis execratione inchoat Paulus: non quòd diſſenſiones Corinthiorum eſſent tam malæ, ſed quia erant initia, & viæ ad tantum malum. Si enim fuiſſent manifeſtæ ſciſſiones Chriſti, non pepercisset Paulus nominibus capitum, non tacuiſſet dogmata eorum contra Chriſtum. Sed tacendo dogmata & nomina, factiones autem, & inflationes tantum ſcribendo, inſinuat quòd talia erant huiuſmodi diſſidia, qualia ſæpe apparét in Eccleſia Dei inter diuerſarum religionum profeſſores, dum gloriantur in patribus, aut præfert quiſque ſtatum religionis ſuæ, & hinc lites, rixæ, & reliqua: quæ melius eſt non videre. Huiuſmodi enim diſſidia ad literam arguit Paulus in prima parte Epiſtolæ huius, & propterea in perſonas ſanctas transfigurat capita, Imò & Chriſtum caput factionis vnius introducit, dicendo, *Ego autem Chriſti*: vt intelligamus factionem etiam illorum non eſſe exemptam à peccato, qui quamuis verum caput, tamen vt factionis cuiuſdam caput præferunt. Quales ſunt qui ſe aliis præferunt, quia in ſolo Euangelio conſiſtunt, tanquam ſpernentes quæcunque adiuncta à ſanctis Patribus.

Quænam hæc Corinthiorũ diſſidia?

NVNQVID PAVLVS CRVCIFIXVS EST PRO VOBIS? Secunda ratio contra ſectas ex parte Chriſti, qui ſolus redemit illos crucifixus, inſinuans per hoc quòd fit iniuria beneficio Chriſti crucifixi vſurpando alterius quaſi capitis nomen, *Ego ſum Pauli*. AVT IN NOMINE PAVLI BAPTIZATI ESTIS? Tertia ratio contra ſectas ex parte inuocati nominis in ipſorum baptiſmo eſt hæc. Si in alterius quàm Chriſti nomine fuiſſent baptizati, excuſationem haberent militandi ſub illius alterius nomine: ſed ex eo quòd tam beneficium redemptionis, quàm baptiſmi myſterium nullius eſt niſi Chriſti, iniuria fit Chriſto aliud vſurpando nomen.

Secunda ratio.

Tertia.

Verſ. 14. GRATIAS AGO DEO MEO. Superfluit *meo*. QVOD NEMINEM VESTRVM BAPTIZAVI, NISI CRISPVM, ET GAIVM. Occurrit hic obiectio qua ratione Paulus affert contra ſectas Corinthiorum, quòd ipſe non baptizauerit illos, ex quo non reputabatur, nec erat ipſe inter capita ſectarum, ſed ipſe perſonam ſuam loco alterius nominat: ſi perſonam alienam induit, impertinens apparet quòd afferat actus proprios ad excuſandum quòd non dedit occaſionem ſciſsioni ex eo quòd non baptizauit. Solutio eſt quòd Paulus non diuertit à propoſito, ſed affert tam actiones, quàm paſsiones, & omiſſiones ſuas artificioſe: vt ſcilicet Corinthij perpendant quòd ipſe non fuit apud ipſos talis, quales erant illi quorum nominibus gloriabantur. Ad hunc enim effectum ſubiunget geſta ſua multa apud illos, & modò affert geſta ſua circa baptizandum, quod ſcilicet abſtinuit à baptizando: per hoc

Cur Paulus dicit ſe neminẽ baptizaſſe, ſi ipſe non reputabatur inter capita ſectarum?

inſinuans

inſinuans quòd capita ſectarum faciebant oppoſitum vacando baptizationi vt multos illos acquirerent ſibi.

Verſ. 15. NE QVIS DICAT QVOD IN NOMINE MEO BAPTIZATI ESTIS, pro *baptizaui*. Non ſumitur eodem ſenſu *in nomine meo* hic, & paulo ante cum dictum eſt, *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis*: Ibi enim fuit ſermo de nomine inuocato baptizando: hic autem eſt ſermo de nomine intento, ſeu procurato ex officio baptizandi. Et eſt ſenſus: ne quis dicat quod ego baptizaui ad extendendum nomen meum, efficiendo me patrem multitudinis per baptiſmum.

Verſ. 16. BAPTIZAVI AVTEM ET STEPHANÆ DOMVM: CÆTERVM NESCIO SI QVEM ALIVM VESTRVM BAPTIZAVERIM.

Verſ. 17. NON ENIM MISIT ME CHRISTVS BAPTIZARE, SED EVANGELIZARE. Occurrit obiectio: quia Chriſtus Matth. vlt. miſit Apoſtolos non ſolum ad docendum, ſed & baptizandum, *Docete omnes gentes baptizantes eos*. Solutio eſt, quòd non abſolutè, ſed reſpectiuè negat Paulus miſſum ſe ad baptizandum: hoc eſt, quòd principaliter eſt miſſus non ad baptizandum, ſed euangelizandum. Vnde & Petrus non baptizauit Centurionem cum ſuis, ſed iuſſit eos baptizari, Act. 10. NON IN SAPIENTIA VERBI. Quantum ex tractatu illo colligitur, illi qui capita factionum erant apud Corinthios in tribus ſe extollebant: primum eſt baptizare: ſecundum eſt, ſapientia ſermonis: tertium ſapientia rerum. Et primum quidem Paulus breui argumento tractauit: vtpote minoris æſtimatum: reliqua verò duo diffuſiùs tractat, incipiens à ſapientia ſermonis. Et intendit excludere vtramque ſapientiam ab Euangelica prædicatione. Appellatur autem *ſapientia ſermonis* ars dicendi: qualis eſt ars oratoria, & huiuſmodi artes, quibus conſtituitur ornata locutio, & vis dicendi exercetur. *Sapientia* autem *rerum* vocatur ſapientia humanarum ſcientiarum de rebus cælorum, elementorum, mixtorum, & reliquorum huiuſmodi, quæ Philoſophicæ ſcientiæ docent.

Sobriè verò intellige hæc excludi ab Euangelica prædicatione: quoniam intelliguntur non totaliter excludi, ſed vt ſubſtantialia illius. Sacrilegum ſiquidem eſt tam ſubiectam prædicationis Euangelicæ efficere doctrinam Philoſophicam, quam vim prædicationis Euangelicæ conſtituere in vi dicendi, in compoſita, ornata & pulchra locutione. Vti autem quandoque eloquentia ſermonis, aut doctrina Philoſophica ad ſeruitium Euangelicæ doctrinæ pro loco & tempore, non eſt prohibitum. Officium itaque ſuum Paulus proponit ſpectandum in qualitate euangelizandi, dicendo quod eſt miſſus ad euangelizandum *non in ſapientia verbi*: hoc eſt, in eloquentiæ ornatu, non vt aſſumeret modum euangelizandi ornato ſermone, & arte dicendi compoſitum, ſed ſimpliciter & abſolute ad euangelizandum. Vnde Chriſtus dixit, *Euntes prædicate Euangelium*: & non addidit *in ſapientia ſermonis*. In cuius præcepti interpretationem, & executionem, Euangeliſtæ nudam narrationem geſtorum ſcripſerunt omiſſa arte dicendi.

VT NON EVACVETVR CRVX CHRISTI. Plena eſt crux Chriſti potentia diuinæ: & euacuatur non ſeipſa, ſed quantum eſt ex parte prædicantis illam, cum prædicatio fundatur ſuper humanam ſapientiam: quoniam vis prædicationis, non cruci Chriſti prædicatæ, ſed arti dicendi tribuitur. Ne ergo crux Chriſti (quæ eſt materia prædicationis Euangelicæ) euacuetur, quantum eſt ex parte tam prædicationis, quam auditorum diuina potentia ad conuertendos animos hominum ad Chriſtum, non miſit me Chriſtus ad euangelizandum in ſapientia ſermonis. Vbi erudite lector, ſtatim perpende quod ex parte iniuriæ quæ irrogaretur materiæ Euangelicæ, probat Paulus reiectam artem dicendi ab Euangelio.

Verſ. 18. VERBVM ENIM CRVCIS. Declarat cuius rei plena eſt crux: quod eſt declarare rem qua euacuaretur crux. Et quoniam crux Chriſti plenitudinem ſuam non effundit in ſalutem omnium quoad effectum, ideo diſcernendo filios perditionis à filiis regni, dicit quod *verbum*, hoc eſt, ſermo prædicans crucem Chriſti, vt eam in qua ſalus mundi conſiſtit. PEREVNTIBVS QVIDEM. Ecce filij perditionis. STVLTITIA EST. hoc eſt, reputatur ſtultitia. IIS AVTEM QVI SALVI FIVNT, *id eſt nobis*. Interpres coactus à penuria participij appoſuit *id eſt*. Sed nihil refert ad ſententiam: electi enim ſignificantur: inter quos enumerat ſeipſum Paulus. VIRTVS DEI EST. Non ſumitur *virtus*, vt diſtinguitur contra vitium, ſed vt ſignificat potentiam: ita quòd ſignificatur, quod crux eſt potentia Dei, ſaluatrix omnium qui ſaluantur. Filij perditionis ignorantes Dei potentiam in Chriſti cruce ſitam, reputant Euangelium crucis ſtultitiam; nos autem qui ſaluamur recognoſcimus illam eſſe potentiam Dei: hoc eſt, qua mediante Deus exercet potentiam ſuam ad ſaluandum omnes quotquot ſaluantur. Ecce res qua plena eſt crux, ſcilicet potentia Dei ſaluatrix: ecce res qua euacuaretur crux ſi in ſapientia verbi euangelizaretur.

Verſ. 19. SCRIPTVM EST ENIM. Eſaiæ. 29. c. Ecce affert teſtimonium excludendæ ſapientiæ mundanæ ab Euangelio. PERDAM SAPIENTIAM SAPIENTIVM, ET PRVDENTIAM PRVDENTIVM, pro *intelligentia intelligentium*, REPROBABO. Vbi vulgata editio habet, *Peribit ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur*. Vertit enim Paulus paſſiuum in actiuum (*peribit*: in *perdam*) vt Deum auctorem perditionis, & interitus huius explicaret. Significanter non dicit *Perdam ſapientiam*, & *intelligentiam*, ſed adiungit *ſapientium* & *intelligentium*: quia nec ſapientia, nec intelligentia contrariatur cruci Chriſti: quoniam vero non aduerſatur, ſed *ſapientia ſapientium* (hoc eſt, vt vtuntur illa homines habentes illam) & ſimiliter *intelligentia intelligentium* (hoc eſt, vt vtuntur illa homines habentes illam) qui vocantur in mundo ſapientes & intelligentes, eſt, quæ contrariatur Euangelio, eſt quam perdit & reprobat Deus: nulla enim Philoſophiæ, aut cuiuſuis ſcientiæ pars contrariatur ſecundum ſe Euangelio ratione dicta: quia nullum verum contrariatur alteri vero: ſcientiæ autem ſunt ſecundum ſe veræ, & Euangelium eſt verum. Sed præſumptio hominum ad extendendum propoſitiones, & media extra proprios limites, contrarietatem parit veritati fidei Chriſtianæ.

Matth. 28.

In tribus ſe extollebant capita factionum.

Philoſophia an excludatur ab Euangelica prædicatione.

Crux Chriſti euacuatur per prædicationem fundatam ſuper humanam ſapientiam.

Dei potentia in cruce Chriſti ſita.

Eſa. 29. 14.

Non ſapientia, ſed ſapientia ſapientium aduerſatur cruci Chriſti.

Philoſophia non contrariatur Euangelio ſecundum ſe.

Verbi gratiâ; Tradit Philoſophia veritates has, *Accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto: Mortuus non poteſt reſurgere.* & ſimiles: abutitur præſumptio Philoſophorum iſtis veritatibus, extendendo illas, quòd nec per diuinam potentiam poteſt accidens eſſe ſine ſubiecto, poteſt mortuus reſurgere. Hanc extenſionem non tradit Philoſophia: ſed ex officina prodit philoſophantium excedentium fines Philoſophiæ, tradentis quòd per potentiam exiſtentem in rebus, ex quibus integratur vniuerſum, non poſſunt hæc fieri. Diuina autem omnipotentia extra, & ſupra vniuerſum eſt. Deum enim etiam ipſi Philoſophi confitentur eſſe extra, & ſupra vniuerſum. Deſtruit itaque Deus per crucis Euangelium ſapientiam ſapientium, dum illorum ſapientiam extenſam vltra ſuos fines, vtpote falſam deſtruit: & ſimiliter intelligentiam intelligentium reprobat.

Diuina potētia extra, & ſupra vniuerſum eſt.

Verſ.20. VBI SAPIENS: VBI SCRIBA? VBI INQVISITOR HVIVS SECVLI? Eſai. 33. apud editionem vulgatam habetur: *Vbi eſt literatus? vbi verba legis ponderans? vbi doctor paruulorum?* Ita quòd cùm dixit *ſcriptum eſt*, refert vtrumque Eſaiæ textum. Et aptè deſcriptâ futurâ deſtructione ſapientium & intelligentium, ſubiungitur *vbi ſunt*? quaſi dicat, non ſunt in locis eminentibus in reputatione, & veneratione: ex eo enim quod potentia Euangelij detexit, & monſtrauit præſumptionem & falſam extenſionem ſapientiæ, & intelligentiæ eorum, (reſuſcitando mortuos, & tot miracula adhibendo in teſtimonium) abiecti ſunt huiuſmodi ſapientes à locis primis, quos in humano genere obtinebant, & propterea dicitur, *vbi ſapiens, vbi ſcriba?* ſicut de abiectis ex celſo ſtatu dicere conſueuimus; vbi ſunt illi? *Scriba* propriè Iudæorum eſt; *ſapiens* Græcorum. *Indagator* autem *huius ſæculi*, ſcrutatores ſignificat viarum diuerſarum ad beatè hîc viuendum. Sub quo genere innumera multitudo pollentium ingenio comprehenditur. NONNE STVLTAM FECIT, pro, *infatuauit*, DEVS SAPIENTIAM HVIVS MVNDI? Manifeſtat modum, quo perdidit Deus ſapientiam ſapientium. Ex hoc enim ipſo quòd Deus monſtrauit præſumptionem, ac falſitatem ſapientium per miracula crucis Chriſti, reddidit ſapientiam, non abſolutè & in ſeipſa, ſed mundi huius (hoc eſt, vt eâ vtitur iſte mundus) fatuam, hoc eſt, ſine ſapore veræ notitiæ: effecit vt tanquam ſententia ſtultorum haberetur ſententia ſapientium mundi huius. Et hoc modo perdidit ac reprobauit eam.

Iſai. 33. 18.

Scriba Iudæorum: Sapiens Græcorum.

Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi.

Verſ. 21. NAM QVIA. Declarato modo, reddit cauſam meritoriam ex parte mundi quare Deus eiecit ſapientes. IN DEI SAPIENTIA, quâ ſcilicet Deus cum tali tantóque ordine condidit gubernatque mundum: quæ in rerum ordine participata ſicut ars in artificialibus ſplendet, quæ eſt totius Philoſophiæ materia. Rationes enim rerum radij ſunt diuinæ ſapientiæ. NON COGNOVIT MVNDVS. Non dicit, *non cognouit aliquis*: quoniam ad Rom. 1. dicit quod Deus à multis cognitus eſt, ſed dicit *non cognouit mundus*: quoniam Philoſophi qui cognouerunt, veritatem Dei in iniuſtitia detinuerunt: & ſic mundus communiter non cognouit Deum. PER SAPIENTIAM, per veram Philoſophiam, quæ lumine naturali habetur: DEVM, auctorem, & gubernatorem omnium. PLACVIT DEO PER STVLTITIAM PRÆDICATIONIS. Prædicatio Euangelica quamuis in ſe non ſit ſtulta, comparatiuè tamen ad doctrinam Philoſophicam ſtultitia appellatur à Paulo: tum ex parte *modi*, contra id quod dixerat *per ſapientiam*: quia doctrina Philoſophica procedit per rationem demonſtratiuam, quæ facit euidentiam rerum: prædicatio autem per narrationem: ſtultum enim, ſeu improuidum eſt reſpectiuè ad demonſtrationem, narrare. Tum ratione *materiæ*, contra id quod dixerat *in ſapientia Dei*: quia materia prædicationis eſt crux Chriſti: materia autem Philoſophiæ eſt ſapientia diuina effuſa in rerum vniuerſitate, ad quam relata crux ſtultitiæ rationem habet: nam ſapientia Dei ſparſa per vniuerſum, rationibus fulget: crux autem ſine ratione in rerum ordine eſt, & propterea improuida, ſtultáque dicitur prædicatio crucis relatiuè ad diuinam ſapientiam relucentem in ordine rerum. Et meritò ex eo quòd ſapientia, tam vt materia, quàm vt modus neglecta eſt a mundo, placuit Deo eligere ſtultitiam prædicationis, tam quoad materiam, quàm quoad modum. SALVOS FACERE CREDENTES. Ecce ad quid elegit Deus ſtultitiam prædicationis vt medium ad ſalutem credentium: omnia enim, etiam noſtros defectus, Deus optimus vertit in bonum.

Rationes rerum radij ſūt diuinæ ſapientiæ.

Prædicatio crucis ſtulta dicitur relatiuè ad diuinam ſapientiam relucentem in ordine rerum.

QVONIAM ET IVDÆI SIGNA, pro, *ſignum*, PETVNT, ET GRÆCI SAPIENTIAM QVÆRVNT. Verſ.22.
Quanta ſit vis ſtultitiæ prædicationis, manifeſtat ex contrariis victis ab ipſa tam Iudæis quàm Græcis. Et quidem quòd ſint contrarij ambo Euangelio, explicat ex mediis quæſitis ab vtriſque. Iudæi enim aſſueti miraculis petunt *ſignum*, hoc eſt, miraculum aliquod vt medium certificans quod Deus reuelauit. Græci autem ſolam rationem naturalem ſectantes, quærunt *ſapientiam*: hoc eſt, rationem demonſtratiuam, aut ſaltem rationi naturali conſonam, vt medium ad aſſentiendum auditis.

Iudæi miracula, Græci ſapientiam quærunt.

NOS AVTEM PRÆDICAMVS CHRISTVM Verſ.23.
CRVCIFIXVM. Tota enim materia Euangelica in hoc comprehenditur virtualiter. IVDÆIS QVIDEM SCANDALVM. Ecce contrarietas: illi petunt *ſignum*, & nos offerimus *ſcandalum*. Verè Chriſtus eſt Iudæis *ſcandalum*: hoc eſt, offendiculum, in quod impingunt, & cadunt imperſuaſibiles quòd ſit Meſſias crucifixus. GENTIBVS, ſeu, Græcis, AVTEM STVLTITIAM. Quemadmodum Iudæis ex propria incredulitate eſt Chriſtus crucifixus offendiculum, ita gentibus ex propriæ ſapientiæ præſumptione eſt ſtultitia: iudicant enim alienum à ratione eſſe quod damnatus homo ad ſupplicium crucis ſit Deus, ſit adorandus, &c.

Nos Chriſtū crucifixum.

Aduerte hic quòd vt ſuper Epiſtolam ad Roman. diximus, dictio interpretata modò *Græci*, modò *gentiles* eadem eſt, & propriè ſignificat Græcos: extenditur autem ad ſignificandum gentiles: & propterea interpres variè transfert.

IPSIS AVTEM VOCATIS IVDÆIS QVE ET GRÆ- Verſ.24.
CIS. Ecce vis crucifixi vincens vtroſque contrarios, tam ſcilicet Iudæos, quàm Græcos. Sed conſidera victos non omnes, ſed vocatos. Tam Iudæi itaque, quàm Græci ex ſe aduerſantur crucifixo: ſed vocationis diuinæ gratia quotquot donati ſunt, nō aduerſantur, ſed ſuſcipiūt

CHRISTVM,

Sapientiam ſtultitiæ, potentiam ſcandalo crucifixi opponit.

CHRISTVM, crucifixum. DEI VIRTVTEM, ſeu potentiam. ET DEI SAPIENTIAM. Contra *ſcandalum*, dicit *Dei potentiam*; contra *ſtultitiam*, dicit *Dei ſapientiam*. Et ſapientia quidem manifeſtè opponitur ſtultitiæ: potentia autem opponitur non ſcandalo abſolutè, ſed ſcandalo crucifixi ratione materiæ: quia ſcilicet crucifigi impotentiæ ſuccũbentis eſt, cui potentia directe opponitur. Nec dicit Dei patris potentiam, ac ſapientiam Chriſtum, ſed *Dei potentiam & ſapientiam*. Quod etſi ſecundum Chriſti naturam diuinam verum eſt (quia eſt Deus, & ſapientia, ac potentia diuina) ſenſus tamen literalis præſentis textus eſt de Chriſto homine, quod ipſius paſſio, crucifixio ac mors eſt potentia, ac ſapientia Dei patientis, crucifixi, ac mortui: quia vſus eſt paſſione, cruce, ac morte propriâ, vt potentiâ ac ſapientiâ ad vincendum mundum ac diabolum, ad redimendum humanum genus, ad immortales reddendos homines, ad inſtaurandum quæ in terris, & quæ in cœlis ſunt.

Verſ.25. QVIA QVOD STVLTVM EST DEI, SAPIENTIVS EST HOMINIBVS: ET QVOD INFIRMVM EST DEI, FORTIVS EST HOMINIBVS. Quare Chriſtus crucifixus Iudæis ſcandalum, Græcis ſtultitia ſit, ratio reddita ex parte ipſorum eſt, quia illi potentiam, iſti ſapientiam quærunt. Quare autem, tam Iudæis, quàm Græcis vocatis Chriſtus crucifixus eſt Dei potentia & Dei ſapientia, rationem modò reddit ex parte Dei: quia quodcunque quantumcunque infirmum, imbecille, impotens ſit, dummodo ſit Dei, eſt potentius hominibus: & ſimiliter quodcunque quantumcunque ſtultum, ſeu improuidum, & abſque ratione in rerum ordine ſit, dummodo ſit Dei, ſapientius eſt quàm homines vniuerſi. Ita quòd cuiuſque rei tam infirmæ quàm ſtultæ coniunctio ad Deum efficit illam potentiorem & ſapientiorem vniuerſa potentia & ſapientia hominum: ac per hoc quod eſt infirmum in Chriſto (paſſo, crucifixo, mortuo &c.) ex hoc ipſo quod eſt Dei, eſt potentius quàm homines; & ſimiliter quicquid eſt ſtultum in Chriſto crucifixo, eſt ſapientius omnibus hominibus.

Quod unque infirmum modo ſit Dei potentius eſt hominibus.

Et ſcito quod dicendo *infirmum Dei*, ſeu *ſtultum Dei*, non arctatur ad modum eſſendi perſonaliter Dei, vt paſſio fuit Dei coniunctione perſonali: ſed latius ſumitur formaliter vt eſt Dei, ſiue ſit Dei vt inſtrumentum coniunctum, qualia ſunt ad humanitatem Chriſti ſpectantia: ſiue vt inſtrumentum ſeparatum ad ea quæ ſunt ordinis gratiæ, qualia ſunt prædicatio Euangelica, Apoſtoli, ſacramenta Eccleſiæ, & id genus reliqua. *Eſſe* enim *Dei* ſumitur hic vt opponitur ad *eſſe hominis*, vel cuiuſcunque creaturæ; ac per hoc eſt ſermo de Deo, vt ſpecialiter præſidet ordini gratiæ ſaluatricis ad beatitudinem ſupernaturalem. Reddit enim Paulus rationem ex hac vniuerſali veritate quod quæcunque res, actio aut paſſio ſecundum ſe impotens aut improuida, ex hoc ipſo quod *eſt Dei* (hoc eſt, vtitur illa Deus vt ſuo inſtrumento ad myſteria gratiæ) eſt potentior & ſapientior omni potentia hominum. Et hoc apparet non ſolum in cruce Chriſti, ſed in prædicatione Apoſtolorum & Martyrum, &c.

Eſſe Dei quomodo hic ſumatur.

Verſ.26. VIDETE, pro, *videtis*, ENIM VOCATIONEM VESTRAM FRATRES. Coniunctio *enim* monſtrat quod ad reddendum rationem dictorum ſubiunguntur hæc. Et verè probat aſſumptam vniuerſalem (*infirmum Dei fortius eſt, & ſtultum Dei ſapientius eſt*) ex experientia quam vident in vocatis ad fidem Chriſti. QVIA. pro, *quòd*. NON MVLTI SAPIENTES SECVNDVM CARNEM, NON MVLTI POTENTES, NON MVLTI NOBILES. Appellantur hîc ſapientes ſecundùm carnem, ſapientes ſapientiâ humanitùs acquiſita: quam denominauit à carne, quia per carnales ſenſus acquiritur. Et non dicit *per quos vocati eſtis*, ſed abſolutè quòd *non multi ſecundum carnem ſapientes*: ſubintelligitur enim *ſunt electi*, propter verbum *elegit*, ſubiunctum. Loquitur enim *directè* de conuerſis ad fidem, comprehendendo ipſos Corinthios, in quibus hæc experientia etiam apparebat. Non dicit, *nulli ſapientes ſecundum carnem*, ſed *non multi*, quia aliqui ex diſcipulis primitiuæ Eccleſiæ fuerunt docti etiam ſecundum ſcientiam aquiſitam: vt Nicodemus (qui erat Magiſter in Iſrael) & ipſe Paulus & Lucas Medicus, & Apollos &c. Et ſimile eſt de potentibus ſecundũ humanã potentiam, & nobilibus ſecundum generis nobilitatem.

Sapientes ſecundum carnem, quinam.

SED QVÆ STVLTA SVNT MVNDI. Non dicit *ſtulta* abſolutè, ſed *ſtulta mundi*: hoc eſt, homines abſque ſcientia humana qui apud mũdum ſtulti habentur ad docendum alios, quales erant piſcatores, Petrus & reliqui. ELEGIT DEVS. Non ex inopia hominum, non ex ignorantia aut impotentia, ſed ex electione Deus iſtos voluit. VT CONFVNDAT. pro, *pudore ſuffundat*. SAPIENTES. proculdubio mundi huius. Ecce ſtultum Dei ſapientius quàm homines. Sunt autem verecundiâ affecti ſapientes mundi, ex hoc quod detecta Philoſophorũ vanitas eſt, & ad veram beatitudinis viam homines conuerſi ſunt per piſcatores & ſimiles indoctos, doctos autem à Spiritu ſancto. Coniunctio autem *vt* (dicendo *vt confundat ſapientes*) cauſam finalem, quamuis non vltimam notat. Ad hoc enim Deus elegit ignorantes vt erubeſcant ſapientes præſumentes de beatitudine hominum iudicare & docere: ac per hoc omnis vis ac ratio trahendi homines ad ſalutem tribuitur diuino beneplacito manifeſtato per hoc quod per indoctos non per ſapientes mundi homines edocet ac trahit. Et ſimilis eſt ſenſus eorum quæ ſubiunguntur in textu de infirmis & ignobilibus electis. ET INFIRMA MVNDI ELEGIT DEVS VT CONFVNDAT FORTIA.

Verſ.27. *Stulta mundi id eſt homines abſque ſcientia.*

Verſ.28. ET IGNOBILIA MVNDI ET CONTEMPTIBILIA. pro, *contempta*. ELEGIT DEVS. non ſolum obſcuros genere, ſed etiam deſpectos à mũdo elegit. ET EA QVÆ NON SVNT. Non intelliguntur nihil abſolutè, ſed in *eſſe* religioſo. Et ſignificantur gentiles, qui nihil erant ſecundum religionem (vtpote idololatræ) ad differentiam Iudæorum qui erant aliquid in *eſſe* religioſo. Vera ſiquidem religio in ſolis Iudæis fuerat, & propterea ſubdit, VT EA QVÆ SVNT DESTRVERET. pro, *obliteraret*. hoc eſt, vt Iudæorum religionem aboleret. Hoc inter alia teſtimonia quod infirmum Dei eſt fortius hominibus, non eſt minimum: videlicet quòd illi qui alieni à religione erant, præſtent per Chriſtum crucifixum Iudæis: imò peſſundent Iudæos, qui ſoli religioſi erant.

Ea quæ non ſunt, quæ.

Verſ. 29. VT NON GLORIETVR OMNIS CARO IN CONSPECTV EIVS. Ecce finis abiectionis fortium,

ſapientium,nobilium,& religioſorum, vt nullus locus ſit gloriationis cuicunque homini coram Deo: hoc eſt,in iis quæ ſunt ad Deum, ſed vniuerſa gloria ſit Dei.

Verſ.30. Ex ipso avtem, pro *enim*, vos estis in Christo Iesv, Propoſuerat experientiam in vocatione ipſorum Corinthiorum (dicendo *videtis enim vocationem veſtram fratres*) & nihil in ſpecie de ipſis Corinthiis ſubiunxerat, ſed tantum in genere, quòd *non multi ſapientes*, & reliqua: & propterea modò redeundo ad ſpeciem dicit, *ex ipſo enim vos.* Ac ſi apertiùs dixiſſet: Meritò dixi quod vos videtis vocationem veſtram: quia *ex ipſo* Deo eligente ſtulta, infirma, ignobilia,&c.*eſtis*: hoc eſt conſtatis: conſtituimini vos,non ſecundùm eſſe hoc vel illud,ſed *in Chriſto Ieſu*:hoc eſt, ſecundùm eſſe gratiæ,fidei, ſpei ac charitatis in Chriſto Ieſu. In vobis itaque ipſis diuinum hoc opus habetis, Qvi factvs est nobis,non vobis Corinthiis tantùm, ſed omnibus nobis Chriſtianis, Sapientia, in intellectu. Et deeſt, *à Deo*.Verè Chriſtus à Deo factus eſt nobis ſapientia perficiens intellectum noſtrum. Et ivstitia, in voluntate. Et sanctificatio,in opere. Et redemptio, in ſtatu. Et vniuerſus hic ſermo eſt ſermo cauſalis.Chriſtus ſiquidem factus eſt nobis à Deo ratio ſapiendi,& iuſtè volendi, & ſanctè operandi, & redemptionis de ſtatu ſeruitutis in ſtatum libertatis filiorum Dei.

Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.

Verſ.31. Vt qvemadmodvm scriptvm est. Hierem.9. Qvi gloriatvr in Domino glorietvr.Ibidem apud Hieremiam vulgata editio habet, *In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me.* Ad hoc, inquit Paulus, Deus fecit Chriſtum nobis ſapientiam,iuſtitiam,ſanctificationem,ac redemptionem,vt quicumque rectè gloriatur,non in ſapientia,potentia,nobilitate,&c. glorietur, ſed in Domino, quo ſapimus, iuſtificamur, ſanctificamur, & redimimur.

Ieremi.9.24.

CAPVT II.

Verſ.1. Et ego cvm venissem ad vos fratres. Dixerat ſe miſſum ad euangelizandum, non in ſapientia Verbi,& rationem allatam (ne euacuetur crux Chriſti) tractauerat monſtrando vim crucifixi etiam in conditionibus electorum in ipſis Corinthiis, Contexit modò eandem vim in conditionibus ſuiipſius Pauli,ad monſtrandum in ſeipſo qualem debet exhibere ſeipſum Euangelicus Doctor,Et probat ſe ſeruaſſe modum in quo miſſus eſt:vt ſpectato ipſo à Corinthiis, & ſpectatis aliis Doctoribus in quibus gloriabantur,perpendant & diſcernant inter Doctores: & vt Doctores illi erubeſcant exhibentes ſe cum conditionibus contrariis. Iuxta duo autem priùs dicta (ſcilicet *ſtultum Dei*, & *infirmum Dei*) commemorat ſeipſum, prius ſecundum ſtultitiam, deinde ſecundùm infirmitatem. Veni non in svblimitate sermonis,avt sapientiæ. Quia vtramque ſapientiam dixerat reiectam à Deo,idcirco commemorat ſe cum neutra prædicaſſe illis, ita quòd nec cum arte dicendi,cum eminentia eloquentiæ,nec cum excellentia ſapientiæ docuit.

In ſeipſo oſtendit Paulus qualem ſe exhibere debeat Euangelicus Doctor.

Annvntians vobis testimonivm Christi, pro *Dei*. Documenta fidei Chriſtianæ ſunt teſtimonia Dei:quoniam teſtantur diuinum eſſe, poſſe,noſſe,velle,prouidere, Significanter autem dicit *Dei*: vt intelligamus quòd docendo ea quæ Dei ſunt, digniſſima omni eloquentiâ & ſapientia, abdicauit à ſuo ſermone ſapientiam,& ſermonis & rerum,

Non enim ivdicavi me scire aliqvid inter vos.Non dixit *iudicaui*,ſed *indicaui*: vt ſignificet ſe dixiſſe iùs,ſe iuſtitiâ exigente abſtinuiſſe, vt intelligamus prædicationi Euangelicæ deberi abſtinentiam à reliquis. Nisi Iesvm Christvm, et hvnc crvcifixvm. Reliqua ergo,ab imitatione Apoſtolica ſunt aliena in prædicatione. Ieſus enim ſalutis humanæ auctorem ſignificat:Chriſtus autem regem æterno regnantem:crucifixio verò ad infirmitatem naturæ aſſumptæ, ad modum quo redemit humanum genus ſpectat. Et hæc conſtat ſat eſſe noſſe ad noſtram ſalutem. Verſ. 2.

Scientia D. Pauli, Ieſum Chriſtum crucifixum.

Et ego in infirmitate. Ecce *infirmum Dei* in Paulo.Tum exterioris ſtatus;erat enim non ſecundùm ſtatum potentium mundi huius, ſed ſecundùm ſtatum impotentium, Tum interni affectus,& propterea ſubdit, Et in timore, imminentium malorum,Tum corporalis aſpectus. Et in tremore mvlto fvi apvd vos. Internus ſiquidem timor redundabat in exteriorem tremorem. Quemadmodum Ieſus timuit in teſtimonium ſui animi paſſibilis, ita Paulus apud Corinthios,& timuit,& tremuit, humanæ infirmitatis paſſiones ſuſtinens: citra rationis tamen præiudicium. Quando autem hoc fuerit,non ſcribitur in Actis Apoſtolorum.Hæc enim omnia commemorantur hic ad monſtrandum *infirmum*, quo Deus vſus eſt in Paulo. Verſ. 3.

Infirmitas D. Pauli.

Et sermo mevs,et prædicatio mea. More ſuo exequitur propoſita inchoans à primo propoſito, ſcilicet non in ſublimitate ſermonis. Non in persvasibilibvs, pro *ſuaſoriis*, hvmanæ sapientiæ verbis.Humanæ ſapientiæ verba vim magnam habentia ad ſuadendum excluduntur: quæ ſunt verba compoſita, & ornata ſecundum artem dicendi. Sed in ostensione spiritvs et virtvtis, hoc eſt, potentiæ. Loco eloquentiæ fuit demonſtratio ſpiritus ſancti loquentis per me, & potentiæ diuinæ confirmantis ſermonem miraculis. Verſ. 4.

Qualis ſermo & prædicatio D. Pauli?

Si quæris modum quo oſtendebat in prædicatione ſua Spiritum ſanctum. In promptu eſt reſponſio quòd impoſitione manuum ſuper baptizatos dabatur Spiritus ſanctus loquens linguis variis per illos magnalia Dei.

Quomodo oſtendebat Spiritum ſanctum?

Vt fides vestra, quæ ex auditu prædicationis meæ in vobis eſt, Non sit in sapientia hominvm fundata. Sed in virtvte Dei, hoc eſt,in potentia Dei:vt patet in textu Græco,tam hîc quàm paulò ante, In potentia, inquam, tum operante miracula, tum operante intus in ſpiritibus veſtris. Verſ. 5.

Sapientiam avtem loqvimvr inter perfectos. Exequendo quod ſecundò propoſuerat(ſcilicet *non in ſublimitate ſapientiæ*) non abdicat à ſua doctrina ſapientiam vt abdicauit eloquentiam; ſed duplici vtitur diſtinctione: alterâ auditorum in perfectos & imperfectos: alterâ ſapientiarum, in ſapientiam huius ſeculi & ſapientiam in myſterio reconditam. Verſ.6.

Non abdicat à ſua doctrina ſapientiã, vt abdicauit eloquentiam.

ditam. Et intendit quòd neutrà vſus eſt ſapientiá prædicando Corinthiis, ſed tamen ſapientiam in myſterio reconditam reſeruat ſermoni non communi, ſed inter perfectos. Et hinc clarè Corinthios, quibus prædicauit, inſinuat diſtingui à perfectis, inter quos loquitur ſapientiam. SAPIENTIAM VERO. quam loquimur cum perfectis. NON HVIVS SECVLI, NEQVE PRINCIPVM HVIVS SECVLI QVI DESTRVVNTVR. Inter ſapientiam huius ſeculi & ſapientiam principum huius ſeculi, hoc intereſt, quòd illa eſt circa tranſitorias actiones & diſpoſitiones, qualis eſt vniuerſa ars dicendi & regendi cum partibus ſuis; hæc autem circa æterna, qualis eſt Philoſophia ſpeculatiua. Illa multis communis, hæc paucorum hominum, qui principes ſeculi huius in materia de qua eſt ſermo (ſcilicet ſapientię) meritò apellantur. Et adiungitur *qui deſtruuntur*, ad differentiam principum huius ſeculi qui ſunt immortales, de quibus infra loquitur.

Inter ſapientiam huius ſeculi, & principum huius ſeculi quid intereſt?

Verſ. 7. SED LOQVIMVR DEI SAPIENTIAM, hoc eſt, Deo propriam, qua Deus vtitur. IN MYSTERIO QVÆ ABSCONDITA EST, hoc eſt, in myſterio abſconditam, non in ordine rerum participatam, non creaturis communicatam, ſed in ſecreto ſacratiſsimo Diuini conſilij reconditam. Et in hoc ſignificatur excellentia huius ſapientiæ ſupra ſapientiam communicatam quibuſcunque naturalibus intellectibus tam hominum quàm Angelorum. QVAM PRÆDESTINAVIT, pro, *præeſiniuit*, DEVS ANTE SECVLA IN GLORIAM NOSTRAM. Non eſt hæc ſapientia noua, ſed ante ſecula prædefinita à Deo, dux ad gloriam noſtram, ad gloriam æternæ felicitatis nobis paratam: participatione ſiquidem huiuſmodi ſapièntiæ ducimur ad gloriam æternam: hęc enim ſapientia eſt de myſterio incarnationis Verbi Dei, ad ducendum in æternam gloriam filios adoptionis.

Sapientia Dei.

Verſ. 8. QVAM NEMO PRINCIPVM HVIVS SECVLI COGNOVIT. SI ENIM COGNOVISSENT, NVNQVAM DOMINVM GLORIÆ CRVCIFIXISSENT. Ex hoc quòd Paulus probat hanc vniuerſalem (*quam nullus principum huius ſeculi cognouit*) per hoc quòd crucifixerunt Chriſtum, cogor appellatione *principum huius ſeculi* intelligere dæmones: nam de hominibus loquendo probatio inualida eſſet. Ex eo enim quod illi principes (puta Herodes, Pilatus, Pontifices, & primates Iudeorum) non cognouerunt Ieſum gloriæ: non poteſt concludi quòd nullus principum huius ſeculi cognouerit, vt clare patet. De dæmonibus autem intelligendo, validiſſima eſt ratio quòd nullus eorum cognouit hanc ſapientiam: quia *ſi cognouiſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent*. Conſtat autem dæmones crucifixiſſe Chriſtum, dicente Domino: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Et rurſus: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*. Ioannes quoque Euangeliſta teſtatur quòd diabolus miſit in cor Iudæ vt traderet Ieſum. Vnde de prophetis loquens Paulus dixit, *neque principum huius ſeculi qui deſtruuntur*, modò autem dicit, *nemo principum huius ſeculi*, non addendo *qui deſtruuntur*, vt ex eius verbis differentiam inter hos & illos principes diſcernamus: Dæmones enim ſunt principes huius ſeculi, non qui pereunt, ſed immortales.

Principes huius ſeculi, Dæmones.

Ioan. 14.30.

Ioan. 12.31.

Et aduerte, erudite lector, quòd non dicit *ſi cognouiſſent Chriſtum aut Deum, ſed ſi cognouiſſent ſapientiam* quam prædefiniuit Deus in gloriam noſtram: vt diſcernamus quod non ex reuerentia deſtitiſſent a crucifixione Domini gloriæ, ſi hanc ſapientiam cognouiſſent, ſed ex inuidia gloriæ noſtræ, & timore deiectionis propriæ. Dæmones enim etiamſi cognouiſſent Dominum gloriæ verum Deum Ieſum Chriſtum, nihilominus conati fuiſſent crucifigere eum ex odio ad Deum & diuina: ſed ſi cognouiſſent ordinem diuinæ ſapientiæ de gloria noſtra & de ſubiectione dæmonum, adimplendum per crucifixionem Chriſti, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Et ob hoc ſignificanter nominat Ieſum Dominum gloriæ: tangit enim quod retraxiſſet dæmones a crucifixione: Dominum ſcilicet gloriæ, tum triumphando de dæmonibus, tum communicando æternam gloriam humano generi.

Si Dominum cognouiſſent, an crucifixiſſent?

SICVT SCRIPTVM EST. Deficit coniunctio Verſ. 9.
ſed. Legendum eſt. *Sed ſicut ſcriptum eſt*. Dixerat hanc ſapientiam abſconditam & prædefinitam in gloriam noſtram, ignotamque dæmonibus: & probauit hoc vltimum: modò autem probat primum authoritate ſacræ ſcripturæ ſumptæ ex Eſaiæ ſexageſimoquarto. QVOD OCVLVS NON VIDIT, NEC AVRIS AVDIVIT. Coniunctio aduerſatiua præpoſita (dicendo *ſed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit*, &c.) cogit me ad intelligendũ per oculum & aurem, oculos & aures communes Angelis & hominibus, ad hoc vt contextus literæ planius currat. Et confirmatur hic ſenſus ex eo quod apud Eſaiam dicitur, *oculus non vidit Deus abſque te*: nam dicendo *abſque te*, monſtrat quòd de oculo cuiuſcunque creaturæ loquitur. Ita quòd vbi prius probauit ab effectu quòd hanc ſapientiam nemo principum huius ſeculi cognouit, modò authoritate ſcripturæ contexit eam fuiſſe omnino occultam vniuerſis oculis & auribus cuiuſcunque naturæ creatæ, prout dixerat eam eſſe in myſterio abſconditam. Et intendit quòd parata nobis gloria, quæ eſt materia huius ſapientiæ, nullo naturali oculo eſt viſa: & (quod plus eſt) nullà naturali inſtitutione eſt audita.

ET IN COR HOMINIS NON ASCENDIT. Cor pro voluntate in ſacra ſcriptura ponitur. Et ſignificatur quòd excedit omne deſiderabile voluntate hominis: Vtitur autem vocabulo *aſcendendi*, quia appetibile ſupereminet appetitui, vtpote primum mouens ipſum. Et dicit *in cor hominis*, ad ſignificãdum appetitum intellectualem, qui vocatur voluntas, communis homini & reliquis ſubſtantiis intellectualibus. Aduerte ſecundum grammaticam legendum eſſe *aſcenderunt*: ſubiungitur enim, QVÆ PRÆPARAVIT DEVS HIS QVI DILIGVNT ILLVM. Aduerte rurſus ſubaudiendum eſſe pronomen (puta *illa*) vt perfecta ſit oratio: & vt vniformis ſit lectio, relatiuum *quod* vertendum eſſet in numerum pluralem, dicendo *oculus non vidit* &c.

Cor pro voluntate.

NOBIS AVTEM REVELAVIT DEVS. Dixerat Verſ. 10.
ſapientiam Dei abſconditam in myſterio: & probauerat hoc dupliciter. Et propterea ne fortè obiiceres quid, aut quomodo ſcis tu hanc ſapientiam: occurrit explicando modum quo ſcit, dicens *reuelauit Deus*: & pronomen *nobis*, demonſtrat perfectos. PER SPIRITVM SVVM. Quia multis modis poteſt fieri reuelatio

Sapientia D. Pauli ex Spiritu ſancto.

 diuina,

diuina, explicat in ſpecie quod per Spiritum Ioan.14.26. ſanctum datum perfectis reuelauit Deus hanc ſapientiam. Conformis eſt Paulus promiſſioni Chriſti: *Paracletus Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo*, ille ducet vos in omnem veritatem. Vnde Paulus non ex doctrina legis ſub Gamaliele, ſed per Spiritum ſanctum ſibi infuſum fatetur ſe cognouiſſe hanc ſapientiam.

SPIRITVS ENIM OMNIA SCRVTATVR. Manifeſtat ſpiritum Dei ſufficientem eſſe ad hæc reuelandum, quia omnia ſcrutatur. Scrutatur autem non inquirendo, ſed nihil improſpectum deſerendo. ETIAM PROFVNDA. pro, *profunditates*, DEI. Sicut metaphorice dixit, *ſcrutatur*, ita metaphoricè dicit *profunditates Dei*: vt nihil Dei incognitum ſpiritui ſignificetur. Spectantes ſiquidem rationes ad naturalem ordinem vniuerſi, ſunt velut manifeſtè apparentia in Deo: rationes autem ſpectantes ad myſterium Verbi incarnati, ſunt velut intimæ profunditates Dei, velut latentes in intimo conſilio Dei.

Verſ. 11. QVIS ENIM SCIT HOMINVM QVÆ SVNT HOMINIS, NISI SPIRITVS HOMINIS. Probat per ſimilitudinem plus quam propoſuit nunc: quoniam probat quod ſpiritus Dei & quòd ſolus ſpiritus Dei nouit has profunditates. Et hinc habetur ratio tertia ad manifeſtandam ſapientiam hanc abſconditam in myſterio. Similitudo eſt clara de ſpiritu hominis. QVI IN IPSO EST. Non ſolum determinatur ſpiritus proprius cuiuſque hominis per hæc verba, ſed tangitur ratio quare proprius ſpiritus cuiuſque hominis nouit quæ ſunt ipſius hominis: quia ſcilicet in ipſo eſt: vt per hoc intelligamus reliquos ſpiritus, tam hominum quàm Angelorum, quia in ipſo non ſunt, neſcire quæ ipſius ſunt, *Quæ ſunt Dei nemo nouit niſi ſpiritus Dei.* hoc eſt, quæ in ipſius ſunt corde. ITA ET QVÆ SVNT DEI. velut intima cordis. NEMO COGNOVIT NISI SPIRITVS DEI. Recole non excludi Filium: quoniam dictio tam excluſiua quam exceptiua adiuncta termino perſonali reſpectu eſſentialium, non excludit ſeu excipit ab alia perſona diuina: ſicut nec cùm dicitur in Euan- Matth.11.27. gelio, *nemo nouit Filium niſi Pater*, excluduntur Filius & Spiritus ſanctus.

Verſ. 12. NOS AVTEM NON SPIRITVM HVIVS MVNDI ACCEPIMVS. Superfluit *huius*. Manifeſtatâ ſufficientiâ ſpiritus Dei ad reuelandum, manifeſtat quod de facto reuelauit eis, ex hoc quod acceperunt ſpiritum non mundi, ſed Dei, ita quod ex acceptione manifeſtat reuelationem: acceptionem autem manifeſtat ex differentia inter ſpiritum mundi & ſpiritum ex Deo. Ex *Spiritus mundi quis?* eo quòd non dicit *mundi huius*, ſed *mundi*, & materia de qua eſt ſermo eſt ſapientia Dei de iis quæ excedant totum vniuerſum, inſinuatur quod *ſpiritum mundi* appellat ſpiritum infra vniuerſi latitudinem comprehenſum. Intendit enim quod non accepimus ſpiritum ex afflatu ſyderum, aut ex complexione humana, aut ex vi animi, aut ex dæmonibus, ſeu quibuſcunque ſpiritualibus creaturis. Et intendit ad literam explicare quòd ſpiritus infuſus Apoſtolis non fuit ſpiritus prodiens ex quacunque mundi parte. Vnde & ſubiungit ex oppoſito ad vniuerſum mundum. SED SPIRITVM QVI EX DEO EST. hoc eſt, qui ex ſolo Deo eſt, qui proprius eſt Deo, eſt extra & ſupra totum vniuerſum.

VT SCIAMVS QVÆ A DEO DONATA SVNT NOBIS. Ecce effectus ſpiritus quem accepimus, non impetus, non furor, non ecſtaſis neſcientium quid patiantur aut agant, ſed *vt ſciamus*. Non dicit *vt credamus*: quia Spiritus ſanctus infuſus Apoſtolis cauſauit in illis notitiam certam donorum Dei in eiſdem. Sicut enim Hieremias certam habebat notitiam quòd Deus miſiſſet eum, affirmans in veritate *miſit me Dominus*, ita Apoſtoli certam habebant notitiam, quod fides, ſpes, charitas, & alia dona gratis data eis erant à Deo.

QVÆ ET LOQVIMVR. Exequitur aliud propo- Verſ. 13. ſitum (ſcilicet *loquimur*) declarata ſapientia. Et intellige quòd loquuntur donata ſibi quoad materiam, ſeu obiecta donorum. Loquuntur enim materiam fidei, materiam ſpei, obiectum charitatis, & reliqua huiuſmodi. NON IN DOCTIS HVMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS, SED IN DOCTRINA. pro, *doctis*, SPIRITVS. Docti ſancti. Explicat modum quo loquitur ſapientiam Dei in myſterio abſconditam, dicendo quòd nec eam loquitur ſermonibus doctis humanæ ſapientiæ. Appellantur autem *ſermones docti*, ſermones ſignificando vehentes doctrinam: & conſequenter ſermones docti humanæ ſapien- *Alij ſermones docti humanæ ſapientia, alij ſermones docti Spiritus ſancti.* tiæ ſunt, qui ſignificando humanam vehunt ſapientiam. Docti verò ſermones Spiritus ſancti ſunt, qui ſignificando vehunt ſapientiam Spiritus ſancti. Et in his dicit Paulus ſe loqui, & non in doctis humanæ ſapientiæ.

SPIRITVALIBVS SPIRITVALIA COMPARAN- Verſ. 14. TES. Explicat modum ſimul & materiam doctorum ſermonum Spiritus ſancti. Materiam quidem, dicendo *ſpiritualia*: modum verò dicendo *ſpiritualibus comparantes*: hoc eſt, conferentes. Et intendit quòd docti Spiritus ſancti ſermones ſunt de ſpiritualibus, & ſunt collatiui ſpiritualium rerum cum rebus ſpiritualibus: ita quod vniuerſa doctrina infra ſpiritualia verſatur, ex ſpiritualibus diſcurrit ad ſpiritualia.

ANIMALIS AVTEM HOMO. Declarat illam Verſ. 15. particulam *inter perfectos*, quam vltimò propoſuerat. Declarat autem diſcernendo inter capaces & non capaces huius ſpiritualis ſapien- *Animalis homo quis.* tiæ: & diſtinguit inter hominem animalem & hominem ſpiritualem. Intēdens quòd animalis homo non eſt capax, ſed ſpiritualis: vt quos ſuperiùs nominauerat perfectos, intelligamus modò ſpirituales. Apellatur autem in propoſito homo animalis ab anima, qui ſcilicet ſectatur ea tantùm ad quæ ſe extendunt vires animæ: hoc eſt, qui tantummodo naturale lumen rationis ſequitur. NON PERCIPIT. pro, *accipit*, EA QVÆ SVNT SPIRITVS DEI. Iam enim dictum eſt quòd ea quæ ſunt ſpiritus Dei ſunt ea, quæ excedunt vniuerſum ordinem creaturarum, quæ ſunt ſupra lumen cuiuſcunque creati oculi intellectualis. STVLTITIA ENIM EST ILLI. Homo ſola naturali ratione vtens ſtultum reputat totum quod dicitur de huiuſmodi reuelatis per Spiritum ſanctū: & propterea non eſt capax eorum. ET NON POTEST INTELLIGERE, QVIA. pro, *quòd*, SPIRITVALITER EXAMINATVR. *diiudicatur*. Altera eſt hæc conditio animalis hominis: & eſt circa intelligentiam ſuiipſius, quòd non poteſt intelligere ſe ipſum diiudicari ſpiritualiter: putat enim ſeipſum diſcuti tantùm rationibus luminis naturalis, non rationibus Spiri-

tus

tus ſancti: putat namque ſe non eſſe reum ob repulſionem ſpiritualium reuelatorum per Spiritum ſanctum Apoſtolis: cum tamen in rei veritate continue ac communientur et iudicia ſpiritualiter, hoc eſt ſecundum rationes Spiritus

Quis ſpiritualis? ſancti. SPIRITVALIS AVTEM. Denominatur in propoſito homo ſpiritualis à Spiritu ſancto: qui ſcilicet lumine & ſapientia Spiritus ſancti donatus eſt. IVDICAT OMNIA. Ex oppoſito ad primam conditionem animalis, dicit, *iudicat omnia*. Ille ſiquidem non eſt capax alicuius ſpiritualium: iſte autem iudicat omnia, & ſpiritualia & non ſpiritualia. Rectum enim eſt iudex ſui & obliqui. Tantâ ſiquidem certitudine nouit omnia, vt diſcernere poſſit omnia: intellige, quatenus referuntur ad ſalutem æternam. ET IPSE A NEMINE DIIVDICATVR. Ex oppoſito ad alteram animalis conditionem dicit quòd ſpiritualis à nemine diiudicatur: intellige *à nemine*, à nullo homine: non enim diuinum excluditur iudicium. SICVT SCRIPTVM EST. Omnes hæ tres dictiones ſuperfluæ ſunt.

Verſ. 16. QVIS ENIM COGNOVIT SENSVM. pro, *mentem*, DOMINI, AVT QVIS INSTRVXIT EVM. pro, *quis inſtruet eum*? Coniunctio diſiunctiua in textu Græco non inuenitur. Dictio autem interpretata *quis*, anceps eſt ad *quæ* vel *qui*: poteſt enim referre tam mentem domini, quam ipſum dominum, eo quod eiuſdem generis ſunt apud Græcos *mens* & *Dominus*. Vnde ſequitur quod pronomen *eum*, demonſtrat hominem ſpiritualem. Probat itaque Paulus ſpiritualem hominem à nullo iudicari: quia mens Domini inſtruens ſpiritualem, ſeu mens domini inſtruentis ſpiritualem a nullo cognoſcitur: quod enim non cognoſcitur, non poteſt diiudicari. Et dicit *inſtruet* futuri téporis, ad ſignificandum perſeuerantiam inſtructionis diuinæ.

NOS AVTEM SENSVM. pro, *mentem*, CHRISTI HABEMVS. Ad inferendum intentam concluſionem (ſcilicet quòd *ſpiritualis a nullo diiudicatur*) non ſufficit quod mens Domini inducatur inſtruens ſpiritualem: ſed oportet addere quòd ita inſtruat vt mens Domini communicetur ſpirituali, ſic quod habeatur ab eodem: tunc enim optime infertur quòd ſicut mens Domini non poteſt diiudicari ab aliquo, ita nec ſpiritualis præditus mente Domini. Et propterea Paulus ſubſumit quòd nos ſpirituales habemus mentem Chriſti. Et in hoc tangit medium quo nos habemus mentem Dei, ſcilicet mediante Chriſto. Et intellige hæc de homine ſpirituali formaliter, hoc eſt, quatenus ſpiritualis eſt, quatenus Spiritu ſancto ſibi infuſo vtitur: alioquin ſpiritualis iudicatur ab altero ſpirituali, ſicut Petrus diiudicatus eſt à Paulo: quia non quatenus ſpiritualis in facto illo operabatur. Vbi autem quatenus ſpiritualis operatus eſt Petrus circa domum Cornelij Centurionis, a nullo potuit diiudicari.

CAPVT III.

Verſ. 1. ET EGO FRATRES. Dixerat, Veni ad vos non in ſublimitate ſapientiæ, ſed quod ſapientiam loquitur inter perfectos: explicat modò qualiter ad eos venit, ſcilicet alens eos lacte non cibo ſolido. NON POTVI. non ex mea potentia, ſed ex veſtra ineptitudine. VOBIS LOQVI QVASI SPIRITVALIBVS, SED QVASI CARNALIBVS. Spiritualis homo prius diſtinctus eſt contra hominem animalem: & modo diſtinguitur contra hominem carnalem: vterque ſiquidem opponitur ſpirituali: ille ex parte animæ, iſte ex parte carnis. Ille ſolum naturale lumen ſequitur, iſte operibus carnis adhæret, qualia ſunt iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, & reliqua, quæ Apoſtolus ad Galat. commemorat. Corinthios vtpote fidem Chriſti habentes non cognominat animales, ſed carnales: quia operibus carnis adhærebant. TANQVAM PARVVLIS IN CHRISTO. Temperat cognomen ne ægrè ferrent ſe carnales nominatos, dicens eos carnales, non tanquam alienos à Chriſto, ſed tanquam infantes in Chriſto, tanquam incipientes & imperfectos in Chriſto.

Spiritualis diſtinguitur contra carnalem.

LAC VOBIS POTVM DEDI. doctrinâ humiliore, cuius capaces eratis, vos alui, quemadmodum infantes lacte potantur. NON ESCAM. Non refertur ad *potare*, ſed ad ſubintellectum verbum, puta *dedi*. Eſt enim ſenſus quòd non dedit cibum ſolidum (perfectorum enim ſolidus eſt cibus) non dedit doctrinam ſublimem, quam loquitur inter perfectos. NONDVM ENIM POTERATIS. Ecce ratio ex parte ipſorum. SED NEC NVNC QVIDEM POTESTIS. Deeſt *adhuc*. Legendum eſt, SED NEC ADHVC NVNC POTESTIS. ſcilicet, paſci ſolido cibo. Et hoc ſtatim probat, ſubiungendo, ADHVC ENIM CARNALES ESTIS. Solidus cibus eſt ſpiritualium: vos autem adhuc eſtis carnales. Et hoc probat, ſubiungendo: Verſ. 2.

Cibus ſolidus eſt perfectorum.

CVM ENIM SINT INTER VOS ZELVS ET CONTENTIO. Deeſt *& diſſenſiones*. Tria mala opera in eis commemorat: in animo zelum, æmulationem, inuidiam: in ſermone contentionem; in factis, factiones. NONNE CARNALES ESTIS. Hæc enim omnia ex affectu carnali ſunt: affectus enim ſpiritualis caret inuidiâ: quia gaudet quòd bonum aliquod ſit commune multis: & ſimiliter excludit contentiones & factiones. Carnalis autem affectus, quia tendit ad bonum quod communicatione minuitur, parit liuorem, contentionem, & diſſenſionem. Erant enim inter Corinthios hæc mala ſequendo glorias diuerſorum Præceptorum: ſicuti vtinam non videremus inter Religioſos diuerſarum religionum. ET SECVNDVM HOMINEM AMBVLATIS: vt homo diſtinguitur a Deo, vt *ambulare ſecundum Deum* diſtinguitur contra *ambulare ſecundum hominem*, ſecundum affectiones humanas, non ſecundum regulas diuinas. Et addidit hoc ad temperandum quod dixerat, *nonne carnales eſtis*? Verſ. 3.

Zelum, contentionem & factiones in Corinthijs arguit Apoſtolus.

CVM ENIM QVIS DICAT. Probat ex eorum verbis quòd ſint carnales: explicando qualitatem æmulationis, contentionis, & diſſenſionum. EGO QVIDEM SVM PAVLI; ALIVS AVTEM, EGO APOLLO, NONNE CARNALES ESTIS? Æmulari enim, contendere & diſſentire pro præceptoribus, ex carnali procedit affectu. QVID IGITVR EST APOLLOS, QVID VERÒ PAVLVS? Tam ordo quàm verba egent correctione. Legendum eſt, *Quis igitur eſt Paulus, quis verò Apollo*? Hactenus tanquam ſpectaculum ſeipſum deſcripſit Paulus, tum in officio baptizandi, tum in officio euangelizandi, non in ſapientia Verſ. 4.

pientia ſeculari tam verborum quàm rerum, nec in ſublimitate ſapientiæ Dei reſeruatæ perfectis: vt in ipſo ſpectaretur qualis debet eſſe euangelizatio: modo iterum ſeipſum ſpectaculum exhibet penes gradum officij: vt explicato gradu auertat Corinthios ab huiuſmodi gloriationibus in præceptoribus. Et intendit quòd tam ipſe quàm alij Apoſtoli & prædicatores non ſunt niſi miniſtri & operarij, quorum opera ſunt examinanda apud diuinum tribunal, &c. Ne igitur celſioris gradus reputentur Doctores Eccleſiarum, dicit, *quis eſt Paulus, quis verò Apollos?* Et breuiando quæſtionem ſubiungit ſolutionem.

Se deſcribit Apoſtolus penes gradum officij.

Verſ. 5. MINISTRI EIVS CVI. Deeſt *niſi*, & corrupta eſt litera. Legendum eſt. *Niſi miniſtri per quos* CREDIDISTIS? Non ſufficit Paulo affirmare quòd ſunt miniſtri, ſed excluſit quòd non ſunt plus quàm miniſtri, dicendo *niſi miniſtri*. Et explicat ad quid & quibus miniſtrant, dicendo *per quos credidiſtis*. Ac ſi apertiùs dixiſſet (vt etiam infra declarabit) niſi miniſtri fidei ad veſtram vtilitatem. Et per hoc excludit quòd non ſunt domini, non ſunt capita, ſed miniſtri vnius communis Domini ac capitis.

ET VNICVIQVE SICVT DOMINVS DEDIT. Explicatio eſt diuerſi miniſterij diuerſorum miniſtrorum, prout communis Dominus non commiſit, ſed dedit; vt etiam hunc infimum gradum quòd ſunt miniſtri, & diuerſitatem miniſterij ſignificet non habere ex ſeipſis, ſed ex dono communis Domini.

Verſ. 6. EGO PLANTAVI, APOLLOS RIGAVIT. More ſuo Paulus exequitur propoſita, inchoans ab vltimo, ſcilicet, à diuerſitate miniſteriorum. Et primò tractat adhibitâ metaphorâ agriculturæ: plantare enim & rigare agricolarum eſt. Et ſub his ſimilitudinibus explicat officia diuerſa miniſtrorum. Et cum hoc ſecundum rei geſtæ hiſtoriam verum fuit quòd apud Corinthios *Paulus plantauit, & Apollos rigauit*, vt patet Act. 18. quoniam Paulus plantauit fidem Chriſti apud eos, & Apollos poſtmodum multum illis contulit, ſicut rigatio plantis. SED DEVS NVNC INCREMENTVM DEDIT. Superfluit *nunc*. Vide differentiam actionum: miniſtri exteriùs operantur plantando & rigando, Deus autem interiùs incrementum dando. Solus enim Deus eſt qui in corde hominis operari poteſt.

Verſ. 7. ITAQVE NEQVE QVI PLANTAT EST ALIQVID, NEQVE QVI RIGAT. hoc eſt, neuter eſt aliquid quoad efficaciam efficiendi. Vana ſiquidem eſt tam plantatio quàm rigatio, niſi intus detur incrementum. & propterea ſubiungit: SED QVI INCREMENTVM DAT DEVS. Ipſe enim ſolus eſt aliquid quoad vim producendi effectum.

Verſ. 8. QVI AVTEM PLANTAT ET QVI RIGAT VNVM SVNT. Referendo plantatem & rigantem ad vim facti, dixit quòd neuter aliquid eſt: referendo autem eos inter ſe, dicit quòd vnum ſunt in eſſe miniſtri: neuter enim eſt niſi miniſter. Vel vnum ſunt in termino ad quem tendunt: ambo enim tendunt ad opus quod intus operatur Deus. VNVSQVISQVE AVTEM PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECVNDVM SVVM LABOREM. Ne credatis intelligendos eos etiam eſſe vnum ſecundum mercedem, ſubiungit diuerſitatem tam laboris quàm mercedis: vt intelligamus quòd quamuis ſint indiſtincti in hoc quòd vterque

[illegible]

eſt tantum miniſter, & in effectu ad quem tendunt, ſunt tamen diſtincti ſecundum laborem & mercedem: vnuſquiſque enim proprium ſortitur laborem operis, & propriam ſecundum laborem habebit mercedem, quod vltimum intellige proportionaliter.

Verſ. 9. DEI ENIM SVMVS ADIVTORES. pro, *cooperarij*. Rationem reddit vtriuſque dicti, ſcilicet & quòd vnum ſunt, & quòd vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem: nam ex hoc quòd Dei ſumus cooperarij, infertur, & quòd vnum ſunt (vt pote cooperatij ad vnum tendentes) & quòd eis à Deo merces ſecundum operis laborem debetur. DEI AGRICVLTVRA. pro, *agricolatio*. ESTIS. Superfluit *eſtis*: quoniam in Græco iungitur parabola parabolæ ſub eodem verbo. Ita quòd legitur: *Dei ædificatio eſtis*. Verum ſimilitudo de agricultura ad concluſionem præcedentium affertur. Similitudo verò de ædificio, initiũ eſt ſubſequẽtium, & ad contexendum ſequentia præcedentibus Paulus ſub eodem verbo iungit: vt etiam ſecundùm vtramque parabolam, labores & mercedes diſtingui intelligeremus.

Cùm dixiſſet ergo quòd Dei ſumus cooperarij, plantando & rigando, explicat quòd *Dei agricolatio eſtis*, vt intelligãt in quo plantant & rigant, ſcilicet in ipſis Corinthiis, qui ſunt tanquam agricolatio Dei, paſſiuè ſumpta agricolatione: ſunt enim velut ager qui colitur à Deo & ad Deum: & ad hoc adhibet ſibi Deus cooperarios homines plantantes, rigantes, & reliqua extrinſeca huiuſmodi efficientes.

Corinthij Dei agricolatio.

DEI AEDIFICATIO ESTIS. Completâ primâ parabolâ, inchoat alteram ad idem: aſſimilans Corinthios ædificationi paſſiuæ, non cuiuſcũque, ſed Dei, tum vt ædificatoris intrinſeci, tum vt Domini ædificij, vt ſimiliter intelligant Apoſtolos Dei eſſe miniſtros cooperantes extrinſecè ad huiuſmodi ædificationem.

SECVNDVM GRATIAM DEI, QVÆ DATA EST MIHI. hoc eſt, ſecundum gratiam Apoſtolatus. Verſ. 10.
VT SAPIENS ARCHITECTVS FVNDAMENTVM POSVI. Intellige extrinſecâ operatione, ſcilicet docendo fidem Chriſti. ALIVS AVTEM SVPERAEDIFICAT. Ecce diuerſitas miniſteriorum. Quemadmodum in agricultura dixerat; *Ego plantaui, Apollos rigauit*, ita modò in ædificio diſtinguit, Ego fundamentum poſui, alius autem miniſter ſuperædificat, docendo ea quæ ſunt vitæ, morum, & huiuſmodi. VNVSQVISQVE AVTEM VIDEAT QVOMODO SVPERAEDIFICET. Quia diuerſimodè poteſt ſuperædificari, & de huiuſmodi ſuperædificatione erat tota quæſtio, ideo monet in genere doctores Corinthiorum, vt vnuſquiſque diligenter attendat quomodo ædificet ſuper fidei fundamentum: hoc eſt quomodo doceat ea quæ ſpectant ad vitam, ad mores, ad normamque fidelium.

FVNDAMENTVM ENIM ALIVD NEMO POTEST PONERE PRÆTER ID QVOD POSITVM EST. Occurrit tacitæ quæſtioni, quare mones de varia ſuperædificatione, & non mones de diuerſo fundamento: occurrit inquam excludendo poſſibilem diuerſitatem fundamenti. QVOD EST CHRISTVS IESVS. Et eſt ſermo de fundamento ſimpliciter & abſolutè, hoc enim ſolus Chriſtus eſt. Quod dico propter fundamentum relatiuè ad aliquos: huiuſmodi enim fundamentum multiplicatum eſt: nam & Apo- Verſ. 11.

Fundamentum ſimpliciter eſt ſolus Chriſtus.

ſtoli

ſtoli, Apoc. 21. & Apoſtoli ſimul & Prophetæ ad Epheſ. 2. fundamenta appellantur reſpectu poſteriorum. Chriſtus autem eſt fundamentum ſimpliciter & abſolute: quoniam nullus vnquam ſaluatus eſt niſi in fide Chriſti.

Verſ. 12. SI QVIS AVTEM SVPERÆDIFICAT SVPER FVNDAMENTVM HOC. De miniſtris loquitur, de quibus dixerat, *alius autem ſuperædificat*: & conſequenter loquitur de ſuperædificatione doctrinæ: quæ fit non tantum verbo, ſed præcipuè exemplari vita. Nec loquitur de quacunque doctrina, ſed quæ apponitur fundamento huic hoc eſt, quæ præſupponit fidem Ieſu Chriſti: alioquin non dixiſſet *ſuper fundamentum hoc*. AVRVM, ARGENTVM, LAPIDES PRETIOSOS, LIGNA, FŒNVM, STIPVLAM. Quantùm ad metaphoram, ædificantur ſuper fundamentum materiale aurum, argentum, & lapides pretioſi: vt olim factum eſt in tẽplo Salomonis; & ſimiliter ligna: fœnum autem & ſtipula ſuperædificantur, dum cooperiuntur ædificia ex ipſis, vt pauperes faciunt. Quantùm verò ad ſenſum metaphoræ, ipſe Paulus explicabit ſtatim quid intendit per hæc.

Variæ ædificationes.

Verſ. 13. VNIVSCVIVSQVE OPVS MANIFESTVM ERIT. pro, *fiet*. Quando autem erit manifeſtum & quomodo, ſubiungit: DIES ENIM DOMINI DECLARABIT. Superfluit *Domini*: & in textu Græco dictioni *dies* præponitur articulus: vt intelligamus quòd ille dies declarabit, qui erit claritas omnium operum. Quem diem conſtat regulariter non eſſe diem aliquem præſentis vitæ, ſed diem diuini iudicij, in quo ſingulorum opera manifeſta fient. Et quamuis nihil referat ad huiuſmodi manifeſtationẽ dies vniuerſalis iudicij, aut dies ſingularis iudicij vniuſcuiuſque ſtatim poſt eius mortẽ: ad literam tamen videtur Palus loqui de die ſingularis iudicij cuiuſque, Quod ex eo inſinuatur quod vtitur verbo præſentis temporis ſubiungendo: QVIA IN IGNE REVELABITVR. pro *reuelatur*. Hinc enim inſinuatur quod de die qui continuè reuelatur in morte cuiuſque, dicit quod manifeſtabit quale ſit cuiuſque opus. Appellatione autem *ignis*, non corporeus ignis, nec tormentum aliquod, ſed rigoroſum ac vndique exactum examen diuini iudicij ſignificatur. Quod ex eo patet quod etiam aurum, argentum, & lapides pretioſos dicit igne probandos. Conſtat enim quod huiuſmodi perfectæ doctrinæ opera nec corporeo igne nec tormento aliquo, ſed rigore diuini iudicij examinanda ſunt. Et propterea dicitur, ET VNIVSCVIVSQVE OPVS QVALE SIT, IGNIS PROBABIT. Nullam faciendo differentiam inter opera auri, argenti, lapides, lignum, fœnum, & ſtipulam, quoad hoc quod probanda ſunt igne. Aptè autem rationem reddit quare ille dies manifeſtabit qualitatem operis cuiuſque, ex eo quod in igne, hoc eſt exacto diuino iudicio, claritas illius diei detegitur. Nec minus aptè rigoroſum examen Dei nominatur ignis metaphoricè: quoniam quemadmodum ignis ſupremum obtinet in examinando locum, ita diuinum iudicium cunctas operis conditiones quantumcunque minimas ſcrutatur, librat ac diſcutit, & dicendo ius & exequendo.

Dies domini quis?

Quiſnam ignis probabit opus vniuſcuiuſque.

Verſ. 14. SI CVIVS OPVS MANSERIT: pro, *manet*, QVOD SVPERÆDIFICAVIT. Poſtquam deſcripſit in quo conueniunt omnia dicta opera, modò deſcribit in quo differunt: dicendo quòd ſi cuius miniſtri opus quod ſuperædificauit manet in igne, perſeuerat illæſum in igne. Metaphorica eſt locutio: intendit enim quòd ſi opus ſuſtinet examen diuini iudicij, vtpote nihil habens reprehenſibile. MERCEDEM ACCIPIET. non opus, ſed miniſter qui ſuperædificauit.

SI CVIVS OPVS ARSERIT. Ecce differentia quam intendit inter opera, quòd aliqua manent in igne illæſa, aliqua comburuntur in igne, hoc eſt, reprehenſibilia inueniuntur in examine diuini iudicij, ac per hoc non manent remunerabilia a diuino iudicio. Et propterea ſubdit: DETRIMENTVM PATIETVR. proculdubio ipſum opus, dum repelletur tanquam quod comburitur. IPSE AVTEM SALVVS ERIT. Hinc clarè patet quòd de opere dixit *detrimentum patietur*: aduerſatiuè enim ſubiungit de perſona cuius eſt opus, *ipſe autem ſaluus erit*. Et hinc habetur quod non loquitur de miniſtris docentibus hæreſes, aut corrumpentibus vitam & mores Chriſtianorum, ſed de docentibus curioſa & minus vtilia & ſimilia vana occupantia Chriſtianas mentes, ac per hoc impedientia à profectu ſpiritualis vitæ, & à notitia vtilium & expedientium ad progreſſum ſpiritualis vitæ. Verſ. 15.

SIC TAMEN QVASI PER IGNEM. Ne errares intelligendo opus doctoris curioſi ſeu vani examinari & detrimentum pati repulſionis, ipſum autem doctorem impunem euadere ex eo quòd dixerat, *ipſe verò ſaluus erit*, ſubiungit modum quo ſaluus erit, dicendo, *ſic tamen quaſi per ignem*. Quod ſecundùm planum ſuauemque literæ ſenſum ſignificat pœnam aliquam purgatoriam poſt hanc vitam. Quod ex eo conuincitur quod loquitur de tempore illius diei, quo manifeſtabitur cuiuſque opus: dies enim ille poſt hanc vitam erit: & pro tunc dicitur quod non ſolum opus examinabitur, ſed quòd perſona operis nonſuſtinentis ignem ſalua erit, ſic tamen tanquam per ignem tranſiens ad ſalutem, quòd ſub proprietate verborum diceretur: ſic tamen vt purgatum, non curando quod genus pœnæ ſignificetur per ignem. Ignis enim vt dictum eſt, rigoroſum examen diuini iudicij in altera vita ſignificat: ac per hoc extenditur ad ſignificandum pœnam huiuſmodi iudicio inflictam. Sicut peccatum ſignificat & ipſum peccatum & fomitem effectum peccati: & manus ſignificat manum & literam manu factam.

Hinc euincitur Purgatorium.

Dicant quæſo refutantes pœnam ſignificari, quid præter ignem probantem opera (communem perfectis & imperfectis) intendit Paulus per ignem quo perſona combuſti operis ſalua erit: Iſte enim ſalutis modus non eſt communis vtriſque, ſed proprius iſtis deficientibus in operẽ, proprius autem perſonis, vt textus dicit. Alioquin ſi ratione ignis probantis opera intelligitur, *Ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, etiam de primis dici poteſt quod ſalui erunt quaſi per ignem, quoniam omnium opera igne probata deſcribuntur. Quorſum ergo Paulus inter opera & perſonas tam ſubtiliter diſtinxit? quorſum ignem non ad perſonas ſed opera tantùm priorum applicauit, in aliis autem ignem & operibus & perſonis cum diuerſis effectibus applicauit? Nam deſcribit ignem afficere detrimento opera horum, ipſos autem

ſaluare

ſaluare: & hæc omnia in illa die qua manifeſtum fiet cuiuſque opus quale ſit. Fateamur ergo ex hac vltima particula haberi aliquam in altera vita pœnam purgatoriam qualiſcunque illa ſit.

Verſ. 16. Nescitis qvia, pro *quod*, templvm Dei estis. Aduerte, erudite lector, Paulum tractando diuerſitatem miniſtrorum trifariam diſtinxiſſe. nam prius ſub metaphora agricolarum bonos tantum diſtinxit, & vnicuique iuxta ſuum laborem. Deinde ſub metaphora ædificatorum diſtinxit inter bonos & deficientes a bono, curioſos ſcilicet & vanos, attribuendo bonis opera manentia in igne: deficientibus autem opera quæ in igne comburuntur. Et in vtroque genere gradus diſtinxit, bonorum quidem per aurum, argentum, & lapides pretioſos: deficientium autem per lignum, fœnum, & ſtipulam. Vtrumque autem genus ternario diſtinxit numero, vt vtriuſque diuerſos gradus intelligeres. Modò autem quia eadem eſt ſcientia contrariorum, tertiam vtitur diſtinctione, ſcilicet inter miniſtros bonos & malos: non dico deficientes, ſed malos: corruptiuos ſcilicet ædificij ſpiritualis. Et ad hoc declarandum deſcendit ab ædificio ad ſpeciem ædificij. Superius enim dixerat: *Dei ædificatio eſtis*: modò in ſpecie explicat, *neſcitis quod templum Dei eſtis*: non eſtis ædificium prophanum, ſed ſacrum, ſed templum Dei.

Triplex miniſtrorum genus.

Et spiritvs Dei habitat in vobis: Declarat quòd ſunt tēplū Dei ex hoc, quod ſpiritus Dei habitat in illis. Et non dicit *hoſpitatur*, ſed *habitat*, ad ſignificandum quòd per modū habitantis Spiritus ſanctus eſt Eccleſia fidelium: vtens ſcilicet animis eorum ad vſus ſpirituales, ſicut habitans in domo vtitur ea ad proprios vſus. Et dixit hoc, quia communis confeſſio eſt quòd in templo Dei habitat Deus.

Verſ. 17. Si qvis avtem templvm Dei violaverit. pro, *corrumpit*, disperdet. pro, *corrumpet*, illvm devs. Ecce miniſtri mali: propter quos tractat de fidelibus vt templo; corrumpere enim actio peſſima eſt, & velut pœnam talionis deſcribit Paulus: vt ſicut fecit, fiat ei, vt ſicut miniſter corrumpit templum, ita Deus corrumpat illum. Corrumpunt autem praui miniſtri templum Dei doctrina & exemplo contrariis fidei, vitæ aut moribus Chriſtianis.

Templvm enim Dei sanctvm est qvod estis vos. Iuſta pœna probatur ex hoc quod corrumpunt rem ſanctam: multo ergo magis merentur ipſi, non ſancti, corrumpi ſeu deſtrui. Appellantur autem fideles ſancti quia mundi ac Deo dicati per baptiſmum ſunt. Et eſt ſermo de fidelibus fide formata. hi enim ſoli ſunt templum in quo habitat Spiritus ſanctus.

Fideles ſunt templum Dei.

Verſ. 18. Nemo vos. pro, ſeipſum. sedvcat. Diſtinctis trifariam miniſtris, conuertit ſermonem ad inſtructionem miniſtrorum in quibus gloriabantur Corinthij. & de illis dicit, nemo ſeipſum fallat, ſub ſpecie boni errando. Si qvis videtvr inter vos sapiens esse in hoc secvlo. Ecce materia in qua monet huiuſmodi primates non decipere ſeipſos, ſcilicet in materia ſapientiæ. Stvltvs fiat vt sit sapiens. Et eſt ſenſus quòd ſapientes mundana ſapientia caueant à metiendo ea quæ ſunt diuinitus reuelata ſecundum regulas humanæ rationis, ſed quantum ad huiuſmodi reuelata exhibeant ſeipſos ſtultos, hoc eſt, ſine ratione humanæ ſapientiæ, ad hoc vt fiant ſapientes ſecundum rationes diuinas. Et rationem ſubdit:

Sapientia enim hvivs mvndi stvltitia est apvd Devm. hoc eſt, rationibus caret apud Deum, quatenus eſt author ſupernaturalium: ſtultum eſt enim quod ſine ratione eſt. Scriptvm est enim. Probat quod dixit authoritate ſcripturæ, & primò authoritate ſumpta ex Iob 5. cap. Comprehendam. pro, *qui comprehendit*. Sapientes in astvtia eorvm. Extendentes enim ſapientiam humanam ad metiendum myſteria fidei, comprehenduntur a Deo in ſua aſtutia; qua callidè decipiunt mundum: extenſione humanarum rationum ad diuina. Verſ. 19.

Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.

Et itervm. Affertur alia authoritas ex Pſalm. Dominvs novit cogitationes sapientivm, qvoniam. pro, *quod*, vanæ svnt. Et eſt ſermo de cogitationibus ſapientium extenſis ad metiendum diuina. Sunt enim manifeſtè vanæ: vt pote omnino inutiles. Verſ. 20.

Nemo itaqve glorietvr in hominibvs. Inſtructis miniſtris; redit ad inſtruendum populum de gloriatione in miniſtris, inhibendo vniuerſaliter vt nemo glorietur in hominibus quibuſcunque. Et rationem ſubdit declarando alteram particulam propoſitam, ſcilicet *per quos credidiſtis*: vtrumque enim ſimul exequitur. Verſ. 21.

Omnia enim vestra svnt. Ratio quare nullus debet gloriari in hominibus, redditur; quia omnia ſunt eorum: hoc eſt, ordinata ad veſtram vtilitatem: nullus enim rationabiliter gloriatur de iis quæ ſunt propter ipſum. Qualiter autem omnia ſint eorum, iam tetigerat, dicendo, *per quos credidiſtis*. Sive Pavlvs, sive Appollos, sive Cephas. Et in his comprehendit omnes Chriſti miniſtros. Sive mvndvs. vniuerſitas creaturarum, quæ procul dubio eſt propter electos. sive vita, sive mors. Vtraque enim ſeruit electis. Sive præsentia, sive fvtvra. in alia vita. Omnia enim vestra svnt, Superfluit *enim*. Colligit ſiquidem ſingula enumerata complendo ſententiam inchoatam inde *Siue Paulus*. Verſ. 22.

Omnia veſtra ſunt.

Vos avtem Christi. Omnia ſunt propter vos, vos autem eſtis Chriſti vt domini ac capitis. Christvs avtem Dei. Et eſt ſermo de Chriſto ſecundùm quod homo: ſic enim eſt Dei vt domini & capitis. Verſ. 23.

CAPVT IV.

Sic nos existimet homo. Magis quadrat vt legatur *æſtimet*: dictio enim Græca vtrumque ſignificat. Poſtquam Paulus proſecutus eſt reliquas duas particulas propoſitas (ſcilicet *vnicuique ſicut dominus dedit*, & *per quos credidiſtis*) modò exequitur reliquam, ſcilicet *eſt miniſtri*, inchoando a reputatione qua debent haberi. Sic, inquit, nos, Apoſtolos, Paſtores, & Doctores, æſtimet homo. Vt ministros Christi. non vt principes, non vt Dominos, ſed vt *miniſtros*, non cuiuſcunque Domini, ſed *Chriſti*. Et dispensatores mysteriorvm. pro, *myſteriorum*, Dei. diſpenſatores arcanorum Dei: qualia ſunt reuelata in Verſ. 1.

ſacra ſcriptura, hoc enim præcipuum eſt officium Apoſtolorum & ſucceſſorum, ſcilicet diſpenſare cibum animarum prout cuique expedit, hoc eſt quod ſuperius dixerat, *miſit me Chriſtus euangelizare*. Et officium *diſpenſationem*, nominat: quia iuxta Domini ſententiam ſeruus conſtitutus ſuper familiam ad hoc debet eſſe prudens, vt det illis tritici menſuram in tempore. Et in hoc Paulus confutat miniſtros Chriſti diſpenſatores ſapientiæ humanæ, aut aliorum vanorum: quemadmodum per hoc quod dicit miniſtros Chriſti, confutat illos qui prædicando aut docendo ſunt miniſtri ſuiipſorum, non Chriſti.

Officium Apoſtolorum præcipuum aſſignatur.

Verſ. 2. HIC IAM QVÆRITVR INTER DISPENSATORES. pro, *quod autem reliquum requiritur in diſpenſatoribus eſt*. Senſus clarus eſt ex ſubiunctis. VT FIDELIS QVIS INVENIATVR. Hoc eſt illud reliquum quod requiritur in officio, in executione diſpenſatorum, ſcilicet vt inueniatur fidelis: hoc eſt, abſque fallacia diſpenſans: fidelis enim eſt qui non fallit, ſed exequitur iuſta prout iuſta ſunt.

Verſ. 3. MIHI AVTEM PRO MINIMO EST. Circa hanc conditionem requiſitam ad diſpenſatores inſiſtit conſequenter Paulus tam ipſos diſpenſatores quam eos quibus diſpenſatur. Et diſpenſatores quidem inſtruit quemadmodum ſuperius in reliquis fecit exhibendo ſeipſum ſpectaculum: & propterea ſeipſum declarat qualiter ſe habet circa hoc quod æſtimetur diſpenſator fidelis. Et prima eius conditio eſt, pro minimo habere hominum iudicia de ſeipſo. Non dixit *pro nihilo eſt*, ſed *pro minimo eſt*: vt intelligamus quod etſi humana iudicia de nobis negligere non debemus, non tamen pro multo habere: ſed medium amplectendo aliquantulum æſtimare. VT A VOBIS IVDICER, pro, *diiudicer*, AVT AB HVMANO DIE. Minimi pendit non ſolum Corinthiorum iudicia, ſed quorumcunque hominum: [illegible], humana cognitio ſeu claritas appellatur. SED NEQVE MEIPSVM IVDICO, pro, *diiudico*. Hæc eſt ſecunda conditio ſatis clara.

Iudicia hominum de ſe ſeu minima habet D. Paulus.

Verſ. 4. NIHIL ENIM MIHI CONSCIVS SVM, SED NON IN HOC IVSTIFICATVS SVM. Occurrit tacitæ quæſtioni cur teipſum non iudicas fidelem diſpenſatorem, aut cognoſcis de teipſo fideliterne an infideliter diſpenſes? Occurrit inquam: quia etiamſi conſcientia non accuſat me, etiam me, non ſufficit ad iuſtificationem meam. Ego nihil mihi conſcius ſum infidelis diſpenſationis, *ſed non in hoc*, non in hac conſcientia, iuſtificatus ſum in veritate, & ideo non iudico meipſum. QVI AVTEM IVDICAT ME, DOMINVS EST. iudicia veſtra minimi pendo: iudicio meo non vtor: reliquum ergo eſt vt diuino ſubiicitur iudicio. Hæc eſt forma diſpenſatorum circa iudicium ipſorummet.

Verſ. 5. ITAQVE NOLITE ANTE TEMPVS IVDICARE, pro, *itaque ne ante tempus quicquam iudicetis*. Inſtructis ab exemplo ſuo diſpenſatoribus, inſtruit populum inhibendo eos a iudiciis huiuſmodi occultorum: quis ſcilicet eſt fidelis Chriſti miniſter & diſpenſator, & quis non: ſeu quis eſt magis Chriſti miniſter, & quis minus. Et hic ſenſus magis videtur litteralis. Vtroque tamen ſenſu ſermo eſt de conditionibus animi: quoniam exteriora poſſunt libere iudicari: & hoc ſignificat in textu dicendo *ante tempus*: tempus enim manifeſtationis non eſt ante certam notitiam. Quantum autem duret hoc tempus ſubiungit, QVOADVSQVE VENIAT DOMINVS. procul dubio ad iudicium vniuerſale. QVI ET ILLVMINABIT ABSCONDITA TENEBRARVM. hoc eſt, clara reddet quæcunque fuerunt occulta hominibus, tanquam in tenebris abſcondita, exteriora facta. ET MANIFESTABIT CONSILIA CORDIVM. Tam opera exteriora latentia, quàm interiora cordium palam producet coram vniuerſo, & tunc erit tempus notitiæ geſtorum quæ modò latent. ET TVNC LAVS ERIT VNICVIQVE A DEO. non a iudicio humano, ſed a diuino iudicio vniſquiſque miniſter ſecundum opera ſua laudabitur plus vel minus: propter varia enim iudicia quæ Corinthij faciebant de miniſtris præponendo hunc illi, attulit hæc Apoſtolus. Et propterea tanquam omnes ſint boni dicit, *& tunc erit vnicuique laus a Deo*.

Exteriora poſſunt libere iudicari.

Interiora diuino iudicio reſeruantur.

HÆC AVTEM FRATRES TRANSFIGVRAVI IN ME IPSVM ET APOLLO. Verſ. 6.
Manifeſtat hic Paulus Corinthios non fuiſſe diuiſos propter ipſum Paulum, Apollo & Petrum: ſed propter alios Præceptores, quorum nomina tacet, & loco ipſorum nominauit ſeipſum, & Apollo ratione ſuperiùs dictâ, quam ſubiungit dicendo, PROPTER VOS, VT IN VOBIS. pro, *nobis*, DISCATIS. Ecce ratio quare nos bonos præceptores nominaui, vt in nobis ſpectatis diſceretis tria ſubiuncta. NE SVPRA QVAM SCRIPTVM EST. pro, *non ſupra id quod ſcriptum eſt*, SENTIRE. Hoc eſt primum a vobis diſcendum ſpectatis nobis a conditionibus noſtris, & pertinet ad intellectum, ſcilicet non ſentire ſupra id quod ſcriptum eſt, ſupra id quod traditum eſt in ſacris libris: propterea enim toties reprehendit ſapientiæ mundanę vſum. Inſinuatur namque hinc quod præceptores illi innitebantur ſapientiæ humanæ: Paulus autem vult ipſos eſſe contentos doctrina ſacræ Scripturæ: quemadmodum ipſe & alij Apoſtoli docebant. VNVS ADVERSVS ALTERVM INFLETVR PRO ALIO. In Græco habentur duæ ſententiæ: legitur enim hic, VT NON VNVS, pro, *vno*, NE INFLAMINI ADVERSVS ALTERVM. Vbi duo diſcenda ſubiungit. Alterum eſt vt vnus pro vno non certet: & in hoc prohibet ſciſſiones, ſecundum quas vnus certabat pro vno præceptore, & alius pro alio. Alterum eſt *ne inflamini aduerſus alterum*, & in hoc prohibetur vana gloriatio, non pura, ſed aduerſus alterum: non ſolum enim ſcindebantur diuerſis præceptoribus, ſed vna ſecta gloriabatur aduerſus alteram, ſe exaltando & alteram deprimendo. Hæc tria ſunt ob quæ diſcenda in ipſis Apoſtolis Paulus ſe & Apoſtolos quaſi ſpectaculum fecit: non enim docebant niſi ſacras Scripturas, nec vlla erat inter eos ſciſſura, nulla erat inflatio vnius aduerſus alterum.

QVIS ENIM TE DISCERNIT? pro, *diiudicat*; Verſ. 7.
More ſuo poſtquam propoſuit, exequitur propoſita. Et inchoat ab vltimis, ſcilicet ſchiſmate & inflatione. Et primò monſtrat inconueniens quod naſcitur ex huiuſmodi ſciſſura: dicendo, *quis enim te diiudicat*. Demonſtrat autem pronomen *te*, quemlibet præceptorum qui erant capita ſciſſionum & inflationum: vt contextus ſubiunctorum inſinuat. Et dicit *quis enim te diiudicat*? quaſi dicat nullus: nullum relinquis iudicem ſcindendo: quoniam omnes eſtis iam partes. Primum ergo inconueniens eſt quòd priuatis Eccleſiam iudice.

Sciſſiones Eccleſiam priuant iudice.

QVID AVTEM HABES QVOD NON ACCEPISTI? Directe aduerſus Doctores inflatos dicit arguendo de abuſu donorum quæ in veritate habebant. SI AVTEM ACCEPISTI QVID GLORIARIS QVASI NON ACCEPERIS? Dicit *tanquam non acceperis* reddendo rationem eius quod dixerat *quid gloriaris*: Et intendit quod ideo eſt peccatū gloriari de bonis quæ quis habet quia ipſa gloriatio præ ſe fert tanquam non acceperit. Cum enim quis gloriatur ſe ſapientem, in hoc ipſo quòd gloriatur, tanquam propriâ vtitur ſapientiâ, & quamuis nec affectu nec verbo ſentiat ſe non accepiſſe ſapientiam à Deo, facto tamen gloriationis tanquam non acceperit, vſurpat ſibi gloriam, dum gloriam illam non refert in authorem, dum non quærit gloriam relatiuè ad Deum, ſicut habet in veritate ſapientiam relatiuè ad Deum.

Verſ. 8. IAM SATVRATI ESTIS. Arguit eoſdem Doctores de bonis quæ non habebant, & tamen tanquam illa haberent, ſe gerebant. Et quantum textus inſinuat, arguit eos de vſurpata excellentia donorum. Verbi gratia, erant ſapientes, & tamen gerebant ſe tanquam excellenter ſapientes, & ſic de ſimilibus donis. Vnde prius reprehendit eos de gloriatione ſecundùm id quod habebant: modò autem de vſurpata excellentia habitorum. Et alloquitur eos ironicè, tres excellentias irridendo. prima eſt *iam ſaturati eſtis*, vſque ad ſatietatem repleti ſapientiâ & reliquis donis. IAM DIVITES FACTI ESTIS. Ecce ſecundam qua tanta exuberantia bonorum deſcribitur, vt ſint ad effundendum aliis diuites. SINE NOBIS REGNATIS, pro *regnaſtis*. Tertia irridetur excellentia præſidentiæ & regiminis ſine Apoſtolis. Et in hoc ſignificatur quòd velut regnabant in populo Chriſtiano abſque dependentia ab Apoſtolis. ET VTINAM REGNETIS, pro *regnauiſſetis*. Adiungit ironiæ veritatem proprij deſiderij circa excellentiam illorum Doctorum, manifeſtando quòd deſiderat vt in veritate regnaſſent, hoc eſt, præfuiſſent regimini populi. VT ET NOS VOBISCVM REGNEMVS, hoc eſt, quia hic eſſet fructus regni veſtri ſi fuiſſet in veritate quòd conregnaremus: eſſemus enim concordes in præſidendo & regēdo. Ac ſi apertius dixiſſet, non eſt nobis deſiderium excludendi vos à vero regimine, ſicut vos ſine nobis exiſtimatis regnare: ſed libenter vellemus vos rectè præſidere & regere, vt conueniremus vobiſcum.

Verſ. 9. PVTO ENIM. Proſequitur primò propoſitam particulam, *vt in nobis diſcatis*. Et proſequitur Ironiam. Ironico ſiquidē ſermone dicit ſe putare quod ſequitur. QVOD DEVS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT. hoc eſt, oſtendit poſtremos hominum, poſtremos autem non ordine temporis, ſed pretij & æſtimationis: cum tamen ſecundum veritatem Deus oſtenderit Apoſtolos primos hominum.

TANQVAM MORTI DESTINATOS, pro *deputatos*. Explicat quod dixerat nouiſſimos tanquam homines addictos neci: hoc eſt, tanquam homines ad nihil vtiles, niſi ad hoc vt necentur, vel tanquam homines damnatos ad mortem. Et appoſuit hanc Ironiam, tum quia dixerat *ſine nobis regnatis*: ſubiungit enim Ironicè quòd merito ſine nobis, quia Deus oſtendit nos poſtremos hominum tanquam morti deputatos: tum ad inchoandam aliam ſubiungendam Ironiam, *nos ſtulti*, &c. QVIA SPECTACVLVM FACTI SVMVS MVNDO. Nō eſt ſermo ironicus iſte, ſed verus ac proprius fundans tam præcedētia quàm ſequentia. Ex hoc enim quòd *ſpectaculum facti ſumus*, opinio contingit Iudæorum & gentiliū, quā Paulus ironicè aſſumpſit, quòd Deus Apoſtolos oſtenderit nouiſſimos tanquam morti deputatos. Ex hoc rurſus quòd *ſpectaculum facti ſumus*, conſurgit opinio ſubſequentium, ſcilicet quòd *nos ſtulti*, &c. Facti ſunt Apoſtoli ſpectaculum, dum ad ſpectandum paſſiones & cruciatus eorum concurrebatur. MVNDO. non vni ciuitati aut regioni, non denique orbi terrarum, ſed mundo, vniuerſas comprehendenti creaturas ſpectare valentes. ET ANGELIS. Exponit vtramque partem mundi ſpectatricem: inchoans ab Angelis, ſub quibus comprehenduntur tam boni Angeli ſpectantes pro eis, quàm mali ſpectantes contra eos. ET HOMINIBVS. Similiter tam bonis, quàm malis; hæc eſt enim altera potentium ſpectare pars.

NOS STVLTI PROPTER CHRISTVM. Aduerte Verſ. 10.
quòd quia Paulus nullum apponit verbum aſſuetus Hebræo ſermoni, ſubſtantiuum verbum ſubintelligit, & eſt ſēſus: nos ſumus ſtulti propter Chriſtum. Ironicum ſiquidem eſſe hunc ſermonem, teſtantur contraria affirmata in illis Doctoribus, ſcilicet *vos autem prudentes*, *vos autem fortes*, &c. Conſtat enim ironicè hæc affirmata: & idem verbum ſubintelligendum eſſe vtrobique. Eſt itaque ſenſus, quod quia ſpectaculum facti ſumus mundo patiendo, ideo differimus à vobis Doctoribus inflatis: nos enim (ironicè loquendo) ſumus ſtulti propter Chriſtum, ſtultè patimur propter Chriſtum. VOS AVTEM PRVDENTES IN CHRISTO, ſupple *eſtis*: cùm in veritate ſit totum oppoſitum. Et pronomen *vos*, demonſtrat Doctores qui non ſunt ſpectaculum mundo. Et appellat prudentes in Chriſto, tanquam ſic prædicantes Chriſtum vt non patiantur. Et hæc quoad intellectum: quoad vires verò ſubiungit etiam ironicè: NOS INFIRMI, ſubaudi, ſumus propter Chriſtum: vtpote non reſiſtentes. VOS AVTEM FORTES, ſubaudi, in Chriſto eſtis: cùm etiam ſit totum oppoſitum. Et conſiſtit hæc fortitudo non in ſuſtinendo, ſed in reſiſtendo, aut aggrediendo ſi qui impugnant. VOS NOBILES, pro *glorioſi*, ſubaudi, eſtis in Chriſto: eſt enim ſimilis ironia. NOS AVTEM IGNOBILES, pro *inhonorati*, cum etiam totum ſit contrarium: iuxta illud, *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*. Et hic ſinitur tertius & vltimus ſermo ironicus. Deinceps abſque figura proprio ſermone proſequitur, exponendo actiones & paſsiones proprias in veritate, quibus differunt ipſi Apoſtoli à Doctoribus Corinthiorum in quibus gloriantur. Pſal. 138. 17.

VSQVE IN HANC HORAM. Non acciderūt hæc Verſ. 11.
ſubiungenda vno certo menſe, aut vno olim anno, ſed crebro vſque in hanc horam. ET ESVRIMVS ET SITIMVS, quoad victum. ET NVDI SVMVS, quoad veſtes. ET COLAPHIS CAEDIMVR, quoad ludibrium. ET INSTABILES SVMVS, quoad locum habitandi.

ET LABORAMVS OPERANTES MANIBVS NOSTRIS, quoad modū acquirēdi victū. MALEDICIMVR, ore. ET BENEDICIMVS, bonitate, ac benignitate tū affectus, tū ſermonis. PERSECVTIONEM PATIMVR, factis. ET SVSTINEMVS patiēter. Verſ. 12.

BLASPHEMAMVR, inimici Dei dicimur: habebantur enim magi & ſacrilegi. ET OBSECRAMVS. Verſ. 13.

Doctores arguit de vſurpata excellentia donorum.

Triplex Ironia.

Apoſtoli ſpectaculum facti mundo.

Dicuntur hæc ironicè.

MVS. Sacris orationibus vtimur, non magicis artibus. TANQVAM PVRGAMENTA HVIVS MVNDI. Superfluit *huius*. FACTI SVMVS OMNIVM PERIPSIMA VSQVE ADHVC. *Periſſema* Græca dictio eſt: & ſi in Latino relinquenda erat, ſcribenda, & proferenda in vltima ſyllaba per e productum *periſſéma*. Dicitur autem ſignificare multarum rerum immunditiam: puta rubiginem ferri, ſcoriam argenti, lutum calceorum, & id genus multa quodammodo excrementa. Nec deſunt dicentes apud Græcos ſolitum transferri hoc vocabulum ad ſignificandum obnoxium iugibus malis. Inquit itaque Paulus quodammodo ſumendo vniuerſam ignominiam quam patiuntur Apoſtoli, quòd vſque ad hanc diem facti ſumus *periſſema* non aliquorum, ſed omnium, tanquam purgamenta mundi, tanquam ſimus impuritates & immunditiç omnium quibus purgandus eſt mundus. Dicebant enim inimici fidei Chriſtianæ, quod Chriſti diſcipuli inficiebant mundum, & propterea exterminandos eſſe, & tanquam purgamenta eiiciendos de mundo, & non de hac, vel illa ciuitate.

Periſſema quid?

Verſ. 14. NON VT CONFVNDAM VOS HÆC SCRIBO. Quia hæc omnia ſpectata in ipſis Apoſtolis redundabant in verecundiam habitantium, imò ingratorum tot malis quæ patiebantur Apoſtoli pro electis, ideo manifeſtat quòd non ea intentione hæc ſcribit vt pudore ſuffundat eos. SED VT FILIOS MEOS CHARISSIMOS, pro *dilectos*, MONEO. Intentio mea tendit per hæc ad monendum vos paternè.

Verſ. 15. NAM SI DECEM MILLIA PÆDAGOGORVM HABEATIS IN CHRISTO. Numerus finitus, pro infinito ponitur: metaphora paruulorum vtitur, dicendo eos habere pædagogos velut duces & inſtructores paruulorum in via Chriſti. SED NON MVLTOS PATRES. Pædagogus mercenarius eſt, pater naturali amore ad filios ſe habet. NAM IN CHRISTO IESV PER EVANGELIVM EGO VOS GENVI. Probat ſe patrem in Chriſto, & illos filios Et propriè dicit *genui*, pro quanto velut ſubſtantiale eſſe contulit, dum primus fuit apud eos prædicator fidei Chriſti: fides enim eſt velut eſſe ſubſtantiale in Chriſtiano: ſicut & ſuperius dictum eſt fundamentum reſpectu reliquarum virtutum.

Verſ. 16. ROGO, pro *adhortor*, ERGO VOS. Concluſionem infert ex ſupradictis. IMITATORES MEI ESTOTE, pro *æmulamini*, SICVT ET EGO CHRISTI. Superfluunt hæ quatuor dictiones. Concluſio exhortatoria eſt vt ipſum imitentur, non illos præceptores in quibus gloriantur.

Verſ. 17. Ideo miſi ad vos Timotheum qui eſt filius meus chariſſimus, pro *dilectus*, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciat vias meas, quæ ſunt in Chriſto Ieſu: ſicut vbique in omni Eccleſia doceo. Sententia eſt clara.

Verſ. 18. Tanquam non venturus ſim ad vos ſic inflati ſunt quidam. Superfluit *ſic*.

Verſ. 19. Veniam autem ad vos cito, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem:

Verſ. 20. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Sententia eſt clara. Veruntamen vbi dicitur, *ſed virtutem*: & ſimiliter

cum ſubiungitur *in virtute*, vtrobique eſt ſermo non de virtute vt diſtinguitur contra vitium, ſed de poteſtate, ſeu potentia. Hác enim dictio Græca ſonat. Et intendit manifeſtare differentiam inter ſe, & illos præceptores inflatos, quòd illi ſolo ſermone, ipſe verò ſermone & poteſtate miraculorum docet: & quòd regnum cœlorum euangelizatum non firmatur in ſermone, ſed in poteſtate miraculorum. Sermo enim communis eſt omnibus doctoribus, ſed potentia miraculorum propria eſt euangelio regni cœlorum.

Regnum Dei non in ſermone, ſed in virtute.

QVID VVLTIS? IN VIRGA VENIAM AD VOS AN IN CHARITATE ET SPIRITV MANSVETVDINIS? Verſ. 21.
Particula hæc continuatiua eſt ſequentis materiæ cum præcedentibus: iam enim inchoauerat neceſſitatem aduentus ſui ad compeſcendū inflatos: & nunc ſubiungit modum veniendi, tum vt ante ſuum aduentum emendent ſe inflati, tum propter crimen ad quod tranſit corrigendum. Dat itaque eis optionem, vtrùm malint vſum virgæ, hoc eſt, caſtigationem & punitionem perſeuerando in delictis, an vſum dilectionis & manſuetudinis: emendando enim ſeipſos ante ipſius aduentum redderent ſeipſos materiam dilectionis, & manſuetudinis. Diliguntur ſiquidem boni, & manſuetudine vtimur erga pœnitentes.

CAPVT V.

OMNINO AVDITVR INTER VOS FORNICATIO. Non vago rumore, ſed penitus audiri dicit. Fornicationis autem nomine vt genere vtitur ad adulterium, inceſtum, & huiuſmodi. Vnde & ſubdit ſpeciem. ET TALIS FORNICATIO, QVALIS NEC INTER GENTES. Deeſt *nominatur*. Exaggerando grauitatem criminis, non dicit *qualis, nec inter gentes eſt*, ſed *qualis nec inter gentes nominatur*. ITA VT VXOREM PATRIS SVI ALIQVIS HABEAT. Superfluit *ita*. Ecce crimen. Non dicit vt matrē, ſed vt vxorem patris: vt intelligamus quod de nouerca loquitur. Nec dicit vt relictam patris, ſed vt vxorem patris: vt intelligamus inceſtū ſimul & adulterium in eodem crimine. Verſ. 1.

Inceſtum in Corinthiis deteſtatur Paulus.

ET VOS INFLATI ESTIS. Inflatio reſpiciens Verſ. 2.
hoc crimen, inflatio inculpabilitatis eſt. Alij enim Corinthij Chriſtiani videntes tantum ſcelus inter ſeipſos non ſolum excuſabant ſe, ſed etiam iactabant ſe inculpabiles, ſicut verè culpa carebant commiſſi criminis. ET NON MAGIS LVCTVM HABVISTIS, de ruina fratris. VT TOLLATVR DE MEDIO VESTRVM: hoc eſt, vt eiiceretur è veſtra conuerſatione, vt eiiceretur ab Eccleſia. QVI HOC OPVS FECIT. Hic eſt effectus propter quem debuiſſent ingemiſcere.

EGO QVIDEM. Hactenus propoſuit crimen Verſ. 3.
inceſtus, & adulterij ſimul cum commiſſis & omiſſis quoad hoc ab ipſis Corinthiis: modò more ſuo per partes tractat propoſita, incipiens ab vltimo, ſcilicet tollere è medio eorum virum illum ſceleſtum. Inchoat autem explicādo quòd ipſe ſupplet id in quo Corinthij defecerunt: imò quòd ipſe inchoat eiectionem illius exequendam à Corinthiis, ne videatur præcipere eis odioſum officium, ſeipſum eximendo ab huiuſmodi exoſis officiis. Primus itaque ipſe Paulus eiectionem illius inchoat dictando ſententiam. ABSENS CORPORE,

PRÆSENS AVTEM SPIRITV. hoc eſt, affectu & ſolicitudine. Iudicate enim præſentis eſt officium. IAM IVDICAVI. hoc eſt, iam iudicaui decernendo ſententiam. VT PRÆSENS. non vt abſens. EVM QVI SIC. Hoc eſt, incestuosus eſt. Quid autem decreuerit ſubiunget:

Verſ. 4. *Inceſtuoſum damnat D. Paulus.* IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CONGREGATIS VOBIS, ET MEO SPIRITV. *Vbi*, inquit Ieſus, *fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* Et propterea Paulus in nomine Ieſu Chriſti congregat Corinthios, & ſuum ſpiritum diſponit: hoc eſt, vt Corinthij congregati ſint corporaliter, & ſolicitudo atque affectus Pauli habeatur ibi præſens. CVM VIRTVTE DOMINI IESV

Verſ. 5. TRADERE HVIVSMODI HOMINEM SATANÆ. Superfluit *hominem*, quamuis ſubintelligatur: Duo diſponit Paulus: modum ſcilicet pronunciandæ ſententiæ quam decreuit, ſcilicet *congregatis vobis*, & cætera, & punitionem decretã, ſcilicet *tradere illum Satanæ*: declarando qua poteſtate fiet iſta punitio, ſcilicet cum poteſtate Domini Ieſu. Significat enim per hæc Paulus Corinthiis quod ipſe decreuit vt Corinthiis Pauli ſolicitudine congregatis tanquam præſens eſſet Paulus, tradatur Satanæ huiuſmodi homo poteſtate Domini Ieſu. Et non ſignificat quod ipſe iam tradiderit huiuſmodi hominem Satanæ. In cuius ſenſus teſtimonium non ſolum ſubiunget, *expurgate vetus fermentum*, ſed in calce capituli explicite mandat quod auferant illum malum hominem à ſemetipſis, quod non oporteret iuberi ſi iam Paulus tradidiſſet illum Satanæ. Voluit autem præſentiam ſuam ſpiritualem interuenire in pronunciatione ſententiæ, vt confiderent Corinthij, affuturam poteſtatem Domini Ieſu ad tradendum illum Satanæ: hæc enim poteſtas

Quâ pœnâ. videtur communicata non omnibus, ſed Apoſtolis. IN INTERITVM CARNIS. Hinc apparet punitionem hanc fuiſſe vexationem corporalem illius hominis vſque ad mortem: non tamen repentinam, ſicut Petrus Ananiam, & Sapphiram tradidit Satanæ: quoniam ſubiungitur; VT SPIRITVS SALVVS SIT IN DIE DOMINI IESV. Ex hoc namque quòd punitio illa ordinabatur ad ſalutem ſpiritus, intelligimus punitionem illam habuiſſe duas conditiones: altera eſt quòd non repentè interemit, altera eſt quòd fuit in ſolo corpore, ita quòd non abſtulit vſum mentis. Vtrumque enim horum neceſſarium fuit ad hoc vt ille vexatus & moriturus reſipiſceret, & pœnitens ſaluus fieret.

Verſ. 6. NON EST BONA GLORIATIO VESTRA. Reprehendit quod ſupra narrauit, *& vos inflati eſtis*. Simulque monet ad exequendum quod decreuit: Gloriatio, inquit, in qua gloriamini quòd non eſtis in culpa patrati criminis, non eſt bo-

Modicū fermentum totam maſſam corrumpit. na Eccleſiæ. Et rationem ſubdit. NESCITIS QVIA, pro *quod*, MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT, pro *fermentat*: ideo non eſt bona gloriatio veſtra, quia inde exponi periculo videtur ſum corpus Eccleſiæ, ſimilitudo fermenti teſtatur.

Verſ. 7. EXPVRGATE VETVS FERMENTVM. Occaſione ſumpta ex ſimilitudine fermenti monet ad faciendum quod prius facere debuerant. eiicere ſcilicet illum ab Eccleſia. *Expurgate*, inquit, hoc eſt, purgando eiicite *vetus fermentum*, hoc eſt, vetuſtatis miſtionem. Fornicarius enim ille miſtus aliis erat velut fermentum vetuſtatis, hoc eſt, defectus corruptioniſque morum. VT SITIS NOVA CONSPERSIO. Eadem in Græco dictio eſt interpretata prius *maſſa*, modò conſperſio: clarius fuiſſet vtrobiq; aut maſſam, aut vtrobiq; conſperſionẽ Latinè dicere. Miſta farina aquæ, conſperſio, ſeu maſſa vocatur. Quę ſi fermẽti aliquid habeat, non eſt omnino noua: quantum enim habet fermenti, tantum habet rei veteris. Si autem ſine fermento ſit, eſt omnino noua. Et ad hanc alludens ſimilitudinem dicit Paulus eiecto fermento eſſe nouam conſperſionem. Res vero ſignificata eſt noua vita. *Miſta aqua farina, conſperſio, ſeu maſſa vocatur.*

SICVT ESTIS AZYMI. Græcam dictionem interpres reliquit: potuiſſet dicere, *ſicut eſtis infermentati*. Et affert ſimilitudinem à ſtatu. Et eſt ſenſus, vt ſitis vitæ nouæ, quemadmodum eſtis infermentati ſecundum ſtatum, quemadmodum eſtis in ſtatu infermentatorum: hoc eſt, in ſtatu puritatis, ſine miſtione cuiuſque criminis: per baptiſmum ſiquidem ponitur in ſtatu puritatis. Verum ad figuram alludendo, infermentatus ſtatus eſt ſtatus Chriſtianorum: vtpote continuam profitentium celebritatem paſchalem: quemadmodum Iudæorum infermentatus erat ſtatus tota hebdomada ſolemnitatis paſchalis. Monet itaque vt vita conformet ſtatum. Et probat infermentatum ſtatum Chriſtianorum ſubiungendo: ETENIM PASCHA NOSTRVM. Deeſt, *pro nobis*, IMMOLATVS EST CHRISTVS. Paſcha, inquit noſtrum ad differentiam agni paſchalis qui erat paſcha Iudæorum. *Paſcha* autem prout ab Hebræo deriuatur, *tranſitum* ſignificat: prout autem à Græco, *paſſionem* importat. Et quoniam Hebræa figura inducitur, Hebræo ſenſu credimus Paulum vſum. Paſchalis enim agnus in tranſitu Domini percutientis primogenitos Ægyptiorum, ad educendam populum Iſrael ex Ægyptiaca ſeruitute immolatus eſt. Et ideo Chriſtus immolatus in cruce in tranſitu ſuo ex hoc mundo ad patrem ad redimendum genus humanum ex ſeruitute diaboli, paſcha noſtrum pro nobis immolatum dicitur. Clare per hoc probatur Chriſtianos eſſe in ſtatu ſine fermento, hoc eſt puritatis: quia tempus eſt paſchale quo noſtrum paſcha pro nobis immolatus eſt Chriſtus: adhuc enim ſumus in tranſitu ex Ægypto ad cæleſtem patriam nobis promiſſam, ad quam per hoc paſcha immolatũ redẽpti ſumus deducẽdi. *Azymi, id eſt, infermentati.* *Paſcha Hebraicè tranſitus, Græcè paſſio.*

ITAQVE EPVLEMVR, pro *feſtum celebremus*. Infert ex paſchate immolato agendam celebritatem, alludens ad cærimonias veteris Teſtamenti. NON IN FERMENTO VETERI, NEQVE IN FERMENTO MALITIÆ ET NEQVITIÆ. hoc eſt, non in admiſtione vetuſtatis, id eſt, defectus, ſeu corruptionis vitæ & morum. Et in hoc tangitur communiſſima radix omnium malorum: per admiſtionem autem malitiæ & nequitiæ tanguntur propinquæ cauſæ peccatorum, tanquam primariæ communis radicis. Et *malitia* quidem communis eſt omnibus peccatis, quæ ex propoſito lædendi fiunt: *nequitia* autem proprie ſpectat ad peccata omiſſionis: ſicut homo nequam propriè eſt homo inutilis, velut nihil valens. Quia tamen omiſſiones cauſantur ex libidine, nequitia vitium eſt comprehendens non ſolum omiſſiones, ſed etiam alia peccata, & alia huiuſmodi vitia, Verſ. 8. *Fermentum vetus quodnam.* *Malitia. Nequitia.*

ex quibus homo redditur inutilis. Vnde ſub his comprehendit Paulus vniuerſa peccata.

SED IN AZYMIS SINCERITATIS ET VERITATIS. Fermētatis panibus opponuntur azymi, & admiſtioni vitiorum opponitur puritas, ſynceritatis quidem in affectu, veritatis autem in intellectu: vt & affectus admiſtionem reiiciat cuiuſcunque immunditiæ aut detrimenti, & intellectus admiſtionem falſitatis, fallaciæ, & id genus reliquorum.

Verſ. 9. SCRIPSI VOBIS IN EPISTOLA. Correctis Corinthiis de gloriatione & omiſſione, monet eos qualiter de cætero cum criminoſis ſe habere debent: monet autem repetendo quod per aliam epiſtolam (quæ non habetur hodie) ſcripſerat illis: vt explicet ſuum mandatum, & adiungat, NE COMMISCEAMINI FORNICARIIS. Ecce quod ſcripſi, ne commiſceamini non ſolùm peccando, ſed etiam conuerſando.

Aliam epiſtolam ſcripſerat Corinthiis D. Paulus, quam non habemus.

Verſ. 10. NON VTIQVE, pro, *& non omnino*, hoc eſt, & non penitus, non totaliter. Eſt enim ſenſus, quod ſcripſi vobis ne commiſceamini & non omnino. Si dixiſſet ne commiſceamini omnino, prohibuiſſet omnimodam conuerſationem cum criminoſis: dicendo autem *& non omnino*, prohibuit conuerſationem cum illis, ſed non omnimodam. Hæc fuit vna conditio prioris mandati. Altera verò conditio ſubiungitur, FORNICARIIS HVIVS MVNDI, hoc eſt, ſcripſi de fornicariis in communi cuiuſcunque nationis, profeſſionis vel conditionis, non tantùm patriæ veſtræ aut profeſſionis Chriſtianæ, ſed mundi: hoc eſt, locutus ſum de omnibus criminoſis in genere. AVT AVARIS, AVT RAPACIBVS, AVT IDOLIS SERVIENTIBVS. Non ſcripſi tantùm de criminoſis peccato carnis, ſed de auaris auaritia (quæ eſt ſpecies iniuſtitiæ) fraudibus, furtis, & huiuſmodi ſe exercente. Rapacitas autem violentiam ſuperaddit. Et in his comprehenditur vniuerſitas criminoſorum. Sub peccatis carnalibus comprehenduntur omnia peccata in ſeipſum, ſub auaritia autem & rapacitate, omnia peccata in proximum, ſub idololatria verò omnia peccata in Deum. ALIOQVIN DEBVERATIS DE HOC MVNDO EXISSE. pro, *quoniam debetis vtique ex mundo exiſſe.* Ratio quare mandauit olim hoc fuit, quoniam debetis vtique ex mundo, ex affectibus mundanis exiſſe: non exire, ſed exiſſe, tunc cum fuiſtis baptizati. Hæc ſunt quæ olim ſcripſerat.

Sub his omnia criminum genera comprehendit.

Verſ. 11. NVNC AVTEM SCRIPSI VOBIS in hac epiſtola. NON COMMISCERI. Olim appoſui *& non omnino*: nunc autem abſolutè dico *non commiſceri*, tanquam tollens illam particulam *non omnino*. SI IS QVI FRATER NOMINATVR INTER VOS. Superfluit *inter vos*: loquitur enim de omnibus qui nominantur Chriſtiani vbique terrarum, & non inter Corinthios tantum. Tunc enim quilibet Chriſtianus nominabatur frater alius Chriſtiani: iuxta verbum Chriſti, *omnes vos fratres eſtis.* Limitat id quod dixerat *non commiſceri*, ad Chriſtianos: vbi olim dixerat in communi de fornicariis mundi, ſiue Chriſtianis, ſiue non Chriſtianis. EST FORNICATOR, AVT AVARVS, AVT IDOLIS SERVIENS, AVT MALEDICVS, AVT EBRIOSVS, AVT RAPAX. Vbi patet quod omnes criminoſos Chriſtianos comprehendit. CVM HVIVSMODI NEC CIBVM SVMERE. Ecce quod omnino prohibet commiſceri huiuſmodi: quod prius non prohibuerat omnino. Vbi conſiderandum eſt, Domini ſententiam mitiorem eſſe: nam Dominus dixit; *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi vt ethnicus.* Paulus autem plus vitandum, quàm ethnicum cenſet. Matth. 18.

Verſ. 12. QVID ENIM MIHI DE IIS QVI FORIS SVNT IVDICARE? Rationem reddit limitationis ad Chriſtianos, quia nihil ad me attinet iudicare non Chriſtianos: ſubtractio ſiquidem conuerſationis in pœnam criminoſorum indicitur. Et propterea Paulus diſtinguit inter Chriſtianos criminoſos, & non Chriſtianos criminoſos. Et Chriſtianos quidem tanquam ſubiectos ſuo iudicio punit, mandando aliis vt cum eo non conuerſentur: vſque adeò vt nec ſimul comedant: non Chriſtianos autem tanquam foris (tanquam extra iuriſdictionem ſuā) exiſtentes non punit, quia non ſpectat ad eum iudicare illos. NONNE DE IIS QVI INTVS SVNT VOS IVDICATIS? Manifeſtat diſcretionē quam fecit, ex communi vſu iudicum. Pronomen enim *vos*, demonſtrat homines cum exercent officium iudicis. Commune ſiquidem eſt omnibus iudicare eos qui comprehenduntur infra terminos ſuæ iuriſdictionis. Vel pronomen *vos* demonſtrat iudices in Eccleſia Corinthiorum: & ex vſu eorum (quod iudicant tantùm Chriſtianos) probat rationabilem eſſe diſcretionem quam fecit.

De iis qui foris ſunt non iudicat Apoſtolus

Verſ. 13. NAM EOS QVI FORIS SVNT DEVS IVDICABIT. Ne impunes putares relinqui non Chriſtianos, aut melioris conditionis, quàm Chriſtiani puniti per huiuſmodi excommunicationem, ſubiungit Paulus, quòd ſeueriori relinquuntur iudicio non Chriſtiani: quoniā Deus illos iudicabit: *horrendum* ſiquidem *eſt incidere in manus Dei viuentis.* AVFERTE MALVM EX VOBISIPSIS. Concludendo redit ad mandatum Corinthiis, vt exequantur decretam ſententiam, vt tollant illum fornicarium à conſortio ſuo: hoc eſt, vt excommunicent illum. Eſt enim maſculini generis *malum*, cùm dicitur *auferte malum*: vt textus Græcus manifeſtat. Et eſt (vt dictum eſt) ſenſus: auferte illum malum hominē.

CAPVT VI.

Verſ. 1. AVDET ALIQVIS VESTRVM HABENS NEGOTIVM ADVERSVS ALTERVM, IVDICARI APVD INIQVOS, ET NON APVD SANCTOS, Inflatis Corinthiis in nouis doctoribus poſtquam obiecit Paulus negligentiam excōmunicationis, modo conſequenter obiicit audaciam recurrendi ad iudices prophanos aduerſus Chriſtianos: vt vtrinque eos humiliet. Et dicendo *audet*, ſignificat ſe de illis loqui qui actores erant in iudiciis: hoc eſt, qui propriā voluntate ad prophanos ibant iudices. Et hoc ad differentiam conuentorum, in quorum libertate non erat declinare à iudicibus.

Verſ. 2. AN NESCITIS QVONIAM, pro *quod*, SANCTI MVNDVM IVDICABVNT? Manifeſtat quare reprehendit, quia ſcilicet derogat authoritati ſāctorum: quoniam ſancti iudicabunt mundum, quoniam erunt iudices vniuerſales, ac per hoc eorum authoritati detrahitur, poſtponendo eos infidelibus iudicibus. Iudicabunt autem

Sancti mundum iudicabunt.

ſancti mundum, tum comparatiue, tum vt aſſeſſores Christi. ET SI IN VOBIS IVDICABITVR, pro *iudicatur*, MVNDVS. Hinc apparet quòd de iudicio comparatiuè loquitur: nam mundus in præſenti iudicatur comparatiuè in vita, conſtantia, fortitudine, patientia, & aliis virtutibus ac meritis ſanctorum: quòd illi cùm non plus quàm homines ſint, tot virtutibus ac meritis fulgeant, & mundus non reſipiſcat. INDIGNI ESTIS QVI DE MINIMIS IVDICETIS? Interrogatiuè legendum eſt. Interpres ſenſum bene interpretatus eſt: ſecundum tamen Pauli verba legendum eſt, *Indigni eſtis minimis foris*, vt forum eſt locus iudicij, minimæ enim ſedes iudicij ſunt quæ ſunt iudiciorum de his minimis: puta ſpectantibus ad victum, ſeu ad facultates, de quibus ſunt quotidianæ lites.

Verſ. 3. NESCITIS QVONIAM, pro *quòd*. ANGELOS IVDICABIMVS? Auget authoritatem ſanctorum, quòd non ſolùm homines mundanos, ſed etiam Angelos iudicabunt. Quod intelligendum eſt de Angelis apoſtatis, quos etiam comparatiuè iudicabunt: quòd ipſi in fragili corpore inter tot flagella, oppreſſiones, &c. vicerint hoſtes, dæmones autem tam excellentis naturæ fuerint. QVANTO MAGIS SECVLARIA. Et hic quoque interpres ſenſum retulit, nec facile dictio Græca in ſua amplitudine potuit aliter interpretari. Significat enim ſpectantia ad vitam, ad victum, & ad facultates: quæ omnia comprehendit interpres ſub nomine *ſecularium*: hoc eſt, ſpectantium ad ſeculum cuiuſque. Propriè enim dicendum fortè fuiſſet, nedum pertinentia ad vſum vitæ, circa quæ verſantur quotidianæ lites.

Etiam Angelos iudicabunt: Quonam?

Verſ. 4. SECVLARIA IGITVR IVDICIA SI HABVERITIS. Eædem dictiones repetuntur in Paulo. & eſt ſenſus, pertinentium igitur ad vſum vitæ ſi habueritis fora: loca ſcilicet iudicij. Et dicit *ſi habueritis*, quia nollet illos habere: vt inferius ſubiunget. Reprehenſis ſiquidem Corinthiis, quòd vocarent in ius Chriſtianos ſub iudicibus infidelibus, inſtruit eos quid facere debent, incipiens à iudice, quod ſi fora habeant ratione huiuſmodi litium. CONTEMPTIBILES QVI SVNT IN ECCLESIA HOS CONSTITVITE AD IVDICANDVM. In Paulo habetur, *contemptos in eccleſia hos facite ſedere*. Et dicendo *facite ſedere*, clarè monſtrat quod de locis iudicij prælocutus eſt. Apellat autem *contemptos in eccleſia* eos qui quodammodo pro nihilo habentur in eccleſia. Et quorſum hos dicat conſtituendos iudices, exponit ſubiungendo,

Reprehenſis Corinthiis, quod ad prophanos iudices recurrerent, inſtruit eos, quid facere deceant.

Verſ. 5. AD VERECVNDIAM VESTRAM DICO. Vt erubeſcatis dico huiuſmodi deſpectos conſtituendos iudices. Et magis explicando ſubiungit. SIC? Rectius poneretur *ſicine*. NON EST INTER VOS SAPIENS QVISQVAM QVI POSSIT IVDICARE INTER FRATREM SVVM. Hebraico fortè more Paulus multitudinem fratrum ſingulari ſignificat nomine, dicendo *fratrem ſuum*: hoc eſt multitudinem fratrum ſuorum. Monet itaque vt ſapiens aliquis inſtituatur iudex multitudinis fratrum.

Verſ. 6. SED FRATER CVM FRATRE IVDICIO CONTENDIT. In Græco habetur *iudicatur*, vbi interpres dicit *iudicio contendit*, & ſenſum expreſſit. Reprehendit tamen Paulus perſeuerantiam quod non ſolùm attentabant, ſed proſequebantur litem vſque ad ſententiam incluſiue: hoc enim ſignificat, dicendo *iudicatur*. ET HOC APVD INFIDELES. Repetit exaggerando, vt explicet multiplex peccatum in hoc facto.

Verſ. 7. IAM QVIDEM OMNINO DELICTVM EST IN VOBIS QVOD IVDICIA HABEATIS INTER VOS. Hactenus reprehenderat quòd ad prophanos iudices recurrebant, inſtruens quod ſi iudicari vellent, ſapiens aliquis inſtrueretur iudex Chriſtianus: modò reprehendit ipſas lites. Et dicit peccatum eſſe quòd *iudicia* materialiter (hoc eſt lites, materias iudiciorum) habetis, vel potius quòd iudiciarias lites habetis. Quod aptè Paulus dicit: dum non ait quòd vtrique litigantes peccent, ſed quòd in eis eſt peccatum; hoc enim regulariter eſt verum, quoniam communiter lis oritur ex peccato, ſaltem vnius partis: & ſic peccatum eſt in eis confuſè loquendo de eis. Quod ideo oportet ſic intelligere: quia contingit quandoque (quamuis fortè rarò) alteram partem litigare ſine peccato vllo. QVARE NON MAGIS INIVRIAM ACCIPITIS, Diſcerne prudens lector quod vbi prius dixit omnino interuenire peccatum in litigantibus ambobus, vel ſaltem altero, modò ad inculpabiles dicit, *quare non magis iniuriam* manifeſtam *accipitis*: hoc eſt, patienter ſuſtinetis. Et ſimiliter, QVARE NON MAGIS FRAVDEM PATIMINI; quoad iniurias occultas. Lites enim aut propter iniuriam manifeſtam, aut propter iniuriam occultam fiunt. Nec mandat quòd potius iniuriam patiantur quàm litigent: ſed raram inſinuat fore cauſam quare non debent potius ſuſtinere iniuriam quam litigare. Quæ autem ſint huiuſmodi raritatis cauſæ, inferiùs ſubiunget, cùm dicet, *omnia mihi licent*.

Lites in Corinthiis arguit D. Paulus.

Lites vel ab iniuria manifeſta vel ab occulta fiunt.

Verſ. 8. SED VOS INIVRIAM FACITIS. non ſolùm peccatum in vobis eſt quòd litigatis, ſed peius quòd vos iniuriam facitis manifeſtam. Et FRAVDATIS, iniuria occulta. ET HOC FRATRIBVS. Exaggerat quod vtramque iniuriam inferrent fratribus: id eſt Chriſtianis qui debent magis amari.

Verſ. 9. AN NESCITIS. Duo propoſuit: alterum *quare non magis*, &c. alterum *ſed vos iniuriam facitis*, &c. Tractaturus vtrumque incipit ab vltimo. QVOD INIQVI REGNVM DEI NON POSSIDEBVNT; Quare autem hanc pœnam explicauerit, ſubiungit, NOLITE ERRARE, pro *ne erretis*, Ex his enim inſinuari videtur quod aut error erat inter aliquos ibi, quòd Chriſtiani omnes ſaluarentur, aut quòd blandiebantur ſimplicibus Chriſtiani peccantes, quod tandem peruenirent ad regnum Dei: vel quod potius crediderint, præcauet Paulus, ne ex peccatis ducantur in errorem promittentium regnum Dei Chriſtianis quamuis peccatoribus. NEQVE FORNICARII, NEQVE IDOLIS SERVIENTES, NEQVE ADVLTERI,

Cur iniquos regnum Dei non poſſeſſuros hic dicat Apoſtolus?

Verſ. 10. NEQVE MOLLES, NEQVE MASCVLORVM CONCVBITORES, NEQVE FVRES, NEQVE AVARI, NEQVE EBRIOSI, NEQVE MALEDICI, NEQVE RAPACES, REGNVM DEI POSSIDEBVNT, Sententia clara eſt. Hic tamen eſt aduertendum quod ebrioſos Paulus excludit à regno Dei: ſignificans per hanc connumerationem peccare eos mortaliter: nullus enim Chriſtianus excludetur à regno Dei, niſi propter peccatum mortale.

Verſ. 11. ET HÆC ALIQVANDO QVIDEM FVISTIS. pro, *& hæc aliqui fuiſtis*. Non dicit abſolutè *& hæc fuiſtis*: ſed dicit vagè de quibuſdam, ſed hæc aliqui fuiſtis. SED ABLVTI ESTIS. per baptiſmum à ſordibus peccatorum. SED SANCTIFICATI ESTIS. Multa enim abluuntur quæ non perfectè mundantur, & propterea ablutioni adiungit Paulus ſanctificationem, ſignificans quòd non ſolum abluti ſunt, ſed facti ſunt mundi ab immunditia peccatorum. SED IVSTIFICATI ESTIS. Tam ablutio quàm ſanctificatio abiicit terminum *à quo*: hoc eſt, immunditiam peccati. Iuſtificatio autem terminum *ad quem* (hoc eſt, iuſtitiam) inducit. Non ſolum eſtis abluti & ſanctificati; ſed eſtis facti iuſti apud Deum per infuſam gratiam charitatis, fidei, ac ſpei æternæ. IN NOMINE DOMINI IESV. quantùm ad inuocationem exteriorem in baptiſmo factam. ET IN SPIRITV DEI NOSTRI. quantùm ad internam cauſam ſpiritualis gratiæ.

Verſ. 12. OMNIA MIHI LICENT. Tractat alterum prius propoſitum, ſcilicet, *quare non magis iniuriam accipitis*, &c. explicando duas cauſas, ratæ excuſationis. Licitum ſiquidem eſſe inſinuat vexato defendere cauſam ſuam iudicialiter, dicendo, *omnia mihi licent*: verùm ratam eſſe rationabilem cauſam exequendi hoc licitum, manifeſtat ex hoc quòd raro contingit huiuſmodi executio abſque altero duorum accidentium quæ debent retrahere ab huiuſmodi executione. Cùm autem legis *omnia mihi licent*, memento diſtributionis accommodæ: *omnia* quæ non ſunt ex ſuo genere præcepta nec prohibita, & non *omnia* abſolutè, mihi licent.

Licitum eſt vexato defendere cauſam ſuam iudicialiter, ſed raro expedit

SED NON OMNIA EXPEDIVNT. pro, *conducunt*, ſubaudi ad vitam ſpiritus. Et hoc eſt primum accidens retractiuum vexati à litigando, ſcilicet ſi litigare non eſt vtile ad vitam ſpiritus. Ea enim quæ non ſunt vtilia ad vitam ſpiritualem, quamuis ſecundum ſe ſint licita, omittenda cenſet. OMNIA MIHI LICENT, SED EGO SVB NVLLIVS REDIGAR POTESTATEM. Aduerte circa literam, erudite lector, quod in Græco vnum verbum habetur, loco cuius interpres poſuit *redigar poteſtatem*: & ſcito quod verbum illud deriuatur à dictione interpretata *licet*. Ita quod conſtat eiuſdem eſſe ſignificationis vtramque dictionem, primitiuam & deriuatiuam: & conſequenter recta interpretatio alteram dictionem debet mutare, aut *poteſtatem*, aut *licent*.

Cogor autem ex aduerſatiua coniunctione *ſed*, ſentire quod non eſt vertenda dictio *licent*, vt ſignificet *poſſe*, dicendo: *omnia in mea ſunt poteſtate, ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem*: quoniam minùs quadrat aduerſatiua coniunctio. Dicenti enim *omnia in mea ſunt poteſtate*, non congruit ſubiungere: *ſed ego ſub nullius redigar poteſtatem*; imò ſubiungere debuiſſet, *ideo ego ſub nullius redigar poteſtate*. Accedit ad hæc quod Græca dictio primitiua propriè ſignificet *licere*: ac per hoc deriuatiua dictio ſignificat propriè ſpectans ad *licere*, quamuis per extenſionem ſeu tranſlationem pluries huiuſmodi dictio propriè ſignificans *licentiam* interpretata ſit *poteſtas*, ea ratione quia quod licet poſſumus. Amplectendo igitur propriam ſignificationem, & ſeruando congruitatem ſermonis aduerſatiui, mutanda eſt dictio deriuatiua interpretata *redigar poteſtatem*, & interpretanda eſt aliquid ſpectans ad licentiam. Et legendum eſſet; *Sed non ego ab vllo fiam licentioſus*. Præpoſitio ſiquidem interpretata *ſub*, non magis ſignificat *ſub*, quàm *ab*. Et eſt ſenſus, omnia non prohibita mihi licent, ſed non propterea ego ab vlla re, ab vllo negotio, ab vllo occurſu fiam licentioſus. Et hoc eſt alterum retractiuum vexati à litigando, ſi litigando fieret licentioſus: puta ſi propter litem religioſus fieret curialis ſeu vagus, & huiuſmodi. Et hoc ſecundum accidens eſt peius primo: quoniam primum conſiſtit in negatione vtilitatis ad vitam ſpiritualem: hoc autem ſecundum in implicatione diſtrahentium, ſeu minus decentium. Hæc itaque duo vult Paulus conſideranda eſſe ante executionem licitorum: & vbi nullum iſtorum accidit (quod non frequens videtur) exequi poteſt homo quod licitum eſt.

Contextus & dictionum interpretatio.

ESCA. pro, *eſca*. VENTRI, ET VENTER ESCIS: Verſ. 13.
DEVS AVTEM ET HVNC ET HANC. pro, *& has*. DESTRVET. Inter peccata priuantia à regno cœlorum annumerauerat Paulus ſuperius fornicationem diſtinctam contra adulterium & alias ſpecies luxuriæ: & quoniam apud gentiles ſimplex fornicatio non reputabatur peccatum, ideo Paulus rationem intendit reddere quare ſimplex fornicatio peccatum eſt excludens à regno Dei. Et quoniam fundat rationem ſuam ſuper ſtatum ſpiritualem, ad quem ordinati ſumus (hîc inchoatiuè, & in futuro conſummatè), ideo incipit à differentia inter ſtatum tum gratiæ & ſtatum naturæ, tum inter ſtatum ſpiritualem & ſtatum animalem; vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant. Et propterea à ſtatu naturæ ſeu animali inchoat deſcribendo ipſum tam in præſenti vita quàm in futura. Et quoad præſentem quidem vitam deſcribit, dicendo, *eſca ventri & venter eſcis*: quoad futuram verò, quòd Deus deſtruet & ventrem & eſcas. Vſus ventris in hac vita decoctio eſcarum eſt: & è conuerſo vſus eſcarum in ventre fit. Et propterea venter ordinatur ſuapte natura ad alimentum, & è conuerſo alimentum ordinatur ad ventrem tanquam proprium locum. Et in hoc conſiſtit vita animalis, vt patet. In futura autem vita quia ſumptis corporibus homines erunt ſimiles Angelis. Deus deſtruet ventrem (non quantùm ad ſubſtantiam, ſed quantùm ad vſum decoctionis eſcarum) & deſtruet eſcas non ſolum quatenus eſcæ ſunt, ſed ſimpliciter: credimus enim mixta omnia ex quibus nutrimur, deſtruenda. Ecce ſtatus animalis: vide ſpiritualem. CORPVS AVTEM NON FORNICATIONI, SED DOMINO, ET DOMINVS CORPORI. E regione ad id quod dixerat *eſca ventri & venter eſcis* dicit, *corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori*: è regione verò ad id quod dixerat: *Deus autem & hunc & has deſtruet*, modò dicit:

Probat ſimplicem fornicationem excludere à regno Dei.

Deſtruet Deus ventrem & eſcas quomodo.

DEVS VERÒ ET DOMINVM SVSCITAVIT, ET Verſ. 14.
NOS SVSCITABIT PER VIRTVTEM SVAM. hoc eſt, *potentiam ſuam*. Et deſcribitur ſtatus gratiæ, ſeu ſtatus ſpiritualis, & in præſenti vita & in futura. Et quoad præſentem quidem vitam dicit, quod *corpus non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori*: hoc eſt corpus non ordinatur ad fornicandum, ſed ad Domini gloriam, & Dominus eſt ad vtilitatem corporis.

Vbi aduerte prudens lector, quod in ſtatu

animali nihil peccati narrauit, ſed tantum naturalia officia ventris & eſcarum: in ſtatu quoque ſpiritus illa tantum quæ pertinent ad ſpiritualia officia affert, & propterea excludit ordinem corporis ad peccatum fornicationis, & aſſumat ordinem corporis ad Dominum, & è conuerſo; vt hinc intelligamus, quod non loquitur de naturali ordine corporis ad actum generandi, ſed de non ordine corporis ad peccatum fornicandi. Ordo enim corporis ad generandum ſpectat ad ſtatum animalem: ſed quia non ab omnibus exercetur, ſed ab omnibus exercetur vſus ventris & alimenti, ideo ſtatum animalem ab officio ventris & alimenti, & non ab officio generandi deſcripſit. Quomodo autem hæc verificentur, ſigillatim Paulus declarat in textu, more ſuo propoſita exequens.

Verſ. 15. Nescitis qvoniam, pro, *quod*, corpora vestra membra svnt Christi? Declarat illam particulam *corpus Domino*: explicando modum quo corpora noſtra ſunt ordinata ad Dominum, ſcilicet vt membra Chriſti, ſecundum

Rom. 12. 5. id quod alibi dicit, *multi vnum corpus ſumus in Chriſto*. Ita quod Chriſtus eſt ſicut perſona, & Eccleſia eſt corpus eius: ac per eã nos membra eius. Corpora ergo noſtra ex vi ſtatus Chriſtiani ſunt ordinata vt ſint membra Chriſti: & niſi ex parte noſtra ponatur obex peccati, ſunt per baptiſmum membra Chriſti.

Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Horrendo declarat illam aduerſatiuam, *non fornicationi, ſed Chriſto*, declarans contrarietatem inter *corpus Domino* & *corpus fornicationi*. Et ſignificanter dicit *meretricis*: vt intelligamus quod de ſimplici fornicatione tractat. Absit. Horrentis eſt.

Verſ. 16. An nescitis. Duo intendit Paulus declarare, alterum eſt quomodo membra fornicantis ſunt membra meretricis; alterum, quomodo nos ſumus membra Chriſti. Et inchoans a primo, dicit, Qvoniam. pro, *quod*, Qvi adhæret meretrici, vnvm corpvs efficitvr. pro, *eſt*. Ervnt enim, inqvit, dvo in carne vna. Verbum Adæ Geneſ. 2. ſcriptum affert ad declarandum fornicantis & meretricis eſſe corpus vnum. Vbi aduerte quod quamuis Adam dixerit hæc verba de coniugibus, Paulus tamen extendit ad fornicantes propter identitatem rationis. Non enim differunt niſi *ſecundum quid* & *ſimpliciter*. Coniuges enim ponunt ſimpliciter corpora ſua in communi: fornicantes autem ponunt pro tunc corpora ſua in communi. Senſus enim literalis (vt in Euangelijs declarauimus) eſt quod ſicut alij ponentes facultates ſuas in communi, ſunt multi in vna facultate, & ſic de ſimilibus ſocietatibus, ita coniuges ponunt carnes ſuas in communi, & propterea dicuntur vna caro, pro indiuiſo habentes carnes: ſicut pro indiuiſo exiſtentibus facultatibus dicitur vna facultas. Et coniuges quidem habent hanc indiuiſionem, non ad tempus, ſed ſimpliciter, fornicantes autem pro tunc: & propterea Paulus dixit etiam fornicantium eſſe carnem vnam.

Fornicantis & meretricis vnum eſt corpus.

Verſ. 17. Qvi avtem adhæret domino. Declarat alterum ex ſimilitudine primi, ſicut communicantes carnes ſunt vna caro, ita adhærens ſpiritu Domino Vnvs spiritvs est. ſcilicet ipſius adhærentis, & Domini. In quo declarat quomodo ſumus membra Chriſti, ſcilicet non vnione corporali, ſed vnione ſpiritus. Vnus ſiquidem atque idem eſt ſpiritus meus, & meorum membrorum: & vnus proportionaliter eſt ſpiritus Chriſti, & ſpiritus adhærentium ei. Intelige autem *vnum* quemadmodum diximus de vnitate carnis, & de vnitate facultatis indiuiſæ: adhærentes ſiquidem Domino & Dominus, ponunt quodammodo ſpiritus in communi, vt tanquam pro indiuiſo habeant ſpiritum communem vtrinque, & ſic vnus ſpiritus eſt adhærentis Domino & Domini. Quod in hac vita inchoatiuè apparet in ſanctis conformantibus ſpiritum ſuum in omnibus Deo, & Deo faciente voluntatem timentium ſe.

Qui adhæret Chriſto, vnus ſpiritus eſt cum eo.

Verſ. 18. Fvgite fornicationem. Declarat ſeorſum illam particulam, *corpus non fornicationi*. Et ſignificanter dicit *fugite*, tanquam inſequentem & ſerpentem in non fugientes. Cum reliquis enim vitiis congreſſus haberi poteſt rationibus pugnando, cum vitiis autem carnalibus non eſt pugnandum: quoniam ſerpunt in cogitationes etiam contra illa, ſed victoria per fugam habetur: fugiendo ſcilicet etiam cogitationes omnes talis generis. Omne peccatvm qvodcvnqve fecerit homo: hoc eſt, omne genus humani peccati. Extra corpvs est. hoc eſt, extra iniuriam corporis eſt. Et ſignificanter dicit *peccatum*: non dicit effectus peccati. Quod dicimus propter peccatum gulæ, quod non eſt in iniuriam corporis, niſi ratione effectus nocentis corpori. Qvi avtem fornicatvr, in corpvs svvm peccat. Iniuriam ſiquidem facit corpori ſuo pro indiuiſo ponendo illud cum corpore meretricis: dehonoratur enim corpus: ſicut ſi aliquis poneret pro indiuiſo rem nobilem cum re vili, iniuriam faceret rei nobili.

Cum vitiis carnalibus non eſt pugnandum, ſed fugiendum.

Verſ. 19. An nescitis qvoniam. pro, *quòd*, membra, pro, *corpora*, vestra. Declarat illam particulam, *& Dominus corpori*. Templvm svnt spiritvs sancti qvi in vobis est, qvem habetis a Deo? Ecce quomodo *Dominus corpori*, ſcilicet, conſtituendo corpora noſtra templum Spiritus ſancti, non futuri, ſed exiſtentis in nobis, non vndecunque ſed ex dono Dei. Per hoc enim declaratur quòd Dominus corpori adeſt maximo dono Spiritus ſancti, vtentis corporibus noſtris vt templo, ad ſacros ſcilicet vſus. Et non estis vestri. Accumulat dona quibus *Dominus corpori*: ſimul reddens rationem cur meritò Spiritus ſanctus vtitur nobis vt templo ſuo (hoc eſt, ad vſus ſpirituales dicauit nos & corpora noſtra) quia nos non ſumus noſtri, ſed Domini. Et ratio ſubditur:

Corpora noſtra templum ſunt Spiritus ſancti.

Verſ. 20. Empti enim estis pretio magno. Superfluit *magno*. Ecce ſimul ratio quare non ſumus noſtri, ſed Domini qui emit nos, & donum pretij pro redemptione noſtra: vt vere videamus quod *Dominus corpori* fundendo pretium ſanguinis ſui pro redemptione noſtra. Glorificate et portate. Superfluunt duæ dictiones, *& portate*. Devm in corpore vestro. Concludit Paulus declaratis omnibus propoſitis deſcribentibus corporis ſtatum ſpiritualem in præſenti vita, vt glorificent Deum in corporibus ſuis, quod fit ſeruando corpus mundum à peccatis carnalibus, & exhibendo corpus ad obſequia ſpiritus. Deſunt ſeptem dictiones. *Et in ſpiritu veſtro quæ Dei ſunt*. Quia corpora noſtra

ſtra declarauerat eſſe Domino vinculo ſpiritus, ideo concludit vtrumque ſcilicet *glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ Dei ſunt*. Spiritus enim noſter non corpus, diſcernit quæ Dei ſunt, & propterea mandat quod in ſpiritu noſtro glorificemus ea quæ Dei ſunt, tanquam in cognoſcente illa, tam extrinſeca (vt creatio, redemptio, ſapientia, prouidentia) quam intrinſeca: vt virtutes & dona Spiritus ſancti.

CAPVT VII.

Verſ. 1. DE QVIBVS AVTEM SCRIPSISTIS MIHI. Imperfecta eſt oratio, ſubaudiens, reſpondebo. Scripſerant ſiquidem Corinthij Paulo neſcio quas quæſtiones de matrimonio. BONVM EST HOMINI MVLIEREM NON TANGERE. hoc eſt, vxorem non ducere. Nec aduerſatur Paulus verbo Dei Geneſ. 2. ſcripto, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: quoniam ſententia illa loquitur de homine ſecundum eſſe naturæ: non eſt autem bonum in eſſe naturali hominem eſſe ſolum, quoniam tollit naturalem multiplicationem. Paulus vero loquitur de homine relato ad vitam ſpiritualem, in qua bonum eſt non ducere vxorem: nonnihil enim impedimenti præſtatur ſpirituali vitæ ex coniugio.

Quæſtiones aliquas de matrimonio ſcripſerant Corinthij D. Paulo.

Geneſ. 2.18.

Verſ. 2. PROPTER FORNICATIONEM. pro, *fornicationes*, AVTEM VNVSQVISQVE SVAM VXOREM HABEAT, ET VNAQVÆQVE SVVM VIRVM HABEAT. Non dicit propter generationem quæ eſt primus finis coniugij, ſed propter fornicationes vitandas, quod eſt bonum ſecundarium coniugij: quoniam non tractat de coniugio in eſſe naturali, ſed (vt dictum eſt) in ordine ad vitam ſpiritus, cui longe magis aduerſatur fornicatio quam coniugium: & propterea vt ſaluetur vita ſpiritualis, dicit: propter fornicationes autem vitandas contrahatur coniugium. Et dicit pluraliter *fornicationes*, ad comprehendendum omnes luxuriæ ſpecies.

Verſ. 3. VXORI VIR DEBITVM. pro, *debitam beneuolentiam*, REDDAT: SIMILITER AVTEM ET VXOR VIRO. Poſtquam inſtruxit de contractu coniugij, inſtruit de vſu coniugij. Et honeſtiſſimo vtitur vocabulo dicendo *debitam beneuolentiam reddat*: ſignificando eſſe actum iuſtitiæ vſum coniugij.

Debitum coniugale.

Verſ. 4. MVLIER. pro, *vxor*, SVI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED VIR: SIMILITER AVTEM ET VIR SVI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED MVLIER. Rationem aſſignat debiti mutui inter coniuges, & vtrobique legendum eſt non *mulier*, ſed *vxor*.

Verſ. 5. NOLITE FRAVDARE. pro, *ne fraudetis*, ſeu *priuetis*. INVICEM. hoc eſt, ne ſubtrahatis debitum inuicem. Peccatum enim iniuſtitiæ eſt negare coniugi debitum, ſiue fraude (fingendo aliquam excuſationem) ſiue aperte negando. Et eſt ex ſuo genere peccatum mortale, ſicut quælibet iniuſtitia. NISI FORTE. pro, *quid*, ſeu *aliquando*. EX CONSENSV AD TEMPVS. Ex hac exceptione apparet quod dictio Græca potius interpretatur *priuetis* quam *fraudetis*: exceptio enim hæc non fit à fraude, ſed à mutua priuatione. VT VACETIS ORATIONI. Deſunt duæ dictiones. Legendum eſt, *Vt vacetis ieiunio & orationi*. Collige tres conditiones à Paulo appoſitas vacationi ab vſu coniugij: prima eſt ex conſenſu vtriuſque, ſecunda eſt ad tempus breue, tertia eſt vt vacent ieiunio & orationi. Talis enim continentia vtilis eſt ad vitam ſpiritualem. ET ITERVM REVERTIMINI IN IDIPSVM. pro, *conueniatis in idem*. Completo illo breui tempore iterum redeant ad vſum coniugij. Et cauſam ſubdit: NE TENTET VOS SATANAS PROPTER INCONTINENTIAM VESTRAM. Sententia clara eſt.

Negare coniugi debitum peccatum eſt iniuſtitiæ, & mortale.

Tres conditiones liberæ vacationis ab vſu coniugij.

HOC AVTEM DICO. Pronomen *hoc*, non arctatur ad vltimo dictum, ſed comprehendit totum, ſcilicet & contractum coniugij, & vſum eiuſdem. SECVNDVM INDVLGENTIAM, minus boni. NON SECVNDVM IMPERIVM. quo imperantur neceſſariò agenda. Verſ. 6.

VOLO AVTEM. pro *enim*, OMNES VOS. pro, *omnes homines*, ESSE SICVT MEIPSVM. Hortantis eſt, & non electionem, ſed velleitatem ſignificat. Vellet enim, ſi fieri poſſet, omnes homines eſſe continentes ſicut ipſe erat: ſicut de Deo ſcribitur quòd vult omnes homines ſaluos fieri. Et per hoc rationem reddit quare dixit *non ſecundum imperium*. Verſ. 7.

Et aduerte quod hic eſt vnus textus ex quo à nonnullis argumentum ſumitur quod Paulus habuerit vxorem. Arguunt enim quod loquens de vſu coniugij, cum dixiſſet *hoc autem ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium dico*, reddit rationem: *volo enim omnes homines eſſe ſicut meipſum*, coniugatum & abſtinentem ab vſu coniugij. Sed argumentum non habet ſolidum fundamentum: quia pronomen *hoc*, demonſtrat totum quod dictum eſt de contractu & vſu coniugij, & vtrumque dictum eſt *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Et ratio quadrat, quia vellem omnes homines eſſe ſicut meipſum inconiugatum. Et quòd iſte ſenſus ſit literalis, nunc verba diui Pauli teſtantur. SED VNVSQVISQVE PROPRIVM DONVM HABET EX DEO. quamuis ego vellem omnes homines eſſe inconiugatos, tamen ſcio non eſſe commune tantum donum omnibus, ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo. ALIVS QVIDEM SIC, ALIVS AVTEM SIC. puta vnus habet donum caſtitatis coniugalis, alius caſtitatis virgineæ, alius caſtitatis vidualis, &c.

Nonnulli nunc arguunt D. Paulum habuiſſe vxorem.

Alij alia habent Dei dona.

DICO AVTEM. Hactenus Paulus docuit homines in genere: modò incipit deſcendere ad ſingulas ſpecies, inchoans à viduis. NON NVPTIS. pro, *inconiugatis*. Non enim arctatur ſermo ad fœmineum ſexum, articulus enim Græcus indicat quod viros alloquitur. ET VIDVIS. Omittit virgines, referuans eas ſpeciali ſermoni inferiùs habendo. BONVM EST ILLIS. Superius in commune dixerat *bonum eſt homini*: modo in ſpecie dicit *bonum eſt illis*, expertis rem veneream. SI SIC PERMANSERINT SICVT ET EGO. bonum ad ſpiritualem vitam eſt illis perſeuerare ſine coniugio ſicut & ego. Vbi manifeſte Paulus commemorat ſe inter inconiugatos, & comprobat ſuperioris literæ expoſitam ſententiam: non tamen ex hoc textu habetur quod Paulus fuerit virgo. Verſ. 8.

Documenta viduis.

QVOD SI NON SE CONTINENT, NVBANT. MELIVS, pro, *bonum*, EST ENIM NVBERE QVAM VRI. Non de mulieribus tantum, ſed de vtroque ſexu Verſ. 9.

Melius eſt nubere quam vri.

ſexu dicuntur hæc: quanquam interpres vſus eſt vocabulo proprio mulieribus, ſcilicet *nubere*. Nec dicit Paulus melius eſſe (quod contineret tam nubere quam vri bonum eſſe) ſed dicit *ſatius eſt nubere quàm vri* igne concupiſcentiæ ſuperantis hominem incontinentem: hoc eſt ſuperari à concupiſcentia. Si tamen legitur *melius*, non oportet admittere quòd vtrumque eſt bonum: ſed conſueto loquendi more hoc dictum: dicimus enim melius eſt facere iacturam rerum quàm perſonarum, & id genus innumerabilia, perſpicuumque eſt neutrum eſſe bonum.

Verſ. 10. IIS AVTEM QVI MATRIMONIO IVNCTI SVNT. Poſtquam de contractu & vſu coniugij docuit: modò docet Corinthios de diuortiis. Et primò alloquitur coniuges Chriſtianos ambos. PRÆCIPIO NON EGO, SED DOMINVS. hoc eſt, non promulgo ego hoc præceptum, ſed Dominus promulgauit illud. Et primò quantùm ad vxorem. VXOREM A VIRO NON DISCEDERE. abſolutè loquendo.

Documenta de diuortijs.

Verſ. 11. QVÒD SI DISCESSERIT. in aliquo caſu rationabili. MANERE INNVPTAM, quoad vſum coniugij: hoc eſt maneat tanquam innupta expers maritalis conſortij. AVT VIRO SVO RECONCILIARI. vt maneat nupta quoad vſum coniugij. ET VIR VXOREM NON DIMITTAT. Vniuerſa hæc ſub præcepto Domini continentur. Tacet tamen hic Paulus exceptionem, quam adiecit Dominus Matth. 19. vt vxorem non dimittat *exceptâ fornicationis cauſa*: quæ ibidem declarauimus.

Verſ. 12. NAM CÆTERIS. pro, *cæteris autem*, ſcilicet coniugatis diſparis cultus. EGO DICO NON DOMINVS, ego promulgo doctrinam hanc, non Dominus promulgauit illam. SI QVIS FRATER VXOREM HABET INFIDELEM, ET HÆC CONSENTIT HABITARE CVM ILLO, NON DIMITTAT ILLAM.

De coniugio fidelis cum infideli.

Verſ. 13. ET SI QVA MVLIER FIDELIS HABET VIRVM INFIDELEM, ET HIC CONSENTIT HABITARE CVM ILLA, NON DIMITTAT VIRVM. Sententia doctrinæ clara eſt. Aduerte quod doctrina hæc non aduerſatur doctrinæ & facto Eſdræ, cum diuortia fecit Iudæorum & alienigenarum: vt legitur in fine primi Eſdræ. Caſus enim ille diuerſus eſt ab iſto: nam in caſu illo fideles contraxerant matrimonia cum infidelibus contra diuinam prohibitionem, Deuteron. 7. in caſu autem iſto ambo coniuges tempore contractus matrimonij erant infideles, & poſtea alter effectus eſt fidelis: vt patet ex verbis textus: nam clare ſonat conſenſum infidelis cum habito coniuge, non cum habendo, ſubiungendo non dimittat illum, proculdubio prius habitum.

Verſ. 14. SANCTIFICATVS EST ENIM VIR INFIDELIS. rationem reddit dictæ doctrinæ: quia infidelis coniux ſanctificatur (hoc eſt purificatur, fit mundus) in coniuge fideli. PER MVLIEREM FIDELEM. Superfluit *fidelem*, tam hic quam cùm ſubiungitur *per virum fidelem*: & præpoſitio *per*, vtrobique eſt præpoſitio *in*. Ita quòd legendum eſt, *In muliere, & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro*. Et dixit hoc tum ad tollendum timorem contagionis ne timeret fidelis coniux infici ex commercio cum infideli, tum ad prouocandum affectum ad commanendum ſimul, ex hoc quòd tanta eſt vis Chriſtianæ gratiæ in altero coniugum, quòd vincit immunditiam alterius, & mundat alterum inquantum coniugem, ſi conſenſus adeſt vtrique ad permanendum in coniugio.

Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidem.

ALIOQVIN FILII VESTRI IMMVNDI ESSENT. pro, *ſunt*. NVNC AVTEM SANCTI SVNT. Hinc apparet primò quòd ſanctitas hoc in loco pro mundicia ſumitur, ita quòd ſanctificari eſt mundum fieri, & eſſe ſanctum, eſt eſſe mundum. Apparet autem clarè ex eo quod dicitur *alioquin immundi ſunt*, præter hoc quòd ſanctitas propriè ſignificat munditiam.

Sanctitas pro munditia.

Apparet ſecundò de quali ſanctitate ſeu munditia eſt ſermo, ſcilicet de illa quæ euidenter inuenitur in filiis eorum. Vniuerſa enim ratio fundatur in hoc, *nunc autem ſancti ſunt*: ad hoc enim tanquam euidenter patens reſoluitur tota ratio. Conſtat autem quòd in filiis iſtorum nulla inuenitur ſanctitas gratiæ: cùm non ſit ſermo de baptizatis filiis, ſed de filiis, & breuiter diſcurrendo, nulla eſt alia euidens ſanctitas ſeu munditia in filiis niſi legalis.

Ad cuius intellectum conſiderandum eſt quòd diſparitas cultus abſolute inter coniuges eſt quædam illegalitas, non ſolùm referendo coniuges ad inuicem, ſed etiam ad prolem. Rationis enim ordo expoſcit conformitatem coniugum inter ſe quemadmodum in nobilitate & moribus, ita & in religione: & redundat huiuſmodi diſparitas in diſparem eruditionem prolis. Et hinc oritur quòd abſolute loquendo, filij parentum diſparis cultus immundi ſunt immunditiâ legali: ſunt enim minus legitimi vtpote variam trahentes à parentibus eruditionem ad quam ordinatur coniugium. Hanc illegalitatem dicit Paulus tolli ex conſenſu infidelis ad commanendum cum fideli coniuge: & ob abiectionem talis immunditiæ legalis dicitur ſanctificatus infidelis in coniuge fideli. Et hoc ab effectu manifeſtat: alioquin: ſcilicet, ſi non ſanctificatus eſſet, filij veſtri immundi ſunt, immunditiâ legali: conſtat autem quòd nunc ſancti ſunt, hoc eſt mundi ab immunditia legali. Ratio autem quare fidelis coniux mundificet infidelem non ſimpliciter, ſed quoad coniugium, à Paulo non aliter intimatur quam in conſenſu infidelis ad perſeuerandum cum coniuge fideli. Innuit enim per hoc quòd conſenſus talis quo non horret Chriſtianam fidem, vitamque ſpiritualem in coniuge, efficit vt non abominaturus quoque ſit Chriſtianam eruditionem in prole: at per hoc quatenus coniux, ſanctificatus eſt vtens coniugio cum fideli.

Filij parentum diſparis cultus immundi ſunt immunditia legali.

Verſ. 15. QVÒD SI INFIDELIS DISCEDIT. Poſtquam docuit quid agendum cùm infidelis conſentit, modò conſequenter docet quid agendum, ſi infidelis non vult perſeuerare in coniugio, ſed ſeparatur. DISCEDAT. ſeparetur. NON ENIM SERVITVTI SVBIECTVS EST FRATER VEL SOROR IN HVIVSMODI. hoc eſt, in eiuſmodi euentu non eſt ſeruituti coniugij ſubiectus frater vel ſoror: hoc eſt Chriſtianus ſeu Chriſtiana coniux. In hoc ſenſu communiter intelligit hæc Pauli verba Eccleſia: hinc enim intelligit liberum eſſe tam Chriſtianum quàm Chriſtianam coniugem ſi infidelis coniux ſeparatur, ad contrahendum cum alio ſeu alia coniugium.

Quid agendum fideli coniugi, ſi coniux infidelis vult ſeparari?

Dico autem hoc: quia Paulus non aperte explicat talem libertatem, ſed negat ſubiectum

eſſe

eſſe ſeruituti in huiuſmodi. Quæ verba ſi exacte diſcutiantur, ſolum ſignificant quòd in huiuſmodi diſceſſibus, ſeu ſeparationibus infidelis à fideli (infidelis coniugis à fideli coniuge, infidelis filij à fideli patre, infidelis patris à fideli filio, infidelis filiæ à fideli matre, & è conuerſo, & ſic de alijs) nullus frater aut ſoror (hoc eſt nullus Chriſtianus aut Chriſtiana) eſt ſubiectus ſeruituti priori: puta quâ filius tenetur patri & è conuerſo, quâ filia tenetur matri & è conuerſo; quâ vxor marito, & è conuerſo. Sed hinc non conuincitur quod ſit ſolutum vinculum coniugale, ſicut non ſoluitur vinculum filiale aut paternum.

Hinc non conuincitur ſolutio vinculi coniugalis.

Et ſi præciſè in materia coniugij intelligantur, in promptu eſt literalis ſenſus quod in huiuſmodi diſceſſibus non eſt ſeruituti morem gerendi coniugi ſubiectus frater aut ſoror, Chriſtianus aut Chriſtiana coniux, ſed hinc non habetur ſolutio coniugij, vt patet. Et non ſolùm miror, ſed ſtupeo quod Chriſto clare excipiente cauſam fornicationis, torrens Doctorum non admittit illam mariti libertatem: Paulo autem non clare dicente, interpretata ſit ſolutio coniugij ex cauſa alia ab explicata à Chriſto & ſola exceptâ. Quia tamen antiquo Eccleſiæ vſu ſenſum communem textus huius firmatum credo, & textus capax eſt huius ſenſus communis: ideo dicendum eſt quod Dominus in Euangelio non communem vtrique coniugi, ſed marito proprium tradidit libertatis legem, vt textus ipſe manifeſte dicit. Paulus autem communem vtrique coniugi legem libertatis promulgat, authoritate proculdubio diuinâ: quâ ſola ſeparari poteſt quod Deus coniunxit: iuxta verbum Domini de coniugio: non Chriſtianorum, ſed ab initio mundi inſtituto, *quod Deus coniunxit homo non ſeparet*. Et propterea diuerſæ libertatis cauſæ aſſignantur, à Domino quidem cauſa propria marito; à Paulo autem cauſa vtrique coniugi communis. Imparem enim Dominus iudicat maritum & vxorem quoad fornicationem: quia impar eſt ſecundum naturalem horrorem, & repugnantiam ad certitudinem patris prolis. Infidelitas autem, quæ ad animam ſpectat, paris cenſetur iuris in vtroque coniuge à Paulo. Et hæc dicta ſint ad ſatisfaciendum quæſtioni de contrarietate doctrinæ Pauli ad doctrinam Chriſti. Chriſtus enim ſolam fornicationis cauſam excipit: Paulus autem alteram docens cauſam, docet non eſſe ſolam fornicationis cauſam. Paulus, dico, vt communiter exponitur: quia (vt dictum eſt, & textus ſonat) Paulus non ſonat ſolutionem coniugij.

Chriſtus in Euangelio ſoli marito, Paulus vero hic vtrique coniugi legem libertatis promulgat.

In pacem autem vocavit vos, pro, nos, Devs. Duo poterant obſtare libero diſceſſui infidelis coniugis. Alterum ex parte vinculi remanentis in Chriſtiano, & hoc exclauit dicendo, *non enim ſeruituti*, &c. Alterum ex parte iuris quod habet Chriſtianus contra infidelem diſcedentem, & hoc modo excludit, dicendo quòd *in pace vocauit nos Deus*. Ac ſi apertius dixiſſet, nolite litigare contra diſcedentem petendo ius veſtrum, ſed ſi diſcedit, diſcedat: quia Deus vocauit nos non ad litigandum, ſed ad pacem.

Verſ. 16. Vnde pro, *quid*, enim scis mvlier, si virvm salvvm facies. Propoſuerat ſimplicem concluſionem quòd ſi infidelis conſentit non dimittatur, modò reddit rationem quare non debet infidelem dimittere. Et ſumitur ratio ex ſpe ſaluandi infidelem. Avt vnde, pro, *quid*, scis vir si mvlierem salvam facies,

Rationem affert cur fidelis non debet infidelem dimittere.

Nisi vnicviqve sicvt divisit Dominvs? pro, *Deus*, vnvmqvenqve sicvt vocavit Verſ. 17.
Devs, pro, *Dominus*, ita ambvlet. Et eſt ordo literæ: quid ſcis de futura ſalute coniugis niſi quilibet ambulet tam ſicut diuiſit illi Deus, quam ſicut vocauit illum Deus. Ac ſi pendeat ſcire coniugem ſaluandam ex perſeuerantia in ſtatu in quo vocatus eſt. Et verè perſeuerantia in ſtatu coniugij confert ſtatim ſcire futuram coniugis ſalutem inchoari in hoc ipſo quòd perſeuerant ſimul: quod eſt ſcire futuram ſalutem in eius principio: nonnullum enim ſalutis alterius coniugis principium eſt perſeuerantia cum coniuge fideli: præſtatque poſtea experiri, an Deus ſaluum facit infidelem coniugem per fidelem. Vtraque autem ſcientia tolleretur ſi fidelis coniux non perſeueraret cum infideli conſentiente. Et propterea exceptiua dictio *niſi*, optime quadrat cum præiacente propoſitione, *quid ſcis vtrum ſaluum facies*: Quaſi dicat; nihil potes ſcire niſi perſeueres, niſi ſeruetur illa generalis regula, *vnuſquiſque ſicut diuiſit Deus, vnuſquiſque ſicut vocauit Deus ita ambulet*: affert ſiquidem ad hoc particulare regulam vniuerſalem.

Perſeurantia cum coniuge fideli eſt aliquod ſalutis initium.

Et intendit Paulus per hoc ante oculos mentis fidelis coniugis ponere diſpoſitionem diuinam, quid ſcis an Deus diſpoſuerit ſaluare infidelem coniugem per te, niſi acceptes diſpoſitionem diuinam circa principium ſaluandi coniugem. Dicendo autem *ſicut diuiſit Deus*, diuerſitatem donorum quæ Deus diſtribuit hominibus ſignificat: de quibus dixerat *vnuſquiſque proprium donum habet, & alius ſic, alius ſic*. Quum verò ſubdit *ſicut vocauit Dominus*, diuerſitatem ſtatuum ſeu conditionum non malarum in quibus diuerſi vocati ſunt ſignificat. Ita quod *vocatio* refertur ad ſtatus inuentos: *diuiſio* autem ad dona adiuncta. Docet enim Paulus quòd vnuſquiſque ſi, cùm vocatur à Deo, eſt in ſtatu ſeruili, &c. in illo maneat: & ſimiliter cui diſtribuit Deus donum continentiæ coniugalis, vidualis, aut virgineæ, in illo maneat. Et sicvt, pro, *ſic* in omnibvs Ecclesiis doceo, pro, *diſpono*. Ne Corinthij ſpecialem ordinationem putarent ſibi fieri, adiungit quòd ſic in omnibus Eccleſiis ordino.

Circvncisvs aliqvis vocatvs est? non Verſ. 18.
addvcat præpvtivm. Duo propoſuerat in regula allata: alterum *ſicut Deus diuiſit*: alterum *ſicut Deus vocauit*. Inchoat proſequendo ab vltimo: tum in differentia ſtatus ſecundum circunciſionem vel præputium: tum in differentia ſtatus ſecundùm ſeruitutem vel libertatem. Et quidem ſententiam poſuit interpres: in Paulo enim non habetur *præputium*: ſed habetur *ne aſciſcat*, ſine aliqua additione.

Quiſque in ſuo ſtatu perſeueret.

Sed quid intelligat Paulus, non video, niſi quòd perſeueret circuncidendo filios: in ſeipſo enim impoſſibile eſt adducere præputium. tunc enim Iudæos circunciſione vti, & factis & his verbis docebat Paulus. In præpvtio aliqvis vocatvs est? non circvmcidatvr. Vult enim vnumquemque quoad hæc ſeruare ſuum ritum: ſicut etiam Romanis ſcribit quod vnuſquiſque circa cibos & dies diſcernendos,

nendos, vel non diſcernendos, in ſuo ſenſu abundet.

Verſ. 19. CIRCVNCISIO NIHIL EST, ET PRÆPVTIVM NIHIL EST. Ne putarent quod hæc ordinaret Paulus tanquam myſteria quædam quædam ſalutis, declarat quod vterque ritus nihil eſt ad ſalutem ſpiritualem.

At ſi obieceris: ſi nihil ſunt, cur tibi curæ eſt vt vnuſquiſque perſeueret in ſuo ritu? Solutio eſt, quia ſuauior eſt homini ritus ſibi conſuetus.

Fœdus Dei cum Abrahã de circumciſione, conſummatũ eſt in aduentu Meſſiæ. Ex hac Pauli ſententia habetur quòd pactum diuinum cum Abraham Geneſ. 17. de circumciſione, conſummatum perfectè eſt in aduentu Meſſiæ: ita vt abſoluti ſint a fœderis vinculo ac pœna, filij Abraham. Nam ſi circumciſio nihil eſt, ſed pro conſuetudine ſeruanda eſt Iudæis, manifeſtè habetur quod deſijt eſſe materia fœderis præceptique diuini. Blaſphemum ſiquidem eſt dicere id quod diuini eſt fœderis, quod diuini eſt mandati, nihil eſt ad ſalutem.

Nec poteſt fugiendo fingi quòd Paulus loquitur de circumciſione ſecundùm ſe, & non mandata olim à Deo: nam clarè idem iudicium profert de circumciſione, & præputio dicens, *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt*. manifeſtando quòd tam ſtatus legalis circumciſionis, quàm ſtatus Gentilis præputij, nihil eſt ad ſalutem. Conſtat autem quod legalis circumciſio eſt circumciſio mandata olim à Deo: ergo de mandata olim circumciſione loquitur: de qua dixerat, *Circumciſio nihil eſt, [illegible]*, proculdubio circumciſione mandata, ſeu legali. SED OBSERVATIO MANDATORVM DEI: hæc eſt quæ ſalutem ſpiritualem affert.

Verſ. 20. *Quiſque in ſua vocatione permaneat.* VNVSQVISQVE IN QVA VOCATIONE VOCATVS EST, IN EA PERMANEAT, pro *maneat*. Non enim ordinat vt in ea perſeueret vſque ad mortem, ſed quod maneat in ea. Vnde & ſubdit de ſeruo,

Verſ. 21. SERVVS VOCATVS ES? NON SIT TIBI CVRÆ; hoc eſt, non ſis anxius propter ſeruitutem. SED ET SI POTES FIERI LIBER, MAGIS VTERE: hoc eſt, poſtquam fueris liber magis vtere ſeruitute quoad opera, non ſis ſeruatus, ſed magis te exerceas in ſeruilibus operibus plus congruis quam ſi eſſes ſeruus.

Verſ. 22. QVI ENIM IN DOMINO VOCATVS EST SERVVS, LIBERTVS EST DOMINI. Reddit rationem eius quod dixerat, *non ſit tibi curæ*: ex eo quod qui vocatus eſt in Domino ſeruus, hoc eſt, qui vocatus eſt ad Chriſtianam fidem in ſtatu ſeruilitatis quod in Domino, hoc eſt, ſua Chriſtianitate, eſt ſeruus, ſciat ſe eſſe libertum Domini: hoc eſt exemptum a ſeruitute, & tranſlatum in libertatem Ieſu Chriſti. Conſolatur ergo ſeruos ex hoc quod quamuis ſint ſerui ſecundum carnem, ſunt tamen ſecundum ſpiritum liberti ſupremi Domini. SIMILITER QVI LIBER VOCATVS EST, SERVVS EST CHRISTI. Ne melioris conditionis in Chriſto videretur liber quam ſeruus, adiungit quod qui liber vocatus eſt ad Chriſti fidem, effectus eſt ſeruus Chriſti, vt communis in Chriſto ſtatus tam ſeruis quam liberis intelligatur.

Verſ. 23. PRETIO EMPTI ESTIS. Seruitutem ſignificat Chriſto communem vtriuſque: quia empti ſunt pretio, proculdubio ſanguinis Chriſti. NOLITE FIERI SERVI HOMINVM. Inde infert præceptum vt recuſent fieri ſerui hominum, ex quo iam ſunt ſerui Chriſti. Nec contra hoc præceptum fecit Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui ſe fecit ſeruum hominis pro redimendo filio viduæ: quoniam non de ſeruitute corporis, ſed de ſeruitute animæ ad literam Paulus loquitur. Quod patet ex hoc quod ſecundum id prohibet fieri ſeruos hominum ſecundum quod empti ſunt a Chriſto: hoc eſt, ſecundum illam partem qua ſunt ſerui Chriſti. Conſtat autem quòd ſecundum animam ſumus Chriſti ſerui, ſecundum quam nullus fit ſeruus hominis, niſi qui conſentit homini aduerſus Chriſtum.

Nolite fieri ſerui hominum.

Quæ ſit [illegible]

VNVSQVISQVE ERGO IN QVO VOCATVS EST FRATER, pro *fratres*, in caſu vocatiuo. IN HOC PERMANEAT, pro *maneat*. APVD DEVM. Superius abſolute dixerat *vnuſquiſque in ſua vocatione maneat*: modo adiungit quod *apud Deum maneat*: vt intelligamus tum perſeuerantiam apud Deum, tum præcipuè rationem perſeuerandi eſſe Deum: vt intelligamus quòd ſi deſineret grata eſſe Deo ob aliquod accidens perſeuerantia in tali ſtatu, non conſuli a Paulo vt maneat. Verſ. 24.

DE VIRGINIBVS AVTEM. Exequitur alterum propoſitum, *vnicuique ſicut Deus diuiſit*: incipiendo a continentia virginali. PRÆCEPTVM DOMINI NON HABEO, quod perſeuerent, vel non perſeuerent virgines. CONSILIVM AVTEM, pro *tamen*, DO, TANQVAM MISERICORDIAM CONSECVTVS A DOMINO, VT SIM FIDELIS: non do humanum conſilium, ſed procedens ex diuino mihi conceſſo miſericorditer, quod eſt me eſſe fidelem diſpenſatorem myſteriorum creditorum mihi. Et appoſuit hæc, quoniam aduerſus veteris legis morem conſilium erat prolaturus. In veteri ſiquidem lege omnes debebant contrahere matrimonium ad multiplicandum ſemen Iſrael. Verſ. 25.

De virginitate [illegible]

In lege veteri omnes matrimonium contrahere debebant.

EXISTIMO IGITVR BONVM ESSE PROPTER INSTANTEM, pro *præſentem*, NECESSITATEM. Ecce *conſilium*, ſeu (vt Græcus textus ſonat) *ſententia*, bonum eſſe ſeruare virginitatem propter præſentem neceſſitatem vitandam: multæ enim ſunt præſentis vitæ neceſſitates conſequentes coniugium ad quas euitandas bonum eſt ſeruare virginitatem. Verumtamen quia hæc ratio communis erat veteri & nouo Teſtamento, ſubiungit id quod eſt proprium Teſtamenti noui, ſcilicet vita ſpiritualis. QVONIAM BONVM EST HOMINI SIC ESSE. Ac ſi apertius diceret, ideo vtor ratione vitandæ præſentis neceſſitatis, quia bonum eſt homini ſic eſſe. Iam tertiò Paulus repetit in hoc capitulo hanc propoſitionem tanquam nouam, vt magis imprimeretur in animis hominum quod bonum eſt homini ad vitam ſpiritualem abſtinere a coniugio. Hoc autem adeo proprium eſt ſtatui noui Teſtamenti, tum quia gratia interna per Ieſum Chriſtum facta eſt ſemper, tum quia plenitudo gratiæ ad quam ſpectat ſtatus virgineus propria eſt nouo Teſtamento. Verſ. 26.

Bonum eſt homini abſtinere à coniugio.

Status virginalis nouo Teſtamento proprius.

ALLIGATVS ES VXORI? NOLI QVÆRERE SOLVTIONEM. SOLVTVS ES AB VXORE? NOLI QVÆRERE VXOREM. Permanentiam vnicuique ſicut diuiſit Deus ſpecialiter explicat. Verſ. 27.

SI AVTEM ACCEPERIS VXOREM, NON PECCASTI: ET SI NVPSERIT VIRGO, NON PECCAVIT. Illud conſultanter ſuggerere, [illegible] prohibere, [illegible] iubere. Verſ. 28.

Tamv

TRIBVLATIONEM TAMEN CARNIS, pro *carne*, HABEBVNT HVIVSMODI: hoc eſt, tribulationes quas parit carnale connubium habebunt coniuges. Sunt autem manifeſtè incommoda multa quæ naſcuntur ex huiuſmodi carnali commercio: vt in muliere dolores partus, in viro autem curæ multæ. EGO AVTEM VOBIS PARCO, ſeu *indulgeo*, tanquam pater compatior vobis quòd eligitis ſtatum tribulationum: hoc eſt, non retraho vos ab huiuſmodi electione.

Ex coniugio multa incommoda.

Verſ. 29. HOC ITAQVE DICO FRATRES TEMPVS BREVE, pro *breuiatum* EST, hoc eſt, tempus vitæ præſentis vniuſcuiuſque decurtatum eſt, & mutilum à tempore ſperato: vnuſquiſque enim longiori tempore ſperat viuere quam viuit, & propterea tempus cuiuſque breuiatum eſt. Et eſt ſenſus quòd quamuis vos non retraham ab electione carnalis ſtatus, id tamen non omitto monere quòd tempus vitæ cuiuſque mutilum eſt. RELIQVVM EST VT, ET QVI HABENT VXORES, TANQVAM NON HABENTES SINT:

Tempus cuiuſque breue eſt.

Verſ. 30. ET QVI FLENT, TANQVAM NON FLENTES: ET QVI GAVDENT, TANQVAM NON GAVDENTES: ET QVI EMVNT, TANQVAM NON POSSIDENTES: hoc eſt, ſupereſt vt moniti ſitis circa vſum coniugij & paſſionum animi, & rerum exteriorum. Et paſſiones quidem omnes comprehendit ſub præcipuis: delectatione ſcilicet & triſtitia: hæ enim reliquarum paſſionum rationes ſunt.

Verſ. 31. ET QVI VTVNTVR HOC MVNDO, TANQVAM NON VTANTVR, pro *tanquam non abutentes*. Per hanc vltimam declarauit ipſemet Paulus ſenſum omnium præcedentium: vt intelligendum ſit (cùm dixit *tanquam non habentes vxorem*, & ſimiliter *tanquam non flentes, tanquam non gaudentes, tanquam non poſſidentes*) ſignificari quòd non abutantur coniugiis, gaudiis, fletibus, & poſſeſſis. PRÆTERIT, pro *decipit* ENIM FIGVRA MVNDI. Ratio redditur quare cauere ſibi debent ab abuſu huiuſmodi rerum: quia fallax eſt figura (hoc eſt forma, ſeu habitus apparens) mundi huius: habet enim ſub ſua ſpecie aliquid fallaciæ: vt quotidiè experimur.

Decipit figura huius mundi.

Verſ. 32. VOLO AVTEM VOS Rationem reddit toties repetitæ ſententiæ, *bonum eſt homini ſic eſſe*, ſcilicet ſine coniugio. SINE SOLICITVDINE ESSE. Ecce ratio vt homo ſit ſine ſolicitudine rerũ tranſeuntium: & ſic ſolicitudinem ſuã occupet circa ea quæ Dei ſunt. Sẽtentia eſt clara.

QVI SINE VXORE EST, SOLICITVS EST QVÆ DOMINI SVNT, QVOMODO PLACEAT DEO.

Verſ. 33. QVI AVTEM CVM VXORE EST, SOLICITVS EST, QVÆ SVNT MVNDI, QVOMODO PLACEAT VXORI. ET DIVISVS EST.

Solicitudine, ſtatus virginei & coniugalis.

Verſ. 34. ET MVLIER INNVPTA ET VIRGO. pro, *diuiſa eſt vxor & virgo*. Poſtquam dixit de viro, modò incipit loqui ſimiliter de muliere, dicendo, *diuiſa eſt vxor & virgo*: hoc eſt, diuerſis viis incedunt vxor & virgo. Et de vtraque ſigillatim exequitur, incipiens à virgine. COGITAT. Deeſt, *innupta*. Legendum eſt; *Innupta cogitat* QVÆ DOMINI SVNT: VT SIT SANCTA CORPORE ET SPIRITV. Quamuis propoſuerit de virgine, latiùs tamen exequitur comprehendendo omnem innuptam. Reliqua clara ſunt. QVÆ AVTEM NVPTA EST, COGITAT QVÆ SVNT MVNDI, QVOMODO PLACEAT VIRO.

Verſ. 35. Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Aduerte quòd particula hæc cenſetur ferè impoſſibilis vt reddatur Latina vt iacet in Græco. Fecimus autem eam transferri ferè ad verbum ſic, *Sed ad decorum & aſſidendum Domino ſine diſtractione*. Per quæ ſignificatur quòd abſtinere à coniugio nullum eſt indecens ſed decorum, & præter hoc, eſt vtile ad continuam aſſiduitatem ſuiipſius coram Domino ſine diſtractione, ſine retractione quam patiuntur coniugati, quos oportet retrahi à curis conſequentibus coniugium, quos eſt impoſſibile aſſidua mente vacare iis quæ ſunt Domini: cùm oporteat eos cogitare quomodo placeant ſibiinuicem, &c.

Cœlibes Deo attentius vacant.

SI QVIS AVTEM TVRPEM SE VIDERI EXISTIMAT SVPER VIRGINE SVA QVÒD SIT SVPERADVLTA, ET ITA OPORTET FIERI. Directè hoc reſpondet ad id quod dixerat *ſed ad decorum*. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Ego vos inuito ad id quod eſt ſecundùm rem decorum: ſi quis autem ſecundum ſuam exiſtimationem putat apparere ſe indecorum in virgine ſua quia eſt ſuperadulta & non nubet, &c. QVOD VVLT FACIAT: NON PECCAT SI NVBAT. Verſ. 36.

Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, Verſ. 37.
non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis. Tres conditiones apponit laudabili abſtinentiæ à coniugio. Prima eſt non habens neceſſitatem: hoc eſt, non cogatur ex inopia abſtinere à coniugio: hæc enim abſtinentia non eſt virtutis ſed neceſſitatis. Secunda eſt, poteſtatem autem habens voluntatis ſuæ perficiendæ: hoc eſt quod virgo conſentiat abſtinentiæ à coniugio. Si enim virgo diſſentiret, non haberet pater poteſtatem voluntatis propriæ perficiendæ. Tertia ſubiungitur, dicendo, ET HOC IVDICAVIT IN CORDE SVO SERVARE VIRGINEM SVAM: hoc eſt, quòd maturo iudicio rationis iudicauit non eſſe tradendam filiam nuptui. Et dixit hoc vt pater diſcutiat diligentiùs apud ſe futurum euentum, ſcilicet ſi bene ſuccedet virgini huiuſmodi cœlibatus: ipſe enim qui nouit mores ſtabilitatemque filiæ, debet hoc cogitare, ne forte emergat in vituperium. BENE FACIT.

Tres conditiones laudabilis cœlibatus.

Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Verſ. 38.

Regula pro viduis.

Mulier alligata eſt legi, quanto tempore viuit vir eius. Exequitur in ſpecie circa vidualem continentiam. Si hæc verba intelligenda ſunt vt ſonant, aduerſantur ſenſui communi ſuperiorum verborum, non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, vel ſoror in eiuſmodi, vt clarè patet. Sed ſecũdùm ſenſum communem hæc verba dicuntur de coniugibus eiuſdẽ Chriſtiani cultus. Perſpicaciùs tamẽ intelligitur vt ſonant regulã generalem, cui nõ aduerſatur exceptio aliqua, ſicut nec aliis regulis: & inter exceptiones cõputetur doctrina ſuperior. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege. Cui autem vult nubat, tantum in Domino, hoc eſt, dummodo nubat Chriſtiano. Hic eſt primus in Teſtamento nouo textus prohibens iniri coniugia inter diſpares cultu. Verſ. 39.

BEATIOR AVTEM ERIT, pro *eſt*, SI SIC PERMANSERIT SECVNDVM MEVM CONSILIVM. Verſ. 40.

Statum præſentem beatiorem deſcribit. Vtraque continentia beata eſt in ſpe, ſed vidualis beatior. PVTO AVTEM QVÒD ET EGO SPIRITVM DEI HABEAM. Non poteſt ſatiari Paulus confirmationibus quòd ſanctum ſit conſilium abſtinendi à coniugio.

CAPVT VIII.

Verſ. 1. *Tractat quomodo ſe gerere debeant Corinthij circa eſum immolatorum idolis.*

DE IIS AVTEM QVÆ IDOLIS SACRIFICANTVR. Tranſit ad docendum Corinthios qualiter ſe debent gerere circa eſum immolatorum idolis. SCIMVS QVÒD OMNES SCIENTIAM HABEMVS. Duabus diſtinctionibus intendit vti in hac materia.

Altera eſt inter ſcientes, & non ſcientes. Et hinc inchoat primum membrum ponendo, dicens *omnes ſcientiam habemus*: alterum verò membrum differt ſubiungendum ibi, *ſed non in omnibus eſt ſcientia*. Nec ſibiinuicem hæc membra aduerſantur: nam in prima perſona dicit, *omnes ſcientiam habemus*: in tertia verò perſona dicit, *ſed non in omnibus eſt ſcientia*, vt diſcernatur quòd prius loquitur de ſe, & ſibi ſimilibus viris doctis: poſtea verò ratione ineruditorum dicit non omnes habere ſcientiam. Et eſt ſermo de ſcientia immolatorum ſimulacris: an ſcilicet ſit eis veſcendum, vel abſtinendum ab eis.

Altera autem diſtinctio ſubiungitur, dicendo, SCIENTIA INFLAT. Ecce primum membrũ. CHARITAS, pro *dilectio*, VERO ÆDIFICAT. Ecce ſecundum membrum. Et intelligitur diſtingui homo habens ſcientiam, in habentem ſcientiam puram, & in habentem cum dilectione. Effectum ſcientiæ puræ deſcribit inflationem, ea ratione quia excellentem conſtituit hominem, ac per hoc occaſio tumendi habetur. Dilectionis verò effectum deſcribit ædificare, conſtruere, ac promouere ad bonum: quoniam dilectio ſi vera eſt non ſolùm vult bonum, ſed procurat ac efficit ſi poteſt dilecto. Vtraque autem diſtinctione vtetur inferius: prius tamen huius ſecundæ diſtinctionis membra explicat.

Scientia pura inflat.

Scientia cum dilectione ædificat.

Verſ. 2. SI QVIS AVTEM SE EXISTIMAT SCIRE ALIQVID. Explicat illud membrum *ſcientia inflat*. Ecce inflatio ſi quis ſe exiſtimet ſcire aliquid, hoc ipſum quod eſt quòd homo videatur ſibi ipſi ſciens inflatio eſt. Et rationem ſubdit, NONDVM COGNOVIT. Deeſt, *quicquam*, QVEMADMODVM OPORTEAT EVM SCIRE. Superfluit *eum*. Et eſt ſenſus quòd nondum cognouit aliquid illo modo quo oportet noſſe, ex hoc ipſo quòd videtur ſibi ipſi ſciens, caret modo ſciendi.

Dupliciter exiſtimat aliquis ſe ſcire aliquid: ſpeculatiuè & affectiuè.

Aduerte hic quòd dupliciter contingit aliquem exiſtimare ſe ſcire aliquid. Vel *ſpeculatiuè*, & de hoc non loquitur Paulus, quoniam propriè nullus ſcit aliquid niſi qui ſcit ſe ſcire illud. Vel *affectiuè*, hoc eſt, cum affectionibus eleuatur ex hoc quòd ſcit, vel deſpiciendo alios, vel præferendo ſe, & huiuſmodi. Et de hac exiſtimatione ad literam Paulus loquitur, & propterea de homine ſic ſe exiſtimante dicit quòd caret illo ſciendi modo quem oportet habere quemlibet ſcientem. Modus autem ille non explicatur in litera: ſed ex oppoſito membro inſinuatur quod eſt vtiliter ſibi & aliis: hunc enim modum affert charitas.

SI QVIS AVTEM DILIGIT DEVM. Explicat alterum membrum (*dilectio verò ædificat*) explicando fructum. HIC COGNITVS EST AB EO: notitia approbationis. Ille reprobatur à Deo interiora ſcrutanti, iſte autem approbatur à Deo. Verſ. 3.

DE ESCIS AVTEM, pro *de eſu igitur eorum*, QVÆ IDOLIS IMMOLANTVR. Propoſitis diſtinctionibus quibus intendit vti, proſequitur ſingula membra, inchoando à primo, ſcilicet *omnes ſcientiam habemus*. Vnde & repetit illud magis explicando, dum dicit, *De eſu igitur eorum quæ idolis immolantur*. SCIMVS QVIA, pro *quod* NIHIL EST IDOLVM IN MVNDO. Quod intellige formaliter: hoc eſt, de ſimulacro quatenus eſt repræſentans Deum: quia non repræſentat Deum. Imago enim quæ nullius eſt imago, nihil eſt quatenus imago: ſimiliter ſimulacrum quod nullius eſt ſimulacrum, nihil eſt quatenus ſimulacrum. Quamuis res aliqua ſit, tum quantum ad materiam, aurum, æs, lignum, tum quantum ad lineamenta, figuram, colores, & huiuſmodi. Sed hæc ſunt extra propoſitum: quo eſt ſermo de ſimulacro quatenus ſimulacrum. Interpres ſiquidem reliquit dictionem Græcam, *idolum*, cum potuiſſet Latinè dicere *ſimulacrum*. ET QVOD NVLLVS EST. Deeſt, *alius*, DEVS NISI VNVS. Ratio quare ſimulacrum nihil eſt, redditur ex hoc quod nullus eſt alius Deus niſi vnus: quem conſtat non repræſentari per ſimulacrum. Verſ. 4.

Idolum nihil eſt.

Vnus Deus.

NAM ETSI SVNT QVI DICANTVR DII, SIVE IN COELO, SIVE IN TERRA. Non dicit, nã etſi ſunt qui ſint, ſed qui dicantur dij: quia in veritate nõ ſunt dij, ſed nominantur dij. ſiue nominentur tanquam in cœlo exiſtentes, vt ſpirituales ſubſtantiæ, quas Angelos dicimus, & aſtra, & ſigna Zodiaci: ſiue dicantur exiſtentes in terra, vt Platonica animalia, & principes inter homines. SIQVIDEM, pro *quemadmodum*, SVNT DII MVLTI, ET DOMINI MVLTI. Explicat quo ſenſu dixerit *etſi ſunt*, illo ſcilicet modo quo ſecundum opinionem, ſeu nuncupationem, ſeu etiam participationem inueniuntur dij multi, & Domini multi. Verſ. 5.

NOBIS TAMEN, ad veritatis lucem aſcitis. VNVS DEVS, PATER. Dicendo *vnus Deus*, vnitatem indiuidualem deitatis ſignificat: explicando verò *Pater*, myſterium Trinitatis in prima Trinitatis perſona manifeſtat. EX QVO OMNIA. Abſque vlla exceptione: nam ex eo eſt totum vniuerſum & ſingulæ eius particulæ. ET NOS IN ILLO: & nos Chriſtiani in illo viuimus, & ſumus ſecundum vitam gratiæ. ET VNVS DOMINVS IESVS CHRISTVS. Confeſſioni vnius Dei, ac myſterij Trinitatis adiungit confeſſionem Verbi incarnati, primum aduerſus Gentiles, ſecundum aduerſus Iudæos. PER QVEM OMNIA. *omnia*, inquit Ioannes, *per ipſum facta ſunt*. Et dixit hoc vt omnia à Filio dependere dicat, quæ ex Patre dependere dixit. ET NOS PER IPSVM: & nos Chriſtiani per ipſum redempti, per ipſum ſaluabimur. Verſ. 6.

Ex quo omnia.

Ioan. 1.

SED NON IN OMNIBVS EST SCIENTIA. Hactenus declarauit quid Paulus, & ſui ſimiles ſentiant de eſu eorum, quæ ſimulacris immolantur. Ex dictis enim habetur quòd nulla eſt differentia inter eſum talium, & eſum aliarum rerum. Verſ. 7.

Nulla eſt differentia inter eſũ idolothytorum, & aliorum ciborũ.

rerum: quia ſimulacrum cui immolata ſunt, nihil eſt, quod autem eſt nihil, nullam facit differentiam in cibis, nullam dat ſanctitatem, aut immunditiam cibis. Modo proſequitur, imò proponit alterum membrum primæ diſtinctionis: ſignificans quod huiuſmodi ſcientia non eſt in omnibus Chriſtianis: non enim omnes ſciunt hæc quæ diximus. QVIDAM AVTEM: hoc eſt, ſed quidam. Exequitur propoſitum membrum. CVM CONSCIENTIA. Pro claritate ſententiæ interpres addidit *cum*. VSQVE NVNC IDOLI. Neſcio quo errore hæ duæ dictiones (*vſque nunc*) interpoſitæ ſint hoc in loco, cum in textu Græco immediatè ſequentes ſint, & iungendæ ſunt cum ſequenti ſententia. Ita quod ordo textus eſt iſte: *Conſcientia idoli vſque nunc quaſi idolothytum manducant*.

Idolothytum, id eſt, idolo immolatum. Vbi etiam aduerte quòd interpres reliquit dictionem *idolothytum*, ſignificat autem idolothytum, ſimulacro immolatum. Et eſt ſenſus quòd quidam Chriſtiani recte ſentientes de ſimulacris (recte enim ſentire de ſimulacris ſignificat *conſcientia ſimulacri*: non enim eſſet *conſcientia ſimulacri*, niſi adeſſet ſcientia ſimulacri) iſti, inquam, vſque in præſentem diem manducant cibos immolatos ſimulacris tanquam immolatos ſimulacris: hoc eſt, tanquam illicita. Ita quod recte ſentientes de ſimulacris errant circa vſum immolatorum ſimulacris. Et ad hunc ad explicandum ſenſum, ſubiungit, ET CONSCIENTIA IPSORVM CVM SIT INFIRMA POLLVITVR.

Conſcientia idoli, quid.

Conſcientia infirma, quæ. Conſcientia infirma eſt conſcientia non valens applicare ſcientiam quam habent de ſimulacris ad licitum eſum immolatorum. Credunt enim ſimulacra nihil eſſe, ſed neſciunt hinc deducere, quòd immolata ſimulacris ſunt indifferentia, ſed reputant ea illicita ad eſum, & manducant vt illicita, & propterea polluitur eorum conſcientia. Per hæc terminat prima diſtinctionis membra: tractauit enim de ſcientibus, & de neſcientibus.

Verſ.8. *Eſca nos non commendat Deo.* ESCA AVTEM NOS NON COMMENDAT DEO. Intendens ſecundæ diſtinctionis membro pertractare de ſcientia & dilectione, incipit ab effectu dilectionis illo *ſi quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo*. Declarat ſiquidem quòd eſca immolatorum, tam eſa quam non eſa nihil confert ad commendandum nos Deo, quod idem eſt quod approbari à Deo. NEQVE ENIM SI MANDVCAVERIMVS ABVNDABIMVS. Probat quod dixit: quia ſi manducauerimus immolata ſimulacris, non abundabimus: hoc eſt, non plus habebimus meriti, ſeu gratiæ. NEQVE SI NON MANDVCAVERIMVS, DEFICIEMVS, pro *priuabimur*, ſeu minus habebimus gratiæ, ſeu meriti.

Verſ.9. VIDETE AVTEM. Exequitur alterum effectum dilectionis ſuperius propoſitum, *dilectio vero ædificat*. Exequitur autem monendo ne contrarium incurrant. Et quoniam ad ſcientes alloquitur ſcientes, ideò implicite exequitur ſimul alterum membrum, *ſcientia inflat*. Scientia enim monet ne vtentes ſua ſcientia, contra dilectionem proximi agant. NE FORTE HÆC LICENTIA VESTRA. Dictio Græca propriè ſignificat licentiam, non tamen in malam partem, vt ſonat Latinè. Et directè explicat Paulus ne forte actio vobis licita, ſcilicet comedere immolata ſimulacris. OFFENDICVLVM FIAT INFIRMIS, putantibus illicitum eſſe huiuſmodi eſum.

SI ENIM QVIS VIDERIT. Explicat rationem & modum offendiculi à potiſſimo modo ſcandalizandi in hac materia: ductus ea (vt reor) ratione quia aliqui docti inter Corinthios abutentes ſcientiâ comedebant in templo, ſeu menſa ſacrificantium idolis: non quòd ipſi docti ſacrificarent, ſed quia completâ oblatione facta idolis ipſi comedebant immolata ſimul cum Sacerdotibus idolorum, vel cum illis pro quibus immolata erant. Inferius autem monebit cauendum ne quis ponat offendiculum etiam extra idoleum in priuatis domibus inuitatus ad cœnam, vt patet in cap. 10. EVM QVI HABET, pro *te qui habes*, SCIENTIAM, IN IDOLO RECVMBENTEM, pro *in idoleo recumbentem*. Locum enim ſignificat, ſeu menſam, in qua comedebantur immolata idolis. NONNE CONSCIENTIA EIVS CVM SIT INFIRMA, pro *qui infirmus eſt*. Ita quod legendum eſt, *nonne conſcientia eius qui infirmus eſt*, non corpore, ſeu mente, ſed ſcrupulo, putans illicitum eſſe huiuſmodi eſum. ÆDIFICABITVR AD COMEDENDVM IDOLOTHYTA: hoc eſt, prouocabitur, inducetur ad manducandum immolata ſimulachris exemplo tuo. Verſ.10.

Idoleum eſt locus, ſeu menſa in qua comedebantur idolothyta.

ET PERIBIT INFIRMVS FRATER, putans illicitum eſum IN TVA CONSCIENTIA: hoc eſt, in tua applicatione ſcientiæ ad eſum: dum enim ſecundum ſcientiam te applicas ad veſcendum huiuſmodi cibis, ille prouocatur tuo exemplo ad veſcendum: & quia non deponit infirmitatem quâ putat illicitum eſſe eſum talem, perit in conſcientia tua, vt cauſa interitus. PROPTER QVEM CHRISTVS MORTVVS EST. Vt magnipendatur interitus infirmi, adiungit quanti æſtimatus ſit infirmus ille à Chriſto. Verſ.11.

SIC AVTEM PECCANTES IN FRATRES, ET PERCVTIENTES CONSCIENTIAM EORVM INFIRMAM. Ne putaretur quod peccatum hoc eſſet contra dilectionem proximi tantum, adiungit quod eſt etiam contra dilectionem Dei. IN CHRISTVM PECCATIS, cuius eſt membrum infirmus frater. Verſ.12.

QVAPROPTER. Adiungit doctrinæ exemplum proprium, ſciens quod magis mouent exempla quam verba. SI ESCA SCANDALIZAT FRATREM MEVM. Scandalum actiuum ſignificat non ex malo, ſed ex ſpecie mali procedens. NON MANDVCABO CARNES IN ÆTERNVM. Et pari ratione quemcunque alium cibum cuius eſus ſpeciem mali haberet. Explicauit autem carnes, quia immolata ſimulacris ſunt carnes animalium. NE FRATREM MEVM SCANDALIZEM. Verſ.13.

Doctrina exemplum ſuh... ... ...

CAPVT IX.

NON SVM LIBER? NON SVM APOSTOLVS? Inuerſa ſunt particulæ. Legendum eſt, *Non ſum Apoſtolus? non ſum liber?* Vbi Paulus ſeipſum in exemplum attulit. Statim obiectioni qua adiectus ipſum fiebat, ſatiſfacere curauit: vt ſeipſum magis ac magis firmaret exemplum apud Corinthios. In dubium ſiquidè vertebatur à nonnullis, vt ex hocmet capitulo inferius colligitur, an Paulus eſſet Chriſti Apoſtolus. Verſ.1.

Probat D. Paulus ſe eſſe Chriſti Apoſtolum, quod de hoc aliqui dubitarent.

lus, quod multu detrahere poterat tum authoritati doctrinæ Pauli, tu authoritati exemplaritatis. Et propterea Paulus propon: ſe eſſe non ſolum Apoſtolum, ſed, quod plus eſt, Apoſtolum liberum, vt maior ſit authoritas ipſius quatenus exemplum aliorum. Interrogatiuæ autem vtraque negatiua particula legendæ eſt quia affirmatio ſignificatur tali modo loquendi. Et eſt ſermo de Apoſtolatu Chriſti, & de libertate ab alieno ſumptu. Aſſerit enim ſe eſſe Chriſti Apoſtolum, non ſubditum alieno ſumptui, ſed ab hac ſeruitute liberum: vtpote proprio viuentem ſumptu ex labore manuum ſuarum. Et adiecit hanc libertatem, quia in hoc præſtabat cæteris Apoſtolis qui alieno viuebant ſumptu: vt in hoc capitulo dicit. NONNE CHRISTVM IESVM. More ſuo exequitur propoſita, & inchoat à primo: probaturus, & ſe eſſe Apoſtolum Chriſti, & habere poteſtatem eandem quam habent alij Apoſtoli. Probat autem excludendo obiectionem quæ ſtebat contra eum, quod ipſe non fuerat diſcipulus Ieſu Chriſti: ac per hoc non erat Apoſtolus, hoc eſt, miſſus a Chriſto. DOMINVM NOSTRVM VIDI: quamuis non fuerim conuerſatus cum Ieſu Chriſto in carne paſſibili exiſtente, vidi tamen ipſum in carne immortali, in ſtatu dominij data ſibi poteſtate qualibet in cœlo, & in terra: iuxta illud. *Nouiſſime autem tanquam abortiuo viſus eſt mihi.* Minus dicit, & plus ſignificat, dicit *vidi*, & ſignificat quod vidit, & miſit me ad prædicandum. Miſſio autem clare ſcribitur Act. 26. recitata à Paulo coram Agrippa. Viſionis autem tempus non eſt ſcriptum. Sufficit autem Paulo dicere quòd vidit Ieſum Dominum: quia hoc directe excludit obiectionem.

Ex proprio ſumptu, nempe ex labore manuum ſuarum viuebat D. Paulus.

Chriſtū vidit Apoſtolus.

NONNE OPVS MEVM VOS ESTIS IN DOMINO? Non ſufficit ad vere Apoſtolum, eſſe miſſum, ſed oportet vt viſus fuerit Apoſtolatu: alioquin eſſet Apoſtolus nomine, non re: gradu, non officio. Et propterea executionem quoque probat Apoſtolatus ab ipſiſmet Corinthiis, non ſecundum eſſe naturæ, ſed ſecundum eſſe in Domino: hoc eſt ſecundum eſſe Chriſtianum. Et dicit illos ſecundum eſſe Chriſtianum eſſe opus ſuum, non tanquam agentis principalis, ſed tanquam miniſtri principalis qui fundamentum poſuit, qui plantauit: vtpote primus prædicator fidei Chriſtianæ apud eos. Prædicare ſiquidem Euangelium eſt proprium officium Apoſtolorum Chriſti.

Apoſtolū & nomine, & re ſe probat Paulus.

Verſ. 2. ET SI ALIIS NON SVM APOSTOLVS. Quoad executionem officij. SED TAMEN VOBIS SVM: quibus primus prædicaui. NAM SIGNACVLVM APOSTOLATVS MEI. Signaculum forma ſigillando impreſſa. VOS ESTIS, non ſecundum eſſe naturæ. SED IN DOMINO, ſecundum eſſe Chriſtianum: impreſſa ſiquidem eſt in vobis doctrina Apoſtolatus mei.

Verſ. 3. MEA DEFENSIO APVD EOS QVI ME INTERROGANT, HÆC EST. Dictio Græca interpretata *interrogant*, anceps eſt ad *interrogant*, vel *diiudicant*, ſed magis quadrat defenſioni *diiudicant* quàm *interrogant*: quoniam ad diſcutiendum, & examinandum an ſit Apoſtolus, opus eſt defenſione. Et ſignificanter dicit *me*: quoniam non diſcutiunt me, ſed me tanquam Apoſtolum. Et pronomen *hæc*, demonſtrat ſententiā antedictā, ſcilicet: quod vos eſtis ſignaculū mei Apoſtolatus. Hinc habetur quòd aliqui vertebant in dubium an Paulus eſſet Apoſtolus.

NVNQVID NON HABEMVS POTESTATEM MANDVCANDI ET BIBENDI? Declarauit ſe eſſe Apoſtolum: declarat modò ſe habere poteſtatem quam habent alij Apoſtoli, ſcilicet viuendi ex Euangelio. Hanc ſignificat per poteſtatem manducandi & bibendi: quoniam hanc declarat Dominus Apoſtolis ſub his actionibus dicendo, *edentes & bibentes quæ apud illos ſunt*. Et Paulus ſpecialiter huius poteſtatis meminit, tum quia inferet ſe eſſe liberum: tum quia obiiciebatur forte ei in ſignum quòd non eſſet Apoſtolus Chriſti, hoc, quòd non viuebat ex Euangelio, tanquam non habens illam poteſtatem quam habent alij Apoſtoli. Verſ. 4.

Poteſtatem viuendi ex Euangelio habebant Apoſtoli.

NVNQVID NON HABEMVS POTESTATEM SOROREM MVLIEREM CIRCVMDVCENDI, SICVT ET CÆTERI APOSTOLI ET FRATRES DOMINI ET CEPHAS? Modum explicat quo alij Apoſtoli vtebantur hac poteſtate, & erat modus quòd dum diſcurrerent prædicando, ſecum ſe ducebant mulierem aliquam miniſtrantem eis ſumptus neceſſarios: exemplo Chriſti, quem comitabantur mulieres miniſtrantes de facultatibus ſuis. Et dicit *ſororem mulierem*, ad ſignificandum quòd habebant mulierem in officio ſororis. Nec intelligo circumduci mulierem de propriis facultatibus miniſtrantem: cum hoc extra regionem Iudæorum difficile fuerit; ſed mulierem cui facile à diuitibus mulieribus dabantur pecuniæ pro ſumptibus neceſſariis Apoſtolis, & in ciuitate, & præcipuè in itinere. Verſ. 5.

Mulierē miniſtrantē ſibi neceſſarios ſumptus circumducebant Apoſtoli.

AVT EGO SOLVS ET BARNABAS. Subintelligitur repeti aduerbium interrogatiuum. NON HABEMVS POTESTATEM HOC, pro *non*, OPERANDI? Explicat tertium modum quo ipſe vtebatur ad hoc vt haberet ſumptus: & erat modus operandi manibus propriis. Propterea enim cùm dixiſſet: nunquid non habemus poteſtatem viuendi modo quo vtuntur alij? dicit: an non habemus poteſtatem abſtinendi ab opere manuali vt acquiramus ſumptus? hæc enim abſtinentia ſignificatur dicendo *non operandi*. Et dicit hoc ne putaremus quòd ipſe & Barnabas eſſent diuites, vt ex facultatibus hæreditariis viuerent, ſed intelligeremus quòd viueret ex labore manuum: vt alibi explicat. Meminit autem Barnabæ quia ſimul cum ipſo incepit prædicare Gentilibus, Spiritu ſancto ſpecialiter aſſociante eos: vt patet Act. 13. Verſ. 6.

Cur hic Barnabæ meminit?

QVIS MILITAT SVIS STIPENDIIS VNQVAM? QVIS PLANTAT VINEAM, ET DE FRVCTV EIVS NON EDIT? QVIS PASCIT GREGEM, ET DE LACTE GREGIS NON MANDVCAT? Probat multipliciter ſe habere poteſtatem viuendi ex Euangelio. Et primum ab exemplis humanis in militibus, in agricolis, in paſtoribus: vt ex his exemplis manifeſte cognoſcatur quòd ipſe qui militat Chriſto euangelizando, meretur ſumptus: & ſimiliter plantando Chriſti vineam, meretur de fructu vineæ edere: & demum paſcendo Chriſti gregem, meretur de fructibus gregis vesci. Verſ. 7.

A triplici ſimilitudine probat poteſtatem ſuam viuendi ex Euangelio.

NVNQVID SECVNDVM HOMINEM HÆC DICO? Supple tantùm. Hæc enim ſunt argumenta humana, & propterea addidit quòd non tantùm ſecundum hominem (hoc eſt, ſecundum humana argumenta) loquor ſubiungendo Verſ. 8.

gendo authoritatem legis diuinæ ad idem. AN ET LEX HÆC NON DICIT?

Verſ. 9. SCRIPTVM EST ENIM IN LEGE MOYSI. Deut. 25. NON ALLIGABIS OS BOVI TRITVRANTI. Vult enim quòd poſſit comedere de eo quod triturat. NVNQVID DE BOBVS CVRA EST DEO:

An de bobus curá habeat Deus.

Ne intelligeres legem hanc ad literam eſſe datam de bobus, ſed ſub metaphora de hominibus laborantibus vtiliter dicit; nunquid Deo cura eſt de bobus? quaſi dicat, non. Quod eſt verum de cura legitima. Deus enim ſua prouidentia gubernat etiam boues, & nihil exemptum eſt ab eius cura: ſed cura legitima (hoc eſt, politiua legis) non eſt niſi de creaturis rationalibus, quæ ſolæ ſunt capaces legis, & fructus intenti per legem.

Verſ. 10. AN PROPTER NOS VTIQVE, pro *omnino*, HOC DICIT? ſub metaphora boum triturantium tradidit legem de nobis. PROPTER NOS ENIM SCRIPTVM EST, QVOD DEBET IN SPE QVI ARAT, ARARE. Declarat dictam legem ſignificare quòd laborans non debet ſpe fructus percipiendi ex ſuo labore priuari tam in arante, quam in triturante, & pari ratione in reliquis. ET QVI TRITVRAT, IN SPE FRVCTVS PERCIPIENDI, pro *ſpem ſuam participare in ſpe*. Et eſt ordo literæ: *& qui triturat in ſpe participare debet ſpem ſuam*, ſeu *ſpe ſua*.

Verſ. 11. SI NOS VOBIS SPIRITVALIA SEMINAVIMVS. Applicat in ſpecie legem ad ſeipſos, explicando tum ſuos labores, tum fructus percipiendos ab ipſis. Et labores quidem deſcribit ſeminare ſpiritualia, fructus vero percipiendos deſcribit ſubiungendo, MAGNVM EST SI NOS CARNALIA VESTRA METAMVS, pro *metemus*? interrogatiue legendum eſt ad ſignificandum negationem: ſignificat enim longe maiora eſſe beneficia laborum Apoſtolicorum fructibus qui metuntur, quanto ſpiritualia præſtant carnalibus? Et appellat *carnalia*, neceſſaria ad carnis alimentum, & operimentum: vt intelligant exiguum quid præſtari ab his tribuendo ſumptus Apoſtolis.

Verſ. 12. SI ALII POTESTATIS. Hic punctus quidem notandus eſt. Et eſt ſenſus, ſi alij vtentes poteſtate. VESTRÆ, pro *veſtri*, PARTICIPES SVNT. Auget rationes à facto: prior enim proceſſit a iure. Si alij vtentes poteſtate Euangelica, de facto ſunt participes veſtri, habẽdo ſumptus a vobis. QVARE NON POTIVS NOS? Interpres addidit *quare*: & confert ad claritatem ſententiæ. Et intelligo per alios minores doctores, qui erant apud Corinthios. Et argumentum quadrat, quòd ſi illi apud vos viuunt veſtris ſumptibus, multò magis nobis primis, & maioribus Doctoribus hoc debetur.

SED NON VSI SVMVS HAC POTESTATE. De ſeipſo & Barnaba loquitur, explicando quid de facto fecerint. SED OMNIA SVSTINEMVS. Ne putares quòd adeo nõ vſi ſumus hac poteſtate, quia non indiguimus, explicat quod indiguerunt, dicendo, *ſed omnia ſuſtinemus*, patienter toleramus, ſuffecimus. Et non dicit *ſuſtinuimus*, ſed *ſuſtinemus*: vt intelligamus quòd perſeuerabat patienter indigere.

Cauet Paulus ne offendiculo ſit alijs.

NE QVOD OFFENDICVLVM DEMVS EVANGELIO CHRISTI: prædicationi Chriſtianæ fidei. Videbat, aut dubitabat Paulus nonnullum offendiculũ apponi, ſi accepiſſet ſumptus a Corinthiis: aut quia putaſſent neceſſitatis gratia

illos prædicare, aut quia hinc occaſio dabatur vanis quæſtoribus fingendi aliqua noua, aut quia cognoſcebat Corinthios auaros, & propterea minus tracti fuiſſent ad veritatem Euãgelicam: & breuiter ad tollendum quodcunque impedimẽti genus nõ vſi ſumus hac poteſtate.

NESCITIS QVONIAM, pro *quod*. Superioribus Verſ. 13.
argumentis (tum humanis, tum ex authoritate legis, tanquam a remotis proficiſcentibus, adiungit argumenta a proximis exemplis, & authoritate Domini Ieſu. QVI IN SACRARIO, pro *ſacra*, OPERANTVR, hoc eſt, qui ſacrificant: Sacerdotes ſiquidem ſignificat a propria actione quæ eſt ſacra facere: actiones enim immolatiuæ hoſtiarum ſunt, operari, ſeu facere ſacra. QVÆ DE SACRARIO SVNT EDVNT, pro *ex ſacro edunt*: Victima ſiquidem immolata comedebatur à Sacerdotibus. ET QVI ALTARIO DESERVIVNT, pro *qui ſacrario aſſident*. Sacrarium nomen eſt loci in quo ſacra fiunt: & propterea interpres poſuit altare. Duo genera Paulus commemorat hominum: alterum ſacrificantium, alterum aſsiduorum ſacrario. Et videtur per primos intelligere Sacerdotes, per ſecundos autem Leuitas aſsiduè miniſtrantes. CVM ALTARIO, pro *ſacrario*, PARTICIPANT: hoc eſt, participes ſunt ſacrarij.

Sacra facere, propria eſt Sacerdotum actio.

Sacrariũ locus in quo ſacra ſunt.

ITA ET DOMINVS ORDINAVIT. Coniunctio Verſ. 14.
ita, monſtrat quorſum Paulus attulerit hæc de facientibus ſacra, & aſsidentibus ſacrario, ad ſignificandum, ſcilicet ſimilitudinem ordinationis a Chriſto factæ ad has tam æquas, tam ſanctas obſeruationes: quemadmodum enim iuſtum, ac ſanctum eſt ſacrificantes edere ex ſacro facto, & aſsidentes ſacrario participare ex illo, ita iuſtè, ac ſanctè Dominus ordinauit. IIS QVI EVANGELIVM ANNVNTIANT, DE EVANGELIO VIVERE. Currit enim ſimilitudo omnibus pedibus.

EGO AVTEM NVLLO HORVM VSVS SVM. Poſt- Verſ. 15.
quam declarauit primam particulam (*non ſum Apoſtolus*) manifeſtando ſe eſſe Apoſtolum, & habere poteſtatem Apoſtolicam quam habent cæteri Apoſtoli: modò incipit declarare particulam ſecundò propoſitam: ſcilicet *non ſum liber*: Et primò quidem declarat ſe eſſe liberum: deinde qualiter vſus fuerit ſua libertate: ibi, *nam cum eſſem liber*. Quòd autem dicit *nullo horum vſus ſum*, refertur ad tot argumenta, quibus manifeſte conuincitur quòd etiam ſi non eſſem Apoſtolus Chriſti, poſſem tanquam prædicator Euangelij viuere alieno ſumptu. Et hinc manifeſtat ſe eſſe liberum ab huiuſmodi ſeruitute, quæ eſt viuere alieno ſumptu. Eſt enim hæc nonnulla ſeruitutis ſpecies, quam etiam pro nobis ſuſcipere voluit Chriſtus.

Se eſſe liberum probat D. Paulus.

NON AVTEM SCRIPSI HÆC, VT ITA FIANT, pro *fiat*, IN ME. Non ſolum hactenus fui liber, ſed talis volo perſeuerare: non putetis quod hæc ideo ſcripſerim, vt prouocem vos ad dandum mihi ſumptus. BONVM EST ENIM MIHI MAGIS MORI QVAM VT GLORIAM, pro *gloriationem*, MEAM QVIS EVACVET. Gloriatio ſignificat materiam, ſeu meritum gloriationis: hoc eſt, bonum ſupererogationis. Tale ſiquidem eſt materia & meritum gloriationis: eſt enim vnde debetur operanti gloria. Et eſt ſenſus quòd eligibilius eſt mihi perdere vitam corporis quã abſtinere a bono ſupererogationis.

Optat potiùs mori, quàm abſtinere ab operibus ſupererogationis.

Si enim incepiſſet poſt hanc Epiſtolam accipere ſumptus ab aliis, non perſeueraſſet in tali bono ſupererogationis: ac per hoc gloriatio eius de bono ſupererogationis euacuata fuiſſet: fuiſſet enim reddita vacua ab opere.

Verſ. 16. NAM SI EVANGELIZAVERO. Declarat materiam, ſeu meritum gloriationis penes differentiam inter euangelizare, & abſtinere ab alieno ſumptu. Et intendit quod euangelizare eſt debitum: & conſequenter non eſt materia gloriationis, nec mercedis, abſtinentia autem ab alieno ſumptu adiuncta Euangelio, non eſt debita, ſed ſpontanea: ac per hoc meritum gloriationis, & mercedis eſt.

Duo operum genera in miniſtro. Et ſi vis penetrare hæc, conſidera in miniſtro duo operum genera: alterum ad quod tenetur, alterum ad quod non tenetur, ſed ſponte ſuperaddit intuitu Domini. Et cum perſpexeris quòd ex his operibus ad quæ tenetur miniſter, non debetur ei noua merces, non habet vnde glorietur, ſed tantum quod debuit fecit: ex iis verò quæ ſponte ſupererogauit, habet vnde glorietur, & noua ei debetur merces. Cum hæc inquam perſpexeris, intelliges quæ hic dicit Paulus: quæ ſine intellectu horum obſcuriuſcula ſunt. Vide ſingula.

NON EST MIHI GLORIA, pro *gloriatio*: non habeo vnde glorier. Et probationem ſubiungit: NECESSITAS ENIM MIHI INCVMBIT. neceſſitas debiti, neceſſitas iuſtitiæ incumbit mihi quoad officium euangelizandi. Quam neceſſitatem ſtatim probat, ſubiungendo: VÆ ENIM MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO. Probat à contrario: hoc eſt à pœna incurrenda ſi non euangelizet: ex hoc enim quòd omiſſioni debetur pœna, clarè patet quod opus quod omiſſum eſt, erat debitum: nullus enim meretur pœnam omittendo opus ad quod non tenetur.

Væ Prælatis niſi euangelizent. Et hinc patet quòd quemadmodum Apoſtoli tenebantur ad euangelizandum ex iniuncto ſibi officio, ita tenentur modo Prælati quibus ex officio incumbit prædicare: & væ eſt nobis niſi euangelizemus.

Verſ. 17. *Differentia inter actum debitum, & actum ſupererogationis.* SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM HABEO. Reſoluit differentiam inter debitum actũ, & actum ſupererogationis in propria principia. Et actus quidem ſupererogationis principium ponit propriam voluntatem: hoc eſt, ſua ſponte ſtudium operari: hoc enim ſignificatur dicendo *volens hoc ago.* Et hinc nouam deberi mercedem, pro tali opere aperit: dicendo enim *mercedem habeo*, meritum, ſeu ius mercedis ſignificat ſe habere. Et quoniam in textu adiungitur coniunctio *enim* (dicendo *ſi enim volens*, ſignificatur quòd ratio redditur per hæc præcedentium. Et verè ſic eſt: quoniam ex hoc quòd propria voluntate non alieno iuſſu aliquid facimus, ſupererogationis opus eſt, & nouæ mercedis meritorium, & gloriationis materia eſt. Et ex oppoſito ſubiungitur: SI AVTEM INVITVS, DISPENSATIO MIHI CREDITA EST. Ecce ex oppoſito proprium principium actus debiti. Et quod dicit *inuitus ago*, non ſignificat inuitum abſolutè (nam abſolutè inuitus nullus agit: ſed patitur) ſed ſignificat alieno iuſſu agentem. Et talis appellatur *inuitus* per priuationem non voluntatis, ſed ſpontaneæ voluntatis: hoc eſt, quòd non à ſe, ſed obediens alteri agit: hoc enim directè

Inuitus abſolutè nullus agit.

opponitur ad id quod dixerat, *ſponte ago.* Et hunc ſenſum manifeſtè aperit adiuncta particula, *diſpenſatio mihi credita eſt.* Hoc enim non ſequitur ad *inuitum* abſolutè, nec ad coactum timore, ſed optimè ſequitur ad non operantem à ſe: ſi enim ago, & non à me, diſpenſatio mihi credita eſt à iubente. Et ſub hoc membro comprehendit actum euangelizandi, reddens rationem quare neceſſitas ibi incumbit, quia diſpenſatio ei credita eſt, quare non debetur ei hinc noua merces, quia inuitus (hoc eſt, non à ſe, ſed iuſſus) hoc agit. Sub altero verò membro comprehenditur abſtinere à ſumptu alieno: quia volens, non iuſſus hoc agit: & ideo merces ei debetur. Vnde & hoc explicando ſubiungit:

QVÆ EST ERGO MERCES MEA: Interrogatiuè legendum eſt: explicauerat enim alterum membrum, ſcilicet *ſi euangelizauero non eſt mihi gloriatio*: ſupererat vt explicaret alterum membrum. Et propterea interrogatiuè infert, quæ eſt ergo merces mea: hoc eſt, meritum mercedis meæ? VT EVANGELIVM PRÆDICANS SINE SVMPTV PONAM EVANGELIVM. Deeſt, *Chriſti.* Ecce meritum mercedis, ecce bonum ſupererogationis ſine ſumptu ponere Euangelium Chriſti, ſine acceptione ſumptuum euangelizare Chriſtum: hoc enim erat abundantioris charitatis non ſolùm donare Euangelium, ſed donare ſumptus ſibi debitos. VT NON ABVTAR POTESTATE MEA IN EVANGELIO. Non ſignificatur quod accipere ſumptus eſſet abuti poteſtate euangelizantis (cum Dominus non ordinauerit abuſum aliquem) ſed ſignificatur excellens cautela abſtinentis ſe totaliter ab huiuſmodi poteſtatis vſu, ne fortè vtendo incideret in aliquem abuſum propter aliquam circumſtantiam extrinſecam. Verſ. 18.

NAM CVM LIBER ESSEM EX OMNIBVS. Cùm declaraſſet ſe eſſe Apoſtolum liberum, modò declarat qualiter ſuo Apoſtolatu libero vſus eſt ad alios. Et introducit hunc vſum per modum probationis eius quod dixerat quod merces ſibi debetur, ex hoc quòd Euangelium Chriſti ponit ſine ſumptu. Probat enim hoc à laudabili vſu talis libertatis: ne putaret quiſpiam quòd Paulus pro ſua gloria noluiſſet ſubire hanc ſeruitutem accipiendi ſumptus: hanc inquam humanam opinionem excludit monſtrando quòd propter Chriſtum hoc fecit. Et monſtrat hoc ex vſu ſuæ libertatis ad ſeruitutem aliorum: hoc enim ſignificatur dicendo: *nam cum liber eſſem ex omnibus*, à nullo accipiens ſumptus. OMNIVM ME SERVVM FECI. Ecce voluntaria ſeruitus. VT PLVRES LVCRIFACEREM. Ecce finis. Verſ. 19. *Quomodo libertate Apoſtolatus ſui vſus ſit ad alios D. Paulus.* *Omnibus ſe accommodat.*

ET FACTVS SVM IVDÆIS TANQVAM IVDÆVS, VT IVDÆOS LVCRARER. Explicat in ſpecie huiuſmodi ſeruitutes, incipiens à Iudæis. Et ne malè intelligeres quid ſignificat *factus ſum Iudæis tanquam Iudæus*, explicat ſubiungendo: Verſ. 20.

IIS QVI SVB LEGE SVNT. Quos appellauerat Iudæos, modò explicat *iis qui ſub lege ſunt.* QVASI SVB LEGE ESSEM. Ecce in quo factus ſum tanquam Iudæus, non in perſecutionibus Chriſtianorum, non in pertinacia, ſed in obſeruatione legalium. Circumcidit enim Timotheum, & in Hieruſalem purificauit ſe more Iudæorum, & ſuperiùs ſcripſit, *qui in circumci-* Verſ. 21.

circumciſione : ſectus eſt non adſciſcit præputium. CUM IPSE NON ESSEM SVB LEGE. Omnes iſtæ ſex dictiones ſunt ſuperfluæ. VT EOS QVI SVB LEGE ERANT LVCRIFACEREM. pro, *lucrifaciam*. Ecce quorſum ſeruabat legalia. IIS QVI SINE LEGE ERANT. hoc eſt, gentibus qui erant ſine lege Dei. TANQVAM SINE LEGE ESSEM. hoc eſt, tanquam liber a lege Moyſi, veſcens omnibus cibis, non diſcernens diem a die, & huiuſmodi. CUM SINE LEGE DEI. pro, *Deo*, NON ESSEM, SED IN LEGE ESSEM CHRISTI. Ne malè intelligeres *factus ſum gentibus tanquam ſine lege eſſem*, declarat quòd hoc fecit ſeruando ſemper ſe Deo legitimè. Et explicando ſecundum quam legem legitimè, dicit, *ſed in lege eſſem Chriſti*, non omittendo ſeruare legem Chriſti, quam omitterem ſeruando legem Moyſi. VT LVCRIFACEREM. prò, *lucrifaciam*, EOS, QVI SINE LEGE ERANT. pro, *exleges*. Non enim arctatur ſermo ad præteritum.

Verſ. 22. FACTVS SVM INFIRMIS TANQVAM INFIRMVS. Et eſt ſermo de infirmis animo, quos dixerat non ſcandalizandos : factus eſt enim infirmis tanquam infirmus abſtinendo à licitis quæ potuiſſent parere aliquid ſcandali in mentibus aut actibus infirmorum. VT INFIRMOS LVCRIFACEREM. Ecce finis. OMNIBVS OMNIA FACTVS

Omnibus omnia ſactus. SVM. Ne longius vagaretur diſcurrendo per ſingula, ſummatio comprehendit omnium conditiones. VT OMNES. pro, *vt omnino*, ALIQVOS SALVOS FACEREM, pro, *faciam*. Extenditur enim ſermo ad futurum. Et apparet verè ampliſſima cura ac voluntaria ſeruitus Pauli in hoc quod omnium conditionibus ſe accommodabat vt ex omni conditione hominum aliquos ſaluos faceret.

Verſ. 23. OMNIA. pro, *hoc*, AVTEM FACIO PROPTER EVANGELIVM. Hactenus Paulus declarauit vſum ſui liberi Apoſtolatus ad ſalutem aliorum: modò intendit declarare quomodo vtitur Apoſtolatu ſuo ad ſalutem propriam. Et incipit retorquendo ad hæc omnia opera ordinata ad ſalutem aliorum in propriam ſalutem : pronomen enim *hoc*, demonſtrat ſupradictum Apoſtolatus vſum. Et cùm dicitur *propter Euangelium*, ſignificatur finis propter quem hoc facit. Et eſt ſenſus, hoc autem facio vt idoneum me reddam Euangelio quod prædico. Vnde & ſubiungit. VT PARTICEPS EIVS EFFICIAR. Qui prædicat Euangelium aliis, & non ſeipſum idoneum reddens Euangelio, non efficitur particeps eius : quoniam aliis prodeſt Euangelium, non prædicanti. Et propterea Paulus dicit ſe hoc facere propter Euangelium, vt ſit Euangelij particeps, vt proſit ſibi non minus quàm aliis.

In ſalutem propriam omnia retorquet Apoſtolus.

Verſ. 24. NESCITIS QVOD HI QVI IN STADIO CVRRVNT. Ad declarandum qualiter vtitur Apoſtolatu ad propriam ſalutem, qualiter euangelizat vt particeps ſit Euangelij, affert duas ſimilitudines. Alteram de currentibus in ſtadio. OMNES QVIDEM CVRRVNT, SED VNVS ACCIPIT BRAVIVM. Sententia clara eſt. SIC CVRRITE VT COMPREHENDATIS. Antequam applicet ſimilitudinem ad ſeipſum, vt intendit, interponit monitionem communem, qua duo ſignificat. & quod currendum eſt eis omni conatu ad ſimilitudinem illius qui accipit brauium, & quod brauium cœleſte non eſt vnius tantum, ſed commune omnibus currentibus ex omnibus viribus ſuis. Hanc enim conditionem ſignificauit dicendo in numero plurali, *vt comprehendatis*: primam autem conditionem ſignificauit dicendo *ſic currite*.

Similitudo currentium in ſtadio.

OMNIS AVTEM QVI IN AGONE CONTENDIT. Verſ. 25.
pro, *qui certat*. Altera ſimilitudo eſt de certantibus pugilibus, vt conſueuerunt militares homines certare exercendo ſe bellica pugna. AB OMNIBVS SE ABSTINET. Diſcerne, & perſpice in currentibus conatum, in pugilum verò exercitio abſtinentiam : conſueuerunt enim tales parciſſimè veſci. ET ILLI QVIDEM VT CORRVPTIBILEM CORONAM ACCIPIANT. quâ donabantur victores. NOS AVTEM INCORRVPTAM, pro, *incorruptibilem*. Differentia manifeſta eſt.

Et certantium in paleſtra.

EGO IGITVR SIC CVRRO. Applicat vtramque Verſ. 26.
ſimilitudinem ad vſum ſui Apoſtolatus ad propriam ſalutem : & quantum ad primam, affirmat ſe currere ad brauium cœleſte, non ſolum non ſedet, non ambulat, ſed currit: non qualitercunque, ſed ſic. Et declarando quid ſignificat *ſic*, ſubiungit, NON QVASI IN INCERTVM. Currentes in ſtadio, currunt ambigui quis eorum accipiat brauium : ac ideo omnes currunt tanquam in incertum. Ego autem inquit Paulus, non curro ſic, tanquam ambiguus, ſed certus de brauio. Et intendit per hoc quod curſus ſuus Apoſtolicus certus eſt futuri brauij : ſciebat enim quod ex omnibus viribus ſuis currebat expeditus ab omnibus quæ quomodolibet impedire poſſent. Et Petrus : *Ad hoc* inquit *ſatagite per bona opera certam veſtram vocationem facere.*

Currit Paulus certus de brauio.

SIC PVGNO. hoc eſt, pugilum certamen exerceo, Applicat ſecundam ſimilitudinem, affirmans ſe pugnare. Et verè pugnabat cum mundo, carne, & dæmone. Curſus reſpicit cœleſte præmium, pugna autem præſentes reſpicit impugnantes & retrahentes à ſpirituali curſu. NON QVASI AEREM VERBERANS. Pugnat quaſi aërem verberans qui pugnando percutit aerem, non eum contra quem pugnat, vt exercentes ſe bellicis actibus ſæpe faciunt. Non ſic, inquit, ego pugno, ſolis verbis verberantibus aerem euangelizando.

Attende & diſcerne quòd Paulus ex his actionibus prophanis accepit quoad communem quidem inſtructionem ſimilitudines; ex curſu quidem aſſimilationem ad peruenientem ad brauium; ex pugna vero ſimilitudinem coronæ longe excellentioris : quoad ſeipſum autem diſſimilitudines ad currentes ambiguos, ad pugiles verberantes aërem.

Ex prophanis actionibus ſimilitudines trahit Apoſtolus.

SED CASTIGO CORPVS MEVM. Ecce percuſſio Verſ. 27.
hoſtis contra quem pugnat, tum priuando delectabilibus etiam licitis, tum affligendo variis modis. ET IN SERVITVTEM REDIGO. Non ſolum percutio corpus : ſed etiam pugno vſque adeo quod ipſum in ſeruitutem redigo: non eſt enim perfecta pugnantis victoria, niſi hoſtis in ſeruitutem redactus fuerit : redigitur autem corpus in ſeruitutem ſpiritus diuturnis actibus & habitibus virtutum, temperantiæ, religionis, & huiuſmodi.

Caſtigat corpus ſuum & in ſeruitutem redigit.

Vbi nota quod triplicem hoſtem cum habeat diabolum, mundum, & corpus proprium, ſolius proprij corporis meminit quantum ad percuſſionem vſque ad ſeruitutem : vt ex hoc quod propinquiorem imò internum continueque impugnantem hoſtem vinci a ſe explicat,

intelligitur quid contra externos hoſtes pugnando efficit. Qui enim carni propriæ non parcit, multo amplius externos mundum ac dæmonem percutit. NE FORTE. pro, *ne quo modo*: ne aliquo quouis modo. CUM ALIIS PRÆDICAVERIM, IPSE REPROBVS EFFICIAR. prædicando aliis Euangelicam doctrinam, & non adimplendo eam factis.

CAPVT X.

Verſ. 1. NOLO ENIM. pro, *autem*. VOS IGNORARE FRATRES. Poſtquam Apoſtolus admonendo Corinthios circa eſum immolatorum ſimulacris, poſuit ſe exemplum illis, declarans qualiter ipſe vſus eſt & vtitur ſuo Apoſtolatu tam ad alios quam ad ſeipſum: conſequenter modo declarat Corinthiis qualiter ipſi vti debent Chriſtiano ſtatu quem acceperant ab eius Apoſtolatu. Declarat autem huiuſmodi Chriſtiani ſtatus vſum debitum tum communiter, tum ſpecialiter circa eſum immolatorum ſimulacris. Et incipit ab exemplo Iudæorum antiquorum qui egreſſi ſunt de Ægypto: huiuſmodi enim exempla ad vtrumque pertinent, commune ſcilicet & ſpeciale. QVOD PATRES NOSTRI OMNES. Communes patres appellat Hebræos: quoniam patres ſunt fidei. Et dicit *omnes*, vt comprehendat omnibus tam bonis quam malis comunia fuiſſe beneficia ſubiuncta. Quorum tria priora ſpectant ad ipſum exitum ex Ægypto: duo verò reliqua ad moram in deſerto. SVB NVBE FVERVNT. Primum beneficium commune fuit nubes lucens in nocte, & protegens in die. ET OMNES MARE TRANSIERVNT. Proculdubio rubrum ſicco veſtigio. Hæc duo beneficia ſcripta ſunt Exod. 13. & 14. Vbi in calce ſcribitur & tertium.

Hebræi patres ſunt fidei.

Verſ. 2. ET OMNES IN MOYSE BAPTIZATI SVNT IN NVBE ET IN MARI. Scribitur ibidem quòd pertranſito mari timuit populus Dominum, qui prius murmurauerat, & credidit Domino & Moyſi ſeruo eius: & conſequenter cecinerunt canticum Domino, hoc eſt enim baptizatos (hoc eſt ablutos) fuiſſe omnes in Moyſe, confortante eos, & in nube tuente eos, & in mari præbente ſe eis pro muro a dextris & a ſiniſtris: ſubmergente autem Ægyptios: ex his enim abluti ſunt a diffidentia diuinæ protectionis.

ET OMNES EANDEM ESCAM SPIRITVALEM
Verſ. 3. MANDVCAVERVNT. Beneficium hoc ſcriptum eſt Exod. 16. Appellat enim Paulus manna quo omnes aliti ſunt, eſcam ſpiritualem, non quòd eſſet in ſe ſpiritualis (cum eſſet corporeus cibus) ſed quoniam erat ſpiritualis quoad cauſam; hoc eſt, a ſpirituali non naturali virtute proiecta: myſterio ſiquidem Angelorum producebatur manna: vt patet ex hoc quod quadraginta annis pauit totum populum.

Manna quomodo eſca ſpiritualis.

ET OMNES EVNDEM POTVM SPIRITVALEM
Verſ. 4. BIBERVNT. Hic potus ſcriptus eſt Exod. 17. & Num. 20. de aqua quæ fluxit ex petra. Et appellatur potus ſpiritualis quoad cauſam: quia non ex cauſa naturali ſed ſpirituali fluxit aqua ex petra. BIBEBANT AVTEM DE SPIRITVALI CONSEQVENTE EOS PETRA. Legendum eſt, *Bibebant enim de ſpirituali conſequente eos petra.* Coniunctio *enim*, rationem reddi ſignificat, & eſt ratio ſpiritualis potus: quia bibebant de ſpirituali petra ſequente. Quæ eſt autem ſpiritualis petra ſequens, ſubiungit, PETRA AVTEM ERAT CHRISTVS. Conſiſtit ergo ratio in hoc quia bibebant de Meſſia, hoc eſt ex beneficio Meſſiæ, qui appellatur *Petra*: non corporea ſed ſpiritualis, eſt enim petra ſpiritualiter. Et appellatur *ſequens* vel quia futurus in carne, vel quia indiuiduus comes ſecundum diuinitatem.

De quo potu ſpirituali bibebant.

Chriſtus petra.

SED NON IN PLVRIBVS EORVM. Dixerat in Verſ. 5.
ſingulis recitatis beneficiis quod omnibus communia fuerunt: differentiam modò recitat quoad terminum, ſcilicet ingreſſum in terram promiſſionis. Quamuis omnibus Deus contulerit ſupradicta beneficia, non tamen in pluribus eorum: ſed in pauciſſimis: vtpote in duobus tantum, Ioſue & Chaleb. BENEPLACITVM EST DEO. vt patet Num. 14. Soli enim hi duo accepti fuerunt Deo vt ingrederentur terram promiſſionis: ita quòd etiam Moyſes & Aaron excluſi ſunt. NAM PROSTRATI SVNT IN DESERTO. omnes qui egreſſi ſunt ex Ægypto numerati (hoc eſt à viginti annis & ſupra) exceptis Ioſue & Chaleb: vt patet Num. 14. & Deuter. 1.

Ioſue & Chaleb ſoli ex egreſſis ex Ægypto ingreſſi terram promiſſionis.

HÆC AVTEM IN FIGVRA FACTA SVNT NOS- Verſ. 6.
TRI, pro, *hæc autem figura noſtri fuerunt*. Eſt enim numeri pluralis *figura*. Et ſignificatur quòd hæc omnia (tam ſecundum communia quæ contigerunt Iudæis, quàm ſecundum communia beneficia, quàm ſecundum beneplacitum Dei ſpeciale in quibuſdam & punitionem aliorum) fuerunt figuræ noſtri: hoc eſt, eorum quæ fiunt circa nos, quæ ſunt agenda per nos, quæque patienda à nobis. VT NON SIMVS CONCVPISCENTES MALORVM, SICVT ET ILLI CONCVPIERVNT. Fructus figurationis ſubiungitur, vt caueamus a peccatis, vt caueamus ab imitatione patrum quoad peccandum. Vbi aduerte quod ſummariè primò commemorat extrema crimina & deinde media. Alterum extremum eſt peccatum cordis, quod tangitur dicendo, *vt non ſimus concupiſcentes malorum*: hoc eſt, malorum operum. Alterum extremum tangitur dicendo,

NEQVE IDOLOLATRÆ EFFICIAMINI. pro, *ſitis* Verſ. 7.
SICVT QVIDAM EX IPSIS, Idololatria enim ſummum inter mala opera tenet locum: vtpote contraria Deo vero. QVEMADMODVM SCRIPTVM EST. Exod. 32. SEDIT POPVLVS MANDVCARE ET BIBERE. immolata vitulo aureo. ET SVRREXERVNT LVDERE. cantando, choreas ducendo, & huiuſmodi feſtiua agendo pro ſolennitate idoli.

Idololatria ſummum inter mala opera locum tenet.

NEQVE FORNICEMVR. Commemorat crimina Verſ. 8.
media, inchoans a peccatis carnalibus. SICVT QVIDAM EX IPSIS FORNICATI SVNT, ET CECIDERVNT VNA DIE VIGINTITRIA MILLIA. Hiſtoria hæc ſcribitur Numero. 25. Verum intereſt numeri: quia ibi commemorantur viginti quatuor millia mortuorum, hic autem vigintitria millia, quod ſcriptorum errore credendum eſt eueniſſe. Quamuis nulla falſitas incurratur dicendo vigintitria millia: quoniam in numero maiori includitur minor.

NEQVE TENTEMVS CHRISTVM, SICVT QVI- Verſ. 9.
DAM EORVM. pro, *eum*, TENTAVERVNT, ET A SERPENTIBVS PERIERVNT. Vbi aduerte quod Paulus dicit expreſsè quod illi Hebræi in deſerto tentauerunt Meſſiam: hinc enim habetur quod

Meſſias

Meſſias eſt Deus: Deum enim illi tentauerunt. Hiſtoria hæc ſcripta eſt Numer. 21. quando populo dicente: *anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo* &c. morti ſunt a ſerpentibus &c.

Numer. 21.

Verſ. 10. NEQVE MVRMVRAVERITIS, SICVT QVIDAM EORVM MVRMVRAVERVNT, ET PERIERVNT AB EXTERMINATORE. Non ſemel ſed pluries peccatum murmuris fuit in deſerto, vnde non eſt vſquequaque certum de quo murmure Paulus loquatur. Verum ſi vniuerſitas mediorum peccatorum his tribus exemplis comprehenſa eſt, cum fornicatio ſit peccatum hominis in ſeipſum, tentatio vero Chriſti peccatum in Deum, conſequens eſt vt murmuratio peccatum in proximum ſignificet. Et ſecundum hoc eſt ſermo de murmure contra Moyſen & Aaron, ſcripto Num. 16. in calce. Et apellatur exterminator ignis egreſſus a Domino qui conſumebat populum, niſi Aaron occurriſſet medius inter mortuos & viuos ad placandum Dominum.

Exterminator quis.

Verſ. 11. HÆC AVTEM OMNIA IN FIGVRA. pro, *figuræ*, CONTINGEBANT ILLIS. Explicat Paulus quòd hæc omnia non ſolum fuerunt in veritate res geſtæ, ſed etiam fuerunt præſignantia futurorum. Et eſt ſermo tam de peccatis quàm de pœnis. SCRIPTA SVNT AVTEM AD CORRECTIONEM. pro, *admonitionem*, NOSTRI. Non ſolum qualiter ſint facta, ſed etiam quorſum ſint ſcripta ſignificat. IN QVOS FINES SECVLORVM DEVENERVNT. Ratio quare propter nos ſcripta ſunt redditur, quia propter nos omnia ſcripta ſunt. Omnes enim ſacræ ſcripturæ ſunt propter tempus Meſſiæ, in quo ſumus nos, quod eſt finis omnium ſeculorum: hoc eſt, tam ſeculi ante diluuium quam ſeculi vſque ad Abraham & ſeculi Patriarcharum, & ſeculi Prophetarum & deinceps vſque ad Chriſtum.

Omnes ſacræ ſcripturæ propter nos.

Verſ. 12. ITAQVE QVI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT NE CADAT. Propoſitis geſtis tempore patrum, vbi declarauit ad admonitionem noſtri ſcripta eſſe, incipit ex illis admonere primò in genere, vt vnuſquiſque videat & caueat ne cadat. Et dixit hoc præcipue propter maiores inter Corinthios, qui exiſtimabant ſe ſtare in ſua ſcientia & libertate. Clare autem patet deduci hanc admonitionem ex geſtis tempore patrum: nam tunc ceciderunt lapſu peccati fere omnes, tum maiores tum minores.

Qui ſtat videat ne cadat.

Verſ. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT. pro, *apprehendit*, NISI HVMANA. Neſcitur quo errore legatur in codicibus Latinis *apprehendat*: cum textus Græcus habeat *apprehendit* in præterito. Et eſt ratio quare quilibet Corinthiorum timere & cauere deberet ne cadat in futuro: quoniam hactenus nulla eſtis tentatione pulſati niſi humana, niſi leui, niſi mediocri: *humanum* enim apellat contemperatum homini: iuxta illud ad Rom. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.* Adhuc enim Corinthij non erant vexati propter Chriſti fidem a præfectis prouinciarum ſeu ciuitatum: quoniam prima perſecutio contra Chriſtianos mota fuit a Nerone, qui poſt tempus huius epiſtolæ regnauit: interim enim ſolæ perſecutiones Iudææ leguntur in Chriſtianos.

Humanum id eſt, contemperatum homini.

Prima perſecutio in Chriſtianos à Nerone.

FIDELIS AVTEM DEVS EST, QVI NON PATIETVR. pro, *ſinet*, VOS TENTARI SVPRA ID QVOD POTESTIS. Nectit tentationes ex prædicta admonitione & ratione (quia tentationes hactenus expertæ, ſunt humanæ: tanquam ſuperuenturæ ſint ſupra vires humanas) declarat ſuperuenturas tentationes, ſiue in facultatibus temporalibus, ſiue in corporibus, ſiue in honoribus & magiſtratibus: omnes enim huiuſmodi afflictiones ſuperuenerunt Chriſtianis. Quæ appellantur *tentationes*, quia vtitur illis Deus ad quodammodo experiendum & probandum electos ſuos: & diabolus ac mundus vtebantur eis ad tentandum Chriſtianorum animos & relinquendum Chriſtianitatem. Declarat itaque eis quod Deus non ſinet illos tentari ſupra vires proprias.

Et dicit *non ſinet*, quia ſi ſineret, diabolus tentaret homines ſupra vires proprias. Sed (vt patet ex tentationibus diaboli contra Iob) tantum tentare potuit, quantum permiſit Deus. Et dicit *fidelis Deus*, attribuens huiuſmodi non permiſſionem fidelitati diuinæ, quia ſcilicet facit quod dixit. *fidelis eſt* enim *in omnibus verbis ſuis*. Dixit autem millies in ſacra ſcriptura, ſe eſſe adiutorem hominum in tribulationibus: alienum autem conſtat eſſe ab officio adiutoris hominum permittere vt homines tententur ſupra vires.

Nemo tentatur ſupra id quod poteſt.

Deus adiutor in tribulationibus.

SED FACIET CVM TENTATIONE PROVENTVM. pro, *euentum*, VT POSSITIS SVSTINERE. pro, *ſufferre*. Non ſolum non ſinet vos tentari ſupra vires, ſed adijciet hoc quod faciet cum tentatione euentum, vt poſſitis ſufferre: hoc eſt, ſed adiuuabit vt poſſitis ſufferre tẽtationem. Non enim dicit, ſed faciet tentationis euentum: quia non loquitur de termino tentationis: ſed dicit, *ſed faciet cum tentatione*: hoc eſt, ſimul cum tentatione: loquitur enim de eo quod faciet Deus tempore tentationis dum homo tentatur: vt conuincitur etiam ex ſubiuncto effectu (*vt poſſitis ſufferre*, procuidubio ipſam tentationem: quæ non eſt toleranda poſt terminum. Vnde ſenſus eſt, ſed faciet tempore tentationis euentum: hoc eſt, tot & talia euenire, hoc intus ſiue extra vt poſſitis ſufferre. Non dixit conferet vobis tale donum, ſed dixit *faciet euentum*: quia infiniti ſunt modi quibus Deus vtitur ad faciendum quod homo poſſit ſufferre tentationes: aliquando enim facit euenire aliquem occurſum extrinſecum, ſiue impediendo tentationes, ſiue adiuuando tentatos, modo facit euenire intus in corpore vel in animo motus aliquos ad hoc conferentes: modo Angelicas adhibet excubias, modò gratias aliquas efficit in anima &c. Propter huiuſmodi enim infinitatem modorum dixit: *faciet euentum ſimul cum tentatione.*

Quomodo Deus [illegible]

Et dixit *vt poſſitis ſufferre*, & non dixit *vt ſufferatis*: Deus enim prouidet de euentibus neceſſarijs ad poſſe ſufferre tentationes: in arbitrio autem tentatorum eſt velle ſufferre. Sic eſt enim fidelitati diuinæ vt tribuat poſſe ſufferre. velle autem ſufferre, & ipſum ſufferre alterius gratiæ eſt, quæ electis confertur & non eſt omnibus communis.

PROPTER QVOD CHARISSIMI MIHI. pro, *dilecti mei*. Poſt admonitionem in genere ne homo cadat, ſubiungit admonitionem in ſpecie ne cadat in idololatriam. Et optime continuat *propter quod* ſcilicet vt quilibet caueat ne cadat. FVGITE AB IDOLORVM CVLTVRA. Optima ſpecies cauendi, vtpote ſecura: vt idolorum cultura non ſolum diſpliceat, ſed etiam ab illa Verſ. 14.

Fugite idolorum culturam.

fugiat.

fugiatur. Et dixit hoc inchoando inſtructionem circa id quod dixerat in capitulo 8. *ſi quis enim viderit te qui habes ſcientiam in idolio accumbentem.* Propoſuerat ſiquidé Paulus actionem illam valde turpem, & damnauerat illam ex ſolo ſcandalo: nullam enim aliam rationem tunc attulit niſi rationem ſcandali. Intendit modò declarare actioné illam eſſe malam aliunde, ſcilicet ex ſpecie actionis ex parte agentium. Et propterea ſignificantiùs dixit, *fugite ab idolorum cultura*: vt tales actiones propinquas idololatriæ, imò ſpeciem idololatriæ habentes vitarent. Ille enim à cultura idolorum non fugit, qui tam propinquè accedit ad cultum idolorum: accumbere namque in idoleo, valde propinquum eſt ipſi cultui idolorum, valde propinquum ad ſacrificare idolis.

Verſ. 15. VT PRVDENTIBVS LOQVOR. ſubiungendo, VOS IPSI IVDICATE QVÆ DICO. Non dubitando de veritate eorum quæ dicit, ſubmittit eorum iudicio dicenda, ſed bene volens illos conuincere proprio ipſorum iudicio, vt veritas faciliùs executioni mandetur quaſi a ſeipſis.

Verſ. 16. CALIX BENEDICTIONIS. hoc eſt, gratiarum actionis, qui offertur pro gratiarum actione Deo. CVI BENEDICIMVS, tum nos ſacerdotes conſecrando, tum omnes laudando. NONNE COMMVNICATIO SANGVINIS CHRISTI EST? vt rei communicatæ participantibus de calice: quaſi dicat, conſtat quòd ſic. Non dicit *ſignificat communicationem*, ſed *eſt communicatio*: quia vere eſt communicatio ſanguinis Chriſti (non vini) participantibus calicem. Significatur enim claré quòd ipſe calicis vſus a multis (ideo enim numero vtitur plurali) eſt communicatio ſanguinis Chriſti illis qui bibunt. Quod eſt verum omnino: quia ſumentibus ſacramentaliter tantùm, eſt ſanguinis Chriſti communicatio ſacramentaliter tantùm: & ſumentibus ſacramentaliter & ſpiritualiter ſimul, eſt ſanguinis Chriſti communicatio ſacramentalis & ſpiritualis.

Calix Euchariſtiæ eſt communicatio ſanguinis Chriſti.

ET PANIS QVEM FRANGIMVS. ſacrificando & diſtribuendo. Sicut dixit, calix ſeu poculum vtens vaſe continente pro contento, ita modo dicit *panis* pro ſpecie panis. Qui ſenſus conuincitur ex verbo *eſt*, cum ſubdit: NONNE PARTICIPATIO. pro, *communicatio*, CORPORIS DOMINI. pro *Chriſti* EST? Non dixit *ſignificat*, ſed *eſt*. Conſtat namque quòd eius ſubſtantie panis non eſt communicatio corporis Chriſti: ſed eius panis hoc eſt, ſpeciei panis eſt in veritate communicatio corporis Chriſti, vt rei communicatæ participantibus illum, vna eademque res ſcilicet verum Chriſti corpus non ſub tantia panis communicatur omnibus edentibus quibus frangitur. Primitiuo illo tempore Eccleſiam fractione vſam fuiſſe communicando populum, etiam Acta Apoſtolorum teſtantur, ad imitationem videlicet Chriſti, qui accepit panem benedixit, fregit, & dedit diſcipulis: poſtea autem Eccleſia vſa ſunt hoſtiis ſigillatim, quas non oportet frangere.

Panem dixit, pro ſpecie panis.

Fractione vtebatur primitiua Eccleſia in communione populi.

Meminit autem Paulus fractionis: quia loquitur de vſu plurium quibus communicatur corpus Chriſti, propterea etiam vtitur numero plurali, dicendo *frangimus*. Intendit enim explicare coniunctionem omnium in vno tertio ſcilicet corpore ac ſanguine Chriſti vero. Et hoc claré ſignificant Pauli verba.

Verſ. 17. QVONIAM VNVS PANIS, ET VNVM CORPVS MVLTI SVMVS, Superfluit *&*. Reddit rationem, vt coniunctio *quoniam* manifeſtat. Redditur autem ratio non coniunctionis corporis Chriſti ad ſumentem, ſed cõmunitatis corporis Chriſti ad ſumentes: quia de tali communitate fuit directe & proprie ſermo, dicendo *quem frangimus nonne communicatio corporis Chriſti eſt*: Quod itaque corpus Chriſti verum communicetur multitudini ſumentium, ratio aſſertur ex vnitate myſtici corporis Chriſti, dicendo: *quoniam multi ſumus vnus panis, vnum corpus*. Ita quòd vnitas inter ſe fidelium eſt ratio quòd commune ſit per ſacramentum Euchariſtiæ verum Chriſti corpus. Et vere ſic eſt: quia ſolis illis qui ſunt vnum charitate, communicatur ſpiritualiter corpus Chriſti verum. Significatur autem vnitas fidelium vnitate panis ac vnitate corporis metaphorice ad ſimilitudinem multorum granorum ex quibus conficitur vnus panis, & multorum membrorum ex quibus conficitur corpus vnum. Et attulit panem propter id quod dixerat *panis quem frangimus*. Attulit quoque corpus propter id quod dixerat *calix benedictionis*. Vnitas enim membrorum corporis vini ſanguinis fit & fouetur.

Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus.

OMNES QVI. pro, *enim*, DE VNO PANE ET DE VNO CALICE PARTICIPAMVS. Superfluunt illæ quatuor dictiones: *& de vno calice*. Solius panis meminit Paulus. Coniunctio *enim* (dicendo *omnes enim*) monſtrat quòd ratio redditur prius dicti, hoc eſt, vnitatis corporis myſtici, participatio vnius panis ab omnibus: hoc eſt, ſpiritualis perceptio vnius ſacramenti Euchariſtiæ ab omnibus: panis enim pro ſpecie panis (vt prius dictum eſt) ponitur. Et vere ſic eſt: quoniam ſacramentum Euchariſtiæ & facit in omnibus mediante ſua non ſolum ſacramentali, ſed etiam ſpirituali participatione vnitatem corporis myſtici, & eſt ſimul eiſdem communicatio veri Chriſti corporis. Et intendit per totum hunc progreſſum manifeſtare quanta vis eſt communis perceptio Euchariſtiæ: dum in ipſam Euchariſtiæ communitatem reſoluit vnitatem corporis Chriſti myſtici, & communitatem corporis Chriſti veri: vt intelligamus quòd in hoc quòd omnes ex vno pane ſacramentali participamus, & ſumus vnum Chriſti corpus myſticum, & commune habemus verum Chriſti corpus. Cùm autem audis *facit*, intellige, quòd facit vnitatem ſi non inuenit factam, aut facit augendo factam. Iuxta hunc ſiquidem ſenſum cõmunis Theologorum doctrina dicit ſacramenta conferre gratiam, ſcilicet faciendo vel augendo. Quod etiam intellige quantum eſt ex ſe: quia niſi ſit patiens diſpoſitum, non ſit effectus propter impedimentum ex parte ſuſcipientis.

Euchariſtia vnitatem corporis Chriſti myſtici facit.

Verſ. 18. VIDETE ISRAEL SECVNDVM CARNEM. Accuſatiuus caſus eſt *Iſrael* hoc in loco. Et dicit *ſecundum carnem*: hoc eſt, ſecundùm carnales noſtris, carnalia ſacrificia illorum: adhuc enim extabat templum Iudæorum, & offerebantur in eo ſacrificia. Dixit inquam hoc, vt intelligeremus differentiam inter noſtra & Iudæorum ſacrificia, quòd noſtrum eſt ſpirituale, illorum verò ſunt carnalia: & quòd de communicatione ſpirituali, déque participatione

Sacrificia Iudæorum carnalia, noſtrũ ſpiritale.

communicatione ſpirituali loquutus eſt, modò autẽ carnalia affert. Intendit proponere coram Corinthiorũ prudentia & certiora communionẽ omnium ſacrificiorũ, & incepit à ſacrificio Chriſtianorum ſpiritualiſſimo; & propterea conſequenter proponit ſacrificia Iudæorum, **carnalia quidem, quæ tamen vero Deo offeruntur.**

Nonne qvi edvnt hostias, participes svnt altaris? Ecce inuenta communitas, in **hoc** quod omnes edentes immolata Deo, par**ticipes ſunt altaris Dei: hoc** eſt participes ſunt immolationis factæ in altari. Nota verba: quia **in** hoc conſiſtit neruus Pauli. Quemadmodum **in** ſacrificio Chriſtiano dixit: quod quia omnes de vno pane participamus, ſumus vnum, & communicatur nobis corpus **Chriſti, ita in** ſacrificio Iudæorum dicit quod **qui edunt** hoſtias, communicant altari: hoc eſt ſacrificio. Hinc enim vult intelligi illatum poſtea eſſe quòd participantes in menſa aut calice dæmoniorum, communicant dæmoniis.

Verſ. 19. Qvid ergo dico, qvòd idolis immolatvm sit aliqvid, avt qvòd idolvm sit aliqvid? Tranſpoſitæ ſunt particulæ; prius enim in textu Pauli eſt, quòd idolum ſit aliquid, & deinde aut quòd idolis immolatum ſit aliquid. Memor Paulus eorum quæ dixerat cap. 8. quod idolum nihil eſt in mundo, quum modo progrederetur à participantibus quæ immolantur in ſacrificio Chriſtianorum, & a participantibus immolata in ſacrificiis Iudæorum ad participantes immolata idolis, & dicendum ei ſucceſſiuè fuiſſet quòd edentes immolata idolis communicabant idolis, tanquam inueniens impedimentum, quaſi offendens in obſtaculum progreſſus (vtpote contrarium doctrinæ ſupradictæ quòd idolum eſt nihil), quodammodo ſubſiſtit: & explicat quòd hoc ſibi conſequenter dicendum fuiſſet, ſcilicet quòd edẽtes immolata idolis, eſſent participes idolorum: quod continet in ſe idolum aliquid eſſe, & immolatum idolis eſſe aliquid: quod contrariatur doctrinæ ſupradictæ. Explicat, inquam, ſe non dicere hoc: hoc enim ſignificatur huiuſmodi illatione interrogatiua, *quid ergo dico?* inferebatur enim ex præmiſſis quòd diceret hoc videlicet quòd idolum ſit aliquid, aut quòd idolis immolatum ſit aliquid. Intellige idolis immolatum vt ſic nihil eſſe, quemadmodum vt ſic idolum nihil eſt: vt ſuperiùs declaratum eſt.

Verſ. 20. Sed qvæ. Legendum eſt, *Sed quòd quæ* immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Ordo literæ eſt, non dico quòd idolum ſit aliquid, aut quòd immolatum idolis eſt aliquid: ſed dico quòd quæ immolant gentes, dæmoniis immolant & non Deo.

Sacrificia idolorum dupliciter conſiderata.

Aduerte hic ſubtilitatem Pauli. Sacrificia idolorum conſiderantur dupliciter: vel ſecundum ſe, vel ex parte immolantium. Si conſiderentur ſecundum ſe, ſic nihil ſunt: ſicut & ſimulacrum, cui immolantur nihil eſt: nam ſimulacrum nullius dei eſt repræſentatiuum: ac per hoc nihilo immolantur ſecundum veritatem rei. Si autem conſiderentur ex parte immolantium, ſic illa ſacrificia immolantur dæmoniis. Gentiles enim intendunt immolare Deo repræſentato per ſimulacrum: talis autem deus non eſt niſi dæmon. Vnde intendendo immolare Deo repræſentato per ſimulacrum duo incurrunt, alterum negatiuum quòd nulli **Deo immolant: quum non ſit niſi vnus Deus, cui non immolant: vtpote non repræſentato** per ſimulacrum: alterum affirmatiuum, ſcilicet quod immolant dæmoniis dum contendunt numinis ſeu diuini aliquid eſſe in ſimulacro, & illi immolant. Conſtat enim nihil aliud in ſimulacris eſſe præter materiam formamque ſenſibilem, niſi dæmoniacum: iuxta illud, *omnes dij gentium dæmonia.* Et propterea Paulus in cap. 8. & nunc, iudicans idola & immolata idolis ſecundum ſe, dixit nihil eſſe: & cum hoc modo ſubiungit quod quæ immolantur idolis, immolantur dæmoniis, iudicans ſacrificia idolorum ex pertinacia immolantium. Propter quod ſignificanter dicit *quæ gentes immolant*, vt ex parte immolantium intelligeremus quod dicit. Et dixit hoc, vt progreſſus ſuus intelligeretur quòd non tendit ad inferendum quòd edentes de ſacrificiis ſimulacrorum participes ſunt ſimulacrorum: ſed ad inferendum quòd edentes de ſacrificiis ſimulacrorum, participes ſunt dæmoniorum.

Manducantes idolothyta, & communicantes idolis, incurrunt crimen.

Et intendit per hoc manifeſtare quòd edentes de iis quæ immolata ſunt ſimulacris, quæ nihil ex parte rei nihil ſuperſtitionis mereantur (quia idolum nihil eſt, & immolatum idolis nihil eſt) ex parte tamen immolantium & veſcentium, crimen incurrunt idololatriæ, veſcendo illis in idoleo, hoc eſt, in loco vbi ſacrificatur idolis. Veſci enim in menſa, ſeu loco ſacrificiorum, proprium eſt profitentium ſe participare immolatis quatenus immolata ſunt: ac per hoc participare cum dæmoniis, quibus gentes immolant. Et verè ſic eſt quòd in idoleo veſcentes etiamſi ipſi non intenderent, tamen profitentur ratione loci ſe immolatis vt immolatis veſci, quod eſt incurrere ipſo crimen idololatriæ.

Nolo avtem vos socios, pro *communicantes* fieri dæmoniorvm. Poſtquam propoſuit quales ſint participantes tam in ſacrificio Chriſtianorum, quam in ſacrificiis Iudæorum, & demum in ſacrificiis Gentilium, ſubiungit in quo conſiſtat crimen participantium in ſacrificiis Gentilium. Et explicat crimen illud eſſe participare ſeu communicare cum dæmoniis. Explicat autem hoc prohibendo [illegible] talem communionem.

Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorvm. Verſ. 21. Non dicit, non poteſtis ſacrificare Domino & ſacrificare dæmoniis (hoc enim tanquam euidens ſcire [illegible] omittit) ſed dicit, *non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum*: vt intelligamus quòd non de ſacrificantibus, ſed de participantibus, bibendo de immolato calice, loquitur: vt intelligant Corinthij quòd [illegible] illos Chriſtianos qui non ſacrificabant idolis, ſed inuitati in idoleo bibebant de calice immolato: vt intelligant quòd incurrunt crimen communicationis cum dæmoniis, vt intelligant quòd non ſolum tales peccant [illegible] ſcandalo, quod ſuperius in 8. cap. dixerat, ſed ratione communionis cum dæmoniis.

Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorvm. Quod dixit de bibentibus, idem dicit de comedentibus in menſa dæmoniorum: quam ſuperius

appellauit

appellauerat *in idoleo*. Et dixit hoc directè vt intelligant quòd quamuis licitum ſit eis veſci immolatis ſimulacro ex ea parte qua ſimulacrum nihil eſt, & immolatum ſimulacro nihil eſt, non tamen licitum eſt eis in menſa dæmoniorum veſci: quoniam inde incurritur participatio cum dæmonibus, etſi non intentione, tamen facto.

De Euchariſtia vt eſt ſacrificium eſt hic ſermo.

Aduerte hic prudens lector errorem nouiter exortum dicentium quòd tempore Apoſtolorum Euchariſtia non erat ſacrificium, ſed tantùm ſacramentum, ex hoc loco manifeſtè confutari: nam hic clare de Euchariſtia quatenus ſacrificium eſt, eſt ſermo. Expreſſe enim connumerat ſacrificia Iudæorum, & ſacrificia Gentilium, ad nihil aliud niſi ad oſtendendum ſacrificium Chriſtianorum non poſſe ſimul participare cum ſacrificio Gentilium. Vnde & eiſdem vtitur nominibus, *menſa Domini & menſa dæmoniorum*, &c.

Verſ. 22. AN ÆMVLAMVR, pro, *prouocamus*, DOMINVM? Exaggerat crimen huiuſmodi participationis, ne leue putaretur peccatum: declarando quòd eſt irritare Deum, eſt prouocare Deum ad iram ſeu æmulationem: hoc eſt, prouocare Deum, quaſi dando ei æmulum, tanquam dando ei parem, de quo ipſe conqueritur: *Ipſi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus*. Damus enim quaſi parem Deo, immolando alteri quam ipſi: quoniam honorem diuinum impendimus alteri. Deut. 31. 21.

NVNQVID FORTIORES ILLO SVMVS? Ad timendum irritationem diuinam hoc dicitur: fortioris ſiquidem eſt abſque timore irritare aliquem: debilior autem male ſibi conſulit irritando eum cui non poteſt reſiſtere. Vndique itaque Paulus exaggerat crimen edendi in idoleo, tum ex menſa Domini, tum ex irritatione Domini, tum ex timore punitionis propriæ. Et ſic complevit doctrinam de immolatis ſimulacris quantum ad Chriſtianos edentes & bibentes in idoleo: ſequentia autem ſpectant ad docendum extra idoleum qualiter liceat & qualiter non liceat veſci iis, quæ immolata ſunt ſimulacris.

Hucuſque crimen edendi in idoleo exaggerauit Paulus, nunc de eſu idolothytorum extra idoleum.

OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIVNT, pro, *conducunt*, ſeu *conferunt*. Duas radices proponit ex quibus naſcitur peccatum in huiuſmodi. Altera eſt, ſed non omnia conducunt, non omnia vtilia ſunt ad gloriam Dei.

Verſ. 23. OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA ÆDIFICANT. Ecce altera radix, quòd non omnia ſunt ad ædificationem proximorum. In vtraque autem præmittitur *omnia mihi licent*, ad ſignificandum licitum eſſe veſci iis, quæ immolata ſunt ſimulacris, extra tamen idoleum: de hoc enim iam dictum eſt.

Verſ. 24. NEMO QVOD SVVM EST QVÆRAT, SED QVOD. Deficit *quiſque*. Legendum eſt, *Sed quiſque quod* ALTERIVS. Ad declarandum quanti facienda eſt ædificatio proximi, de qua dixerat *ſed non omnia ædificant*; ſubiungit mandatum vt nullus præponat proprium bonum ædificationi aliorum. Et eſt ſermo non de bono ſpirituali, ſed de bono corporali. Et hoc verba ſonant. Nam inter ſpirituale & corporeum bonum hæc eſt differentia, quod bonum ſpirituale non eſt ita meum quin ſit alterius: quoniam ſuapte natura eſt commune abſque damno meo; bonum autem corporeum propriè eſt meum: quia ita eſt meum quod non alterius: & ſi alteri communicatur, a me tollitur. Perinde ergo dictum eſt, *nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius*: ac ſi dictum fuiſſet, nemo ſtudeat proprio, ſed quilibet ſtudeat communi bono. Quamuis etiam poſſit exceptione ſeu excluſione ſubintellecta ſenſus eſſe, nemo quod ſuum eſt quærat tantùm, ſed etiam quod alterius.

Bonum ſpirituale non ita eſt meum quin ſit alterius meo damno, ſicut de corporeo.

OMNE QVOD IN MACELLO VÆNIT, hoc eſt, Verſ. 25.
venditur. MANDVCATE. Ecce *omnia mihi licent*. NIHIL INTERROGANTES, an ſit immolatum idolis. Non dicit nihil ſcientes: quia ſcire apud ſeipſum eſt, & non eſt ratio ſcandali: interrogare autem, apud alios. PROPTER CONSCIENTIAM. Quomodo hoc intelligitur, inferius declarabit.

DOMINI EST TERRA ET PLENITVDO EIVS. Verſ. 26.
Aſſertur authoritas iſta ex pſalmo ad declarandum omne quod in macello vænit manducare, ad declarandum licite poſſe omnibus veſci: quia Domini non dæmonum eſt terra, & vniuerſa animalia, & quæ naſcuntur in terra: hoc enim ſufficit ad hoc vt non incurratur peccatum aliquod ex parte rerum edendo illas, quicquid enim eſt Domini, mundum eſt.

SI QVIS VOCAT VOS INFIDELIVM AD COE- Verſ. 27.
NAM ET VVLTIS IRE, OMNE QVOD VOBIS APPONITVR MANDVCATE. Ecce iterum *omnia mihi licent*. Vbi aduerte quòd primò de loco omnibus communi, macello ſcilicet, & modò de loco priuato (habitaculo ſcilicet viri infidelis) doctrinam tradit: vt omnia loca comprehendat extra idoleum. Et dicit hoc ad monſtrandam libertatem noui Teſtamenti. In veteri ſiquidem lege conſtat prohiberi inuitatum Iudæum a Gentili comedere quæcunque apponuntur; prohibetur enim comedere immolata: vt patet Exod. 34. NIHIL INTERROGANTES, an id quod apponitur fuerit immolatum ſimulacro. PROPTER CONSCIENTIAM. quam inferius declarabit.

SI QVIS AVTEM DIXERIT, HOC IMMOLATVM Verſ. 28.
EST IDOLIS, NOLITE MANDVCARE. Simpliciter & abſolute dixerat *manducate*, in euentum autem quod aliquis dixerit de aliquo cibo, *hoc immolatum eſt idolis*, dicit *nolite manducare*. PROPTER ILLVM QVI INDICAVIT. Videtur enim ex propoſito hoc indicaſſe, vt non comedatis ad experiendum an in veritate horreatis ſimulacra: putat enim hoc dicens, quòd ſi comederitis immolata idolis, participes ſitis idolorum. Quo fit quod ſi poſtquam dixerit *hoc immolatum eſt idolis*, comederitis illud, dicat vos non eſſe alienos à cultura idolorum. ET PROPTER CONSCIENTIAM. Duas rationes affert Paulus ad retrahendum à manducando id quod indicatum eſt immolatum eſſe idolis. Et vtraque, vt patebit, ſe tenet ex parte proximi: nulla autem ex parte edentis. Vnde & ſubdit quod in Latino textu deficit, *Domini eſt terra & plenitudo eius*. Repetit verſiculum ſuperius recitatum ad ſignificandum quod propter neutram harum cauſarum tollitur licitum eſſe veſci quibuſcunque rebus ſiue immolatis, ſiue non immolatis, ſed perſeuerat libera facultas veſcendi illis, abſolute loquendo: quia perſeuerat quod *Domini eſt terra & plenitudo eius*, quia perſeuerat mundities rerum.

Quod indicatur immolatum fuiſſe idolis, non edendum.

CONSCIEN

Vers. 29. CONSCIENTIAM AUTEM DICO NON TUAM, SED ALTERIUS. [illegible] *propter conscientiam* [illegible] conscientia [illegible] sed de conscientia [illegible] infirmorum [illegible] *conscientia* [illegible]. Et [illegible] *ut quid enim* LIBERTAS MEA [illegible] CONSCIENTIA? [illegible] propter conscientiam [illegible] omnino mihi [illegible] *ut quid* [illegible].

Vers. 30. SI EGO CUM GRATIA PARTICIPO, [illegible] *pro gratia* [illegible] *Et in* [illegible] gratia participo [illegible] Deo [illegible] libertatem [illegible] quod [illegible] indicatis quod [illegible] pro eo quod gratias ago Deo? hoc est [illegible] quam exhibeo Deo [illegible]

Vers. 31. SIVE ERGO MANDUCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIUD QUID FACITIS, OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. [illegible] Dei [illegible] gloriam Dei [illegible] ad Dei gloriam [illegible]

[illegible] Dei gloriam [illegible] quod nec infidelis nec fidelis [illegible] peccat [illegible] & tamen [illegible] omnia [illegible] gloriam Dei.

Vers. 32. SINE OFFENSIONE ESTOTE. Ecce alterum documentum [illegible] IUDAEIS ET GENTIBUS ET ECCLESIAE DEI. [illegible]

Vers. 33. SICUT ET EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO. [illegible] Iudaeis, Gentilibus, & Christianis [illegible] NON QUAERENS [illegible] UT SALVI FIANT. [illegible]

Cap. 11. Vers. 1. IMITATORES MEI ESTOTE, SICUT ET EGO CHRISTI. [illegible] Christi [illegible] exemplum.

CAPUT XI.

Vers. 1. [illegible] *imitatores mei* [illegible] Corinthios [illegible]

Vers. 2. [illegible]

Vers. 3. [illegible]

[illegible] *ex capite* [illegible]

veneratione actionum: adhuc enim [illegible] non erat a mulieribus ſexu publice orare aut legere ſed docere: vt etiam ſanctarum mulierum illius temporis geſta teſtantur. Haec enim videtur literalis ratio quare Paulus accepit hanc prouinciam inſtruendi Corinthios circa diſcrimen viri & mulieris publice orantis aut prophetantis penes velamen capitis. QVOD OMNIS VIRI CAPVT CHRISTVS EST, CAPVT AVTEM MVLIERIS VIR; CAPVT VERO CHRISTI DEVS. [illegible] pro claritate huius doctrinae quod Paulus conſiderat velamen capitis in viro & muliere tam relate ad caput eorum myſticum, quam relate ad capita eorum naturalia, & vtrumque [illegible] contrariam habitudinem velaminis in capite viri & mulieris. Monſtrat enim vtrumque indecens eſſe velamen in capite viri orantis aut prophetantis, decens autem eſſe in capite mulieris orantis aut prophetantis. Et propterea inchoat a diuerſitate capitum myſticorum reſpectu viri & mulieris: dicendo, quod caput myſticum mulieris eſt vir, caput autem myſticum viri eſt Chriſtus, caput vero myſticum Chriſti eſt Deus. Et hoc [illegible] ad [illegible] ne videatur [illegible] hanc ordinem capitum myſticorum, ſed ipſa reſolutio capitum vſque ad Deum atteſtetur quod rationabilis eſt diſtinctio capitum myſticorum reſpectu viri & mulieris. Dicitur autem caput myſticum quod gerit vicem capitis reſpectu illius. Caput enim eſt perfectius membrum (vtpote vniuerſos habens ſenſus) & eſt velut gubernator omnium actionum: & propterea vir dicitur caput mulieris: vtpote perfectior & gubernator ipſius: & tanto magis Chriſtus eſt caput viri: cum in eo ſolo ſit omnis plenitudo gratiae, & ab ipſo deriuetur gratia in omnes. De Deo autem quod ſit caput Chriſti ſecundum quod homo, nulla eſt quaeſtio: cum omnis perfectio ſit in ſolo Deo, & ab ipſo in Chriſtum hominem deriuetur.

[illegible] reſpectu.

Verſ. 4

OMNIS VIR. Declarata diuerſitate capitis myſtici reſpectu viri & mulieris, declarat diuerſitatem, immo contrarietatem habitudinis velaminis in capite viri & mulieris ad propria capita myſtica, incipiens a viro. ORANS, oratione publica. Tempore huius Epiſtolae non erat adhuc introductus hic modus orandi publice, quo modo in templis Dei oratur, ſcilicet quod alter ab altero [illegible]: ſed vnus pro omnibus orabat publica voce coetus [illegible]. Et licet [illegible] a quo legitur de [illegible] Monachorum, quod vnus legebat Pſalmos reliquis tacentibus, & ad hoc forte inſinuandum ſingulari numero vtitur Paulus dicendo vir & mulier orans. Cuius etiam ſignum eſt, quod Eccleſia Dei a Pauli doctrina non recedens, [illegible] hoc documentum in his quae communiter Clericis orat, ſed ſeruat cum vnus pro omnibus orat, idem legit vt patet in Sacerdote dicente Orationem, ac Diacono & Subdiacono legentibus Euangelium & Epiſtolam [illegible] qui orant & prophetant [illegible]. Cum ergo dicit *orans*, [illegible] vnus pro omnibus. AVT PROPHETANS, [illegible] prophetantibus [illegible]

Dan. [illegible]

prophetae publice in Eccleſia loquentibus [illegible] temporis loquebantur vt infra ex [illegible] colligitur: vbi vero prophetantes deſcribuntur ſtantes prophetare aliis ſedentibus. Hic [illegible] detecto capite, ibi vero [illegible] deſcribuntur. [illegible] infra patet in illa primitiua Eccleſia prophetantes, ſicut & loquentes linguis. VELATO CAPITE, pro, *in capite habens*. Ita in textu Graeco habetur, ad excludendum omne quod poſſet haberi in capite, [illegible]. DETVRPAT, pro, *dedecorat*, CAPVT SVVM myſticum quod eſt Chriſtus.

Prophetantes erant in primitiua Eccleſia.

Verſ. 5. *Mulier velato capite orat.*

OMNIS AVTEM MVLIER ORANS AVT PROPHETANS NON VELATO CAPITE DETVRPAT, pro, *dedecorat*, CAPVT SVVM myſticum quod eſt vir. Cerne differentiam viri & mulieris penes velamen capitis. Vir velans caput, dedecorat caput ſuum: mulier non velata dedecorat caput ſuum. Carere velo mulieri eſt ad dedecus capitis ſui myſtici: habere velum viro eſt ad dedecus capitis ſui myſtici. VNVM ENIM EST AC SI DECALVETVR. Deſunt aliquae dictiones [illegible] textus loquitur. Legendum eſt, *Vnum enim eſt,* [illegible]. Poſtquam declarauit velum [illegible] ad caput myſticum, declarat [illegible] ad caput mulieris. [illegible] velo & [illegible] capillis. [illegible] mulieris [illegible] capilli. Et hanc [illegible] explicat formando conditionalem.

NAM SI NON VELATVR MVLIER, TONDEATVR. Verſ. 6.
pro, *etiam tondeatur*. Infert hoc conſequens (*etiam tondeatur*) ex negatione veli: vt quemadmodum vir qui non velatur tondetur, ita mulier ſi imitatur virum in hoc quod non velatur, imitetur quoque ipſum in hoc quod tondeatur. Deinde proſequitur dictam conditionalem a deſtructione conſequentis. SI VERO TVRPE EST MVLIERI TONDERI AVT DECALVARI, pro, *radi*. Haec eſt deſtructio conſequentis: vnde infert deſtructionem antecedentis ſubiungendo. VELETVR CAPVT SVVM, pro, *tegatur*. Haec [illegible] eſt in Paulo & argumentum Pauli [illegible] contrarietas corporum vtriuſque [illegible] mulierem tonderi aut radi. [illegible] mulieres [illegible] coniugis [illegible] laudabiliter tondentur, in ſignum quod abdicant a ſe quod ad ornatum & gloriam illarum ſpectat.

VIR QVIDEM. Declarata habitudine velaminis capitis tam ad caput myſticum, quam ad caput naturale, procedit applicando ad propoſitum primo de viro, deinde de muliere. NON DEBET VELARE CAPVT SVVM. Supple, [illegible] QVONIAM IMAGO ET GLORIA DEI EST. Quod ſit imago Dei, ex Geneſis teſtimonio comprobatur, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Et verificatur ex eo quod eſt creatus in natura rationali. Quod autem ſit gloria, Paulus [illegible] & [illegible], ſicut pulchrum opus [illegible] eſt gloria artificis. Et dicit hoc ſpecialiter de viro [illegible] in Scriptura [illegible] immediate a Deo. [illegible] quemadmodum filius ſapiens eſt gloria patris, ita [illegible] ingenium & [illegible] gloria eſt Dei [illegible].

Verſ. 7.

Vir imago & gloria Dei.

Geneſ. 1.26.

Quod [illegible] hoc quod [illegible] eſt imago

& gloria

& gloria Dei infertur: quòd non debet velare caput, in textu non aliter dicitur, niſi quia ſuperius dictum eſt quòd vir orans, aut prophetans in capite habens, dedecorat caput ſuum, vt intelligamus quòd quia vir eſt imago, ac gloria Dei, non debet in capite habere ſignum dedecoris diuinæ gloriæ. Velum ſiquidem in capite viri, ſignum eſt velationis ſui capitis myſtici, velatio autem directè contrariatur gloriæ; vtpote conſiſtenti in manifeſtatione. Sic enim vir orans, aut prophetans (hoc eſt, exercendo officium glorificandi Deum) ſi tegmen habet in capite, ſignificat ſuum caput myſticum ingloriùm.

Mvlier avtem gloria viri est, tanquam opificium factum ex viro, tanquam facta ad gloriam viri.

Verſ. 8. Non enim vir ex mvliere, in prima rerum creatione. Sed mvlier ex viro, vtpote facta ex coſta viri.

Verſ. 9. Etenim non est creatvs vir propter mvlierem, sed mvlier propter virvm. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium.*

Mulier eſt propter virum. Gen. 2. 18.

Verſ. 10. Ideo debet mvlier velamen, pro *poteſtatem*, habere svpra capvt svvm, pro *in capite*, et propter angelos. Superius [illegible] quòd [illegible] eſt ſententia in Paulo, & legendum eſt, *ideo debet mulier habere poteſtatem in capite propter angelos.* Et eſt ſenſus, ideo quia mulier gloria viri eſt, debet mulier habere in capite poteſtatem: hoc eſt, ſignum poteſtatis viri ſupra ſe *propter Angelos*: hoc eſt, non propter poteſtatem quam habet maritus reſpectu vxoris, ſed propter poteſtatem quam habet ſexus virilis in Angelis: hoc eſt, ſacerdotibus, qui in ſacra Scriptura appellantur Angeli. Et addidit *propter Angelos*, vt propter mulieres [illegible] exemptas à viri poteſtate [illegible] in [illegible] actionibus orandi, & prophetandi [illegible] in gloria viri in ſpiritualibus [illegible]. Et [illegible] hic quòd velamen in capite mulieris orantis, aut prophetantis ſignum eſt [illegible] mulierum ad viros qui ſunt Angeli: quod eſt habere ſignum poteſtatis [illegible] ſupra mulierem.

Sacerdotes in Scriptura vocantur Angeli.

Verſ. 11. Vervntamen neqve vir sine mvliere, nec mvlier sine viro in Domino: hoc eſt, quamuis in humanis [illegible] inter virum & mulierem [illegible] hoc [illegible] velamen, & caput myſticum, in Domino tamen (hoc eſt, ſecundum eſſe Chriſtianum, ſecundum fidem, ſpem, charitatem, [illegible] gratum Deo) pares ſunt vir & mulier: nec [illegible] vir excludit mulierem, neque mulier [illegible] virum. Et ad hoc [illegible] pro [illegible] quam [illegible].

Verſ. 12. Nam sicvt mvlier de viro, in prima conditione rerum. Ita et vir per mvlierem, ſupple, naſcitur, vt quotidie [illegible]. Omnia avtem ex Deo. Et vir mulieris eſt principium particulare, & mulier viri eſt [illegible] principium: commune autem omnium principium eſt Deus. Et dixit hoc ad [illegible] rationem [illegible] quam dixerat *in Domino*: vtpote quia eſt commune principium omnium.

Verſ. 13. Vos ipsi [illegible] *ſi [illegible]*. Adhuc Paulus non plenè declarauerat relationem velaminis in viro & muliere ad caput naturæ, quod dedeceat virum, & deceat mulierem: ſed multum ſe occupauit circa relationem velaminis ad capita myſtica. Et propterea modò complet declarationem velaminis relati ad capita naturalia viri & mulieris propria, & ad propria ipſorum mentes remittit iudicium [illegible] rationis. Decet mvlierem non velatam orare Devm? Interrogatiuè legendum eſt. Proponit quæſtionem coram ipſis de muliere, non de viro: vt hinc intelligamus quòd [illegible] tractatus eſt ad tollendum vſum quo mulieres detecto capite quemadmodum & viri orabant. Quod, vt dictum eſt, [illegible] pro [illegible] ſacratarum actionum à mulieribus factum fuiſſe.

Nec [illegible] ipsa natvra, hoc eſt, naturalis mos. Docet vos qvod vir qvidem si comam nvtriat, pro *ſi comatus ſit*, ignominia, pro [illegible] est illi. Apparet [illegible] quòd mollis, [illegible] muliebris ſit vir comatus, vtpote [illegible] capillo more [illegible]. Verſ. 14.

Vir comatus, mollis ac muliebris.

Mvlier vero si comam nvtriat, pro *ſi comata ſit*, gloria est illi: ad [illegible] decorem ſiquidem mulieris ſpectare comam ad ſenſum videmus. Et attende hanc rationem ex communibus, [illegible] conſiderantis quam [illegible] in Eccleſiaſticis [illegible]. Qvoniam coma capilli, pro velamine data est ei, pro [illegible]. Ecce vnde [illegible] argumentum, tam in viro, quam in muliere: vt ſcilicet argumentum trahatur ex coma ad velamen, vt mulier quia eam decet coma, debeat in ſacris habere velamen: & vir quem dedecet coma, debet in ſacris detecto eſſe capite, tanquam coma ſit pro velamine. Verſ. 15.

Coma pro velamine mulieri data.

Si qvis avtem videtvr contentiosvs esse. Sciens Paulus his accommodationes, tum ad caput myſticum, tum ad naturalem comam, non eſſe rationes cogentes, & non omnibus fore ſatisfactura [illegible] ratione efficaciore, non ſine reprehenſione eorum qui obſtarent ad [illegible] reprehenſionem ſpectat: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe*, tanquam [illegible] ſed [illegible]. Nos, [illegible]: Talem consvetvdinem non habemvs, vt ſcilicet detecto capite publicè orent, aut prophetent. Neqve Ecclesia, pro *Eccleſiæ* Dei. Ecce [illegible] conſuetudinem, tam in veteri Teſtamento, tum in Eccleſiis Dei in nouo Teſtamento aſſerit: quæ [illegible] locum debet habere in iis quæ non ſunt in ſacra Scriptura definita. Et [illegible] hoc, vt ſi nollent rationem Pauli ſuſcipere, ſuſcipiant authoritatem conſuetudinis Eccleſiarum & veteris Teſtamenti. Verſ. 16.

Hoc avtem praecipio non lavdans, pro *Hoc autem præcipiens, non laudo*. Et dictio [illegible] *præcipiens*, à nonnullis interpretatur [illegible] ita quòd non eſt [illegible] quæ [illegible] Paulus præcepit [illegible] ſupra dixit de velamine mulieris in ſacris. [illegible] inter dicta dicendis, ait quòd præcipiendo [illegible] ſed [illegible] hoc de velamine mulieris in ſacris actionibus, non laudo [illegible], Qvod non in melivs, sed in deterivs convenitis. Cum eſſent [illegible], [illegible] loquens Paulus, dicens: [illegible] enim dignum eſt conuenire in vnum in deterius cum conueniendum ad

Conuentus ad bonum ordinetur. augmentum boni, aut ſaltem ad conſeruationem ordinetur.

Verſ.18. PRIMVM QVIDEM. Incipit enumerare deteriores euentus eorum. CONVENIENTIBVS VOBIS IN ECCLESIAM. Prius dixerat *conuenitis*: modò explicat conuentum non politicum, non ad negotium ciuile, ſed ad Eccleſiaſticum, ad actus fidelium quatenus fideles ſunt: hoc enim ſignificatur dicendo *in Eccleſiam*. AVDIO SCISSVRAS ESSE INTER VOS. Primus euentus deterior directè contrariatur conuentui: diſſidium enim directè tollit vnitatem. ET EX PARTE CREDO. Ne omnes eos accuſaret diſſidij, dicit partim ſe credere: quoniam quoad aliquos credebat eſſe verum. Et rationem ſuæ credulitatis ſubdit:

Verſ.19. NAM OPORTET ET HÆRESES ESSE. Deſunt duæ dictiones, *in vobis*, legendum eſt: *Nam oportet & hæreſes in vobis eſſe*. Dictionem Græcam interpres reliquit: cum potuiſſet Latinè dicere *oportet ſectas in vobis eſſe*. Non enim ſumitur hîc *hæreſis*, vt ſumitur à Theologis pro errore pertinaci in fide: ſed Græco vſu hæreſes appellantur ſectæ: appellant enim hæreſim Platonicam, Peripateticam, Stoicam, &c. quas nos dicimus ſectam Peripateticam, ſectam Platonicam, &c. *Hæreſis hic ſumitur pro ſecta.*

Et quòd hic ſit literalis ſenſus, conſtat ex hoc quòd dicitur *in vobis*, non enim in eis oportebat eſſe hæreſes Theologicas, ſed ſectas: cognoſcebat enim Paulus eos pronos ad ſectas: vt geſta eorum teſtantur, *Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephæ*. Et ex neceſſitate pronitatis eorum dicit quòd oportet in eis eſſe ſectas: & propterea non eſſe mirum ſi dum conueniunt, diſſident: diuerſitas enim ſectarum mater eſt diſcordiæ. *Sectarum diuerſitas mater diſcordiæ.* VT ET QVI PROBATI SVNT, MANIFESTI FIANT IN VOBIS. Quamuis diſſidia & ſectæ in genere ſint malorum, Deus tamen hæc mala ordinat ad hoc bonum, vt viri probi manifeſtentur in vobis comparatione malorum: probi enim viri non declinant ad ſectas, imò conciliant ſi poſſunt eas, & ſic relatiuè ad alios manifeſtantur.

Verſ.20. CONVENIENTIBVS ERGO VOBIS IN VNVM. Tranſit ad aliud crimen quod in quodam ſpeciali conuentu incurrebant: primum enim crimen diſſidij in communi dictum eſt de conuentibus Eccleſiaſticis, hoc autem ſecundum [illegible] in ſpecie annumeratio in Cœna Domini dicendo: vt patet ex ſubiungendis. IAM NON EST DOMINICAM COENAM MANDVCARE. Et dicendo *Iam*, monſtrat nouum eſſe hoc crimen: ſignificat enim quòd olim conuenientes [illegible] die in vnum, verè Dominicam cœnam manducabant: ſed ex eo quòd abuſus ſuperuenit, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Mos ſiquidem illius temporis ſignificatur, quòd in anniuerſario die Cœnæ Domini conueniebant fideles in vnum ad cœnandum, vt repræſentarent cœnam Dominicam, & à principio quidem ordinatè hoc fiebat: poſtea autem duo abuſus introducti ſunt quos Paulus ſubiungit, & propterea dicit quòd iam non eſt Dominicam cœnam manducare. *Anniuerſario die Cœnæ Domini conueniebant fideles ad cœnandum.*

Verſ.21. VNVSQVISQVE ENIM SVAM COENAM PRÆSVMIT AD MANDVCANDVM, pro *in manducando*. Ecce primus abuſus [illegible], quod non eſt Dominicam cœnam manducare.

Vbi aduerte quòd *præſumit* habet vim duarum dictionum: ſcilicet *ante ſumit*. Olim ſiquidem conuenientes ad huiuſmodi cœnam, ſimul incipiebant cœnare: tunc autem vnus non expectabat alium, ſed vnuſquiſque incipiebat propriam cœnam abſque totius conuentus expectatione. Et hic erat primus abuſus. Et quòd hic ſit verè literalis ſenſus, patet ex calce huius capituli, vbi Paulus præcipit concludendo, quòd inuicem ſe expectent cum conueniunt ad manducandum. ET ALIVS QVIDEM ESVRIT, ALIVS AVTEM EBRIVS EST. Ecce ſecundus abuſus, quòd conuenientibus in vnum vnus abundabat epulis, alius verò pauperculam ſumebat cœnam. Verum Paulus non diuitiis, & paupertati abuſum imputat, ſed ebrietati & fami: vt intelligamus abuſum non conſiſtere in hoc quòd diuites abundantes menſas, pauperes autem tenues haberent (quoniam hoc ſemper fuerat) ſed in hoc quòd diuites comedebant & bibebant vſque ad ſatietatem, imò ebrietatem, pauperibus autem deerat quod comederent, ita vt eſurirent: cum debuiſſent diuites impertiri pauperibus. Ita quòd in defectu impertitionis conſiſtit abuſus: facilè ſiquidem poterant impertiri, cum abundarent vſque ad ebrietatem. Hinc enim ſignificatur, quòd olim in cœna illa non ſolùm ſinguli expectabant vniuerſum conuentum vt ſimul inciperent cœnare, ſed etiam diuites mittebant partes pauperibus, vt ſic viderentur concœnare, ac Dominicam repræſentare cœnam. *Quòd diuites comederent in Cœna vſque ad crapulam, pauperes verò non haberent quod comederent, arguit D. Paulus.*

NVNQVID DOMOS NON HABETIS AD MANDVCANDVM ET BIBENDVM? Verſ.22.
Textus iſte quoad ſenſum rectè interpretatus eſt: in Paulo tamen aliter eſt. habet enim ſic, NON, pro *nonne*, HABETIS DOMOS AD MANDVCANDVM ET BIBENDVM? AVT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS? ET CONFVNDITIS, pro *pudefacitis*, EOS QVI NON HABENT? Interrogatiuè enim legendus eſt textus iſte in omnibus ſuis particulis: his ſiquidem verbis inexcuſabiles reddit Corinthios circa prædicta. Et quoniam anticipatio cœnæ excuſari forte potuiſſet ex eſurie & [illegible] perueniente, ideo ad hanc excuſationem tollendam dicit, nonne habetis domos ad manducandum & bibendum? quaſi dicat, habetis domos proprias in quibus poteſtis anticipare cibum & potum.

Quod autem adiungitur *Eccleſiam Dei contemnitis*, ad exaggerationem eiuſdem abuſus ſpectat. Non expectare ſiquidem alios, eſt facto contemnere Eccleſiam: hoc eſt, congregatum [illegible] conuentum fidelium. Vnde quoad factum inexcuſabiles erant à contemptu Eccleſiæ: quoad intentionem verò interrogatiuè adiungit, *& contemnitis Eccleſiam Dei*: hoc eſt; nonne & contemnitis Eccleſiam Dei? Similiter quoque ſecundum ſubiungitur, *& pudefacitis eos qui non habent*. Declarat enim per hoc peccatum ſecundi abuſus, quòd erat pudefacere pauperes. Quod quia facto faciebant, inexcuſabiles erant: ratione verò intentionis quam forte non habebant confundendi alios, interrogatiuè dicitur, *& confunditis eos qui non habent*: hoc eſt, nonne & pudefacitis eos qui non habent? QVID DICAM VOBIS? LAVDO, pro *laudabo*, VOS? IN HOC NON LAVDO. Vt magis Corinthij ſuſciperent monitionem Pauli, non vult expreſſè vituperare eos: ſed proponit *quid dicam vobis*, &

dicendum

dicendum ſubiungit, nunquid laudabo vos in hoc? cùm potuiſſet dicere; vituperabo vos in hoc. Et concludendo ſubiungit, NON LAVDO. ſolum non laudabo, ſed nec laudo. Sic in codicibus Græcis diſtinguuntur iſtæ particulæ. Si quis tamen Latinorum codicum more aliter diſtinxerit dicendo, *laudabo vos*, & deinde *in hoc non laudo*) agat vt ſibi videtur.

Verſ. 23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO. Poſtquam reprehendit peccata interuenientia in cœna repræſentante Dominicam cœnam, accedit ad inſtruendum & arguendum eos circa ſumptionem Euchariſtiæ, quam poſt cœnam illam ſumebant tunc temporis. Et coniunctio *enim*, ſignificat ſpecialem rationem reddi peccati eorum in cœnando: tanquam minus idonee ſe præparantium ad perceptionem Euchariſtiæ. Cuius ritum dicit ſe accepiſſe à Domino, non ab Apoſtolis aliis, ſed per reuelationem ab ipſo Domino. QVOD ET TRADIDI VOBIS. Nota ex iſto textu clarè haberi Paulum docuiſſe Corinthios de ritu & vſu Euchariſtiæ antequam ſcriberet eis hanc Epiſtolam. Et niſi Paulus hoc teſtificaretur, non crederent Lutherani doctrinam Pauli fuiſſe, & tamen in rei veritate fuiſſet doctrina Pauli. Et vſque adeo hæc Pauli traditio apud Græcos perſeuerat, vt vſque in hodiernum diem in ſacrificio Miſſæ Græci vtantur his Pauli verbis conſecrando corpus Chriſti, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*: hæc enim verba commemorat hic Paulus. QVONIAM. pro, *quod*, DOMINVS IESVS IN QVA NOCTE TRADEBATVR ACCEPIT PANEM.

Inſtruit & arguit Corinthios circa ſumptionem Euchariſtiæ.

Græci verbis D. Pauli in conſecratione vtuntur.

Verſ. 24. ET GRATIAS AGENS: pro, *& gratiis, actis*, FREGIT. Ita quod prius gratiarum actiones egit quàm fregerit panem in tot buccellas quot erant Apoſtoli. ET DIXIT: ACCIPITE ET MANDVCATE. Superfluit, *&*. HOC EST CORPVS MEVM QVOD PRO VOBIS TRADETVR. pro, *frangitur*, Vniuerſa hæc declarata ſunt in Euangeliis, exceptâ hac particulâ, *quod pro vobis frangitur*: quoniam ſolus Paulus illius meminit. Nec eſt cur Latinis horrori ſit hæc particula: cùm veriſſimum fuerit verum Chriſti corpus multipliciter fractum fuiſſe: nam & fractum fuit quantum ad cutem, cùm flagellatus eſt à Pilati militibus, fractum quoque fuit quantùm ad carnem, & in manibus & in pedibus, clauis quibus fixus eſt in cruce, & fractum demum eſt latere, dum vnus militum lancea latus eius pupugit.

Corpus Chriſti multipliciter fractum.

At ſi præſentis temporis verbum *frangitur* in quæſtionem quis deducat, animaduertat ſcripta ab aliis Euangeliſtis, & ceſſabit quæſtio. Tres ſiquidem Euangeliſtæ (Matthæus 26. Marcus 14. & Lucas 22.) narrando verba conſecrationis calicis vtuntur verbo præſentis temporis, dicendo, *qui effunditur pro vobis*, ſeu *pro multis*, eadem ſiquidem ratione quâ illi Euangeliſtæ futuram in cruce effuſionem ſanguinis ſignificauerunt, in præſenti *effunditur*, eâdem ratione Paulus futuram in cruce fractionem carnis Chriſti ſignificat in præſenti, dicendo, *frangitur*. Et quod Lucas ſub generico nomine narrauit, dicendo, *hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*, Paulus ſpecifico nomine dixit, *quod pro vobis frangitur*. Communis autem omnium horum ratio (quare ſcilicet Dominus Ieſus in cœna expreſſit futuram in cruce ſanguinis effuſionem & carnis fractionem verbis præſentis temporis) eſt vt manifeſtaret diſcipulis huiuſmodi effuſionem & fractionem non diſtantem tempore, ſed tanquam præſentem eſſe. Et verè loquendo de tempore præſenti Grammatico more, tempus effuſionis & fractionis erat tunc præſens: quoniam iam inchoatum erat tempus Paſſionis eius: ac per hoc ſicut inchoato die poteſt ſignificari verbo temporis præſentis quicquid fit illo die, ita inchoato iam die Paſſionis eius potuit ſignificari verbo præſentis temporis omnis eius Paſſio: præſens enim Grammaticè non eſt inſtans, ſed quoddam confuſum præſens.

Cur verbis præſentis temporis futuram ſanguinis ſui effuſionem & carnis fractionem in cœna expreſſit Chriſtus.

HOC FACITE IN MEAM. pro, *mei*, COMMEMORATIONEM. Præceptum ſignificatur ſimilis ſacrificij. In cuius ſignum cùm præcepit baptiſmum, quia purum ſacramentum erat, præcepit tantummodo factum, dicendo *baptizate omnes gentes*, præcipiens autem Euchariſtiam, non ſolum præcipit *hoc facite*: ſed adiungit, *in mei memoriam*: vt intelligamus non tantum ſacramentum, ſed ſacrificium præcipi: hoſtiæ ſiquidem & ſacrificia, ſunt quæ in memoriam fiunt.

SIMILITER ET CALICEM POSTQVAM COENAVIT, DICENS, HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM EST IN MEO SANGVINE. Non refert Paulus integram conſecrationis formam, eo quod tradiderat eis illam ore ad os: refert tamen ſenſum. Et hæc explanata ſunt in Euangeliis. HOC FACITE QVOTIESCVMQVE BIBETIS IN MEAM, pro, *mei*, COMMEMORATIONEM. Verſ. 25.

QVOTIESCVNQVE ENIM MANDVCABITIS. Hactenus narrata ſunt verba Chriſti, hæc autem verba ſunt Pauli. Et primo declarat illam particulam, *in mei commemorationem*, explicando quòd intelligitur de Ieſu Chriſto crucifixo ſeu mortuo pro nobis. PANEM HVNC. vere cœleſtem. ET CALICEM BIBETIS, MORTEM DOMINI ANNVNTIABITIS. facto. DONEC VENIAT. Durationem ac extenſionem temporis quo durabit hoc ſacrificium declarat, dicendo quòd durabit vſque ad ſecundum Domini aduentum. Et dicit hoc ne quiſquam putaret terminandum citius aut ſaltem ante mundi finem Chriſtianum ſacrificium. Verſ. 26.

ITAQVE QVICVNQVE MANDVCAVERIT PANEM. Deeſt *hunc*, qui de cœlo deſcendit. ET BIBERIT CALICEM DOMINI INDIGNE. Declarat aliam particulam verborum Domini, ſcilicet, *manducate & bibite*. Declarat autem diſtinguendo duplicem manducandi, & bibendi modum: videlicet *digne*, vel *indigne*. Et hinc ſumunt Theologi diſtinctionem illam, de manducatione, ſeu bibitione ſacramentali, vel ſpirituali. Et vere hinc habetur, quod aliqui manducant, & bibunt ſacramentaliter tantum, quod Paulus appellat *manducare, vel bibere indigne*. Aliqui verò ſumunt & ſacramentaliter, & ſpiritualiter: qui hic appellantur *manducantes, ſeu bibentes digne*. REVS ERIT CORPORIS, ET SANGVINIS DOMINI. Ecce culpa ſumentis indigne. Nec dicit *reus erit tanquam corporis, & ſanguinis Domini*, ſed dicit, *reus erit corporis & ſanguinis Domini*: vt intelligant Chriſtiani, vere reum eſſe corporis & ſanguinis Domini, quia vere quamuis indigne ſumit corpus & ſanguinem Domini: & conſequenter Verſ. 27.

Communicatio ſacramentalis & ſpiritualis.

Hinc enim eruitur non eſſe ſignum corporis, ſed verum corpus Chriſti in Euchariſtia. hæretici, dicentes non eſſe niſi ſignum corporis & ſanguinis Domini. Iniuria itaque irrogatur corpori & ſanguini Domini, indignè ſumendo. Et propterea, *reus eſt corporis & ſanguinis Domini*.

Verſ. 28. PROBET AVTEM SEIPSVM HOMO: ET SIC DE PANE ILLO EDAT, ET DE CALICE BIBAT. Quamuis in textu Græco non habeatur pronomen *illo*: quia tamen articulus ibi habetur, loco articuli pronomen ab interpretibus Latinis apponitur ad explicandum vim articuli. Vt intelligamus non eſſe ſermonem de pane, ſed de *illo pane*, quem non dedit Moyſes: ſed pater Ieſu Chriſti dat panem de cœlo verum.

Declarat igitur in quo conſiſtit differentia dignè vel indignè ſumentis: explicando quòd conſiſtit in mundítia, vel immunditia interna. *Probare enim ſeipſum*, eſt diſcutiendo purgare ſeipſum, vel potius diſcutiendo ſeipſum, probum decernere. *Probare ſeipſum, quid?* Et vtroque modo, vnicuique committitur ſuimet iudicium: ſed tale, quòd terminetur ad probum eſſe: vt intelligamus, quod niſi proprio iudicio diſcuſſus ac probus quis inuentus fuerit, indignè ſumit. Et dicendo *& ſic*, ſignificat, quòd ad non indignè ſumendum ſufficit, quod homo ſeipſum probauerit. Et hinc trahitur argumentum, quòd non eſt neceſſarium, ſimpliciter & abſolute, hominem probatum eſſe a Confeſſore, ad hoc vt ſumat non indignè Euchariſtiam.

Significantiuſque dicit, *& ſic*, nec dicit *& dignè*: quoniam plus requiritur ad dignè ſumendum, quam probare ſeipſum. Requiritur enim iuſtificatio per diuinam gratiam, ad quam non ſufficit probare ſeipſum: iuxta illud ſuperius dictum, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*. Et quamuis probare ſeipſum non ſufficiat ad dignè ſumendum, ſufficit tamen ad non indignè ſumendum. Et propterea Paulus non plus requirens ab homine, quàm quòd non indignè ſumat, dicit, *& ſic de pane illo edat, & de calice bibat*.

Verſ. 29. QVI ENIM MANDVCAT ET BIBIT INDIGNE, IVDICIVM SIBI MANDVCAT ET BIBIT. Prius declarauerat indignè ſumentis culpam, dicendo, *reus erit corporis & ſanguinis Domini*. Modò declarat pœnam, dicendo quod *iudicium ſibi manducat*: iudicium proculdubio propriæ punitionis ſignificans. *Iudicium ſibi manducat: quid?* Incurrit enim iuxta qualitatem indignitatis pœnam, vel æternæ damnationis, vel temporalis afflictionis. Qui enim indignè ratione peccati mortalis cogniti ſumere præſumit, in iudicium æternæ damnationis ſibi ſumit: qui autem indignè ratione venialium peccatorum (minoris reuerentiæ, modicæ deuotionis, & huiuſmodi) ſumit, in iudicium ſibi temporalis pœnæ ſumit.

NON DIIVDICANS CORPVS DOMINI. Ecce ratio iudicij: quia non diſcernit corpus Domini, quanta dignum ſit animi munditia, deuotione & reuerentia. Et non dicit *non diiudicans ſacramentum corporis Domini* ſed *non diiudicans corpus Domini*, vt intelligamus, quod ipſum corpus Domini eſt quod ſumitur, quod non diiudicatur ab indignè ſumente.

Verſ. 30. *Multa ægritudines corporis ob indignam Euchariſtiæ ſumptionem.* IDEO INTER VOS MVLTI INFIRMI ET IMBECILLES. Tranſpoſitæ ſunt forte hic duæ dictiones, *infirmi & imbecilles*. ET DORMIVNT MVLTI. Declarat iudicium quod dixerat ex illa parte qua ad temporales pœnas ſpectat. Et dicendo *ideo*, manifeſtat eis hanc occultam cauſam multarum ægritudinum corporis. Eſt enim ſenſus: Propter hoc quòd indignè ſumitis Euchariſtiam, ſunt inter vos imbecilles, debiles corporalibus viribus, & ſunt inter vos multi infirmi ſeu ægri corpore: & (quod amplius eſt) multi dormiunt ſomno mortis. Niſi Paulus dixiſſet, crediſſent Corinthij, non fuiſſe hæc pœnas indignæ ſumptionis, ſed purè naturalia accidentia: ſicut modò obuenientes ægritudines minùs dignè ſumentibus, non attribuimus minùs dignæ communioni: & tamen in rei veritate ita eſſe Paulus declarauit.

QVOD SI, pro, *ſi enim*, NOSMETIPSOS DIIVDICAREMVS, NON VTIQVE DIIVDICAREMVR. Verſ. 31.
Declarat quantæ vis, quantæ vtilitatis eſt probare ſeipſum ex euitatione punitionis: tantæ enim efficaciæ dicitur, vt non puniremur diuino iudicio, ſi noſmetipſos diſcuteremus.

DVM IVDICAMVR AVTEM, A DOMINO CORRIPIMVR. Verſ. 32.
Ne intelligerent Corinthij, quòd huiuſmodi punitiones temporales eſſent initia damnationis æternæ, declarat quòd ſunt caſtigationes & correctiones temporales ad euitandam damnationem æternam. Eſt enim ſenſus, dum iudicamur in hac vita ob aliqualem indignitatem, a Domino in præſenti corripimur, caſtigamur huiuſmodi ægritudinibus. VT NON CVM HOC MVNDO DAMNEMVR. Superfluit *hoc*: hoc eſt vt non ſiamus peiores, & incurramus damnationem paratam hominibus mundanis.

ITAQVE FRATRES MEI. Poſtquam docuit qualiter ſe habeant ſumendo Euchariſtiam, redit Verſ. 33.
ad docendum qualiter ſe habeant ſumendo cœnam repræſentatiuam cœnæ Dominicæ, de qua prius loquutus fuerat. *Cœna repræſentatiua cœnæ Dominicæ.* CVM CONVENITIS AD MANDVCANDVM. in anniuerſario Dominicæ cœnæ. INVICEM EXPECTATE. Ecce ordo contra primum abuſum quo vnuſquiſque ſuam cœnam antè ſumebat.

SI QVIS ESVRIT, impotens expectare, DOMI MANDVCET, & non anticipet cœnam in conuentu. VT NON IN IVDICIVM CONVENIATIS. Declarat imminere eis pœnale iudicium, ſi ſecus fecerint: ne putarent impunes ſe non expectare integrum conuentum ante principium cœnæ. CÆTERA AVTEM CVM VENERO, DISPONAM. Verſ. 34.
Narrauerat præter abuſum anticipationis Cœnæ alium abuſum: ſcilicet *& alius quidem eſurit, & alius ebrius eſt*, narrauerat quòd cùm conuenirent, diſſidia erant inter eos: & neutri horum remedium adhibuerat. Et propterea dicit *cætera*, prænarrata, *cùm venero*, ordinabo. Et dixit hoc, ne putarent Paulum paruipendere cætera: & ideo omiſiſſe in Epiſtola ordinationem eorum.

CAPVT XII.

DE SPIRITVALIBVS AVTEM. Nouam aggreditur materiam ad compeſcendum maiorum ſupercilium, & erigendum minorum animos, vt vnitas ſeruetur. Appellat autem *ſpiritualia* proprios effectus Spiritus ſancti, vt diſtinguuntur contra & ſuper effectus tam ſpiritus humani, Verſ. 1.
Spiritualia appellat proprios effectus Spiritus ſancti.

quam

quàm ſpiritus dæmoniaci. NOLO VOS IGNORARE FRATRES. Ex horum ſiquidem ignorantia inter Corinthios erant, (vt creditur) diſcordiæ & æmulationes.

Verſ. 2. SCITIS AVTEM QVONIAM. pro, *quòd*, CVM GENTES ESSETIS. pro, *fuiſtis*, AD SIMVLACRA MVTA PROVT DVCEBAMINI EVNTES. pro, *abeuntes*. Subaudi, *fuiſtis*, vt perfecta ſit oratio. Declaraturus effectus Spiritus ſancti, & inchoaturus à communi in omnibus Chriſtianis effectu Spiritus ſancti qui eſt confeſſio fidei Chriſtianæ, incipit à contraria profeſſione, ſcilicet idolorum cultura: vt oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, vt principium Chriſtianæ profeſſionis ex principio inductiuo ad culturam idolorum manifeſtiùs innoteſcat. Vnde & ipſoſmet Corinthios (vtpote expertos teſtes ex certa ſcientia) inducit quòd fuerunt olim abeuntes à recto prout ducebantur, non ex diuina authoritate, non ex diuina inſpiratione: ſed prout contingebat illos duci ex traditione ſacerdotum, vel authoritate principum, vel effectu aliquo & aliis huiuſmodi occaſionibus. Et quod omnium peſſimum eſt, *ad ſimulacra muta*: hoc eſt, ad non colendum aliquid rationale, ſed ſimulacra inanimata & muta, aliena ab intellectu & ratione. Et dicit hoc, propter illos qui ſimulacra quamuis ſine ſenſu, non tamen ſine ratione dicebant: propterea loqui reſponſa dando. Loqutio enim interpres eſt intellectus.

Loqutio eſt interpres intellectus.

Verſ. 3. IDEO NOTVM VOBIS FACIO. propter hanc in vobiſipſis experientiam, quia experti eſtis, nullo diuino ſpiritu: ſed prout ducebamini ire ad cultum ſimulacrorum, ad notitiam veſtram deduco, capaces vos reddo ad cognoſcendum. QVÒD NEMO IN SPIRITV DEI LOQVENS, DICIT ANATHEMA IESV. pro, *Ieſum*. Deſcribit effectum Spiritus ſancti, primum qui eſt profeſſio Chriſtianæ fidei, eſſe ita proprium effectum Spiritus ſancti, quòd contrarium eius non poteſt eſſe à Spiritu ſancto, vt intelligamus confeſſionem Chriſtianę fidei non eſſe ita à ſpiritu Dei: vt etiam illius contraria profeſſio pro alio tempore, vel loco, ſit etiam à ſpiritu Dei: ſed hæc profeſſio eſt ita propria ſpiritui Dei, quod nemo loquens in ſpiritu Dei, dicit Ieſum eſſe anathema: hoc eſt, execratum & remotum ab hominum fide, ſpe, & charitate.

Et dicit hoc, vt intelligerent Corinthij, tum quod cùm fuiſſent olim Gentiles, & dixiſſent *anathema Ieſum*, non loquuti ſunt ſpiritu Dei. Tum precipue, quòd ſi Iudæi qui dicunt anathema Ieſum, non loquuntur ſpiritu Dei. Ex eo enim quòd vtitur modo loquendi quo vtebantur Iudæi (appellando *anathema* ſeparata ab vſu vel vt execrata) inſinuat quòd Iudæos præcipuè tangit, qui ſe ſpiritu Dei in ſcripturis ſanctis reuelato loqui dicebant contra Ieſum: vt intelligerent quòd etiam Iudæi prout dicuntur, & non ſpiritu Dei, dicunt Ieſum anathema. ET NEMO POTEST DICERE DOMINVS IESVS. pro, *Dominum Ieſum*, NISI IN SPIRITV SANCTO. Ecce profeſſio Chriſtianæ fidei propria Spiritui ſancto. Nemo, inquit, poteſt confiteri Ieſum eſſe Dominum, non huius vel illius, ſed ſimpliciter *Dominum* (ſic enim ſolus Deus appellatur, qui ſolus eſt omnium Dominus) niſi agatur ſpiritu ſancto: Spiritus ergo ſanctus, proprium principium

Nemo poteſt confiteri Dominum Ieſum niſi agatur Spiritu ſancto.

eſt huius effectus: qui eſt dicere Ieſum Dominum: hoc eſt, qui eſt confeſſio fidei Chriſtianæ. Et cùm hic effectus, communis ſit omnibus Chriſtianis, hinc ſcimus, quòd omnes Chriſtiani Spiritu ſancto agente, profitentur Dominum Ieſum. Cum qua veritate conſtat, ſtare ſimul quòd multi Chriſtiani dicunt Ieſu, *Domine Domine*, & damnabuntur. Dono enim fidei, & Spiritu ſancto donati dicunt *Dominum Ieſum*: ſed charitate carentes damnantur. Nec obſtat quòd aliqui ficte dicunt *Dominum Ieſum* non ex Spiritu ſancto: quoniam tales non dicunt niſi ore, quod non eſt propriè aſſerere, ſed mentiri. Similiter non obſtat, quòd aliqui propter quæſtum dicunt *Dominum Ieſum*: quoniam quod vero corde & ore profitentur Dominum Ieſum, eſt à Spiritu ſancto: quòd verò tali ſermone abutantur ad quæſtum aut aliud malum, aliunde eſt. Nec obſtat demum quod dæmones coactè dicunt *Dominum Ieſum*, quoniam & hoc à Spiritu ſancto eſt cogente ad hoc. Conformius tamen ad rationem Spiritus ſancti reſpondetur quod ſermo Pauli eſt de *dicere* voluntario, non coacto: cùm *dicere* coactum habeat ſuam cauſam manifeſtam, ſcilicet coactorem. Paulus autem docet quòd *dicere* voluntarium habet pro principio proprio Spiritum ſanctum intùs monentem ad profeſſionem Chriſtianæ fidei.

DIVISIONES VERÒ GRATIARVM. pro, *donorum*, SVNT, IDEM AVTEM SPIRITVS. Declarato primo ac communi omnibus Chriſtianis effectu ſpirituali, declarantur conſequenter ſpeciales effectus ſpirituales. Et exponit triplex illorum genus: videlicet genus donorum, genus miniſteriorum, & genus operationum. Et inchoans à primo dicit quod quamuis non ſit diuiſio profeſſionum Ieſu, à Spiritu ſancto, ſunt tamen ab eo diuiſiones donorum. Quas vſitato vocabulo appellamus *gratias gratis datas*. Paulus nuncupauit *dona*, tum quia donum ſignificat quod gratis datur, tum quia genericum nomen ſæpe minus perfecto generis membro attribuitur: *donum* ſiquidem ſecundum ſuam ſignificationem commune eſt nomen omnibus Spiritus ſancti effectibus, accommodatum autem gratiis gratis datis. Et dicit, *idem autem Spiritus*, ad confutandam inſipientiam attribuentium diuerſa dona diuerſis diis. Verſ. 4.

Triplex genus ſpiritualium effectuum.

Donum, nomen commune omnium Spiritus ſancti effectuum.

ET DIVISIONES MINISTRATIONVM SVNT: IDEM AVTEM DOMINVS. Ecce ſecundum genus. Mallem quòd legeretur *miniſteriorum*: vt gradus officiorum explicarentur. Apoſtolatum namque, doctoratum, & ſimilia appellat *miniſtrationes* ſeu *miniſteria*, eo quod ſunt Apoſtoli, Prophetæ, Doctores, & huiuſmodi, miniſtri Domini ad Eccleſiæ ædificationem. Propter quod accommodè dixit, *idem autem Dominus*, cuius ſunt miniſtri. Verſ. 5.

ET DIVISIONES OPERATIONVM SVNT: IDEM VERO DEVS. Ecce tertium genus. *Operationum* autem nomine intelliguntur operationes gratiæ gratum facientis. In cuius ſignum ſubiungitur, QVI OPERATVR OMNIA IN OMNIBVS. Dicendo *in omnibus*, inſinuat quod de noſtris intimis operationibus in nobiſipſis manentibus intendit: quales ſunt diligere, ſperare ac credere in Deum, & huiuſmodi. Optimè autem accommodat tanquam proprium principium operationum Deum, cuius eſt intimè efficere etiam ipſa noſtra opera, non ſine nobis, Verſ. 6.

ſed in nobis, non ſine cauſis ſecundis, ſed in ipſis cauſis ſecundis. Ad tollendam ſtultitiam illorum qui ſubtrahebant cauſis ſecundis proprias actiones, ex eo quòd Deus efficit omnia. Ab vno ergo atque eodem Deo qui efficit omnia in omnibus cauſis ſecundis dicit procedere diuerſitatem operationum ſpectantium ad gratiam gratum facientem.

Verſ. 7. VNICVIQVE AVTEM. Stabilitis tribus generibus effectuum ſpiritualium, incipit more ſuo proſequi ſingula, inchoans à primo genere, ſcilicet *diuiſiones donorum ſunt, idem autem ſpiritus*. Et primò declarat diuerſitatem donorum procedentium ab eodem ſpiritu. Et ne ſæpius repetat finem, ad quem dantur huiuſmodi dona, dicit de omnibus & ſingulis quorſum dentur. DATVR MANIFESTATIO SPIRITVS AD VTILITATEM. Si verbum verbo reddendum eſſet, legendum eſſet, *ad id quod confert*, loco eius quod dicitur *ad vtilitatem*. Quodlibet donum

Manifeſtatio ſpiritus. appellatur *manifeſtatio ſpiritus*, quia manifeſtat Spiritum ſanctum datorem. Et ſic datur ſub ratione manifeſtantis ipſum Spiritum ſanctum, vt cum hoc detur ad id quod confert: hoc eſt, non ad nocendum, non ad vanum quodcunque, ſed ad vtile proculdubio Chriſtianæ reipublicæ. Et hinc confutantur abutentes ſacris quibuſcunque (ſiue pſalmis, ſiue aliis) ad efficienda quædam vana. Manifeſtatio ſiquidem Spiritus ſan-

Verſ. 8. cti non eſt niſi ad id quod confert.

ALII QVIDEM PER SPIRITVM DATVR SERMO

Sermo ſapientiæ. SAPIENTIÆ. Non dicit *ſapientia*, ſed *ſermo ſapientiæ*: vt exterius donum, vt manifeſtationem ſpiritus in ſermone ſapientiæ ſignificet.

ALII AVTEM SERMO SCIENTIÆ SECVNDVM

Sermo ſcientiæ. EVNDEM SPIRITVM. Differunt ſapientia & ſcientia in hoc quòd ſapientia eſt de diuinis vt principiis & regulis: ſcientia verò ex creatu-

Verſ. 9. ris procedit ad diuina.

ALTERI FIDES IN EODEM SPIRITV. Non eſt

Fides agendorum. hic ſermo de fide credendorum, ſed de fide agendorum. Illa enim communis eſt omnibus Chriſtianis: hæc verò quibuſdam tantum conuenit. De qua ſcriptum eſt, *habete fidem Dei: quicunque enim dixerit monti, tollere, mittere in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo*, & cætera. Marci vndecimo.

Gratia ſanitatum. ALII GRATIA SANITATVM. pro, *dona ſanationum*, IN VNO. pro, *in eodem*, SPIRITV. Et verè clarius explicatur donum miraculosè ſanandi

Verſ. 10. ægros dicendo *dona ſanationum*.

ALII OPERATIO VIRTVTVM. pro, *operationes*

Operatio virtutum. *potentiarum*. Et hæ ſunt quibus fiunt mirabilia, vel circa corpora cæleſtia, vel circa ignem, aquam, aut terram, & reliqua huiuſmodi. ALII

Prophetia. Diſcretio, &c. PROPHETIA: ALII DISCRETIO. pro, *diſcretiones*, SPIRITVVM. Magnum donum Spiritus ſancti in multis ſanctis apparuit, cùm diſcernebant quo ſpiritu aliquis locutus aut operatus eſt, an ſpiritu bono vel malo, an ſpiritu inuidiæ vel veræ compaſſionis, & ſic de aliis. ALII GENERA LINGVARVM, ALII INTERPRETATIO SERMONVM. pro, *linguarum*. Docet Paulus diuerſa eſſe dona, donum loquendi diuerſis linguis, & donum interpretandi linguas, & hæc dona ſeparari. Ita quòd alicui conceditur loqui linguis, qui neſcit ſignificata verborum quæ dicit, vt in cap. 14. explicabit, ſed tantum nouit in genere quòd diuina loquitur, vt potè motus à Spiritu ſancto ad loquendum. Docebit enim cap. 14. quod qui loquitur linguis, taceat in Eccleſia ſi deſit interpres: hoc enim clarè ſignificat ab interpretatione linguarum ſeparari donum loquendi linguis.

HÆC AVTEM OMNIA OPERATVR VNVS ATQVE Verſ. 11.
IDEM SPIRITVS. In Græco præponitur articulus, vt ſignificetur *ille ſpiritus* qui eſt ſummus. DIVIDENS SINGVLIS. prò, *diuidens priuatim vnicuique*: non ſufficit Paulo aperuiſſe diuerſitatem donorum ſimul cum identitate ſpiritus largientis: ſed ad cumulum doctrinæ declarat diuerſitatem quoque perſonarum quibus idem ſpiritus impartitur hæc dona. *Diuidit ſingulis Spiritus ſanctus, prout vult.* Vnde ex hoc quod *diuidit vnicuique*, ſignificatur omnia non dari vni. Ex hoc verò quòd *diuidit priuatim*, ſignificatur quòd diuiſio iſta non eſt ſicut diuiſio publica quà humani principes publicè diſtribuunt donatiua: nec eſt ſicut diſtributio communis quà Deus in creatione mundi diſtribuit naturas & conditiones rerum. Fuit enim illa velut diſtributio publica. Sed Spiritus ſanctus diſtribuit priuatim vnicuique, diſtribuit ſeorſum, modò iſti, modò illi. Et hinc ſignificatur ſumma libertas Spiritus ſancti, velut non arctati ad ditandum omnes in huiuſmodi donationibus. Vnde & ſubiungitur, PROVT VVLT. Non reliquit tibi locum quærendi cur huic dat, aut cur tunc dat, & ſic de aliis quæſtionibus, dicendo *prout vult*. Voluntas enim Spiritus ſancti pro ratione redditur. Et hinc apparet Spiritum ſanctum eſſe verum Deum. Solius enim Dei eſt facere prout vult. Reliqua namque voluntatem habentia, habent regulam ſuæ voluntatis: ſolique Deo proprium eſt quòd ſua voluntas eſt regula. *Soli Deo ſua voluntas eſt regula.*

SICVT ENIM CORPVS VNVM EST, ET MEMBRA HABET MVLTA. Ne intelligeres diuiſionem donorum à Spiritu ſancto fieri diuerſis perſonis totaliter diuerſis, ſed fieri diuerſis perſonis quæ ſic ſunt diuerſæ perſonæ, quod tamen iunguntur ſimul in vnum, quemadmodum naturalia membra vnius corporis vniuntur in vno corpore, ſubiungit ex ſimilitudine corporis naturalis vnum corpus Chriſti myſticum conſtans ex omnibus fidelibus, quibus diſtribuuntur hæc dona ab vno & eodem Spiritu ſancto. Ratio autem ſubiungendi hęc, non ſolùm eſt accumulatio doctrinæ: ſed vt intelligeremus hæc dona non diſtribui extra corpus Chriſti myſticum. Duas conditiones inter corpus naturale & membra naturalia deſcribit. Altera eſt: Vnum corpus habet multa membra, & hæc primò deſcribitur. Altera eſt; Vniuerſa membra vnius corporis retinent multitudinem corpore retinente vnitatem. Et hæc deſcribitur ſubiungendo, *Omnia autem membra*. &c. Vbi aduerte quoad literam quod deficit dictio *enim*. Legendum eſt, OMNIA MEMBRA VNIVS CORPORIS CVM SINT MVLTA, VNVM TAMEN CORPVS SVNT. Et ſuperfluit dictio *tamen*, cum dicitur *vnum tamen corpus*: & verbum ſubſtantiuum *ſunt* legendum eſſet in ſingulari *eſt*. Prius enim Paulus vnitatem & multitudinem, deinde vniuerſitatem membrorum retinere multitudinem, corpore retinente vnitatem deſcribit: vt nec vnitas corporis tollat diuerſitatem non ſolum multorum, ſed nec vniuerſorum membrorum, nec multitudo vniuerſorum *Nec vnitas corporis multitudinem* membrorum

(Verſ. 12. stands beside "SICVT ENIM CORPVS VNVM EST".)

membrorum tollat vnitatem corporis. Ita et Christvs. Quum debuiſſet dicere *ita & corpus Christi*, dixit *ita & Christus*: quia Chriſtus eſt velut hypoſtaſis ſui corporis myſtici, quod eſt Eccleſia. Sicut enim dicendo *ita & ego*, comprehenditur corpus meum cum omnibus ſuis membris (quia *ego* nomen eſt hypoſtaſis meæ) ita dicendo *ita & Chriſtus*, comprehenditur corpus eius myſticum cum vniuerſis membris eius: quia Chriſtus tenet locum hypoſtaſis ſui corporis myſtici.

Membrorum ... ſuis corporis. [illegible]

Verſ. 13. Etenim in vno. non diuerſo. Spiritv. ſancto ſanctificante ſpiritualiter animas noſtras. Omnes. nullo excepto. Nos. Chriſtiani. In vnvm corpvs. non in diuerſa corpora Chriſti, in vnam Eccleſiam Chriſti, non in diuerſas Eccleſias. Baptizati svmvs. geniti ſumus. Sive Ivdaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi. Dixit *omnes nos Chriſtiani*, quia nulla obſtat huic omnium vnitati diuerſitas. Et omnes in vno spiritv potati svmvs. Apta perfectaque probatio vnitatis omnium Chriſtianorum tanquam membrorum in vno corpore. Duas enim conditiones habent omnia membra vnius corporis naturalis. Prima eſt, quod omnia ex eodem principio (virtute ſcilicet ſeminis) generentur in corpus vnum organicum. Secunda eſt, quod omnia ex eodem principio, puta etiam eodem alimento alantur diſtributo per membra omnia. Ex ambabus conditionibus Paulus probat omnes Chriſtianos eſſe vnum corpus Chriſti. Ex prima, quia omnes in vno ſpiritu in vnum corpus geniti ſumus per baptiſmum. Ex ſecunda, quia omnes ſumus in vno ſpiritu potati, ad ſimilitudinem membrorum naturalium, quæ omnia potantur ex eodem alimento. Optimus Philoſophus Paulus, conformiter ad Philoſophos in naturalibus loquitur. Alimentum ſiquidem ſecundum Philoſophos conſiſtit in humido: & per modum facti alitur corpus. Conſtat autem factum ſpecie eſſe potandi. Apertiſſime itaque ac perfecte manifeſtat nos omnes eſſe corpus vnum ex generatione & nutritione ab eodem principio in vnum corpus. Et ſicut generamur per baptiſmum, ita nutrimur per Euchariſtiam, tanquam per ſacramenta. Intus autem idem eſt ſpiritus, quo generamur ſpiritualiter, & quo nutrimur in vita ſpirituali.

Duæ conditiones membrorum vnius corporis.

Alimentum conſiſtit in humido.

Generamur per Baptiſmum: nutrimur per Euchariſtiam.

Conſidera hæc Pauli verba, & perpende in tantum Chriſtianos eſſe membra corporis Chriſti, in quantum generantur ex eodem ſpiritu, in quantum nutriuntur ex eodem ſpiritu. Alioquin ſolis ſacramentis ſunt de corpore Chriſti. Verum his omiſſis Paulus ab iis qui vere ſecundum interiorem hominem ſunt membra Chriſti, doctrinam tradit. Et propterea vtitur pronomine primæ perſonæ, dicendo, *nos omnes*, qui vere intus & extra ſumus Chriſtiani, hoc eſt, non ſolum profeſſione, ſed facto.

Verſ. 14. Nam et corpvs non est vnvm membrvm, sed mvlta. Poſtquam declarauit nos omnes eſſe vnum corpus Chriſti, intendit declarare nos omnes eſſe tanquam membra diuerſa vnius corporis. Et breuitati ſtudens proſequitur ſimilitudinem corporis naturalis: declarando primum quod membra oportet eſſe diuerſa, ſecundo neceſſitatem eorum quoad agere, tertio quoad pati in vno & eodem corpore. Et hæc ita tangit in ſimilitudine, vt ſimul inſinuet documenta membrorum myſticorum: imo forte ſimul deſcribit peccata Corinthiorum.

Si dixerit pes, qvoniam non svm manvs, non svm de corpore, nvm ideo non est de corpore? Metaphora clara eſt. Et communis monet ne inuideant mediocribus, ne ægre ferant quod non ſunt manus: quæ pedibus præſtant in medio conſtitutæ. Verſ. 15.

Communis ... [illegible]

Si dixerit avris, qvoniam non svm ocvlvs, non svm de corpore, nvm ideo non est de corpore? Inter ipſa ſuprema membra inuidia tangitur. Verſ. 16.

Si totvm corpvs ocvlvs, vbi avditvs? Si totvm avditvs, vbi odoratvs? Eſt ratio ducens ad inconueniens, ſi omnia membra eſſent ſummum membrum, puta oculus. Verſ. 17.

Nvnc avtem posvit Devs membra, vnvmqvodqve eorvm in corpore. Nō dixit poſuit natura: tum quia corpus naturæ eſt opus intelligentiæ primæ, quæ Deus eſt, tum quia intelligi vult quod Deus poſuit in Eccleſia quoſdam infimos, quoſdam mediocres, quoſdam ſupremos, quemadmodum poſuit in corpore naturali. Sicvt volvit. Nec vlla moleſtias ſequitendo, voluntas Dei (quæ vera eſt prima omnium ratio) aſſignatur pro ratione tam naturalium quam myſticorum membrorum. Verſ. 18.

Opus naturæ eſt opus intelligentiæ primæ.

Qvod si essent omnia vnvm membrvm, vbi corpvs? Prius deduxerat ad inconueniens quod cæterenus aliis membris, modo deducit ad aliud inconueniens, ſcilicet quod cæterenus corpore. Verſ. 19.

Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Verſ. 20.

Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. Verſ. 21.
Monſtrata neceſſitate diuerſitatis membrorum ſecundum eſſe in vno corpore, monſtrat neceſſitatem eorundem ſecundum actiones eorum. Sententia clara eſt.

Membrorum ... [illegible]

Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora. Verſ. 22.
pro, *neceſſaria*, svnt. Appellat membra infirmiora quæ imbecillia ſunt: vt venter, hepar, ſplen: hæc enim mollißima quum ſint facile enim læduntur, ſunt magis neceſſaria quam oculi & manus.

Membra infirmiora.

Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus. Verſ. 23.
Appellat membra ignobiliora pedes reſpectu manuum, aures reſpectu oculorum: hæc enim magis ornare conſueuerunt qui ornatu ſtudent. Operiebant enim pedes aureis ſoccis antiqui: & vſque hodie inaures ſuſpenduntur aureæ. Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Inhoneſta ſeu turpia, ſeu indecora verba appellat pudenda: hæc enim etiam hodie decorantur tectis, & aureis braccis apud multas nationes.

Membra ignobiliora.

Inhoneſta.

Honeſta autem noſtra nullius egent. Verſ. 24.
pro, *non egent*: procul dubio decorari abunde, quæ enim ſunt ſecundum ſe decora (vt facies, vt oculi) non egent vt decorentur. Et diſtinxit has tres naturalium membrorum differentias penes robur, nobilitatem, & decorem my-

Honeſta.

ſticorum

ſticorum membrorum differentias omnes comprehenderet. SED DEVS TEMPERAVIT. pro, *contemperauit*, CORPVS. hoc eſt, ſed Deus ſimul iunxit membra in vnum corpus, tali & tanta temperantia, vt membro in quo aliquid deerat nobilitatis aut decoris, ſupplerit abundantiore honore: hoc enim ſignificatur dicendo, ET CVI DEERAT, ABVNDANTIOREM TRIBVENDO HONOREM, tum ex ſocietate, imo ex coniunctione cum aliis membris in vnum corpus. Honorantur ſiquidem naturali honore a Deo huiuſmodi membra, ex hoc ipſo quod nobilibus iuncta ſunt membris. Tum ex eo quòd deſeruiunt etiam nobiliſſimis operibus & totius corporis & nobiliorum membrorum.

Verſ. 25. VT NON SIT SCHISMA IN CORPORE. Huiuſmodi enim redundantia naturalis honoris in membra infirma, ignobilia, indecora, tollit diſcordiam in corpore. Efficit enim honorem communem. SED IN IDIPSVM, pro, *in idem*, PRO SEINVICEM SOLICITA SINT MEMBRA. Communitas honoris non ſolum tollit diſcordiam in corpore ſecundum *eſſe*, ſed etiam efficit vt ſecundum actiones membra ſint pro ſeinuicem ſolicita ad idem, ad quod quodlibet membrum ſecundum ſe tendit. Sunt enim ſolicita vt viſus videat, vt olfactus odoret, & ſic de aliis: quoniam ad hoc agunt actiones ſuas, vt & totum corpus & ſingula membra ſint bene diſpoſita. Vnde naturaliter opponimus manum pro tutela capitis, &c.

Verſ. 26. ET SI QVID PATITVR VNVM MEMBRVM. Ecce connexio membrorum ſecundum paſſionem. COMPATIVNTVR OMNIA MEMBRA. Teſtatur concurſus ſanguinis ad percuſſum membrum quod compatiantur omnia membra percuſſo vno membro. Reliquis enim membris adimitur ſanguis ad ſuccurrendum percuſſo. SIVE GLORIATVR, pro, *glorificatur*, VNVM MEMBRVM CONGAVDENT OMNIA MEMBRA. Tractatus de compaſſione membrorum tam in malum quam in bonum ſimul cum contextu ſubiungente paſſionem delectationis in reliquis membris, cogit me ad interpretandum glorificationem naturalem: quæ eſt cùm membrum fit dignum gloria, quod eſt cum membrum bene diſponitur ex ægritudine tranſeundo in ſanitatem, ſeu roboratum dum ex imbecilli fit robuſtum: tunc enim membrum dignum fit gloria naturali: & tunc omnia membra condelectantur, redeuntia ad priſtinum corporis ſanitatem. Delectatio ſiquidem naturalis nihil aliud eſt, quam quies in bona diſpoſitione: ac per hoc huiuſmodi congaudere eſt in meliori diſpoſitione iam quieſcere membra quæ ex vnius paſſione quietem amiſerant. Et vt iam dictum eſt, ad inſtruendum membra myſtica proſecutus eſt tam diffuſe Paulus hæc de membris naturalibus: iuxta hæc enim ipſe ſentiebat in ſeipſo, *quis infirmatur, & ego non infirmor*, &c.

Verſ. 27. VOS AVTEM. Ratione vnitatis, ESTIS CORPVS CHRISTI. Ratione vero diuerſorum membrorum, officiorum, donorum, &c. eſtis, ET MEMBRA DE MEMBRO, pro, *ex parte*. Non eſtis membra omnia corporis Chriſti, ſunt enim alia membra corporis Chriſti in aliis locis vbique per orbem ſparſa, imò & aliqua in cælo: ſed eſtis membra ex parte, eſtis aliqua pars membrorum Chriſti.

Verſ. 28. ET QVOSDAM QVIDEM POSVIT DEVS IN ECCLESIA. Hic incipit proſequi ſecundum generis diuiſionem: illam ſcilicet, *& diuiſiones miniſtrationum ſunt*: ita quod ſimul explicat diuiſionem illam, & applicat ad propoſitum corporis Chriſti myſtici diuerſitatem membrorum. Vnde quemadmodum de membris corporis naturalis dixerat, poſuit Deus membra vnumquodque in corpore ſicut voluit, ita modo dicit de membris myſticis, & poſuit Deus quoſdam quaſi membra in Eccleſia quaſi corpore. PRIMVM APOSTOLOS. Suprema membra Apoſtolos explicat. Ad eos enim ſpectat vniuerſalis Eccleſiæ regimen non ſolum verbo & actione, ſed etiam ſcriptura. Vnde ſola ſcripta ab Apoſtolis ſiue ab eis approbata, ſacræ Scripturæ authoritatem habent. SECVNDÒ PROPHETAS. quia Deo immediate inſtruuntur per reuelationem. TERTIO DOCTORES. qui interpretantur tradita ab Apoſtolis & Prophetis. DEINDE VIRTVTES. Miſcet Paulus membra primæ diuiſionis membris ſecundæ, ea ratione vt intelligamus tam primæ quam ſecundæ diuiſionis membra non eſſe communia omnibus, ſed hoc vni, hoc alij dari. Quod dicit *virtutes* (hoc eſt, potentia) ſuperius dixerat in prima diuiſione operationes potentiarum. Quinto itaque loco donum poteſtatis faciendi miracula ſecundum ſe, non ſecundum rationem doni, ſed ſub ratione miniſterij locat. Et hoc etiam intellige de aliis ſubiunctis donis. Omnia enim hic inducuntur quatenus miniſteria ſunt ad vtilitatem Eccleſiæ.

EXINDE GRATIAS CVRATIONVM. pro, *dona ſanationum*. De quo ſuperius dictum eſt. OPITVLATIONES, pro, *ſubuentiones*. Hoc non fuit numeratum inter dona. Et appellatione *ſubuentionum* intelligo ordinem eorum qui in Eccleſia Dei operibus miſericordiæ vacant: qui enim huiuſmodi officium profitentur ſacris, textum in Eccleſia tenent locum ſubueniendo aliis. GVBERNATIONES. Et hoc quoque non fuit inter dona computatum: ſed intelligendum eſt quo aliqui præſunt gubernationi temporalium, qui in primo principio Eccleſiæ Hieroſolymis vocati ſunt Diacones, hoc eſt, miniſtri. GENERA LINGVARVM. Vltimo loco ponit Paulus miniſtrantes Eccleſiæ generibus linguarum. Nam quod ſequitur, *interpretationes ſermonum*, in textu non habetur, ſed additum eſt.

Verſ. 29. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?

Verſ. 30. Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Explicata diuerſitate miniſteriorum, explicat quòd non omnia omnibus, ſed hoc his, illud aliis in Eccleſia tributum eſt a Deo. Et ſententia huius adiungendo quod vbi dicitur *gratiam habent curationum*, legendum eſt *dona habent ſanationum*.

Verſ. 31. AEMVLAMINI AVTEM CHARISMATA MELIORA. pro, *zelate*: ad dictionem Græcam ζηλοῦτε, interpres reſpondit: competenter dicere *æmulamini*. Cum diuerſitas tum dona, tum miniſteria, nec dixerit *æmulamini miniſteria potiora*, (hoc enim eſſet materia diſſidij præter hoc quod tolleret æmulatio præſumptionis) ſed dicit, *æmulamini dona potiora*. Illud enim eſſet ambitioni: hoc vero eſt proficientis affectus, & tendentis de bono in melius.

ET ADHVC

Marginal notes: Connexio membrorum ſecundum paſſionem. — Prima Eccleſiæ membra. Apoſtoli. — Prophetæ. — Doctores. — Virtutes. — Curationum gratiæ. — Gubernationes. — Genera linguarum.

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Niti ad potiora dona laudabilis est via: sed excellentior via monstranda superest, & haec (vt dicetur) est via dilectionis.

Aduerte quòd haec particula *aemulamini*, &c. deberet esse principium capituli sequentis: nam in his verbis Paulus proponit more suo dicenda. Proponit autem dicenda in duobus capitulis: nam dicendo *aemulamini dona potiora*, proponit tractanda in cap. 14. & dicendo, *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, proponit tractanda in cap. 13. Incipit enim exequi ab vltimo proposito.

CAPVT XIII.

Vers. 1. Si linguis. Prosequitur tertium genus *diuisiones operationum sunt, idem vero Deus*. Et intendit diuisiones operationum quae sunt diligere, sperare, & credere. Et incipit a dilectione, ita quod primò tractat de dilectione: & vltimò distinguit dilectionem a credere & sperare. Aduertendum est enim quod vbicunque interpres in hoc capitulo nominat *charitatem*, in textu Graecum textum nominatur dilectio: & articulus praepositus in Graeco monstrat quod non de quacunque dilectione, sed de illa dilectione est sermo quae diuidit filios Dei a filiis perditionis, quam Latini Theologi appellant Charitatem.

Ordinate autem procedens ad seruandum promissum (scilicet *excellentiorem viam vobis demonstro*) monstrat primò excellentiam charitatis respectu omnium tam donorum quàm ministeriorum, de quibus in praecedenti capitulo tractauit. Et incipit à dono linguarum, à ministerio Apostolatus. Et donum quidem linguarum explicat proprio nomine, dicendo *Si linguis*: ministerium autem Apostolatus insinuat loquendo in propria persona, *loquar*, *factus sum*, *si habuero*, *si tradidero*, *si distribuero*, &c. Vniuersum ergo hunc primum tractatum ideo in prima persona prosequitur, vt intelligamus verificari quae dicit etiam de ipsomet Apostolo.

Hominum loquar. Non dicit hominum Asiae aut Europae aut Aphricae, sed absolute *hominum*, vt comprehendat omnium humanarum linguarum genera. Et Angelorum. In sacris scripturis inducuntur saepe Angeli loquentes: nec solum hominibus, sed quandoque inter seipsos: quam locutionem libet loqui interpretatiuum [illegible] intelligibilem. Ita quod per linguas hominum intelligitur omnis locutio sensibilis, per linguas verò Angelorum omnis locutio intelligibilis: vt ex his duobus generibus loquendi omnis loquendi modus comprehendatur: nam est intermedia locutio imaginaria, ad intellectibilem reducitur. Quod sic dixerim, vt vtrique comprehendatur natura Angelorum sensibus.

Non est praesentis negotii discutere naturam [illegible] substantiarum, quas Daemones & Angelos dicimus: an omnes sint incorporei, an loquantur solis intellectibus: an etiam cogitatiuis, seu aestimatiuis virtutibus. Sufficit praesenti propositio intelligere quod siue loquar linguis, hoc est, sermonibus hominum, siue sermonibus Angelorum, &c. Non enim est hic sermo de corporeo membro lingua, sed de modis loquendi.

Charitatem autem non habeam. Haec secunda pars antecedentis [illegible] conditionalis: consequens autem est quod subiungitur, Factus sum velut aes sonans, [illegible]. Et supersedet *sonans*, Assimilatur [illegible] loquentem omnibus [illegible] etiam Angelicis linguis, non terrae, non ligno, sed aeri, non enim aeque [illegible] sonantia sed resonanti, bene reddenti sonum. Tanquam sic loquens perinde fit, ac instrumentum bene reddens sonum, tanquam non sibi, sed aliis praeclare sonat. Aut cymbalum tinniens. Cymbalum est instrumentum notum, quo vtuntur puellae choreas ducentes, gestando sinistra manu cymbalum, & dextera percutiendo illud, & eius sonus proprius est tinnitus multorum circulorum [illegible] qui in circumferentia lignea cymbali [illegible] sustentantur. Simul enim tota illa circumferentia multitudo tinnitum emittit percussa [illegible] plantae cymbali. Hac [illegible] in cymbalis [illegible] emittuntur [illegible] pro choreas ducentibus, non pro seipsis. Et attulit similitudinem aeris & cymbali, hoc est, naturalis & artificialis soni: vt [illegible] referatur ad linguas hominum: quorum [illegible] linguarum genera [illegible] constant, natura verò ad linguas Angelorum, quorum sermones [illegible].

Vers. 2. Et si habuero prophetiam. Ecce excellentia charitatis ad prophetiam & prophetas. Et nouerim mysteria omnia. Ecce excellentia charitatis ad sapientiam & doctores. Et omnem scientiam. Ecce excellentia respectu doni scientiae. Et si habuero omnem fidem ita vt montes transferam. Ecce excellentia charitatis respectu trium donorum, scilicet fidei [illegible], potestatum, & sanationum. Haec enim tria comprehenduntur sub hoc verbo, *si habuero omnem fidem*: quoniam omnia dona circa miracula innituntur fidei, & propterea dixit *omnem fidem*, vt omnem gradum huiusmodi fiduciae comprehenderet. [illegible] qui [illegible] est. Dico autem [illegible] Gregorius in primo Dialogorum [illegible] Gregorium montem mouisse. Charitatem autem non habuero, nihil sum, scilicet [illegible] dimini [illegible].

Obiicitur [illegible] quod non consistit [illegible] ad Roman. [illegible] iustificari homines [illegible] fide sine operibus: ad Corinth. autem fide in omni [illegible] dilectione non confert nihil [illegible] hominem [illegible].

Solutio est, quod diuersimode vtitur Paulus fidei nomine. Nam ad Roman. sub fidei nomine comprehendit fidem, spem, & dilectionem. In cuius signum [illegible] vtitur fide & lege fidei: vt patet ad Rom. 3. [illegible] est autem sub lege fidei quae [illegible] contra legem factorum comprehendit [illegible] spem & dilectionem, [illegible] legem factorum opera [illegible] [illegible] prudentiae, iustitiae, temperantiae, fortitudinis, & [illegible] gentes [illegible] [illegible]. Et in [illegible] [illegible] fides [illegible] Dei [illegible].

Deo [illegible] & dilectio immittitur Deo [illegible] opera autem virtutum moralium [illegible] propter [illegible] operantis [illegible]. [illegible] Domini [illegible] & dilectione [illegible] *[illegible]* & de ipſa [illegible] *[illegible]*. Hoc vero [illegible] fidei [illegible] ipſum [illegible] diſſonum [illegible].

Verſ. 3. ET SI DISTRIBVERO IN CIBOS PAVPERVM OMNES FACVLTATES MEAS. Interpres addidit *pauperum* ob [illegible] excellen-tia charitatis ad miniſteria [illegible] & gubernationum. Vtrumque [illegible] comprehendit [illegible]. ET SI TRADIDERO CORPVS MEVM ITA VT ARDEAM. Superſunt [illegible] pro *[illegible]* interpres [illegible]. [illegible] combuſtionem. Vbi nota quod [illegible] *[illegible]* ſed longe plures [illegible] ad [illegible] quod [illegible] Martyres fecerunt [illegible] & [illegible] Apoſtolos [illegible] docent [illegible] quod [illegible] Apoſtolus [illegible] vſque adeo quod ſponte ſe traderet vt comburetur, abſque charitate nihil ſibi prodeſſet. Et verum dicit. Poſſunt enim hæc fieri ab hæreticis, & ab infidelibus [illegible]. CHARITATEM AVTEM NON HABVERO, NIHIL MIHI PRODEST. Meritorie ad vitam æternam. Ex his omnibus patet excellentia charitatis reſpectu tam miniſteriorum, quam donorum.

Verſ. 4. CHARITAS PATIENS, pro *longanimis* EST. Ad[illegible], prudens Lector, quod opera virtutum [illegible], vel ſecundum quod ſunt [illegible] opera. Et ſic a Paulo excluduntur a [illegible] & [illegible] legis [illegible] communia etiam infidelibus [illegible] non iuſtificatis. Vel vt imperantur a charitate, & ſic tam virtutum moralium communium etiam infidelibus, quam Theologalium communium etiam non iuſtificatis opera, & iuſtificatis, & [illegible] æterna [illegible] & ſine ipſa [illegible]. Et ſæpiſſime in ſacra Scriptura [illegible] ac commendantur [illegible] ſine ipſa dilectio Dei [illegible] non poteſt [illegible] Et ſic [illegible] Paulus [illegible] charitatis [illegible].

Igitur declarata excellentia charitatis, reſpectu [illegible], declarat [illegible] excellentiam [illegible] charitatis [illegible] Deum [illegible] affectibus [illegible] ad [illegible] PATIENS [illegible] Verum [illegible] vetus [illegible] amplius, quæ [illegible] carnalis [illegible] enim [illegible].

BENIGNA EST. [illegible] perſonam [illegible] præſentium. Benignitas enim tenax eſt boni: [illegible] contra amor proprius tenax eſt boni [illegible] quod habet. Efficax enim charitas hominem [illegible] ad donandum, & [illegible] atque [illegible] ſe gerendum cum aliis. CHARITAS NON ÆMVLATVR. Amor proprius, ſiue carnalis, ſiue mundanus, patet eſt mundi [illegible] charitas autem inuidiam omnem excludit, tam [illegible] in præcipuo [illegible] bona. Gaudet enim [illegible] plus participent tam præcipuum, quam [illegible]. NON AGIT PERPERAM. Aduerte quod interpres non vertit *perperam* Latine, ſed Græce. Græcam ſiquidem dictionem relinquere voluit, non tamen integram reliquit. [illegible] non eſt [illegible] particula [illegible] quem dictiones iſta Latinæ ſignificant, ſed quem [illegible] Græca ſignificat, de cuius ſignificatione eſt varia dicuntur, illa tamen huic textui conſonat, vt inconſtantia leuitaſque mentis ac actionum excludatur. Amor enim proprius inconſtans valde eſt: vt crebra fidei violatio in principibus teſtatur. Charitas autem non agit inconſtanter: habet enim optimum illud gratiæ quod eſt ſtabilire cor. NON INFLATVR. Superbiam excludit, amori proprio [illegible].

Verſ. 5. NON EST AMBITIOSA, pro *non agit inhoneſte*, ſeu *turpe*. Turbulentiæ [illegible] excludit charitas, dum tam quoad opus quod facit, quam quoad modum agendi nunquam agit, [illegible] vel poſtea erubeſcat: erubeſcimus [illegible] de inhoneſtè, [illegible] indecore [illegible]. Quo contra carnalis amor [illegible], vt erubeſcendum ſit. NON QVÆRIT QVÆ SVA SVNT. Interpres addidit *ſua*: in Græco legitur *non quærit quæ ſui ipſius*. Exterior ſolicitudo [illegible] acquirendum gloriam, honorem, laudes, amicos, [illegible], ac res delectabiles, aut [illegible] pro ſeipſo, excluditur. Cuius oppoſitum in aliis amoribus euidenter apparet. NON IRRITATVR, procul dubio [illegible] hominis. Iram enim excludit, vſque adeo vt nec [illegible]. Cuius contrarium in aliis [illegible] amoribus. NON COGITAT, pro *imputat*, MALVM. [illegible] excludit [illegible] aut [illegible] ſecrete [illegible] aut imputat [illegible] amoribus [illegible] que tangunt [illegible]. Charitas autem [illegible] conſtans [illegible] non permittat [illegible] imputandum malum illi quem non conſtat peccaſſe.

Verſ. 6. NON GAVDET SVPER INIQVITATE. Quemadmodum naturale eſt iuſto gaudere de iuſtis operibus tam ſuis, quam aliorum, & liberali gaudere de liberalibus, & ſic de ſimilibus, [illegible] eſt amori mundano gaudere de mundanis operibus, & carnali de carnalibus, & proprio de conferentibus ſibi, [illegible] & propterea de quolibet homine [illegible] quod gaudet ſuper iniquitate. Charitas autem non gaudet de iniquitate [illegible] abominabili, vtpote inimica dilecto Deo. De iniquitate autem proximi [illegible] non compatitur. CONGAVDET [illegible] ſicut, [illegible]

congaudet autem iuſtitiæ: non hoc dixit, ſed quod amplius eſt, *congaudet autem veritati*. Et propriiſſimè dixit: vt intelligeremus quòd charitas ſeu dilectio hæc de qua eſt ſermo, eſt dilectio non vanitatis ſed veritatis. Amori cuique reſpondet ſua delectatio & è conuerſo: amori carnali delectatio carnalis reſpondet, & è conuerſo, & ſic de aliis: quo fit vt delectatio veritatis reſpondeat amori charitatis, & è conuerſo. Dilectio Chriſtiana eſt dilectio veritatis non figmentorum, eſt dilectio verorum bonorum, non vanorum quæ apparent bona: eſt dilectio veritatis etiamſi dilectionem honoris proprij ſonet, ſi priuationem corporalis vitæ inducat: & propterea congaudet veritati vitæ, doctrinæ & iuſtitiæ.

Cuique amori ſua delectatio reſpondet.

Verſ. 7. OMNIA SVFFERT. Intus congaudet veritati: exteriùs quoque omnia ſuffert, plena eſt patientiæ charitas, vſqueadeo vt non quædam, ſed omnia toleret, non ſolùm tormenta & mala pœnæ, ſed etiam mala culpæ, non quatenus ſunt mala culpæ (ſic enim non comprehenduntur ſub genere tolerabilium pro quibus diſtribuit *omnia* cum dicitur, omnia ſuffert) ſed quatenus ſunt pœnalia: nam aliorum crimina triſtitiam ingerunt non mediocrem diligentibus Deum. Vnde & de Lot Petrus Apoſtolus dicit, *animam iuſtam iniquis operibus cruciabant*. ſecundæ Petri 2. Et hinc dicitur quod non fuit bonus, qui non potuit tolerare malos.

2. Petr. 2. 8.

OMNIA CREDIT. reuelata à Deo in ſacra Scriptura. Actus fidei attribuitur charitati imperatiuè: ſicut & actus patientiæ, & ſimiliter ſpei.

OMNIA SPERAT. promiſſa à Deo.

OMNIA SVSTINET. hoc eſt, manutenet, ſuſtentat. Hoc quartum charitatis officium conſeruatiuum eſt trium præmiſſorum: nam omnia manutenere & ſuſtentare eſt omnibus periclitantibus ſuccurrere ne malis pœnæ ſuccumbant, ne à reuelatis excidant, ne promiſſis deſint. Nec dicit *omnes ſuſtinet*, ſed *omnia*: vt intelligamus quod quamuis ad omnes manutenendos non ſufficiat, ſufficit tamen ad manutenendum & ſuſtentandum omnia illata, reuelata & promiſſa, tum in illo in quo eſt, tum in Eccleſia Dei. Eſt enim hoc charitatis officium intendens omnibus animæ partibus: quia charitas vniuerſis animæ partibus præſidet. Eſt & conſeruans in Eccleſia integritatem virtutum quas opus eſt aliam habere.

Verſ. 8. CHARITAS NVNQVAM EXCIDIT. Declarat tertio loco excellentiam charitatis quantùm ad permanentiam. Cùm autem legis quòd dilectio nunquam cadit, caue ne intelligas charitatem ſemel habitam nunquam amitti, incidendo in huiuſmodi errorem: ſed intellige Pauli verba tum ex contextu, tum ex ipſis verbis formaliter intellectis, quod charitas quantùm eſt ex parte temporis neſcit caſum: hoc enim formaliter ſignificat aduerbium temporis *nunquam*. Et hoc directe intendit, quoniam in hoc conſtituit differentiam inter charitatem & ſubiuncta dona prophetiæ, linguarum, & ſcientiæ. Hæc enim dona adueniente tempore expectatæ felicitatis ceſſabunt: charitas autem adueniente huiuſmodi toto æternitatis tempore, non ceſſabit. Et cum hac veritate conſtat ſtare ſimul, quod aliunde quàm ex tempore charitas poſſit cadere à ſuo eſſe: perditur enim ex peccato mortali.

Charitatis excellentia quantum ad permanentiam.

SIVE PROPHETIÆ EVACVABVNTVR. Non erit in patria cœleſti opus dono prophetiæ, vbi omnes videbunt clare Deum. SIVE LINGVÆ CESSABVNT. Non dicit quòd ceſſabit lingua, ſed ceſſabunt linguæ: quoniam non ceſſabit ſẽſibilis locutio, ſed ceſſabit diuerſitas idiomatum. Erit enim labium omnium vnum, multò magis quam fuerit olim ante confuſionem linguarum. SIVE SCIENTIA DESTRVETVR. Non eſt hic ſermo de ſcientia Mathematica & huiuſmodi, ſed de ſcientia ſanctorum quæ innititur fidei: quæ quoniam caret euidentia rerum ſcitarum, ſicut & prophetia caret euidentia rerum quæ prophetantur, ideo ceſſabunt ſicut & fides.

EX PARTE ENIM COGNOSCIMVS. Rationem reddit quare ſcientia deſtruetur. Et quod dicit *ex parte*, referri poteſt vel ad rem cognitam, vel ad modum cognoſcendi. Et quidem ſi referatur ad rem cognitam, ſenſus eſt quod rem cognitam per donum ſcientiæ, partim ſcimus & partim neſcimus. Et vere de cœleſti patria, de Deo, &c. partim ſcimus & partim neſcimus: & multo maius eſt quod neſcimus. Si verò referatur ad modum cognoſcendi, partim quoque cognoſcimus, & partim non: nam deeſt euidenter cognoſcere, & adeſt aliquo modo cognoſcere. ET EX PARTE PROPHETAMVS. Similis diſtinctio ex parte rei prophetatæ, vel ex parte modi fieri poteſt: nam propheta quoad modum cognoſcendi caret euidentiâ rerum quas prænuntiat. Quamuis enim Eſaias certus fuerit quod venturus eſſet Meſſias verus Deus, quia certus erat Deum ſibi hoc reuelare, non tamen euidentem notitiam habebat myſterij Incarnationis, & ſic hæc de ſimilibus. Rem quoque prænuntiatam non ſecundum omnes conditiones rationeſque rei cognoſcebant, non reuelante Deo totum. Quamuis autem diſtinctio hæc veritati innitatur, ad literalem tamen ſenſum textus huius, directè ſpectat modus cognoſcendi ex parte: quoniam hinc directe infertur ceſſatio. Verſ. 9.

Propheta caret euidentia rerum quas prædicit.

CVM AVTEM VENERIT QVOD PERFECTVM EST, EVACVABITVR QVOD EX PARTE. E regione *ex parte*, locat Paulus *perfectum*: ac ſi dixiſſet, cùm autem venerit quod integrum eſt, euacuabitur quod conſtat ex aliqua tantùm parte. Nec dicit, tolletur defectus partis, ſed tolletur quod eſt ex parte, quod conſtat ex parte: vt intelligamus quod non ſupplebitur ei, quod ex parte eſt, altera pars, ſed ipſum quod ex parte eſt, tolletur: vt intelligamus quod non ſupplebitur ſcientiæ ac prophetiæ quod ei deeſt, ſed quod ceſſabit tam ipſa ſcientia quàm ipſa prophetia conſtans ex parte, quemadmodum tolletur ipſa fides ac ſpes. Et ratio eſt quam diximus: quia conſtant ex ineuidentia: hoc enim eſt cognitiones, prophetiam, & ſcientiam conſtare ex parte. Verſ. 10.

Cùm venerit quod perfectum eſt, tolletur quod eſt ex parte.

Sed occurrit quæſtio, cùm verum ſit quod diligimus ex parte, cur non eadem ratione inferri poteſt, ergo dilectio ceſſabit? ergo cùm venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quoque quod ex parte eſt etiam in ipſa charitate, hoc eſt, etiam ipſa dilectio ex parte: Quod enim diligamus ex parte, clarè patet ex hoc quòd nullus in hac vita diligit Deum ex toto corde ex tota mente, ex tota fortitudine, &c.

An etiam charitas, quæ eſt ex parte, tolletur.

M Solutio

Solutio eſt quòd huiuſmodi *ex parte* quod inuenitur in dilectione, non ei conuenit ſecundum ſe, ſed redundat in eam ex notitia ex parte: ſi enim illam perfectam notitiam quæ in patria erit de Deo, hîc haberemus, diligeremus non ex parte, & ideo notitia per ſe ex parte conſtans, tolletur: dilectio autem quæ hîc patitur hanc redundantiam, non tolletur.

Verſ. 11. CVM ESSEM PARVVLVS, LOQVEBAR VT PARVVLVS, SAPIEBAM VT PARVVLVS, COGITABAM VT PARVVLVS. Relationem præſentis ſtatus ad ſtatum futuræ felicitatis poſtquam declarauit ex relatione conſtantis ex parte ad perfectum, vt pleniùs doceret, declarat ex relatione ætatis puerilis ad ætatem virilem: vt intelligamus congruere nobis quaſi puerulis huiuſmodi notitias imperfectas prophetiæ & ſcientiæ, quæ eſt ſecundùm fidem. Vnde ſolos actus puerorũ ſpectantes ad notitiam inducit, loqui, ſapere, & cogitare. Et nihilominus pueriliter loqui relatiuè ad genera linguarũ, ſapere ad prophetiam, & cogitare ad ſcientiam inducit tollenda: vt ſimul intelligamus in nobis ex ſucceſſione ætate virilis ad puerilem, non eſſe mirum quòd in ſtatu futuræ felicitatis tollentur quæ ſunt præſentis ſtatus imperfecta. Ad hoc enim claré ſubiungitur: QVANDO AVTEM FACTVS SVM VIR, EVACVAVI QVÆ ERANT PARVVLI. Quod ſuperiùs dixerat, *tollitur quod ex parte eſt*, modò per metaphoram dicit, *abſtuli quæ erant paruuli*.

Status præſentis ætati puerili comparatur.

Verſ. 12. VIDEMVS NVNC PER SPECVLVM IN ÆNIGMATE. Non ſufficit Paulo dupliciter declaraſſe relationem præſentis notitiæ ad futuram, ſed tertiò declarat ex alia ſimilitudine. Aſſimilat enim præſentem notitiam quam de diuinis habemus, viſioni per ſpeculum in ænigmate. Ita quòd tres conditiones ſonat: prima eſt quòd videmus: ſecunda quod per ſpeculum: & tertia quòd in ænigmate. Sæpe declarauimus quo pacto viſio inuenitur in huiuſmodi quæ de Deo ſcimus ſub fide. Videmus enim non res ipſas, ſed credibilitatem earum: non videmus quòd Deus ſit trinus & vnus, quòd Verbum caro factum eſt, & reliqua huiuſmodi, ſed videmus quòd hæc ſunt credibilia: ſicut non video Pariſios, ſed video credibile eſſe quod Pariſij ſint. Et hæc viſio cauſatur ex accumulatione tot teſtimoniorum.

Notitia quã hîc habemus de Deo, comparatur viſioni per ſpeculum in ænigmate.

Per ſpeculum verò videre poteſt intelligi dupliciter: vel vt videmus in ſpeculo reſultantes ſimilitudines hominum, arborum, &c. vel vt videmus per vitrea ocularia. Et vtroque modo verificatur quòd videmus per ſpeculum in ænigmate diuina: nam & videmus Deum non in ſeipſo, ſed in eius ſimilitudinibus quæ ſunt creaturæ: nec ex harum inſpectione ſimilitudinum claram habemus de Dei, & cœleſtis patriæ conditionibus notitiam, ſed obſcuram: & videmus ex parte noſtri per ſpecies abſtractas a ſenſibilibus quaſi per ocularia ſpecula, quæ Dei, & cœleſtis ſunt patriæ cum difficultate & obſcuritate.

Videre per ſpeculum dupliciter poteſt intelligi.

TVNC AVTEM FACIE AD FACIEM. Contra videre per ſpeculum in ænigmate, deſcribit viſionem Dei in ſtatu futuræ felicitatis facie ad faciem, hoc eſt, ſine medio. Vtrinque excluditur mediunitam ex parte videntis dicendo *faciè*, quam ex parte rei viſæ dicendo *ad faciem*, & ſimul claritas viſionis ſignificatur ex intuitu facie ad faciem. Non potuit ſimilitudine ſenſibili ſignificari clarius viſio intelligibilis immediata & clara, quàm per viſionem facie ad faciem.

Viſio in cœlo, facie ad faciem, id eſt, ſine medio.

Et quoniam Paulus vtitur hac viſione, vt opponitur ad viſionem per ſimilitudinem in ænigmate, euidenter conſtat, quòd in alio ſenſu vſus eſt Iacob hac viſione, cùm dixit Geneſ. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem.* Nam conſtat quòd per ſimilitudinem viri luctantis cum eo, & cum ignorantia nominis illius, vidit Dominum: quod eſt videre per ſpeculum in ænigmate apud Paulum. Sed Iacob ad ſignificandum excellentiam illius apparitionis, vſus eſt tali modo loquendi: intendens per Dominum non Deum in ſeipſo, ſed Deum in illo apparente viro, quem virum vidit facie ad faciem. Geneſ. 32. 30.

NVNC COGNOSCO EX PARTE, TVNC AVTEM COGNOSCAM SICVT ET COGNITVS SVM. Quartò Paulus manifeſtat qualis eſt differentia inter notitiam præſentem, & futuram de Deo, penes differentiam ſupra poſitam de eo quod eſt *ex parte* & *perfecte*. Declarat ſiquidem ſimul, & quid eſt illud perfectum in notitia, & quid eſt videre Deum facie ad faciem, diſtinctum contra videre Deum per ſpeculum in ænigmate. Quod namque dixerat *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, modò dicit *nunc cognoſco ex parte*. Et quod prius dixerat *tunc autem facie ad faciem*, modo dicit *tunc cognoſcam ſicut cognitus ſum*: & hoc quoque eſt perfectum quod tunc veniet. Videntes ſe facie ad faciem, ita ſe habent, quòd quilibet eorum cognoſcit alium illo eodem modo quo cognoſcitur ab alio, quantùm eſt ex modo videndi: & propterea Paulus dicit, tunc cognoſcam Deum, ſicut & cognitus ſum a Deo. Nec dicit *quantùm cognitus ſum*, ſed *ſicut cognitus ſum*: ſcilicet ſine aliquo medio offuſcante, ſeu diminuente notitiam, imò eodem medio: nam cognoſcam Deum per ipſam, & in ipſa deitate vt medio, quemadmodum ego cognitus ſum a Deo per ipſam, & in ipſa eadem deitate. Et ſimiliter ex parte cogniti cognoſcam Deum ſicuti eſt, ſicut cognitus ſum ab eo ſicut ſum. Ad quorum neutrum ſufficit quæcunque naturalis de Deo notitia quam habent intelligentiæ quas Angelos dicimus.

Cognitio ex parte, & perfecta, hoc eſt, Sicut cognitus ſum, opponuntur.

Dixi autem, erudite Lector, de modo videndi ſine medio offuſcante, ſeu diminuente notitiam: quoniam Deus nihil intuetur niſi in ſeipſo Deo, ſed ille intuitus eſt longe clarior, quàm videre facie ad faciem: & eminenter includit in ſe quicquid perfectionis, & claritatis eſt in videre facie ad faciem intelligibili intuitu. Sed Paulo ſufficit vti illo intuitu prout habet id quod eſt viſionis facie ad faciem. Et ideo dicit *tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum*: hoc eſt, intuendo Deum ſicuti eſt, ſiquidem & ipſe intuetur me ſicuti ſum.

Deus nihil intuetur, niſi in ſeipſo.

NVNC AVTEM MANENT. In præſenti tempore manent in omnibus Chriſtianis nomine & factis, non in quibuſdam ſic, & in quibuſdam nõ. FIDES, SPES, CHARITAS, TRIA HÆC. Ecce *diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus*: & verè idem Deus eſt harum operationum non ſolum author, ſed regula & obiectũ: tota enim credendi ratio eſt Deus qui creditur reuelator omniũ Verſ. 13.

quæ

Tria credēdi, ſperandi, & diligendi ratio eſt Deus

quæ credimus, quem credimus trinum in perſonis, vnum in ſubſtantia, Creatorem cœli & terræ, &c. Vniuerſæ quoque ſpei noſtræ ratio eſt Deus, qui promiſit beatitudinem: qui ſperatur beaturus nos per ipſum. Nec minus vniuerſæ dilectionis noſtræ ratio eſt Deus, quem ſuper omnia, & in omnibus diligimus: cui quærimus gloriam. &c.

Et dixit *tria hæc*, non vt numerandi tibi tolleret laborem, ſed vt intelligamus ex induſtria tria hæc tantum proponere: quia ſola hæc tria ſunt virtutes Theologales, habentes ſcilicet Deum pro proximo obiecto, fine & regula. Sola hæc tria principatum obtinent in anima. Reliqua enim quæ virtutum aliarum ſunt, ad manifeſtandum, ſeu exequendum ſunt. Dixit *tria hæc*: ne errares putando hæc eſſe vnum & idem cum charitate, propterea quia de charitate dixerat *omnia credit, omnia ſperat*: ſed intelligeres, nec vnum, nec duo, ſed tria eſſe, vt non confundamus has virtutes.

Charitas maior, fide, & ſpe.

MAIOR AVTEM HORVM EST CHARITAS. Vel Græco more interpres locutus eſt (quod magis quadrat) pronomen *horum* non conſtruitur cum comparatiuo *maior*, ſed ordo literæ eſt, horum autem charitas eſt maior: non enim ſignificatur quòd maior his tribus eſt charitas (eſſet enim maior ſeipſa) ſed quòd inter hæc charitas eſt maior, ſicut monſtrando duos gemellos fratres dicimus, horum duorum fratrum hic eſt maior. Nec oportuit explicare qualiter ſit charitas maior: quia ex dictis ſatis habetur quòd principatur fidei, mouendo ad credendum omnia: & ſpei, mouendo ad ſperandum omnia, &c.

CAPVT XIV.

Verſ. 1. SECTAMINI CHARITATEM. Propoſuerat duo: æmulationem meliorum donorum, & excellentiorem viam. Tractauit ſecundū in præcedente capitulo, intendit modò tractare primum. Et propterea continuando dicta dicendis iterum reſumit primum, ſubiungendo, ÆMVLAMINI SPIRITALIA, proculdubio dona. MAGIS AVTEM PROPHETETIS. Quod proponēdo in genere dixerat *potiora*, modo in ſpecie dicit, *magis autē vt prophetetis*. Et eſt ratio dicti: quia Corinthij magni pendebant donum linguarum nimis: propterea enim Paulus præponit prophetiam vt doceat Corinthios magis appetere donum prophetię, quàm donum linguarum. In primitiua ſiquidem Eccleſia alij accipiebant a Spiritu ſancto donum linguarum, alij donum prophetiæ. Corinthij autem valde appetebant donū linguarū.

Donum prophetiæ præfertur dono linguarum

Vbi aduerte quòd vniuerſus textus iſte loquitur proprie de dono linguarum, & dono prophetiæ: vt tractando textus ipſe teſtatur. Et ſcito ex eodem tractatu quòd de ratione doni linguarum, nec erat intelligi ab alijs, nec etiam intelligi ab ipſo loquente verba quæ donum porrigebat: ſed accipiens donum linguarum mouebatur à Spiritu ſancto ad loquendum magnalia Dei prout Spiritus ſanctus dabat ei loqui: nec ſolum mouebatur lingua ad proferendum illa verba, ſed ſimul mouebatur

Donum linguarum quale.

à Spiritu ſancto affectus loquentis in Deum motu cuiuſdam deuotionis ad laudandum Deum. Hæc omnia ex textu habentur.

Nec ex his accipias quòd Apoſtoli loquentes linguis non intelligebant quæ dicebant: quoniam Apoſtoli non ſolùm linguarum dono donati, ſed Spiritu ſancto repleti ſunt, & donum interpretandi ſimul habebant: quoniam ad hoc datæ ſunt illis linguæ, vt non egerent interprete prædicantes diuerſarum linguarum hominibus: hæc enim quæ hic a Paulo dicuntur, ſunt de dono linguarum puro intelligenda, vt textus etiam explicat.

QVI ENIM LOQVITVR LINGVA. Antequam Verſ. 2.
probet, *magis autē vt prophetetis*, præmittit differentiam duplicem inter donum prophetiæ, & donum linguarum. Altera eſt quòd qui loquitur linguâ, NON HOMINIBVS LOQVITVR, nec ſibi, nec alteri homini intelligenti quandoque. SED DEO. Intelligenti. NEMO ENIM AVDIT. Ecce quare hominibus non loquitur, quia contingit quandoque quòd nullus homo intelligibiliter audit. SPIRITVS, pro *ſpiritu*, AVTEM LOQVITVR MYSTERIA. Ad excludendum etiam loquentem intelligere, dicit quòd loquitur myſteria, occulta Dei, non ex propria mente, ſed *ſpiritu*, proculdubio ſancto, mouente ſpiritum hominis loquentis ad loquendum occulta Dei.

Differentia duplex inter donum prophetiæ & linguarum.

NAM QVI, pro *qui autem*. PROPHETAT, HO- Verſ. 3.
MINIBVS LOQVITVR. Ecce differentia. AD ÆDIFICATIONEM. Superfluit *ad*. Bene nota quòd loquens lingua non ſolum differt a prophetante: quia ille non hominibus, iſte hominibus loquitur: ſed etiam quia ille loquitur myſteria (hoc eſt, occulta) iſte verò loquitur ad ædificationem. ET EXHORTATIONEM ET CONSOLATIONEM. Loquitur prophetans manifeſta verba ædificatoria & exhortatoria, & conſolatoria. Et *ædificatio* quidem ad effectum ſpectat, *exhortatio* verò ad robur in bono, *conſolatio* autem ad refrigerium in perpeſſione malorum. Vbi cerne materiam veræ prophetiæ non eſſe loqui vana, ſed quæ ſunt ædificationis, aut exhortationis, aut conſolationis ſpiritualis. Hæc eſt prima differentia.

QVI LOQVITVR LINGVA. Ecce ſecunda diffe- Verſ. 4.
rentia. SEMETIPSVM ÆDIFICAT. Accendit enim affectus proprius loquentis erga Deum, largitorem tanti doni. QVI AVTEM PROPHETAT, ECCLESIAM DEI ÆDIFICAT. Superfluit *Dei*: quamuis ſubintelligatur. Differētia clara eſt.

VOLO AVTEM OMNES VOS LOQVI LINGVIS: Verſ. 5.
MAGIS AVTEM PROPHETARE. Ne ex dictis differentiis aſpernari videretur donum linguarum, aſſerit placere ſibi quòd in omnibus ſit donum linguarum, magis tamen placere quòd in eis ſit donum prophetiæ. NAM MAIOR EST QVI PROPHETAT QVAM QVI LOQVITVR LINGVIS. Ecce ratio. NISI FORTE INTERPRETETVR. Superfluit *forte*. Hic eſt textus, vnde clarè ſumitur quòd de ratione doni linguarum non eſt quòd ipſe loquens intelligat ſua verba: nam ſi intelligeret, non diceret Paulus de loquente linguis *niſi interpretetur*: hoc eſt, niſi exponat verba quæ loquitur: niſi habeat donum interpretandi verba quæ loquitur. Talis enim qui habet vtrumque donum non poſtponitur prophetæ: quoniam interpretatio eſt ad ædificationem Eccleſiæ: vt clare ſubditur, dicēdo,

Donum linguarum cum dono interpretandi non poſtponitur prophetiæ.

VT ECCLESIA ÆDIFICATIONEM ACCIPIAT. Hic eſt enim fructus interpretationis, quem non habet donum linguæ purum.

Verſ. 6. NVNC AVTEM FRATRES. Declarat Paulus quod dixerat quòd loquens linguis non ædificat Eccleſiam, multiplici argumento: & primo à ſeipſo. SI VENERO AD VOS LINGVIS LOQVENS, QVID VOBIS PRODERO: quaſi dicat, nihil. NISI VOBIS LOQVAR: intelligentibus. AVT IN REVELATIONE: diuinorum ſecretorum, quæ ſolâ reuelatione noſcuntur. AVT IN SCIENTIA, eorum quæ ſpectant ad ſacras ſcripturas; hæc eſt enim ſcientia ſanctorum. AVT IN PROPHETIA, futurorum, ſeu occultorum cordium. AVT IN DOCTRINA, morum.

Verſ. 7. TAMEN, pro *quin &c.* Secundum argumentum ad idem ex inſtrumentis muſicis affert. QVÆ SINE ANIMA SVNT VOCEM DANTIA: hoc eſt, inſtrumenta muſica: quæ dicuntur emittere vocem pro quanto ſimilitudines quaſdam vocum ingerunt, dum arte humanâ muſicam reſonant. SIVE TIBIA. Et in hoc intellige genus inſtrumentorum muſicorum quæ flatu ſonant. SIVE CITHARA. Et in hoc comprehenduntur inſtrumenta quæ tactu ſonant. NISI DISTINCTIONEM SONITVVM, pro *ſonis*, DEDERINT: hoc eſt, niſi ſoni dearticulentur ad ſimilitudinem vocum muſicarum. QVOMODO SCIETVR ID QVOD CANITVR. Deeſt *tibia*, AVT CITHARIZATVR? Clarum eſt enim quòd niſi dearticuletur ſonus citharæ non diſcernitur quod canitur. Si namque confusè ſonaret, nullus cantus diſcerneretur in eo.

Inſtrumenta muſica alia flatu, alia tactu ſonant.

Verſ. 8. ETENIM SI INCERTAM VOCEM TVBA DEDERIT, QVIS PARABIT SE AD BELLVM? Declarat amplius exẽplo à ſono tubæ: quæ aliter ſonat cùm vocat ad prælium, aliter cum cauſa lætitiæ, aliter cùm ad conueniendum. Et propterea ſi vocem non determinatam ad hoc, vel illud, ſed incertam dederit, nullus accinget ſe ad prælium.

Verſ. 9. ITA ET VOS PER LINGVAM. Hoc eſt, per donum linguæ, NISI MANIFESTVM SERMONEM DEDERITIS. Hoc eſt, niſi intelligibilem aliis ſermonem protuleritis, aut interpretati fueritis. QVOMODO SCIETVR ID QVOD DICITVR? Quaſi dicat, nullo modo. ERITIS ENIM IN AERA LOQVENTES. Prouerbium vſitatum inducit, pro inconuenienti comitante loquentes linguis ſine intellectu, aut interprete.

Verſ. 10. TAM MVLTA. Tertium affert argumentum ad idem, ducens ad inconueniens. VT PVTA. Dictionem Græcam interpretatam *puta*, alij interpretantur *verbi gratia*, alij *vt contingit*. Et hoc magis quadrat ſententiæ textus: ſignificatur enim innumera multitudo idiomatum, vt contingit. GENERA LINGVARVM, pro *vocum*, SVNT IN MVNDO. Superfluit *hoc*. ET NIHIL SINE VOCE EST. Hoc eſt, & nullum hominum genus ſine idiomate ſuo eſt. Et affert hæc vt intelligamus quòd eſſe barbarum eſt eſſe relatiuum, & nullum hominem eſſe abſolutè barbarum: quoniam in omni genere ſunt homines communicantes in idiomate, ac per hoc inter ſe nullus eſt barbarus: hinc enim properat ad deducendum inconueniens, dicendo,

Eſſe barbarũ eſt quid relatiuum, nã abſolutè nullus eſt barbarus.

Verſ. 11. SI ERGO NESCIERO VIRTVTEM VOCIS, ERO EI CVI LOQVAR. Pro *qui loquitur*: hoc eſt, loquenti. BARBARVS. Ego audiens, & non intelligens ſignificatum vocis, ero barbarus loquenti, & è conuerſo. ET QVI LOQVITVR, ERIT MIHI BARBARVS. Hoc eſt illud inconueniens ad quod deducit, quòd cùm quis loquitur linguis non intelligenti, vterque eſt alteri barbarus: & loquens audienti, & audiens loquenti: vt vel ex hoc abominabili nomine abducat Corinthios à tanto affectu doni linguarum.

SIC ET VOS QVONIAM ÆMVLATORES ESTIS Verſ. 12.
SPIRITVVM. Prudens Paulus tacitâ applicatione barbari ad Corinthios loquentes linguis non intelligentibus, & abſque interprete, vertit applicationem cum illorum laude ad ſuadendum vt quærant maius bonum. Ac ſi apertiùs dixiſſet: ſic & vos vitantes hæc, quia æmulatores eſtis donorum ſpiritualium; hoc enim ad laudem illorum ſpectat. AD ÆDIFICATIONEM ECCLESIÆ QVÆRITE VT ABVNDETIS. Non dicit quærite vt prophetetis ad ædificationem Eccleſiæ, ſed abſolutiùs, quærite vt abundetis donis ſpiritualibus ad ædificationem Eccleſiæ: poterant enim hoc habere etiam ſine prophetia, habendo cum dono linguarum donum interpretandi. Vnde & ſubiungit:

ET IDEO, vt abundet ad ædificationem Ec- Verſ. 13.
cleſiæ. QVI LOQVITVR LINGVA, ORET VT INTERPRETETVR. Ecce via qua quærendum eſt abundare ad Eccleſiæ ædificationem, oratio deprecatiua ad Deum pro dono interpretandi.

NAM SI OREM LINGVA. Hactenus Paulus Verſ. 14.
declarauit quòd qui loquitur linguâ non ædificat Eccleſiam niſi interpretetur: quod in ſecunda differentia inter linguam & prophetiam dictum fuerat, modò declarat illud quod in prima differentia dixerat: ſcilicet *qui loquitur linguâ, non loquitur hominibus, ſed Deo*: & primo quòd non loquitur ſibiipſi qui orat linguâ. SPIRITVS MEVS ORAT, MENS AVTEM MEA SINE FRVCTV EST. Ne intelligeres de Spiritu ſancto, ſed de proprio orantis ſpiritu dicit *ſpiritus meus*. Quemadmodum loqui lingua eſt loqui ſecundum donum linguæ purum, ita orare linguâ eſt orationem vocalem ad Deum fundere ſecundum donum linguæ purum. *Spiritus meus*, vt diſtinguitur contra mentem meam, eſt pars affectiua, vt ad ſpiritualia, ad Deum ſummè ſpiritualem affecta eſt impulſu Spiritus ſancti: *mens* verò *mea*, pars eſt intellectiua vt meditatur, contemplatur, & penetrat. Teſtatur enim experientia quòd cùm aliquis Latinæ linguæ expers, à Spiritu ſancto monetur ad orandum Latinè (puta ad dicendum Pſalmum, *Miſerere mei Deus*) ſpiritus quidem eius, hoc eſt, pars affectiua, orat (deuotione ſiquidem accenditur ad Deum, & ſpiritualem gratiam remiſſionis peccatorũ) mens autem eius, hoc eſt intellectus, non meditatur ſenſum verborum quæ dicit, non contemplatur ſignificata per illa, non penetrat illa, & propterea mens quatenus mentis exercet officium penetrandi ſignificata eorum, quæ dicit orando, eſt ſine fructu proprio, qui eſt paſci ſenſibus, ſeu ſignificatis orationis. Hæc eſt ſententia Pauli: Cum qua tamen ſtat quòd plus fructus communis (qui eſt lumen Dei circa ea quæ ſunt propriæ ſalutis) percipiat mens talis orantis ex feruore ſpiritus in Deum quàm percipiat orans Theologus ſciens & penetrans ſenſus omnes illius Pſalmi.

Quæ hic diſtinctio inter ſpiritum & mentem.

QVID ERGO EST? Interrogatio eſt ad inqui- Verſ. 15.
rendum

rendum an propterea non eſt bonum orare lingua quam orans non intelligit. ORABO SPIRITV, ORABO ET MENTE: PSALLAM SPIRITV, PSALLAM ET MENTE. Sufficiebat propoſito dicere *pſallam ſpiritu, pſallam & mente*; nam de vocali oratione ſermo erat: & *pſallere* cum idem ſit quod *canere*, orationem ſonat vocalem. Verum abundantius doctrina Paulus explicat quòd melius eſt tam ſolà interna oratione quam oratione vocali orare, vtroque modo (ſcilicet ſpiritu & mente) quam ſpiritu tantum: vt ſimul doceret & bonum eſſe orare ſpiritu, & melius eſſe orare ſpiritu & mente, etiam in oratione pure interna: vt cum perſona indocta ſpirituali feruore orat, intùs tantum animum eleuando in Deum quaſi in genere, & in confuſo; perſona autem erudita non ſolùm ſpiritum, ſed mentem diſtinctè contemplantem diuina myſteria eleuante: de hoc enim orandi modo dicit *orabo ſpiritu, orabo & mente*.

Pſallere idem quod canere

Verſ.16. CÆTERVM SI BENEDIXERIS SPIRITV. Oſtendit quòd nec hominibus aliis loquitur ex hoc quod vtens dono linguæ in oratione publica incurrit inconueniens: ſcilicet quòd caret reſpondente. Benedicere ſpiritu eſt laudare Deū aliena lingua ex dono ſpiritus. QVI SVPPLET, pro *qui implet*, LOCVM IDIOTÆ, QVOMODO DICET AMEN. *Idiota* Græca dictio eſt, & illiteratum ſignificat. Et de tali dicit quomodo dicet *amen*: quod ſignificat *fiat*, ſeu *verè*: quomodo conſentiet affirmando, ſeu cupiendo. SVPER TVAM BENEDICTIONEM, pro *gratiarum actionem*: Et rationem ſubdit: QVONIAM QVID DICAS NESCIT. Et ne intelligeres reprehendi à Paulo huiuſmodi diuinas laudes ſubiungit.

Benedicere ſpiritu, quid.

Verſ.17. NAM TV QVIDEM BENE GRATIAS AGIS. In quo & laudat opus, & explicat quod dixerat quòd loquens linguà loquitur Deo. SED ALTER NON ÆDIFICATVR. In quo deficit lingua à prophetia. Ex hac Pauli doctrina habetur quòd melius ad ædificationem Eccleſiæ eſt orationes publicas quæ audiente populo dicuntur dici lingua communi clericis & populo, quam dici Latinè.

Verſ. 18. GRATIAS AGO DEO, Deo eſt *meo*. Expeditis differentiis inter prophetiam & linguam, tractat quod principaliter propoſuerat, *magis autem vt prophetetis*. Et primò ab exemplo proprio. QVOD OMNIVM VESTRVM LINGVA LOQVOR, pro *omnibus vobis magis linguis loquor*: Ego magis loquens linguis quam omnes vos, gratias ago Deo meo. Vbi aperit quod donum linguarum ipſe ſolus magis habet quam omnes illi, & quòd gratias agendo Deo vtitur illis non inutiliter coram aliis, & propterea ſubiungit aduerſatiue.

Verſ. 19. SED IN ECCLESIA. In conuentu aliorum. VOLO QVINQVE VERBA IN SENSV MEO, pro *mente mea*, LOQVI, VT ET ALIOS INSTRVAM QVAM DECEM MILLIA VERBORVM IN LINGVA. Malo pauca verba à me intellecta, & ad eruditionem aliorum in Eccleſia dicere quàm innumera ſolo dono linguæ. Ecce exemplum proprium. Vnde diſcere debemus eligibilius eſſe vt in Eccleſia dicantur diuina (horæ ſcilicet Canonicæ & Miſſæ) intelligibiliter ſine melodia muſica, quam ſic vt non intelligi poſſint, qualiter ſunt tam particulæ quæ ſonis committuntur organorum, quam quas cantus reddit imperceptibiles vel multitudine clamoris occupantis, vel qualitate cantus notas magis, quam verba concinentis. Hæc enim omnia magis extranea ſunt quam decem millia verborum in lingua.

Eligibilius eſt vt in Eccleſia dicantur diuina intelligibiliter ſine melodia muſica quam ſic vt non intelligi.

Verſ.20. FRATRES NOLITE PVERI EFFICI SENSIBVS. Si non mouemini ab exemplo meo, moueamini ex puerili ætate quam induitis ſi non diſcernitis inter donum linguæ & prophetiæ, quod eorum eſt melius. Pueri ſenſibus ſunt qui imitantur pueros in hoc quòd non diſcernunt inter bonum & melius. SED MALITIA PARVVLI ESTOTE. Paruuli malitia ſunt qui maligno carent animo imitantes in hoc pueros. SENSIBVS AVTEM PERFECTI ESTOTE. Perfecti ſenſibus ſunt qui pro conſuetudine ſancta exercitatos habent ſenſus mentis ad diſcretionem boni & mali: quemadmodum viri perfecti in ætate maiori habent ſenſus humanos ad diſcretionem boni & mali humani. IN LEGE ENIM SCRIPTVM EST. Eſa.28. Appellat enim legem totum vetus Teſtamentum.

Pueri ſenſibus qui nam?

Qui ſint paruuli malitia.

Perfecti ſenſibus qui.

QVONIAM, pro *quia* IN ALIIS LINGVIS: hoc eſt, variis linguis. ET LABIIS ALIIS: hoc eſt diuerſis modis proferendi. LOQVAR POPVLO HVIC. Hebræo. ET NEC SIC EXAVDIENT ME: obediendo. DICIT DOMINVS. Vbi aduerte quòd Paulus induxit hæc ex Eſaia quoad ſenſum: & coniunxit illam particulam, *& nec ſic exaudient me*, quæ ibidem habetur interpoſitis tamen quibuſdam verbis: particulam vero illam *dicit Dominus*, Paulus appoſuit exponendo hæc verba in perſona Dei dicta. Quorſum autem hanc ſententiam attulerit, ſubiungit: Verſ.21

ITAQVE LINGVÆ IN SIGNVM SVNT, NON FIDELIBVS: id eſt, non credentibus. SED INFIDELIBVS: hoc eſt, incredulis. PROPHETIÆ, pro *prophetia*, AVTEM NON INFIDELIBVS, SED FIDELIBVS. Ex allata Eſaiæ ſententia deducit Paulus differentiam inter prophetiam & linguas, penes eos quibus hæc in ſignum data ſunt à Deo. Et intendit ad literam quòd donum linguarum datum eſt à Deo in ſignum Hebræo populo tempore infidelitatis eorum ad confutandum eorum incredulitatem: prophetia verò data eſt eidem populo tempore fidelitatis eorum. Si diſtinxeris ſtatum Hebræi populi in ſtatum quo veram habuit fidem, & ſtatum quo de ſtatu fidelium tranſiuit ad ſtatum infidelium, percipies hæc: nam perſpicies quòd innumeri prophetæ dati ſunt populo illi, dum erat in ſtatu veræ fidei: cum autem occiſo Chriſto increduli, & in conſortium infidelium tranſirent, aduenit Spiritus ſanctus in dono variarum linguarum in die Pentecoſtes. Ita quòd differentia linguarum & prophetiæ quam ponit hic Paulus, penes ſtatum Iudaici populi intelligitur. Et dixit hoc vt Corinthij, non pueri ſenſibus, ſed perfecti diſcernerent ex diuerſo ſtatu populi Hebræi quo data eſt eis prophetia, & quo datum eſt eis donum linguarum, quantum præeminet prophetia linguis. Defertur enim prophetiam ſanctorum populo illi, vtpote fideli: donum autem linguarum infructuoſum eidem populo, vtpote nec ſic credenti vero Meſſiæ, imò ex tunc tranſferens eos in genus infidelium. Hoc enim deducit Paulus dicendo, quòd *in ſignum ſunt infidelibus*, in ſignum procul dubio Meſſiæ incredulis Iudæis. Et hunc eſſe ſenſum intentum à Paulo, apparet ex

Verſ. 22.

Linguæ infidelibus; Prophetia fidelibus;

Quomodo?

ex hoc quòd in genere loquendo de credentibus & incredulis ſtatim ſubiungit oppoſitum de prophetia, dicendo quòd prophetia incredulos conuertit. Et in Actis Apoſtol. donum linguarum datum eſſe conſtat Cornelio, & ſuis credentibus, & coram credentibus: imò in ſignum Petro, & Eccleſiæ fidelium, quod Spiritus ſanctus effuſus eſſet in nationes: vt patet Act. 10. & 11.

Verſ. 23. *Prophetia incredulos conuertit, non autem lingua.* SI ERGO CONVENIAT VNIVERSA ECCLESIA IN VNVM, ET OMNES LINGVIS LOQVANTVR. Accumulat rationes ad præferendum prophetiam linguis ex accidentibus in publica Eccleſia eorum: vt vel ſic præferant prophetiam linguis. Sententia eſt clara. INTRENT AVTEM IDIOTÆ, AVT INFIDELES, NONNE DICENT QVID INSANITIS? pro *quod inſanitis*: eſt enim ſenſus eos affirmaturos quòd inſanitis.

Verſ. 24. SI AVTEM OMNES PROPHETENT, INTRET AVTEM QVIS INFIDELIS, VEL IDIOTA, CONVINCITVR, pro *coarguitur*, AB OMNIBVS, DIIVDICATVR AB OMNIBVS. Si omnes loquimini linguis, vos arguemini ab idiota, ſeu infideli, quod inſanitis: ſi verò omnes prophetis, erit è conuerſo: quandóquidem ipſe idiota, aut infidelis coarguitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus prophetis (vt in hoc eodem capitulo Paulus dixit) loquentibus ædificationem & exhortationem, & conſolationem ſpiritualem, idiota aut infidelis audiens conferendo vitam ſuam, ſuperſtitiones ſuas, & affectus ſuos cum iis quæ audit, arguitur in ſeipſo, & diſcutitur in ſeipſo.

Verſ. 25. OCCVLTA ENIM, pro *& ſic occulta*, CORDIS EIVS MANIFESTA FIVNT. Non dicit cui manifeſtantur: progreſſus tamen ſuſceptæ reprehenſionis & diſcuſſionis habet vt ſibiipſi manifeſtet occulta cordis proprij: hoc eſt, peccata quæ neſciebat eſſe peccata, manifeſtet ſibi quòd ſunt peccata. Culturam ſiquidem idolorum infidelis reputat eſſe religionem: idiota verò aliquod aliud ſibi occultum, peccatum dicit. ET ITA CADENS IN FACIEM ADORABIT DEVM. Ecce vlterior progreſſus ad conuertendum infidelem, vel ad illuminandum ineruditum. Primò enim arguitur & diſcutitur, & hinc deinde in notitiam occulti proprij criminis venit: atque inde procidit in faciem adorans Deum: & demum, PRONVNTIANS QVOD VERE DEVS IN VOBIS SIT.

Verſ. 26. QVID ERGO EST FRATRES? Poſtquàm declarauit *linguis autem et prophetetis* declarat quod primò propoſuerat, *æmulamini ſpiritualia*: inſtructurus eos circa vſum ſpiritualium donorum. Continuat autem dicta dicendis ſub quæſtione inferendo, *quid ergo* ex dictis eſt agendum? Et ſubiungens quomodo agendum in Eccleſia ait, CVM CONVENITIS. Ecce Eccleſia. VNVSQVISQVE VESTRVM: Non dicit aliquis veſtrum: ſed quilibet veſtrum. PSALMVM HABET: non dicit *pſallit*. Et ſimiliter ſubiungendo, DOCTRINAM HABET, APOCALYPSIM HABET, LINGVAM HABET, INTERPRETATIONEM HABET. Non dicit docet, reuelat, loquitur, interpretatur: vt intelligamus quòd loquitur de habere communem pſalmum, doctrinam, reuelationem, linguam, ac interpretationem. Et eſt ſenſus, quòd cùm conuenitis, vnuſquiſque veſtrum habet in conuentu hæc quinque, ad quod verificandum ſatis eſt quòd in conuentu ſit aliquis doctor, aliquis habens donum linguæ, aliquis habens donum interpretandi, & ſic de reliquis: hoc enim ſufficit ad hoc vt quilibet habeat hæc in communi. Spirituales ſiquidem diuitias Eccleſiæ Corinthiorum deſcribit Paulus dicendo *cùm conuenitis*, ad ſignificandum qualiter vnuſquiſque hæc habet, ſcilicet in conuentu. Quorſum autem hæc deſcribat explicat dicendo: OMNIA AD ÆDIFICATIONEM FIANT: nihil fiat vane, ſed ad Eccleſiæ Chriſti promotionem in ſpirituali vita. *Omnia fiant ad ædificationem.* Interpres Græcas dictiones reliquit *pſalmum* & *apocalypſin*: cùm potuiſſet Latine dicere *canticum* loco pſalmi, & *reuelationem* loco apocalypſis. Et intellige per *reuelationem* reuelationes quæ tunc temporis fiebãt illis qui prophetabant: ſubiungit enim de iſtis, *quod ſi alteri fuerit reuelatum*: per *canticum* verò non ſolùm Dauidicos Pſalmos, ſed quoſcunque diuinos hymnos: per doctrinam autem, non ſolum morum, ſed ſacrorum quorumcunque.

SIVE LINGVA QVIS LOQVITVR. Diſponit modum vtendi dono linguarum: primò quantùm ad numerum loquentium. Verſ. 27. *Modus vtendi dono linguarum.* SECVNDVM DVOS, AVT MVLTVM, pro *plurimum*, TRES. Numerum ſtatuit binarium, aut ad ſummum ternarium, qualibet vice quã fit conuentus. Deinde quantùm ad tempus. ET PER PARTES, pro *& ſeparatim*, hoc eſt, & non ſimul duo loquantur, ſed ſeparatim. Poſtea quantùm ad fructum. ET VNVS INTERPRETETVR: quod aliena lingua dictum eſt, vt ab omnibus intelligatur quid dictum fuerit. Denique in euentu abſentis interpretis.

SI AVTEM NON FVERIT INTERPRES, TACEAT IN ECCLESIA. Verſ. 28. *Interpretatio non eſt de ratione doni linguæ.* Hinc clarè habetur, quòd de ratione doni linguæ non erat quòd ipſe loquens ſciret interpretari in materna lingua quæ dicebat. Corinthiis enim loquentibus linguis dicit, *Si autem non fuerit interpres taceat in Eccleſia*. Si Corinthius quilibet habens linguarum donum ſciuiſſet interpretari idiomate Corinthio quæ dono linguarum dicebat, non oportuiſſet ſolicitum eſſe Paulum ſi defuerit interpres, non impoſuiſſet illi ſilentium in Eccleſia: quoniam ipſemet loquens aderat interpres ad Eccleſiæ ædificationem. SIBI AVTEM LOQVATVR ET DEO. Dixi, *taceat in Eccleſia*, & non dico vt taceat penitus: quoniam poteſt vti dono linguarum priuatim loquendo ſibiipſi in ſpiritu, non in mente, vt ſuprà dictum eſt, & propterea adiungit, *& Deo*: vt intelligamus quòd concedit non vanum vſum doni linguarum, ſed vſum religioſum in oratione in qua homo loquitur Deo, & ſibiipſi in ſpiritu.

PROPHETÆ AVTEM DVO, AVT TRES DICANT. Verſ. 29. *Vſus doni prophetiæ.* Diſponit de vſu doni prophetiæ in conuentu. Et intellige *dicant*, non ſimul, ſed ſucceſſiue. ET CÆTERI DIIVDICENT. Ne profitens ſe prophetam fallat, aut fallatur, ſtatuit quòd cæteri diſcernant, diſcutiantve dicta.

QVOD SI ALII REVELATVM FVERIT SEDENTI. Verſ. 30. Audientes ſedere, prophetante ſtante ſignificant, dicendo quòd *ſi alij ſedenti*: & cùm hoc ſignificat nouam tunc in actu ſedendi reuelationem factam. Ita quòd duos modos prophetandi inſinuat, alterum velut ordinarie prophetantium dicendo præparata ex præhabitis reuelationibus, & de talibus ſtatuit, *duo, vel tres dicant*. Alterum repentinã tunc ibidem reuelatione motorum ad prophetandum,

tandum, & de talibus ſtatuit hoc. PRIOR TACEAT. Statuit quòd cedat præparata perlaturus repentinæ reuelationi tunc ibidem factæ: tanquam Spiritus ſanctus elegerit locum ad tempus manifeſtandi illam reuelationem.

Verſ. 31. POTESTIS ENIM OMNES PER SINGVLOS. pro, *ſigillatim*, PROPHETARE. Ne aut ægre ferat qui cœperat præparata dicere prophetando, impoſitum ſibi ex ſtatuto ſilentium pro tunc, aut Eccleſia cauſetur quòd impediatur doctrina per hoc ſtatutum, ſubiungit quòd tempus ſuppetet quo omnes ſigillatim poterunt prophetare, & hoc quoad prophetantes impeditos tunc. VT OMNES DISCANT ET OMNES EXHORTENTVR. Et hoc quoad profectum Eccleſiæ, tam quoad intellectum diſcendo, quàm quoad effectum exhortationem accipiendo.

Verſ. 32. ET SPIRITVS PROPHETARVM PROPHETIS SVBIECTVS EST. pro, *ſubiiciuntur*. Eſt enim numeri pluralis *ſpiritus*, & non ſignificatur Spiritus ſanctus, ſed ſignificantur ſpiritus proprij, dona propria Prophetarum quæ à Spiritu ſancto accipiunt. Non ſunt veri Prophetæ furioſi nec ſui impotes cùm prophetant, ſed dona Spiritus ſancti quæ accipiunt, ſubiiciuntur libertati Prophetarum quoad vſum; poſſunt enim habito dono vti & non vti dicendo vel ſilendo. Et dixit hoc occurrendo obiicere volentibus contra ſtatutum quòd prophetantes non poſſunt ſe continere quin proſequantur cœpta.

Veri Prophetæ dum prophetant, non ſunt furioſi, nec ſui impotes.

Verſ. 33. NON ENIM EST DISSENSIONIS DEVS, SED PACIS. Si Prophetarum ſpiritus non ſubiicerentur Prophetis, Deus motor Prophetarum eſſet auctor diſſenſionis: eſſet enim cauſa turbati ordinis & confuſionis, multis ſimul prophetantibus inuitis: vbi enim multitudo ſine ordine, ibi confuſio, ibi diſſenſionis materia. Et propterea Paulus rationem reddit ſui dicti: quia Deus non eſt Deus diſſenſionis, turbationis & confuſionis, ſed pacis. SICVT IN OMNIBVS ECCLESIIS SANCTORVM DOCEO. Superfluit *doceo*.

Vbi multitudo ſine ordine, ibi confuſio.

Verſ. 34. MVLIERES. Deeſt *veſtræ*, IN ECCLESIIS TACEANT. Superiùs monuerat quòd mulier orans aut prophetans nudo capite, male facit, & per illud documentum correxit modum orandi aut prophetandi in mulieribus: modo penitus tollit a mulieribus prophetare in conuentu communi, vt intelligamus vtrumque, quod apud Corinthios agebatur, reprehendi à Paulo, tum modum prophetandi nudo capite, tum actum prophetandi in mulieribus. Et quemadmodum ſuperius reprehendendo modum illum, attulit pro authoritate conſuetudinem Eccleſiarum Dei, ita modò à more omnium aliarum Eccleſiarum inchoat monitionem, inſtruens & dicens, *mulieres veſtræ taceant in Eccleſiis*, hoc eſt, in congregationibus communibus (ſecus in conuentu aliquo particulari) quemadmodum in omnibus Eccleſiis ſanctorum mulieres tacent. NON ENIM PERMITTITVR IIS LOQVI. ſermone publico, qui conuenit præſidentibus, quale eſt prophetare in Eccleſia, aut loqui linguis in Eccleſia. SED SVBDITAS ESSE. oportet. SICVT ET

Mulieres in Eccleſiis taceant.

Geneſ. 3.16. LEX DICIT. in Geneſi, *Sub viri poteſtate eris*.

Verſ. 35. SI QVID AVTEM VOLVNT DISCERE, DOMI VIROS SVOS INTERROGENT. Quia ratio allata inhibet mulieribus loqui docendo publicè, & Paulus intendit imponere ſilentium totale mulieribus in Eccleſia: ideò adiungit de ſermone diſciplinæ quod nec interrogando vt diſcant, loquantur in Eccleſia: & ne in ignorantia maneant, ſi quid volunt diſcere, domi interrogent viros ſuos.

Non imponitur totale ſilentium mulieribus in Eccleſia.

Noli propter hoc documentum reprehendere Chriſtianum morem, quo mulieres interrogant in templo Dei patres ſpirituales vt diſcant: quoniam hic mos ſanctus eſt, nec eſt contra Pauli documentum. Æquiuocatur enim de Eccleſia: nam Paulus docet quòd in Eccleſia, hoc eſt, in communi conuentu, mulier nec ad docendum nec ad diſcendum loquatur: & hoc vbique ſeruatur: mos autem Chriſtianus habet quòd mulieres in Eccleſia, hoc eſt, in templo, loquantur & confitendo peccata ſua, & interrogando priuatè vt diſcant. Quòd autem prætermiſſis viris interrogant ſpirituales patres, hoc ex defectu virorum accidit, qui neſciunt mulieres docere: doctrina autem Pauli reſpicit ad id quod deberet eſſe, ſcilicet quòd viri ſint adeò inſtructi, vt poſſint etiam mulieres docere.

Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. Conſuetudini Eccleſiarum ſanctarum, authoritatique legis adiungit rationem ex turpitudine actus. Inuerecundia ſiquidem, turpis eſt mulieri: loqui autem in publico conuentu, ſiue docendo ſiue diſcendo, inuerecundæ eſſet mulieris: & propterea turpe eſt mulieri loqui in Eccleſia.

Turpe mulieri loqui in Eccleſia.

An à vobis ſermo Dei profectus eſt? Verſ. 36.
Si vos eſſetis caput diuini ſermonis (vt eſt Eccleſia Hieroſolymitana) poſſetis dicere quòd aliæ Eccleſiæ debent imitari vos, & non è conuerſo: ſed vos non eſtis à quibus ſermo diuinus incepit. An in vos ſolos peruenit? Rurſus ſi ſoli ſuſcepiſſetis ſermonem Dei, adhuc poſſetis dicere quid ad nos de conſuetudine aliorum, cùm aliæ Eccleſiæ non ſuſceperint verbum Dei: ſed nec hoc eſt verum.

Si quis videtur Propheta eſſe aut ſpi- Verſ. 37.
ritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis quoniam. pro, *quod*. Domini ſunt mandata. Domini authoritatem Domini apponit omnibus huiuſmodi mandatis de numero loquentium linguis & reliquis, conſtituendo cenſores talis authoritatis tam Prophetas (qui diuinis inſtruuntur reuelationibus) quam ſpirituales, qui ſectantur ſpiritualia dona, qui delectantur ſpiritualibus doctrinis, moribus, actionibus, ac honeſtatibus. Hi ſiquidem idonei ſunt ad cognoſcendum quòd hæc non voluntate aut authoritate, ſed Dominicis me conformando documentis ſcribo: ac per hoc Domini ſunt mandata vt à quo proficiſcuntur; non immediatè ſed mediantibus principiis quæ tradidit nobis.

Superius dicta ſunt mandata Domini teſte Apoſtolo.

Si quis autem ignorat, ignorabitur. Verſ. 38.
pro, *ignoret*. Nolo contendere cum non cognoſcentibus hæc eſſe mandata Domini, ſed ſi quis ignorat, ignoret.

Itaque fratres æmulamini prophetare, Verſ. 39.
& loqui linguis nolite prohibere. Tanquam perorando, ſummatim duo principaliter intenta documenta concludit. Alterum de affectu ad ſpiritualia dona, præferendo prophetiam linguis: quod vi verborum inſinuat, dum prophetiam æmulari, linguis autem loqui non prohibendum dicit. Alterum de modo:

Verſ. 40. OMNIA AVTEM HONESTE ET SECVNDVM ORDINEM FIANT IN VOBIS. Superfluit *in vobis*. Ecce modus ſeruandus, tum vt quælibet perſona, ac quælibet actio habeat quod ipſam decet, tum vt ordinate omnia fiant: hæc enim ſunt quæ mandauit per tot documenta.

CAPVT XV.

Verſ. 1. NOTVM AVTEM VOBIS FACIO FRATRES, EVANGELIVM QVOD PRÆDICAVI. pro, *euangelizaui* VOBIS. Poſtquam reprehendit quoſdam Corinthiorum abuſus, demum quoſdam eorum circa ipſam fidem errantes reprehendit. Errabant ſiquidem quidam non credendo generalem reſurrectionem mortuorum futuram. Et ne putarent aut obiicerent noua dogmata ſeu nouam doctrinam ingeri a Paulo ad aſtruendam reſurrectionem mortuorum futuram, inchoat ſermonem hunc, ad hoc ſcilicet quòd non notificat eis nouam doctrinam; ſed illudmet Euangelium quod olim eis prædicauit. QVOD ET ACCEPISTIS. Illudmet Euangelium vobis notifico circa reſurrectionem mortuorum, non ſolùm quod ego prædicaui, ſed quod & vos acceptaſtis fide. IN QVO ET STATIS: Illudmet eſt Euangelium cuius vos non pœnitet, ſed in quo conſiſtitis.

Errores quoſdam Corinthiorum circa fidem arguit D. Paulus.

Verſ. 2. PER QVOD ET SALVAMINI. Illudmet notifico Euangelium quod eſt adeò vtile quòd per ipſũ ſaluamini. QVA RATIONE PRÆDICAVERIM VOBIS SI TENETIS. Quia quod ſaluaremur per Euangelium pendet ex modo & forma credendi Euangelium (quod ſcilicet non ſolum mente, ſed integre, ſed factis teneatur) ideo huic effectui vltimo dicto (ſcilicet *per quod & ſaluamini*) apponit conditionem: ſi tenetis qua ratione prædicauerim vobis: hoc eſt, ſi tenetis Euangelium illamet ratione qua ego prædicaui vobis. Ac ſi apertius dixiſſet: Ego quidem prædicaui vobis ea ratione, ſcilicet vt ſaluemini. Et proptérea dico quòd vos ſaluamini, ſi tenetis eadem quà prædicaui vobis ratione: hoc eſt, ſi tenetis Euangelium ad ſalutem veſtram pro qua ego prædicaui. NISI FRVSTRA CREDIDISTIS. Appoſitio eſt exaggeratiua: ſubintelligendo repeti, *quà ratione prædicauerim vobis niſi fruſtra credidiſtis*. Eſt enim ſenſus; per quod & ſaluamini ſi non fruſtra credidiſtis quà ratione prædicauerim vobis. Fruſtra enim crediddiſſent ſi non credidiſſent ad ſalutem propriam, cuius ratione Paulus eis prædicauerat.

Verſ. 3. TRADIDI ENIM VOBIS IN PRIMIS. Declaraturus futuram reſurrectionem mortuorum contineri in Euangelio prædicato, acceptato, &c. reſumit illa contenta in Euangelio, & illis prædicata ex quibus habetur reſurrectio futura mortuorum, myſteria ſcilicet mortis & reſurrectionis Chriſti. Et dicit hæc tradidiſſe in primis, ordine doctrinæ. Incepit enim euangelizare a myſteriis Chriſti hominis, vt ſic deduceret ad myſteria Chriſti Dei: QVOD ET ACCEPI. non ego adinueni, ſed accepi per reuelationem Ieſu Chriſti. QVONIAM. pro, *quod*, CHRISTVS MORTVVS EST PRO PECCATIS NOSTRIS. quod Meſſias promiſſus in lege & Prophetis mortuus eſt vere ſecundum carnem, non pro aliquo ſuo peccato ſiue actuali ſiue originali, ſed pro peccatis noſtris. SECVNDVM SCRIPTVRAS. Ne figmentum Iudæi obiiciant eſſe, quod Meſſias mortuus eſt pro peccatis noſtris, dicit hoc fuiſſe prædictum ſcripturis Prophetarum. ET QVIA. pro, *quod*, SEPVLTVS EST. Hoc explicauit, tum ad ſignificandam veritatem mortis, tum ad firmandam veritatem reſurrectionis. Non ſepelitur enim niſi verè mortuus: & mirabilius eſt ſepultum reſurgere.

Reſurrectionem mortuorum probare intendit.

ET QVIA. pro, *quod*, RESVRREXIT TERTIA DIE SECVNDVM SCRIPTVRAS. Ruſſus dicit *ſecundum ſcripturas*, ne inexpectata reſurrectio Chriſti crederetur, ſed longe antè prædicta in ſcripturis Prophetarum. Ita quòd Prophetæ non ſolùm prophetauerunt, ſed etiam in ſcriptis reliquerunt hæc duo Meſſiæ myſteria: & mortem pro peccatis noſtris, & reſurrectionem tertia die. Verſ. 4.

ET QVIA. pro, *quòd*, VISVS EST CEPHÆ. hoc eſt Petro, Principi Apoſtolorum. Lucas meminit huius apparitionis, & omittit Paulus quòd apparuit mulieribus: quoniam non ſunt idoneæ teſtes reſurrectionis mulieres. ET POST HOC VNDECIM. pro, *deinde duodecim*. Huius apparitionis meminit Ioannes. Sed quia non erat tùnc duodecim ſed vndecim; quæſtio oritur quo pacto verificatur quod Paulus dicit *deinde duodecim*. Solutio eſt quod duodecim non eſt hic nomen numeri, ſed nomen ordinis Apoſtolici. Ipſe enim Ieſus ſtatuit primum Apoſtolicum ordinem duodenarium. Nec ſolus Paulus ſed etiam Ioannes vtitur nomine *duodecim* pro nomine illius primi Apoſtolici ordinis, dicens: *Thomas autem vnus ex duodecim*. Conſtat enim quòd tunc non erant niſi vndecim numero, ſed erat vnus ex ordine illo duodeno. Cum ergo dicitur *deinde duodecim*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, deinde ordini duodeno, ſeu illis qui erant duodeni ordinis. Verſ. 5.

Quomodo Paulus dicat Chriſtum apparuiſſe duodecim, cum fuerint tantum vndecim.

Ioan. 20. 24.

DEINDE VISVS EST PLVSQVAM QVINGENTIS FRATRIBVS SIMVL. pro, *ſemel*. Hæc apparitio aut in Euangelio ſcripta non fuit, aut illa eſt quam Matthæus commemorat in monte Galilææ conſtituto à Ieſu. Et hoc rationabilius creditur: quia illa in Galilæa apparitio eſt quæ ab Angelo ſeu ab Angelis in die reſurrectionis Domini fuit polliciṫa. Et Dominus ad hoc conſtituiſſe videtur locum illum quò conuenirent, vt omnes diſcipuli (hoc eſt, credentes in eum) ſimul ibidem adeſſent, quò abſque ſuſpicione quòd factioſi eſſent, poſſent vndique ſimul conuenire ad videndum Ieſum. Non enim erant a ſtunc virtute firmati ex alto. Verſ. 6.

Apparitio Chriſti poſt reſurrectionẽ ſuam 500. fratribus.

EX QVIBVS MVLTI MANENT VSQVE ADHVC. Ad confirmationem teſtimonij ſpectat quòd ſuperſtites aliqui ſunt teſtes. QVIDAM AVTEM DORMIERVNT. Ad fidem reſurrectionis ſpectat quòd mors ſomnus appellatur: quia ſurrecturi ſunt à morte, ſicut qui dormiunt ſurgunt a ſomno.

DEINDE VISVS IACOBO. Hæc non eſt ab aliquo Euangeliſta ſcripta. Et creditur Iacobus iſte non frater Ioannis, ſed qui dictus eſt frater Domini, qui Hieroſolymitanam rexit Eccleſiam. DEINDE APOSTOLIS OMNIBVS. tam duodenarij quàm ſeptuagenarij ordinis. Hæc viſio in die Aſcenſionis facta videtur, quæ a Luca ſcripta eſt. Cerne inter hæc quod Paulus nõ collegit omnes apparitiones diſcipulis factas. Multas enim omittit relatas ab Euangeliſtis. Verſ. 7.

Cui Iacobo viſus Chriſtus poſt reſurrectionem.

NOVIS

Verſ. 8. NOVISSIME AVTEM OMNIVM TANQVAM ABORTIVO VISVS EST MIHI. Quando hoc fuerit & vbi, neſcitur: nam in Actis Apoſtolorum, quãuis narretur Ieſum allocutum fuiſſe Paulum & auditum à Paulo, nunquam tamen narratur Ieſus viſus à Paulo, ſed potius oppoſitum, narratur quòd meridie circumfulſit Paulum & ſocios lux de cœlo, & lux tanta inuaſit Paulum, vt priuauerit ipſum actu videndi. Ne intelligeres quòd ſibi tanquam optimo reſeruauerit vltimã apparitionem, dixit *tanquam abortiuo*, tum extra legitimum tempus, tum præternaturali accidẽte nato. Paulus enim & extra tempus quo Apoſtoli inſtituti ſunt, & tanquam violentia intercedente vocatus ac inſtitutus eſt: vt patet Act. nono.

Verſ. 9. EGO ENIM SVM MINIMVS APOSTOLORVM. Ex humilitate quidem animi, ſed non mendaciter nec falsè dicit, quoniam quoad aliquid erat minimus: puta quoad hoc quòd non fuerat conuerſatus cum Ieſu, quòd poſtremò extra tempus legitimum adſcitus fuit ad Apoſtolatum. QVI NON SVM DIGNVS. pro, *idoneus*, VOCARI APOSTOLVS. Non ſolùm ſum minimus, ſed nec minimum locum inter Apoſtolos mereor: imò non ſum idoneus ſeu ſufficiens, vt nomen habeam Apoſtoli, nec ipſum nomen Apoſtoli mereor. QVONIAM PERSECVTVS SVM ECCLESIAM DEI. Ecce ratio indignitatis, commiſſum olim crimen contra Eccleſiam Dei. Hiſtoria perſecutionis ſcribitur in Actis Apoſtolorum.

Humilitas Pauli.

Verſ. 10. GRATIA AVTEM DEI SVM ID QVOD SVM. Partitur ſeipſum Paulus: & inde ex ſe, hinc ſe ex gratia Dei conſiderat. Et penès ſe ex ſe, dixit, *non ſum idoneus*, & perſecutionis crimen recognouit: penès ſe verò ex gratia, totum quod eſt, arrogat gratiæ. ET GRATIA EIVS IN ME. Legendum eſt, *Quæ eſt in me*, VACVA. pro, *inanis*, NON FVIT. Priùs gratiam Dei vt conſtitutiuam ipſius Pauli in eſſe ſpirituali, in eſſe Apoſtolico dixit: modò autem collatum ſibi eſſe Apoſtolicum, collatum ſibi eſſe ſpirituale (hoc enim ſignificatur dicendo *gratia eius quæ eſt in me*) deſcribit non fuiſſe inane relatum ad opus: hoc eſt, non fuiſſe otioſum. SED ABVNDANTIVS ILLIS OMNIBVS LABORAVI. Non ſolùm dicit, ſed laboraui, ad explicandum quòd non fuit inanis, ſed dicit, *ſed abundantius*, reſpectu aliorum Apoſtolorum, non aliquorum, ſed omnium, non collectiue, ſed ſingulorum. Non dicit, *ſed abundantius illis omnibus fructificaui*, ſed *laboraui*: quod teſtantur geſta ac perpeſſa ab ipſo & aliis quæ ſcripta ſunt. NON EGO AVTEM, SED GRATIA DEI MECVM. Deſunt quoque hic duæ dictiones, *Sed gratia Dei quæ eſt mecum*. Corrigit Paulus quod dixerat *ego laboraui*, tanquam ſibiipſi arrogans quòd laborauerit plus aliis: corrigit autem attribuendo laborandi operas non ſibi ſecundum ſeipſum, ſed gratiæ Dei quæ eſt cum eo, laborare faciens ipſum. Et ſignificanter dixit *quæ eſt mecum*, non *quæ eſt in me*: vt intelligamus gratiam Dei tunc opera efficere cum homo cooperatur gratiæ. Hominis enim cooperantis eſt dicere *gratia Dei quæ eſt mecum*: homo verò etiam vacans poteſt dicere *gratia Dei quæ eſt in me*.

Abundantius omnibus Apoſtolis laborauit D. Paulus.

Verſ. 11. SIVE IGITVR EGO SIVE ILLI. Tanquam digreſſus ab euangelizata reſurrectione Chriſti & viſione eius a tot, dixerat Paulus de ſeipſo quòd eſt minimus, &c. Et propterea rediẽs modò ad Euangelium euangelizatum tam illis quàm aliis, tam ab ipſo Paulo quàm ab aliis Apoſtolis, dicit quòd, ſiue ego, ſiue Apoſtoli alij, euangelizauerimus. SIC PRÆDICAVIMVS. pro, *prædicamus*: hoc eſt perſeueramus prædicãtes ſic eſſe: videlicet quòd Chriſtus mortuus eſt pro nobis, quòd reſurrexit, &c. ET SIC CREDIDISTIS. non prædicamus noua vobis aut nouiter credenda, ſed voſmet credidiſtis ſic eſſe vt diximus.

SI AVTEM CHRISTVS PRÆDICATVR QVOD RESVRREXIT A MORTVIS, QVOMODO QVIDAM DICVNT IN VOBIS QVONIAM. pro *quòd*, RESVRRECTIO MORTVORVM NON EST? Incipit declarare quòd reſurrectio mortuorum continetur in Euangelio illis prædicato, manifeſtando quòd continetur in reſurrectione Chriſti. Et propterea arguendo nonnullos inter Corinthios ſeminantes quòd non erit reſurrectio mortuorum, format conditionalem explicatis tantùm Antecedente & oppoſito Cõſequentis. Conditionalis ſiquidem intenta eſt, *Si Chriſtus reſurrexit, reſurgent & mortui*: oppoſitum autem Cõſequentis eſt quòd *reſurrectio mortuorum non eſt*. Paulus ſolùm explicat Antecedens: & ſubintellecto Cõſequente arguit contra affirmantes oppoſitum Conſequentis vt clarè patet in textu. Verſ. 12.

Argumentũ D. Pauli pro reſurrectione.

SI AVTEM RESVRRECTIO MORTVORVM NON EST, NEQVE CHRISTVS RESVRREXIT. Arguit ab oppoſito Conſequentis ad oppoſitum Antecedentis, & vltrà progreditur afferendo inconuenientia quæ ſequuntur ex oppoſito Antecedentis, dicendo: Verſ. 13.

SI AVTEM CHRISTVS NON RESVRREXIT. Ecce oppoſitum Antecedentis. INANIS EST PRÆDICATIO NOSTRA. Ecce primum inconueniens. INANIS EST ET FIDES VESTRA. Ecce ſecundum inconueniens. Et circa hæc duo inconuenientia aliquantulum Paulus immoratur. Et priùs exaggerando primum inconueniens, dicit: Verſ. 14.

INVENIMVR AVTEM ET FALSI TESTES DEI. quod lòngè peius eſt quàm eſſe prædicatores inanes. Quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. Et hoc vltimum confirmans ſubiungit: Verſ. 15.

Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Eiuſdem rationis cenſet Paulus eſſe quòd Chriſtus reſurrexerit & quòd mortui reſurgent: & ſimiliter contradictorias quòd mortui non reſurgent, & quòd Chriſtus non reſurrexerit. Verſ. 16.

Quòd ſi Chriſtus non reſurrexerit. Proſequitur ſecundum inconueniens, ſcilicet *inanis eſt & fides veſtra*. Proſequitur autem reſumendo ex quo ſequitur & ipſum, dum ſubiungit, VANA EST FIDES VESTRA. Et ratio repetendi eſt vt declaret quod dixit. ADHVC ENIM ESTIS IN PECCATIS VESTRIS. Superfluit *enim*. Exaggerando ſiquidem adiungit quòd non ſolum eſt vana fides veſtra, ſed adhuc eſtis in peccatis veſtris, ſi Chriſtus non reſurrexit. Et verè ſic eſſet, quia non eſſent deleta peccata eorum fide Chriſti. Verſ. 17.

Ergo & qui dormierunt in Chriſto. Auget ex hac parte inconuenientia: non ſolùm vos eſtis in peccatis veſtris, ſed etiam & Verſ. 18.

qui

qui iam mortui ſunt in fide Chriſti, PERIERVNT, non migrauerant ad vitam, ſed perierunt perdentes & hanc & illam vitam: vtpote in peccatis ſuis mortui.

Verſ. 19. SI IN HAC VITA TANTVM IN CHRISTO SPERANTES SVMVS. Accumulat inconuenientia: prius enim ab ipſis Corinthiis pendentibus, deinde à præteritis in Chriſto, & modo à ſeipſo & vniuerſis in Chriſto ſperantibus inconuenientia affert. Et aduerte quod dictio excluſiua *tantum*, iungenda eſt cum *hac vita*: ita quod diſtinctio facienda eſt poſt dictionem *tantum*. Et eſt ſermo de ſpe non ex parte actus ſperandi (quem conſtat eſſe ſolùm in hac vita) ſed ex parte rei ſperatæ. De hac enim inquit Paulus, quòd ſi in Chriſto ſperantes ſumus illud tantum, quod eſt in hac vita, MISERABILIORES SVMVS OMNIBVS HOMINIBVS. Et verè ſic eſt, quoniam in hac vita quicunque ſunt in Chriſto ſperantes, nihil habent ſibi promiſſum niſi ſupplicia, tormenta, vincula, carceres, &c. Aliis ſiquidem hominibus habentibus ſaltem bona huius vitæ, nos miſerabiliores eſſemus carentes & futuris & præſentibus bonis.

Si quæ ſunt huius vitæ ſperaremus tantum, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus.

Et ſcito quod interpres dictionem interpretatam *ſperantes*, non potuit participio præteriti temporis actiuo reddere, eo quòd lingua Latina caret illo.

Aduerte quod hæc vltima conditionalis Pauli *ſi tantum in vita hac ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*; ſolitariè dicta caret omni ſcrupulo, vt patet ex dictis: ſed relata ad propoſitam materiam de reſurrectione, habet difficultatem: eo quod dato quod nullus mortuus reſurrexit, neque reſurrecturus eſſet, adhuc poſſemus eſſe ſperantes in Chriſto in alia vita ratione animæ immortalis: nimis itaque ampliaſſe videtur Paulus negationem reſurrectionis, æquiparando ipſam negationi alterius vitæ. Solutio eſt quòd Paulus non æquiparat negationem reſurrectionis negationi alterius vitæ, aut è diuerſo, loquendo abſolutè, ſed loquendo relatiuè ad homines. Significanter enim dicit, *ſperantes ſumus*, *miſerabiliores ſumus*, proculdubio nos homines. Et ſignificantius explicat *omnibus hominibus*, vt de ipſis hominibus intelligamus, non de animabus hominum. Ego enim non ſum anima mea. Conſtat autem relatiuè ad ipſos homines loquendo paria eſſe, non reſurgere homines, & non eſſe aliam vitam hominum niſi iſtam.

Verſ. 20. NVNC AVTEM. Propoſitæ conditionalis hactenus Paulus proſecutus eſt progreſſum, à deſtructione Conſequentis ad deſtructionem Antecedentis, monſtrando inconuenientia quæ inde ſequuntur. Et ſupererat adhuc probanda ipſa conditionalis, ſcilicet *Si Chriſtus reſurrexit, reſurrectio mortuorum erit.* Et propterea hanc conditionalem modò manifeſtat affirmans Antecedens. CHRISTVS RESVRREXIT A MORTVIS. Ecce affirmatio Antecedentis. PRIMITIÆ DORMIENTIVM. Deficit, *factus eſt*, ſiue *fuit*. Ecce vis probationis conditionalis. Ex hoc enim quod Chriſtus reſurrexit a mortuis, non qualitercunque, ſed reſurrexit factus primitiæ dormientium, hinc ſequitur ex reſurrectione Chriſti reſurrectio mortuorum. Primitiæ enim relatiua ſunt ad ea quorum ſunt primitiæ. Et appellatur Chriſtus reſurgens primitiæ dormientium, eo quod primus reſurrexit ad vitam immortalem.

Chriſtus primitiæ dormientium.

Lazarus enim & reliqui priùs reſuſcitati ſurrexerunt ad vitam mortalem. Illi quoque de quibus Matthæus dicit, *& multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt*, non ante Matt. 27. 52.
Chriſtum ſurrexerunt, ſed Chriſti reſurrectionem ſubſecuti ſunt: vt ibidem declarauimus.

QVANDOQVIDEM PER HOMINEM MORS. Ne ſine ratione affirmatum appareat quòd Chriſtus reſurrexit factus primitiæ, probat hoc ratione. Verſ. 21.
ET PER HOMINEM RESVRRECTIO MORTVORVM. Ratio ſatis quadrat, vt quia vis hominis in malo tanta fuit, vt inferret mortem vniuerſo generi humano, peccante primo parente, par quoque eſt vt redintegretur genus humanum, vt non minor ſit vis hominis ad vitam generis humani, quàm fuerit ad mortem eiuſdem: alioquin non redintegraſſet Deus hominem.

ET SICVT. pro, *ſicut enim*, IN ADAM OMNES MORIVNTVR, ITA ET IN CHRISTO OMNES VIVIFICABVNTVR. Ecce ratio & explicatio ſimul quare per hominem oporteat eſſe reſurrectionem mortuorum, cum per hominẽ fuerit mors: quia in Chriſto reparatio eſt bonorum omnium quæ per peccatum Adæ perdita fuerunt. Et quẽadmodum non ipſe ſolus Adam mortuus eſt, ſed omnes ob peccatũ ipſius mortui ſunt: ita Chriſtus non reſurrexit ſibiipſi ſolùm, ſed per reſurrectionem eius omnes viuificabuntur vitâ corporali, quam omnes perdiderunt propter peccatum Adæ. Non enim peccatum Adæ potentius eſt ad hoc vt omnes moriamur, quàm reſurrectio Chriſti ad hoc vt omnes corpore viuamus: quod erit per reſurrectionem. Verſ. 22.

Adæ opponitur Chriſtus.

VNVSQVISQVE AVTEM IN SVO ORDINE. Dixerat quòd *omnes viuificabuntur*: ne hoc æqualiter intelligeretur, dicit quòd *vnuſquiſque viuificabitur in ſuo ordine*. Et quantũ ſubiuncta pandunt, ſermo eſt de ordine temporis. Et eſt ſenſus quòd vnuſquiſque viuificabitur tẽpore congruo ſtatui ſui ordinis. Tres ſiquidem ordines reſurgentium tempore non eodem ſubiungit. Et dixit huiuſmodi ſucceſſionis ordinem ad declarandam rationem temporis medij inter primitias & vniuerſitatem fructuum ſeu frugum; inter reſurrectionem Chriſti & reſurrectionem omniũ hominum. Ratio enim tangitur in hoc quod rationi congruit ſeruari ordinem, vt vnuſquiſque tunc reſurgat quando congruit ſtatui ordinis eius. PRIMITIÆ CHRISTVS. Ecce primus ordo in quo cum ipſo ſurrexerunt multa corpora ſanctorum qui dormierant, ad quem etiam ordinem ſpectare piè credimus reſurrectionem beatæ Mariæ Virginis. DEINDE II QVI SVNT CHRISTI QVI IN ADVENTV EIVS CREDIDERVNT. Legendum eſt, *Deinde ii qui ſunt Chriſti in aduentu ipſius*. Hoc eſt, iuſti, ad differentiam eorum qui ſunt Chriſti, in hac vita, profeſſione Chriſtiana, ſed non ſunt Chriſti in aduentu ipſius, cùm ſcilicet Chriſtus venit ad diſcutiendum facta eorum: quia tunc non inueniuntur Chriſti, ſed ſuimet, ſed diaboli. Et hic eſt ſecundus ordo. Verſ. 23.

Quiſque reſurget in ſuo ordine.

Tres reſurgentium ordines.

DEINDE FINIS. Ecce tertius ordo, in quo reſurgent etiam iniuſti. Et tunc erit finis vniuerſalis, quem deſcribit a duabus actionibus Chriſti præexigentibus multum temporis, inter primitias & vniuerſitatem fructuum oportere intercedere: vt clarè pareat ratio intermedij temporis. Altera eſt: CVM TRADIDERIT REGNVM Verſ. 24.
DEO

DEO ET PATRI. Chriſtum tradere regnum Deo & Patri, eſt Chriſtum ex vi ſui meriti perficere tunc membra regni ſui in ea diſpoſitione qua & ſit & appareat in omnibus Deum regnare in illis: hoc enim tunc primum erit, cùm perfecta erit reſurrectio mortuorum: & omnes tam ſecundùm animam quàm ſecundùm corpus ſic erunt diſpoſiti, vt & in iis quæ ſecundùm animam, & in iis quæ ſecundum corpus ſunt, & regnet Deus, & appareat Deum regnare in illis. Hoc eſt enim Chriſtum hominem tradere regnum Deo & Patri proprio, pro quanto hæc non merito purè humano, ſed ex vi filialis hypoſtaſis efficiet.

CVM EVACVAVERIT OMNEM PRINCIPATVM ET POTESTATEM ET VIRTVTEM. Ecce altera Chriſti actio, abolere omnem principatum, omnem poteſtatem, & omnem potentiam. *Virtus* enim potentiam hoc in loco ſignificat. Et ſiue intelligatur de magiſtratibus Angelicis, ſiue de magiſtratibus Eccleſiaſticis, ſeu humanis, literalis ſenſus eſt, quòd cùm erit finis, tollet Chriſtus omnes magiſtratus qui modò ſunt ad regimen humani generis. Ita quòd duo faciet: & aſſignabit regnum Deo, & tollet omne regimen quod modò eſt. Concludit autem omne regimen in his tribus, principatu, poteſtate & potentiâ: vt intelligamus & ſupremos & medios & infimos magiſtratus auferendos, comprehendendo etiam miniſtros exequentes publicâ poteſtate, appellatos potentiam tanquam nihil aliud habeant magiſtratus niſi quod poſſunt.

Omnes magiſtratus in fine tollet Chriſtus.

Verſ. 25. OPORTET AVTEM. pro, *nam oportet*, ILLVM REGNARE DONEC PONAT OMNES INIMICOS SVB PEDIBVS SVIS. Rationem reddit temporis medij inter Chriſtum immortalem primitias, & finem deſcriptum à duabus Chriſti actionibus. Et conſiſtit ratio in hoc, quòd oportet Chriſtũ regnare, donec ſubiiciat & deſtruat omnes inimicos ſuos. Et ſignificatur per *regnare* exercere vt regem decet, regni regimen. Ita quòd ſenſus eſt, quia oportet illum, Chriſtum hominem, humano more exercere regni regimen, id eſt, diſponere de regno, donec ſubiiciat omnia.

Tempus medium inter primitias & finem.

Hinc enim habetur in primis quòd oportuit Chriſtum reſurgere vt primitias, alioquin non regnaret ipſe homo: vnde & tunc dixit, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.*

Matth. 28.

Habetur ſecundò quòd oportet medium intercedere tempus, *donec ponat inimicos ſuos*, &c. inter reſurrectionem eius & reſurrectionem reliquorum: alioqui tempus finis & tempus quo proficit Chriſti regnum confunderentur: quoniam durante *donec*, eſt tempus profectus, & reſurrectio generalis eſt tempus finis.

Habetur tertiò quòd durante *donec*, tempus eſt profectus regni Chriſti: nam ponere inimicos ſub propriis pedibus, continet etiam cõuerſionem inimicorum ad ipſius deuotionem, ac ſubiectionem voluntariam.

Habetur quartò quòd durante *donec*, oportet eſſe principatus & poteſtates & potentias: hoc eſt, vniuerſos magiſtratus in regno Chriſti, per quos Chriſtus exercet ad profectum regni, regni regimen, & hoc *donec* completo, abolebit omnes magiſtratus, & aſſignabit regnum Deo.

Dicit autem *oportet* neceſſitate diuinæ definitionis, quam inſerta Pſalmi particula inſinuat vtendo Prophetiâ Dauidis *donec ponat* OMNES INIMICOS. Significantérque dicit *omnes*, vt nullum excludamus inimicum tam pœnalem quàm rationalem: & inuiti (qui inuiti ſubiiciuntur) & tranſeuntes ad iuſtitiam qui voluntariè ſubiiciuntur, comprehendantur. Omnes enim homines inimicos eſſe Chriſti alibi Paulus manifeſtat: dicens ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus, quod cum adhuc inimici eſſemus*, &c. Et dicit *ſub pedibus ſuis:* hoc eſt, pleniſſimè ſubiiciat ſibi omnes inimicos: nunc enim quamuis omnia ſubiecta ſint eius poteſtati, non tamen erga omnia exequitur ea quæ ſunt ſuæ poteſtatis, ſed paulatim exequitur, iſtos ſaluando, illos damnãdo; nunc hæc, nunc illa faciendo. Perfecta autem executio non erit niſi in fine. Propter quod & ſubditur:

Inimicus pœnalis & rationalis.

Rom. 5.

NOVISSIME. pro *nouiſſima*, AVTEM INIMICA DESTRVETVR MORS. Ne ambigeres quãdo perfecta perficietur ſubiectio plena omnium inimicorum, declarat quòd nouiſſimus inimicus deſtruetur mors, quod erit in reſurrectione mortuorum, tunc enim mors deſtruetur. Quæ inter inimicos Chriſti numeratur, tum quia etiam Chriſtum inuaſit: tum quia membra eius (electos ſcilicet) & vniuerſos homines fratres eius ſecundum carnem occupat. Locatur autem nouiſſima inter inimicos: quoniam verè vltimus fuit Chriſti, vltimus eſt omnium electorum, vltimus eſt ipſorum hominum inimicus inter inimicos præſentis vitæ. Reliqui ſiquidem inimici (ſiue dæmones, ſiue homines, ſiue ægritudines, dolores, tormenta, ſiue peccata) priùs nos aggrediuntur, mors poſtremus eſt hoſtis. Verſ. 26.

Mors vnus ex inimicis Chriſti.

Mors hoſtis vltimus.

OMNIA ENIM SVBIECIT SVB PEDIBVS EIVS. pro, *ſuis*. Quod dixerat de omnibus inimicis ex vno Pſalmo, extendit ad omnia ex alio Pſalmo: vt intelligamus tum non eſſe extortam expoſitionem intelligere mortem inimicos Chriſti: tum non deſinere regnum Chriſti completo tali regimine regni more humano per magiſtratus, ſed tunc maximè omnia ſubiecta; non qualitercunque, ſed ſub pedibus, hoc eſt, pleniſſimâ executione ſubiecta fore Chriſto homini. CVM AVTEM DICAT:

OMNIA SVBIECTA SVNT EI, SINE DVBIO PRÆTER EVM QVI SVBIECIT EI OMNIA. Declarat ſtatum finalem qualis erit (dixerat enim *deinde finis*) ne aliquid propoſitorum remaneat nõ manifeſtum: & quia priùs deſcripſit actiones duas Chriſti in fine, modò deſcribit ipſum ſtatum Chriſti finalem, & incipit ab hoc quòd omnia abſque vlla exceptione intelliguntur ſubiecta Chriſto a Deo. Et appoſuit *præter ipſum* Deum *qui ſubiecit*, non vt hoc quaſi dubium excluderet (cùm hoc non poſſet verti in dubiũ) ſed vt ipſius ſolius Dei exceptione explicatâ, reliqua omnia abſque exceptione aliqua intelligamus ſubiecta Chriſto: ne intelligeres de omnibus ſenſibilibus tantùm. Verſ. 27.

CVM AVTEM SVBIECTA FVERINT ILLI OMNIA. ſecundum pleniſſimam executionem. TVNC ET IPSE FILIVS SVBIECTVS ERIT. Quatenus homo. ILLI QVI SVBIECIT SIBI OMNIA. hoc eſt, Deo. Tunc autem erit ſubiectus, non quod tunc incipiat ſubiici Deo, ſed quia tunc incipiet nouo modo ſubiici Deo. Nam vſque ad illud *tunc* filius homo ſubiicitur Deo vt proficiens in regno: ex tunc autem & vſque Verſ. 28.

Omnia Chriſto ſubiecta.

in æternum erit ſubiectus Deo, vt de perfecto regno gratias agens Deo. VT SIT DEVS OMNIA. hoc eſt, omnium euidens ratio. IN OMNIBVS. non in aliquibus tantum: hoc eſt regnum Dei, hoc eſt regnare Deum, hoc eſt eſſe aſſignatum regnum Deo.

Vbi etiam ærte lector perpendere potes in hac Pauli doctrina prius oportere regnare Chriſtum hominem tanquam humano more per diuerſos magiſtratus & Angelos & Eccleſiaſticos ad profectum ſui regni: & hoc regnare extenditur vſque ad vniuerſale iudicium, in quo erit reſurrectio generalis, &c. Deinde erit regnum Dei, quando Deus erit omnia in omnibus, quando Chriſto pleniſſime erunt omnia ſubiecta, & ipſe nouo modo Deo ſubiectus erit.

Verſ. 29. ALIOQVIN QVID FACIENT QVI BAPTIZANTVR PRO MORTVIS: Completa ratione ſumpta ex reſurrectione Chriſti ad probandum reſurrectionem mortuorum, adiungit Paulus aliam ad idem rationem ſumptam ex aliis etiam in Euangelio contentis. Hæc enim ratio ex Baptiſmo ſumpta eſt, quem conſtat in Euangelio contineri. Et hoc quod dicit *pro mortuis*, perinde eſt, ac ſi dixiſſet, agentes mortuos, repræſentantes mortuos. In hoc enim quod merguntur ſub aqua, mortuos agunt: & in hoc quod ad hoc merguntur vt emergant, agunt mortuorum reſurrectionem. Et ſimiliter in hoc quod profitentur ſe mortuos mundo, agunt mortuos: & in hoc quod ad hoc profitentur ſe mortuos vt tranſeant in nouitatem vitæ, profitentur reſurrectionem mortuorum. SI OMNINO MORTVI NON RESVRGVNT, VT QVID ET BAPTIZANTVR PRO ILLIS? Dixerat quid facient in futura vita, explicat modò quod decepti vanè baptizantur pro illis: hoc eſt, agentes illos, hoc eſt mortuos reſurrecturos. SI MORTVI NON RESVRGVNT. Nec hoc eget expoſitione: quia clare conſtat baptiſmi vanitas, ſi mortuorum reſurrectio non eſt.

Alia ratio ad probandam reſurrectionem, ex baptiſmo ſumpta.

Verſ. 30. VT QVID ET NOS PERICLITAMVR OMNI HORA: Quaſi dicat, fruſtra, ſi mortui non reſurgunt. Et hæc quoque ratio ex Euangelio ſumpta eſt: quoniam Dominus expoſuit diſcipulos euangelizantes continuis periculis. Et intellige hæc tam de baptiſmi quam de periculorum vanitate in ſenſu antè dicto, ſcilicet de nobiſipſis, de hominibus non de parte noſtri, quæ eſt anima. Eſſent enim hæc omnia vana quantum ad ſalutem & vitam noſtram, qui ſumus homines, non animæ, qui ſumus ſubſtantiæ corporeæ ſenſitiuæ, non ſubſtantiæ ſpirituales.

Verſ. 31. QVOTIDIE MORIOR PROPTER VESTRAM GLORIAM FRATRES. Legendum eſt, *Quotidie morior per gloriationem noſtram* QVAM HABEO IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Poſt rationes ex contentis in Euangelio, adiungit exempla propria. Et iurantis eſt ſermo iſte. Iurat Paulus *per gloriationem*, &c. quod quotidie moritur. Cum dixit quod periclitatur omni hora, non adhibuit iuramentum, quia pericula externus cognoſci poterant: cum autem adiungit quòd quotidie moritur interna paſſione quæ externus non apparet, quæ poteſt fingi, cuius ſolus Deus eſt teſtis, adhibet iuramentum. Iurat autem per rem ſibi valde charam & Deo gratam, videlicet per gloriationem quam habet in Chriſto de bono ſupererogationis, de qua ſuperiùs dixerat: *ſatius eſt mihi mori quam vt gloriationem meam aliquis euacuet.* Et dicit *noſtram*, eo quod charitas omnia communia reddit: vnde & vtrunque dixit, & *habeo* & *noſtram*: vt intelligamus quod propriam communicat gloriationem.

Quomodo iurat D. Paulus.

Verſ. 32. SI SECVNDVM HOMINEM AD BESTIAS PVGNAVI EPHESI: Interrogatiue legendum eſt, ad ſignificandam negationem: videlicet quod non ſecundum hominẽ, ſed ſecundum Chriſtũ, non humana ſed diuina ratione pugnaui ad beſtias Epheſi: hoc eſt, pugnæ ferarum expoſitus ſum apud Epheſum. Quando res hæc geſta fuerit neſcitur: nullibi enim legitur niſi hic, Paulum expoſitum fuiſſe vorandum à feris, vt de multis aliis ſanctis in eorum geſtis legitur. QVID MIHI PRODEST SI MORTVI NON RESVRGVNT; quaſi dicat, nihil. Et nota *mihi*. MANDVCEMVS ET BIBAMVS, CRAS ENIM MORIEMVR. pro, *morimur*. Ex Eſa. cap. 22. ſumpta ſunt hæc verba, quibus ſeductores Chriſtianorum vtebantur vt fruerentur huius vitæ bonis, quia morimur nunquam rediuiui futuri. Et inducit in hac materia hanc erroneam ſententiam, tum vt reſurrectionem mortuorum ex hac carnali ſententia, vtpote contraria, confirmet, tum vt moneat Corinthios vt caueant ab huiuſmodi colloquiis, vtpote contra fidem reſurrectionis mortuorum.

D. Paulus pugnæ ferarum expoſitus apud Epheſum.

Verſ. 33. NOLITE SEDVCI, ab huiuſmodi carnalibus colloquiis. CORRVMPVNT BONOS MORES COLLOQVIA MALA. Carmen eſt Menandri. Non dedignatur Paulus vti Menandri carmine ad monitionem ſanctam. Vnde apparet quod ſententia illa (*manducemus & bibamus, cras enim moriemur*) verſabatur in ore multorum, velut prouerbium. Et propterea Paulus vetat huiuſmodi prouerbiis vti Chriſtianos, quia ipſa colloquia mala, etiamſi vanè dicantur, corrumpunt bonos mores.

Menandri Carmine vtitur Apoſtolus.

Verſ. 34. EVIGILATE IVSTI. pro, *iuſtè*, ET NOLITE PECCARE. Duo monet, alterum vt velut à ſomno euigilent, non qualitercunque, ſed iuſte: ad differentiam eorum qui vigilant vtiliter ad lucra temporalia, aut vane ad ludos & ad huiuſmodi. Et dixit hoc vt audientes huiuſmodi prouerbia mala euigilarent ab incurię ſomno iuſte, hoc eſt, ſic vt attenderent ſeruandæ iuſtitiæ: & hoc quoad intellectum. Alterum ſpectans ad affectiuam partem eſt: *Nolite peccare*, huiuſmodi ſententiis allecti. IGNORANTIAM ENIM DEI QVIDAM HABENT. Ecce quod non ſola dicacitas eſt in culpa, ſed ignorantia Dei. Et propterea magis eſt vobis vigilandum: quia quidam ignorantiam Dei habentes dicunt ſeriò hæc prouerbia ad tollendum fidem reſurrectionis mortuorum: & ſic inducunt ad libertatem carnalium delectationum homines. AD REVERENTIAM. pro, *ad erubeſcentiam*. VOBIS LOQVOR. vt erubeſcatis de hoc quod inter vos ſunt tales ignorantes, & ſic reſipiſcant qui tales ſunt, loquor vobis hæc.

Verſ. 35. SED DICIT ALIQVIS. Firmata fide reſurrectionis mortuorum, tranſit ad manifeſtandum qualia ſunt corpora hominum in reſurrectione. QVOMODO RESVRGENT MORTVI: Hæc eſt prima quæſtio de modo reſurrectionis, & quantùm reſponſio pandit, in quæſtionem vertitur an reſurrectio mortuorum fiet ſucceſſione

Quæſtio de modo reſurrectionis.

temporis (prout viuentia naturalia fiunt) an erit velut in tempore imperceptibili. QVALI AVTEM CORPORE VENIENT: Hæc eſt ſecunda quæſtio de qualitate corporis reſurgentium.

Et de qualitate corporis reſurgentium.

Verſ. 36. INSIPIENS. Incipit ſoluere quæſtiones, inchoando à ſecunda. Et dicit *inſipiens*, non contumeliæ, ſed correctionis, imo manifeſtandæ ignorantiæ gratia. Apparet enim hinc quòd non inquirendo, ſed obiiciendo contra reſurrectionem mortuorum hæ quæſtiones ingerebantur. Hoc enim inſinuat appellando *inſipiens*. Ad quod etiam inſinuandum non dixit, *ſed dicet aliquis* quaſi interrogans: ſed dixit, *ſed dicit aliquis*, quaſi obiiciens. Parcens enim noluit nominare obiicientem hæc. TV QVOD SEMINAS NON VIVIFICATVR: hoc eſt, non actu vitam habet. Semen enim vitam habet in potentia, non in actu. Acquirit autem vitam in actu (quod Paulus vocat viuificari) cum pullulat & vegetatur, &c. NISI PRIVS MORIATVR. Superfluit *prius*. Per quandam extenſionem ſemen mori dicitur pro quanto eſt in latitudine vitam habentium. Præmittit Paulus tres ſimilitudines antequam reſpondeat. Quarum prima eſt de ſemine. Ex qua ſimilitudine duo intendit. Alterum eſt quòd morte intercedente quod ſeminatur acquirit vitam. Et hoc his verbis declarat arguens inſipientiæ qui hoc non aduertit. Alterum eſt quod non eſt ſimile, ſed tamen proprium corpus viuum quod acquiritur à ſemine corpori quod ſeminatur. Et hæc ſubiungit dicendo:

Semen vitã habet potentiã, non actu.

Verſ. 37. ET QVOD SEMINAS, NON CORPVS QVOD FVTVRVM EST SEMINAS, SED NVDVM GRANVM: PVTA TRITICI, AVT ALICVIVS CÆTERORVM. Corpus quod ſeminatur Paulus ipſe declarat exemplo grani tritici. Corpus autem quod futurum eſt ex ſemine, non declarat exemplo, relinquens pro manifeſto illud eſſe arborem, ſeu culmum ſpicatum. Huiuſmodi enim ſunt corpora ex ſemine naſcentia quæ producunt fructus, & ad perpetuitatem ſpeciei ſemina: quemadmodum homo genitus ex ſemine poſtquam perfectus eſt profert ſemen ad conſeruationẽ ſpeciei. Ecce corpus futurũ non ſimile corpori ſeminato.

Verſ. 38. DEVS AVTEM DAT ILLI CORPVS SICVT VVLT, pro *voluit*. De corpore naſcente ex ſemine dicit quòd Deus dat illi ſemini corpus naſcens ſicut voluit æterna diſpoſitione. Diſpoſuit enim ſemini oliuæ dare corpus arboris oleæ. Semini autem tritici dare corpus culmi ſpicati: & ſemini braſſicæ dare corpus plantæ quæ dicitur braſſica: & ſic de aliis. ET VNICVIQVE SEMINVM PROPRIVM CORPVS. Voluntas Dei ſuauiter diſponens omnia dat cuique ſemini corpus ſicut voluit: itaquod voluit vnicuique ſeminum dare corpus proprium: hoc eſt, quod vendicat ſibi proprium ex propria natura: vt experientia clare teſtatur. Et intendit Paulus ex hoc exemplo in materia reſurrectionis corporum intelligi, quòd morte intercedente homines viuificabuntur, & acquirent corpora non qualia modo habent, ſed quæ vindicant ſibi propria. Et quòd ex hac ſimilitudine ſuadet tria, ſcilicet acquiſitionem vitæ intercedente morte, & differentiam corporis futuri reſpectu præſentis, & proprietatem corporis futuri reſpectu præſentis.

Vi. ſeminum à Deo.

Verſ. 39. NON OMNIS CARO EADEM CARO, SED ALIA HOMINVM, ALIA PECORVM, ALIA VOLVCRVM, ALIA PISCIVM. Secundum affert exemplum de vniuerſitate carnium. Comprehendit ſiquidem omne carnis genus ſub quatuor generibus, ſcilicet volatilium, natantium, hominum, & reliquorum greſſibilium. Sub quibus intelliguntur etiam quæcunque ſerpunt, aut reptant.

Omnẽ carnẽ ſub 4 generibus comprehendit.

Et intendit ex hoc declarare quòd corpus futurum in reſurrectione erit caro: quod per primum exemplum non declarabatur: vult enim intelligi ex tãta diuerſitatẽ carnium, imò ex hoc quod omnis diuerſitas carnis poſſibilis in hoc mundo inuenitur, quòd etiam inueniatur in futura nouitate mundi caro congruens nouo mundi ſtatui, in omni quoque differentia carnis congruentis illi nouitati, quod & inferiùs probabit.

Verſ. 40. ET CORPORA COELESTIA, ET CORPORA TERRESTRIA. Tertium exemplum a differentia inter corpora cœleſtia, & terreſtria affert. Et appellantur cœleſtia corpora, Sol, Luna, & ſtellæ. Terreſtria autem arbores, & reliqua vegetabilia, ac mineralia quæ fixa ſunt terræ. SED ALIA QVIDEM COELESTIVM GLORIA, ALIA AVTEM TERRESTRIVM. Gloria metaphorice corporibus attribuitur, pro quanto habent in ſe vnde laudentur, & quodammodò glorificentur: vnde ipſa eorum diſpoſitio ex qua laudantur, eorum gloria appellatur, quia eſt materia gloriæ. Conſtat autem aliam eſſe diſpoſitionem qua laudantur corpora cœleſtia: & longe inferiorem eſſe qua laudantur corpora terreſtria.

Corpora alia cœleſtia, alia terreſtria.

Verſ. 41. ALIA CLARITAS, pro *gloria*, SOLIS, ALIA CLARITAS, pro *gloria*, LVNÆ, ET ALIA CLARITAS, pro *gloria*, STELLARVM. Diuerſitatem inter ipſa cœleſtia corpora quoad gloriam, in tres ſecat ordines. Et tertium, ſcilicet (ſtellarum) ordinem ſubdiſtinguit.

STELLA ENIM A STELLA DIFFERT IN CLARITATE, pro *in gloria*. Ne putes eſſe intelligeres ſtellas quoad gloriam, explicat quòd vna antecellit aliam in gloria. De differentia enim inter Solem, Lunam, & ſtellas nulla apparet ambiguitas: ſed de ſtellis inter ſe. Et eſt ſermo de naturali gloria: hoc eſt, de naturali materia gloriæ. Ad ſenſum enim apparet laudabilior diſpoſitio Solis quam Lunæ, &c. Et ex hoc tertio exemplo vult intelligi (vt poſtea proſequetur) gloriam corporum in reſurrectione diſtare à gloria corporum noſtrorum nunc quemadmodum gloria cœleſtium corporum diſtat à gloria terreſtrium: & quod inter ipſa corpora reſurgentium erit differentia, pro quanto erit in eis diſpar gloria, quemadmodum eſt diſpar gloria in cœleſtibus corporibus. Vbi prudens Lector colligere potes quod ex ſeminibus Paulus corpus viuum poſt mortem, ex carnibus corpus illud carneum, ex corporibus cœleſtibus corpus illud glorioſum intendit docere.

Stella differt in claritate ab alia.

Verſ. 42. SIC ET RESVRRECTIO MORTVORVM. Ad omnes tres ſimilitudines refertur *ſic*. Siquidem ſimulem affirmat reſurrectionem mortuorum his tribus in communi: deinde exequitur ſecũdum, ſingula ſigillatim ordine quo inducta ſunt. Vnde inchoans à ſeminibus ait:

SEMINATVR IN CORRVPTIONE. Eſt ſermo nõ de naturali ſemine, ſed de corpore noſtro ad ſimilitudinẽ ſeminis: & eſt ſẽſus *ſeminatur*, hoc eſt moritur ad ſimilitudinẽ ſeminis. Significantiùs autem noſtrũ *mori* appellat *ſeminari*, ad differẽtiam

Noſtrũ mori eſt ſeminari.

tiam mortis aliorum animalium, quorum mori eſt totaliter ſibi mori. Noſtrum autem mori non eſt mori nobiſipſis totaliter, ſed eſt mori ad ſimilitudinem mortis ſeminum, quæ quatenus ſemina ſunt, & exercent ſeminum officia, moriuntur, ſic vt ſibiipſis vitam meliori modo acquirant. Sic enim Paulus in vera ac ſumma Theologia loquens, ſermone Theologo, & formali dicit corpora noſtra mori ſeminaliter, quia ad vitam meliori modo habendam moriuntur. Et quod dicitur *in corruptione*, determinat non ſeminationem, ſed rem ſeminatam: hoc eſt, corpus noſtrum. Deſcribit enim conditiones corporis noſtri, quod tanquam ſemen moritur. Et primam noſtri corporis conditionem ponit eſſe corruptibile: quod quotidie experimur. SVRGET, pro *reſurgit*, IN INCORRVPTIONE, pro *in incorruptibilitate*. Magna acquiſitio, vt corpus corruptibile reſurgat (hoc eſt, iterum, ſeu poſt mortem ſurgat) incorruptibile.

Verſ. 43. SEMINATVR IN IGNOBILITATE, pro *ignominia*. Corpus noſtrum modo multis ſubiectum eſſe fœditatibus experimur. SVRGET, pro *reſurgit*, IN GLORIA, nihil habens fœdi, nihil turpis, nihil ignominia dignum, ſed ſecundùm partes ſingulas glorioſum. SEMINATVR IN INFIRMITATE. Quod imbecillitatibus corpus noſtrum ſubiicitur experimur. SVRGET, pro *reſurgit*, IN VIRTVTE, pro *in potentia*: omnis vigor virium motiuarum, omnis vigor ſenſuum, & reliquarum partium corporis tunc acquiritur.

Verſ. 44. SEMINATVR CORPVS. Ecce in hac vltima conditione explicat corpus ſubintellectum in cæteris tribus. ANIMALE: hoc eſt, quod ſuſtentatur actionibus animæ, vt animat corpus, quas conſtat eſſe actiones partis vegetatiuæ: viuimus enim nutritione. Vnde idem eſt dicere *corpus animale*, & *corpus indigens alimento*: quale eſſe noſtrum corpus vtinam non experiremur. Hinc habes quod non de ſeminatione, ſed de re quæ ſeminatur dicit Paulus hæc quatuor: quoniam conſtat ſeminari (hoc eſt, ad modum ſeminis ſepeliri) non corpus animale, ſed corpus exanime. SVRGET, pro *reſurgit*, CORPVS SPIRITVALE. Non dicit reſurgit ſpirituale, ſed *reſurgit corpus ſpirituale*: ne errares intelligendo corpus eſſe vertendum in ſpiritum, ſed redituum futurum corpus non animale (quale nunc eſt) ſed ſpirituale: vt *ſpirituale* contra *animale* in corpore diuidatur. Et quia corpus animale eſt quod viuit ex officiis animæ vegetantis ipſum, intelligendum eſt corpus ſpirituale quod non ex officiis vegetationis, ſed ex virtute ſpiritus viuit. De quo autem ſpiritu ſit ſermo, inferiùs ſubiunget.

Corpus animale eſt idem ac corpus indigens alimento.

[illegible] ſpirituale contra animale.

SI EST CORPVS ANIMALE. Superfluit *ſi*. Poſt applicatam primam ſimilitudinem de ſeminibus, proſequitur ad applicandam ſecundam de carnibus. Similique modo arguit quod vniuerſitas carnium in hoc mundo inuenitur. Quemadmodum enim quia eſt caro greſſibilium, inferret quòd eſt etiam caro volucrum, & quod eſt caro piſcium, ne aliqua caro deſit perfectioni vniuerſi: ita modò Paulus procedit ex hoc quod eſt corpus animale, ad inferendum quod eſt etiam corpus ſpirituale, ne vlla differentia carnis deſit perfectioni vniuerſi. Hic enim proceſſus ſignificatur ſubiungendo. ET EST CORPVS SPIRITVALE.

Et ne diſtinctio corporis in animale, & ſpirituale fictitia exiſtimetur, affert authoritatem Scripturæ: SICVT, pro &c, SCRIPTVM EST, Geneſ. 2.

FACTVS EST PRIMVS HOMO ADAM IN ANIMAM VIVENTEM. Verſ. 45.
Quadrat quòd dictio *homo* ſuperfluit: quamuis in nonnullis codicibus Græcis inueniatur: apertè enim ſubiunget è ratione non *nouiſſimus homo Adam*, ſed *nouiſſimus Adam*: vt hinc etiam appareat quòd legendum eſt: *Factus eſt primus Adam in animam viuentem*, præter hoc quòd *homo* Latinè, & *Adam*, Hebraice, ſynonyma ſunt.

Adam Hebraicè eſt homo Latinè.

Et quod dicitur *in animam viuentem*, ſignificat in animam vegetantem: formalius tamen loquendo ſignificat rem quæ eſt anima in eſſe animæ viuere officiis animæ quatenus animat corpus. Ita quòd hinc habetur quòd non ſolùm corpus noſtrum viuit officiis animæ quatenus animat corpus, ſed etiam quòd ipſa anima in eſſe animæ viuit propriis officiis quatenus eſt anima. Et verè ſic eſſe experimur: quoniam anima ipſa tandiu durat ſecundum eſſe animæ, quamdiu durat officium alendi: deficiente enim eo ab officio alendi, perdit quoque eſſe animam: quod eſt animare corpus.

NOVISSIMVS ADAM IN SPIRITVM VIVIFICANTEM. Primus Adam ipſe eſt, de quo Geneſ. loquitur, primus parens humani generis: nouiſſimus Adam Chriſtus eſt. Ille primus parens in eſſe naturæ, iſte primus parens in eſſe gratiæ. Et appellatur *nouiſſimus*, quia non eſt futurus tertius. Ille factus eſt *in animam viuentem*, vt tamdiu viueret quamdiu anima propriis officiis in eſſe animæ viueret. Iſte factus eſt *in ſpiritum viuificantem*: hoc eſt, in rem quæ eſt anima, quatenus ſpiritus eſt tanta virtute præditus, vt ſit etiam ſpiritus viuificans corpus: Quod vt intelligas, ſcito quòd res quæ eſt anima noſtra, & eſt anima, & eſt ſpiritus. Eſt anima pro quanto animat corpus; eſt ſpiritus pro quanto intellectualis ordinis eſt, & ſupernis communicat. Significatur enim per hoc ad literam quòd Chriſtus factus eſt ſecundum animam quatenus eſt ſpiritus, cum tanta plenitudine ſupernorum donorum, vt poſſet viuificare corpus abſque officiis animæ quibus vegetat corpus: quod eſt poſſe reddere corpus proprium ſpirituale: hoc eſt enim factum eſſe in ſpiritum viuificantem. Et hoc proculdubio habuit Chriſtus à principio conceptionis ſuæ: nam ex tunc ſpiritus eius tantam habuit virtutem vt potuiſſet reddere corpus ſuum ſpirituale.

Chriſtus eſt nouiſſimus Adam.

Anima & ſpiritus quomodo diſtinguuntur?

SED NON PRIVS, pro *primum*, QVOD SPIRITVALE EST, SED QVOD ANIMALE: DEINDE QVOD Verſ. 46.
SPIRITVALE. Dixerat quòd nouiſſimus Adam, hoc eſt Chriſtus, factus eſt in ſpiritum viuificantem. Contra quod quia experientia militauit: quia Chriſtus factus eſt in corpore non ſolum animali (quale habuerat Adam in ſtatu innocentiæ) ſed etiam paſſionibus ſubiecto, ideo occurrendo huic obiectioni dicit quòd Chriſtus quidem à principio quo factus eſt, factus eſt in ſpiritum viuificantem, ſed non ſtatim ſpiritus eius viuificauit ſuum corpus, ſed ordine ſeruato: non habuit primum corpus ſpirituale, ſed animale, & poſtea reſurrectionis tempore habuit, & habet corpus ſpirituale.

Suſpenſa

Suſpenſa eſt enim redundantia viuificationis à ſpiritu in corpus, vt primum habens corpus animale, redemptionis humanæ opus perficeret.

Verſ. 47. Primvs homo de terra terrenvs. Proſequitur tertiam ſimilitudinem de corporibus terrenis & cœleſtibus, inchoando ab altera differentia inter primum Adam & nouiſſimum Adam, penès terram & cœlum. Primus, inquit, homo de terra formatus eſt: vt patet Geneſ. 2. Et hinc conſequenter terrenus eſt, & naturâ corporis & affectibus & cognitionis modo. Secvndvs homo. hoc eſt Chriſtus. De cœlo cœlestis. pro, *Dominus è cœlo*. Parum fuiſſet dicere *de cœlo cœleſtis*: longè plus dixit, è cœlo quidem, ſed Dominus, non Dominus horum aut illorum, ſed ſimpliciter & abſolutè Dominus: vt verus Deus intelligatur, qui ſolus eſt ſimpliciter & aſolutè Dominus. Et appoſuit *è cœlo*, vt ad propoſitam ſimilitudinem de terrenis & cœleſtibus alluderet. Et nihilominus veritatem dicit: teſtante Domino Ieſu: *Deſcendi de cœlo*: & rurſus; *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo*, Prima differentia inter Adam & Chriſtum fuit quoad virtutem rei, quæ eſt anima ad viuificandũ corpus: hæc autem ſecunda eſt quoad hypoſtaſim ſiue perſonam. Adam enim de terra plaſmatus fuit perſona terrena: Chriſtus autem è cœlo deſcẽdens eſt perſona diuina.

Differentia inter primum Adam & nouiſſimum.

Solus Deus eſt ſimpliciter Dominus.

Ioann. 6. 48.
Ioan. 3. 13.

Verſ. 48. Qvalis terrenvs. Applicat ad nos. Et ſcito in Græco præponi articulum dictioni *terrenus*, vt intelligamus quòd de primo homine loquitur: qualis fuit ille terrenus primus homo: Tales et terreni. modò nos ſumus: vt experimur. Et eſt ſermo de qualite corporis. Et qvalis coelestis. etiam cum articulo: hoc eſt, ille cœleſtis Dominus è cœlo: Tales et coelestis. Et eſt ſermo de qualitate corporum. Et eſt ſenſus: qualis ſecundùm corpus eſt Chriſtus cœleſtis ſecundum hypoſtaſim, tales ſecundum corpus erunt cœleſtes deſcendentes à ptimo cœleſti, imitatione vitæ, doctrinæ, &c.

Verſ. 49. Igitvr. pro, *&*. sicvt portavimvs imaginem terreni, portemvs. pro, *portabimus*, et imaginem coelestis. Subiungit hæc ad declarandum quod dixerat *qualis, tales*: ne erratemus intelligendo nos æquales futuros Chriſto. Sicut geſtauimus primi parentis terreni imaginem, quoad peccatum & paſſiones, tum animi, tum corporis, ſimiles illi geniti & affecti: hæc enim eſt in nobis omnibus imago Adæ: ita geſtabimus in reſurrectione cœleſtis Chriſti imaginem quoad ſpiritum viuificantem corpus, quoad gloriam corporis & animæ. Ecce multitudo corporum cœleſtium, ecce non hyperbolica comparatio noſtrorum corporum in reſurrectione ad corpora cœleſtia.

Verſ. 50. Hoc avtem dico fratres qvia. pro, *quòd*, caro et sangvis regnvm Dei posidere. pro, *hereditare*, non possvnt. Saluator poſt ſuam reſurrectionem dicens: *Palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere*, manifeſtat quòd caro & ſanguis in propoſito non ſunt nomina ſubſtantiarum ſed officiorum: non excluditur per hæc verba Pauli ſubſtantia carnis aut ſubſtantia ſanguinis à regno Dei in reſurrectione mortuorum, ſed excluduntur carnalia & ſanguinea officia.

Luc. 24. 39.

Vnde appellatione *ſanguinis* intelligitur officium ſanguinis quod eſt generare, ſemen enim eſt ſanguis perfectè coctus, vt Philoſophi tradunt. *Carnis* autem officium alimentorum vſus intelligitur: eo quòd in carne maximè nutritio manifeſtatur. Dicendo itaque *caro & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſunt*, ſignificat quod neque vſus venereorum poteſt hæreditare regnum Dei. Et explicauit hoc, tum ad excludendum figmenta eorum qui has delectationes fingunt in reſurrectione futuras, tum ad declarandum viuificationem corporis ſpiritualis non habere hæc officia quæ dat viuificatio corporis animalis.

Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: quo ſenſu.

Neqve corrvptio incorrvptelam possidebit. pro, *incorruptibilitatem hæreditat*. Præter hæc duo officia corporis animalis inuenitur tertiò in corpore animali defluxus quidam humidi interni, qui in quadam corruptione cõſiſtit: & propterea hunc quoque Paulus tollit à corporibus ſpiritualibus, dicens, quòd neque corruptio naturalis humidi hæreditat incorruptibilitatem. Corpus enim poſt reſurrectionem incorruptibile declaratur carere his tribus, ſcilicet quacunque deperditione humidi, & vſu ciborum ac venereorum: quæ omnia competunt corpori animali. Ita quòd ipſemet Paulus ex his declarat differentes conditiones corporis animalis & ſpiritualis.

Aduerte hic quod omnia quæ Paulus dixit de qualitate corporum reſurgẽtium, intelligenda ſunt de corporibus iuſtorum. More ſiquidem ſuo Paulus à perfectiori parte deſcribit corpora reſurrectionis: quemadmodum paulò ſuperiùs à perfectiori parte deſcripſit regnum Dei, dicendo *vt ſit Deus omnia in omnibus*: hoc enim non aliter verificatur de damnatis: & ſimiliter ad Rom. deſcribit iuſtificatos ex fide à perfectiori parte iuſtificatorum, hoc eſt, à perfectis inter iuſtificatos: vt ibidem patet. Vnde non oportet ſolicitũ eſſe quempiam quomodo omnes hæ qualitates verificẽtur de corporibus damnatorum: aliquas enim harum qualitatum habebunt non omnes. Erunt enim corpora damnatorum incorruptibilia, ſine vſu venereorum, ciborum & fluxu humidi: ſed non erunt glorioſa & impaſſibilia.

A perfectiori parte corpora reſurrectionis deſcribit.

Ecce mysterivm vobis dico. Particula Verſ. 51.
hæc in confinio eſt duarum quæſtionum motarum in textu: eſt enim in calce tractatus de qualitate corporum reſurgentium, & in principio reſponſionis ad quæſtionem primam *quomodo mortui reſurgunt*. Et vere vtrique tractatui particula hæc ſeruit ſequenti quidem ad declarandum non reſurgere vniuerſos: præcedenti autem ad declarandum, quòd non oportet mortem intercedere ad aſſequendam immutationem deſcriptam corporum. Et quoniam ambo hæc veriſſimè myſteria ſunt (vtpote valde occulta diuina opera) ideo Paulus hæc dicturus præmittit: *Ecce myſterium vobis dico*. Omnes qvidem resvrgemvs, sed non omnes immvtabimvr. pro, *omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*. Quamuis apud Græcos codices vtraque lectio inueniatur (vt Hieronymus teſtatur in Epiſtola ad Minetium, & diuerſas opiniones circa hæc affert) legendum tamen arbitror vt ſecundo loco ſcriptum eſt: videlicet *omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*, tum

Varia hic lectio.

vt conſtet ſibiipſi Paulus abſque vlla controuerſia hic,& ad Theſſ. vbi clare explicat quoſdam non eſſe morituros:quam ſententiam difficile eſt concordare cum prima lectura, ſcilicet *omnes quidem reſurgemus*. Tum quia valde ſonat quòd Paulus commemorauerit ſeipſum cum damnatis,dicendo, ſed *non omnes immutabimur*,in prima perſona : imò conſueuit Paulus in prima perſona pluraliter tunc loqui , cùm aut de electis , aut de communibus ſibi , & aliis loquitur. Ad euitanda itaque hæc inconuenientia legamus myſterium magnum , quòd omnes quidem electi non dormiemus ſomno mortis corporalis : hoc enim eſt, quod ad Theſſaloniſcenſes ſcribit.Nec fit demonſtratio perſonarum cùm dicitur , *omnes non dormiemus* (non enim perſonam ſuam eximit à dormitione mortis) ſed fit demonſtratio ſimplex , hoc eſt electorum : eximit enim à morte multos ſui ordinis, hoc eſt multos electos, ſed omnes electi immutabimur mutationibus deſcriptis. Vere hoc eſt magnum myſterium, quod aliqui electorum abſque morte intercedente aſſequentur immutationes omnes has ſupraſcriptas , incorruptibilitatis , gloriæ , potentiæ , &c.

Quidam non morientur.

Verſ. 52. In momento. Reſpondet primæ quæſtioni, videlicet *quomodo mortui reſurgunt* , tum quoad modum temporis : dicendo quòd *in momento*, hoc eſt, in indiuiſibili temporis. In ictv ocvli Tum quoad modum efficiendi : ictu enim oculi , modus efficiendi deſcribitur , vt intelligamus quòd quemadmodum nos aliqua efficimus ſolo ictu oculi (dum promptiſſimè habemus obedientes nobis ad ictum oculi) ita Chriſtus adueniens tanta iuſſionis efficacia efficiet , vt velut ſolo ictu (hoc eſt, percuſſione) actus viuendi efficiat : ac ſi apertius dixiſſet, in radio viſionis , ad efficaciæ modum explicandum.

Reſpondet quæſtioni. Quomodo mortui reſurgunt.

In novissima tvba. Canet enim tvba, Superfluit hoc vltimo loco *tuba*. Sermo metaphoricus eſt. Quia enim tuba publicè canit vocando ſuauiter ad conuentum , publicum conuentum totius humanis generis appellat *tubam* : & *nouiſſimam*, quia poſt illum conuentum non eſt futurus alter omnium hominum conuentus. Et ſignificatur modus quo reſurgent mortui quoad locum , quòd ſcilicet reſurgent in conuentu publico,ac nouiſſimo. Si diceret ad nouiſſimam tubam , intelligerem quòd reſuſcitati homines in ſuis monumentis reſurgent venturi ad publicum conuentum: ſed ex eo quòd dicit *in tuba nouiſſima*, intelligo quòd in ipſo conuentu reſurgent omnes mortui : & propterea adiunxit Paulus : *canet enim*, hoc eſt , ad ſimilitudinem canentis tubæ congregabit Chriſtus ſuauiter omnes.

Tuba vocatur publicus conuentus totius humani generis.

Et mortvi resvrgent incorrvpti , pro *incorruptibiles* , et nos immvtabimvr. Tribus iſtis concurrentibus(*momento temporis,ictu oculi,& nouiſſima tuba*) fient hæc duo ; alterum eſt quòd *mortui ſurgent incorruptibiles* , alterum quòd *nos immutabimur*. Diſcerne , prudens Lector, quòd in tertia perſona dicit , *mortui ſurgent incorruptibiles* : vt intelligamus hoc eſſe commune omnibus hominibus mortuis tam electis,quàm reprobis : in prima verò perſona dicit, *nos immutabimur* , vt quod erit proprium electis (de quorum numero eſt ipſe,) intelligamus.Et repetit quod prius dixerat,*omnes immutabimur*,non abundantiâ ſermonis,ſed vbi prius hoc dixerat relatiuè ad non morituros electos, vt etiam illos declararet immutandos , modò idem dicit relatiuè ad omnes mortuos ad differentiam reproborum. Inter commune itaque mortuis omnibus,& proprium electis,diſcimus intereſſe , quòd id quod eſt incorruptibilitatis,commune erit omnibus, quod autem eſt gloriæ , proprium erit electis. Mutationem enim ad ſtatum gloriæ appellat Paulus immutationem *ſimpliciter* & abſolutè : vt intelligamus mutationem quæ erit in corporibus reproborum appellari immutationem *ſecundùm quid*. Mutabuntur ſiquidem reprobi de ſtatu corruptibili ad ſtatum incorruptibilem dumtaxat : electi autem immutabuntur ad ſtatum incorruptibilem , impaſſibilem , vigoroſum, glorioſum , & vniuerſaliter ad ea quæ felicitatis ſupremæ ſunt : & propterea meritò appellantur immutari ſimpliciter & abſolutè.

Incorruptibilitas communis omnibus: gloria propria electorum.

Oportet enim corrvptibile hoc indvere incorrvptionem , pro *incorruptibilitatem*, et mortale hoc indvere immortalitatem. Pronomen *hoc* , corpus humanum idem in ſubſtantia quod modò eſt,demonſtrat. Differentiam autem inter corruptibilitatem, & mortalitatem perſpice in diuerſo ſtatu primi parentis. Nam in ſtatu innocentiæ corpus habebat corruptibile quantùm ad fluxum humidi naturalis,ſed non mortale.Si enim in illo ſtatu perſtitiſſet, nunquam fuiſſet mortuus: mors enim in pœnam eſt illi indicta : *In quacunque die comederis , morieris.* Vnde poſtea ad ſtatum peccati tranſiens, habuit corpus & corruptibile & mortale. Quæ ergo hîc dicuntur, communia ſunt electis & reprobis , mortuis & viuis. Dixit ſiquidem hæc ad reddendum rationem quare ea quæ ad incorruptibilitatem ſpectant ſunt communia omnibus : vt coniunctio *enim* teſtatur, dicendo *oportet enim*. Et eſt ſermo de neceſſitate ratione ſtatus æterni ad ſupplicia,vel præmia:ex hoc enim quòd ſtatus omnium eſt æternus à parte pòſt , oportet corpus hoc reddi æternum induendo incorruptibilitatem & immortalitatem. Verſ. 53.

Differentia inter corruptibile , & mortale.

Et ſignificanter dicit *induere* , vt intelligamus non interuenire mutationem ſecundum ſubſtantiam , cùm hoc corpus fit incorruptibile, & immortale;ſed accidentalem,quemadmodum cùm mutamus indumentum. Et dixit hoc ne à Philoſophis Chriſtiani fallerentur , tradentibus quòd corruptibile & incorruptibile differunt plus quam genere. Docet enim Paulus quòd corpora hæc (non alia : ſed hæc eadem quæ modò noſtra ſunt)induent ab extrinſeco dono incorruptibilitatem & immortalitatem , & non in aliam intimam tranſibunt naturam.

Mutatio à corruptibili in incorruptibile eſt accidentalis , non ſubſtantialis.

Cvm avtem. Deſunt hic quinque dictiones. Legendum eſt , *Cùm autem incorruptibile hoc induerit incorruptibilitatem* , & mortale hoc indverit immortalitatem , tvnc fiet sermo qvi scriptvs est. Duo dixerat. Alterum quòd reſurgunt incorruptibiles : & reddidit rationem. Alterum quòd nos immutabimur : & ad hoc affert Scripturam: Absorpta est mors in victoria. Et eſt ſermo de victoria Chriſti : quà mortem Verſ. 54.

morte deglutiendo in ſeipſum dum mortuus eſt,& reſurrexit, ſuperauit & de ea triumphauit. Declarat Paulus hoc non conſummari vſque ad tempus illud reſurrectionis generalis: quoniam virtus illius victoriæ non eſt extenſa ad ſuum effectum hactenus,ſed tunc extendetur.

Verſ. 55. *D. Paulus O eam ſecũdum interpretationem LXX.citat.* VBI EST MORS VICTORIA TVA? Omnes iſtæ quinque dictiones ſunt ſuperfluę. VBI EST MORS STIMVLVS TVVS. Interpres addidit *eſt*. Et deſunt quatuor dictiones videlicet, *Vbi tua inferne victoria?* Hæc omnia ex interpretatione Septuaginta Paulus aſſumpſit ex Oſee decimotertio, loco quorum nos habemus, *De manu mortis liberabo eos,de morte redimam eos: ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero inferne.* Num. 13. 14 Eſt autem ſenſus quòd ceſſauit non ſolùm mors ex Chriſti victoria,ſed etiam mortis ſtimulus, ſeu aculeus, ſimul cum inferni(hoc eſt diaboli) victoria. Et ne obſcuræ relinquantur hæ ſententiæ, ſubiungit Paulus de ſuo.

Verſ. 56. STIMVLVS AVTEM MORTIS PECCATVM EST. Interpres addidit *eſt*. Ad declarandũ ſtimulum, *Peccatum eſt ſtimulus mortis.* ſeu aculeum mortis,explicat illum eſſe peccatum. Et eſt ſermo de ſtimulo, ſeu aculeo mortis,hoc eſt, mortifero. Conſtat enim quòd per peccatum introiuit mors generis humani: & propterea peccatum dicitur ſtimulus, aculeus, punctio mortis hoc eſt,mortem afferens: peccatum enim primi parentis mortem attulit ad literam. VIRTVS,pro *potentia*, VERO PECCATI LEX. Non digreditur Paulus,nihil impertinens affert,ſed quod maxime ad propoſitum erat neceſſarium: declarare ſcilicet quòd non ſolùm mors cum peccato:ſed etiam poſſe peccare ceſſat in illo reſurrectionis ſtatu ex victoria Chriſti. Status enim potentium peccare deſcribitur *Poſſe peccare, & lex eodem tempore concurrunt.* a lege.& aptiſſime: quoniam lex non ponitur niſi potentibus peccare:vnde poſſe peccare, & lex eodem concurrunt tempore. Et ſi perſpicacius intuiti fuerimus, ad vtrunque primi parentis ſtatum alludit: nam quemadmodum dixit aculeum mortis peccatum, quia peccatum primi parentis intulit mortem,ita dicit potentiam peccati, hoc eſt poſſe peccare, legem, eo quòd primus parens antequam peccaret habebat potentiam peccandi ſimul cum lege à Deo editam: *In quacunque die comederis de ligno illo, morieris.* Geneſ. 2. 17 Intendit enim per hæc quòd Chriſti victoria non ſolùm abſorbet mortem, ſed & tollit peccatum, & poſſe peccare cum vniuerſis legibus:vt intelligamus non fore ſtatum illum reſurrectionis ſimilem ſtatui innocentiæ antequam Adam peccaret:ſed longe feliciorem:vtpote ſine potentia peccandi, ac per hoc ſine lege. Et hæc duo e regione dicuntur duorum quæ dixerat. Nã quòd dicitur *ſtimulus mortis peccatum*, reſpicit quod dixerat, *vbi mors ſtimulus tuus*: quod verò dicit, *potentia peccati lex*, reſpicit id quod dixerat, *vbi inferne victoria tua?* Diabolus enim pugnauit aduerſus hominẽ in ſtatu legis, mouendo occaſione legis cum dixit ad mulierem: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Geneſ. 3. 1. & hinc vicit hominem. Ex his omnibus clare apparet quòd hæc dicit Paulus propter electos: in his enim ceſſabit peccatum & poſſe peccare. Damnati autem perſeuerabunt in peccato, & blaſphemabunt Deum: quamuis non demeritoriè, hoc eſt,non ad meritum nouæ pœnæ, quia non ſunt amplius viatores. Dixit enim (vt prædictum eſt)

hoc ad pleniorem declarationem illius particulæ, *& nos immutabimur*: magna ſiquidem immutatio ſuperadiungitur ex hoc,quòd transferemur in ſtatum, in quo non poterimus peccare.

DEO AVTEM GRATIAS,pro *gratia*.ſupple ſit. Verſ. 57.
De gratiarum actione eſt ſermo. Poſt tot declarata beneficia conferenda electis in reſurrectione,conſequenter gratiarum actiones refert Deo. QVI DEDIT NOBIS VICTORIAM. *Nobis* dicit electis: hoc eſt, qui communicauit nobis electis victoriam mortis,peccati,& ſtatus poſſe peccare, PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, qui eſt victor: nobis autem communicatur victoria eius. Et dixit hoc ad declarandum quod dixerat abſorptam eſſe mortem in victoria:declarat enim victoriam illam eſſe factam per Chriſtum, & per ipſum communicatam nobis a Deo. Significantiuſque nominat ipſum *Dominum noſtrum*, eo quòd in ſtatu dominij victoriam reſurgendo effecit.

ITAQVE FRATRES MEI DILECTI, Poſtremò ad Verſ. 58.
exhortationem Corinthiorum ex ſpe tantorum præmiorum procedit. STABILES ESTOTE, in fide. ET IMMOBILES. Superfluit *&*. Monet Paulus vt non qualitercunque ſint ſtabiles,ſed apponit immobiles: vt non moueantur à fide & ſpe reſurrectionis, falſis doctrinis. ABVNDANTES IN OMNI OPERE DOMINI SEMPER. Superfluit *omni*. Exigit Paulus vltra immobilitatem fidei ac ſpei, abundantiam operum, non carnalium,non humanorum,ſed *Domini*, non ad horam,diem,menſem,aut annum,ſed *ſemper*. SCIENTES QVOD LABOR VESTER NON EST INANIS IN DOMINO. Non ſuſpicando,non opinando, ſed ſciendo, certâ notitiâ fidei tenendo quòd labor veſter exequendo ſemper opera Domini,non eſt inanis in Domino,quamuis ſit inanis in hoc mundo.

CAPVT XVI.

DE COLLECTIS, pro *collectis*, AVTEM Verſ. 1.
QVÆ FIVNT IN SANCTOS. Superfluit *fiunt*: nullum verbum expreſſit Paulus. SICVT ORDINAVI IN ECCLESIIS GALATIÆ. In epiſtola ad Galatas cap. 2. meminit Paulus quòd Apoſtoli Hieroſolymis exiſtentes iniunxerũt Paulo & Barnabæ, vt prædicantes in Gentibus,memores eſſent pauperum *Pauperes hic Apoſtolus vocat Sanctos.* qui erant Hieroſolymis, quos hic Paulus appellat *ſanctos*, propter quod Paulus ordinat hic de collecta pecuniarum pro vſu ſanctorum pauperum in Hieruſalem,quæ erat mater cunctarum Eccleſiarum.

ITA ET VOS FACITE PER VNAM SABBATI, Verſ. 2.
pro *ſabbatorum*. In Euangeliis latius declarauimus quod ad literã *vna ſabbatorum* eſt dies immediatè ſequens diem ſeptimum, qui ſemper eſt ſabbatum apud Hebræos. Dies ergo Dominicus appellatur *vna ſabbatorum*, quia eſt *Vna ſabbatorum eſt dies Dominica.* vnus in ordine ad dies qui ſemper ſunt ſabbata:& propterea dicitur pluraliter *ſabbatorum*. Diſponit ergo primò quòd collecta fiat die Dominico,quo Chriſtiani conueniebãt ad diuina.

Vnuſquiſque veſtrum apud ſe reponat, recondens quod ei bene placuerit. Secundò ordinat quòd eleemoſyna oblata pro ſanctis

in Hieruſalem recondatur non in communi depoſito, non apud aliquos ad hoc electos, ſed quilibet apud ſeipſum recondat quod dedit: vt quilibet pecuniæ datæ cuius erat Dominus ſit depoſitarius. Et huius ſtatus ratio creditur, ne quiſquam obiiceret quòd quæſtor eſſet Paulus, quòd quæſtores eſſent clerici prædicatores & vniuerſaliter Chriſtiani: denigrat ſiquidem non parum & exauthorat Chriſtianam Eccleſiam quæſtus: quo plena hodie eſt propter Indulgẽtias, Cruciatas, Hoſpitalia, &c.

Quæſtus non parum denigrat & exauthorat Eccleſiam.

Vt non cùm venero, tunc collectæ fiant.

Verſ. 3. Cùm autem præſens fuero, quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Hieruſalem.

Verſ. 4. Quod ſi dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt.

Verſ. 5. Veniam autem ad vòs, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo.

Verſ. 6. Apud vos autem forſan manebo, vel etiam hyemabo, vt vos me deducatis quocunque iero.

Verſ. 7. Nolo enim vos modò in tranſitu videre: ſpero enim me aliquantulum tẽporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.

Verſ. 8. Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten.

Non conſtat an de feſto Pentecoſtes loquatur, an de mora vſque ad quinquageſimum diem.

Verſ. 9. OSTIVM ENIM MIHI APERTVM EST MAGNVM ET EVIDENS, pro, *efficax*, ET ADVERSARII MVLTI. Sermone metaphorico deſcribit aditum ſibi ad conuertendum alios apertum, tum magnum, tum efficacem. Forte aliquem conuerterat per quem multitudo magna erat efficaciter conuertenda. Dico autem *per quem* non prædicantem, ſed cuius imitatione ob illius authoritatem: cùm conuertitur enim aliquis Princeps, aut Philoſophus, ianua magna aperitur: quæ tunc eſt efficax, cùm multitudo imitari conſpicitur.

Cùm quis Princeps, aut Principum conuertitur, oſtium magnum aperitur.

Verſ. 10. Si autem venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos. Opus enim Domini operatur ſicut & ego.

Verſ. 11. Ne quis ergo illum ſpernat. Deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.

Verſ. 12. De Apollo autem fratre vobis notum facio quòd multum rogaui eum, vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas eius vt tunc veniret. Veniet autem cùm ei vacuum fuerit.

Verſ. 13. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.

Verſ. 14. Omnia enim veſtra in charitate fiant.

Superfluit *enim*. Excitat ſiquidem Paulus ad quinque ſine aliqua coniunctione, ita quòd ſuperfluit tam & quam *enim*.

Verſ. 15. Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici.

Superfluit & *Fortunati & Achaici*. Nec eſt nomen mulieris *Stephanas*, ſicut nec *Aeneas*, nec *Andreas*. QVONIAM, pro *quod*, SVNT PRIMITIÆ ACHAIÆ. De Stephana, & eius familia dicit, quòd ſunt primitiæ Achaiæ, hoc eſt, primò cõuerſi ad fidem Chriſti. ET IN MINISTERIVM SANCTORVM ORDINAVERVNT SEIPSOS. Non ab Apoſtolo, ſed à ſeipſis ordinauerunt ſe ad miniſtrandum ſanctis hoſpitalitatis officio. Exemplum aliis dabant iſti primò conuerſi.

Stephanas eſt nomen viri.

VT ET VOS SVBDITI SITIS EIVSMODI, ET OMNI COOPERANTI ET LABORANTI. Non imperat, ſed obſecrat Paulus vt Corinthij non ſolùm talibus quales erant qui de familia erant Stephanæ, ſed etiam omni cooperanti ac laboranti ad miniſtrandum ſanctis ſint ſubditi ſubiectione morali, quâ obſequentes ac reuerentes nos exhibemus viris probioribus ac magis ſpiritualibus, non ſubiectione legali, quam Epiſcopis debemus. Verſ. 16.

Subiectio moralis.

Subiectio legalis.

GAVDEO AVTEM IN PRÆSENTIA STEPHANÆ ET FORTVNATI ET ACHAICI. Dictio Græca interpretata *præſentiæ*, anceps eſt ad præſentiam & ad aduentum: ſed in idem redit ſenſus, intelligendo præſentiam horum trium virorum apud Paulum ad quem ex Corintho venerant. QVONIAM ID QVÒD VOBIS DEERAT, pro *quoniam defectum veſtrum*, IPSI, pro *hi*, SVPPLEVERVNT. Et eſt ſenſus: quoniam præſentiam veſtram quæ mihi deerat, hi ſuppleuerunt. REFECERVNT ENIM MEVM SPIRITVM ET VESTRVM. Vt intelligamus in quo præſentia iſtorũ trium ſuppleuerat, explicat quòd refocillauerunt non corpus, ſed ſpiritum, tum meum, tum veſtrum. Iſti ſiquidem notificando Paulo diſpoſitionem Corinthiorum, duo bona fecerunt: nã & Pauli ſpiritualem affectum contriſtatum ob tot culpas Corinthiorum conſolati ſunt: & prouocarunt Paulum ad inſtructionem, & exhortationem Corinthiorum: & propterea dicuntur refocillaſſe ſpiritum tam Pauli, quàm illorũ. Et quoniam tam vtile officium iſti exercuerunt, ideo monet vt charos illos habeant, ſubiungẽdo, COGNOSCITE ERGO QVI EIVSMODI SVNT: Verſ. 17. Verſ. 18.

Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſca, cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & hoſpitor. neſcitur quis has vltimas quatuor dictiones addidit textui. Verſ. 19.

SALVTANT VOS OMNES FRATRES. SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. Antiqua eſt conſuetudo Eccleſiarum de ſancto oſculo pacis in Eccleſia infra Miſſarum ſolemnia. Verſ. 20.

Oſculum pacis in Eccleſia quàm antiquum.

SALVTATIO, MEA MANV PAVLI. Pronomen *mea* ablatiui eſt caſus, & propterea diſtinctio ſignanda eſt poſt *ſalutatio*. Et eſt ſenſus quòd *manu mea Pauli*, ſalutatio eſt quæ ſubiungitur: abhinc enim vſque ad finem manu ſuâ propria Paulus ſcripſit more ſubſcribentium epiſtolas. Et poſt omnes ſalutationes aliorum nomine, propriam ſubiungit, declarando quòd ſcribit eam manu propria: ne literæ falſificarentur, ne aliquis nomine Pauli aliquid aliud ſcriberet. Verſ. 21.

SI QVIS NON AMAT DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Ecce prima pars ſalutationis propriæ. SIT ANATHEMA. Græca dictio eſt *anathema*, & ſignificat ſegregatum ab vſu hominum: & propterea hoc nomine appellamus excommunicatos. Et intendit per hoc Paulus quòd quiſquis non amat Ieſum Dominum ſit ſegregatus ab Eccleſia. MARANATHA. Duæ dictiones ſunt; altera *maran*, & Verſ. 22.

Anathema quid.

altera

altera *atha*. Et vt Hieronymus ad Marcellam
Maranatha: id eſt, Dominus noſter venit.
dicit, magis Syrum, quàm Hebræum ſonat idio-
ma : ex confinio ſiquidem duarum linguarum
conſtare videtur. Et *maran* ſignificat *Dominus
noſter* : *atha* verò ſignificat *venit*. Et, vt Hie-
ronymus ibidem exponit, eſt præteriti tem-
poris. Ratio ſiquidem opponitur anathemati:
quia Dominus noſter iam venit, & propterea
amandus eſt vt Dominus: propterea anathe-
ma iam erit, qui non amat ipſum vt Domi-
num.

Verſ. 23. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
VOBISCVM. Ad non amantem Dominum Ie-
ſum retulit aduentum eius in anathema : ad
Corinthios autem refert eundem in gratiam.

CHARITAS MEA CVM OMNIBVS VOBIS IN
CHRISTO IESV. Tertia ſalutationis propriæ Verſ. 24.
pars eſt optatiua ſiue propria ipſius Pauli dile-
ctio, quâ eos diligit in Chriſto Ieſu, ſit cum
omnibus ipſis, inſeratur illis tum ſimilis, tum
quoad bonum, ad quod illos diligit. AMEN.
fiat.

Vbi & ſcito apud Græcos inueniri ſubſcri-
Subſcriptio huius Epiſtolæ.
ptionem talem: *Scripta Philippis, miſſa per Ste-
phanam, Fortunatum, & Achaicum.* Horum enim
trium Paulus meminerat in hoc vltimo capi-
tulo laudabiliter.

Caietæ, M. D. XXVIII. menſe Octobri.

Commentariorum in Priorem ad Corinthios finis.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN POSTERIOREM PAVLI EPISTOLAM AD CORINTHIOS COMMENTARII.

Verſ. 1. PAVLVS APOSTOLVS
IESV CHRISTI PER VO-
LVNTATEM DEI. Non
oportet repetere in
principio expoſita. ET
TIMOTHEVS FRATER.
Quis iſte Timotheus?
Iſte eſt Timotheus, ad
quē poſtea Paulus duas
ſcripſit Epiſtolas: hic eſt cuius in fine prioris ad
Corinthios Epiſtolæ Paulus meminit laudan-
do ipſum. Hic ſecundum aliquos codices fuit
vnus ex illis, per quos Paulus priorem Epi-
ſtolam miſit e Philippis ad Corinthios: & ali-
quanto tempore conuerſatus in Eccleſia Co-
rinthiorum, retulit Paulo (vt par eſt credere)
tum obedientiam Corinthiorum erga illum
inceſtuoſum, tum querimoniam quòd Paulus
non iuiſſet perſonaliter ad Corinthios, vt pro-
miſerat, tum documenta quibus vetus Teſta-
mentum magnificabatur apud Corinthios à
doctoribus Iudæis, tum oblocutiones de Pau-
lo quæ à Iudæis doctoribus etiam Chriſtianæ
fidei inferebantur : & breuiter ea quæ apud
Corinthios gerebantur. Et propterea Timo-
theus non tanquam delator, ſed tanquam coin-
ſtructor eorum in principio Epiſtolæ nomina-
tur. Et appellatur *frater*, ob fraternum officium
erga Corinthios, ſtudendo, & procurando, vt
amplius inſtruerentur per hanc epiſtolam. EC-
CLESIÆ DEI QVÆ EST CORINTHI, CVM OMNI-
BVS SANCTIS QVI SVNT IN VNIVERSA
ACHAIA.

GRATIA VOBIS ET PAX. Sub primo & vlti- Verſ. 2.
mo dono reliqua media comprehendit. A DEO
PATRE NOSTRO: iuxta illud, *Pater noſter qui es
in cælis.* ET DOMINO IESV CHRISTO : hoc eſt,
à Ieſu Chriſto in ſtatu dominij, quem reſur-
gendo acquiſiuit. Gratiam & pacem impreca-
tur Corinthiis non ſolùm à Deo, ſed à Ieſu
Chriſto iam Domino, vt intelligamus eundem
Deus per Chriſtũ gubernat Eccleſiam.
affectum, eadem dona effluere à Deo, & nomi-
ne Ieſu, & perpendamus Deum per hominem
Ieſum gubernare Eccleſiam.

BENEDICTVS DEVS. Poſt ſalutationem, in- Verſ. 3.
choat tractatum epiſtolarem, præmittendo
materiam totius Epiſtolæ ſummariæ. Et ſum-
marium incipit à laude Dei : eſt enim ſermo
de benedictione laudis. ET PATER DOMINI NO-
STRI IESV CHRISTI. Deus impartibilis vnus
atque idem eſt non ſolum Pater, ſed eſt Filius,
ſed eſt Spiritus ſanctus : verùm ad propoſitum
Pauli erat nominare Deum, tum Deum, dicẽdo

benedictus Deus, tum Patrem Ieſu Chriſti, *& pater Domini*, &c. Et eſt ſenſus; Benedictus Deus quatenus Deus, & benedictus idem Deus quatenus eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: proponit enim hæc diſtincte, quia diſtincte intendit tum hæc duo, tum alia duo ſubſtantiæ tractare. PATER MISERICORDIARVM. Ecce tertium. Sed aliter Deus eſt Pater Ieſu Chriſti, & aliter eſt Pater miſericordiarum: quia Ieſu Chriſti eſt pater naturalis, miſericordiarum verò eſt pater voluntarius. Illum ſiquidem genuit ex ſua eſſentia conſubſtantialem ſibi: iſtas verò generat ſua voluntate. Et verè ſolus Deus

Deus pater Ieſu eſt naturalis, pater miſericordiarum voluntarius.

dicitur & eſt *pater miſericordiarum*, quia ipſe ſolus eſt ſuapte natura expers omnis miſeriæ, creaturis omnibus ſubiectis alicui miſeriæ, ac per hoc creatura qualibet indigente vt Deus miſereatur eius, propter quod etiam beati Angeli deſcribuntur trementes, omnia enim in nihilum redirent, niſi ea manus omnipotentis miſericorditer contineret. ET DEVS TOTIVS CONSOLATIONIS. Benedicitur Deus abſolute, dicendo *benedictus Deus*: benedicitur autem Deus relatiue ad integram conſolationem, dicendo, *& Deus totius conſolationis*: non vt auctor ſeu pater totius conſolationis ſed

Deus eſt ratio totius conſolationis.

Deus: ad ſignificandum quod ſicut proprium eſt Deo eſſe patrem miſericordiarum, ita proprium eſt Deo agnoſci, venerari, ac coli vt Deum totius ſeu omnis conſolationis: quia re vera ipſe eſt ratio tum totius, id eſt integræ conſolationis: nullus enim omni ex parte conſolationem accipere poteſt niſi in Deo: vt experientia teſtatur. Tum *omnis conſolationis* quantum eſt ex parte rei, quamuis non ſic ſit ex parte accipientium conſolationem, quorum plerique nec in Deum referunt conſolationes, nec recte vtuntur illis: propter quod planior eſt lectio *totius* quam *omnis* in hoc textu. Et hoc eſt quartum a Paulo propoſitum.

Verſ. 4. QVI CONSOLATVR NOS. Incipit more ſuo Paulus exequi propoſita, inchoando ab vltimo: ſcilicet *& Deus totius conſolationis*. Et declarat hoc in ſeipſo & ſibi ſimilibus: hoc eſt veris ac idoneis miniſtris noui Teſtamenti.

Quod vt plenius intelligas, ſcito quod hæc Epiſtola directè & artificialiter eſt compoſita contra Iudæos doctores, Chriſtianos tamen: qui & vetus Teſtamentum adeò efferebant, vt nouo præiudicium fieret, & ſeipſos Paulo præferebant: vnde multa inconuenientia ſequebantur. Paulus enim in hac Epiſtola intendit & noui Teſtamenti gloriam præferre gloriæ veteris, & miniſtros noui Teſtamenti præferre miniſtris veteris, & deſcribere ſeipſum ac alios idoneos miniſtros noui Teſtamenti: vt vel ex deſcriptionibus iſtis Corinthij diſcernerent inter veros miniſtros Euangelij & fictos. Ex hac itaque ratione tractat Deum totius conſolationis in ſe & ſibi ſimilibus: hoc eſt, in veris miniſtris noui Teſtamenti. Nam pronomen *nos*, non demonſtrat omnes Chriſtianos, ſed miniſtros noui Teſtamenti, vt clare teſtatur contextus ſubiungens extenſionem ad reliquos Chriſtianos.

Paulus in hac Epiſtola intendit præferre nouum Teſtamentum & eius miniſtros, veteri & eius miniſtris.

IN OMNI. Non aliqua ſic & aliqua non. TRIBVLATIONE, ſeu afflictione, ſeu preſſura. NOSTRA. De corporalibus afflictionibus in genere eſt ſermo, omnis nomine appellentur. Hoc eſt primum in quo deſcribuntur miniſtri Euangelij quòd nullam patiuntur afflictionem abſque diuina conſolatione, non eximuntur ab afflictionibus, ſed adiungitur cuilibet afflictioni diuina conſolatio. VT POSSIMVS ET IPSI CONSOLARI EOS QVI IN OMNI PRESSVRA SVNT. Non qualitercunque percipimus afflicti diuinam conſolationem, ſed talem ac tantam, vt non ſolis nobis ſufficiat, ſed vt vires præſtet, & potentes nos efficiat ad conſolandum alios conſtitutos in quauis preſſura, in quauis afflictione. PER EXHORTATIONEM QVA EXHORTAMVR. pro, *per conſolationem quâ conſolamur*, ET IPSI A DEO. Ita tamen quod liceat vſurpare *conſolamur* vt verbum commune, nunc actiue nunc paſſiuè: alioquin Grammaticè legendum eſt: *Quâ conſolationem accipimus & ipſi a Deo.* Dixerat *vt poſſimus*: explicat quâ ratione poſſumus, dicendo quòd per conſolationem propriam acceptam a Deo poſſumus alios conſolari. Medios ſeipſos miniſtros Euangelij declarat inter Deum & alios Chriſtianos, non ſolum quoad docendum, ſed etiam quoad conſolandum eodem tenore: vt quemadmodum ipſi docti a Deo per illammet doctrinam docent alios, ita ipſi conſolationem accipientes à Deo, non aliâ conſolandi ratione conſolentur reliquos. Et dixit hoc, ne intelligerent quod miniſtrorum Euangelicorum eſſet conſolari alios afflictos conſolatione mundanâ (eo modo quo homines conſueuerunt alios conſolari) ſed conſolatione ſpirituali, quæ ſcilicet rationibus ſpiritualibus fidei, ſpei, ac charitatis innititur. Tali enim conſolatione ipſos miniſtros conſolatur Deus in quauis afflictione eorum.

Miniſtri Euangelij medij inter Deum & alios Chriſtianos.

QVONIAM SICVT ABVNDANT PASSIONES CHRISTI IN NOBIS, ITA ET PER CHRISTVM ABVNDAT CONSOLATIO NOSTRA. Verſ. 5. Rationem reddit tanti conſolationis, gratiæ quæ confertur miniſtris Euangelij, ex eo quòd par eſt vt afflictionum abundantiæ reſpondeat abundantia conſolationis. Verùm aduerte quod vtrobique apponit *Chriſtum*, tum vt intelligamus quòd conſolatio diuina non comitatur afflictiones omnes, ſed eas quæ pro Chriſto patimur, tum vt intelligamus Chriſtum eſſe medium in abundantia conſolationis, quemadmodum eſt ratio abundantis afflictionis.

SIVE AVTEM TRIBVLAMVR PRO VESTRA EXHORTATIONE, pro, *conſolatione*, ET SALVTE. Verſ. 6. Duo dixerat, alterum de propria conſolatione, alterum de facultate conſolandi alios. Et reddendo rationem primi, tanquam contrariis vſus eſt afflictionibus & conſolationibus: vtpote illis tanquam plagis, iſtis tanquam medicamentis, modò proſequendo alterum, aperit quod miniſtrorum Euangelij tum afflictiones quam conſolationes relatæ ad alios Chriſtianos, ſunt non contrariæ ſed ad vnum atque eundem effectum, conſolationem ſcilicet & ſalutem illorum. Ac ſi apertiùs dixiſſet: videte qua ratione vtitur Deus miniſtris Euangelicis, quod etiam afflictiones ipſorum ſtatuit eſſe veſtras conſolationes. Et re vera magna eſt conſolatio fidelium ex hoc quod Apoſtoli aliique Chriſti diſcipuli, inter tot afflictiones & perſecutiones euangelizarunt. Nec ſolum hinc redundat in nos conſolatio fidei, ſed etiam ſalus: quoniam hinc accendimur ad virtutem ſpiritualem, ad perferenda mala, ad perſeuerandum

Afflictiones Chriſti diſcipulorum ſunt conſolationes Chriſtianorum.

dam & ſaluamur. SIVE CONSOLAMVR. hoc eſt, cõſolationem accipimus à Deo per Chriſtum. PRO VESTRA CONSOLATIONE. In aliquibus Græcis codicibus additur, *Et ſalute*. Quod iam declaratum eſt. Quod autem in Latinis codicibus ſequitur: SIVE EXHORTAMVR PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALVTE. non eſt de textu Pauli. Inſuper ſcito quod in quibuſdam Græcis codicibus inter hæc duo *ſiue*, interponuntur quæ ſequuntur. Ita quòd poſt *ſiue tribulamur pro veſtra conſolatione & ſalute*, habent, *quæ operatur in tolerantia earundem paſsionum quas & nos patimur*: deinde habent, *ſiue conſolamur pro veſtra conſolatione*, &c. Vnde acciderit tranſpoſitio, neſcio; ſed parui refert. QVÆ OPERATVR TOLERANTIAM. pro, *in tolerantia*, EARVNDEM PASSIONVM, QVAS ET NOS PATIMVR. Declarat quantæ efficaciæ eſt conſolatio diſcipulorum quòd operatur, quòd vim ſuam exercet in tolerando ſimiles afflictiones afflictionibus quas patiuntur Euangelici miniſtri: vt intelligamus conſolationem deſcendentem ab Apoſtolis in alios Chriſti fideles non eſſe minimam, non eſſe alterius generis à conſolatione Apoſtolorum.

Tranſpoſitio hic in quibuſdam codicibus.

Verſ. 7. VT. pro, *etiam*, SPES NOSTRA FIRMA SIT. pro *eſt*, PRO VOBIS. non ſolùm afflictiones noſtræ & conſolationes noſtræ militant vobis, ſed etiam ſpes noſtra firma eſt. PRO VOBIS. hoc eſt, non ſperamus nobis tantùm, ſed & ſperamus ſtabili ſpe pro vobis, vt intelligatis omnia noſtra eſſe pro vobis. SCIENTES QVONIAM. pro *quòd*, SICVT SOCIJ PASSIONVM ESTIS, SIC ERITIS ET CONSOLATIONIS. Superfluit *eritis*. Ecce fundamentum firmæ ſpei pro vobis, certitudo (non opinio) quod quemadmodum participes eſtis afflictionum, ita & conſolationis, ſupple participes eſtis, certi ſumus quod quemadmodum in nobis abundantiam afflictionum comitatur abundantia conſolationis, ita in vobis participationem afflictionum comitatur participatio conſolationis. De præſenti conſolatione ſpirituali eſt ſermo.

Abundantiam afflictionum comitabitur abundantia conſolationum.

Verſ. 8. NON ENIM VOLVMVS IGNORARE VOS FRATRES DE TRIBVLATIONE NOSTRA QVÆ FACTA EST. Deficit *nobis*. IN ASIA Quia ſermones morales in communi ſunt minus efficaces, ideo poſtquam in genere dixit de conſolatione diuina in afflictionibus miniſtrorum Euangelij, deſcendit non ad ſpeciem, ſed ad indiuiduum. Probat itaque ex collata ſibi conſolatione, quæ dixerat in genere. Hanc autem tantam Pauli afflictionem in Aſia minore, nullibi niſi hic authenticè legi.

QVONIAM SVPRA MODVM GRAVATI SVMVS SVPRA VIRTVTEM. pro, *vires*. Exceſſus afflictionis deſcribitur ad ſimilitudinem oneris grauantis ſupra modum, ſupra vires eius cui impoſitum eſt: vt intelligamus onus grauare ſupra vires non parum, ſed ſupra modum, hoc eſt, valde exceſſiuè, ſine moderamine aliquo.

Quomodo ſe ſupra virtutem grauatum ait D. Paulus, cum dixerit quòd Deus non ſinit tentari ſupra vires?

Si obiicitur, quo pacto ſupra vires tam exceſſiue Paulus deſcribit ſe grauatum, & tamen ipſemet in priore Epiſtola dixit, *fidelis Deus qui non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Solutio eſt quòd hîc eſt ſermo de viribus naturalibus: ibi verò fuit ſermo de potentia omni tam naturæ quam gratiæ. Vnde & Paulus quamuis fuerit afflictus ſupra vires naturæ valde exceſſiue, non tamen fuit afflictus ſupra id quod potuit tam ex natura quam ex gratia.

ITA VT TÆDERET ETIAM NOS VIVERE. Caue ne intelligas Paulum ægrè tuliſſe quòd viueret (hoc enim mollis ac impatientis eſt animi) ſed intellige Paulum tædio vitæ affectum: hoc eſt quod eius viuere erat tot malis ſubiectum, quòd tædium ſui quantùm ex ſe erat, ingerebat. Sicut enim valde afflicta manus tædium ſui ingerit, ita valde afflicta vita tædium ſui parit, ſed non ſuperat fortem animum. Et quoniam numero plurali primæ perſonæ vtitur, intelligendum eſt quòd Paulus non ſolus ſuſtinuit hanc tantam afflictionem.

SED IPSI IN NOBISIPSIS RESPONSVM MORTIS HABVIMVS. Verſ. 9. Non ſolum ex parte afflictionum exceſſus fuit, ſed etiam ex parte noſtri animi eouſque deducti ſumus, vt exiſtimaremus nos mori: huiuſmodi enim intima exiſtimatio reſpõſum apellatur mortis in nobiſipſis, tanquam animus reſponderet eis quòd eſſent morituri. VT NON SIMVS FIDENTES IN NOBIS, SED IN DEO QVI SVSCITAT MORTVOS. Rationem reddit tanti grauaminis intùs & extra. Et meminit *qui ſuſcitat mortuos*, ad explicandum quòd velut mortui egebant diuino auxilio.

Reſponſum mortis quid.

QVI DE TANTIS PERICVLIS. Verſ. 10. pro, *de tanta morte*. Exaggeratio eſt afflictionis, ad commendandum diuinum beneficium. NOS ERIPVIT. Ecce conſolatio in tribulationibus. ET ERVIT. pro, *& eripuit*. Continuè enim (vt inferiùs ſubdet) pericula mortis imminebant. IN QVEM SPERAMVS. pro, *ſpem fiximus*. QVONIAM. pro, *quòd*, ET ADHVC ERIPIET. Conſolationem deſcribit comitem tribulationis præteritæ, præſentis & futuræ.

ADIVVANTIBVS. Verſ. 11. pro, *conſupplicantibus*, ET VOBIS IN ORATIONE PRO NOBIS. Hæc cõſupplicatio non ſolum refertur ad futurum *eripiet*, ſed ad præteritum *eripuit*, & ad præſens *eripit*. Attribuit enim Paulus liberationem ſui etiam conſupplicationibus Corinthiorum. VT EX MVLTARVM. pro, *multis*, PERSONIS FACIERVM EIVS QVÆ IN NOBIS EST DONATIONIS. pro, *de dono in me collato*. Ita quòd litera eſt; *vt ex multis perſonis de dono in me collato*, PER MVLTOS GRATIÆ AGANTVR PRO VOBIS, & non *pro nobis*, vt Latinus textus habet. Et eſt ordo literę: vt de dono in me pro vobis collato ex multis perſonis, per multos gratiæ agantur. Explicat enim tum quòd donum liberationis ſibi collatum, eſt ei collatum pro eis: hoc eſt, pro bono eorum, tum quòd huiuſmodi donum eſt ſibi collatum ex multis perſonis: hoc eſt, ex conſupplicationibus multarum perſonarum: hoc eſt diuerſarum conditionum hominum. Tum quòd pro tali dono debentur gratiarum actiones Deo per multos: vt quemadmodum hoc donum eſt beneficium conceſſum multis, ita à multis gratiæ agantur. Et dixit hæc ad explicandum efficaciam illius particulæ, *conſupplicantibus & vobis*.

Quia tamen non deſunt contendentes legendum eſſe *in nos*, & *pro nobis*, parui refert ad ſenſum Pauli, ſibi, vel ſibi & aliis commemorare donum collatum, & quod gratias agendas cenſeat vice ſui & aliorum qui beneficij participes fuerant.

NAM GLORIA. pro, *gloriatio* NOSTRA HÆC EST. Verſ. 12.

Quemadmodum

Quemadmodum ſuperius dixerat quòd *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio*, ſic modò deſcendendo ad indiuiduum, poſtquam deſcripſit afflictionem & liberationem, deſcribit quòd huiuſmodi afflictiones fuerunt pro Chriſto. Et propterea rationem reddendo ſuæ conſolationis dicit, *nam gloriatio noſtra hæc eſt*, ſubiungens cauſam Chriſti. TESTIMONIVM CONSCIENTIÆ NOSTRÆ, QVÒD IN SIMPLICITATE CORDIS ET SYNCERITATE DEI. Superflu it *cordis*. Ratio quòd gloriemur liberati, eſt quia non ob aliquod peccatum paſſi ſumus: conſcientiâ ſiquidem noſtrâ teſte certi ſumus quòd *in ſimplicitate & ſynceritate Dei*: hoc eſt, quòd non ſolùm in ſimplicitate & ſynceritate humana, non ſolùm in ſimplicitate & ſynceritate coram hominibus, ſed in ſimplicitate excludente a parte cognitiua omnem duplicitatem, omne mendacium, omnem fallaciam, & ſynceritate excludente a parte affectiua omnem impuritatem & immunditiam ſecundum Deum & corã Deo. ET NON IN SAPIENTIA CARNALI. quæ a ſimplicitate & ſynceritate Dei recedit, vtens fallaciis & admiſcens immunda. SED IN GRATIA DEI. Non ſolùm ad excludendam arrogantiam ſimplicitatis & ſynceritatis Dei in ſeipſis attribuit illas gratiæ Dei, ſed ad ſignificandum proprium officium propter quod afflictus eſt dicit, *ſed in gratia Dei*: hoc eſt, ſed ad propagandam Dei gratiam, ſed exercendo officium gratiæ Dei. De executione ſiquidem Apoſtolatus eius ſcriptum eſt quòd traditus eſt gratiæ Dei. Act. 15. CONVERSATI SVMVS IN HOC MVNDO. non ſolùm in vna ciuitate aut patria, ſed ſimpliciter & abſolutè in mundo. ABVNDANTIVS AVTEM AD VOS. hoc eſt, abundantius autem vſi ſumus erga vos gratia Dei. Et dixit hoc, quia Corinthios non grauauit ſumptu, & in hoc ſupererogauit. Et propterea magis erga ipſos vſus eſt gratiâ Dei.

Simplicitas eſt partis cognitiuæ, ſynceritas affectiuæ.

Verſ. 13. NON ENIM ALIA SCRIBIMVS VOBIS QVAM QVÆ LEGISTIS ET COGNOVISTIS. pro, *legitis & cognoſcitis*. Et eſt ſenſus quòd res quas dicimus de noſtra ſimplicitate, ſynceritate, & vſu gratiæ Dei, & abundantiori vſu erga vos, non diſſonant ab iis quæ legitis in præſenti Epiſtola & in priore, & ab iis quæ cognoſcitis de nobis. Ac ſi apertiùs dixiſſet quòd facta reſpondent iis quæ legitis, & iis quæ cognoſcitis. SPERO AVTEM QVÒD VSQVE IN FINEM COGNOSCETIS,

Verſ. 14. SICVT ET COGNOVISTIS NOS EX PARTE. QVIA. pro, *quòd*, GLORIA. pro, *gloriatio*, VESTRA SVMVS, SICVT ET VOS NOSTRA IN DIE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Superfluunt duæ dictiones, *noſtri & Chriſti*. Et eſt ſenſus, quòd ſpero quòd vſque ad finem cognoſcetis hoc (ſcilicet quòd ſumus gloriatio veſtra ſicut & vos noſtra) non in die hominis, ſed in die Domini Ieſu: hoc eſt, non in notitia & claritate humana, ſed in notitia & claritate Domini Ieſu. Cognoſcetis inquã, hoc quẽadmodum iam cognouiſtis nos, etſi non totaliter, tamen ex parte hoc eſt, partim. Sunt autem Paulus & ei ſimiles materia gloriationis Corinthiis, pro quanto tales ſortiti ſunt miniſtros Euangelij, quales pro eorum ſalute ac gloria æterna oportebat habere: Corinthij verò ſunt materia gloriationis Paulo, Apollo, & Timotheo, pro quanto dociles ſe exhibuerunt diſcipulos Euangelij. Et adiecit hæc Paulus non ſolùm ad cumulum teſtimonij propriæ innocentiæ ac ſanctæ conuerſationis, ſed ad ſignificandum ex hac mutua gloriatione fructum ex ſuo miniſterio ſubſequutum in ſe & in Corinthiis, velint nolint æmuli miniſtri.

Quomodo Paulus gloria Corinthiorum, & Corinthij gloria Pauli.

ET HAC CONFIDENTIA. mutuæ gloriationis. VOLVI PRIVS VENIRE AD VOS. Non ſiſtat Paulus, ſed tractatui de conſolatione diuina ſuppo nit excuſationem negati regreſſus ad Corinthios: eo quòd extra materiam conſolationis non eſt negotium hoc, ſed pro illorum erat conſolatione deliberatus regreſſus, & pro eorundem conſolatione retractatus. Quando autem aut quomodo (verbo vel ſcripto) Paulus deliberauerit hæc quæ ſcribit hic, neſcitur. Crediderim tamen ego hanc deliberationem fuiſſe antequam priorem Epiſtolam ſcripſerit. Quod ex eo coniicio quod in calce prioris Epiſtolæ dicit, *Veniam ad vos cùm Macedoniam pertranſiero, nolo vos nunc in tranſitu videre*, &c. hæc enim ideo dixiſſe videtur quia prius promiſerat quod hîc refert, ſcilicet per Corinthios tranſire in Macedoniam: retractando ſiquidem illud propoſitum dicit quòd prius vult ire in Macedoniam quàm Corinthum. VT SECVNDAM GRATIAM HABERETIS. ſecundæ viſitationis & prædicationis perſonalis. Verſ. 15.

Propoſitum per Corinthios in Macedoniam tranſeundi mutat D. Paulus.

Et per vos tranſire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Iudæam. Verſ. 16.

Cùm ergo hoc voluiſſem. pro, *deliberarem*, nunquid leuitate vſus ſum? mutando propoſitum. AVT QVÆ COGITO. pro, *delibero*, SECVNDVM CARNEM COGITO? pro, *delibero*. Mutante Paulo propoſitum & non ſeruante promiſſum regreſſum, oblocutiones huiuſmodi de Paulo exortę ac ab æmulis ſatæ videntur, quòd Paulus leuitate aut carnali affectu vel incõmodi vitãdi vel cõmodi oblati mutauit propoſitũ. In cuius ſignũ harum duarũ cauſarũ meminit, excludendo illas. VT SIT APVD ME EST ET NON. pro, *etiam etiam*, *non non*. Explicat actus leuitatis & carnalis affectus, abiiciendo a ſe illos. Tam leuis ſiquidem quàm carnalem agens affectum, occurrenti *etiam*, dicit *etiam*, & occurrenti *non*, dicit *non*: ad ſimilitudinem Gnatonis, *aiunt? aio; negant? nego*. Quod ille aſſentatorio officio, hoc Paulus leui ſeu carnali officio diuerſatione tribuit. Eſt itaque ſenſus literæ: num leuis, num carnalis ſum, vt apud me occurrens ſeu ſuggeſta affirmatio pariat affirmationem, & occurrens ſeu ſuggeſta negatio pariat negationem? hoc eſt, vt muter de affirmatione in negationem ob leuitatem aut carnalem affectum. Verſ. 17.

Leuitatem & carnalem affectum à ſe remouet Apoſtolus.

Gnato, aſſentator.

FIDELIS AVTEM DEVS. Timens ſeu præcauens Paulus ne oblocutiones huiuſmodi de ipſo in hac re minima retorquerentur ab æmulis in præiudicium prædicationis ſuæ: dicendo quòd ſicut in hac re Paulus mutatur modò affirmando ſe venturum, modò negando, ita in docendo inconſtans eſt: quod in maximum Euangelicæ prædicationis præiudicium fuiſſet, præcauens inquam, antequam reddat rationem mutati propoſiti circa regreſſum ad Corinthios, explicat quòd in prædicatione ſua nulla eſt mutatio, tum ex parte rei prædicatæ, tum ex Verſ. 18.

In prædicatione ſua immutatum ſe oſtendit Apoſtolus.

parte miniſtrorum prædicantium. A fidelitate autem diuina inchoat, vt à ratione immutabilis prædicationis. Fidelis ſiquidem eſt qui facit dicta. Ac ſi apertiùs dixiſſet: quicquid ſit de fidelitate hominum, fidelis eſt Deus ratio prædicationis noſtræ; ex cuius fidelitate procedit ſermo prædicationis noſtræ. QVIA, pro, *quod*, SERMO NOSTER QVI FVIT APVD VOS. Euangelizando perſonaliter. NON EST IN ILLO EST ET NON, SED EST IN ILLO EST. Superflua eſt vltima particula, & prior legenda eſt, *Non fuit etiam & non.* hoc eſt, non fuit affirmatiuus & negatiuus, non habuit mutationem de affirmatione in negationem, non modò affirmauit quod poſtea negauit aut è diuerſo.

Verſ. 19. Dei enim filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt (per me & Syluanum & Timotheum) non fuit etiam & non. Quamuis Latinus textus habeat, *non fuit in illo eſt & non.* Ecce ex parte rei prædicatæ probat prædicationem carere mutatione: quia res prædicata eſt Dei filius Ieſus Chriſtus. Nos enim (ſcilicet Ego Paulus, & Siluanus, & Timotheus) prædicauimus filium Dei Ieſum Chriſtum, in quo nunquam fuit *etiam* & *non*: hoc eſt affirmati negatio, aut negati affirmatio. Et meminit tam Dei filij quàm Ieſu Chriſti, ad ſignificandum quòd nec ſecundum diuinam nec ſecundum humanam naturam inſtabilis fuit, affirmando negatum, aut negando affirmatum. Ex eo quoque quod Syluani (quem Sylam eſſe aiunt in Actis Apoſtolorum celebrem) & Timothei meminit, inſinuat quòd iſti quoque in inuidiam obloquentium redacti erant. SED EST, pro, *etiam*, IN ILLO FVIT. hoc eſt, ſed tantummodo etiam ineſt affirmatio, veracitas, in illo (Chriſto) fuit.

Syluanus idem qui Sylas.

Verſ. 20. QVOTQVOT ENIM PROMISSIONES DEI, SVNT IN ILLO EST. Loco harum quatuor dictionum (*ſunt in illo eſt*) legendum eſt, *In ipſo etiam.* Et redditur ratio dicti, ſcilicet *ſed etiam in illo fuit*: quia quotcunque promiſſiones Dei adimplentur per Chriſtum (adimpletio enim promiſſionum ſignificatur dicendo *in ipſo* ſcilicet Chriſto, *etiam*: hoc eſt, ſunt etiam, ſunt affirmatio, ſunt verificatio, ſunt executio. Per Chriſtum enim inſtaurantur & quæ in cælis & quæ in terris ſunt iuxta promiſſiones diuinas. IDEO ET PER IPSVM. pro, *& in ipſo.* Reliqua addidit interpres: & pronomen *ipſo*, demonſtrat Chriſtum. AMEN, DEO AD GLORIAM VESTRAM. pro, *per nos.* Et eſt ordo literæ: *& in ipſo amen, per nos Deo ad gloriam.* Quod hactenus ſignificauit per *etiam*, modò ſignificat per *Amen*, Hebræo vocabulo. Et eſt ſenſus quòd non ſolum in Chriſto omnes Dei promiſſiones ſunt *etiam* (hoc eſt adimpletio) ſed etiam in ipſo Chriſto ſunt *amen*, hoc eſt, executio, *per nos*, per miniſterium noſtrum, *Deo ad gloriam*, in ſeruitium Dei, ad Dei gloriam.

Veracitas promiſſionum Dei.

Verſ. 21. QVI AVTEM CONFIRMAT NOS VOBISCVM IN CHRISTO. Poſtquam ex parte rei prædicatæ manifeſtauit quod in prædicatione ſua non eſt mutabilitas, modò monſtrat hoc ex parte prædicantium: afferendo quatuor dona diuina in ipſis prædicantibus, cum quibus non ſtat mutabilitas prædicationis. Primum autem donum eſt confirmatio, quam circumuallat vndique: dicendo *nos*, Euangelicos miniſtros, *vobiſcum*, hoc eſt, in miniſterio Euangelij quod vobiſcum egimus & agimus, *in Chriſto*, non in lucro, aut proprio bono: ſed in iis quæ Chriſti ſunt.

Quatuor dona diuina in prædicantibus excludentia rei prædicationis mutabilitatem.

ET QVI VNXIT NOS. Ecce ſecundum donum, non ſolum firmitatem ſed vnctionem gratiæ dedit nobis, ad mollificandum animos noſtros vt ſequeremur Chriſtum: vnctionem enim contra duritiam cordis nolentium amplecti viam Chriſti deſcribit. *Deus*: ſupple eſt qui hæc dona conceſſit, olim vnctionis & conſequenter confirmationis, vt non ſit dubitandum de mutabilitate: quia *ſine pœnitentia ſunt dona Dei.*

ET QVI SIGNAVIT NOS. Ecce tertium donum ab eodem Deo. Et ſumitur *ſignauit* pro *obſignauit* tanquam imprimendo ſigillum. Et hoc ad firmitatis ſignum ſpectat. Apoſtolica gratia tum in virtute miraculorum, tum in dono linguarum, tum in imitatione charitatis & patientiæ Chriſti, velut ſigillum erat in teſtimonium verorum miniſtrorum Euangelij. Verſ. 22.

ET DEDIT PIGNVS, pro, *arrham*, SPIRITVS IN CORDIBVS NOSTRIS. Ecce quartum donum quo profitentur ſe habere certitudinem futuræ felicitatis æternæ, habendo in proprijs cordibus ſpiritualem arrham. Arrha enim tam ſponſis quàm negotiatoribus datur in ſecuritatem contractus. Certitudo ergo ſpei tanta diffuſa eſt in cordibus, vt cognoſcant ſe habere arrham ſpiritus ſancti de æterna felicitate. Cum his ſiquidem donis non ſtat varia prædicatio: vt clarè patet.

Arrha datur in ſecuritatem contractus.

EGO AVTEM TESTEM DEVM INVOCO IN ANIMAM MEAM. Redit ad reddendam rationem quare mutauerit propoſitum circa regreſſum ad Corinthios. Et quoniam cordis ſolus Deus eſt teſtis, ideo iuramentum adhibet duplici vinculo, tum directè inuocando Deum in teſtem: tum per modum execrationis imprecando *in animam meam*: hoc eſt, in iudicium animæ meæ. Neceſſitas autem iurandi fuit propter æmulos obloquentes: vt ex iuramento adhibito indubiè crederetur vera excuſatio ſubiuncta. QVOD PARCENS VOBIS NONDVM VENI CORINTHVM. Ecce quod non leuitate nec carnali affectu mutaui propoſitum, ſed paterna ratione parcens vobis. In quo autem conſiſtat hoc *parcere*, ſubiunget inferiùs. Verſ. 23.

Iuramenti duplex vinculum adhibet D. Paulus.

NON QVIA DOMINAMVR FIDEI VESTRÆ. Explicaturus rationem ex parte conſolationis & lætitiæ Corinthiorum, ſollicitus fuit vt excluderet tertiam calumniam ſeu oblocutionem: puta quòd Paulus tanquam dominus mutabat propoſitum. Et hanc oblocutionem hucuſque reſeruauit excludendam: quia etiam verba Pauli (ſcilicet *parcens vobis*) nonnullum ſonabant dominium. Excludit itaque hanc rationem dicendo: *Non quia dominamur fidei veſtræ*, hoc eſt, vobis fidelibus: ſupple mutaui propoſitum ad parcendum vobis. SED ADIVTORES SVMVS GAVDII VESTRI. hoc eſt, ſed quia ſumus adiutores ſeu cooperatores gaudij veſtri: ideo mutaui parcens vobis ita quòd non dominium, ſed cooperatio ad gaudium veſtrum ratio eſt totius facti. NAM FIDE STATIS, egetis gaudio, quoniam fide conſtantes eſtis.

CAPVT

CAPVT II.

Verſ. 1. STATVI AVTEM APVD MEIPSVM HOC. Explicauerat ſuum parcere per adiutorium gaudij Corinthiorum, explicat modò quale fuerit adiutorium gaudij, per non accumulationem triſtitiæ. NE. pro, *non*, ITERVM IN TRISTITIA VENIREM. pro, *venire*, AD VOS. Ecce quid apud ſe decreuit, ſcilicet non venire ad contriſtandum eos: & hæc fuit ratio mutati propoſiti. Et aduerbium *iterum*, non determinat venire in triſtitia, ſed venire: non enim primâ vice venerat ad eos in triſtitia, ſed explicat quòd decreuit ſecundum ad illos aduentum non fore in triſtitia. Erat autem quam cauebat Paulus triſtitia, quæ fuiſſet & in ipſo Paulo & in Corinthiis, ſi Paulus tunc iuiſſet adhuc inceſtuoſo non purgato, & fortè adhuc non correctis aliis Corinthiorum peccatis, quorum in priore Epiſtola meminit. Fuiſſet enim triſtitia & Pauli, quem præſentia peccati prouocaſſet ad maiorem triſtitiam: & Corinthiorum, tum quos oportuiſſet punire, tum quos oportuiſſet compaſſionis affectu moueri.

Quemnam triſtitiam hic vitare voluit Apoſtolus?

Verſ. 2. SI ENIM EGO CONTRISTO VOS. ne leuis ratio hæc exiſtimetur, exaggerat illam vtrinque. Ex parte quidem Corinthiorum ſermone mutilo. *Si ego contriſto vos*, ſubaudiendo, quis vos conſolabitur? officium ſiquidem meum eſt conſolari vos. Et propterea indecens iudicaui vt vos contriſtarem: nam ſi ego vos contriſto, quis vos conſolabitur? Ex parte vero ipſius Pauli. ET QVIS EST QVI ME LÆTIFICET, NISI QVI CONTRISTATVR EX ME? Paſſiue ſumitur *contriſtatur* pro *triſtitia afficitur*. Retorquet in ſeipſum Paulus eandem priuationem conſolatoris. Intendit enim quòd ſi ego vos contriſto, & vos carebitis conſolatore, & ſimiliter ego carebo conſolatore: quia nullus eſt qui me lætificet, niſi læta diſpoſitio illorum qui triſtitia afficiuntur ex mea triſtitia, ex mea correctione. Impœnitentes ſiquidem & duri, quantumcunque ſint læti, non me lætificant: ſed lætitia illorum qui ex mea triſtitia aut reprehenſione, triſtitia afficiuntur, eſt quæ lætificat me, ac per hoc cum vos ſitis de numero illorum qui mœrore afficiuntur ex me, ſi a me efficeremini mœſti, quis me lætificaret vobis exiſtentibus mœſtis.

Verſ. 3. ET HOC IPSVM SCRIPSI VOBIS. Pronomen *hoc* demonſtrat vniuerſam hanc rationem triſtitiæ. Et *ſcripſi vobis*, demonſtrat hanc epiſtolam ſignificantem hæc. VT NON CVM VENERO TRISTITIAM SVPER TRISTITIAM HABEAM. Superfluunt duæ dictiones, *ſuper triſtitiam*. Ideo præmonui per Epiſtolam hanc, vt cùm venero non habeam triſtitiam: hoc eſt, vt interim ſubtrahatis materiam triſtitiæ corrigendo errata. DE QVIBVS OPORTVERAT ME GAVDERE. Vniuerſa Pauli triſtitia erat de hominibus peccantibus, de quibus oportuiſſet ſecundum rectum ordinem gaudere: qui debebant bene agere, & ſic eſſe materia gaudij Paulo. CONFIDENS IN OMNIBVS VOBIS, QVIA. pro, *quod*, MEVM GAVDIVM OMNIVM VESTRVM EST. Scripſi, inquam, hæc ad fugandam futuram triſtitiam meam, confidens non in aliquibus, ſed in omnibus vobis quòd meum gaudium æſtimatis vt veſtrum. Confidit Paulus in omnibus Corinthiis, præſumendo bonum de omnibus, ex eo quòd non conſtabat ei contrarium de aliquo.

Tota Pauli triſtitia erat de peccatis.

Verſ. 4. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas: vt non contriſtemini, ſed vt ſciatis quam charitatem habeam; pro, *habeo*, abundantius in vobis, pro, *vos*. Occurrit obiectioni quæ à Corinthiis aut æmulis fieri poterat contra Paulum profitentem quòd non vult triſtitia eos afficere; quâ fronte hoc dicis, cum tu tanta Corinthios mœſtitia affeceris in priore Epiſtola? Occurrit Paulus tum ex parte intentionis, quòd non ea ratione ſcripſerit, vt mœrore Corinthios afficeret, tum ex parte cogentis affectus: ita quod non tanquam liber, ſed tanquam preſſus multa afflictione & coarctatione cordis ratione inceſtus auditi (vt multitudo lacrymarum teſtatur) coactus ſum mœſtam ſcribere Epiſtolam, ad teſtificandum vobis magnitudinem amoris, quem erga vos gero.

Occurrit æmulorum obiectioni.

Verſ. 5. SI QVIS AVTEM CONTRISTAVIT ME. Superfluit *me*. De inceſtuoſo loquitur, qui triſtitiæ materiam intulerat: tantum ſcilicet [illegible]. NON ME CONTRISTAVIT, SED EX PARTE. hoc eſt, non mihi tantum triſtitiam intulit, ſed etiam multis veſtrum: ac per hoc mihi partem triſtitiæ intulit & partem vobis. VT NON ONEREM OMNES VOS. Rationem reddit quare dixit *ex parte*, vt ſcilicet non eximam omnes vos a participatione mœſtitiæ, quod fuiſſet onerare eos duritia cordis. Sciebat enim quòd multis eorum diſplicuerat factum, & mœrore affecti fuerant.

Verſ. 6. SVFFICIT ILLI QVI EIVSMODI EST. Ad conſolationem deſcendit pœnitentis inceſtuoſi: hoc etiam facto conteſtans quantum ſtudeat conſolationi Corinthiorum. Reconciliandum itaque Eccleſiæ diſponit iam eſſe inceſtuoſum pœnitentem. OBIVRGATIO. pro, *increpatio*, HÆC QVÆ FIT. pro, *facta eſt*, A PLVRIBVS. Cenſet Paulus ſufficere pro pœnitentia exteriore excommunicationem factam publice illius inceſtuoſi iuxta mandatum ipſius in priore Epiſtola. Fuit enim non ſolum publica eiectio, ſed etiam traditio Satanæ.

Pœnitentem inceſtuoſum Eccleſiæ reconciliandum diſponit.

Verſ. 7. ITA VT E CONTRARIO MAGIS DONETIS, ET CONSOLEMINI. Non ſolum ſufficere ad punitionem, ſed etiam exigi tum condonationem longioris pœnæ luendæ ſecundum rigorem iuſtitiæ, tum conſolationem eiuſdem pœnitentis, cenſet Paulus. Et rationem ſubiungit tam quòd ſufficiat quam quod condonent & conſolentur pœnitentem. NE FORTE. pro, *ne quomodo*, ABVNDANTIORI TRISTITIA ABSORBEATVR QVI EIVSMODI EST. Moderatam oportere eſſe pœnitentis triſtitiam manifeſtat, ne nimia triſtitia quodammodo abſorbeat pœnitentem: hoc eſt, ne nimia triſtitia omnem ſuum effectum in pœnitente pariat. Inter effectus ſiquidem triſtitiæ eſt deſperatio, eſt puſillanimitas, & deiectio animi ab omni bono.

Pœnitentis triſtitia ſit moderata.

Verſ. 8. PROPTER QVOD OBSECRO VOS VT CONFIRMETIS IN ILLVM CHARITATEM. Non eſt ſermo

de

de charitate ſeu dilectione quam habet ille pœnitens, ſed de dilectione Corinthiorum erga illum: vnde quod interpres antiquus dixit, *vt confirmetis*, moderni interpretantur *reſumite*, vel *validam efficite*. Non mandat, ſed obſecrat Paulus: vt efficaciùs moueat Corinthios ad efficiendum dilectionem ſuam erga pœnitentem illum validam, vt valeat, vt efficax ſit ad conſolandum illum.

Verſ. 9. IDEO. pro, *ad hoc*. ENIM ET SCRIPSI VOBIS, VT COGNOSCAM EXPERIMENTVM VESTRVM. hoc eſt, vt periculum veſtri faciam, vt experimentum veſtrum cognoſcam. AN IN OMNIBVS OBEDIENTES SITIS. hoc eſt, quemadmodum fuiſtis obedientes excommunicando illum, ita modò ſitis obedientes condonando & conſolando eundem.

Verſ. 10. CVI AVTEM ALIQVID DONASTIS. pro, *condonatis*, ET EGO. Explicat Paulus quod non ſic mandat Corinthiis hoc efficere, vt velit ſeipſum eximere, ſed quòd concurrit cum eis, ita quòd cui Corinthij condonant, & ipſe condonat. NAM ET EGO QVOD. pro, *cui*, DONAVI. pro, *condonaui*, SI QVID CONDONAVI PROPTER VOS IN PERSONA CHRISTI. Rationem concurſus ſui cum Corinthiis reddit, ex eo quòd ipſe in perſona Chriſti cõdonauit pœnam ſeu culpam eidem, & cuicunque alteri (ſi quando accidit me condonaſſe) *propter vos*, veſtri gratia, ad conſolationem veſtri. Ac ſi apertius dixiſſet: non incipio modò concurrere ad conſolationem veſtri: nam & in ſimilibus cõdonationibus, quas in perſona Chriſti exercui, vos habui ante oculos propter vos illas faciendo.

In perſona Chriſti condonat D. Paulus.

Verſ. 11. VT NON CIRCVMVENIAMVR. pro, *occupemur*, A SATANA. Ratio condonationis tam illorum quàm ipſius redditur ex alio capite, ſcilicet ex parte Satanæ. Prius enim reddiderat rationem ex parte nimiæ triſtitiæ, quæ ſuapte natura malum parit: modò verò ex parte Satanæ rationem reddit, ne nos Chriſtiani occupemur à Satana: hoc eſt, ab aduerſario iniuſte poſſideamur: vexabatur ſiquidem tunc excommunicatus ille à Satana. Cauet Paulus ne vexatio tranſeat in occupationem, tranſeat in poſſeſſionem occupantis: quod fuiſſet ſi penitus ille inductus fuiſſet in deſperationem. NON ENIM IGNORAMVS COGITATIONES EIVS. machinantis ſemper ad occupandum homines, omnibus quibus poteſt viis.

Inceſtuoſus excommunicatus vexabatur à Satana.

Verſ. 12. CVM VENISSEM AVTEM TROADEM. Declarauit hactenus Deum totius conſolationis in periculis Aſiæ, dilatione regreſſus ſui, in condonatione pœnitentis inceſtuoſi: proſequitur modò declarando eundem Deum totius conſolationis in ſucceſſu itineris. Et quantum conicio, hæc omnia in Aſia geſta & quæ modò ſubiungit, euenerunt medio tempore inter priorem Epiſtolam & hanc: illo ſcilicet tempore quo venturus erat iuxta promiſſionem ad Corinthios. Deſcripturus autem conſolationem præmittit mæſtitiam, PROPTER EVANGELIVM CHRISTI. propagandum. ET OSTIVM MIHI APERTVM ESSET IN DOMINO. hoc eſt, aditus pateret prædicationi meæ ad corda hominum.

Verſ. 13. NON HABVI REQVIEM SPIRITVI MEO. Ex parte mea, intentio erat propagandi Euangelium: ex parte auditorum, diſpoſiti erant ad audiendum: non tamen quieuit ſpiritus meus. Mæſtitia interna ſpiritualis ſignificatur ex impedimẽto occurrẽte ſubiuncto. EO QVOD NON INVENERIM TITVM FRATREM MEVM. Fateor me non penetrare quid impedimenti attulerit abſentia Titi internæ & paratę prædicationi. Video enim quòd impedimentum præſtitit tantum inquietans ſpiritum Pauli, ſed quare, non inuenio. SED VALEFACIENS EIS PROFECTVS SVM IN MACEDONIAM. Impeditus Troade, ad prædicandum alibi progreſſus eſt: ne tempus abſque Euangelio pertranſiret.

DEO AVTEM GRATIAS. pro, *gratia*. hoc eſt, gratiarum actio ſit. QVI SEMPER TRIVMPHAT NOS IN CHRISTO. hoc eſt, qui ſemper exercet per nos triumphum ſuum in Chriſto. Non dicit qui ſemper vincit, ſed (quod plus eſt) *qui ſemper triumphat*, parta victoriâ: pro quanto per ipſos Apoſtolos triumphat in cordibus hominum, debellatis dæmoniis. Deſcriptâ enim mæſtitiâ ex impedimento apud Troadẽ, conſolationem habitam in Macedonia deſcribit ex triumpho Dei in cordibus Macedonum per Apoſtolorum miniſterium. Verſ. 14.

ET ODOREM NOTITIÆ SVÆ MANIFESTAT PER NOS IN OMNI LOCO. Alterũ deſcribit beneficium diuinum collatum veris miniſtris Euangelij. Non ſolũ per nos triumphat de dæmonibus, vtendo nobis velut ad pugnam contra mundũ ad illius ſubiectionẽ; ſed etiam per nos manifeſtat non ſolum notitiã ſuam, ſed etiam odorem notitiæ ſuæ. Inter bonos & malos Euangelij prędicatores hoc intereſt, quod mali notitiam tantum Dei tradunt: boni autẽ manifeſtant etiam notitiæ diuinę odorem: hoc eſt, ſuauitatem, appetibilitatem, delectabilitatem. Suauitas enim diuinę notitiæ conſiſtit in operibus conformibus notitię: & ad hoc eſt appetibilis, & in hoc eſt delectabilis. Illi qui dicunt & non faciunt, manifeſtant tantum doctrinã fidei: qui autem dicunt & faciunt, manifeſtant in ſeipſis odorem ſuauiſſimum notitiæ quam habent de Deo. Vnde ad hoc explicandum ſubdit:

Inter bonos & malos Euangelij prædicatores differentia.

QVIA CHRISTI BONVS ODOR. pro, *bona fragrantia*, SVMVS DEO. Ratio quare per nos manifeſtat Deus odorem notitiæ ſuæ vbique, redditur ex hoc, quòd ſumus in veritate operum & meritorum Deo intima penetranti bona fragrantia Chriſti, ad differentiam malorum miniſtrorum, qui ſunt mala fragrantia Chriſti, nam per eos Chriſtus malè olet: vtpote perſonam Chriſti cum malis operibus gerentes, & quantum in ipſis eſt, Chriſtũ ipſis ſimilem (dicentem & non facientem) agentes. IN IIS QVI SALVI FIVNT, ET IN IIS QVI PEREVNT. Non variatur Chriſti fragrantia in nobis coram Deo ex diuerſitate auditorum (quorum aliqui ſunt electi, aliqui reprobi) ſed in vtriſque ſumus Deo bona Chriſti fragrantia: quoniam in vtriſque rectè exercemus miniſterium à Chriſto nobis delegatum. Verſ. 15.

ALIIS QVIDEM ODOR MORTIS IN MORTEM, ALIIS AVTEM ODOR VITÆ IN VITAM. Quamuis relati ad Deum, ex parte noſtra ſemper inueniamur bene olentes, ex parte tamen auditorũ, ex diuerſa diſpoſitione auditorũ cõtrarij ſentiuntur effectus; nã Chriſti in nobis beneolẽtia ab iis qui pereũt, ſentitur odor mortis. i. mortifera, in mortẽ. i. ad æternã eorũ mortẽ. Audientes ſiquidem Apoſtolos, ſermone & factis prædicantes Chriſti crucem, paupertatẽ, &c. ſentiunt Verſ. 16.

Euangelizatio aliis odor mortis, aliis odor vitæ.

hæc vt mortifera mundi: vtpote tollentia quæ ſunt commodi, quæ ſunt delectationis, quæ ſut vitæ humanæ. Ab electis verò qui ſalui ſiũt ſẽtitur odor vitæ ſpiritualis, odor vitæ animæ, in vitam æternam animæ, & tandem corporis.

Et ad hæc qvis tam idonevs? Superſtat *tam*. Hic deberet initium ſumere caput tertium huius Epiſtolæ: eo quòd hic incipit nouam tractare materiam. Poſt tractatam enim illam particulam *& Deus totius conſolationis* tractat illam, *& pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Tractat autem hanc, explicando ex natura noui Teſtamenti, excellentiam miniſtrorum eius reſpectu veteris Teſtamenti & miniſtrorum eius. Quod totum conſtat eſſe ex hoc quòd Deus eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti authoris noui Teſtamenti & miniſtrorum eius. Patris ſiquidem officium tam ingens in filio ſuo Ieſu Chriſto Domino noſtro in hoc demonſtratur, quod negatum eſt Moyſi & reliquis priſcis Patribus. Dixerat itaque Paulus ſe ſibique ſimiles miniſtros Euangelij eſſe per quos Deus nullibi ſuccumbit, ſed vbique non ſolùm vincit, ſed triumphat: dixerat eoſdem eſſe per quos Deus odorem ſuæ notitiæ manifeſtat, quia Chriſti ſunt beneolentia apud Deum & inter bonos & inter malos. Vbi hæc tam eximia dona affirmauit in ſe & ſibi ſimilibus percuſſurus æmulos abutentes tanto miniſterio ſubiunxit: *& ad hæc* officia triumphi & beneolentiæ, *quis idoneus*, ſubaudi aliorum? Quaſi dicat, nullus aliorum non ſimilium nobis, eſt idoneus. Et vt clariùs intelligatur quòd de alijs ſibi diſſimilibus loquitur, ſubiungit:

Excellentiam miniſtrorum noui Teſtamenti reſpectu miniſtrorum veteris ab hinc oſtendit.

Verſ. 17. Non enim svmvs sicvt plvrimi advlterantes, pro *multi cauponantes*. verbvm Dei. Ecce quare dixi de alijs *& quis idoneus*, quia nos veri miniſtri non ſumus ſimiles multis cauponantibus (hoc eſt, ad quæſtum abutentibus) verbum Dei. Contra prædicatores Euangelium vertentes in quæſtum, manifeſte loquitur, longe à mercenarijs locans veros Chriſti prædicatores. Sed. Deficit *tanquã*. ex synceritate. Quatuor conditiones proprias veris Chriſti prædicatoribus deſcribit in ſeipſis. Prima eſt tanquam ex ſynceritate, excludendo omnem admiſtionem cuiuſcunque impuræ intentionis: puta lucri, commodi, gloriæ, & reliquorum eiuſmodi. Sicvt. Deficit *ſed*. Legendum eſt, *Sed tanquam* ex Deo. apponendo legationem diuinam non ſolùm ad excludendum quamcunque humanam intentionem, ſed ad apponendum intentionem exequendi officium prædicandi non vt proprium, ſed vt delegatum à Deo. Et hæc eſt ſecunda prædicatorum conditio. Coram Deo. ecce tertia: hoc eſt habendo ſemper præ oculis præſentiam Dei. Non ſufficit nobis ſynceros ac legatos Dei exhibere nos coram hominibus (qui non intuentur intima cordis) ſed exhibemus nos tales coram Deo ipſo teſte ac iudice. In Christo loqvimvr. Ecce quarta: non prædicamus vana aut curioſa, ſed in Chriſto, hoc eſt habendo Chriſtum pro materia, ratione, ac fine eorum quæ loquimur.

Quatuor conditiones veri Prædicatoris.

CAPVT III.

Incipimvs itervm nosmetipsos commendare? Interrogatiuè legẽdum eſt, & eſt confutatio æmulorũ imponentium Paulo quod ſeipſum laudauerat in priore Epiſtola. Aduerſùs hanc ſiquidem oblocutionem oportuit Paulum inſurgere in principio huius tractatus de excellentia verorum miniſtrorum Euangelij (quales erãt ipſe & eĩ ſimiles) ne maioris oblocutionis anſam acciperent. Dicit *incipimus iterum* propter priorem Epiſtolam *noſmetipſos commendare?* quaſi dicat, abſit, cùm nec ſemel hoc fecerimus: nam nec olim nec modò dicimus quæ de nobis dicimus vt commendemus noſmetipſos, ſed ad commendandum veros Dei legatos, ad commendandum veros Euangelij miniſtros, ad differentiam tam falſorum quam mercenariorum. Verſ. 1.

Nvnqvid egemvs sicvt qvidam commendatitiis epistolis ad vos, avt ex vobis? Deeſt, *commendatitiis*. Attentat Paulus ad introducendum tractatum de natura noui Teſtamenti, dum facit tria ſimul: & manifeſtat quòd non eget commendatione apud Corinthios: vt hinc credatur quod non animo laudandi ſe ſcribit. Et percutit æmulos commendatitijs epiſtolis vtentes, & ianuam ſibi aperit ad tractandam de natura noui Teſtamẽti: quoniam hinc ex epiſtolis commendatitijs materialibus via recto tramite patet ad epiſtolas commendatitias ſpirituales ſcriptas in cordibus, quæ ſunt noui natura Teſtamenti.

Epistola nostra, hoc eſt, noſtri commendatitia. Vos estis. Qualiter Corinthij officium epiſtolæ ad commendationem Pauli exercerent, inferiùs ſubiunget. Significanter autem dicit *eſtis*: ad ſignificandum quòd non eloquij præconio, ſed rerum exiſtentia Corinthij epiſtola commendatitia Pauli ſunt. Scripta, pro *inſcripta*, in cordibvs nostris. hoc eſt, non geſtata manu aut ſinu, ſed in cordibus noſtris intus recondita: hoc eſt, tam chara nobis quam illud quod eſt impreſſum in cordibus noſtris: vt intelligant Corinthij, quam magnipendat Paulus huiuſmodi Epiſtolam. Qvæ scitvr, pro *intelligitur*, et legitvr ab omnibvs hominibvs. Mirabilis ac largiſſima qualitas huius Epiſtolæ commendatitiæ Pauli: valde enim præſtat cæteris: quia nulla epiſtola (ſiue Hebraicè, ſiue Græce, ſiue Latine, intelligitur & legitur ab hominibus omnibus, ſed tantum à cognoſcentibus illos characteres illudque idioma: hæc autem & legitur & intelligitur ab omnibus hominibus. Verſ. 2.

Corinthij ſunt epiſtola commendatitia D. Pauli.

Manifestati, pro *dum manifeſtamini*, qvoniam, pro *quia*, epistola estis Christi. Ecce modus quo epiſtola hæc commendatitia Pauli poteſt legi & intelligi ab omnibus hominibus. ipſa manifeſtatio quòd Corinthij ſunt epiſtola Chriſti, eſt exhibere omnibus hominibus, legendam & intelligendam commendationem Pauli: quemadmodum manifeſtatio miri operis arte facti inſcripto artificis nomine, eſt exhibere omnibus legendam Verſ. 3.

legendam & intelligendam commendationem [illegible].

Quæ ſenſus Dixerat itaque Corinthios epiſtolam eſſe commendatitiã tam Pauli ſcilicet & ſociorum: ſed non explicauerat conditiones huius epiſtolæ: & propterea deſcribendo conditiones epiſtolæ incipit ab authore, & dicit *Chriſti*. Et eſt ſenſus quod vos eſtis epiſtola, tum titulata a Chriſto, tum ſcripta a Chriſto: tum titulata a Chriſto, tum ſignificans Chriſtum: Quod enim intus habemus ſpiritualis fidei, ſpei, ac charitatis, Chriſtus in nobis & dictat & ſcribit, non alieno, ſed proprio nomine: & ipſe Chriſtus eſt qui creditur, qui ſperatur, qui amatur à nobis. Meritò ergo Corinthij appellantur epiſtola Pauli commendatitia, ſed Chriſti authoris & materiæ. MINISTRATA. pro, ſubminiſtrata, A NOBIS. Eſtis quidem Chriſti epiſtola, ſed non immediatè a Chriſto, ſed noſtro miniſterio, imò ſub miniſterio: ad differentiam miniſtrorum Chriſti ex parte ſuperiore. Ex qua parte Angeli miniſtrant Chriſto ad ſcribendas huiuſmodi epiſtolas. Apoſtoli enim & reliqui veri miniſtri Euangelij miniſtrant Chriſto ad huiuſmodi epiſtolas ex parte inferiore: dum ex parte ſenſuum, media ſenſibili prædicatione, mediis ſenſibilibus exemplis propriorum operum, mediis ſacramentis ſenſibilibus miniſtrant. SCRIPTA. pro, *inſcripta*. A quo fuerit inſcripta, textus non clarè monſtrat, nec deſunt iungentes pronomen *a nobis*, cum verbo *inſcripta*: legendo *a nobis inſcripta*. Sed punctum faciat quiſque vt placet: veritas eſt quod impreſſio ſiue intima ſcriptio eſt opera & Chriſti & ſubminiſtrantium prædicatorum.

Duo enim inueniuntur in illa: Primum eſt, quòd credenda, ſperanda, atque diligenda proponuntur mentibus auditorum, diſtinctè declarantur, probantur. &c. & quoad hoc interna ſcriptio fit a ſubminiſtrantibus. Alterum eſt, quod auditores aſſenſum, ſpem, dilectionemque adhibeant propoſitis, & quoad hoc Chriſtus eſt qui intus ſcribit: non excluſo tamen miniſterio Angelico, de quo quia non fit in textu mentio, pertranſimus.

NON ATRAMENTO. Omne genus cuiuſcunque liquoris quo ſcribi pingique poteſt, excludit: excluſo ergo, cuius eſt præcipuus in ſcribendo vſus. SED SPIRITV DEI VIVI. loco atramenti ſpiritum [illegible] Dei, non [illegible] ſed viuentis. Et Chriſtus operando in animo hominis aſſenſum, ſpem, atque dilectionem, virtute [illegible] efficaci Spiritus ſancti: & ſubminiſtrantes prædicatores manifeſtationem ac ſuaſionem ſingulorum, quæ credenda, ſperanda, ac diligenda ſunt, non ſolum a Spiritu ſancto ad hoc mouentur, ſed Spiritui ſancto in intimis auditorum operanti materiam ſubminiſtrant: ac per hoc & ipſi ſubminiſterialiter imprimunt in animos hominum, non per atramentum, ſed per ſpiritum Dei viuentis. NON IN TABVLIS LAPIDEIS. Directè hoc dicit ad differentiam legis veteris: quæ fuit ſcripta in tabulis lapideis, aſſerente Moyſe tabulas

Teſtamentum vetus in tabulis lapideis, nouum in carne ſcriptum. lapideas ſcriptas digito Dei. Deſcribit enim Paulus in Corinthiis differentem naturam noui Teſtamenti a natura veteris Teſtamenti penes [illegible] penes hoc, quod illud eſt ſcriptum in tabulis lapideis, hoc in ani-

mis hominum. Vnde è regione apponitur, SED IN TABVLIS CORDIS CARNALIS. Iuxta Ezechie- Ezechiel 36.
lis prophetiam Paulus loquitur: ſcriptum ... 26.
quidem eſt Ezechiel. 36. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum*. Propter hoc enim non dixit *in tabulis cordis*, ſed appoſuit *carnalis*, vt molles, vt facile receptiuas impreſſionum tabulas cordis deſcribat in electis Dei. In quorum cordibus Spiritus ſanctus imprimit quæ Chriſti ſunt. Collige prudens lector has conditiones, & percipe naturam noui Teſtamenti conſiſtere in iis quæ imprimuntur in animis hominum a Chriſto per Spiritum ſanctum, quod in nobis fit ſubminiſtrantibus Euangelicis viris credenda, ſperanda, diligenda, operanda, ac cauenda. Quod dico propter illos qui immediatè a Chriſto omnia habent: vt Apoſtoli & ſimiles.

FIDVCIAM AVTEM TALEM. Propoſi- Verſ. 4.
tà natura noui Teſtamenti, intendit ſingulas particulas declarare, ſed optima arte declarat illas vt ſunt in eſſe perfecto, vt ſunt in viris perfectis, quales ſunt miniſtri Euangelij: quoniam hinc cognoſcuntur etiam vt ſunt in proficientibus & incipientibus, quales erant Corinthij. Ita quod ſimul manifeſtat noui Teſtamenti naturam & miniſtros eius: & hoc ſecundum ex primo. Inchoat autem ab illa particula *ſubminiſtrata a nobis*, excludendo præſumptionem. Valde enim præſumptuoſum apparet prima fronte quod homo confidat ſe delegatum ad imprimendum in cordibus hominum ſubminiſtrando Spiritui ſancto. Et propterea dicit, *fiduciam talem* ſubminiſtrando inſcribendi ſpiritu Dei viui in cordibus aliorum: hæc enim eſt maximi operis fiducia. HABEMVS. nos miniſtri Euangelici. PER CHRISTVM. merito & dono Chriſti hominis. AD DEVM. qui operatur omnia in omnibus.

NON QVOD SVFFICIENTES SIMVS COGITA- Verſ. 5.
RE. non ſolum facere aut dicere, ſeu ſcribere. ALIQVID. quodcunque ſit illud, ſpectans ad noſtrum miniſterium, & non ſolum tam arduum opus. A NOBIS. miniſtris Euangelicis. QVASI EX NOBIS. tanquam ex propria officina, tanquam ex propriis viribus. SED SVFFICIENTIA NOSTRA. ad cogitandum, volendum, operandum, prædicandum, & vniuerſaliter ad omnia concernentia Euangelicum miniſterium. EX DEO EST. E regione *a nobis tanquam ex nobis*, locat *ex Deo*, ad ſignificandum quod ſeipſos ſecundum naturales vires ingenij, doctrinæ, morum &c. hinc, gratuita verò Dei dona inde locat. Et ſeipſos non negat poſſe cogitare, ſed negat ſufficientiam ad cogitandum. Poſſumus enim inſufficienter & cogitare & operari aliquid ad miniſterium Euangelicum ſpectans: vt experientia teſtatur in malis miniſtris.

QVI ET IDONEOS NOS FECIT MI- Verſ. 6.
NISTROS NOVI TESTAMENTI, NON LITERA. pro, *literæ*, SED SPIRITV. pro, *ſpiritus*.

Excluſa præſumptione declarat quòd de facto Deus effecit ipſos idoneos ad manifeſtandum ſpiritum: vt merito dixerit ſuperius, *ſubminiſtrata a nobis, & ſcripta ſpiritu Dei viuentis*. Vide prudentiam Pauli ſimul explicat ſe eſſe effectos idoneos miniſtros

noui Teſtamenti , & ipſum nouum Teſtamentum eſſe non literam ſed ſpiritum : vt ſimul intelligamus quod ſunt effecti idonei ad miniſtrandum ſpiritum , & quod nouum Teſtamentum eſt ſpiritus in carneis tabulis cordis impreſſus , de quo ſuperius ſub epiſtolæ ſpecie meminit. Et eſt appoſitiua conſtructio , dicendum , noui Teſtamenti non literæ ſed ſpiritus : hoc eſt : quod non eſt litera ſed ſpiritus. Et vere in hoc differt nouum a veteri Teſtamento , quòd vetus eſt litera conſtans ex præceptis legis , nouum autem eſt ſpiritus fidei , ſpei , ac charitatis. Et propterea in Theologia ſpeculatiua dicitur quod omnes Sancti ab initio mundi quatenus habuerunt gratiam fidei , ſpei , ac charitatis, ſpectarant ad nouum Teſtamentum. Propterea dicitur quod nouum Teſtamentum adiuuat hominem intus : vetus verò non : propterea dicitur quòd Euangelica ſcripta & Apoſtolica (quæ vulgo appellantur nouum Teſtamentum) non ſunt ipſum nouum Teſtamentum, ſed doctrina noui Teſtamenti : docent enim credenda, ſperanda , diligenda : ſcripta verò Moyſi ſunt ipſum vetus Teſtamentum : adiunctis Prophetis.

Teſtamentū vetus eſt litera conſtans ex præceptis legis: nouum autem eſt ſpiritus fidei, ſpei, ac charitatis.

LITERA ENIM OCCIDIT. Differentia inter vetus, & nouum Teſtamentum penès affectus contrarios deſcribit. Occidit autem , tum augendo concupiſcentiam: quia nitimur in vetitum. Tum addendo præuaricationem : quia factum committens contra legem ſcriptam, duplicem incurrit præuaricationem : & legis naturæ, & legis ſcriptæ. SPIRITVS AVTEM VIVIFICAT. Tum ferendo ſecum vitam gratiæ, tum adiuuando infirmitatem noſtram domando concupiſcentiam: tum operando meritoriè ad vitam æternam.

Quomodo litera occidit?

Verſ. 7. QVOD SI MINISTRATIO MORTIS LITERIS DEFORMATA IN LAPIDIBVS. Declaratā ſubſtātiā noui Teſtamenti, intendit excellentiā noui Teſtamenti relati ad vetus, gloriā ac qualitaté miniſtrorum noui Teſtamenti deſcribere. Et propterea affert initium veteris Teſtamenti : quando ſcilicet Moyſes vt Miniſter Dei intulit illud populo.

Argumentū à re geſta.

A re geſta argumentatur ſcriptā Exod. 34. narratur ſiquidem ibi quòd Moyſes ſecundò deferens tabulas lapideas quibus inſcripta erāt præcepta Decalogi , deſcendit à diuino colloquio ad populum, habens faciem radiantē claritate tanta , vt non poſſent filij Iſrael figere oculos in faciem Moyſi . & propterea Moyſes alloquendo populum velabat faciem ſuam : cum ibat autem ad loquendum cum Deo, tollebat velamen de facie ſua.

Quia , inquam, ita fuit miniſtratio veteris Teſtamenti , ideo ex illa argumentatur Paulus excellentiam adminiſtrationis noui Teſtamēti, conferendo conditiones conditionibus. Et quoniam iam dixerat tres differētias inter nouum & vetus Teſtamentum: primam in ſubſtātia ; quòd nouum *ſpiritus*, vetus *litera* : ſecundā in ſubiecto; quia nouum *in carneis tabulis cordis*, vetus *in tabulis lapideis* : tertiā in actione; quòd nouum *viuificat* , vetus *occidit*) ideo his tribus ſimul collectis , dicit *quod ſi miniſtratio mortis*. Vetus Teſtamentum appellat mortem iuxta id quod dixerat , *occidit*, & tum iungendo *literis*, ſubſtantiam ſignificat eiuſdem, & addendo *de-*

Tres differētia inter vetus & nouū Teſtamentum.

formata in lapidibus, ſubiectum demonſtrat. Miniſtrationem autem appellat ipſam exhibitionem , quia Moyſes exhibuit populo vetus Teſtamentum in tabulis lapideis.

FVIT IN GLORIA, corporali reſplendente in faciem Moyſi. ITA VT NON POSSENT INTENDERE FILII ISRAEL IN FACIEM MOYSI. Excellentia gloriæ deſcribitur vſque adeo reſplendentis , vt non poſſent corporeis oculis intentam aciem videndi figere filij Iſrael in faciem Moyſi. PROPTER GLORIAM VVLTVS EIVS. propter excellētiam ſplendoris vultus eius. QVÆ EVACVATVR. Hoc addidit Paulus, ad reddendum argumentum a minori ad maius. Et nouam per hoc explicat conditionem veteris Teſtamenti : quod ſcilicet aboletur, quòd quandoque finem eſſet habiturum : gloria ſiquidem illa apparens in facie Moyſi , gloria tranſitoria erat , & propterea dicitur *quæ euacuatur* ſeu aboletur.

Alia item differentia.

QVOMODO NON MAGIS MINISTRATIO SPIRITVS ERIT IN GLORIA? Attende prudēs lector, quòd in Antecedēte huius conditionalis quinque Paulus collegit, ſpectātia ad miniſtrationē veteris Teſtamenti: videlicet literam, mortem, gloriam, excellentiam gloriæ, & euacuationē. Quorū quinq; gloriā ſemper repetit, arguendo ſemper ex gloria miniſtrationis veteris Teſtamenti maiorem gloriam miniſtrationis noui, ſingillatim autem reliqua quatuor exequitur : inchoando à *litera*. Contra *literam* enim primū argumentatur , *quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Itaque vis argumentationis huius conſiſtit in collatione *ſpiritus* ad *literam*. Et eſt argumentum à minori, quòd ſi miniſtratio literæ fuit glorioſa , multo magis miniſtratio ſpiritus erit glorioſa. Verſ. 8.

Quinque ſpectantia ad miniſtrationē veteris Teſtamenti.

NAM SI MINISTRATIO DAMNATIONIS IN GLORIA EST. Interpres adiunxit duas dictiones *in* & *eſt*. Legendum eſt *Gloria*. Ordinatè procedit Paulus , primò enim contulit ſpiritum literæ : vtpote ſubſtantiam noui , ſubſtantiæ veteris Teſtamenti, modo conſequenter confert effectum effectui. Et quod ſuperius appellauit *mortis* , modò appellat *damnationis* eâdem ratione. Ex illa enim particula arguit quòd ſi miniſtratio damnationis (hoc eſt , literæ damnationem inferentis, augendo concupiſcentiam , & addendo præuaricationem) *gloria*, hoc eſt , glorioſa fuit. MVLTO MAGIS ABVNDAT MINISTERIVM. pro, *miniſtratio* IVSTITIÆ IN GLORIA. Loco eius quod ſuperiùs dixerat *viuificat* , modo dicit *iuſtitiæ*. Ita quod è regione occiſionis , mortis, & damnationis locat iuſtitiam , vt intelligamus vitam iuſtitiæ eſſe illam , de qua dixit, *ſpiritus viuificat* , eſſe illam quæ opponitur occiſioni , damnationi , & morti quam infert *litera* : & percipiamus nouum Teſtamentum eſſe ſpiritum viuificantem vita iuſtitiæ , de qua ſcriptum eſt : *Iuſtus ex fide viuet*. Et vtitur argumento ſimili præcedenti : conferendo miniſterium mortis , ſeu damnationis, cum miniſterio iuſtitiæ vitalis. Verſ. 9.

Comparat ſpiritum literæ.

Habac. 2. 4.

NAM NEC GLORIFICATVM EST QVOD CLARVIT. pro, *glorificatum eſt*, IN HAC PARTE PROPTER EXCELLENTEM GLORIAM. Auget argumētationē maioris gloriæ in miniſtratione noui quia veteris ex illa particula, *ita vt non poſſent filij Iſrael intendere in faciē Moyſi*. mōſtrat enim excellentiā gloriæ in facie Moyſi præſtitiſſe impedimentū Verſ. 10.

gloriæ

gloriæ. Et verè ſic fuit: quoniam excellentia ſplendoris impediebat gloriam ab ipſius gloriæ intuitu, quod eſt minuere glorificationem. Excellens enim ſenſibile ex ſua excellentia minuit ſenſationem ſui: quod eſt minuere ſeipſum in eſſe ſenſibili. Et ſimiliter excellens gloria Moyſi in hac parte (id eſt in facie) ex ſua excellentia minuit gloriam, quia minuit illius ſenſationem. Reddere enim gloriam inuiſibilem, ſeu minus viſibilem, eſt tollere ſeu minuere illam. Eſt itaque ſenſus literæ, quòd id quod glorificatum eſt in hac parte, hoc eſt, in facie Moyſi, non eſt glorificatum ſimpliciter & abſolutè: quia impeditum eſt ab intuitu propter excellentem gloriam, hoc eſt, propter excellentiam gloriæ nimio ſplendore opprimentis viſum. Et intendit per hanc conditionem quæ fuit in gloria faciei Moyſi, non ſolùm monſtrare quòd vnde fuit maior gloria inde reddita eſt minor, ſed inchoare differentiam inter ipſam & gloriam miniſterij noui Teſtamenti, penès hoc quòd excellens gloria Moyſi impedit ſeipſam ab intuitu: excellens autem gloria miniſtri noui Teſtamenti nullum præſtat impedimentum perceptioni ſui: vtpote ſpiritualis & ſpiritu conſpicienda.

Senſibile excellens minuit ſui ſenſationem.

Verſ.11. SI ENIM QVOD EVACVATVR PER GLORIAM. pro, *in gloria* EST. Argumentatur demùm ex vltima particula, *quæ euacuatur*. Et ſimili præcedentibus vtitur argumento, ſi teſtamentum quod abolетur, quod finitur quandoque, eſt in gloria. MVLTO MAGIS QVOD MANET, IN GLORIA EST. Differentia hæc inter vetus & nouum Teſtamentum penès *tolli* & *manere*, intelligitur ſecundùm proprias hæreditates ſingulorum. Vetus ſiquidem Teſtamentum diſpoſitio eſt hæreditatis terrenæ: vtpote terræ promiſſionis cum abundantia bonorum temporalium: vt claré patet in fine Deuteronomij. Et propterea de illo dicitur quod euacuatur ſeu aboletur. Temporalia enim tranſeunt, & ad literam in aduentu Meſſiæ ſublata ſunt Iudæis. Nouum vero Teſtamentum diſpoſitio eſt hæreditatis cœleſtis, quæ æterna eſt. Et propterea dicitur quod manet: vtpote manens in æterna felicitate ſibi propria.

Vetus Teſtamentum tollitur, nouum manet.

Verſ. 12. HABENTES IGITVR TALEM SPEM. Hactenus Paulus proponentis officio trifariam vſus eſt, primò ſub ſpecie Epiſtolæ: deinde ſub ſpecie noui Teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus: & demum ſub differentibus conditionibus ab illis quæ fuerunt in miniſtratione veteris Teſtamenti miniſtri vtique illud Moyſe. Ab hinc autem vſque ad ſextum capitulum tractat ſingula, inchoans a gloria. Inchoando a differentia inter miniſtros veteris, & noui Teſtamenti, penes hoc quod miniſtri veteris velant gloriam: miniſtri vero noui, abſque velo gloriam Domini exhibent populo. Incipit autem ab habita ſpe, non ſolum ad ſignificandam rationem libertatis noui Teſtamenti, eſſe ſpem æternæ gloriæ quæ eſt propria nouo Teſtamento, ſed vt incipiat ab ipſa ſoliditate noui Teſtamenti habita in ipſis miniſtris. Iam enim dixerat nouum Teſtamentum eſſe ſpiritum, & propterea ab ipſo ſpiritu ſpei habito incipit. Vnde & inferius eodem tenore proſequetur de ſpiritu fidei: multâ enim arte tractat Paulus ſingula propoſita.

Veteris Teſt. miniſtri gloriam velant, contrà noui Teſt. miniſtri ſine velo gloriam Domini populo exhibent.

Illam namque particulam, quâ dictum eſt nouum Teſtamentum eſſe ſpiritum, tractat particulatim repetendo habitum ſpiritum ſpei, ſpiritum fidei, ſpiritum fiduciæ, ſpiritum charitatis: quamuis non ſemper vtatur vocabulo *ſpiritus*: vnde hic dicendo *habentes igitur talem ſpem*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, habêtes igitur ſpiritu ſpei talis, ſcilicet manentis in æternum gloriæ, cuius immediatè antè meminerat. MVLTA FIDVCIA, pro, *libertate*, VTIMVR. De qua autem libertate loquatur, ipſemet explicat ſubiungendo:

ET NON SICVT MOYSES PONEBAT VELAMEN SVPER FACIEM SVAM. Verſ.13. Suſpende intellectum vſque ad illam particulam, *nos vero omnes*: quoniam Paulus ſuſpendit explanationem libertatis huius, illucuſque VT NON INTENDERENT FILII ISRAEL IN FACIEM, pro, *finem*, EIVS QVOD EVACVATVR. Attende diligenter quòd Paulus res geſtas corporaliter in Moyſe trahit ad ſenſum ſpiritualem. Ita quòd ex corporaliter geſtis tunc in Moyſe, intendit declarare ſpiritualem ſtatum Iudæorum. Et interpretatur appoſitionem velaminis, quam ſecundum rem geſtam exercebat Moyſes ad hoc vt excellens claritas non offenderet oculos filiorum Iſraël, ſignificare obcæcationem filiorum Iſraël, ad hoc vt non intuerentur finem veteris Teſtamenti: hoc eſt, vt non intendant in Chriſtum, qui eſt finis veteris Teſtamenti, quod abolеtur. Eſt itaque ſenſus literæ, quòd nos miniſtri noui Teſtamenti vtimur multa libertate, & non ſumus ſicut Moyſes ponendo velamen ſuper faciem ſuam. Hoc factum eſt corporaliter: ſed quod ſequitur, ſenſus eſt ſpiritualis, ſcilicet vt non intenderent filij Iſraël in finem: hoc eſt Chriſtum, qui eſt finis eius quod euacuatur: hoc eſt, veteris Teſtamenti, de quo ſuperiùs dixerat, *quod euacuatur*.

Res Moyſis corporaliter geſtas, trahit ad ſenſum ſpiritualem Apoſtolus.

SED OBTVSI, pro, *obcæcati*, SVNT SENSVS EORVM. Verſ.14. Explicat Paulus ſpiritualem ſtatum Iudæorum, quem deſcribere inceperat dicendo, *vt non intenderent*, &c. declarando hoc *non intendere* eſſe obcæcationem internorum ſenſuum filiorum Iſraël. Similem huic ſententiam habes in Eſaia: habes & in Euangelio Ioannis. VSQVE IN HODIERNVM ENIM DIEM IDIPSVM VELAMEN IN LECTIONE VETERIS TESTAMENTI MANET. Obcæcationem Iudæorum ampliùs explicat ex hoc quòd continuè perſeuerat velamen in Iudæis dum legunt vetus Teſtamentum, dum non intelligunt in eo verum Meſſiam: velamen itaque in facie Moyſi poſitum figuram eſſe cæcitatis filiorum Iſraël in lectione veteris Teſtamenti interpretatur Paulus. NON REVELATVM QVONIAM IN CHRISTO EVACVATVR. In facie Moyſi velamen erat non ſemper, ſed quandoque detegebatur facies eius. Et propterea adiungit Paulus *non reuelatum*, non detectum, vt velamen ipſum non ablatum declaret perſeuerare. Et rationem adiungit, *quoniam in Chriſto*, ſubaudi tantum, tollitur velamen. Iſti autem adhuc non habent lumen Chriſti. Vnde & declarando perſeuerantiam non reuelati velaminis ſubiungit:

Obcæcati ſenſus Iudæorum

SED VSQVE IN HODIERNVM DIEM CVM Verſ. 15. LEGITVR MOYSES. Tanquam alloquens filios Iſraël. VELAMEN POSITVM EST

SVPER COR EORVM. Velamen corporeum in facie Moyſi perſeuerat in figurato ſpirituali velamine poſito ſuper cor filiorum Iſrael, quod eſt obcæcatio eorum, quod eſt obduratio eorum, ſubtrahente Deo illis gratiam ſui luminis ad cognoſcendum Chriſtum.

Verſ. 16. CVM AVTEM CONVERSVS FVERIT AD DEVM, pro *conuerſi fuerint ad Dominum*, AVFERETVR VELAMEN. Iuxta hiſtoriam Moyſes cum loquebatur ad populum, velatus loquebatur: cùm verò vertebatur ad alloquendum Deum, tollebat velamen, & detectus loquebatur. Et propterea Paulus quemadmodum interpretatus eſt velatum Moyſen alloquentem populum, figuram eſſe obcæcati populi, ita modò interpretatur detectum Moyſen verſum ad Deum, figuram eſſe illuminati populi Iudæorum: ad hoc enim alludunt hæc verba, cùm autem conuerſi fuerint ad Dominum, in ſimilitudinem Moyſi qui à colloquio populi vertebatur ad alloquendum Dominum, tunc auferetur velamen in ſimilitudinem Moyſi qui auferendo velamen conuertebatur ad Deum.

Moyſes velatus ad populum loquebatur, velamen autem tollebat Deū alloquuturus.

Verſ. 17. DOMINVS AVTEM SPIRITVS EST. Dixerat, *Cùm autem conuerſi fuerint ad Dominum*: & propterea ex qualitate Domini procedit. Et cum multas habeat Dominus conditiones (eſt enim omnipotens, æternus, ſapiens, &c.) vna tantùm vtitur, dicendo, *Dominus autem ſpiritus eſt*: quoniam intendit propriam rationem reddere ſpiritualis ſtatus. Quemadmodum enim ex eo quòd Deus vita eſt, propria ratio redditur viuentium, & ex eo quod Deus ſapientia eſt, propria ratio redditur ſapientum, & ſic de ſimilibus, ita ex eo quòd Deus ſpiritus eſt, propria ratio redditur ſpiritualium. Tanquam ſi apertiùs dixiſſet: quamdiu filij Iſrael erunt tanquam corporaliter intendentes in Moyſen corporeum, velamen eſt ſuper cor eorum, cum autem verſi fuerint ad Dominum qui ſpiritus eſt, tanquam ſpiritualibus ſenſibus vtentes, tolletur velamen. Propter quod conſequenter ſubiungit:

Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. VBI AVTEM SPIRITVS DOMINI, IBI LIBERTAS. Ablationem velaminis probat ex conuerſione ad Dominum, quia Dominus ſpiritus eſt. Ex conuerſione enim ad ſpiritum qui Dominus eſt, ſpiritus Domini emanat in conuerſos, quo fiunt ſpirituales, ac per hoc fit in eis libertas à velamine. Aduerbia ſiquidem loci *vbi* & *ibi* circumloquuntur humanas mentes. Et enim ſenſus quod in iis animis, in quibus eſt ſpiritus Domini, in eis eſt libertas à velamine obcæcationis & obdurationis quod in cordibus Iudæorum perſeuerare deſcriptum eſt vſquequo conuertantur ad Dominum.

Verſ. 18. NOS VERÒ OMNES. Miniſtri Euangelici, ad differentiam tam Iudæorum, cum conuerſi fuerint (in quibus ſpiritus Domini ac libertas erit) quam Moyſi qui abſque quidem velamine cum Domino, ſed velatus cum populo loquebatur. REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECVLANTES. pro, *inſpeculantes*, IN EANDEM IMAGINEM. Superfluit *in*. Et eſt ſenſus, Nos miniſtri noui Teſtamenti inſpeculantes, hoc eſt, inſtar ſpeculi ſuſcipientes & reddentes, officium ſpeculi exercentes, tam ſuſcipiendo quam reddendo: ſuſcipiendo quidem gloriam Domini, reddendo verò eandem imaginem, quam ſcilicet ſuſcepimus. Vnico participio (*inſpeculantes*) vtrumque officium ſpeculi Paulus ſignificauit, ſuſcipere & reddere. Et duos appoſuit accuſatiuos, alterum ſignificans gloriam Domini quæ ſuſcipitur: alterum ſignificans eandem gloriam vt redditam, & propterea ſignificatur nomine imaginis eiuſdem. Speculum ſiquidem corporeum ſuſcipiens crucifixum, reddit eandem imaginem. Et ſimiliter miniſtri noui Teſtamenti detectâ facie ſuſcipientes gloriam Domini, ac eandem imaginem (hoc eſt, eiuſdem gloriæ imaginem) reddentes aliis deſcribuntur: ad differentiam Moyſi, qui licèt reuelatâ facie gloriam Domini ſuſciperet, non tamen eandem reddebat imaginem aliis, ſed oportebat velari faciem eius ſi alios alloqui voluiſſet. Quamuis etiam illa Moyſi fuerit corporalis, & non gloria Domini qui eſt ſpiritus. Miniſtrorum ſiquidem noui Teſtamenti gloria, eſt gloria ſpiritualis, quæ eſt verè gloria Domini qui eſt ſpiritus. Myſteria ſiquidem Dei manifeſtata ad Dei gloriam, appellantur gloria Dei: vt quòd Deus eſt Pater, Filius, ac Spiritus ſanctus; quòd Deus creauit mundum; quòd Verbum caro factum eſt; quod reſtaurat omnia in Ieſu Chriſto. Clara autem horum notitia infuſa à Deo, appellatur inſpeculatio quoad ſuſceptionem reuelata facie: & ſimiliter clara eorundem notitia quæ ab Apoſtolis aliis traditur, appellatur inſpeculatio quoad redditionem ſimiliter reuelata facie. Hæc verè fuiſſe in Apoſtolis doctrina eorum teſtatur, dum diuina myſteria, quæ tam occulte tradita erant in veteri Teſtamento, aperuerunt omnibus. TRANSFORMAMVR A CLARITATE IN CLARITATEM. pro, *à gloria in gloriam*, TANQVAM A DOMINI SPIRITV. Declarat per oppoſitum ad Moyſen huiuſmodi inſpeculationem. Quod vt intelligas, recole quod paulò ſuperius dixerat de Moyſe, *nec glorificatum eſt, quod glorificatum eſt*, &c. huius oppoſitum modò deſcribit in miniſtris noui Teſtamenti. Moyſes transformatus à gloria quidem eſt (nam in formam glorioſam mutatus ſecundum faciem eſt) ſed non in gloriam, quoniam quod glorificatum in eo eſt glorificatum propter excellentiam gloriæ. Miniſtri verò Euangelij transformantur, non perditione formæ naturalis, ſed ſuperuentione formæ glorioſæ (hoc eſt, cæleſtis gloriæ participatione in intellectu illuminato, in voluntate accenſa, in viribus animi confirmatis virtute ex alto) in gloriam exteriorem, manifeſtando aliis non ſolùm quæ nouerunt diuina myſteria, ſed etiam interna ſpei, charitatis, fortitudinis, &c. dona, quæ lucebant in factis eorum. Vnde ne intelligeres in gloriam mundanam, adiunxit *tanquam à Domini ſpiritu*. Actorem ſiquidem transformationis talis (ſcilicet à gloria interna ad gloriam externam intuendam ab aliis) explicat Domini ſpiritum, vſque adeò vt ſimul explicet Domini ſpiritum eſſe moderatorem, dicendo *tanquam*. Transformamur, inquit, à Domini ſpiritu, vt & quantum, & quando, & qualiter decet Domini ſpiritum transformare, à gloria in gloriam. Et reduxit effectum ſpiritualis transformationis in Domini ſpiritum tanquam in propriam cauſam, vt declarauimus. Et dixit ſpecialiter hoc contra obloquentes imponendo ei iactantiam: vt

Myſteria Dei appellantur gloria Dei.

Miniſtrorum Euangelij transformatio quoniam?

perpendant Corinthij quòd transformati à Spiritu Sancto, & faciunt & dicunt Paulus & ei ſimiles quæ ad laudem eorum ſpectare videntur.

CAPVT IV.

Verſ. 1. IDEO HABENTES HANC ADMINISTRATIONEM, IVXTA QVOD MISERICORDIAM CONSECVTI SVMVS. Intendit ex dictis conditionibus rationem reddere duorum emergentium, quorum alterum conſiſtit in facto eorum: alterum autem in facto incredulorum. Dicendo *ideo*, transformationem refert antedictam. Et eſt ſenſus, quia nos reuelatâ facie transformamur, &c. habentes talem adminiſtrationem non ex nobis ſed prout diuinam ſumus miſericordiam conſecuti. NON DEFICIMVS. Non ſegneſcimus, non negligimus.

Verſ. 2. SED ABDICAMVS, pro *abdicauimus*, OCCVLTA DEDECORIS. Conformes ſunt actiones noſtræ internæ claritati officij. Quemadmodum enim officium miniſtrandi nouum Teſtamentum gloriâ plenum eſt, ita nos in actionibus noſtris internis exhibemus abſque negligentia, & cum abiectione cuiuſcumque occulti dedecoris: ita quod nihil in intimis noſtris relinquimus quod pudeat manifeſtum fieri.

Euangelizandi officium gloriâ plenum.

NON AMBVLANTES IN ASTVTIA. Ecce vnum occultum dedecus, aſtuta diſpoſitio operum. NEQVE ADVLTERANTES. pro, *doloſè tradentes*, VERBVM DEI. Ecce alterum occultum dedecus interno dolo vti euangelizando. Et aſtutia quidem in ambulando, ad mores refertur: doloſa autem traditio, ad intentionem perducendi ad malum aliquid mediante prædicatione refertur: puta ad iudaizandum. SED IN MANIFESTATIONE. Superfluit *in*. VERITATIS. tum doctrinæ, tum vitæ. Et hoc ſpectat ad inſpeculationem reuelata facie. COMMENDANTES NOSMETIPSOS AD OMNEM CONSCIENTIAM HOMINVM CORAM DEO. Et hoc ex transformatione à gloria in gloriam tanquam à Domini ſpiritu: non commendamus noſmetipſos iactantiâ, ſed in manifeſtatione veritatis, & vitæ, & doctrinæ, & iuſtitiæ, non apud quoſdam, ſed apud omnem conſcientiam hominum: non qualemcunque, ſed coram Deo. Apud conſcientiam ſiquidem coram, qui ſecundum Deum res diſcernunt, commendamus noſmetipſos manifeſtando veritatem. Et hoc eſt primum factum, cuius rationem reddit ex conformitate ad officium. Alterum verò (quod ex incredulorum facto conſurgit) ſubiungitur.

Verſ. 3. QVOD SI ETIAM OPERTVM. pro, *velatum*, EST EVANGELIVM NOSTRVM, IN IIS QVI PEREVNT, EST OPERTVM. pro, *velatum*. Declarauerat Paulus differentiam inter nouum & vetus Teſtamentum penès hoc quòd vetus erat velatum, nouum autem eſt ſine velamine: poterat quiſpiam obijcere in nouo Teſtamento velamen inueniri obcæcationis multorum, quemadmodum de obcæcatione Iudæorum dictum eſt. Et propterea huic obiectioni occurrit, reddendo rationem talis velaminis inuenti apud quoſdam in nouo Teſtamento. Et ex duobus capitibus ſaluat differentiam antedictam. Primum quia in veteri Teſtamento velamen erat commune omnibus loquente Moyſe ad populum: in Euangelio autem velamen non eſt commune, ſed proprium illis tantum qui pereunt. Et hinc habetur quòd velamen non ſe tenet ex parte Euangelij aut miniſtrorum eius, quemadmodum in veteri Teſtamento, quod eſt aliud caput ſe tenens ex parte filiorum perditionis. Et ad hoc ſignificandum ſubiungit.

In lege velamen commune omnibus: in Euangelio ſolum ijs qui pereunt.

IN QVIBVS DEVS HVIVS SECVLI EXCÆCAVIT MENTES INFIDELIVM. Verſ. 4.
Quemadmodum ſcribit ad Philip. de quibuſdam, *quorum deus venter eſt*, ita Corinthijs ſcribit deum huius ſeculi dilectum quemque finem ab hominibus affectis in tranſitorijs: ſiue ille finis ſit delectatio carnis, ſiue gloria, ſiue quodcunque aliud tranſitorium. Omnes enim huiuſmodi fines conueniunt ſub ratione vnius finis, qui eſt bonum proprium tranſitorium: & talis finis *deus huius ſeculi* appellatur, ſicut venter appellatur deus deditorum gulæ. Et talis finis excæcat procul dubio mentes infidelium: affectatum enim quodcunque tranſitorium bonum priuat mentes hominum lumine ad videndum claritatem ſpiritualiũ bonorum, quæ per miniſtros Euangelij prædicantur.

Deus huius ſeculi quis.

VT NON FVLGEAT. pro, *infulgeat*. Deficit *ipſis*. ILLVMINATIO EVANGELII GLORIÆ CHRISTI, QVÆ EST IMAGO DEI, hoc eſt, vt ſint indiſpoſiti ad ſuſcipiendum fulgorem Euangelij, non cuiuſcũque rei, ſed gloriæ Chriſti. Chriſti enim gloria euangelizatur. Non eſt ergo velamen ex parte Euangelij, ſed ex parte excæcatorum indiſpoſitorum ad ſuſcipiendum apertum fulgorem gloriæ Chriſti euangelizatæ: audiunt ſiquidem iſti Euangelica verba, vident corporeis oculis Euãgelica facta & miracula: & tamen ex affectu ad tranſitoriũ aliquod indiſpoſiti ſunt ad ſuſcipiendum lumen fidei, quod vehit ſecum Euangelium, glorioſi Chriſti inſtrumentum. Apponit autem, *qui eſt imago Dei*, ad explicandum vtramque Chriſti naturam. *Chriſtus* enim nomen eſt regiæ dignitatis ſecundum humanam naturam competens: *imago* autem *Dei* nomen eſt filij ſecundum naturam diuinam. Generatur enim filius ex modo productionis ſuæ in ſimilitudinem naturæ patris. Et in hoc differt à Spiritu ſancto: vt Theologia ſpeculatiua diffusè tradit. Et propterea dicitur *imago Dei*. Propter diſtinctionem enim perſonalem inter ipſum & Patrem, dicitur imago: quæ non poteſt intelligi niſi relatiuè. Propter conſubſtantialitatem autem dicitur *Dei*. continet enim in ſe perfectè diuinam naturam.

Filius ex modo productionis ſuæ generatur ſimilis Patri.

NON ENIM NOSMETIPSOS PRÆDICAMVS. Verſ. 5.
Tractat Paulus hic particulam illam, *Chriſti*. Dixerat enim ſuperiùs, *epiſtola eſtis Chriſti*. Tractat autem Chriſtum eſſe illum, qui per miniſtros noui Teſtaméti tum prædicatur, tum geſtatur ſecundum vtrumque Chriſti ſtatum, ſcilicet mortalem & immortalem: vt author noui Teſtamenti intelligatur Ieſus Chriſtus ſecundum vtrumque ſtatum. In primis itaque tractat Ieſum Chriſtum eſſe illum qui prædicatur, excludendo ſeipſos. Et inducit hoc per modum rationis quare dixerit *vt non infulgeat gloria Chriſti*, continuando textum.

SED IESVM CRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Superfluit *noſtrum*. Significatur Ieſus Chriſtus

Dominum, vt omnium Dominus intelligatur, vtraque natura ſignificatum prædicari. Nos AVTEM SERVOS VESTROS PER. pro, *propter*, IESVM. non fratres, non ſocios, ſed ſeruos veſtros nos prædicamus eſſe propter Ieſum. Et verè ſerui ſunt Chriſtianorum miniſtri Euangelici ſanctè exercentes officium ſuum. Et eſt ſeruitus magna, bene nota illis qui exercent officium ſolum propter Ieſum.

Miniſtri Euangelici ſerui ſunt Chriſtianorum.

Verſ. 6. QVONIAM. Rationem reddit quare prædicamus Ieſum Dominum. DEVS QVI DIXIT: primo die creationis mundi. DE TENEBRIS, quæ erant ſuper faciem abyſſi. LVMEN SPLENDESCERE. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Ordinem naturæ ſignificat per præpoſitionem *de*, dicendo, *de tenebris*: priùs enim natura diaphanum eſt tenebroſum, quam illuminetur: quoniam ſecundùm ſe caret lumine. Quare non ſplenduit lumen de tenebris tanquam de materia, ſed tanquam de termino *a quo*, priore ſecundum naturæ ordinem. IPSE, non alius, Deus. ILLVXIT IN CORDIBVS NOSTRIS. Deus qui fuit author lucis corporalis in mundo ſubiecto tenebris, ipſemet ſpiritualem lucem edidit in cordibus noſtris, prius tenebris ignorantiæ & peccatorum ſubiectis.

Geneſ. 1. 3.

AD ILLVMINATIONEM. Non ſolùm nobis illuxit, ſed etiam ad aliorum illuminationem. Tantâ enim ſpirituali luce corda noſtra perfudit, vt ſpiritualiter illuminemus alios, quemadmodum lucem corporalem de tenebris primò fecit ad illuminationem aliorum. Illuminant autem alios dupliciter, tum ex parte obiecti, docendo clarè myſteria diuina, tum ex parte ſubiecti, ſubminiſtrando diſpoſitionem affectus, quâ diſcipuli diſponuntur ad hoc vt lumen fidei a Chriſto ſuſcipiant. SCIENTIÆ CLARITATIS, pro *cognitionis gloriæ*, DEI IN FACIE, pro *perſona*: CHRISTI IESV. Ecce ad quid illuxit in cordibus noſtris, ecce ad quid illuminandum per nos in cordibus aliorum, ſcilicet ad cognoſcendum gloriam Dei in perſona Ieſu Chriſti. Gloria in perſona Ieſu Chriſti, deitas eſt in perſona Ieſu Chriſti: ad cognitionem ſiquidem deitatis in perſona Ieſu Chriſti lux diuina in cordibus noſtris efficitur, illuminatio aliorum per miniſtros Euangelij tendit: hac enim cognita, reliqua clarè patent. Et hinc clarè patet ratio quare prædicamus Ieſum Chriſtum Dominum.

Scientia claritatis Ieſu Chriſti eſt cognitio deitatis in ipſo.

Verſ. 7. HABEMVS AVTEM THESAVRVM ISTVM IN VASIS FICTILIBVS, ſeu teſtaceis. Declarauit Ieſum Chriſtum prædicari per miniſtros noui Teſtamenti: declarat conſequenter modò Ieſum Chriſtum geſtari per eoſdem: prædicatio ſiquidem ſpectat ad verba: geſtatio autem ad facta. Declarat enim quod non ſolùm prædicamus verbo, ſed geſtamus factis Ieſum Chriſtum: factis autem manifeſtis in corporibus noſtris fragilibus. Et ad hoc ſignificandum vtitur ſimilitudine pretioſi theſauri reconditi in vaſis teſtaceis: quæ & vilia & fragilia ſunt. Theſaurum itaque appellat ſpiritualem lucem in cordibus propriorum & illuminationem aliorum: vaſa verò teſtacea propria corpora, tot miſeriis ſubiecta, ac meritò & vilia, & fragilia dicuntur. Et ſi in perſona miniſtrorum noui Teſtamenti ſibi ſimilium Paulus loquitur: declaratur tamen hinc quod geſtamus Chriſtum.

Prædicamus verbo, geſtamus factis Chriſtum.

VT SVBLIMITAS SIT VIRTVTIS DEI. Tranſpoſitio varians ſenſum interuenit. Legendum eſt, VT EXCELLENTIA POTENTIÆ SIT DEI, ET NON EX NOBIS. Ratio redditur quare tam pretioſus theſaurus habetur in vaſis fragilibus: vt ſcilicet excellentia potentiæ ſeruantis theſaurum inter tot occurrentia aduerſa, ſit Dei, & non ex nobis. Si vaſa eſſent impaſſibilia, potentia ſeruatiua eſſet ex vaſis: ſed eo ipſo quòd vaſa ſunt tam fragilia, non ſolùm potentia, ſed excellentia potentiæ opus eſt aliunde ad ſeruandum theſaurum. Aliunde autem in propoſito eſt Deus: ideo itaque in vaſis teſtaceis theſaurum habemus, vt Dei ſit excellentia potentiæ ſeruatiuæ quâ opus eſt ad ſeruandum. Adiungit autem *& non ex nobis*, & non dicit, *& non noſtra*: vt intelligamus nos quidem concurrere ad ſeruandum theſaurum, noſtrum quoque opus eſſe ſeruationem theſauri, ſed non ex nobis ſeruari illum, ſed ex Dei potentiæ excellentia ſupra fragilitatem noſtram, ſupra omnia aduerſantia.

Diuina potentia fragilitatem noſtram erigit.

IN OMNIBVS TRIBVLATIONEM PATIMVR, SED NON ANGVSTIAMVR. pro, *anguſtamur*. Declarat per partes quatuor, tum quod eſt vaſorum teſtaceorum, tum quod eſt potentiæ Dei. Affligi in omnibus, fragilitatis noſtræ: ſed non anguſtari in animo, diuinæ eſt potentiæ efficientis in nobis vt quantumcunque in omnibus affligamur, nunquam tamen anxij (velut in anguſto poſiti vnde euadere non poſſimus) reddimur: hoc enim primum directè reſpicit diuinam opem in animo. Verſ. 8.

APORIAMVR. Græcam dictionem interpres vſurpauit: cùm Latinè potuiſſet dicere. EGEMVS. Ecce quod eſt miſeriæ noſtræ. SED NON DESTITVIMVR. Ecce quod eſt diuinæ potentiæ non relinquentis nos in noſtra indigentia: quod clarè ſpectat ad res exteriores.

PERSECVTIONEM PATIMVR. Ecce quod eſt noſtrum. SED NON DERELINQVIMVR. Ecce quod eſt Dei, deſerentis in perſecutionibus de loco ad locum, ſed fouentis continuè. HVMILIAMVR, SED NON CONFVNDIMVR. Neſcitur quis hanc particulam Pauli textui inſeruit: nam in Paulo, quarto & vltimo loco ſubiungitur. DEIICIMVR. Ecce quod miſeriæ noſtræ eſt. SED NON PERIMVS. Ecce quod potentiæ Dei eſt, permittentis quidem nos deiici in pericula mortis, ſed ſuſtinentis ne pereamus. Quod frequentiſſimè impletum legimus in Paulo, & aliis. Et hoc intellige vſque ad palmam martyrij excluſiuè: non enim intendit Paulus quòd nunquam corpore pereamus in præſenti vita, ſed quòd deiecti in mortis pericula, non perimus corpore citra palmam. Et tunc etiam non perimus, ſed dormimus corpore vſque ad reſurrectionem. Verſ. 9.

SEMPER MORTIFICATIONEM. Deficit: *Domini*, IESV CHRISTI. Superfluit *Chriſti*. IN CORPORE NOSTRO. Superfluit *noſtro*. CIRCVMFERENTES. Ecce quorſum tot, talia ac tanta patimur, ad hoc vt geſtemus non quandoque, ſed ſemper: non alicubi, ſed circumcirca, non in animo, ſed in corpore mortificationem qua in hac præſenti vita olim mortificatus eſt multipliciter Ieſus Dominus: hoc eſt, quamuis eſſet Dominus vniuerſorum. VT ET VITA IESV MANIFESTETVR IN CORPORIBVS NOSTRIS, pro *in corpore noſtro*. Ecce quorſum excellentia potentiæ Dei ſeruat theſaurum inter tot afflictiones Verſ. 10.

fragili

fragilitatis noſtræ: ad hoc vt vita immortalis, ad quam reſurrexit Ieſus (quam habet, quâ fruitur & regnat Ieſus) manifeſtetur in corpore noſtro, tanquam protegens & ſuſtentans illud: afflictiones enim & tormenta euangelizantium, tam potenter non ſolum tolerata, ſed ſuperata, teſtimonia ſunt Ieſu Chriſti viuentis & ſeruantis & vincentis: propter quod martyria ſunt appellata.

Tormenta euangelizantium teſtimonia ſunt Chriſti viuentis.

Verſ. 11. SEMPER ENIM NOS QVI VIVIMVS, IN MORTEM TRADIMVR PROPTER IESVM. Declarat quid eſt circumferre mortificationem Ieſu in corpore: eſt enim nos quamdiu viuimus, ſemper (hoc eſt tum abſque vlla ætatis exceptione, tum propter aſſidua, imo continua pericula vitæ) in mortem, hoc eſt in mortis pericula, in mortis amica ac nuntia (nuditatem, eſuriem, tormenta, inſidias, &c.) tradi, non propter crimen, ſed *propter Ieſum*: tradi autem a Deo examinante nos velut aurum, à nobis ipſis in holocauſtū diuinum, ab aduerſariis perſecutoribus nominis Chriſtiani. VT ET VITA IESV immortalis. MANIFESTETVR IN CARNE NOSTRA MORTALI. Declarat quod dixerat, *in corpore noſtro*, quod de corpore noſtro in ſtatu mortalitatis lumus loquitur.

Verſ. 12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATVR, VITA AVTEM IN VOBIS. Pronomina *nobis* & *vobis*, differentiam inter miniſtros Euangelicos (inter quos erat Paulus) & alios Chriſtianos denotat. Et poteſt intelligi, velut ſonat, de vita corporali, & morte corporali. Et eſt ſenſus, ex iis quæ patimur, infertur quòd in nobis mors, hoc eſt, mortalitas exercet quæ mortis ſunt, vt afflictiones, &c. in vobis autem qui non patimini propter Ieſum, vita operatur: hoc eſt, vitalis pars exercet quæ vitæ ſunt: vtpote non impedita per afflictiones, inediam, tormenta, &c. Vel de vita & morte Chriſti, de qua fuerat locutus, & eſt ſenſus, ex iis quæ patimur, infertur corollariè, quòd in nobis etiam mors Chriſti operatur mortalia, afflictiones, &c. in vobis autem qui non patimini propter Ieſum, vita tantum Chriſti operatur vitalia: dona ſcilicet vitalis gratiæ in animabus. Non quod mors Chriſti nullo modo operetur in eis, (cùm conſtet eam omnium operari ſalutem,) ſed quatenus non operatur in illis per modum aſſimilationis, quo mors operatur mortalia, & vita operatur vitalia. Secundum enim talem operandi modum Paulus loquitur, exponendo quomodo.

Mors in nobis operatur, vita in vobis, quomodo?

Verſ. 13. HABENTES AVTEM EVNDEM SPIRITVM FIDEI. Declarato Chriſto tam prædicato, quam geſto per miniſtros noui Teſtamenti, declarat modum quo miniſtri noui Teſtamenti inſcribunt Chriſti Epiſtolam, illuminant alios, miniſtrant ipſum Teſtamentum nouum. Et quemadmodum prius deſcripſerat ſubſtantiam noui Teſtamenti in ſpiritu ſpei, dicendo, *habentes igitur talem ſpem*, ita modo proſequendo eandem ſubſtantiæ deſcriptionem dicit, *habentes autem*, nos miniſtri Euangelici, *eundem*, non diuerſum, *ſpiritum fidei*. Noui ſiquidem Teſtamenti ſubſtantia eſt ſpiritus & fidei, & ſpei, & charitatis, non diſtinctus in diuerſis, quamuis maior in vno quam in alio. Et quemadmodum ſpem miniſtrorum attulit pro ratione libertatis, quam poſtea declarauit eſſe libertatem a velamine obſcuræ doctrinæ, ita modò ſpiritum fidei affert pro ratione locutionis Euangelicæ ad alios. In qua explicatur modus inſcribendi Epiſtolam ſpiritualem. Propter quod ſignificanter non dicit *habentes fidem*, ſed *ſpiritum fidei*: vt intelligamus & rationem imprimendi in aliorum animos eſſe Spiritum ſanctum in miniſtris, & rationem impellendi miniſtros ad loquendum eſſe ſanctum ſpiritum fidei: ad hoc enim ſignificandum ſubiungit:

Spiritus fidei, ſpei, & charitatis eſt ſubſtantia noui Teſtamenti.

SICVT, pro *ſecundum quod*, SCRIPTVM EST, CREDIDI, PROPTER QVOD LOCVTVS SVM: ET NOS CREDIMVS, PROPTER QVOD ET LOQVIMVR. Fiduciam poſteris præbuit Paulus vtendi ſacrâ Scripturâ tranſumptiuè ad ſpirituales materias, ex hoc ipſo quòd ipſe vtitur Pſalmo tranſumptiuè. Dauid enim ad literam explicat ſe credidiſſe Samueli de ſuo regno, & propterea locutum fuiſſe quod crediderat: Paulus tranſumit hæc ad credulitatem Chriſtianæ fidei in miniſtris, propter quam & loquuntur euangelizando quod credunt.

Verbis Pſalmi tranſumptiuè vtitur Apoſtolus.

Caute tamen Paulus vtitur his verbis Pſalmi: nam dicit ſe credidiſſe, propter quod & loqui, ſecundum quòd Propheta dicit ſe credidiſſe, & propterea locutum eſſe. Veſtigia enim Prophetæ ſequi ſe ſignificat: & non aſſerit quod Propheta loquatur de credere neceſſario ad ſalutem. Dicendo, *propter quod & loquimur*, actionem manifeſtat, quâ miniſtri Euangelici vtuntur ad illuminandum & inſcribendum: ſuperiùs ſiquidem explicauerat libertatem, ſed non actionem, dicendo, *habentes talem ſpem*, multa libertate vtimur: modò explicat actionem dicendo quòd propter ſpiritum fidei loquimur, proculdubio euangelizando.

SCIENTES, non opinantes. QVONIAM, pro Verſ. 14.
quod, QVI SVSCITAVIT. Deficit *Dominum*. IESVM, ET NOS CVM IESV, pro *per Ieſum*, SVSCITABIT: ET CONSTITVET VOBISCVM. Ex ſpiritu fidei loquimur ad hoc vt ſalui ſitis: certificati à Spiritu ſancto, quòd non ſolus Ieſus habet vitam immortalem, nec ſoli nos miniſtri per Ieſum illam habebimus, ſed etiam vos habebitis eandem: & quod amplius eſt, nos & vos ſimul ſuſcitabimur, & conſtituemur per Ieſum. Spiritus itaque fidei cum hac certitudine veſtræ ſimul futuræ immortalis vitæ, & ſtatus ſimul, impellit nos miniſtros ad loquendum.

OMNIA ENIM PROPTER VOS. Ex eo quòd Verſ. 15.
etiam dona ſpei, ac fidei nobis conceſſa impellunt nos ad loquendum, & loquendo eſt propter veſtram ſalutem, aſſumit pro ratione quòd omnia noſtra (miniſtrorum ſcilicet) diſponuntur a Deo propter veſtram ſalutem. VT GRATIA ABVNDANS PER, pro *propter*, MVLTOS, pro *multorum*, IN GRATIARVM ACTIONE, pro *gratiarum actionem*, ABVNDET IN GLORIAM DEI. Optima ratio reſoluens in finem vltimum gloriam Dei: ideo omnia noſtra diſponuntur propter vos, vt gratia in nobis exiſtens, exuberans & redundans in vos, exuberet per hoc in gloriam Dei, multiplicatis gratias agentibus iuxta multiplicationem doni in multos.

PROPTER QVOD NON DEFICIMVS. Verſ. 16.
Tractat illam particulam *quod manet*, ſuperius inter noui & veteris Teſtamenti differentias poſitam: dicendo, *Si enim quod euacuatur*

cuatur gloria, multo magis quod manet in gloria eſt. Permanentiam ſiquidem noui Teſtamenti declarare intendit ex differentia inter æterna & temporalia: tanquam temporalia ſint promiſſa veteri Teſtamento, æterna autem nouo, & propterea meritò illud aboletur, hoc manet. Continuat autem præcedentibus tractatum hunc ex identitate cauſæ, dicendo *propter quod*, refert enim relatiuum *quod*, certificationem futuræ immortalitatis antedictam: propter huiuſmodi, inquit, certitudinem non deficimus, non vincimur laboribus, non ſegneſcimus, non laſſamur. Sed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem. pro, *nouè*. Internum & externum hominem Paulus diſtinguit, non vt quemlibet hominem aſtruat eſſe duos homines, ſed vt vnum eundemque hominem ſecundum diuerſa officia ſeu diuerſas conditiones, internum externumque ſignificet: quilibet enim homo ſecundum conditiones animi appellatur internus homo: ſecundum autem conditiones corporis appellatur externus homo.

Permanentiam noui Teſtamenti declarat ex differentia inter æterna & temporalia.

Homo internus & externus.

Dixerat Paulus quòd *non fatigamur*, declarat quo ſenſu & quare hoc dicat, ſcilicet non corpore ſed animo: quinimo animus magis renouatur, quam is corpus non ſolum laſſetur, ſed quod plus eſt corrumpitur continuá reſolutione tendens ad mortem. Dicit autem hominem ſecundum internas animi conditiones renouari propter continuum profectum, recedendo à vetuſtate peccati & fomitis, & participando nouitatem cœleſtis vitæ. Et adiungit aduerbium *noue*, ad ſignificandum ſtatum nouitatis ſpiritualis: vt intelligamus quod renouatur ſecundum ſtatum nouitatis ſpiritualis, qui proportionaliter ſimilis eſt ſtatui vetuſtatis naturalis; nam quemadmodum corpus verſus mortem tendens continuá reſolutione non æqualiter deficit, ſed quò plus verſus mortem veteraſcit, plus augetur deficere (deficit enim ſeptuagenarius plus vno menſe quam quinquagenarius vno anno, &c.) ita è conuerſo animæ profectus longe maior ſignificatur, quanto magis renouatur & appropinquat magis cœleſti nouitati. Ita quod dicendo *renouatur noue*, ſignificat quod renouatur proportionaliter ſecundum ſtatum nouitatis.

Homo quò magis veteraſcit, magis deficit.

Aduerte prudens lector quot & quæ Paulus tractando permanentiam noui Teſtamenti, proponit: vt ea ſingulariter ſcias executiones.

Verſ. 17. Id enim quod in præsenti eſt momentaneum et leue, pro, *id enim quod tranſitorium eſt leue*, tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate. Penuria vocabulorum correſpondentium Græcis cogit interpretes circumloqui verba Pauli ſonantia excellenter ſupra modum. Aeternum gloriæ pondus operatur in nobis. Superfluit *in*. Rationem reddit quare non fatigemur inter continuas externi hominis afflictiones: quia quicquid afflictionis noſtræ eſt, et leue & tranſitorium, & efficit nobis gloriæ pondus excellenter ſupra modum & æternum. Singula ſingulis reddit Paulus, noſtræ tribulationi, gloriam; momento, leuitati, pondus ſupra modum excellens, & tranſitorio æternum. Et quidem quod vniuerſa hominis afflictio in corpore & exterioribus ſit momentanea, clarum eſt: cum vniuerſum tempus vitæ hominis relatum ad æternitatem nihil ſit. Quòd verò leuis ſit, non tam clarè liquet. Veruntamen ſi Pauli verba penſentur, clara eſt ſententia: quoniam addit pronomen *noſtræ*: amanti ſiquidem ſpiritualia & affectui diuiſo ab his temporalibus, leuis eſt omnis iactura corporis & reliquorum quæ tranſeunt propter ſpiritualia & æterna. Quamuis etiam abſolutè loquendo leue ſit quicquid in hac vita pati homo poteſt, relatum ad id quod pati poteſt anima ſeparata: quemadmodum exiguum eſt quicquid eſt riuulorum relatum ad fontem: animus ipſe purus cum patitur, incomparabiliter patitur reſpectu eius quod immediatè corpori ſentit. Metaphora verò ponderis coactus eſt vti, vt leui contrarium opponeret. Et quemadmodum leue vocat tum quod paruipenditur, ita pondus appellat quod magnipenditur: tum quod inconſtans eſt, ita pondus quod conſtans eſt. Dicit enim *pondus gloriæ*, gloriam cõſtantem ſignificãdo: ad differentiam mundanæ gloriæ, quæ vere incõſtans & leuis eſt: vtpote in opinione hominum conſiſtens. Nec ſat fuit explicare gloriam non mundi huius (quæ inconſtans & paruipendenda eſt) ſed quæ vere conſtat, & magnihabenda eſt, ſed appoſuit excellenter excellentem, vt ineffabilem excellentiam veræ gloriæ cœleſtis, quæ acquiritur per has afflictiones, ſignificaret.

Afflictio hic leuis & momentanea; gloriæ pondus ſolida & æterna.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Verſ. 18.
De quali gloria loquitur, explicat ex qualitate præmiorum, quæ per ſuam nominis expectanda: ſimulque explicat qua ratione præſentes afflictiones operantur nobis tam excellens pondus gloriæ: quia ſcilicet nos non conſideramus præmia quæ videntur in præſenti vita, ſed quæ non videntur in præſenti vita. Et quod de præmiis Paulus loquatur, teſtantur ſubiuncta. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. Sciebat Paulus multas res videri corporeis oculis quæ non ſunt temporales (vt ſolem & ſtellas) ſed quia de præmiis loquebatur, adeo differentiam adiunxit veriſſimam, quod præmia quæ videntur modò temporalia ſunt: ſiue videantur per ſe, vt ſenſibilia extenſo viſionis nomine ad omnem ſenſationem: ſiue per accidens, vt gloria Cæſaris in opinione hominum laudantium cernitur. Præmia autem quæ non videntur modo (ſiue ſint viſibilia & ſenſibilia, vt corporum gloria futura: ſiue ſint inuiſibilia ac ſupra omnia ſenſibilia longe eleuata) ſunt æterna. Beatitudo enim æterna animæ intelligibilis eſt ordinis, & æterna à parte poſt, & ipſa eſt cuius contemplatione principaliter afflictiones omnes hic ſuſtinemus: gloria quoque corporum æterna ſimiliter eſt.

Præmia quæ videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur æterna.

Cerne prudens lector permanentiam noui Teſtamenti in priore præmio declaratam cum intimata differentia ad præmia veteris Teſtamenti promiſſa, quæ hic videntur, quæ temporalia ſunt: propter illud enim hanc differentiam appoſuit Paulus inter *quæ videntur* & *quæ non videntur*, inter temporalia & æterna præmia.

CAPVT

CAPVT V.

Verſ. 1. SCIMVS ENIM QVONIAM, pro *quod*, SI TERRESTRIS DOMVS NOSTRA HVIVS HABITATIONIS, pro *tabernaculi*. Et ſuperfluit. *huius*. DISSOLVATVR. Declarat illud tam excellens pondus gloriæ æternæ: primò quantùm ad gloriam corporis: & deinde quantum ad gloriam animæ ſeparatæ à corpore. Rationem itaque eius tantæ gloriæ futuræ ſubiungit, non ex opinione, ſed ex certitudine, dicendo, *Scimus enim quòd ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis*, &c. Nota ſingulas conditiones corruptibilis humani corporis quod modò habemus, prima eſt *terreſtris*, ſecunda *noſtra domus*, tertia *tabernaculi*, quarta *diſſoluta fuerit*. Et conſidera quæ ſubiungit. ÆDIFICATIONEM EX DEO HABEMVS DOMVM NON MANVFACTAM ÆTERNAM IN COELIS. E regione namque ſingularum conditionum corporis corruptibilis locat conditiones corporis glorioſi. Contra *terreſtris* dicit *in cœlis*: contra *noſtra domus*, dicit *ædificationem ex Deo habemus*: contra *tabernaculi*, dicit *domum non manufactam*: contra *diſſoluatur*, dicit *æternam*.

Æterna gloria tandem et ſecundum corpus, quam ſecundum animã declarat.

Antitheſes corruptio corruptoria.

Vide ſingula. Corpus in primis noſtrum corruptibile, *terreſtre* hîc dicitur, non ſecundum ſubſtantiam (quia eiuſdem etiam erit naturæ quando erit glorioſum) ſed ſecundum grauitatis dominium, ob quod fatigamur ambulantes: & præcipuè aſcendentes. Et nihilominus ſicut terra contra cœlum diſtincta, omnia continet elementa, ita terreſtre dicitur corpus noſtrum quod eſt elementorum dominiis ſubiectum: glorioſum autem futurum noſtrum corpus non dicitur cœleſte, ſed *in cœlis*: vt dominium terræ ex loco cœli ſublatum intelligas per gloriam. Dicitur *domus noſtra*, *domus* quidem, quia velut in quo habitat anima: *noſtra* autem, quia connaturalis eſt nobis: glorioſum autem dicitur *habitatio quam habemus ex Deo*: quoniam & eſt velut in quo habitat anima glorioſa, & non habemus illud habitaculum ex natura, ſed ex diuino miraculo mutante corpus in tam ſummas conditiones. Corruptibile corpus dicitur *domus tabernaculi*, ad ſignificandum quod ſit artificialis domus, vt ab extrinſeco ei facta, quemadmodum tabernaculum, nullius enim hominis anima efficit ſibi ipſi corpus, quamuis alat & augeat. Quo contra glorioſum corpus quatenus glorioſum, dicitur *domus non manufacta*: quia ab ipſa anima glorioſa fit corpus glorioſum, & non ab extrinſeco: ſicut ſignificatur per factum manu: quia in illa facta ſunt manifeſtè ab extrinſeco. Et domum illud *æternam*, hoc eternum dicitur.

Collige cuncta. Noſtrum corruptibile corpus deſcribitur ad ſimilitudinem *domus eadem*, hoc eſt, domus naturalis reſpectu animæ, non quomodolibet, ſed ad modum *tabernaculi*: hoc eſt, ita naturalis domus, quod tamen non eſt facta ab ipſa anima quæ inhæret, ſed ad modum extrinſecus factorum. *Terreſtris* autem, hoc eſt, ſubiecta elementorum potentiis, & diſſolubilis ab anima, imo quod ſi diſſoluetur habemus corpus glorioſum, ad ſimilitudinem quoque *domus* reſpectu animæ, ſed non à natura, ſed à Deo miraculosè ædificatur, *non tamen manufacta*: hoc eſt, velut ab extrinſeco, ſed ab intima animæ gloria prouenientem *in cœlis*, ſupra omnes elementorum poteſtates, & æternæ futurae durationis. Et dicit *ſi diſſoluta fuerit*, ad differentiam illorum electorum quorum terreſtris hæc domus nunquam diſſoluetur: illorum videlicet qui reſidui erunt in aduentu Domini. Et dicit *habemus*: quoniam ſancti migrantes à corpore habent ius quæſitum corporis glorioſi: quod non eſt habere in ſpe (vt habent hîc) ſed eſt habere iure quæſito, & ſolam executionem (quæ modò differtur tempore, donec compleatur numerus electorum) expectare.

NAM ET IN HOC INGEMISCIMVS, pro *gemimus*, HABITATIONEM NOSTRAM QVÆ, pro *domicilium noſtrum quod*, DE COELO EST: SVPERINDVI CVPIENTES. Dixerat *ſcimus quòd ſi terreſtris*, &c. probat noſtrum ſcire ex noſtro gemitu. Ardentis enim affectus gemitus teſtis eſt certitudinis noſtræ reſpectu rei deſideratæ: quoniam (vt infra ſubiunget) Deus eſt qui efficit in nobis talem affectum. Et ſubiungit noſtrum gemitum ſuſpirare ad domicilium cœleſte: hoc eſt, ad glorioſum corpus ſuperinduendum: iam enim dixerat ſe ſcire corpus glorioſum eſſe domicilium in cœlis à Deo ædificatum, &c. illud enim idem gementes cupimus. Et quod prius dixerat *a Deo in cœlis*, &c. modò vnico complectitur verbo, dicendo quod *de cœlo eſt*. Verſ. 2.

Si miratis domicilium indui (quia non domicilium, ſed veſtem induimus) conſidera quod de ſpiritualibus eſt ſermo metaphoricus: nam neque domicilium propriè, neque indui, aut ſuperindui propriè conuenit animæ: ſed ad diuerſas conditiones explicandas diuerſis vtitur ſimilitudinibus. Ad explicandum enim quòd de corpore noſtro velut de eo in quo anima habitat, loquitur, vtitur nomine *domus*, ſeu *domicilii*. Ad explicandum autem quòd non de ſeparato ab anima, ſed adiacente, ſed vnito habitaculo ipſi animæ loquitur, vtitur verbo *indui*. Cur autem non dixerit *indui*, ſed *ſuperindui*, ipſemet Paulus explanat ſubiungens:

Domicilium quâ ratione induitur.

SI TAMEN VESTITI, ET NON NVDI INVENIAMVR. Dixi quòd cupimus ſuperindui, explicando affectum non rei impoſſibilis, ſed rei poſſibilis, quæ in quibuſdam implebitur pure. Quod vt intelligas, ſcito differentiam inter *indui* & *ſuperindui* domicilium quod eſt è cœlo, conſiſtere in hoc quòd indui eſt animam ſeparatam vniri corpori glorioſo: anima enim ſeparata eſt velut anima nuda non veſtita corpore. Et hoc appellauit Paulus *habere*, cum dixit *ſi terreſtris diſſoluta fuerit, habemus ædificationem*, &c. Superindui verò eſt animam nunquam à corpore ſeparatam donari glorioſa immortalitate corporis. Anima enim iuncta corpori eſt velut anima veſtita, & ſuperinduitur corpore glorioſo quatenus glorioſum eſt, cùm abſque diſſolutione a corpore donatur gloria immortalis & impaſſibilis corporis. Vtroque modo habebimus corpora glorioſa: nam electi modò migrantes, nudi inuenientur tempore reſurrectionis, & induentur corpore glorioſo. Electi verò reſidui in aduentu Domini inuenientur veſtiti Verſ. 3.

Indui & ſuperindui in quo differant.

veſtiti (vtpote habentes corpus) & ſuperinduentur; quia abſque hoc quòd moriantur, induentur gloriam immortalis & impaſſibilis corporis. Quod apta ſimilitudine appellatur *ſuperindui*: quia ſuper veſtem corpori adiacentem adiungitur velut ſupremum indumentum, Quia, inquam, poſſibilis res eſt ſuperindui gloriam impaſſibilitatis corporalis, & de facto quibuſdam concedenda, ideo dicit Paulus; dixi ſuperindui, ſi tamen veſtiti corpore, vt reſidui in aduentu Domini, & non nudi, corporeâ extrà veſte vt reliqui ſancti, inueniamur, tempore aduentus Domini: quo corporali donabimur gloriâ.

Et aduerte prudens lector quod quemadmodum dixit ſub conditionali *ſi terreſtris*, &c. ita dicit ſub conditionali *ſi tamen veſtiti*: ad ſignificandum quod neutrum eſt neceſſarium ad domicilium cœleſte habendum, ad ſignificandum quòd altero etiam modo poſſumus aſſequi cœleſte illud domicilium: nam & abſque diſſolutione terreſtris corporis habebimus illud qui reſidui ſumus in aduentu Domini, & abſque hoc quòd inueniamur veſtiti, habebimus illud etiam nos qui nudi inueniemur electi migrantes à corpore. Si mirapis cur ſcientiam habendi domicilium glorioſi corporis diſſolutâ terreſtri domo probet ex gemitu ſuperinduendi idem domicilium, ſcito quod Paulus ex eo quod formaliter & per ſe deſideratur doctrinam tradit. In corporis glorioſi appetitu noſtro corpus materialiter concurrit: ipſa autem gloria impaſſibilitatis corporalis concurrit formaliter: quo fit vt qui inuenientur nudi, ſimul induentur, & ſuperinduentur: quia ſimul reſument materiale & formale: corpus & gloriam corporis, quæ eſt velut ſupremum indumentum: illi verò, qui inuenientur veſtiti corpore, tantummodo ſuperinduentur gloriam. Quia itaque formale in deſiderato corpore glorioſo eſt ipſa gloria quæ eſt ſuperindumentum, ideo Paulus ab appetitu ſuperinduendi (vt tantum doctorem decet) ſubtiliter ſcientiam noſtram habendi cœleſte domicilium probauit.

Qui reſidui erunt in aduentu Chriſti Iudicis, abſque diſſolutione corporis migrabunt in cœleſte domicilium.

Verſ. 4. NAM ET QVI SVMVS IN HOC TABERNACVLO. Superfluit *hoc*, INGEMISCIMVS. pro, *gemimus*, grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Propoſuerat cupidinem ſuperinduendi, & declarauerat quibus conuenit ſuperindui pure (ſcilicet qui inuenientur tunc veſtiti) ac per hoc quibus conuenit mixtum cum veſtiri: videlicet qui inuenientur nudi. Eadem enim eſt doctrina & diſciplina oppoſitorum. Explicat modo rationem huius concupiſcentis gemitus: & ſimul quid eſt ſuperindui. Ratio cupiendi ſuperindutionem quæ formaliter appetitur, eſt quod nos qui ſumus in tabernaculo (corpus noſtrum corruptibile quod prius tot conditionibus deſcripſit dicendo *domus terreſtris*, &c. modò vnico complectitur vocabulo, dicendo *in tabernaculo*, vtpote ſuapte natura deponendo) *gemimus grauati*. Ecce ratio gemitus, grauedo corporis, hoc eſt, corruptibiles conditiones corporis. Hæ enim ſunt quæ nos grauant, quæ ſunt nobis oneroſæ, ob quas gemimus, eo quod nolumus expoliari. Ecce etiam redditur ratio formalis appetiti. Gemimus grauati mortalitate, non quòd velimus mori, ſed quia nolumus expoliari corpore, ſed ſuperueſtiri gloria corporis. Et vere nolle expoliari eſt à Deo nobis congenitum, vt etiam ipſe Saluator orauerit, *Pater ſi poſſibile eſt*, &c. *et tamen non ſicut ego volo*, &c. Quid vero eſt hoc ſuperindui, ſubiungit dicendo: *vt abſorbeatur quod mortale eſt*, id eſt quicquid mortalitatis eſt in tabernaculo corporis à vita, vt tanta ſit vis, tanta efficacia vitæ animæ, vt velut abſorbendo tollat quicquid eſt mortalitatis in corpore. Sub mortalitate autem clauditur omnis paſſibilitas. Hoc autem formale quod ſuperindui vocatur, aſſequemur omnes tam veſtiti quam nudi: diuerſimode tamen, vt dictum eſt.

Corruptiones corporis nos grauant.

QVI AVTEM EFFICIT NOS IN HOC IPSVM Verſ. 5.
DEVS. Probauerat ſcientiam ex deſiderio: & poterat obiici quod hoc deſiderium eſt ad id quod excedit menſuram deſiderii humani. Et propterea huic obiectioni occurrit: dicens quod non naturâ, ſed Deus eſt qui efficit nos ad hoc ipſum, ſcilicet ad induendum ſeu ſuperinduendum domicilium cœleſte, ad habendum corpus glorioſum. Ex hoc enim quod Deus præparauit nos ad hoc, conſtat quòd non ad exceſſiua & incommenſurata tendimus.

QVI ETIAM DEDIT NOBIS PIGNVS. pro, *artham*, SPIRITVS. Quia non ſufficit ad certitudinem præmij commenſuratio, ſed requiritur aliqua ſecuritas, ideo ſubiunxit quòd idem Deus non ſolum præparauit nos ad habendum corpus glorioſum, ſed etiam dedit nobis tanti præmij arrham, non corpoream, ſed ſpiritualem. Spiritus enim ſanctus in noſtro ſpiritu habitans, non ſolum facit nos deſiderantes & amantes, ſed etiam ſecuros tanti præmij, & hæc ſecuritas, arrha ſpiritus vocatur. Vt dictum eſt, Paulus deſcribit hæc in ſummo gradu viatorum: in quo gradu ipſe erat. Et propterea ſecurum ſe dicit. In aliis autem proficientibus & incipientibus, arrha ſpiritus, ipſa ſpes charitate informata eſt, maior in vno quam in alio.

Quodnam ſit pignus, ſiue arrha ſpiritus.

AVDENTES. pro, *confidentes*, IGITVR SEM- Verſ. 6.
PER ET SCIENTES. Declaratâ certitudine permanentiæ noui Teſtamenti quoad præmium, quod eſt gloria corporis æterna, declarat conſequenter certitudinem & confidentiam permanentiæ quoad præmium interim animæ ſeparatæ à corpore. Et ſcito quantum ad textum, quod interpres antiquus mutauit vocabula, nolens forte toties repetere *abſentes* & *præſentes*. Dicit itaque *confidentes*, in affectiua parte, & *ſcientes* in parte intellectiua. QVONIAM DVM SVMVS IN HOC CORPORE. pro, *quod præſentes in corpore*, PEREGRINAMVR. pro, *abſentes ſumus*, A DOMINO. Duo propoſuit: *confidentes* & *ſcientes*. Exequitur modo rem ſcitam, deinde rem cuius habetur fiducia. Res itaque ſcita eſt, quod præſentes in corpore abſentes ſumus à Domino. Et ne libera cuique vt libet interpretandi ſit facultas de quo corpore, de qua præſentia, de quaue abſentia loquatur, ſubiungit rationem omnia explanantem.

Præſentes in corpore, abſentes ſumus à domino.

PER FIDEM ENIM AMBVLAMVS, Verſ. 7.
ET NON PER SPECIEM. Ecce de quali corpore loquitur, ſcilicet corruptibili, quo durante ambulamus, hoc eſt, ſumus viatores. Ecce de quali abſentia: ambulare enim per fidem,

fidem, eſt abſentia à Domino diſtincta contra præſentiam apud Dominum per ſpeciem. Ex hoc itaque quòd ambulamus: hoc eſt, viatores ſumus ad cœleſtem patriam per fidem, & non clarè videmus Deum, manifeſtat Paulus quod nos præſentes in corpore corruptibili, ſumus abſentes à Domino, vt intelligamus præſentiam apud Dominum fore quando videbimus ipſum per ſpeciem: hoc eſt, per naturam & pulchritudinem propriam ipſius Dei. Illud idem quod in priore Epiſtola nominauit videre facie ad faciem, modò nominat per ſpeciem, vtrobique hoc locans è regione fidei.

Verſ. 8. AVDEMVS. pro, *confidimus*, AVTEM. Exequitur *confidentes*, declarando rem cuius habent confidentiam. ET BONAM VOLVNTATEM HABEMVS. pro, *& volumus*, MAGIS PEREGRINARI. pro, *abſentes eſſe*, A CORPORE, ET PRÆSENTES ESSE APVD DOMINVM. Ecce quid confidenter volumus. Scimus præſentiam noſtram in hoc corpore eſſe abſentiam à Deo, & è diuerſo, præſentiam noſtram apud Dominum, eſſe abſentiam à corpore: & cum hac certitudine confidenter malumus abſentes eſſe à corpore, & præſentes eſſe apud Dominum quàm è diuerſo. Vbi clarè Paulus confutat errorem dicentium animas à corpore ſeparatas non beari vſque ad reſurrectionem corporum. Clarè enim dicit quòd magis volumus abſentes eſſe à corpore, & præſentes apud Dominum. quam præſentiam declarauerat eſſe videre per ſpeciem, quam præſentiam conſtat eſſe beatitudinem. Et dicit *volumus magis*, quia dixerat *nolumus expoliari*: apertè ſignificando quod quamuis abſolutè nolumus expoliari, relatiuè tamen ad præſentiam apud Deum & abſentiam à Deo, malumus expoliari vt præſentes ſimus apud Deum, quàm manere in corpore abſentes à Deo.

Errorem de animabus non beandis vſque ad reſurrectionem corporum confutat Apoſtolus.

Verſ. 9. ET IDEO CONTENDIMVS. hoc eſt, certamus tanquam ambientes arduum honorem. SIVE ABSENTES SIVE PRÆSENTES PLACERE ILLI. Illam particulam quam prius propoſuerat dicendo, *noui Teſtamenti*, quamque reſumpſerat clarius dicendo, *interior noſter homo renouatur nouè*, tractare incipit: explicans primò id in quo conſiſtit interni hominis renouatio; videlicet in ſtudio non qualicunque ſed vehementi ad ſimilitudinem certantis pro honore. In tali, inquam, ſtudio placendi Deo tam in præſenti ſtatu quàm in futuro poſt hanc vitam (vtrumque ſiquidem ſtatum ſignificat per abſentiam & præſentiam) conſiſtit renouatio animi noſtri; hoc enim eſt propriũ noſtræ erga Deum veræ ac feruentis dilectionis ſtudium: hoc eſt proprium veræ amicitiæ noſtræ cum Deo officium redolens interni noſtri renouationem.

Renouatio interni hominis in quo conſiſtit.

Verſ. 10. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis. pro, *quæ per corpus*, ſubaudi euenerunt. PROVT. pro, *ad quæ*, GESSIT, SIVE BONVM SIVE MALVM. Non ea ſola quæ egimus ſiue bona moraliter ſiue mala moraliter fuerint, ſed etiam quæ per corpus euenerunt contriſtantia aut delectantia referenda ante tribunal Chriſti dicit. Et hæc per corpus euenientia, non quomodolibet, ſed collata ad moralia quæ egimus bona vel mala, manifeſtanda eſſe dicit ante tribunal Chriſti. Et dixit hoc, tum reddendo rationem dicti immediatè antè, ſcilicet *contendimus placere Deo*: tum reddendo ſimul rationem priùs dicti, quòd afflictiones præſentes operantur nobis mirè excellens pondus gloriæ corporis. Niſi enim euenientium per corpus ratio haberetur ante tribunal Chriſti, impertinens videretur cauſa corporis afflicti ad operandum gloriam corporis: ex eo autem quod euenientia nobis per corpus ante tribunal Chriſti iudicanda ſunt ad præmium vel pœnam, collata ad bonum vel malum voluntarium quod homo hic fecit, omnium dictorum clara ratio habetur.

Omnia ante Chriſti tribunal referenda.

Verſ. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus: Deo autem manifeſti pro, *manifeſtati*, SVMVS. Poterat obiici Paulo quod minus quadrat antedictis ratio timoris coram tribunali Chriſti; quandoquidem priùs dixerat ſe habere arram ſpiritus, & multa alia excludentia timorem diuini iudicij. Et propterea huic obiectioni occurrit: explicando quod huiuſmodi timorem non propter ſe dicit, ſed propter alios: quoniam ipſe non expectat manifeſtari coram tribunali Chriſti, quia iam manifeſtatus eſt. Et eſt ſermo de manifeſtatione laudis, & non de manifeſtatione notitiæ, qua omnes manifeſti ſunt Deo tam electi quàm reprobi. Et dicit *ſcientes* (futura hæc quæ dixi ante tribunal Chriſti) ne comminando ad terrorem credatur hæc dicere.

SPERO AVTEM ET IN CONSCIENTIJS VESTRIS MANIFESTOS. pro, *manifeſtatos*. NOS ESSE. Huic de renouatione interni hominis ſecundum nouitatem noui Teſtamenti tractatui interſerit Paulus differentiam inter ſe ſuique ſimiles miniſtros noui Teſtamenti, & miniſtros æmulos. Interſerit autem abſque digreſſione, eò quod hæc ſpectant ad declarandum idoneitatem miniſtrorum noui Teſtamenti, de quibus propoſuerat, *qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti*. Et propterea dicit, quod Deo quidem ſumus iam manifeſtati, hoc eſt, apud Deum laudabiles declarati: & ſpero quod in futurum etiam in conſcientiis veſtris, in intimis conſiderationibus veſtris, erimus manifeſtati, manifeſtatione quoque laudis. Et dixit hoc propter Corinthios aliquos non habentes adhuc claram de ſanctitate Pauli credulitatem.

Differentiam inter ſe, ſuique æmulos aptè interſerit D. Paulus.

Verſ. 12. NON ITERVM COMMENDAMVS NOS VOBIS. Solicitus eſt Paulus ad excludendum opinionem quòd hæc ſcribit ad hoc vt laudet ſe apud Corinthios. SED OCCASIONEM DAMVS VOBIS GLORIANDI PRO NOBIS. Non ad laudandum nos ſcribimus, ſed ad dandum vobis occaſionem gloriandi, quòd habetis nos in Apoſtolos ac doctores. VT HABEATIS AD. pro, *aduerſus* EOS QVI IN FACIE GLORIANTVR ET NON IN CORDE. Ecce neceſſitas gloriationis veſtræ de nobis, contra doctores qui gloriantur ſecundum exteriora, & non ſecundum intima cordis, habeatis quid reſpondeatis, vt gloriæ illorum vanæ opponatis gloriam veſtram de nobis veram. Apparet ex his quod æmuli Pauli iactantes ſeipſos de ſcientia & multis, detrahebant Paulo, ad ſubtrahendum Corinthios ab obedientia & veneratione Pauli. Et propterea Paulus non vt ſe commendet,

ſed vt Corinthios armet aduersùs iactabundos & detractores, hæc ſcripſit.

Verſ. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMVS DEO. Superfluit *mente*. Dixerat quòd non ad commendationem propriam tendit: & propterea declarat quòd nihil pro ſe facit, ſed omnia facit commẽſurata, vel Deo, vel proximis. Exceſſus enim noſter Deo, ſobrietas verò proximis commenſuratur. Et intendit per *exceſſum* ſcribere proprias conditiones excellenti laude digniſſimas: per *ſobrietatem* verò communem doctrinam. Ille enim actus non eſt commenſuratus ſecundum humanam rationem (imò reputatur inſaniæ) ſed ſecundùm Deum, ſed ratione Dei à nobis fit: hic autem directe eſt commenſuratus vobis. Ratio itaque redditur non tendendi ad propria: ex eo quòd ſiue excedimus, ſeu inſanimus ſcribendò excelſiora quàm decere videatur, Deo, hoc eſt, non nobis, ſed Deo hoc conferimus. SIVE SOBRII SVMVS, ſcribendo. VOBIS, hoc eſt, non nobis, ſed vobis hoc conferimus.

Quis hic exceſſus, quæ ſobrietas?

Verſ. 14. CHARITAS ENIM CHRISTI VRGET, pro *conſtringit* NOS. Ecce ratio non ſtudendi nobis, ſed Deo & vobis, non timor iudicij, ſed quia dilectio Chriſti erga humanum genus conſtringit nos. Chriſtus enim non ſibi, ſed humano generi, ſed eis quæ Dei ſunt, ſtuduit. ÆSTIMANTES, pro *iudicantes*, HOC. Redit Paulus ad cœptum tractatum de renouatione proſequendam. Redit autem continuando hæc quæ renouationis ſunt, cum interpoſitis aduerſus æmulos: nam dilectionem Chriſti erga humanum genus affert, tum vt rationem conſtringentem ipſos veros miniſtros ad ſtudendum non ſibi, ſed Deo & proximis, tum vt initium renouationis noſtræ internæ. Huiuſmodi ſiquidem initium coniungit adiungendo, indicantes hoc, proculdubio charitatis Chriſti opus ſubiunctum.

QVONIAM, pro *quod*, SI VNVS PRO OMNIBVS MORTVVS EST. Ecce charitas Chriſti in opere tam excellenti, vt vnus ipſe pro omnibus hominibus mortuus ſit. Et quidem quantùm ad ſufficientiam vnus pro omnium ſalute mortuus eſt, pro quanto vitam corporalem omnibus per ſuam mortem conferet in reſurrectione generali: quamquam non omnibus conferet vitam glorioſam. Vtitur autem conditionali non ambiguitatis gratia, ſed ad ſignificandam neceſſariam ſequelam conſequentis illati ex hoc Antecedente: omnis enim conditionalis vera eſt neceſſaria.

Vnus pro omnibus mortuus eſt, & quantum ad ſufficientiam, & quantum ad efficaciam.

ERGO OMNES MORTVI SVNT. Ecce conſequens neceſſario contiendum ex morte Chriſti pro omnibus. Et proculdubio eſt ſermo de omnium hominum morte, morte peccati originalis. Nec à propoſito digreditur Paulus, ſed radicem propoſiti affert. Tractat namque de renouatione interni hominis: renouatio autem non eſt nec intelligi poteſt ſine conſumpta, ſeu perdita re ad quam quis renouatur. Et propterea Paulus de renouatione interni hominis ad ſpiritualem vitam tractans declarat omnes homines perdidiſſe vitam ſpiritualem incurrendo mortem peccati originalis: vt deſcribat veram renouationem ſpiritualem interni noſtri hominis in ſtatu noui Teſtamenti ex charitate Chriſti erga nos.

Renouatio fit per Chriſti mortem.

Verſ. 15. ET PRO OMNIBVS MORTVVS EST CHRISTVS: VT QVI VIVVNT, IAM NON SIBI VIVANT, SED EI QVI PRO EIS MORTVVS EST ET RESVRREXIT. Ex morte Chriſti pro omnibus, non ſolum infert Paulus in omnibus hominibus indigentiam renouationis, ſed etiam affirmat ea intentione Chriſtum mortuum pro omnibus, vt quamdiu in hac vita ſunt homines, renouentur non ſibiipſis viuendo, non quærendo quæ ſua ſunt, quæ eis ſunt commoda & delectabilia, ſed viuendo ipſi Chriſto, rependendo vtcumque vices Chriſto, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit pro ipſorum vita, hoc eſt enim renouari ſpiritu.

ITAQVE NOS EX HOC. Deeſt, *nunc*, hoc eſt, ex tempore quo reſurrexit Chriſtus: tempus ſiquidem reſurrectionis Chriſti monſtrat illud *nunc*. Verſ. 16.
NEMINEM NOVIMVS SECVNDVM CARNEM: ET SI COGNOVIMVS SECVNDVM CARNEM CHRISTVM, SED NVNC IAM NON NOVIMVS. Ex hoc quòd Paulus in numero plurali primæ perſonæ loquitur dicendo *nos*, cogor particulam *ſecundum carnem* conſtruere cum accuſatiuo *neminem*, & ſimiliter cum accuſatiuo *Chriſtum*. Non enim video aliquid ad propoſitum ſpectans commune Paulo, & aliis miniſtris ei ſimilibus, ſignificans in eis notitiam ſecundum carnẽ reſpectu Chriſti. Tractans itaque de renouatione noſtri intenta per mortem & reſurrectionem Chriſti, non egrediendo à materia, ſubtiliter infert aduersùs Iudæos quòd ex Chriſti reſurrectione didicimus, & nouimus renouatorem neminẽ ſecundum carnem. Iudæi ſiquidem expectabant & expectant renouatorem ſecundùm carnem: hoc eſt, ſecundum carnis officia viuentem. Expectabant enim, & expectant Meſſiam ſecundum carnis officia viuentem ad renouandum Iſraël & mundum. Hoc ſiquidem directe excludit Paulus ex hoc quòd Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit ad renouãdum humanum genus: hinc enim clarè apparuit quòd renouatio non erat promiſſa, nec exercenda ab aliquo ſecundum carnis officia viuẽte. Quod dicitur ad differentiam Chriſti viuentis in corpore poſt reſurrectionem, ſed non ſecundum carnem (hoc eſt, carnis officia) ſed ſecundum ſpiritus officia: viuit enim *ſecundum carnem*, vt *caro* eſt nomen officij. Sic enim ad Rom. quoque vtitur *carnis* nomine dicendo: *Caro & ſanguis regnum Dei non hæreditabunt*.

Nullus renouator expectandus ſecundum carnem.

Et quoniam contra hoc dictum Pauli poterat obijci quòd etiam ipſi Apoſtoli, & miniſtri noui Teſtamenti ſuſceperunt Chriſtum *ſecundum carnem*, hoc eſt, ſecundum carnis officia viuentem: ideo huic obiectioni occurrit reſpõdendo illi quòd hoc eſt ad tempus, & non ſimpliciter. Suſcepimus enim & ſuſcepimus Chriſtum ſecundum carnem modico tempore: donec ſcilicet compleret myſterium redemptionis mundi, ſed de cætero in æternum iam non nouimus, non ſuſcipimus Chriſtum *ſecundum carnem* hoc eſt, ſecundum carnis officia viuentem ſed viuentem ſecundum ſpiritum in carne immortali. Apparet autem hunc eſſe ſenſum germanum literæ huius, tum ex eo quod ei quæ tractatur materiæ manifeſtè quadrat, tùm ex eo quod particula *ſecundum carnem* abſque vlla varietate conuenit tam *nemini*, quam *Chriſto*, tum ex eo quod ſubiuncta imo illata, huic ſenſui coniunctè ſubiungatur enim inferendo:

Verſ. 17 SI QVA ERGO IN CHRISTO, NOVA CREATVRA. Et eſt ordo literæ, *ſi qua ergo in Chriſto*,

Creatura in Chriſto eſt homo in fide Chriſti formatus. ſubauditur, eſt creatura, *noua creatura* eſt. Optime infertur ex hoc quod Chriſtus non carnalibus officiis, ſed nouo modo viuens eſt renouator, quod ſi quis eſt creatura in Chriſto, eſt creatura noua. Creaturam in Chriſto appellat hominem in fide Chriſti formatum. Et appellatur creatura, quia gratia fidei creatur: utpote quæ non educitur de potentia materiæ, ſed fit ex nihilo. *Noua* autem dicitur, quia non priam veteraſcit, ſed continue magis, ac magis renouatur.

VETERA TRANSIERVNT: ECCE FACTA SVNT OMNIA NOVA. Crediderim ego Paulum accepiſſe hæc ex Teſtamento veteri, & forte ex

Leuit. 26. Leuit. 26. vbi dicitur, *& vetera nouis ſuperuenientibus proiicietis*, ad myſticum ſenſum trahendo quæ de corporalibus rebus ſcripta ſunt. Ad propoſitum enim huius literæ eſt quod ea quæ ſunt vetuſtatis (qualia ſunt peccata, & fomes ad peccandum) tranſierunt per renouationem Chriſti, & facta ſunt omnia noua: hic quidem inchoatiue, dum internus homo renouatur, demum autem conſummate. Ecce ſtatus noui Teſtamenti, ſecundum quem internus noſter homo renouari declaratur noue, charitatem Chriſti renouatoris imitando.

Verſ. 18. OMNIA AVTEM EX DEO. Dixerat in Chriſto *omnia noua*, reſoluit modo omnia in Deum: Chriſtus enim nomen eſt hominis, qui mortuus eſt, & reſurrexit pro nobis. Reſoluendo autem omnia in Deum tanquam primum auctorem, Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum ſub Dei nomine comprehendit. QVI NOS RECONCILIAVIT SIBI. Poſtremo tractat illam particulam *miniſterium*, ſeu *miniſtratio iuſtitiæ*. Dixerat enim ſuperius, *nam ſi miniſtratio damnationis gloria, multo magis miniſterium iuſtitiæ in gloria*. Tractat autem & ministrum noui Teſtamenti & miniſtrationem eius multipliciter. Complet enim hic tractatum illius quoque particulæ: *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti*. Et inchoat à modo quo eſt iuſtitia Dei collata ipſis miniſtris, dicens: *Deus reconciliauit nos ... cum inimici eſſemus ſibi*. PER. Deſinit *Ieſum* CHRISTVM. Ecce gratia reconciliationis collata à Deo per hominem Ieſum Chriſtum. ET DEDIT NOBIS MINISTERIVM RECONCILIATIONIS. Ecce ulterius, non ſolum nos de inimicis fecit amicos, ſed effecit nos miniſtros reconciliationis aliorum. Vide hic celſitudinem officii miniſtrorum noui Teſtamenti.

Verſ. 19. QVONIAM QVIDEM, pro *hoc quod*, Declarat modum, & rationem miniſtrationis ſibi conceſſæ. DEVS ERAT IN CHRISTO MVNDVM RECONCILIANS SIBI. Tripliciter conſtrui poteſt

Triplex conſtructio. Litera, vel *Deus erat in Chriſto* perſonaliter: vel *Deus erat reconcilians in Chriſto*: quia per Chriſtum reconciliauit ſibi mundum: vel *in Chriſto mundum*, vt limitetur reconciliatio ad mundum in Chriſto: ad differentiam reliquorum qui ſunt in mundo, ſed non in Chriſto. Simile quid dixit Angelus ad Ioſeph: *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum*, non dixit *populum*, ſed *populum ſuum*.

Ex quia ſecundùm iſta omnem conſtructionem verificantur verba ſcripta, totum poteſt intelligi. Cùm enim prius dixiſſet quod Deus reconciliauit nos miniſtros per Ieſum modò declaraturus modum, rationemque miniſterij, dicit quod Deus perſonaliter exiſtens in Chriſto, reconciliauit in ipſo Chriſto homine vt organo mundum in ipſo Chriſto: hoc eſt, mundum non ſecundùm omnes ſui partes, ſed ſecundùm quòd iungitur Chriſto, ſecundùm quòd incorporatur Chriſto, ſecundùm illos (ex quacunque mundi natione ſint) qui ſiunt membra Chriſti. Et hæc vltima conſtructio quadrat tum veritati, tum materiæ de miniſterio: quoniam hinc habetur ratio miniſterij, ad adunanda membra Chriſti per mundum longè latéque diſperſa.

NON REPVTANS, pro *imputans*, ILLIS DELICTA IPSORVM. Ecce gratuita reconciliatio abſque exactione ſatisfactionis propriæ, ſolâ non imputatione delictorum propriorum illis. Et ſignificanter dicit *illis*: quia imputauit delicta hominum Chriſto. Voluit enim Ieſum Chriſtũ pati pœnas debitas aliorum peccatis, & pro illis ſatisfacere. ET POSVIT IN NOBIS VERBVM RECONCILIATIONIS. Aduerbiũ *ſic* in principio huius particulæ poſitum extenditur hucuſque. Dixerat quòd dedit nobis miniſtrationem reconciliationis: & propterea declarando modũ, ac rationem miniſtrationis ſubiungit ſic quod, ſeu quia Deus erat tempore mortis Chriſti reconcilians ſibi mundum iungendum Chriſto, non imputando illis ſua peccata, & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis mundi. Iſte eſt modus miniſtrationis, ſcilicet delegatio

Euangelij ad reconciliandum mundum, iſta eſt ratio miniſtros nos inſtituendi, ſcilicet diſperſio per mundum membrorum Chriſti. Diſcerne inter Chriſtum & miniſtros reconciliationis: per Chriſtũ facta eſt reconciliatio, in Chriſto locatur ipſa reconciliatio: in miniſtris verò ſermo recõciliationis qui eſt Euãgeliũ Chriſti. *Miniſtrationis modus eſt delegatio Euangelij.*

PRO CHRISTO ERGO LEGATIONE FVNGIMVR. Verſ. 20.
Concludit Paulus quòd vice Chriſti hominis per quem Deus reconciliauit mundum, legati ſumus conſtituti à Deo reconciliationis factæ. Dicit autem & fere ſtatim repetit *pro Chriſto*, hoc eſt, ratione Chriſti: vt tangat id quod eſt proprium miniſtris noui Teſtamenti: Prophetæ ſiquidem priores legati erant Dei ad populum, ſed non pro Chriſto: miniſtri verò noui Teſtamenti non ſolùm ſunt legati Dei, ſed ſunt ſubrogati Chriſto: vnde & Paulus dixit, *Ego in perſona Chriſti donaui*. TANQVAM DEO EXHORTANTE, pro [illegible], PER NOS OBSECRAMVS, pro [illegible] PRO CHRISTO. Sed ſiſte pedem prudens Lector, & ſcito quòd intentio Pauli eſt per modum executionis declarare miniſterium iuſtitiæ commiſſum miniſtris noui Teſtamenti. Et ſubtiliter vtitur duabus diſtinctionibus. Altera ex parte miniſtrorum: altera ex parte rerum. Quædam ſiquidem res iuſtitię Dei ſunt, quas miniſtrant verbo, vt geſta Dei in Chriſto non imitabilia: quædam verò quas miniſtrant verbo & opere imitando Chriſtum vt quæ ſunt gratiæ noui Teſtamenti. Vtendo autem verbis Pauli, diſtinguit Paulus miniſtros noui Teſtamenti, vel quatenus funguntur purè officio legati, vel quatenus ſunt etiam cooperatores. Et prius tractat quid faciunt quatenus legati: deinde quatenus cooperatores. Tractat autem vtrumque per modum executionis: hoc eſt, tanquam exequens.

Prophetæ erant legati Dei, ſed non pro Chriſto. Miniſtri verò noui Teſtamenti ſunt etiam ſubrogati Chriſto.

Miniſterium iuſtitiæ commiſſum miniſtris noui Teſtamenti declaratur.

Perſpicuè autem intelligitur quod omnia quæ ſpectant ad executionem tribuuntur materialiter. Ita quod dicendo *tanquam obſecrante Deo per nos, rogamus pro Chriſto*, non rogat Paulus: ſed deſcribit officium legatorum noui Teſtamenti quatenus legati ſunt, eſſe vt obſecrent vice Chriſti tanquam Deo per illos obſecrante.

Vbi nota multas conditiones in hac legatione, ſcilicet quod non præcipiendo ſed rogando pro Chriſto (hoc eſt, vice Chriſti hominis) tanquam Deo qui mittit obſecrante per nos: hoc eſt, nos Chriſti loco rogamus, ac ſi Deus per nos non rogaret, ſed obſecraret vos. Magna demiſſio Apoſtolorum ad rogandum peccatores, ſed longe maius munus legationis diuinæ extenditur vſque ad hoc, vt Deum per ipſos legatos obſecrantem peccatores reddat, ad ſimilitudinem patris obſecrantis filios: ad ſignificandam [illegible] Dei dilectionem erga peccatores, nullum prætermittere modum volens ad conuertendum peccatores. Quocirca & Dei & Apoſtolorum exemplo informantur prælati ad omnimodas actiones amplectendas, vtiles ad conuerſionem peccatorum.

Deus per ſuos legatos peccatores rogat: quanta hæc demiſſio!

RECONCILIAMINI DEO. Ecce ex officio legationis quid rogamus, & quos rogamus: inimicos ſcilicet Dei; nam hi ſoli egent reconciliatione ad Deum.

Sed occurrit quæſtio: Quo pacto rogamus *reconciliamini Deo*, ſi iam mundus reconciliatus eſt Deo? qui enim reconciliatus eſt, non eget reconciliatione, dixit autem quod Deus erat reconcilians ſibi mundum in Chriſto. Solutio eſt quod in morte Chriſti facta eſt reconciliatio, ſed non eſt executioni mandata: in morte Chriſti oblatum eſt ſacrificium reconciliationis, ſed reconciliatio ipſa non eſt applicata: ſed executio & applicatio reconciliationis obtentæ per mortem Chriſti, fit per fidem, ſpem, & charitatem ſingulorum. Vnde rogare *reconciliamini*, eſt rogare vt reconciliatio facta executionem habeat in vobis per fidem ac charitatem Chriſti. Et tam hæc quam ſequentia materialiter intelligenda ſunt: hoc eſt, ad explicandum [illegible] officij.

In Chriſti morte reconciliatio facta quidem ſed non executioni mandata.

Verſ. 21. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Proſequitur [illegible] propoſitam à legatis rationem, ſcilicet quare debent reconciliari Deo. Et explicat ſimul modum reconciliationis, [illegible] Deus reconciliat [illegible] ipſos inimicos [illegible] in Chriſto: hoc eſt, omnes electos. Et propterea loquitur [illegible] in prima perſona, dicendo *vt nos*. Modus autem [illegible] quod Deus eum (ſcilicet Ieſum), qui non nouit [illegible] alienus [illegible] originis peccatum [illegible] non peccatorem ſed peccatum, hoc eſt, hoſtiam pro peccato. Scriptura [illegible] hoſtiam pro peccato appellat peccatum [illegible] *Peccata populi* [illegible] Deus [illegible] hoſtiam [illegible] Chriſtum, vt [illegible] ex charitate pro nobis [illegible] Fecit quoque Deus hominem Chriſtum peccatum, ſtando humana natura ſibi vnita perſonaliter tan-

Peccatum [illegible] hoſtia pro peccato. Oſee 4.

quam organo coniuncto (vt nos vtimur lingua ſeu manu) vtendo, inquam, illa pro materia ſacrificij ad reconciliandum nos Deo.

Tranſtulit autem peccata noſtra in Chriſtum, *vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo Ieſu*. Iuſtitia Dei in Deo eſt, quâ Deus iuſtus eſt. Iuſtitia Dei in reprobis, eſt iuſta reproborum punitio. Iuſtitia Dei in Chriſto, eſt meritum Chriſti ſufficiens etiam ad ſatisfaciendum pro nobis, ad iuſtificandum nos, &c. Quod dicitur *Dei*, tum quia eſt Dei perſonaliter, tum quia eſt apud diuinum tribunal vera iuſtitia, ad differentiam iuſtitiarum noſtrarum, quæ apud diuinum tribunal ſunt velut pannus menſtruatæ. Cùm communicatur itaque nobis Chriſti meritum, tunc efficimur iuſtitia Dei in Chriſto: quia efficimur iuſti non iuſtitia propria, ſed iuſtitia Dei in Chriſto communicata nobis. Efficimur enim coram Deo iuſti, ex merito, ex ſanctificatione, ex reconciliatione Chriſti.

Iuſtitia Dei in Deo: in reprobis: in Chriſto.

Vtitur autem Paulus hoc loquendi modo *vt efficeremur iuſtitia*, ad ſignificandum quod in communicatam nobis iuſtitiam Dei in Chriſto tranſmutandi ſumus, ſic vt nihil aliud ſimus (in intellectu, in affectu, in operatione, & in perpeſſione) niſi quod ex iuſtitia Dei qui eſt meritum Chriſti, ſumus. Tunc enim & non prius facti ſumus iuſtitia Dei in Chriſto: proficientes autem & incipientes pedetentim ſimus participando illam.

Effici iuſtitiam quid.

Perpende, prudens lector, hic primum iuſtitiam Dei in Chriſto penes hoc quod ab ipſo Chriſto voluit ſatisfieri ſibi pro nobis. Paſſio ſiquidem innocentis pro peccatoribus iuſtitia eſt ſatisfactoria, ſpecies eſt iuſtitiæ commutatiuæ pro iniuria ſoluentis pœnam: hæc eſt iuſtitia noui Teſtamenti. Deinde iuſtitiam eandem communicari nobis: imo ad hoc illam affectam vt nos tranſmutemur in illam. Vere ergo eſt miniſtratio noui Teſtamenti miniſtratio iuſtitiæ. Denique attende quam prouocatiua ſit hominum ratio hæc ad hoc vt reconcilientur Deo. Poſtremo materiam legationis conſidera: & intuere eſſe geſta Dei in Chriſto quæ non ſunt mutabilia ab hominibus. Propter hoc ſiquidem non affert Paulus quod Chriſtus paſſus & mortuus eſt (hæc enim ſunt à nobis imitabilia) ſed affert quod omnino abſque peccato factus eſt hoſtia pro peccatis noſtris: quod conſtat non eſſe ab homine aliquo imitabile. Hæc ſunt quæ tamen vt legati euangelizare debent, obſecrando vice Chriſti, & tanquam Deo per eos obſecrante: ad ſignificandum etiam ex parte hominum omnimodam libertatem ad reconciliationem: ſicut qui rogatur & obſecratur, liber eſt.

Iuſtitia noui Teſtamenti qualis.

CAPVT VI.

ADIVVANTES, pro, *cooperantes*, AVTEM. Ecce alterum diſtinctionis membrum. Prius enim deſcripſit officium nuntiorum quatenus legati ſunt: quorum vt ſic, non eſt niſi fideliter prudenterque ſermone explicare obſecrando vel aliter iuxta formam legationis: modò verò deſcribit officium quoque legatorum, quatenus ſunt cooperantes Dei mittentis, & Chriſti Verſ. 1.

cui

[illegible] legati. [illegible] dicit *co-operantes* [illegible] quate-nus [illegible] Christus passus est pro [illegible] quatenus autem sumus cooperantes, &c. [illegible] ita coope-rantes a legatis [illegible] distinctio huius perso-narum [illegible] personae. Aliud enim [illegible] legationem: aliud est officium cooperantis [illegible] hoc fa-cit [illegible] aliena facta sit [illegible] ad hoc propria exigunt [illegible] & hinc quòd ministri noui Testamenti non sunt institoti puri legati, sed legati cooperantes Deo & Christo. Quae sint istae cooperationes, distinctè Paulus declarabit.

Ministri noui Testamenti no sunt puri legati, sed legati cooperantes Deo & Christo.

EXHORTAMVR, pro *obsecramus*. Sine ex le-gatione, sine ex cooperatione non praecipimus, sed rogamus imo obsecramus. Vt vbique ser-mo Euangelicus [illegible] obsecrationis in-teruenit, vt [illegible] ex parte ministrorum, & libertas ex parte auditorum [illegible]. NE IN VACVVM [illegible] GRATIAM DEI [illegible]. [illegible] quae [illegible] Christus passus est [illegible] euangelizando [illegible] describitur ne in vacuum gratia Dei recepta [illegible] quae-stio de qua gratia Dei est sermo, explicat illam.

Vers. 2. AIT ENIM, procul dubio Deus apud Esaiam cap. 49. TEMPORE ACCEPTO EXAVDIVI TE, ET IN DIE SALVTIS ADIVVI TE. Duo opera Dei in hac gratia Dei continentur. Alterum exaudi-tionis tempore accepto, tempore quo omnia reddita sunt accepta Deo: & hoc directè spe-ctat ad supplicationem, quae est actus religio-nis. Alterum adiutorij in die salutis, quod est idem cum tempore acceptabili: sed dicitur *ac-ceptum* relatiue ad Deum cui est gratum: dici-tur *salutis* relatiue ad homines quibus est salu-tiferum. Significatur enim per vtrumque tem-pus noui Testamenti, quod verè est tempus red-ditum Deo acceptum per aduentum Iesu Chri-sti ad exauditionem peccatorum [illegible] expectatae salutis mundi, ad [illegible] vt rectè operentur, vt fortiter [illegible] in occurrentibus ad [illegible]. Noui itaque Testamenti propria gratia describitur [illegible] est donum in anima [illegible] Deo [illegible] benignè [illegible] tempore [illegible] dicendum [illegible] gratiam Dei [illegible] nullo modo suscipiunt, hi contemnunt Christianam: [illegible] malè recipiunt quidem, sed in vacuum [illegible] re-cipiunt fidem [illegible] operibus [illegible] fide, vacua fructibus fide, & ideo in vacuum. Ad hoc enim offert Deus tantam gratiam vt vtamur illa ad hoc [illegible] ab ipso, praecipuè [illegible] petendo aeternam beatitudinem [illegible] ad hoc est tempus noui Testamenti acceptatum a Deo: prius enim quantumcunque peterent, non dabatur: ad hoc vt adiuuemur a Deo tum ad bene operandum, tum ad fortiter sustinendum mala poenarum: dies noui Testamenti est dies salutis spiritualis.

Gratiam Dei tres recipiunt [illegible] Christianam: [illegible] malè recipiunt, sed in vacuũ.

Hanc Dei gratiam nouo proprium Testa-mento, communem omnibus volentibus eam, complectentem quicquid est tam religionis quam [illegible] propriam materiam [illegible] Testamenti [illegible] cooperantes sunt, Paulus describit [illegible] qui [illegible] hac gratia sunt verè cooperantes Deo a Christo. Ipsi siquidem [illegible] gratiam Dei susceperunt, non in vacuum, sed et in tanta plenitudine vt non solum pro se ipsis, sed pro alijs acceperint. Ipsi siquidem susceperunt illã, non solùm operantes sibi, sed etiã Deo & Chri-sto cooperantes ad aliorum exauditionem, & adiutorium. *Cooperantes* intellige factis: ad lin-guam enim spectat quod dicitur *obsecramus*. Cooperantes factis, obsecramus verbis: vt in-telligamus, & noui Testamenti idoneos mini-stros cum maximè cooperantur, maximè sub-mittere seipsos rogando, & adiutores liberi [illegible] arbitrij vtpote qui rogamus. Quid autem cooperantes obsecrent & quos, iam patet.

ECCE NVNC TEMPVS ACCEPTABILE, ECCE NVNC DIES SALVTIS. Materiam quam euangeli-zant ministri noui Testamenti quatenus coo-perantes, ex veteris Testamenti testimonijs proferunt & propterea Esaiae scripturam attu-lit. Sed non [illegible] inmanifestam. Decla-rat enim illam: & propterea Paulus ex [illegible] tempus prophetatum, & diem expectatum esse [illegible] haec enim particula partem materiae quam euangelizamus: vt intelligamus materiam exte-riorem [illegible] prophetarum haberi, declarari au-tem per ministros noui Testamenti, demon-strantes ad oculum aduenisse tempus accepta-bile, & diem salutis.

NEMINI DANTES VLLAM OFFENSIONEM. Vers. 3. Duo proposuit de legatis cooperantibus, alte-rum est *cooperantes*, alterum *obsecramus*. Materiã obsecrationis statim subiunxit, dicendo quid obsecrant: videlicet *ne in vacuum*, &c. Materiã verò cooperationis modò subiungit, explicans illa in quibus cooperantur Deo ministri ido-nei noui Testamenti ministrantes iustitiae Dei quae est in Christo Iesu. Iungitur itaque haec particula quoad sententiam illi particulae *coo-perantes*, ita vt quòd tunc proposuit, modo ex-ponat: Ac si apertius dixisset, cooperantes su-mus *nemini dantes vllam offensionem*, &c. Prima cooperationis materia est vitare omne scanda-lum actiuum. Hoc enim est dare alieni offen-sionem aliquam quã impingendo caderet a recto.

Materiã obsecrationis, & cooperationis subiungit.

VT NON VITVPERETVR MINISTERIVM NO-STRVM. Superflua *nostrum*. [illegible] de ministris [illegible] nemini [illegible] offendendi [illegible] ex ipso officio [illegible] ipsum mi-nisterium noui Testamenti non vituperetur. Redundaret siquidem in vituperium officij, si primi ministri factis proprijs scandalizarent alios: crederetur siquidem [illegible] ab hominibus [illegible] rationabiliter, quod non esset diuina legatio, quòd non essent vera quae praedicabant, ex quo primi fundatores factis proprijs scandali-zant alios. Qui nec tam hodie Doctores scanda-lizantes, non solùm seipsos vituperant, sed quantum in eis est, vertunt in dubium sanctum aliorum ministerium.

Vers. 4. SED IN OMNIBVS EXHIBEAMVS, pro *com-mendamus*, NOSMETIPSOS SICVT DEI MINISTROS, pro *ministri*. Ordo literae est, sed sicut Dei ministri commendantes nosipsos in omnibus, supple *sumus*. Et est sensus quòd sicut conuenit

Dei miniſtri, ſicut debent Dei miniſtri omni ſtudio efficere, ſumus commendantes noſipſos: hoc eſt, commendabilia exercentes in omnibus factis & verbis. Nec ſunt verba hæc laudantis, ſed deſcribentis ſeipſos miniſtros ad deſcribendum perfectionem [illegible] vitationem ſcandali, quod non ſolum vitamus dare occaſionem ſcandalizandi, vt non vituperetur officium, ſed ita nos gerimus vt quemadmodum tantum officium miniſtrorum Dei exigit, ſimus nos commendabiles ex qualitatibus operum, & verborum. Sic enim commendare ſeipſos exigit officium miniſtri Dei, & non commendare ſeipſos iactantia, aut hypocriſi. Huiuſmodi enim commendatio ſemper ſuis ex reuerentia proprij officij procedit: & è regione ſcandalizantium locatur. Nam miniſtri ſcandalizantes, ex proprijs factis vituperabile reddunt miniſterium: miniſtri vero perfecti, è diuerſo ex ratione miniſterij ſeipſos commendant in omnibus, propria facta & verba commendabilia in omnibus exercent. Ecce materia cooperationis tum quoad ſtudium vitandi ſcandala, tum quoad ſtudium gerendi ſeipſos commendabiles in omnibus vt diuinum exigit miniſterium. Et ne tanquam verba communia, aut in iis quæ parua ſunt intelligas miniſtros noui Teſtamenti commendabiles ſe exhibere, deſcribit per partes, ſubiungendo:

Quomodo ſeipſos commendare debent miniſtri Euangelij.

In multa patientia. Multa tolerantia præponitur ſequentibus nouem generibus malorum, ad deſcribendum miniſtros noui Teſtamenti ſupra ſtudium non ſcandalizandi vacare, vt ſeipſos commendabiles reddant in primis in patientia multa, hoc eſt, longa & magna. In tribulationibus: hoc eſt, in varijs afflictionibus. In necessitatibus, corum quibus indigemus. In angustiis, corporum ab extra paratis ne poſſimus euadere.

Nouem mala genera, in quibus multa patientia opus eſt.

Verſ. 5. In plagis, flagellorum, virgarum, lapidum. In carceribus, damnandorum ad mortem. In seditionibus, quæ contra nos excitantur in ciuitatibus. In laboribus, itinerum, vel etiam manuum quandoque, ne quemquam grauemus. In vigiliis, tum voluntariis orationi vacando, tum coactis propter [illegible], vel propter opus [illegible]. In ieiuniis, ſimiliter vtrique, quandoque voluntariis, quandoque propter penuriam. Et hoc eſt nonum malorum genus. In his enim omnibus multa patientia commendabiles ſe reddunt veri miniſtri noui Teſtamenti. Et hæc omnia proprie ſpectant ad virtutem fortitudinis, cuius principalis actus eſt ſuſtinere magna mala.

Verſ. 6. In castitate. Ecce temperantia in præcipua materia delectationum, ſcilicet venereorum. In scientia, [illegible], in qua continetur etiam prudentia. In longanimitate. Ecce virtus ſpei protendentis in longum expectationes futuræ [illegible]. In suauitate, ſeu, vt aliis placet, In benignitate. Virtus quæ a bonis [illegible] ſortitur nomen. [illegible] miniſtros noui Teſtamenti oportet eſſe tum benignos, hoc eſt, [illegible] bonorum, tum bona proferre poſſint ex interiori theſauro in verbis, in geſtibus, & in factis. Tum ſuauitate diuerſis hominum complexionibus, [illegible]

[illegible] exhibere commendabiles debent miniſtri noui Teſtamenti.

uerſitatem agendi, ſecundum ſexuum, diuerſitatem conditionum humanarum, humaniores accommodantes ſeipſos vt omnibus proſint. In Spiritu sancto. Non ſecundum rationem humani ſpiritus, ſeu humanæ mentis, ſed ſecundum rationem Spiritus ſancti nouæ [illegible], diuinitus [illegible] agimus.

In charitate non ficta. Ecce teſtis Spiritus ſancti infallibilis, ecce comes in ſuis [illegible], dilectio non ſimulata externis, ſed vere interna.

Verſ. 7. In verbo veritatis. Intus vera dilectio, foris verus ſermo, vera doctrina. In virtute Dei. Virtus non vt contra vitium, ſed vt contra impotentiam à nobis [illegible], pro potentia ſumitur. Et potentia Dei ad miraculoſa opera ſignificatur. Miniſtri enim illi primi habebant etiam potentiam faciendi miracula, quæ eſt potentia Dei: quia ſolus Deus eſt efficere vera miracula. Commendabiles ſeipſos reddebant, & patientia tanta, & tot virtutibus & gratia miraculorum.

Per arma iustitiæ. Metaphorice *arma iuſtitiæ* appellantur [illegible] habens vim armorum [illegible] vt hæc declarat, a malis [illegible] [illegible] facere bonum. A dextris et a sinistris, pro *dextrorum & ſiniſtrorum*. Quæ [illegible] conſiſtit in [illegible] dicendo, *per iuſtitiæ arma a dextris & a ſiniſtris*: hoc eſt, dextrorum & ſiniſtrorum membrorum & ſiniſtrorum [illegible] arma dextra & ſiniſtra, aut referat res occurrentes dextras & ſiniſtras, ſubiungit tamen continuationes me trahunt ad ſecundum ſenſum: hoc eſt, tam in dextris rebus, quam in ſiniſtris. Nec oportet ſolicite quærere per dextra & ſiniſtra quid Paulus ſignificare intendit, quoniam [illegible] ſtatim rerum dextrarum & ſiniſtrarum, ad deſcribendum, quod in omnibus materiis dextrorum & ſiniſtrorum miniſtri noui Teſtamenti [illegible] iam hoc habent, quod [illegible] miniſtri noui Teſtamenti, quod commendat [illegible] Dei in Ieſu Chriſto.

Arma iuſtitiæ quænam.

Verſ. 8. Per gloriam et ignobilitatem. [illegible] gloriam accipientes [illegible] loqui [illegible] tum. Vnde [illegible] medium ignominiam, ſed [illegible] interpretantur. In hac diſtinctione gloria dextrarum, ignominia ſiniſtrarum tenet locum, [illegible] gloria, quam [illegible] ignominia ſignificat. [illegible] Act. 14 de [illegible] Paulo & Barnaba [illegible] gentes, vt vellent ipſos adorare [illegible] quando tanta ignominia vt [illegible]. Per infamiam. Ecce [illegible]. Et bonam famam. Ecce dextrum. [illegible] Vt seductores. Ecce [illegible]. Et veraces. Ecce [illegible]. [illegible] ſeductores [illegible] tamen [illegible] veraces [illegible] Sicut qui [illegible]

Per arma dextrorum & ſiniſtrorum diſtinctio [illegible].

Ecce

[illegible] ſiniſtrum. Et cogniti. Ecce dextrum. [illegible] ſecundum rem noti [illegible] hæc eſt ſermo de [illegible] Apoſtolis [illegible] habebantur [illegible] apud multos [illegible] ex Deo [illegible] &c. Secundum rem tamen [illegible] Euangelicam, vnde erant noti apud eos qui volebant cognoſcere.

Verſ. 9. Quaſi morientes. Ecce ſiniſtrum. Tanquam morientes [illegible] habebantur miniſtri noui Teſtamenti prædicantes Chriſtum: Iudæis exiſtimantibus quod miniſtri Chriſtianæ [illegible] tanquam morientes [illegible] ignem ex palea.

Et ecce viuimus. Ecce dextrum, [illegible] ministri noui [illegible] vitam corporalem [illegible]. Vt caſtigati, ſeu correpti. Ecce ſiniſtrum. [illegible] caſtigationes, flagellationes [illegible] Chriſti. Et dicit [illegible] non erant caſtigatione [illegible] Caſtigatio enim ſeu correptio non habet locum niſi in illis qui caſtigatione ſeu correptione indigent [illegible] noui Teſtamenti, verumtamen fuerunt tanquam caſtigati. Lege Actus Apoſtolorum, & inuenies Apoſtolos [illegible] caſtigatos à Iudæis.

Et non mortificati. Ecce dextrum. Tempore quo Paulus hæc ſcripſit, adhuc nulla [illegible] à Romanis Principibus contra Chriſtianos [illegible] Iudæis [illegible] Chriſtianos [illegible] Apoſtolos [illegible] Stephanus [illegible] noui Teſtamenti [illegible] Pauli, Timothei, Silæ, [illegible] Stephanus, & Iacobus [illegible] noui Teſtamenti [illegible]

Tempore D. Pauli [illegible] Iudæis [illegible] Chriſtianos.

Verſ. 10. Quaſi triſtes. Ecce ſiniſtrum. [illegible] Semper autem gaudentes. Ecce dextrum, quod ſecundum rem [illegible] ſemper [illegible] gaudium [illegible] Spiritu Sancto. [illegible]

[illegible] gui habiti ſunt. Ecce materia & ratio [illegible] pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Sicut egentes, ſeu pauperes, [illegible] Ecce ſiniſtrum. [illegible] non ad [illegible] paupertatem [illegible] paupertate [illegible] quod ſimiles non [illegible] qui ex neceſſitate ſunt pauperes. Multos autem locupletantes. Ad literam eſt ſermo de [illegible] ſpiritualibus. [illegible] noui Teſtamenti [illegible] perſonas pauperum, non vt [illegible] multos [illegible] ſpiritualibus diuitiis. Et hoc eſt dextrum. Experimur quoque [illegible] quòd paupertas Apoſtolorum ditauit multos [illegible] temporalibus: quibus [illegible] non [illegible].

Paupertas Apoſtolorum multos ditauit.

Tanquam nihil habentes. Ecce ſiniſtrum, quod exponit vt præcedens. Hoc plus [illegible] tanquam pauperes: aſſimilamur [illegible] qui nihil habent, vtpote qui omnia reliquimus & ſequimur Chriſtum. Et omnia poſſidentes. Ecce dextrum. [illegible] ſpiritualibus [illegible] temporalia. Sicut enim [illegible] ita poſſeſſor [illegible] corporalium. Teſtatur quoque experientia [illegible] poſſeſſoribus ſpiritualium [illegible] & quæcunque ſunt corporalia: vt patet legenti geſta Sanctorum. Et hic finitur tractatus de noui Teſtamenti miniſtris.

Poſſeſſor [illegible] poſſeſſor [illegible] corporalium.

Verſ. 11. Os noſtrum patet ad vos ô Corinthii. Tertia eſt hæc pars tractatus huius Epiſtolæ, in qua tractatur [illegible] particula, [illegible]. Tractat enim multas [illegible] Corinthiis, & efficiendo [illegible] templum Dei, & efficiendo eos pœnitentes [illegible] tum collatas [illegible] in collectis [illegible] Continuat autem ſequentia præcedentibus [illegible] noui Teſtamenti [illegible] hoc eſt manifeſte. Et [illegible] Cor noſtrum dilatatum eſt.

Verſ. 12. Non anguſtiamini, pro [illegible] in [illegible] anguſtiamini [illegible] autem [illegible] veſtris. [illegible]

In quibus [illegible]

[illegible] Epiſtola [illegible] Chriſtum [illegible] Corinthii [illegible]

P 4 [illegible]

[illegible] Pauli, qui fortè iam fidem ſuſcepe-
rant, nullum [illegible] & propterea
mente [illegible] in anguſto poſitæ.
Hinc [illegible] a contrariis [illegible], a con-
ſuetis [illegible], a continuis conatum angebat
eos: Inde [illegible] debitum angebat eoſ-
dem: ſicque anguſti [illegible] in miniſtris
noui Teſtamenti [illegible] eos in
[illegible] anguſtiam. Hæc vbi Paulus per Ti-
motheum ſeu Titum cognouit, declarat Co-
rinthiis quòd anguſtia eorum nō eſt occaſione
ipſorum miniſtrorū, ſed occaſione propriorū
viſcerum: [illegible] quod non [illegible] huiuſmodi an-
guſtia ab ipſis miniſtris, declarat per hoc quòd
cor noſtrum dilatatum eſt. Si anguſtia hæc eſſet
ex nobis, cor noſtrum eſſet etiam in anguſto
(cùm nos non doceamus niſi ea quæ facimus)
ſed cor noſtrum non eſt anguſtū, imò dilata-
tum eſt, inter nullas verſatur anguſtias: ſed
ſupra omnes humanos reſpectus eleuatum
[illegible] amplum. Vnde nos anguſtiamini in no-
bis, non habetis anguſtiam in doctrina noſtra,
in mandatis noſtris, in exemplis noſtris: ſed
anguſtiamini in viſceribus veſtris. ſed anguſtia ve-
ſtra eſt ob intimos veſtros affectus [illegible] reſpectus
humanos. Et verè ſic erat: nam affectus ad ſo-
lita conuiuia honorabilia cum ſibi paribus
(quos fortè non inueniebant Chriſtianos) cau-
ſa erat huiuſmodi anguſtiæ. & ſic de ſimi-
libus.

Verſ. 13. EANDEM AVTEM HABENTES REMVNERATIO-
NEM (TANQVAM FILIIS DICO) DILATAMINI ET
VOS. Superfluit *habentes*. Et eſt vna parentheſis
totū hoc, *eandem autē remunerationē tanquā filiis
dico*. Ita quòd ordo literæ eſt, *dilatamini & vos*.
Et interponit *eandem autem remunerationem
tanquam filiis dico*, vel ad exponendum dilata-
tionis donum eſſe remunerationem quam eis
vt filiis indicit. Dilatatio ſiquidem cordis cō-
ſtat ex duobus. Alterum eſt ſtudium humanum
ad amplitudinem cor[illegible], ne inter humanos reſpe-
ctus anguſtetur. Et quoad hoc ſtudium [illegible]
Corinthiis vt & ipſi dilatentur. Alterum eſt
diuinæ donum gratiæ complens huiuſmodi
dilatationem: quâ homo dilatato iam corde
liberè & delectabiliter quæ Dei ſunt exequi-
Pſalm. 118. tur: [illegible] illud, *Viam mandatorum tuorum cu-
curri, cum dilataſti cor meum*. Et quod hoc do-
num dilatatio appellatur [illegible] eodem
[illegible] quam in ſeipſis ſentiebant A-
poſtoli. Vel ad exponendum [illegible] Pau-
[illegible] ad hoc ſcili-
cet vt habeatis [illegible] eandem remune-
rationem [illegible] quemadmodum cor
[illegible] dilatatum.

Verſ. 14. N[illegible], pro *ne [illegible]
[illegible]*, [illegible]. Ecce materia
[illegible] anguſtiæ [illegible] in infidelibus [illegible]
[illegible]. Infideles hoc in
loco [illegible]
[illegible] ſententia, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] per Valentiniani Cen-

Chriſtiani [illegible] cum [illegible]

tili, & Lucia ſimiliter ſponſo Gentili.

QVÆ ENIM PARTICIPATIO IVSTITIÆ CVM
INIQVITATE? Ex quinque capitibus manifeſtat
non eſſe iungendos eodem iugo Chriſtianos
idololatris. Primum ex parte iuſtitiæ. Status
quidem Chriſtianus eſt ſtatus iuſtitiæ. [illegible]
enim dictum eſt quòd miniſtratio noui Teſta-
menti eſt miniſtratio iuſtitiæ: ſtatus verò ido-
lolatrarum eſt ſtatus iniuſtitiæ. Et eſt ſermo de
iuſtitia Dei & iniuſtitia apud Deum. *Chriſtianos [illegible] idololatris non iungendos quinque capitibus manifeſtat.*

AVT QVÆ SOCIETAS LVCIS AD TENEBRAS?
Secundum ex differentia inter lucem & tene-
bras, Chriſtiani enim ſunt filij veræ lucis ſpi-
ritualis: idololatræ tenebrarum ſpiritua-
lium.

Verſ. 15. QVÆ AVTEM CONVENTIO, pro *quis autem con-
ſenſus*, CHRISTI AD BELIAL? Tertium ex diffe-
rentia inter Chriſtum caput Chriſtianorum &
Belial (hoc eſt dæmonem) caput idololatrarum.
Appellatur autem diabolus *Belial* Hebræo vo-
cabulo, eo quòd ſine iugo eſt [illegible] omnium,
Belial enim ſonat abſque iugo. Vnde *vir Belial*
appellatur cui omnia licent: vtpote abſque
quocunque rectæ rationis iugo. Et appoſitè re-
gione Chriſti, qui factus eſt obediens vſque ad
mortem, qui peccatum non fecit, diabolus
quatenus Belial abſque vllo rectæ rationis, abſ-
que vllo voluntariæ obedientiæ iugo lo-
catur. *Belial, id eſt abſque iugo, & ſignificat diabolum.*

AVT QVÆ PARS FIDELI CVM INFIDELI?
Quartum ex differentia inter fidelem & infi-
delem. Penes fidem in Deum differentia iſta
attenditur. Chriſtiani enim & credentes in
Deum & fidem debitam Deo ſeruantes, vtrin-
que ſunt fideles: idololatræ verò neutrum ha-
bent & omninò ſunt infideles.

Verſ. 16. QVIS AVTEM CONSENSVS TEMPLO DEI CVM
IDOLIS? Quintum & vltimum caput eſt ex dif-
ferentia inter templum Dei & idola. Non di-
cit templo Dei cum templo idolorum, ſed
templo Dei cum idolis: ad ſignificandum directā
contrarietatem inter templum Dei (in quo ſci-
licet habitat Deus) & illud in quo habitat dia-
bolus, quod eſt ſimulacrum. Non enim diabo-
lus eſt habitator templi idolorum immediatè,
(ſed mediante ſimulacro) ſicut Deus eſt imme-
diatè habitator templi ſui: Chriſtiani enim
(vt declarabit) ſunt templum Dei: [illegible] per hoc
alieni eſſe debent ab iis qui colunt ſimulacra,
habitacula dæmonum: vtpote colentibus
contraria Chriſtianis, qui ſunt habitacula
Dei. *Deum immediatè templa inhabitare, dæmones verò mediante ſimulacris.*

VOS ENIM ESTIS TEMPLVM DEI VIVI. Appli-
cat vltimam differentiam ad dignitatem ipſo-
rum hominum. Dicuntur enim & ſunt Chri-
ſtiani templum non ſecundum materiam, ſed
ſecundum officium actiui & paſſiui [illegible]
qui [illegible] quatenus in illis habitat Deus: actiui
verò quatenus in ſeipſis [illegible]
[illegible] colunt Deum fide, ſpe, charitate:
in quo officium non ſolum templi, ſed ſacer-
dotum in templo exercent.

SICVT DIXIT DEVS. Non ex vno ſcripturæ
loco Paulus [illegible]
[illegible] Leuit. 26. & Exod. 29. [illegible]
pro *quoniam*, INHABITABO IN ILLIS. Secundum
verba [illegible] Paulus [illegible] Scripturæ
veteris [illegible]
[illegible] in medio veſtri [illegible]
[illegible] *inhabitabo in eis* [illegible] Deum

Poteſt

ponere ſibi [illegible] in quo habitat [illegible] hominum, ſi [illegible], eſt facere eos habitaculum ſuum, imo eſt habitare in illis: habemus enim quaſi ſua habitacula in quo nō habitamus. Habitat autem Deus in hominibus cum vtitur hominibus ad vſus proprios Dei: ſic etiam habitat in materiali templo, ſicut nos habitamus in domibus. Et in [illegible] inter vos. Superflunt *inter eos*. Veruntamen *inambulare* ſignificat non ambulare, ſed ambulare in aliquo: ſonat enim textus *ambulabo in ei*. Non ſolum vtitur Deus Chriſtianis vt templo, habitando in eis, ſed etiam vt via gratiæ: ad ſignificandum internum profectum de virtute in virtutem, de bono in melius Chriſtianorum in quibus Deus habitat: imo ad ſignificandum quorſum habitat, ſcilicet vt proficiant ij in quibus habitat: ambulat enim Deus in hominibus ſecundum profectum ſpiritualem hominum.

Chriſtianis vtitur Deus, non ſolum vt templo, ſed vt via gratiæ.

Et ero illorum Deus, hoc eſt, qui ſum natura Deus ſimpliciter & abſolute, ero Deus proprius eorum, per veram gratiámque cultum. Nam tantummodo a Chriſtianis explicite vel implicite colitur Deus interno cultu Deo grato: cum non ſit extra Chriſtum ſalus cuiquam.

Et ipſi erunt mihi populus, hoc eſt ego habebo ipſos in meum populum: hic enim ſolus eſt populus de quo dixit Angelus ad Ioſeph, *Ipſe ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Nobis [illegible] Deum, Deus [illegible] nos vt populum ſuum: ſed vbi nos Deum ſolis labiis colimus, nec ipſe tractat nos vt populum ſuum.

Verſ. 17. Propter quod. Continuatio hæc Pauli eſt, ex hoc [illegible] templum Dei [illegible] dentis [illegible] ex Eſa. 42. [illegible]

Separationem ab idololatris docet Paulus.

[illegible]

Verſ. 18. [illegible] Paulus [illegible] promiſſione [illegible] filiorum & filiarum [illegible] Sonant enim hæc verba [illegible] dicta: forte vnius [illegible] lib. Regum ſeu Paralipomenon. Promittit [illegible] primo receptionem, [illegible] nolo vos [illegible], ſed

exeuntes ac ſeparatos ego ſuſcipiam vos in mea domo ſpirituali hic, & tandem æterna in in cælis. Et ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. Secundum quod promittit, eſt adoptio diuina, non ſolum ſuſcipiam vos in domo mea, ſed ego officio paterno erga vos me geram, amando, prouidendo, curam habendo, &c. & è conuerſo vos officia filiorum & filiarum erga me exercebitis, amando, reuerendo, obſequendo.

CAPVT VII.

Verſ. 1. Has ergo habentis promiſſiones, ſcilicet ſuſceptionis & adoptionis. Chariſſimi. pro *dilecti*: mundemus nos. Seipſum connumerat Paulus inter egentes mundatione, eo quod non ſit homo qui non peccet: connumerauit ſe ad perſuaſibilem reddendum aliis hanc exhortationem. Ab omni inquinamento carnis et ſpiritus. Inquinamentum carnis apellatur immunditia quæcunque animi prouenientes ex carne tam propria quam propinquorum: inquinamentum verò ſpiritus, apellatur immunditia quæcunque animi prouenientes ex ſpiritualibus: qualia ſunt honor, gloria, & huiuſmodi. Et occaſionem quidem huius exhortationis ſumpſiſſe videtur ex ſubiunctis apud Eſaiam verbis, *mundamini qui fertis vaſa Domini*. applicat enim ad propoſitam anguſtiam Corinthiorum, qui tum ex affectu carnali ad conſanguineos & affines, tum affectu ſpiritus ad gloriam, immunditiam contrahebāt. Perficientes ſanctificationem in timore Dei. Sanctificatio idem eſt quod mundificatio: ad hoc enim monet nihil inquinationis relinqui, vt mundificatio accepta per baptiſmum perficiatur noſtro ſtudio. Sæpe enim munditia per baptiſmum accepta inquinatur aff[illegible] carnis vel ſpiritus: & propterea oportet perficere eam mundando ab omni inquinamento. Et quia hæc præcipuè confert timor Dei, ideo adiungit *in timore Dei*. [illegible] Deus deſpi[illegible] munditiæ.

Inquinamentum carnis quid? Quid immunditia ſpiritus?

Verſ. 2. Capite nos, hoc eſt, capaces eſtote noſtri. [illegible] Cor. dilatatum: ad huiuſmodi dilatationem alludens, dicit, *Capite nos*, [illegible] doctores, monitores, [illegible] veſtros. Quod eſt dicere, ſuſcipite in vobis noſtram doctrinam, noſtram monitionem. Neminem læſimus. pro *iniuria affecimus*, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. pro [illegible]. Tria impedimenta excuſat [illegible] obiciebantur Paulo: quæ ſi fuiſſent [illegible], reddidiſſent Paulum minus receptibilem aut omnino irreceptibilem à Corinthiis. [illegible] tabant forte aliqui quod hæc Pauli præcepta erant [illegible], & tanquam ſpeciem fraudis habentia: [illegible] libertatem [illegible]. Propter quod Paulus extenſo ſermone ad [illegible] genus, [illegible] re actionis excludit [illegible] *neminem iniuria affecimus*. [illegible] hoc directé

Tria quæ forte obijciebantur contra D. Paulum.

rectè diceret ad manifeſtandum intentionem ſuam, quod ſine intentione immutandi alicui prohibuit connubia cum infidelibus.

Dicendo verò *neminem corrupimus*, effectum actionis explicat non fuiſſe abductionem a bono. Ita quod nec animus fuit immutandi: nec effectus a nobis proficiſcens vnquam fuit abducere a bono. Dicendo autem *neminem circumuenimus*, fallaciam autem a progreſſu doctrinæ, monitionum, præceptorum, & huiuſmodi excludit.

Verſ. 3. NON AD CONDEMNATIONEM VESTRAM DICO: Superfluit *veſtram*, hoc eſt, non gratia damnandi vos quòd talia de nobis ſuſpicemini dico hæc. PRÆDIXIMVS, pro *prædixi*. ENIM ſuperius in hac eadem Epiſtola, dicendo quod *eſtis epiſtola noſtra ſcripta in cordibus noſtris* QVÒD IN CORDIBVS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDVM ET CONVIVENDVM. hoc eſt, tam intimo & ardenti affectu eſtis in cordibus noſtris, vt parati ſimus vobiſcum mori & viuere: magnitudo hæc amoris teſtis eſt quod non ad condemnationem hæc dico.

Amor Apoſtoli in Corinthios.

Verſ. 4. MVLTA MIHI FIDVCIA APVD VOS. Hinc incipit Paulus aliam tractare materiam, quam optimè continuat cum præcedente monitione, terminatâ ad ingentem ſuum amorem erga eos. Tractare ſiquidem intendit de re geſta a Corinthiis recepta priori Epiſtola. Et aptè [illegible] præcedentis monitionis temperat ſubſequente hac commendatione eorumdem: vt etiam hinc perſuaſibiles reddantur ad patendum monitioni antedictæ. Proponit itaque quatuor, commendationem Corinthiorum concernentia: primum eſt multiplicata fiducia ad eos, ſecundum verò eſt,

MVLTA MIHI GLORIATIO PRO VOBIS, hoc eſt, de vobis multiplex mihi ratio ſuppetit gloriandi. REPLETVS SVM CONSOLATIONE. Ecce tertium. SVPERABVNDO GAVDIO IN OMNI TRIBVLATIONE NOSTRA. Ecce quartum. Quod tamen dicitur *in omni tribulatione noſtra*, referri etiam ad tertium: eſt enim ſenſus quod inter omnes tribulationes noſtras *repletus ſum conſolatione* [illegible] *ſuperabundo gaudio*: hoc eſt, quod gaudium ſuperet tribulationes.

Verſ. 5. NAM ET CVM VENISSEMVS IN MACEDONIAM. Tractaturus hæc quatuor propoſita incipit more ſuo a [illegible] quod in [illegible] propoſito [illegible]. NVLLAM REQVIEM HABVIT CARO NOSTRA. Non dicit *ſpiritus noſter*: quoniam ille quieſcebat, ſed caro nil [illegible] ita vt nullam habuerit requiem. Quod [illegible], SED OMNEM TRIBVLATIONEM PASSI SVMVS, pro *in omni tribulatione*, ſupple, [illegible]. Quæ [illegible] mala fuerint hæc, non aliter [illegible]. FORIS PVGNÆ, INTVS TIMORES. [illegible] quod [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Verſ. 6. [illegible] CONSOLATVR [illegible] DEVS, [illegible] ſcilicet [illegible] Deo, [illegible].

rentiam ſuperborum, quibus Deus reſiſtit. IN ADVENTV TITI. Primum medium quo vſus eſt Deus ad conſolandum Paulum, deſcribitur aduentus Titi ad Paulum ex Corintho: erat enim Titus vir ſpiritualis: & naturale eſt ex aduentu ſpiritualium virorum conſolationem accipere ſpirituales viros.

Humiles conſolatur Deus: ſuperbis reſiſtit.

NON SOLVM AVTEM IN ADVENTV EIVS, SED ETIAM IN CONSOLATIONE QVA CONSOLATVS EST IN VOBIS. *Conſolatus eſt*, paſſiue vtitur interpres. Ecce alterum medium quo vſus eſt Deus ad conſolandum Paulum: relata ſcilicet conſolatio quam ipſe Titus acceperat ex Corinthiis. Ad quam explicandam ſubdit, REFERENS NOBIS VESTRVM DESIDERIVM. reſpectu veri boni. VESTRVM FLETVM. reſpectu mali, tum inceſtus commiſſi ab illo priuigno, tum negligentiæ veſtræ prioris erga correctionem illius. VESTRAM ÆMVLATIONEM, pro *veſtrum zelum*, PRO ME, hoc eſt, veſtrum loco mei (nomine meo) zelum Eccleſiæ aduerſus illum fornicarium. ITA VT MAGIS GAVDEREM, ex huiuſmodi relatis, quàm dolerem ex carnis afflictione: hoc eſt, ita quòd gaudium ſuperaret dolorem. Verſ. 7.

QVONIAM ETSI CONTRISTAVI VOS IN EPISTOLA. Rationem tanti gaudij ex ſpirituali fructu Corinthiorum reddit. Contriſtauerat Paulus Corinthios in priore Epiſtola arguendo illos negligentiæ erga correctionem inceſtus. NON ME POENITET, ETSI POENITERET, pro *pœnituerit*. Res geſta hæc eſt: Paulus audito illo inceſtu inter Corinthios tolerato, &c. ſcripſit, arguendo, &c. in priore Epiſtola, poſtea pœnituit Paulum ſcripſiſſe contriſtantia illos, eo quod timuerit ne male ſuccederet, vt plerunque contingit: modò verò vt aduenit ex Corintho Titus, & rem benè ſucceſſiſſe narrauit, Paulus lætatur ſe ſcripſiſſe ſic Corinthiis in priore Epiſtola. Et propterea dicit *non me pœnitet*, in præſenti tempore, quamuis me pœnituerit in præterito medio tempore inter Epiſtolam illam & aduentum Titi ad me. VIDENS, pro *video enim*. Rationem reddit quare in præſenti non pœniteat. QVOD EPISTOLA ILLA (ETSI AD HORAM) VOS CONTRISTAVIT quod mihi diſplicuit, Verſ. 8.

Cur Corinthios contriſtans tamen non pœnitet Paulum.

NVNC GAVDEO, NON QVIA CONTRISTATI ESTIS. Triſtitia ſiquidem veſtra, quantumcunque ad horam, non eſt materia gaudij mihi. SED QVIA CONTRISTATI ESTIS AD POENITENTIAM. Non gaudeo de veſtra triſtitia ſecundum ſe, ſed ſecundum ſuum fructum, non gaudeo de veſtra triſtitia, ſed de veſtra contritione, quæ eſt pœnitentia. CONTRISTATI ENIM ESTIS SECVNDVM DEVM. Triſtitiam eorum [illegible] declarat ex Deo. Triſtitia ſiquidem ſecundum ſe plane inutilis eſt, & naturaliter [illegible]: & propterea ſi triſtitia aliqua eſt vtilis ac fructuoſa, aliunde quàm ex ſeipſa oportet quod hoc habeat. Et hinc Paulus ex hoc quod fuit ſecundum Deum triſtitia Corinthiorum, manifeſtat quòd fuit fructuoſa. Eſt autem triſtitia ſecundum Deum, quæ eſt ratione vel diuinæ iniuriæ ſiue a ſe, ſiue ab aliis commiſſæ, vel ratione damni ſpiritualis in Eccleſia occurrentis, vt cum viri iuſti tolluntur. Verſ. 9.

Triſtitia ex ſe inutilis & noxia.

Quomodo fructuoſa?

VT IN NVLLO DETRIMENTVM PATIAMINI EX NOBIS. Præter fructum qui eſt pœnitentia, alterum

alterum fructum monſtrat Paulus euenisse, ſcilicet vitationem cuiuſque damni ex epiſtola Pauli contriſtatiua. Quod ſi non penetras, recole quòd triſtitia ſecundùm ſe eſt inimica naturæ, ac per hoc ingerens alicui triſtitiam infert illi nonnullum damnum in animo. Monſtrat autem Paulus quòd quia Corinthij ex Pauli Epiſtola non ſunt contriſtati ſimpliciter & abſolutè, ſed contriſtati ſecundùm Deū (quia aſſumpſerunt pro ratione triſtitiæ non Paulum ſed Deum) euaſerunt omne triſtitiæ damnum ex epiſtola Pauli. **Et hæc eſt prima vtilitas triſtitiæ ſecundùm Deum.**

Verſ. 10. QVÆ ENIM SECVNDVM DEVM TRISTITIA EST, PŒNITENTIAM IN SALVTEM STABILEM, pro *impœnitendam*, OPERATVR. Ex differentia inter triſtitiam ſecundùm Deum & triſtitiam ſecundùm mundum penes contrarios fructus, monſtrat triſtitiam illorum ſecundùm Deum eſſe materiam gaudij Apoſtolici. Duplicem autem ſubordinatum fructum manifeſtat: alter eſt pœnitentia impœnitenda, alter eſt ſalus. Vide ſingula. Triſtitia ſecundùm Deum operatur pœnitentiam internam, quam conſtat integrari ex tribus actibus animi: primus eſt diſplicere ſibi quòd homicidium commiſit: ſecundus eſt velle de cætero non committere homicidium: tertius eſt velle ſatiſfacere illis quibus propterea irrogata eſt iniuria, Deo ſcilicet & hominibus læſis. Quicquid horum defuerit, non eſt pœnitentia in ſalutem, vt clarè patet. Vnde etiam patet differentia inter triſtitiam ſecundùm Deum & pœnitentiam ſalutarem: quia illa ſonat triſtitiam ex ratione triſtandi, Deo ſcilicet: iſta autem ſonat triſtitiam commiſſi cum reliquis duobus actibus. Vnde illa cauſat iſtam applicatam & contractam ad ſpecialem materiam, eo modo, quo dilectio Dei imperando cauſat actus inferiorum virtutum. Triſtitia enim ſecundùm Deū, actus eſt charitatis, ſicut delectatio ſecundùm Deum: triſtitia autem quam ſignificat pœnitentia, actus eſt inferioris virtutis.

Triſtitia ſecundùm Deū fructus.

Pœnitentia interna ex tribus actib.

Differentia inter triſtitiā ſecundùm Deum, & pœnitentiam ſalutarem.

Apponit autem *impœnitendam*, ad differentiam pœnitentiæ pœnitendæ: quales ſunt tam innumeræ humanæ pœnitentiæ diuerſorum geſtorum: tum pœnitentiæ deſperatorum. nam & pœnitentia Iudæ fuit pœnitentia pœnitenda & pœnitentiæ multæ [illegible] & veritatem conceſſarum aliis pœnitendæ ſunt. Quam autem operatur triſtitia ſecundùm Deum, pœnitentia impœnitenda eſt, nec ſolum impœnitenda eſt, ſed eſt in ſalutem animæ. Eſt itaque progreſſus a triſtitia ſecundùm Deum ad ſalutem animæ per mediam pœnitentiam impœnitendam, quam non oportet [illegible], quia ipſa ſecundùm Deum triſtitia eſt [illegible] in ſalutem.

Pœnitentia quædam pœnitenda.

SÆCVLI, pro *mundi*, AVTEM TRISTITIA MORTEM OPERATVR. Contra triſtitiam ſecundùm Deum diſtinguit triſtitiam mundi: hoc eſt habentem pro ratione amorem mundi contrarium amori Dei, qualis eſt triſtitia eorum qui impediuntur a fruitione delectabilium per fas & nefas: hæc enim conſtat quòd operatur mortem animæ contrariam ſaluti animæ: quam operatur triſtitia ſecundùm Deum.

Triſtitia mūdi quæ?

Verſ. 11. ECCE ENIM HOC IPSVM. Deeſt *quod*. SECVNDVM DEVM CONTRISTARI. Deficit: *Fuiſtis vos.* Ex experientia ſubſecuti fructus in eis ex triſtitia ſecundùm Deum, probat quàm fructuoſa ſit triſtitia talis. QVANTAM IN VOBIS OPERATVR SOLICITVDINEM. Ex negligentibus corrigere inceſtuoſum effecit vos ſolicitos. SED DEFENSIONEM, pro *purgationem*, non ſolum ſolicitudinem, ſed purgationem, tum veſtri delicti ob negligentiam, tum criminis inceſtus. SED INDIGNATIONEM. Purgatio ad præteritum **delictum, indignatio verò ad præſens dedecus** refertur. Indignati ſiquidem ſunt ex triſtitia **ſecundùm Deum Corinthij, tantum non ſuſti**nētes ſceleris inter ſe dedecus. SED TIMOREM, imminentis diuini iudicij niſi corripuiſſent inceſtuoſum. SED DESIDERIVM. Tria prius dicta (*purgatio, indignatio*, & *timor*) malum reſpiciunt, præteritum, præſens, & futurum: hæc autem tria quæ ſubiunguntur, reſpiciunt bonum. *Deſiderium*, tam boni proprij quàm communis. SED ÆMVLATIONEM, quodammodò certantium ad actiones bonas. SED VINDICTAM, bonum iuſtitiæ exercendo. Et hæc fuit vltimus effectus erga inceſtuoſum, exercuerunt enim iuſtitiam vindicatiuam excommunicando illum, &c. IN OMNIBVS EXHIBVISTIS, pro *commendaſtis*, vos, hoc eſt, commendabiles vos reddidiſtis. INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO, proculdubio inceſtus. Nec dicit incontaminatos fuiſſe ſed *eſſe*, purgauerant enim negligentiam qua nonnullam contaminationem contraxerant.

IGITVR ETSI SCRIPSI VOBIS, NON PROPTER EVM QVI FECIT INIVRIAM, inceſtuoſū ſcilicet filium. NEC PROPTER EVM QVI PASSVS EST, patrem ſcilicet maritum, qui paſſus eſt adulterij & inceſtus iniuriam. Nec intelligas has negationes referri ad intentionem Pauli, ſed ad commendationem effectus ſubſecuti in ipſis Corinthiis: non enim eſt ſenſus, me non ſcripſiſſe propter eum qui fecit iniuriam & propter eum qui paſſus eſt (cùm expreſſe ſcripſerit propter correctionem illius) ſed eſt ſenſus quòd ſi ex mea epiſtola non fuiſſet ſubſecutus effectus correctionis inceſtuoſi & vltionis iniuriæ irrogatæ patri, iſte tamen effectus ſubiunctus ſubſecutus eſt. Verſ. 12.

SED AD MANIFESTANDAM SOLICITVDINEM NOSTRAM QVAM HABEMVS PRO VOBIS CORAM DEO. *Sed vt manifeſtetur ſtudium veſtrum quod pro nobis eſt erga vos coram Deo.* Quando nullus alius fructus fuiſſet ſubſecutus ex noſtra Epiſtola, iſte eſt ſubſecutus: videlicet quòd manifeſtatum eſt ſtudium veſtrum erga vos ipſos quod habetis pro nobis coram Deo. Verè ſiquidem excommunicando illum, manifeſtatū eſt Corinthiorum ſtudium erga ſeipſos, erga propriam Eccleſiam, non qualecunque, ſed tale quale habebant nomine, authoritate, & loco Pauli, non ſecundùm humanos affectus, ſed coram oculis diuinæ maieſtatis: hoc eſt, in veritate intima quam intuetur Deus, quę grata eſt Deo.

IDEÒ CONSOLATI SVMVS. IN CONSOLATIONE AVTEM VESTRA. Superfluit *autem*. Concludit ex his bene apud Corinthios geſtis, quod tertio propoſuerat *conſolati ſumus*, hoc eſt conſolationem accepimus, paſſiuè ſiquidem interpres vertit *conſolari*. Et dicit *in conſolatione veſtra* actiuè: hoc eſt, in conſolatione quam dediſtis nobis ex veſtris factis. ABVNDANTIVS. Verſ. 13.

Denen,

Deficit, *autem*, MAGIS GAVISI. Tractat quarto loco propoſitum, ſcilicet *ſuperabundo gaudio*: quod enim ibi dixit *ſuperabundo gaudio*, hic dicit *abundantius magis gauiſi*. Et materiam multo abundantioris gaudij ſubiungit. SVPER GAVDIO TITI QVIA, pro *quod*, REFECTVS, pro *refocillatus*, EST SPIRITVS EIVS AB OMNIBVS. Auxit vehementer gaudium noſtrum gaudium Titi, eo quòd tam ſpirituales vos fueritis vt non caro, ſed ſpiritus Titi refocillatus ſit, non ab aliquibus, ſed ab omnibus vobis. Vbi patet quòd abundantia gaudij Pauli pro principali materia habet tantam in Corinthiis ſpiritualitatem, vt etiam refocillauerit ſpiritum Titi.

Verſ. 14. ET SI QVID APVD ILLVM DE VOBIS GLORIATVS SVM. Tractat ſecundo loco propoſitum, ſcilicet *multa mihi gloriatio pro vobis*. NON SVM CONFVSVS, pro *pudefactus*, non ſum pudore affectus, non erubui. SED SICVT OMNIA VOBIS IN VERITATE LOCVTI SVMVS, docendo & prædicando. ITA ET GLORIATIO NOSTRA QVÆ FVIT AD TITVM VERITATIS FACTA EST, verificata eſt ex veſtris geſtis.

Verſ. 15. *Viſcera intimos affectus ſignificant.* ET VISCERA EIVS. Tractat primò propoſitum, *multa mihi fiducia eſt apud vos*. Intimos Titi affectus viſcera appelat. ABVNDANTIVS IN VOBIS, pro in vos, SVNT REMINISCENTIS, pro recordantis, OMNIVM VESTRVM OBEDIENTIAM. Ecce materia fiduciæ Pauli in Corinthiis: obedientia ſcilicet eorum, quam ſimul commemorat, vt occaſionem affectus Titi, & ad eos & relatam atque laudatam à Tito.

QVOMODO CVM TIMORE, interno. ET TREMORE externo. EXCEPISTIS ILLVM. Et eſt ſermo de timore & tremore reuerentiali, cauſato in Corinthiis ex authoritate Pauli qui miſerat illum.

Verſ. 16. GAVDEO QVOD IN OMNIBVS CONFIDAM IN VOBIS. Ecce multiplicata fiducia & experta tali obedientiâ vt de cætero in vobis confidam non de re aliqua, ſed in quibuſcumque occurrentibus.

CAPVT VIII.

Verſ. 1. *Macedonum exemplo ad eleemoſynas hortatur Corinthio.* NOTAM AVTEM FACIMVS VOBIS FRATRES GRATIAM DEI QVÆ DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIÆ. Ad nouam tranſit materiam officij ſibi impoſiti ab Apoſtolis qui erant Hieroſolymis: vt ſcilicet procuraret eleemoſynas, pro pauperibus Chriſtianis in Hieruſalem degentibus, & intendens ad hoc hortari Corinthios, affert in exemplum Macedones. Duplicémque Macedonum virtutem explicandam appellat gratiam Dei datam in Eccleſiis Macedoniæ: ad ſignificandum quòd gratuitum donum Dei eſt vtraque virtus.

Verſ. 2. ET QVOD IN MVLTO EXPERIMENTO TRIBVLATIONIS. Superfluit &. Incertumque eſt an tribulatio hæc fuerit illa met cuius in præcedenti capitulo meminit, an fuerit aliqua alia tribulatio propria Macedonibus. Veriſimile eſt quòd illamet vexatio, qua preſſi ſunt Paulus & ſui, in qua *foris pugnæ & intus timores*, fuerit quoque tribulatio Macedonum Chriſtianorum, vt propterea Macedones dicantur experti tribulationem: quia non ſolùm auditu cognouerunt preſſuras Pauli, ſed ipſi experti ſunt illas adhærentes Paulo: foris enim pugnas, & intus timores rationabile eſt extendi ad adhærentes.

ABVNDANTIA GAVDII IPSORVM FVIT. Ecce prima virtus, magnus gratiæ diuinæ effectus, in ſpirituale gaudium cedere tribulationes mundi. ET ALTISSIMA, pro *profunda*, PAVPERTAS EORVM ABVNDAVIT IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORVM. Ecce altera virtus, beneficentia in ſanctos talis, vt etiam pauperes vſque ad fundum acquiſiuerint ſibi diuitias ſimplicitatis. Meritum ſiquidem beneficentiæ commemorat a parua eleemoſyna (profundæ enim paupertatis viri non niſi paruam poſſunt eleemoſynam facere) vt ex præmio paruæ eleemoſynæ intelligamus præmia magnarum eleemoſynarum. Si enim profunda paupertas eleemoſynam largiendo efficit diuitias ſimplicitatis, quanto maiores diuitias à maioribus oriri eleemoſynis intelligendum eſt? Quemadmodum diuitiæ fortitudinis, diuitiæ ſcientiæ & huiuſmodi conſtant ex copia ſpectantium ad fortitudinem, ſeu ſcientiam: ita diuitiæ ſimplicitatis conſtant ex copia actionum, delectationum, ac virtutum ſpectantium ad ſimplicitatem animi. Et appropriantur eleemoſynariis, ad ſignificandum quòd meritum eleemoſynæ proprium in ſimplicitate animi fundatur. *Ex præmio paruæ eleemoſynæ præmia magnarum colligit.*

QVIA SECVNDVM VIRTVTEM, hoc eſt vires. Verſ. 3. (TESTIMONIVM ILLIS REDDO) ET SVPRA VIRTVTEM, hoc eſt, vires. VOLVNTARII, pro *ſpontanei*, FVERVNT. Declarat quod dixerat de virtute beneficentiæ extenſæ vſque ad profundè pauperes: quia non ſolùm ſecundùm vires facultatum, ſed etiam ſupra vires earundem ſpontanei fuerunt ad largiendum. Et de hoc ipſo Paulus teſtatur: vtpote qui interfuerat. Cum autem audis *etiam ſupra vires*, intellige infra moderamen tamen rationis: alioquin non eſſet materia laudis: habet enim magnam latitudinem quod cenſetur ſupra vires: & largiri aliquid ſupra vires, compatitur moderata ratio, quæ non compateretur nimium ſupra vires exceſſum largitionis. *Promptitudo Macedonum in eroganda eleemoſyna.*

CVM MVLTA EXHORTATIONE OBSECRANTES NOS GRATIAM, ET COMMVNICATIONEM MINISTERII QVOD FIT IN SANCTOS. Verſ. 4. Græce legitur, *Cum multa obteſtatione rogantes nos, vt gratiam & communionem miniſterij quod eſt in ſanctos ſuſciperemus*. Rogabant Macedones cum multis obteſtationibus (hoc eſt cum multis ſignis quòd ex vero corde rogabant) Paulum cum ſociis vt non differrent ſuſcipere eleemoſynas pro ſanctis degentibus in Hieruſalem, ſed tunc ſuſciperent. In quibus precibus manifeſtatur quòd Macedones iam habebant eleemoſynam in promptu paratam, vt poſſet deferri in Hieruſalem. Et hoc commouit Paulum ad ſcribendum hæc Corinthiis.

Et eleemoſynam hanc deſcribit à quatuor, à gratuito dantium animo, *gratiam*: à pecunia quæ communicatur, *communionem*: à miniſtris quibus opus eſt vt deferatur in Hieruſalem *miniſtratio*: ab illis in quorum ſubuentionem datur *in ſanctos*: hoc eſt mundos ex baptiſmo.

ET NON SICVT SPERAVIMVS. Non negatur Verſ. 6. præcedens ſpes: ſed euentus non ſecundum menſuram,

menſuram, ſed ſupra menſuram ſpei, ſignificatur: hunc enim ſenſum præ ſe ferunt ſubiuncta. SED SEMETIPSOS DEDERVNT. quod maius donum eſt. PRIMVM DOMINO, DEINDE NOBIS PER VOLVNTATEM DEI IN HOC. Nec nos ſomniamus has duas dictiones, *in hoc* (ſed in textu inuenimus, disiunctas tamen per ſcriptores ab

Varia hic interpretatio. hac particula, & iunctas cum ſequenti) nec aliud niſi punctum mutauimus. Loco ſiquidem harum dictionum interpres vetus ſubiunxit has duas *ita vt*. Eſt itaque ſenſus (ab ea quæ tractatur materia nullo pacto digrediens) quod ideò ſupra ſpem, quia Macedones etiam ſeipſos dederunt in hoc miniſterium eundi in Hieruſalem comites deferentium eleemoſynam. Deſcribit autem hanc deditionem tum à cauſa ſupra ſpem, dicendo *per voluntatem Dei*: ſignificans quòd Deus eſt operatus hanc tam inſperatam deditionem; tum ab illis, quibus donum hoc oblatum eſt, dicendo *primum Domino deinde nobis*: hoc eſt, non principaliter ratione noſtri tanquam humano more præſentia noſtra induxiſſet eos ad hoc, ſed principaliter Deo, ſecundariò autem nobis: quibus ex officio incumbit prouidere de ituris in Hieruſalem.

Verſ. 6. ROGAREMVS, pro *adhortaremur*, TITVM. Durus abſque coniunctione aliqua contextus

Durus primâ fronte videtur hic contextus. induxit veterem interpretem ad exponendum illas dictiones, *in hoc* adiciendo, *ita vt rogaremus Titum*. Induxit quoque modernos interpretes vel ad exponendum illas, dicendo *quamobrem rogauimus Titum*: vel ad adiungendum coniunctionem *vt*: dicendo *in hoc vt adhortaremur Titum*. Contextus itaque ipſe in Paulo durus pariter videtur: ſiue iungantur illæ duæ dictiones (*in hoc*) cum præcedentibus vt nos iunximus (quia verè ille eſt locus earum: ibi enim opportunæ ſunt, hìc autem ſuperfluæ) ſiue iungantur cum ſequentibus, non enim iunctæ ſequentibus contexunt literam. Verùm licet prima fronte ſic durus appareat literæ contextus, ſtudioſius tamen circumſpectâ literâ apparet contextus optatiui *adhortaremur* cum coniunctione *&*, præpoſitâ particulæ *non ſicut ſperauimus*. Et eſt ordo literæ, & adhortaremur Titum non ſicut ſperauimus, ſed. &c. Ita quòd inter coniunctionem *&*, verbumque principale *adhortaremur*, per parentheſim legenda ſunt interpoſita declarantia ex euentu ſuperante ſpem ſubortam fuiſſe exhortationem Pauli ad Titum. Et ſic omnia quadrant: omniſque duritia contextus excluditur, nullaque ſuppletione opus eſt.

VT QVEMADMODVM COEPIT, ITA ET PERFICIAT IN VOBIS ET GRATIAM ISTAM. In priore Epiſtola monuerat Corinthios vt eleemoſynæ pro ſanctis degentibus in Hieruſalem, reconderentur apud ipſos offerentes: modò videns Paulus Macedones ſic inſtare vt eleemoſynæ deferantur in Hieruſalem, non cenſet amplius differendam eleemoſynam Corinthiorum. Et hinc ortum noua hæc exhortatio Titi à Paulo, vt velit reuerti Corinthum, ad perficiendum cœptum opus hoc. Quod appellat *gratiam* ratione ſuperius dicta. Apparétque ex his Apoſtoli verbis quod Titus cum eſſet Corinthi hortatus fuerat Corinthios ad huiuſmodi eleemoſynas. Hoc enim ſignificatur dicendo *vt quemadmodum cœpit*.

Verſ. 7. SED SICVT IN OMNIBVS. Corrigentis eſt immediatè antè dictum: tanquam minus dixerit dicẽdo *perficiat in vobis etiam gratiam iſtam*, corrigit hoc: intendens explicare quòd debuiſſet dicere, *vt in hac gratia abundetis*. Ita quòd tota iſta particula referenda eſt ad finem propter quem mittit Titum. ABVNDATIS FIDE. quæ eſt donum gratiæ gratis datæ. ET SERMONE. hoc eſt, dono linguarum. ET SCIENTIA. ſcripturarum ſacrarum. ET OMNI SOLICITVDINE, pro *diligentia*, quæ propriè videtur virtutis actus circa agenda. Ex eo quòd dicit *omni*, commendat ſtudioſitatem eorum vniuerſalem. INSVPER ET CHARITATE VESTRA IN NOS. Legendum eſt, *Et ea quæ ex vobis erga nos eſt dilectione*. Significat enim ſpontaneam Corinthiorum erga Paulum dilectionem. VT ET IN HAC GRATIA ABVNDETIS. Ecce fructus & finis intentus. Ad hoc hortatus ſum Titum vt efficiam quòd quemadmodum abundatis in omnibus his tot donis & virtutibus, ita & abundetis in hac eleemoſynaria gratia.

Verſ. 8. NON QVASI IMPERANS DICO. Superfluit *quaſi*. SED PER ALIORVM SOLICITVDINEM, pro *diligentiam*. Titi ſcilicet & eorum qui cum ipſo venient. ET VESTRÆ CHARITATIS INGENVVM BONVM, pro *ingenuum*, COMPROBANS. Ita quòd in textu non habentur illæ duæ dictiones (*ingenuum bonum*) ſed vnica tantum, ſcilicet *ingenuum*: hoc eſt, ingenuitatem: vtuntur enim Græci neutro pro abſtracto. Ne miſſio Titi ſpeciem præcepti præ ſe ferret, dicit Paulus quòd non præcipiendo hoc dicit, ſed ad experimento probatam liberalitatem charitatis eorum reddendam.

Neutro pro abſtracto vtuntur Græci.

Verſ. 9. SCITIS ENIM GRATIAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Gratuitum donum, gratiam vocat. Poſt inſinuatum factum Macedonum affert factum Chriſti, tum ad monſtrandum efficaciam abdicationis facultatum ad promerendum ſpiritualia, tum ad monſtrandum debitum rependendi Chriſto in facultatibus temporalibus. QVONIAM PROPTER VOS. Non excludendo alios & nos ipſos: nam non dicit *propter nos tantum*, ſed *propter vos*. EGENVS, pro *pauper* FACTVS EST. vſqueadeò vt *vulpes foueas habeant & volucres cœli nidos, filius autem hominis* non habuerit vbi reclinaret caput ſuum. CVM ESSET DIVES. tempore dominus omnium diuitiarum mundi. Noluit Ieſus vti dominio ſuper omnes diuitias, ſed aſſumpſit ſtatum pauperem. VT ILLIVS INOPIA, pro *paupertate*, VOS DIVITES ESSETIS. Declarat quod dixerat *propter vos*, vt merito voluntariæ paupertatis Chriſti vos diteſceretis diuitiis ſpiritualibus. Tacet Paulus applicationem tanti facti, vt Corinthij imitentur Chriſtum rependántque Chriſto.

Exemplo Pauli inſtat Apoſtolus.

Verſ. 10. ET CONSILIVM IN HOC DO. Tertio loco adhibet in re propria eleemoſynarium conſiliũ. HOC ENIM VOBIS VTILE EST. Ratio conſilij mei eſt vtilitas veſtra proculdubio ſpiritualis. QVI NON SOLVM FACERE. huiuſmodi eleemoſynas, SED VT VELLE, hoc eſt, ſpontaneâ voluntate facere: quod plus eſt quam facere. COEPISTIS AB ANNO PRIORE. non moti exemplo Macedonum. Ideò ſiquidem Paulus hoc

explicat, ne Corinthij ægrè ferant exemplum Macedonum. Ac ſi apertiùs dixiſſet, non attuli Macedones vt incipiatis (ſcio enim quòd ab anno priore incepiſtis, non qualitercunque, ſed ſponte facere has eleemoſynas) ſed vt celeriter perficiatis cœpta. Vnde ſubiungit.

Verſ. 11. NVNC VERÒ ET FACTO PERFICITE. hoc eſt, perficite, conſummate etiam facto eleemoſynarum nunc, & non differatur conſummatio earum quæ mittendæ ſunt eleemoſynarum. VT QVEMADMODVM PROMPTVS EST ANIMVS VOLVNTATIS. Nihil re fert quoad ſenſum legere *promptus eſt animus voluntatis*, vel *promptus eſt animus ad volendum*, vel *promptitudo eſt voluntatis*: modò intelligas quòd voluntas non pro illa animæ vi qua volumus, ſed pro actuali volitione ſumitur. Eſt enim ſenſus: vt quemadmodum animus eſt promptus reſpectu actus volendi, ITA SIT ET PERFICIENDI. hoc eſt, ita ſit promptus reſpectu actus conſummandi. Optime Paulus progreditur. Dixerat enim quòd ab anno priore fuerant prompti ad volendum & faciendum: adiungit modò vt quemadmodum eſt promptitudo veſtra ad volendum & faciendum, ita ſit promptitudo veſtra ad conſummandum.

Voluntas hic pro actuali volitione ſumitur.

EX EO QVOD HABETIS. Ne accelerata conſummatio (quam deſiderat Paulus) oneroſa alicui reddatur, appoſuit moderamen, *ex eo quod habetis*. Non dicit ex eo quod habituri eſtis, ſed *ex eo quod habetis* in præſenti. Non vult Paulus vt conſumment eleemoſynarum harum opus relatione habitâ futurarum frugum ad quas ſe extendit potentia habentium agros: ſed habitâ relatione ad illa quæ nunc habentur.

Moderamen adhibet, ne oneroſus reddatur D. Paulus.

Verſ. 12. SI ENIM. Deficit *prius*, VOLVNTAS PROMPTA EST. De præcedente ſiquidem voluntate loquitur. Præcedente autem executionem operis: vt cùm quis ante executionis tempus proponit ſe eleemoſynas daturum. De tali ſiquidem propoſito dicit, *ſi prius voluntas prompta eſt*: ad differentiam eorum qui propoſuerunt quidem, ſed non ſunt modò prompti ad executionem. SECVNDVM ID QVOD HABET. pro, *iuxta id* (quicquid illud eſt) *quod habet* ACCEPTA EST: ET NON SECVNDVM. pro, *iuxta*, ID QVOD NON HABET. Et eſt ſenſus quòd voluntas prompta ad eleemoſynarum largitionem grata eſt Deo ſecundum commenſurationem ad id quod homo habet (quicquid ſit illud paruum vel magnum quod homo habet) & non ſecundum commenſurationem ad id quo caret. Exceſſus ſiquidem eleemoſynarum reſpectu facultatum quas quis habet, appellatur eleemoſyna *iuxta id quod non habet*. hoc eſt commenſurata facultatibus quas non habet. Ex eo enim quod eſt exceſſiua reſpectu facultatum quas non habet, dicitur proportionata facultatibus quibus caret.

Eleemoſyna ſit commenſurata, & non cum exceſſu.

Sed occurrunt hic multæ quæſtiones. Prima oritur ex conſilio Domini, *ſi vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes & da pauperibus*. Huiuſmodi enim eleemoſyna eſt longe exceſſiua. Solutio eſt quod Dominus loquitur de eleemoſynis volentium mutare ſtatum, ex ſtatu communi tranſire ad ſtatum perfectionis: Paulus autem loquitur de pura eleemoſynarum largitione, non ad mutandum ſtatum, ſed perſeuerantium in ſtatu ſuo. Horum enim eleemoſynæ moderatæ eſſe debent & commenſuratæ facultatibus quas habent: illorum verò eleemoſynæ debent commenſurari mutationi ſtatus.

Mutatio tamen ſtatus attendenda.

Secunda oritur ex eo quòd Deus penſat affectum magis quàm cenſum: ac per hoc voluntas prompta, grata eſt Deo, non ſolum ſecundum id quod habet, ſed etiam ſecundum id quod non habet, & tamen daret ſi haberet. Solutio eſt quod aliud eſt loqui de affectu, aliud de promptitudine. Affectus eſt enim communis tam volitioni quam velleitati: promptitudo autem propriè executionem non quam vellemus ſed quam volumus reſpicit. Paulus de promptitudine loquitur: expreſsè dicens, ſi præcedens *voluntas* (hoc eſt deliberata voluntas, non velleitas) *prompta eſt* ad exequendum. Obiectio autem procedit de velleitate qua appetimus ea quæ non poſſumus.

Aliud eſt loqui de affectu, aliud de promptitudine.

Tertia quæſtio oritur ex facto viduæ laudatæ à Domino, Lucæ viceſimoprimo, quòd omnem victum ſuum obtulit. Hìc enim non interuenit mutatio ſtatus: & oblatio illa ſecundum rem incommenſurata fuit ei quod habebat mulier illa, & tamen fuit accepta prompta eius voluntas & executio, ſecundum id quod non habuit. Solutio eſt quod doctrina Pauli tradidit quod regulare eſt, quod ſecundum communem morum regulam laudabile eſt. Factum autem viduæ ſpeciale quid fuit, tanquam ſupra communem hominum regulam factum. Poteſt tamen aliter dici, quòd quia neceſſarium alicui non conſiſtit in indiuiſibili, ſed latitudinem habet, ita quòd diminuendo aliquid adhuc reſtat neceſſarium ad victum ſeu ſtatum, ideo vidua illa de penuria ſua arbitrata eſt quod etiam demptis illis duobus minutis viuere poſſet, ac per hoc non receſſit à regula iſta, ſed dedit iuxta id (quantulumcunque fuit) quod habuit. Fortè enim viuebat ex eleemoſynis, & quicquid pecuniæ habuit totum dedit.

Factum viduæ Euangelicæ ſpeciale fuit.

NON ENIM VT ALIIS SIT REMISSIO. pro, relaxatio, VOBIS AVTEM TRIBVLATIO. Verſ. 13. Rationem reddendo prioris dicti, adiungit aliam circumſtantiam in eleemoſynarum largitione librandam: vt ſcilicet eleemoſynarum largitio non pariat largientibus anguſtiam rei familiaris. Et hoc directè eſt ratio prioris dicti. Ne pariat ſuſcipientibus eleemoſynam relaxationem potius morum quam laborum: opulentæ ſiquidem eleemoſynæ ſuſceptæ reddunt quandoque ſuſcipientes remiſſos & tepidos, tum ad debita exercitia, tum ad ſanctiores mores: vt experientia vtinam non teſtaretur in opulentis Monaſteriis, Eccleſiis, &c.

Eleemoſyna non pariat anguſtiam in ſinu eius largientis.

Nec relaxationem tamen vt quibus datur.

Vetat Paulus huiuſmodi largitatem eleemoſynariam largientem relaxationem eorum quibus datur. Tamen deuotio principum qui dederunt, putantium ſe fouere, non relaxare quod religionis & morum erat, gratiſſima Deo fuit: ſed culpa eſt abutentium, & cautela deberet eſſe largientium poſtquam experientia relaxationem videret.

SED EX ÆQVALITATE. Vtriuſque moderaminis rationem aperit, manifeſtans æqualitatis rationem habendam in eleemoſynarum largitione. Et ne reſtet ambiguum de qua æqualitate loquitur, explicat ipſam vtrinque, & ex parte ſcilicet largientium, & ex parte

parte ſuſcipientium eleemoſynam.

Verſ. 14. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam suppleat, vt illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Ecce æqualitas, vos abundatis temporalibus facultatibus, ſancti in Hieruſalem indigent: ad æqualitatem res iſta reducitur, ſi veſtra abundantia ſuccurrit illorum indigentiæ.

Vbi nota quòd non dicit id quod eſt vobis neceſſarium, ſed *veſtra abundantia*. Abundantia enim eſt propria eleemoſynæ materia, conformiter ad verbum Domini, *quod ſupereſt eleemoſynam date*. Et ſimiliter nota non niſi indigentibus eleemoſynas eſſe conferendas.

Abundantia eſt propria eleemoſynæ materia.

Et è diuerſo ſancti in Hieruſalem abundant ſpiritualibus, vos autem indigetis ſpiritualibus donis: æqualitas fiet, illorum abundantia in ſpiritualibus ſuccurrente veſtræ indigentiæ ſpiritualium. Prouocati enim veſtris eleemoſynis ſuccurrent ſuffragiis orationum apud Deum vobis in iis quæ ſunt ad ſalutem animæ.

Vbi & nota dici *vt illorum abundantia* proculdubio in ſpiritualibus. Reddit enim rationem eius quod dixerat, *non vt aliis ſit relaxatio*. Non ſolùm non debet eleemoſyna parere relaxationem, ſed fouere abundantiam ſpiritualium in ſuſcipiétibus eleemoſynas: vt non ſolùm habeant dona ſpiritualia pro ſeipſis, ſed etiam pro largientibus eleemoſynas.

Vide quales conditiones deſcribit Apoſtolus concurrere ad huiuſmodi eleemoſynas quæ fiebant pro victu ſanctorum in Hieruſalem, vt prouocet Corinthios ad celeriter conſummandas eleemoſynas.

Vt fiat æqualitas. Sicvt scriptvm est, Exodi decimoſexto.

Verſ. 15. Qui multum, non abundauit: et qui modicum non minorauit. Tranſſumit populi factum in collectione mannæ, ad perſuadendam æqualitatem communé eſſe omnibus tam pauperibus modicum dantibus quam diuitibus multum largientibus. Res geſta ſic eſt, Mandante Moyſe vt per domos colligerét mánna pro ſingulis perſonis ad menſurã *Gomor*: dũ alij plus, alij minus colligerent ad ſuas domos euenit, quòd in ſingulis domibus tot *gomor* mãnæ inuenta ſunt quot perſonæ erant: ita quòd qui plus collegiſſent, non tamé habuerũt plus, ſed numerum *gomor* iuxta numerũ perſonarũ: & ſimiliter qui minus collegiſsẽt, nihilominus inuenerũt numerũ *gomor* iuxta numerũ perſonarũ. Et ſic *qui multũ* collegerat, *non abundauit*: *& qui modicũ* collegerat *nõ eſt minoratus*, id eſt, non minus reperit. Et ſic fuit inter eos æqualitas proportionalis cum ſufficientia. Simile quid vult intelligi Paulus euénire largiẽtibus eleemoſynas huiuſmodi: vt ſcilicet pauper modicum largiens, & diues multum largiens, æquales ſciant ſe inueniri in ſpiritualibus æqualitate proportionis cum ſufficientia: hoc eſt quòd vnuſquiſque ad ſufficientiam ſuam ſpiritualia participauit, ſicut contigit in participatione mannæ.

Aequalitas eleemoſynæ comparatione mannæ qualis?

Verſ. 16. Gratias avtem ago, pro *gratia autem*, Deo. Regreditur Paulus ad eam quam narrare inchoauerat exhortationem à ſe factam Tito vt reuerteretur Corinthum ad perfectionem collectæ eleemoſynariæ: & gratias agit Deo de conſenſu Titi. Qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi. Propriè ſignificatur idem ſtudium, eadem cura in corde Titi quæ erat in corde Pauli pro Corinthiis vt faceret hoc bonum.

Qvoniam exhortationem quidem ſuſcepit. quam nos ei fecimus vt veniret ad vos. Nec ſolum ſuſcepit exhortationem noſtram, Sed cum ſolicitior, pro *ſtudioſior*, esset ſua voluntate, pro *ſua ſponte*, profectus eſt ad vos. Vltroneus ad tale iter Titus commendatur. Verſ. 17.

Miſimus avtem cum illo fratrem noſtrum. Superfluit *noſtrum*. Cuius laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias. Non nominat Paulus hunc Titi collegam: ſed deſcribit à duobus. Primum quòd laudatur in Euangelio per omnes Eccleſias. Quod Euangeliſtæ Lucæ videtur congruere, ſparſo Euangelio eius per Eccleſias omnes. Alterum eſt, Verſ. 18.

A duobus deſcribit S. Lucam,

Non ſolum autem, pro *nec id ſolum*, ſupple gratiæ habet. Sed et ordinatus, pro *electus*, eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, pro *cum gratia hac*. Et hoc quoque congruit Lucæ Euangeliſtæ, qui ſeipſum deſcribit comitem peregrinationis Pauli. Verùm ad propoſitum negotium non dicit *comes peregrinationis noſtra*, ſed *comes peregrinationis noſtræ cum hac gratia*, ad differentiam primæ peregrinationis Pauli, ſine gratia hac. Ad ſignificandum quòd in hac peregrinatione quã peregrinatur cum hoc officio procurandi eleemoſynas pro degentibus in Hieruſalem electus eſt Lucas ab Eccleſiis comes Pauli ad procurandum huiuſmodi eleemoſynas: hoc ſiquidem officium iniunctum eſt Paulo poſt annos quatuordecim, vt ipſe dicit ad Galatas ſecundo: vnde prima eius peregrinatio ad prædicandum, fuit ſine officio procurandi eleemoſynas. Quod officium appellat *gratiam*, vt intelligamus non imponi onus Eccleſiis per hoc officium, ſed afferri illis gratiam: vt pro gratuito dono ſuſcipiant peti à ſe eleemoſynas: vtpote excitati ad bonum proprium. Re ſiquidem verã *gratia* beneficium conferebatur ſpirituale à Paulo Corinthiis & aliis quos excitabat ad eleemoſynas faciendum degentibus in Hieruſalem. Et maius erat beneficium illis collatum (vtpote ſpirituale) quàm beneficium corporalis ſubuentionis, quod largientes conferebant indigentibus. Verſ. 19.

S. Lucas ab Eccleſiis electus eſt comes D. Pauli ad procurandum eleemoſynas.

Qvæ miniſtratur a nobis ad Domini. Deeſt *eiuſdem*. Legendum eſt, *Ad eiuſdem Domini* gloriam. non ad noſtram gloriam, hoc à nobis exercetur officium, ſed ad eiuſdem Domini gloriam. Et dixit hoc, ne quis putaret quòd Paulus ideò procuraret eleemoſynas, vt glorioſum ſe redderet apud Eccleſiam Hieroſolymitanam. Et deſtinatam voluntatem noſtram, pro *& promptitudinem animi veſtri*. Ecce alter finis ſeu fructus huius noſtri officij, ad prouehendam ac manifeſtandam animi veſtri promptitudinem ad eleemoſynas largiendum.

Deuitantes hoc, pro *id*. Explicat Paulus quare tã egregios viros mittat ad hoc opus. Verſ. 20.
Ne quis nos vituperet in hac plenitudine, pro *abundantia*, quæ miniſtratur a nobis in Domini gloriam. Superfluit *in Domini gloriã*.

Cur egregiis viris in hoc miniſterio vtebatur D. Paulus. Abundantiam appellat magnam pecuniæ ſummam mittendam in Hieruſalem a tot Eccleſiis. Sciebat enim facile patere morſibus oblocutorum miniſtrantes pecuniam in magna præſertim quantitate. Et propterea tam egregiis viris vtebatur in hoc miniſterio. Vnde & ſubdit,

Verſ. 21. PROVIDEMVS ENIM BONA NŌ SOLVM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBVS. Nō dicit prouidemus vana aut fucatā, ſed bona quę ſcilicet ſuapte naturâ ſunt bona, & apud Deū & apud homines: quale eſt vti viris omni exceptione maioribus in re pecuniaria.

Verſ. 22. MISIMVS AVTEM CVM ILLIS. Tito, & Luca. ET FRATREM NOSTRVM. Nec nominatur iſte tertius, nec deſcribitur indiciis nobis manifeſtis: veriſimile tamen eſt quòd Corinthij intelligebant de quo loquebatur. Suſpicor Silam aut Timotheúm eſſe. Barnabas enim iam ſeparatus erat à Paulo in initio huius peregrinationis: vt patet in Actis Apoſtolorum. *Hunc tertiū eſſe Silam aut Timotheum ſuſpicio eſt.* QVEM PROBAVIMVS IN MVLTIS SÆPE SOLICITVM, pro *diligentem eſſe*, NVNC AVTEM MVLTÒ SOLICITIOREM, pro *diligentiorem.* Commendatio clara eſt ex frequenti experientia. CONFIDENTIA MVLTA IN VOBIS. Particula hæc cum adiacentibus valdè obſcura redditur ex nominatiuis (quantùm apparet) durè iunctis, quocirca tāquam diuinans conſtruam. Et quia in textu Græco *confidentia* caſus eſt datiui, quem interpres mutauit in ablatiuum, ſenſus eſt: Confidentiæ multæ locus eſt in vobis, aduenientibus his tribus ad vos multùm poteſtis confidere.

Verſ. 23. SIVE PRO TITO, hoc eſt, tam ratione Titi. Et ratio ſubiungitur, QVI EST SOCIVS MEVS ET IN VOBIS ADIVTOR, pro *cooperator.* Superfluunt illæ duæ dictiones, *qui eſt.* Ratio quare poteſtis confidere in Tito manifeſtatur ex duobus, tum ex ſocietate Pauli, tum ex officio cooperationis Euangelicæ, quam apud ſe ipſimet Corinthij experti ſunt. SIVE FRATRES NOSTRI. Ratio confidendi in fratribus noſtris aliis duobus miſſis cū Tito. Vtrobiq; (videlicet *ſiue pro Tito ſiue fratres noſtri*) ſubintelligendum eſt verbum aliquod: para ſiue pro Tito exigitur ratio fiduciæ, ſiue fratres noſtri exigantur fideles. Et ſubiungitur reſponſio, pro Tito quidem *ſocius meus & in vobis cooperator*: pro fratribus verò noſtris duobus antedictis: APOSTOLI ECCLESIARVM. A duobus deſcribit quam fide digni ſint hi fratres noſtri. Primum eſt quia ſunt Apoſtoli Eccleſiarum. Ad differentiam Apoſtolorum Chriſti dicit *Apoſtoli Eccleſiarum*, hoc eſt, legati Eccleſiarum, miſſi ab Eccleſiis. Ambo enim hi ab Eccleſiis mittebantur ad adiuuandum Paulum ad hoc opus. *Apoſtoli Eccleſiarum, id eſt legati miſſi ab Eccleſiis.* Alterum eſt, GLORIA, pro *gloriæ*, CHRISTI. non ſolum relati ad Eccleſias ſunt Apoſtoli earum, ſed etiā relati ad Chriſtum ſunt gloria Chriſti, ſunt in quibus continue viget non propria, ſed Chriſti gloria.

Verſ. 24. OSTENSIONEM ERGO QVÆ EST CHARITATIS VESTRÆ. Superfluit *quæ eſt.* Manifeſtata confidentia quā poſſent habere in his tribus nuntiis, monet Corinthios vt duo erga illos oſtēdant. *Duo à Corinthiis exigit erga nuntios Apoſtoli.* Alterum eſt ... propriæ dilectionis erga illos ... alterum eſt, ET NOSTRÆ GLORIÆ, pro *gloriationis*, PRO VOBIS, hoc eſt, vt oſtendatis factis noſtram gloriationem de vobis veram eſſe. Gloriabatur enim Paulus ſanctâ iactantiâ de Corinthiorum fide, bonitate, &c. IN ILLOS OSTENDITE IN FACIEM ECCLESIARVM. Dictio Græca anceps eſt ad *faciem* vel *perſonam.* Et vtroque modo quadrat propoſito. Nam legendo *in faciem Eccleſiarum*, adiungitur ratio publicandæ rei in conſpectu Eccleſiarum. Legendo autem *in perſonam*, explicatur ratio quoque vtrumque agendi: eo quòd perſonam gerunt Eccleſiarum: iam enim dixerat quòd ſunt Apoſtoli Eccleſiarum, & modò explicat quòd in perſonas Eccleſiarum confertur quicquid his confertur. Elige quod mauis.

CAPVT IX.

NAM DE MINISTERIO QVOD, pro *miniſtratione*, *quæ* FIT IN SANCTOS EX ABVNDANTI, pro *ſuperuacaneum*, EST MIHI SCRIBERE VOBIS. Monuerat Corinthios vt oſtenderent erga legatos officia charitatis & factorum: reliquúmque erat vt moneret eos circa eleemoſynariam largitionem in ſanctos Hieruſalem. Et propterea de hac ſubiungit quòd ſuperfluum cenſet exhortari eos ad hoc. Et rationem ſuperfluitatis ſubiungit: Verſ. 1.

SCIO ENIM PROMPTVM ANIMVM VESTRVM, PRO QVO DE VOBIS GLORIOR APVD MACEDONES. Non ſolùm ſe ſcire promptitudinem animi Corinthiorum ad hoc opus, ſed etiam vſqueadeò certum eſſe quòd apud Macedones gloriatur de tali Corinthiorum promptitudine aſſerit; vt omninò intelligant Corinthij fiduciam Pauli in eis. QVONIAM ET, pro *quòd*, ACHAIA PARATA EST AB ANNO PRÆTERITO, Explicat Paulus quid dicebat in hac gloriatione: videlicet quòd Achaia (cuius caput erat Corinthus) parata eſt promptitudine animi ad huiuſmodi opus iam ab anno ſuperiore. *Corinthus caput erat Achaiæ.* ET VESTRA, pro *ex vobis*, ÆMVLATIO PROVOCAVIT PLVRIMOS, pro *complures.* Non parua ſunt hæc calcaria laudis, quòd ex ipſis Corinthiis orta eſt ſancta æmulatio prouocans multos ad ſimile opus. Verſ. 2.

MISIMVS, pro *miſi*, AVTEM FRATRES. Tacitæ occurrit quæſtioni cur ſi tantùm in noſtra promptitudine confidis, miſiſti ad nos hos egregios viros pro hoc opere? Rationem reddit quare hos egregios fratres miſerit. VT NE QVOD GLORIEMVR, pro *ne gloriatio noſtra*, DE VOBIS EVACVETVR IN HAC PARTE. Et explicans ſubiungit, VT QVEMADMODVM DIXI, Macedonibus vos paratos fore, ITA PARATI SITIS. Ratio quòd ita miſerit fratres eſt, vt ſint parati: non vt ſint prompti ad dandum, ſed vt inueniatur pecunia parata. Verſ. 3.

NE CVM, pro *ne ſi*, VENERINT MACEDONES MECVM ET INVENERINT VOS IMPARATOS, ERVBESCAMVS NOS (VT NON DICAMVS VOS), hoc eſt, abſtineo a dicendo *erubeſcatis vos.* Erubeſcentia ſiquidem fuiſſet cōmunis Paulo & Corinthiis, Paulo quidē dicēti illos fore paratos: Corinthiis autē inuētis imparatis. IN HAC SVBSTANTIA, id eſt, *gloriationis*: hoc eſt in hoc ſubiecto, in hac materia gloriationis. Non enim debet Paulus erubeſcere in aliis materiis quas gloria- Verſ. 4.

tus,

tur fecerat mercari apud Corinthios (puta obedientia, charitate, ſcientia, &c.) ſed circa ſubiectam huius gloriationis ſtudioſus erat ne deficeret.

Verſ. 5. NECESSARIVM ERGO EXISTIMAVI ROGARE FRATRES, antedictos. VT PRAEVENIANT AD VOS, antequam ego veniam. ET PRAEPARENT REPROMISSAM, pro *antepromiſſam*. BENEDICTIONEM. Deficit *veſtram*. HANC PARATAM, pro *in promptu* ESSE. Eleemoſynam appellat benedictionem, eo quòd ſuapte natura eleemoſyna debet eſſe non ſolum beneficentia, ſed benedicentiá. Debet enim conſtare non ſolum ex benefacto, ſed ex benedicto. Debent ſiquidem adeſſe cum bonis factis bona verba.

Eleemoſynam vocat benedictionem: cur?

SIC QVASI BENEDICTIONEM, NON QVASI AVARITIAM. Explicat modum quo vult in promptu inueniri eleemoſynam. Et modus iſte reſpicit id quod eſt facti. Quaſi benedictionem ſiquidem appellat multiplicationem, more ſacræ Scripturæ ſæpe multiplicationem deſcribentis per benedictionem. In cuius ſignum contra auaritiam diſtinguit illam. Eſt itaque ſenſus, vt inueniatur in promptu eleemoſyna ſic, vt ſit velut multiplicatio, non velut auaritia. Multiplicationis ſiquidem eſt largitas, auaritiæ verò tenacitas. Intendit ergo Paulus hoc quod ſtatim declarat ſubiungendo,

Benedictio est multiplicatio.

Verſ. 6. HOC AVTEM DICO. Superfluit *dico*: nullum verbum in texto apponitur. Exponendo ſiquidem quod dixerat *quaſi benedictionem* non, quaſi auaritiam, ſubiungit *hoc autem*, ſupple eſt quod ſubiúgo. QVI PARCE SEMINAT. Ecce quaſi auaritiam. PARCE ET METET. Fructus enim quãtitas reſpondet quantitati ſeminis, & ſimiliter quantitas præmij quantitati meriti. ET QVI SEMINAT IN BENEDICTIONIBVS. Ecce *quaſi benedictionem*: hoc eſt, qui ſeminat in multiplicationibus. DE, pro *in* BENEDICTIONIBVS ET METET. hoc eſt, in multiplicationibus metet.

Quantitati meriti reſpondet quantitas præmij.

Verſ. 7. VNVSQVISQVE PROVT DESTINAVIT, pro *propoſuit*. Non exigit Paulus iuxta olim propoſitum (quia forte diminutæ ſunt interim alicuius facultates) ſed iuxta præſens propoſitum. IN CORDE SVO. Superfluit *ſuo*. Non iuxta propoſitum in ſermone, ſed in corde, ad differentiam eorum qui largioribus verbis pollicentur non ex corde.

NON EX TRISTITIA. Nota ſingulas conditiones eleemoſynæ. Prima eſt, prout in præſenti tempore proponit non in verbis, ſed in corde. Secunda eſt NON EX TRISTITIA. Minus dicit & plus ſignificat. Non ſufficit enim tantùm non cum triſtitia dare, ſed oportet delectabiliter dare. Non eſt enim iuſtus qui non gaudet iuſtis operibus: & ſimiliter non eſt eleemoſynarius qui non gaudet eleemoſynæ largitione. Tertia conditio eſt. AVT EX NECESSITATE. Triſtitia ab intrinſeco eſt: cognatáque eſt auaris animis cum eleemoſynas largiuntur, ſiue ſint auari ex natura, ſiue ex mala conſuetudine. Neceſſitas autem ab extrinſeco eſt: vt cùm quis maiorum authoritate ferè compellitur ad eleemoſynas largiendum. Neutra placet Paulo. Et rationem ex parte dilectionis diuinæ contra vtramque ſubiungit, HILAREM ENIM DATOREM DILIGIT DEVS. Hinc apparet quod dixi, Paulum minus dicere & plus ſignificare. Deus enim qui intuetur cor, non diligit factum, ſed penſat cor. cuius eſt hilaritas vel triſtitia, cuius eſt eſſe ſpontaneum vel coactum. Et ex Eccleſiaſtici triceſimo quinto capite videtur Paulus attuliſſe hanc ſententiam. Ibi enim dicitur, *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Et ſubiungitur retributio diuina. Eccl. 35.

Tres eleemoſynæ conditiones.

POTENS EST AVTEM DEVS. Dixerat quòd *hilarem datorem Deus diligit*: declarat modò quanti pendenda eſt Dei dilectio erga hilarem datorem, primùm ex parte potentiæ diuinæ: & deinde ex parte efficientiæ. Et ex parte quidem potentiæ dicit quòd Deus eſt potens, OMNEM GRATIAM ABVNDARE FACERE IN VOBIS. Non ſolum poteſt efficere in vobis abũdantiam huius gratiæ eleemoſynariæ, multiplicando facultates & augendo promptitudinem, ſed etiam omnem aliam gratiam: abundare autem ita, VT IN OMNIBVS SEMPER OMNEM SVFFICIENTIAM HABENTES, ABVNDETIS IN OMNE OPVS BONVM. Aduerbium *ſemper* non habetur in omnibus codicibus, ſed *vt in omnibus* ad vos ſpectantibus, non aliquam, ſed *omnem ſufficientiam habentes*, ex integro ſufficientes, *abundetis in omne opus bonum*, quod eſt finis omnium tam temporalium bonorum quàm ſpiritualium virtutum. Verſ. 8.

SICVT SCRIPTVM EST, In Pſalmo centeſimo Verſ. 9.
decimotertio: DISPERSIT. vir iuſtus, non vni tantùm contulit, ſed in multos ſparſit. DEDIT PAVPERIBVS. non diuitibus, non hiſtrionibus. Ecce meritum, ecce hilaris dator. IVSTITIA EIVS. quà iuſtus eſt apud Deum, comprehendẽs omnes virtutes. MANET IN SECVLVM SECVLI, pro *in æternum*. Ecce præmium ſupremũ, ad quod diligit Deus. Manet ſiquidem in æterno præmio, & non deſinit ipſo moriente.

QVI AVTEM ADMINISTRAT, pro *ſuppeditat*, Verſ. 10.
SEMEN SEMINANTI. Declaratá potentiá diuinę dilectionis, & ex authoritate ſcripturæ declarato ſupremo præmio ſpectante ad futuram vitam, declarat modò efficientiam diuinæ dilectionis in hac vita: quid ſcilicet efficit Deus in hac vita erga hilares datores. Declarat autem hanc efficientiam breuiter ſecundùm ſimilitudinem proportionalem ad efficientiam Dei in naturalibus. Et intendit docere quòd quemadmodum Deus cooperatur homini in ſeminibus naturalibus, ita proportionaliter cooperatur etiam homini in ſeminibus ſpiritualibus. Apta profectò ſimilitudo, vel verè proportionalis. Hilaris enim dator eſt tanquam ſeminans: & eleemoſyna ipſa eſt velut ſemen ad fructum multiplicem ſatum. Habet enim vim ſeminariam ad producendum fructum multum. Et is qui dat eleemoſynam, tanquam ſeminans dare debet: hoc eſt, reſpiciendo ad fructum futurum. Deus autem quẽadmodum homini ſeminanti ſuppeditat ſemen, vires ſemini ſubminiſtrando (ipſę ſiquidem eſt auctor naturæ) ita ſubminiſtrat vires eleemoſynæ ad fructificandum. Et quemadmodum non deficit Deus ſeminanti in actionibus naturalibus ſeminis, ita non deficit ſeminanti eleemoſynam in actionibus gratuitis ſecundùm ordinem gratiæ eleemoſynæ quaſi ſeminis definitis. Quas actiones proportionaliter ad actiones ſeminis tres Paulus ſubiungit:

Vt Deus cooperatur homini in ſemine naturali, ita cooperatur homini in ſemine ſpirituali.

Tres ſeminis actiones.

ET PANEM AD MANDVCANDVM PRÆSTABIT. Ecce prima: primum enim quod expectatur de ſemine, eſt habere panem ad manducandũ. ET MVLTIPLICABIT SEMEN VESTRVM. Ecce ſecunda, nam ex ſemine non ſolum expectatur panis, ſed expectatur multiplicatio ſeminis pro futura maiori ſeminatione. ET AVGEBIT INCREMENTA FRVGVM, pro *prouentus* IVSTITIÆ VESTRÆ. Ecce tertia: expectatur ſiquidem ex ſemine non ſolùm panis pro victu propriæ familiæ ac maior futura ſeminatio, ſed etiam lucrum iuſti prouentus. Proportionaliter autem ad hæc tria dicit quòd Deus præſtabit ſeminanti eleemoſynam, hoc eſt, neceſſaria ad victum, & multiplicabit actionem eleemoſynariam, & augebit prouentus iuſtitiæ, hoc eſt, prouentus iuſtos, ad differentiam lucrorũ iniuſtorum: vel prouentus ſpirituales iuſtitiæ veſtræ, vt iuſtitia eſt nomen generale. Aduerte hîc circa literam quod in textu Græco hæc tria verba (*præſtabit* ſeu *ſuppeditabit*, *multiplicabit* & *augebit*) ſunt infinitiui modi: & antiqui interpretes verterunt ea in futurum indicatiui, ob neſcio quam ſubintellectionẽ. Moderni verò interpretes verterunt in imperatiuum modum tertiæ perſonæ, legendo *ſuppeditet*, *multiplicet*, *augeat*. Nec eſt differentia in ſenſu, niſi quòd iuxta antiquos interpretes Paulus affirmat Deum efficere hos fructus per eleemoſynam: iuxta modernos verò Paulus precatur ſeu imprecatur eoſdem fructus eleemoſynæ. Magis autem quadrat quòd Paulus affirmet quàm quòd precetur aut imprecetur: quia affirmatâ diuinâ dilectione (dicendo *hilarem enim datorem diligit Deus*) & magnificatâ illâ ex potentia Dei, ſubiungendo *potens eſt autem*, &c. conſentaneum fuit vt aſſereretur efficientia diuinæ dilectionis. Quid enim mihi eſt quod Deus poſſit, niſi ſimul adſit quòd Deus efficiat? At ſi obiicias quòd quia incertum eſt an Deus hos temporalium bonorum fructus per eleemoſynas efficiat, ideò quadrat deprecatiuus modus. Fateor quòd quia non ſemper Deus hos efficit temporales fructus, rationem habet pro ſe deprecatiuus modus: quia tamen regulariter Deus hos fructus efficit quando expedit (teſtantibus inter priſcos hoc Iob & Tobia: atteſtantéque hanc ſeminis ſimilitudinem, imò ratione allata à Paulo), ideò antiqui interpretis textum non mutaui, qualem etiam habet Ambroſius. Non improbo tamen deprecatiuam lectionem.

Prouentus ex eleemoſyna.

An modo aſſertiuo, an verò deprecatiuo hæc intelligenda?

Verſ.11. VT IN OMNIBVS LOCVPLETATI ABVNDETIS. Superfluunt duæ dictiones: *vt*, & *abundetis*. Paulus ſiquidem Hebræo aſſuetus idiomati per participia loquitur ſine verbo, dicendo: IN OMNIBVS LOCVPLETATI IN OMNEM SIMPLICITATEM. Sunt qui putant participium hoc conſtruendum cum verbo *abundetis* ſuperiùs poſito ante *ſicut ſcriptum eſt*. Ita quòd conſtructio ſit: Abundetis in omne opus bonum, in omnibus locupletati in omnem ſimplicitatem. Crediderim ergo verbum ſubſtantiuum ſubintelligendum Hebræo more: & quòd Paulus deſcribat per hæc verba Corinthios ſeminantes eleemoſynam. Vt ſit ſenſus qui in omnibus locupletati eſtis in omnem ſimplicitatem. Locupletatos in omnibus ſpiritualibus intellige, ad omnem autem ſimplicitatem aſſequendam. Simplicitatem autem appellat quemadmodùm & ſuperiùs in principio octaui cap. virtutem animi ad mundè & purè eleemoſynam largiendum, & reliqua bona faciendum, audiendum, complectendum, &c. Simplicitas enim animi magna pars eſt virtutis, & optima diſpoſitio ad ea quæ ſunt fidei, ſpei, charitatis, obedientiæ, religionis, beneficentiæ, &c. QVÆ OPERATVR PER NOS GRATIARVM ACTIONEM DEO. Hinc apparet quòd de ſimplicitate quæ erat in Corinthiis Paulus loquitur: quoniam de ipſa dicit quòd eſt in materia gratiarum actionis Deo à Paulo: in tantam enim profecerant ſimplicitatem, quòd inducebant Paulum & ſuos ad gratias agendum Deo.

Simplicitas quid?

Simplicitas animi magna eſt diſpoſitio ad ea quæ ſũt fidei.

QVONIAM MINISTERIVM HVIVS OFFICII, pro Verſ. 12.
miniſtratio huius miniſterij, hoc eſt res quæ miniſtratur (pecunia ſcilicet) per hoc miniſterium eleemoſynarium. NON SOLVM SVPPLET EA QVÆ DESVNT SANCTIS, in Hieruſalem. SED ETIAM ABVNDAT PER MVLTAS GRATIARVM ACTIONES IN DOMINO, pro *per hoc quod multi gratias agunt Deo*, hoc eſt, non ſolùm habet effectum corporalis ſubuentionis indigentiæ ſanctorum, ſed etiam parit abundantiam affectus ſpiritualis, per hoc quòd multi gratias agunt Deo.

PER PROBATIONEM MINISTERII HVIVS. Ec- Verſ.13
ce occaſio gratiarum actionis apud multos, probatio (hoc eſt, experimentum miniſterij huius eleemoſynarij. GLORIFICANTES DEVM IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRÆ IN EVANGELIO CHRISTI. Prima glorificationis diuinæ materia complectitur confeſſionem fidei cum obedientia mandatorum Euangelicorum. Obedientia ſiquidem vt effectus confeſſionis deſcribitur, quia verè ſic eſt. Primum enim eſt confeſſio fidei: & inde obedientia mandatorum. Quod autem dicitur *in Euangelio Chriſti*, refertur tam ad confeſſionem quàm ad obedientiam. ET SIMPLICITATE COMMVNICATIONIS VESTRÆ IN ILLOS ET IN OMNES. Superfluit *veſtra*. Secunda glorificationis diuinæ materia eſt ex ſimplici animo communicata eleemoſyna in illos qui ſunt in Hieruſalem & in omnes pauperes Chriſti.

Triplex glorificationis diuinæ materia.

ET IN IPSORVM OBSECRATIONE PRO VOBIS. Verſ. 14.
Tertia glorificationis diuinæ materia, imò actio eſt obſecratio ſanctorum pro vobis. DESIDERANTIVM VOS. Non dicit deſiderantium veſtra, nec vos videre aut audire, ſed abſolutè *deſiderantium vos*. Ad quid orent pro vobis declaro, ſcilicet pro veſtra vita: deſiderare enim vos, eſt deſiderare veſtram vitam. PROPTER EMINENTEM GRATIAM DEI IN VOBIS. Ideò deſiderant vos viuere, quia in vobis eminet gratia Dei. Cogitatum eſt enim piis votis deſiderare vitam eorum in quibus eminet diuina gratia.

GRATIAS AGO, pro *gratia*. Deo, ſupple *ſit*. Verſ.15.
SVPER INENARRABILI DONO EIVS. in vobis, & in illis, & nobis. Et dicit *inenarrabile donum*, tum ex parte diuini amoris ex quo procedit donum, tum ex parte doni ſuperantis narrationem: vtpote quod longè plus eſt intùs quàm narretur: tum ex parte termini; quia inenarrabile eſt, *quod oculus non vidit, & auris non audiuit*, &c.

CAPVT

CAPVT X.

Quarta & vltima pars Epiſtolæ.

Verſ. 1. IPSE AVTEM EGO PAVLVS. Quarta & vltima eſt hæc pars huius epiſtolæ. In qua tractatur reſidua particula primo tamen loco propoſita, *benedictus Deus.* Vniuerſa ſiquidem hæc pars de ipſius Pauli perſona tractat, non ad ipſius Pauli, ſed ad Dei laudem. Tractat enim quæ ſuiipſius ſunt ad materiam benedicendi Deum benedictione laudis. Vnde & à ſeipſo inchoat dicendo, *ipſe ego Paulus.* Hactenus ſiquidem in prima perſona pluralis numeri tractauit de muneribus noui Teſtamenti, de communibus ſibi & aliis tribulationibus, & conſolationibus: modò verò de ſeipſo tractaturus eſt.

Per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti cur obſecret D. Paulus.

OBSECRO VOS PER MANSVETVDINEM ET MODESTIAM CHRISTI. Quid obſecret, inferius ſubiunget. Modò ea, per quæ obſecrat, explicat duo: *manſuetudinem* ſcilicet & *modeſtiam Chriſti*, contra duo quæ Paulo imponebantur, ſcilicet audaciam in ſcribendo, & vilitatem in loquendo coram. Affert Chriſti manſuetudinem contra audaciam, & modeſtiam contra vilitatem. Verum dictio interpretata *modeſtiam*, varios ſortita eſt interpretes: alij clementiam, alij humanitatem, alij comitatem, ſeu lenitatem interpretantur. Verum modeſtia generale nomen eſt ad modum ſeruandum in exterioribus. Ad literam enim Paulus internam manſuetudinem, & externum quoddam moderamen in actionibus & modo loquendi, videtur afferre ex Chriſto.

QVI IN FACIEM, pro *iuxta faciem*, QVIDEM. Seipſum Paulus refert: deſcribendo id quod in veritate erat, ſed in conuicium retorquebatur. Deſcribit enim quod *iuxta faciem*, hoc eſt, coràm. HVMILIS SVM INTER VOS. humilem, deiectum me ago inter vos coram. ABSENS AVTEM CONFIDO IN VOBIS. Dictio interpretata *confido*, anceps eſt ad *confido*, vel *audeo*, ſed parum, aut nihil refert ad ſenſum: quoniam confidentia fundamentum eſt audaciæ, imò proprium videtur eſſe confidentium audere. Clarior tamen interpretatio eſſet *audeo.* Et vtrumque horum, vt dictum eſt, verti ei imputabatur: quoniam Paulus vt patet in priore Epiſtola, abſens audacter reprehendit eos: & cùm apud eos conuerſatus prius fuerat, humilem ſe egerat. Ab iis ergo deſcribit ſeipſum quæ retorquebantur in eius conuicium.

Confidentia fundamentū audaciæ.

Verſ. 2. ROGO AVTEM VOS hoc eſt, rogo inquam vos modo abſens. NE PRÆSENS AVDEAM. Ecce quid rogat, ne eueniat quod præſens audeam: hoc eſt, rogo vt ita vos corrigatis vt non oporteat me præſentem vti audacia: quia hactenus vſus ſum humilitate. Et intellige *audeam*, non in omnes, ſed in quoſdam: quoniam expreſſe ſubiunget *in quoſdam*, parentheſi interpoſita. PER EAM CONFIDENTIAM QVA EXISTIMOR AVDERE. Et tunc ſubiungitur, IN QVOSDAM. Quod refertur non ad verbum *audere*, ſed ad verbum *audeam*. Exiſtimabatur Paulus audere magna confidentia abſens. Et propterea dicit *ne præſens audeam in quoſdam*, illa confidentiâ quâ exiſtimor audere abſens. QVI ARBITRANTVR. Deſcribit illos quoſdam a mala reputatione non ſolùm Pauli, ſed & ſociorum eius. NOS TANQVAM SECVNDVM CARNEM AMBVLEMVS, pro *ambulantes*: hoc eſt, ſecundum carnales affectus exercere actus noſtros. Exiſtimabant illi quòd Paulus, vel timore humano, vel captandi fauoris gratia humilis erat præſens: & ſimiliter abſens erat audax ad vendicandam ſibi authoritatem, gloriam, & huiuſmodi. Quod fuiſſet ſecundùm carnem ambulare: quoniam carnales ſunt huiuſmodi affectus.

IN CARNE ENIM AMBVLANTES, vtpote naturā habentes. NON SECVNDVM CARNEM MILITAMVS, non carnalibus affectibus, ſed rationibus militamus aduerſus diabolum, aduerſus idola, aduerſus infidelitatem, aduerſus prauos mores. Verſ. 3.

Arma militiæ Apoſtolicæ quænam.

NAM ARMA MILITIÆ NOSTRÆ NON CARNALIA SVNT. Ex natura armorum Apoſtolicæ militiæ probat quòd non ſecundùm carnem militamus. Et duo de his armis dicit. Alterum negatiuum, *non carnalia*: per quod excluduntur affectus & artes omnes ad gloriam, ad lucrum, & ad reliqua huiuſmodi mundana. Alterum affirmatiuum, SED POTENTIA DEO. Per quod explicatur quòd ſunt fortia ac valida, non carni, non mundo, ſed Deo, tanquam ei pro quo aſſumuntur, cui militant; qui principaliter in illis pugnat: eſt enim datiui caſus *Deo.* AD DESTRVCTIONEM MVNITIONVM. Ecce ad quid valent arma Apoſtolicæ militiæ, ad deſtruendum omnes munitiones. Sermo metaphoricus eſt: deſcribens efficientiam armorum ſpiritualium ad ſimilitudinem corporalium effectuum. Magna ſiquidem eſt potentia armorum corporalium, quæ poſſunt deſtruere munitiones ciuitatum, arcium, caſtrorum, & huiuſmodi. Verùm hæc in genere dixit *munitiones*, quibus & diabolus & homines mundani velut muniti ſunt contra fidem Chriſti: in ſpecie autem munitiones per partes explicat, inchoando à cogitationibus. CONSILIA, pro *cogitationes*, DESTRVENTES. Prima munimenta diabolica ſunt cogitationes. In quibus comprehenditur tota pars cognoſcitiua, omnes aſtutiæ, omnes artes, &c. contra fidem Chriſti, & bonos mores. Verſ. 4.

Cogitationes ſunt prima munimenta Diaboli.

Verſ. 5. ET OMNEM ALTITVDINEM EXTOLLENTEM SE, pro *quæ ſuſtollitur*, ADVERSVS SCIENTIAM, pro *cognitionem* DEI. Secundum genus munitionum celſitudo aduerſus cognitionem reuelatam nobis de Deo eſt, ſub qua comprehenditur tam vniuerſus affectus, quàm vniuerſa poteſtas, ſeu dignitas quæ eleuatur aduerſùs cognitionem Dei. Et ambo hæc armis Apoſtolicis deſtruuntur. ET IN CAPTIVITATEM REDIGENTES OMNEM INTELLECTVM, pro *cogitationem*, IN OBSEQVIVM, pro *in obedientiam*, CHRISTI. Magna vis armorum, quæ non ſolum poſſunt deſtruere contraria tam in intellectu, quàm in quadam celſitudine poteſtatis, affectus, dignitatis, &c. ſed etiam redigunt in captiuitatem omnem cogitationem, vniuerſam partem intellectiuam ad obedientiam Chriſti, credendo, ſperando, amando.

Duplices cogitationes armis Apoſtolicis ſuperantur.

Aduerte prudens lector dupliciter cogitationes inueniri. Vel veſtitas contrarietate ad Chriſtum, ſeu bonos mores. Et has Apoſtolicis armis deſtrui deſcriptum eſt primo. Vel nudas ab iis quæ aduerſantur Chriſto, & bonis moribus: quales ſunt intelligentiæ non erroneæ Philoſophorum, artium, prudentiæ, &c. Et has non deſtrui, ſed in captiuitatem eiſdem

armis redigi ad obedientiam fidei Chriſti modo deſcribitur.

Verſ. 6. Et in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam cum impleta fuerit veſtra obedientia. Quartum quod poſſunt Apoſtolicis armis,deſcribitur vltio omnis inobedientiæ. Intelligo ad literam ſignificari quòd in promptu habebat Paulus punitionem inobedientium apud Corinthios, non tunc, ſed cùm impleta fuerit obedientia illorum, qui monitis Apoſtolicis parere voluerint. Cenſebat enim Paulus expectandum vt impleretur numerus volentium obedire poſtquam moniti fuiſſent per hanc epiſtolam : vt tunc velut contra pertinaces in promptu eſſet vindicta aduersùs inobedientes.

Verſ. 7. Qvæ secundum faciem sunt, videti, pro *videtis?* Interrogatiuè legendum eſt. Poſtquam declarauit ex natura armorum ſuorum falſam eſſe exiſtimationem eorum qui reputant eos ſecundùm carnem ambulantes,ad rationem motiuam(quæ ſcilicet ad ſeducendum Corinthios afferebatur, ſe conuertit. Ab æmulis enim Pauli (qui reputabant Paulum ſecundum carnem ambulare,ad ſeducendum Corinthios inducebantur ſpectanda quæ ſecundùm faciem apparent:hoc eſt,quæ exterius manifeſta ſunt. Dicebant enim,non videtis quàm audacter ſcribit, videtis quàm vilis eſt cùm præſens eſt : vt ex his exterioribus apparentibus auerterent Corinthios à doctrina & obedientia Pauli. Vnde hanc rationem Paulus interrogatiuè arguendo inducit, *quæ ſecundum faciem ſunt videtis?* ſignificans quòd imprudenter agunt,iudicium de Paulo ſumendo ex his exterioribus. Vnde & ad confutandum authores huius rationis ſubiungit. Si qvis confidit sibiipsi. De æmulorum genere loquitur. Christi se esse. Profitebantur enim hi æmuli ſe eſſe Chriſtianos:& (vt ex inferius ſubiunctis colligitur,Hebræi erant,Chriſtiani tamen huiuſmodi æmuli. Hoc cogitet itervm apvd se.Quicunque ſuadet ſpectari ea quæ ſecundum faciem apparent, & confidenter profitetur ſe eſſe Chriſti,habeat iſte alterius cogitationis apud ſe materiam. Qvia,pro *quòd*, sicvt ipse Christi est, ita et nos. Deficit *Chriſti*,ſupple ſumus. Ecce materia cogitanda, ecce materia quam debet proponere ſpectandam. Arguit æmulos Paulus quòd ita ſe Chriſti proferunt, quòd Paulum excludunt : vt ſaltem cogitarent ita Paulum eſſe Chriſti,ſicut & ipſi ſunt Chriſti. Quod eſt dicere, ſaltem nos diceret ſpectandos vt pares ſibi, & hoc ad maiorem confutationem æmulorum.

Corinthios à Paulo ex apparentibus exterioribus auertere nitebantur ipſius æmuli.

Verſ. 8. Nam & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, Apoſtolica, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam. Hoc eſt, cùm maiores ſimus, quam iſti æmuli qui nec pares ſibi nos reddunt ſpectandos:poſſumus enim abſque erubeſcentia gloriari de maiori poteſtate accepta, non ab Apoſtolis, ſed a Domino ad ſpiritualem ædificationem veſtram. Hic eſt textus toties citatus de poteſtate Eccleſiaſtica, quòd nihil poteſt contra bonos mores, imò nec aduerſus meliora bona (qualia ſunt conſilia Chriſti) quoniam hoc non eſſet poſſe in ædificationem, ſed in deſtructionem ſpiritualem.

Poteſtas Apoſtolica, in ædificatione, non in deſtructionem.

Vt avtem non existimer. Superfluunt duæ dictiones, *vt autem*, & dictio *non*, legenda eſt *ne*.Ita quòd legendum eſt, Ne existimer. Et eſt ſuſpenſus ordo iſtius literæ vſquequo ſubiungitur, *hoc cogitet, ſeu reputet qui eiuſmodi eſt*.Ita quòd ſenſus eſt,ne exiſtimer,&c.hoc reputet qui eiuſmodi eſt. Tanqvam terrere vos per epistolas.Ecce quid non vult exiſtimari : quòd ſcilicet eſſet deterrens per epiſtolas,quod illos de Paulo dicere ſubiungit. Verſ. 9.

Qvoniam epistolæ qvidem inqvivnt, Verſ. 10.
æmuli. Graves svnt, quoad materiam. Et fortes, quantùm ad audaciam. Præsentia avtem corporis infirma.Infirmitatem præſentiæ directè contra fortitudinem epiſtolarum locant. Et sermo contemptibilis, pro *contemptus*. Et directè contra grauitatem epiſtolarum ſermo contemptus dignus ponitur.

Hoc cogitet, pro *reputet*, Qvi eivsmodi Verſ. 11.
est, ne exiſtimet tanquam terrens per epiſtolas Qvia,pro *quòd*, Qvales svmvs verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto. Superfluit *in*. Ecce quòd reputari volumus ab iſtis æmulis, quòd quales ſumus abſentes epiſtolari ſermone,tales erimus facto cùm præſentes erimus ,ita quòd non ad terrorem incutiendum ſcribimus,ſed ad facto comprobandum in præſentia corporali.

Non enim avdemvs inserere, avt com- Verſ. 12.
parari nos qvibvsdam, qvi seipsos commendant.Non quidem ſufficit B.Paulo iuſtificare progreſſum ſuum, monſtrando obiecta ſibi conuicia falſa eſſe, ſed contra authores conuiciorum horum inuehitur, vt illos exauthoret apud Corinthios, ne impediatur fructus Euangelij.Cùm itaque dicit, *non audemus*, ironia eſt : ad explicandam arrogantiam illorum æmulorum,quòd tam celſos ſe faciunt vt non audeamus nos connumerare, vel comparare illis. Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes et comparantes nosmetipsos nobis. Legendum eſt, *Sed ipſi in ſeipſis ſeipſos metientes, & comparantes ſeipſos ſibiipſis non intelligunt*. De æmulis iſtis duo dicit. Alterum quòd ſeipſos commendant : alterum quòd ſeipſos non intelligunt : linguâ ſe laudant, mente ſeipſos non penetrant. Et ſimiliter non intelligunt ſeipſos comparantes ſibiipſis, non penetrant hanc alteram internam qualitatem quòd ſeipſos ſibiipſis comparãt. Rurſus cùm dicit, *non intelligunt*, relatiuè ad commendationem propriam dicit. Ita quòd ſenſus eſt: ſed ipſi commendando ſe, non intelligunt quòd metiuntur ſeipſos in ſeipſis, & quòd comparant ſeipſos ſibiipſis:hoc eſt,non penetrant quòd ipſorum laus propria in ore proprio redundat in hæc duo : videlicet quòd metiuntur ſeipſos in ſeipſis, & quòd comparant ſeipſos ſibiipſis.

Æmulos ſuos exauthorat apud Corinthios D. Paulus.

Si quæris quo pacto commendatio horum conuincat in ipſis hæc duo mala,& non intellecta ab ipſiſmet. Scito quòd vt ex ſubiunctis è regione horum colligi poteſt, iſti falſi legati, ſeu prædicatores, de quibus eſt ſermo,laudabant ſeipſos tanquam prædicatores vniuerſales diſcurrentes per vniuerſas regiones : & quia in veritate non erant a Chriſto, nec ab Apoſto

Prædicatores æmuli D. Pauli ſeipſos cõmendabant falſo, cum nec à Apoſtolis miſſi, nec vllã [illegible].

Apoſtolis miſſi, nec aliquos ad Chriſti fidem conuerterant (quin potiùs conuerſos ab aliis ad Chriſti fidem inficiebant) ideo commendatio propria, nec innitebatur obedientiæ, nec innitebatur fructui conuerſorum, ſeu promotorum ad Chriſtum, & hinc conuincitur quod huiuſmodi commendatio ipſiſmet tantum innitebatur. Ex eo enim quòd nec extrinſeca iniunctione, nec extrinſeco fructu fulcita erat, conuincitur quod intus tantummodo (in ipſiſmet ſcilicet) fulciebatur. Et ſic cùm debuiſſent laudando ſe de actis menſurare ſeipſos ſecundùm obedientiam, menſurant ſe in ſeipſis nullam habentes legationem: & ſimiliter cùm commendando ſe de agendis debuiſſent comparare ſe ſecundùm fructus priores & poſteriores, comparant ſe ſibiipſis nullo producto, aut producendo fructu Chriſto. In hæc mala inciderant iſti: & paſſio affectus nimij ad propriam gloriam, & propriam proſequendi intentum excæcabat illos ne intelligerent ſeipſos tales reddi in actu commendandi ſeipſos de actis & de agendis, prædicando, docendo, diſcurrendo.

Verſ. 13. Nos avtem non in immensvm gloriabimvr. E regione illorum commendantium ſe, nec intelligentium ſeipſos metientes in ſeipſis, dicit in primis, *nos autem gloriabimur*, hoc eſt, materiam gloriationis habebimus, *non in immenſum*, ſcilicet terrarum ſpatium: vt teſtatur aduerſatiua ſubiuncta. Sed secvndvm mensvram regvlæ qva mensvs, pro *partitus*, est nobis Devs mensvram pertingendi. Deficit *etiam*, vsqve ad vos, Clarè exponit *non in immenſum* terrarum ſpatium, aduerſatiuè ſubiungendo, *ſed ſecundum menſuram* partitionis diuinæ regulæ: & exponendo *menſuram*, ſubiungendo, *menſuram*, inquam *pertingendi etiam vſque ad vos*.

Loquitur Paulus ad ſimilitudinem filorum, quibus artifices vtuntur pro regulis operum efficiendorum. Architectus ſiquidem præſidens vniuerſo operi fabricæ, vel colendæ terræ, vel efficiendorum aggerum, filis (quæ regulæ vocantur) diſtinguit partes operis: & iuxta regulam cuique datam menſura eſt operis cuiuſque. Hac metaphora vtitur Paulus, ad ſignificandum quod materia gloriationis ſuæ eſt menſuratum terrarum ſpatium, in quo hactenus prædicauerat ſecundum regulam, non à ſeipſo, non ab Apoſtolis, ſed à Deo: quod terrarum ſpatium pertingebat tunc vſque ad Corinthios. Lege Actus Apoſtolorum: & inuenies pluries Paulum à Spiritu ſancto actum quoad loca prædicandi, & conferendo illa cum iſtis, intellige Deum partitum fuiſſe Paulo loca in quibus prædicaret. Inter hæc autem, prudens Lector percipe, & quod Paulus non ſolum ex diuina legatione prædicabat, ſed etiam velut ex aſſignata ſibi à Deo locali regula prædicabat ita in quibuſdam locis quod non in aliis, quod gloriatio Pauli innitebatur non ipſiſmet, ſed diuinæ regulæ Paulo aſſignatæ, & quòd illi æmuli laudabant ſe tanquam vniuerſales Doctores, tanquam per omnes regiones diſcurrerent, hoc eſt enim in immenſum gloriari. Niſi enim illi de immenſo terræ ſpatio gloriati fuiſſent, non ſubiunxiſſet è regione illorum Paulus, *Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram pertingendi etiã vſque ad vos*. Et vtitur futuro *gloriabimur*, ad ſignificandum quòd nec futuro tempore intendit vagari per omnes regiones abſque delectu, ſed ſemper ſecundum menſuram diuinæ regulæ progredi.

Loca in quibus prædicaret Paulus partitus eſt Deus.

Non enim qvasi non pertingentes ad vos svperextendimvs nos. Superextenſio propriæ poteſtatis, & gloriæ eſſet ſi noſtra prædicatio non perueniſſet ad vos, ſi non prædicauiſſemus vobis: imò ſi non genuiſſemus vos in Chriſto per Euangelium. Vsqve ad vos enim. Supple generandos. Pervenimvs in Evangelio Christi, ergo non ſuperextendimus nos gloriando de vobis. Verſ. 14.

Non in immensvm gloriantes in alienis laboribvs. Quod dixerat *non ſuperextendimus nos*, exponit modò non in immenſum gloriantes in alienis laboribus. Duas deformitates deſcribit extendentium ſeipſos laudibus ob illos conuerſos, quos non genuerunt, aut promouerunt in Chriſto. Altera eſt gloriari in immenſum: hoc eſt, gloriari abſque menſura regionum: pari enim ratione quà gloriaretur de aliquibus talibus, gloriaretur de aliis ſimilibus. Altera eſt gloriari in alienis laboribus: in laboribus, ſcilicet illorum Apoſtolorum qui conuerterant eos ad Chriſtum. Et inſinuant hæc quòd illi æmuli vtramque deformitatem incurrebant: & quòd ſine menſura regionum gloriabantur, & quòd in alienis laboribus gloriabantur. Hoc enim ſecundum ſequitur ad primum: nam qui de omnium (ſine delectu) regionum fide, profectu, meritis, &c. gloriatur, in alienis proculdubio laboribus gloriatur: cùm conſtet non ab eo omnia hæc profecta fuiſſe. Et Paulus ſi Corinthios in Chriſti Euangelio non genuiſſet, ſeu promouiſſet, extendiſſet ſe ſupra modum, & in immenſum fuiſſet gloriatus, ac in alienis laboribus. Verſ. 15.

Duas deformitates æmulorum ſuorũ deſcribit Apoſtolus.

Spem avtem habentes. Hactenus è regione illius particulæ, *metientes ſeipſos in ſeipſis* loquutus eſt, modò è regione alterius particulæ (videlicet *comparantes ſeipſos ſibiipſis*) loquitur. Hactenus monſtrauit quòd menſurat gloriationem ſuam ſecundùm menſuram diuinæ regulæ, & fructum productum in gentibus quibuſdam vſque ad Corinthios incluſiuè: modò monſtrat quòd ſecundùm ſuccreſcentes fructus comparat gloriationem præſentem futuræ, contra illos qui comparabant ſeipſos ſibiipſis Crescentis fidei vestræ, hoc eſt, ſperantes quòd fides veſtra creſcat numero & merito. In vobis magnificari, non in nobiſipſis. Hæc eſt vera ſecundùm Deum glorificatio, cùm paſtores & doctores ſperant magnificari in augmento meritorum eorum qui ſunt eis crediti, non in propria gloria, non in diuitiis & opibus. Secvndvm regvlam nostram in abvndantiam. Ordo literæ eſt: magnificari in vobis in abundantiam, hoc eſt, in exuberantiam ad alios: & deinde ſecundùm regulam noſtram, iunge exuberantiam cum regionibus ſubiunctis. Sperat Paulus creſcere merita Corinthiorum vſque adeò vt non egeant Paulo, ſed adiuuent Paulum ad conuertendum vlteriores regiones, non qualeſcunque, ſed ſecundum regulam noſtram paſſiue, hoc eſt, regulam à Deo nobis datam. Et eſt ſermo de regula locali, de qua prius fuit ſermo.

Vera gloria Paſtorum & Doctorum.

Etiam

Verſ. 16. ETIAM IN ILLA QVÆ VLTRA VOS SVNT EVANGELIZARE. Explicat exuberantiam in loca illa quæ vltra Corinthios ſunt, progrediendo ab Hieruſalem: de huiuſmodi enim vlteriori videtur loqui. NON IN ALIENA REGVLA IN IIS QVÆ PARATA SVNT GLORIARI. Exponit quid contineatur ſub ea quam dixerat *ſecundum regulam noſtram*: exponit ſiquidem quòd terræ quæ continentur ſub aliena regula (hoc eſt, ſub regula aſſignata alicui alteri Apoſtolo) non continētur ſub ſua regula, exponit quòd Deus dedit ſibi localem regulam excludentem terras contentas ſub regulis aſſignatis aliis. Et hoc eſt, quod ad Romanos ſcribit ſe euangelizaſſe vſque ad Illyricum, vbi Chriſtus non fuerat euangelizatus. Vnde nec Romam intendebat ire ad euangelizandum niſi tranſeunter: ſed vt per Romam iret in Hiſpaniam, vbi non erat euangelizatus Chriſtus. Et dixit hoc, tum ad deſcribendū̃m illa vlteriora loca: quod non ſine delectu ad quæcunque vlteriora loca, ſed ad illa vlteriora loca, quæ non ſunt Chriſto parata iam in aliena regula: tum ad percutiendum æmulos, qui in paratis aliena regula gloriabantur. Et propterea non dixit *euangelizare*, ſed *gloriari*: vniuerſa ſiquidem aduerſùs æmulos proſequitur. In quibus cerne pulchram ironiæ proſecutionem, proponit quòd non audemus nos connumerare, & comparare illis qui ſe commendant, &c. & monſtrat longè diſtare propria tum acta, tum agenda ab illorum gloriatione, tum de actis, tum de agendis.. Et in vtriſque tangit omnia illa tria, ſcilicet non in immenſum, acceptam à Deo regulam. & fructum in populis: quia in gloriatione de vtriſque contraria habebant æmuli.

Terra ſecundum regulam Apoſtolis à Deo diſtributa.

Verſ. 17. QVI AVTEM GLORIATVR. Siue ego, ſiue quicunque alius gloriatur, ſiue de actis, ſiue de agendis, ſiue de habitis, ſiue de habendis. IN DOMINO GLORIETVR. Hæc gloriationis ratio communis eſſe debet omnibus hominibus ſe laudantibus in quacunque materia. In Domino autem tum efficiente, tum fine, tum præcipuè formā & ratione gloriationis & materiæ.

Verſ. 18. NON ENIM QVI SEIPSVM COMMENDAT, laudibus. ILLE PROBATVS EST, in veritate. SED QVEM DEVS COMMENDAT. Non propria laus reddit hominem laudatum in veritate: ſed laus hominis à Deo proficiſcens, reddit hominem verè laudatum. Gloriatio itaque propria tunc à Deo proficiſcitūr, quando fit in Domino, quando ratione Dei, ſecundūm Deum, propter Deum gloriamur de donis Dei.

Propria laus non reddit hominem laudatū in veritate, niſi fiat in Domino.

CAPVT XI.

Verſ. 1. VTINAM SVSTINERETIS, pro *ſuſtinuiſſetis*. Deficit *me*, MODICVM QVID, pro *paulum*, INSIPIENTIÆ MEÆ, pro *in inſipientia*. Legendum itaque eſt, VTINAM SVSTINVISSETIS ME PAVLVLVM IN INSIPIENTIA. Cupit Paulus vt Corinthij tolerasſent pauliſper ſe Paulum in inſipientia: hoc eſt, commendantem ſeipſum, quod eſt officium inſipientum. Quod eſt dictu: vtinam præterito tempore commendaſſem me apud vos fungendo officio inſipientum, commendaſſem ſic quòd vos ſuſtinuiſſetis. Et eſt ratio huius velleitatis, quia ſi ſic fuiſſet, non ſuſtinuiſſetis pſeudoapoſtolos quos tolerastis, ac toleratis. SED ET SVPPORTATE, pro *ſuſtinete*, ME. Dictio Græca anceps eſt ad *ſuſtinete*, vel *ſuſtinetis*: ſubiuncto tamen timori imminentis periculi quadrat imperatiuum *ſuſtinete*, quod hactenus non feciſtis, facite modò.

Aduerte pro his & ſubiunctis toties (ne oporteat eadem ſæpe repetere) quòd regulariter loquendò laudare ſe ipſum eſt inſipientiæ: in aliquibus autem euentibus neceſſarium eſt vt homo laudet ſeipſum, & tunc homo ſapientis ſecundùm rei veritatem officium exercet, ſed qui actum exercet qui communiter eſt actus inſipientis, ideò Paulus inſipientiam vocat commendationem propriam, quam ſapienter exercebat quia neceſſitatis articulus exigebat.

Laudare ſeipſum eſt inſipientiæ: in quibuſdā tamen euentibus neceſſariū.

ÆMVLOR, pro *zelo*, ENIM VOS DEI ÆMVLATIONE, pro *zelo*, hoc eſt, zelotypus ſum erga vos non humano, non vitioſo, ſed diuino zelo. Inchoat rationem quare oportet ipſum commendare ſeipſum. DESPONDI, pro *aptaui*, ENIM VOS VNI VIRO. Quamuis multi ſitis, aptos tamen vos reddidi vni viro, vnius viri fide, ſpe, atque charitate. VIRGINEM CASTAM EXHIBERE, pro *vt exhibeam*, CHRISTO. Non aptaui vni viro, vt diuerſas ſponſas, vt diuerſas virgines vni viro, ſed omnes vos vt vnicam virginem integritate fidei, & *caſtam*, ad differentiam virginum, abſque caſtigatione morum. In fide ſiquidem & moribus Euangelicis vnicam Eccleſiam conſtitui ex omnibus fidelibus deſcribit: & vbi priùs vnitatem fidelium ad vnum virum Chriſtum deſcripſit, modò vnitatem fidelium inter ſe etiam deſcribit: dicendo quòd non vt ſingulæ concurrunt ſponſæ, ſed vt partes, vt integrantes vnam atque eandem virginem caſtam: hoc eſt, Eccleſiam vnicam verè integram fide & caſtam moribus. Ad hoc inquam concinnaui vos vni viro vt exhibeam vos vt vnicam virginem caſtam Chriſto: hîc quidem offerendo vos in fide, in futuro autem per ſpeciem: exhibeam autem veſtra perſeuerantiā in interna diſpoſitione quā vos aptatos reddidi. Verſ. 2.

Vnica Eccleſia vnica Chriſti ſponſa, integra fide, & caſta moribus.

TIMEO AVTEM NE. Deficit *quo pacto*. SICVT SERPENS EVAM SEDVXIT. Deficit *in*, ASTVTIA SVA. Explicat rationem zelotypiæ ſuæ accommodam ſimilitudine Euæ virginis in ſtatu innocentiæ ſeductæ à ſerpente magna aſtutia: dixerat enim Corinthios virginem caſtam. Hiſtoria de ſeductione Euæ clara eſt in principio Geneſis. ITA CORRVMPANTVR SENSVS VESTRI, interni. ET EXCIDANT. Superfluunt ambæ dictiones. A SIMPLICITATE QVÆ EST IN CHRISTO, pro *in Chriſtum*. Simplicitas animi erga Chriſtum, eſt puritas Euangelica excludens admiſtionem ſeruitutis legalium. Timebat enim Paulus Corinthios à pſeudoapoſtolis diuerti à puritate Euangelica, admiſſa obſeruatione legalium legis Moyſi: hoc ſiquidem fuiſſet corrumpi mentes eorum à ſimplicitate erga Chriſtum prætextu legis veteris datæ à Deo ſicut ſerpens ſeduxit Euam prætextu diuinitatis, *eritis ſicut dij*, &c. Et nihilominus intellige in genere à ſimplicitate quæ eſt erga Chriſtum in fide, religione, moribus, & cæteris. Verſ. 3.

Timebat Paulus ne Corinthii diuerterentur à puritate Euangelica ad obſeruationem legalium.

NAM

Verſ. 4. NAM SI IS QVI VENIT. De pſeudoapoſtolis loquitur, quos primò deſcribit non miſſos, ſed propria authoritate veniſſe, dicendo *qui venit*. In ſingulari autem numero deſcribit, vt proſequatur ſimilitudinem ſerpentis qui venit ad ſeducendum Euam: ſeductorem enim intendit deſcribere. ALIVM CHRISTVM, pro *Ieſum*, PRÆDICAT, QVEM NON PRÆDICAVIMVS. Non dicit alium Chriſtum (quoniam hoc eſſet intolerabile: hoc enim nihil aliud eſſet quam prædicare Antichriſtum) ſed dicit alium Ieſum. AVT ALIVM SPIRITVM ACCIPITIS QVEM NON ACCEPISTIS, AVT ALIVD EVANGELIVM QVOD NON RECEPISTIS, RECTE PATEREMINI, pro *ſuſtinuiſſetis*. Occurrit ſtatim quæſtio quonam pacto verificentur hæc verba Pauli, *rectè ſuſtinuiſſetis*: cùm ipſe Paulus ad Galat. 1. excommunicet etiam Angelos, ſi aliud Euangelium prædicauerint. Solutio eſt quòd ad Galatas ſecundum proprietatem ſermonis loquitur: in iſto autem textu loquitur iuxta conſuetum loquendi modum, ſignificantium per nomen *aliud*, hoc eſſe notabiliter præſtantius illo. Conſueuimus enim frequenti vſu relatiue ad aliam ciuitatem, orationem, conuiuium, ſeu vinum dicere, hæc eſt alia ciuitas, hæc eſt alia oratio, hoc eſt aliud conuiuium, hoc eſt aliud vinum: ſignificantes quòd hæc notabiliter præſtant illis. Iuxta hunc ſiquidem loquendi morem loquitur hic Paulus, ſignificans per *alium Ieſum* præſtantiora ſpectantia ad Ieſum: & ſimiliter per *alium ſpiritum*, præſtantiora dona ſpiritus: & per *aliud Euangelium*, præſtantiora promiſſa Euangelica. Hunc enim ſenſum manifeſtè docet ſubiuncta ratio de æqualitate Pauli ad ſummos Apoſtolos. Intendit ſiquidem Paulus excludere à Corinthiis omnem excuſationem: explicando quòd ad audiendum præſtantiora de Ieſu ab iis qui ſe ingerunt tanquam Apoſtolos, aut ad accipiendum præſtantiora dona Spiritus ſancti per illos (acceperant enim per Paulum multa Spiritus ſancti dona, ſcilicet linguarum & prophetiæ) aut excellentiora promiſſa Euangelica, rectè ſuſtinuiſſet hos nouos prædicatores: vt intelligant Corinthij, quòd cùm nihil horum fuerit, non rectè ſuſtinuerint. Quod autem nihil horum fuerit, manifeſtat ſubiungendo,

Quomodo quadrent hæc cum verbis cap. 1. Epiſt. ad Galat.

Aliud id eſt, præſtantius.

Verſ. 5 EXISTIMO ENIM NIHIL ME MINVS FECISSE, pro *habuiſſe*, A MAGNIS APOSTOLIS. Non ſolùm ab illis fictis Apoſtolis, ſed nec etiam ab illis veris magnis Apoſtolis Petro ſcilicet, Iacobo & Ioanne, qui etiam ab ipſis pſeudoapoſtolis dicebantur magni Apoſtoli, fingentes ſe, vt aiunt, ab ipſis miſſos; meliora & præſtantiora expectanda ſunt quam à me: quoniam ego nihil minùs habui à Chriſto quàm illi magni Apoſtoli. Dicit autem *exiſtimo*, non dubie, ſed moderatè loquens.

Verſ. 6. NAM, pro *tametſi*, IMPERITVS, pro *idiota*, SERMONE, SED NON SCIENTIA, pro *ſed non cognitione*. Si interpretes Græcam dictionem reliquiſſent quæ vſurpata iam eſt à Latinis (videlicet *idiota*) nec reſtrinxiſſent textum, nec occaſionem [illegible] præſtitiſſent ſuſpicandi Paulum balbum, aut [illegible]. Idiota ſiquidem non ſolùm ſumitur pro illiterato, ſed etiam pro plebeio. Ad differentiam enim pſeudoapoſtolorum dicit: etſi idiota, hoc eſt plebeius, ſermone, non tamen cognitione: illi namque concinnato & ornato ſermone docebant: Paulus verò vtebatur plebeio ſermone. Et rectâ ratione plebibus loquebatur plebeio ſermone, accommodans ſe omnibus. Vnde nulla imperitia Pauli ſignificatur, ſed vſus plebeij ſermonis, non ſcribendo, ſed loquendo. Vnde & in textu Græco articulus præponitur dictioni *ſermone*, ad ſignificandum quod non de epiſtolis, ſed de ipſo ſermone, qui ore tenus profertur, loquitur.

Idiota non ſolum illiteratum ſed etiam plebeium ſignificat.

Hunc autem eſſe germanum huius literæ ſenſum, teſtatur quòd de Paulo legitur Actuum 14. ſcilicet quòd vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi. Concedit ergo Paulus (quod ſibi obiiciebatur) quòd erat idiota ſermone, non tamen notitia rerum: vt intelligamus quòd licet vteretur ſermone communi, non tamen notitiâ communi, ſed notitiâ excellente ac diuinâ. Quo contra illi pſeudoapoſtoli vtebantur ſermone ornato, notitia autem communi, hoc enim directè tendit ad confutationem eorum.

IN OMNIBVS AVTEM MANIFESTVS SVM VOBIS, pro *ſed in omni manifeſtati in omnibus in vos*. Et eſt ſenſus, ſed in omni materia manifeſtati ſumus in omnibus erga vos, in omnibus ſpectantibus ad vos. Reddit ſiquidem rationem tam vſus excellentis notitiæ, quàm vſus plebeij ſermonis, ſignificando quòd non eſt vſus excellente notitia, velut autumans ſe habere illam, & non explicans eam, ſed in omni materia in omnibus ad vos ſpectantibus manifeſtati ſumus: hinc inſinuans quòd ad hoc vt manifeſta fierent vobis omnia veſtræ ſaluti vtilia, vſi ſumus & ſermone plebeio, & notitiâ non plebeiâ, ſed diuinâ.

AVT NVNQVID. Superfluit *aut*. PECCATVM FECI ME IPSVM HVMILIANS VT VOS EXALTEMINI? Nota progreſſum literæ. Primò confutauit pſeudoapoſtolos ex parte materiæ prædicatæ, deinde ex parte authoritatis prædicantis Pauli: ſeminabant enim quòd Paulus non eſſet tanti pendendus: & in teſtimonium afferebant tum plebeium Pauli eloquium, tum quòd deiectus homo eſſet. Et propterea redditâ ratione priorum; modò rationem reddit reliquorum duorum. Quorum alterum eſt, quòd Paulus velut deſpectus inter Corinthios fuerat. De hac enim deiectione dicit: *nunquid peccatum feci meipſum humilians*, in conuerſatione non cum faſtu, & ſine authoritate progrediens: hoc enim illi faſtuoſe incedentes dabant opprobrio: vt ſuperius dictum eſt. Et propterea Paulus dicit: an peccatum feci humilians meipſum pro veſtra vtilitate, non paſſione timoris ductus, ſed amore veſtræ ſalutis, vt vos exaltemini fide? Ad hoc enim Paulus ſe humilem gerebat, vt Corinthios prouocaret ad celſitudinem fidei, & Chriſtianorum morum. Alterum eſt, QVONIAM, pro *quod*, GRATIS EVANGELIVM DEI EVANGELIZAVI VOBIS. Sub eodem interrogatiuo aduerbio legendum eſt. Numquid peccatum feci, quod gratis euangelium Dei euangelizaui vobis? Et intendit *gratis*, hoc eſt, ſine ſumptu accepto, ſeu accipiendo à vobis. Et huic annectitur circumſtantia ſubiuncta:

Verſ. 7.

Humilitas Pauli ab æmulis dabatur opprobrio.

ALIAS ECCLESIAS EXPOLIAVI, pro *alias expoliatus ſum*, ACCIPIENS STIPENDIA, pro *ſtipendium*, AD MINISTERIVM VESTRVM, pro *miniſterij veſtri miniſtratione*. Et hæc particula ſub eodem Verſ. 8.

inte- [illegible]

Paulus cùm nullos ſumptus exigeret à Corinthiis, ab aliis Eccleſiis accipiebat vt Corinthiis prædicaret.

interrogatiuo legenda eſt: Nunquid peccatum feci quòd alias Eccleſias deprædatus ſum accipiens ſtipendium in hoc vt vobis miniſtrarem. Accumulat Paulus etiam ea quæ æmuli non obiiciebant. Illi enim ægre ferebant quod Paulus euangelizaſſet Corinthiis abſque ſumptu, eo quod ipſi ſumptus volebant. Paulus autem non ſolùm hoc refert immune à peccato, imò bonum ſupererogationis, ſed adiungit quod tantum circa hoc ſtuduit, vt ab aliis Eccleſiis acceperit ſumptus vt veniret ad Corinthios. Et hoc vocat deprædari Eccleſias alias, tanquam non pro earum vtilitate, ſed pro vtilitate Corinthiorũ ab eis accipiens. Et dixit hoc ad retundendum omni ex parte detractiones æmulorum. Detrahebant ſiquidem Paulo ſine ſumptu euangelizanti Corinthiis, torquendo hoc in denigrationem authoritatis Pauli, tanquam non haberet poteſtatem ſumptus capiendi. Confutat hoc Paulus adiungendo quod ab aliis Eccleſiis accepit, non ſolum dum prædicaret illis Eccleſiis, ſed etiam ad hoc vt prædicaret Corinthiis: quod fuit maioris authoritatis.

Verſ. 9. ET CVM ESSEM APVD VOS, ET EGEREM, NVLLI ONEROSVS FVI. Non ſolum veniens ad vos, ſed etiam cum diutius manerem apud vos, nec haberem neceſſaria ad victum, ſed egerem, neminem tamen veſtrum grauaui. NAM QVOD MIHI DEERAT, neceſſariorum. SVPPLEVERVNT FRATRES QVI VENERVNT A MACEDONIA: ET IN OMNIBVS, neceſſariis ad victum & habitaculum, &c. SINE ONERE ME VOBIS SERVAVI ET SERVABO. Adiunxit *& ſeruabo*, ne putaretur quòd hæc diceret vt Corinthij prouiderent ſibi de ſumptu exemplo aliarum Eccleſiarum.

Verſ. 10. EST VERITAS CHRISTI IN ME. Iurantis eſt. Et oportuit Paulum iuramentum adhibere circa particulam dictam *& ſeruabo*: vt crederent Corinthij quòd deliberato ac immobili animo hoc dicit. QVONIAM, pro *quod*, HAEC GLORIATIO, non accipiendi ſumptus, quod erat bonum ſupererogationis. NON INFRINGETVR, pro *interficietur*, IN ME, hoc eſt, aduerſus me. IN REGIONIBVS ACHAIAE. Non ſolùm à Corinthiis, ſed etiam a quacunque ciuitate Achaiæ renuit Paulus accipere ſumptus. Et ratio inſinuatur in vocabulis quibus Paulus vtitur: videlicet quia vt onera, ſeu grauamina hi ſumptus ibidem habebantur. Verum hanc rationem non explicat Paulus, ſed verba eius poſſunt innuere: ipſe autem explicat aliam rationem.

Iurat Apoſtolus ad teſtandum deliberatum, ac immobilem animum ſuũ.

Verſ. 11. QVARE? Quæſtionem mouet de ratione mouente Paulum ad hoc. Et ſtatim ſubiungit reſponſionem falſam quam æmuli dicebant, QVIA NON DILIGO VOS: Dicebant illi Paulum non diligere Corinthios: & propterea non accipere ab eis ſumptus, ſed ab aliis quos diligit. DEVS SCIT. Remittit iudicium in Deum: quoniam de actu interiori erat obiectio, ſcilicet de actu dilectionis quem ſolus Deus nouit. Veram autem cauſam ſubiungendo explicat.

Verſ. 12. QVOD AVTEM FACIO, ET FACIAM, abſtinendo a ſumptibus in Achaia. VT AMPVTEM OCCASIONEM EORVM, pſeudoapoſtolorum. QVI VOLVNT OCCASIONEM, hoc eſt, qui quærunt occaſionem habere. VT IN QVO GLORIANTVR, INVENIANTVR SICVT ET NOS. Ordo literæ eſt vt inueniantur ſicut & nos: in quo inueniri ſicut & nos gloriantur. Cupiebant pſeudoapoſtoli vt Paulus acciperet ſumptus, vt ipſi accipientes ſumptus inuenirentur ſicut & Paulus, vt non ſuperarentur à Paulo: in hoc enim gloriabantur quòd erant ſimiles Apoſtolis. Paulus autem ad tollendum eis hanc occaſionem vt eſſent ſibi ſimiles, nolebat accipere ſumptus: vt vel ſic agnoſcerent ſe inferiores Paulo.

NAM EIVSMODI PSEVDOAPOSTOLI, pro *pſeudapoſtoli*. Eſt enim vna dictio compoſita ſignificans falſos Apoſtolos. SVNT OPERARII SVBDOLI, pro *doloſi*. Aperte deſcribit Paulus primum quidem quoad titulum quòd falſo titulo ſunt Apoſtoli: nec dicit *Apoſtoli Chriſti*, ſed *Apoſtoli*, ad ſignificandum quòd nec à Chriſto, nec ab aliis verè Apoſtolis erant miſſi, ſed ipſi falsò dicebant ſe miſſos. Deinde quòd ſunt *operarij doloſi*, quòd non in veritate, ſed dolo operantur, dolo euangelizant. TRANSFIGVRANTES SE IN APOSTOLOS CHRISTI. Tendentes iſti ad quæſtum & gloriam, & ſemiiudaiſmum ſumebant perſonas Apoſtolorum Chriſti: hoc eſt, miſſorum à Chriſto mediatè, vel immediatè. Verſ. 13.

Pſeudoapoſtoli æmuli D. Pauli.

ET NON MIRVM. Ne Corinthij de tanta præſumptione mirarentur, tollit Paulus admirandi rationem. IPSE ENIM SATANAS TRANSFIGVRAT SE IN ANGELVM LVCIS. Tum inuiſibiliter, ſuggerendo quandoque bona, vt inde ducat ad malum aliquod: tum viſibiliter quandoque mentiendo ſe eſſe Angelum Dei. Et hoc pluries videtur facere in viſione imaginaria: vt in multis perſonis deluſis apparet. Verſ. 14.

Diabolus in Angelum lucis ſe transfigurat.

NON EST ERGO MAGNVM SI. Deficit *&*, MINISTRI EIVS TRANSFIGVRENTVR VELVT MINISTRI IVSTITIAE. Deductio clara eſt, ratione proportionali ſuffulta. QVORVM FINIS ERIT SECVNDVM OPERA IPSORVM. Ac ſi apertiùs dixiſſet: tolerat Deus interim iſtos, ſed finis eorum non erit ſecundum tolerantiam, ſed ſecundum opera ipſorum: tunc enim recipient ſecundum ſua opera quæ modo dolis teguntur. Verſ. 15.

ITERVM DICO. Completa ratione zelotypiæ propter corruptores pſeudoapoſtolos, regreditur ad propoſitam proſequendam commendationem propriam: quam iam oſtendit eſſe neceſſariam, ne Corinthij corrumpantur à pſeudoapoſtolis. Et quoniam multa ad propriam ſpectantia laudem dicturus eſt, & hoc (vt dictum eſt) ad officium ſpectat inſipientiam, ideo iterum monet Corinthios, vt conſiderent rationem dicendi. NE QVIS ME PVTET INSIPIENTEM ESSE. Hoc eſt, quod iterum dico: videlicet nullus putet me inſipientem eſſe, nullus putet quòd, laudando me, deſipiam. ALIOQVIN, hoc eſt, ſin ſecus, ſi non vultis putare me ſapientem eſſe, me ſapienter proſequi quæ laudis meæ ſunt. VELVT INSIPIENTEM ACCIPITE ME, hoc eſt, tanquam inſipientis officium exercentem accipite me. VT ET EGO MODICVM QVID, pro *paululum*, GLORIER, hoc eſt enim officium inſipientis. Verſ. 16.

Ad ſui commendationem redit Apoſtolus.

QVOD LOQVOR. Relatiuum *quod*, refert ſubiunctam rationem gloriandi. NON LOQVOR SECVNDVM DEVM, pro *Dominum*. Subaudi ſimpliciter & abſolute, ſeu regulariter: hoc eſt, non eſt ſecundum Dominum Verſ. 17.

ſimpliciter

ſimpliciter & abſolutè, ſeu regulariter. Sed quaſi in insipientia: ſed tanquam vtens ratione congrua inſipientiæ. In hac svbstantia gloriæ, pro *gloriationis*, hoc eſt, in hoc ſubiecto gloriationis.

Verſ. 18. Qvoniam mvlti gloriantvr secvndvm carnem, et ego gloriabor. Ecce ratio quæ regulariter non eſt *ſecundum Dominum*, ſed conſona inſipientiæ. Ex eo enim quòd alij gloriantur ſecundùm carnalem affectum, non debemus nos ſpirituales prouocari ad laudandum noſipſos: prouocatio ſiquidem hæc non eſt ſecundùm Deum regulariter, ſed ſecundùm inſipientiam. Et quoniam hæc fuit ratio prouocatiua Pauli ad ſubiunctam gloriationem, ideo appellat ipſam ſubſtantiam gloriationis.

Ratio quæ reiicienda quæ admittenda?

Cum his tamen aduerte quòd quamuis ratio regulariter non ſecundùm Deum reiicienda ſit, ſi tamen eadem ratio annexum habeat aliquid ſecundùm Deum vincens communis curſus rationem, ſapienter vtitur quis illâ ratione. Tale enim quid accidit in propoſito: nam huiuſmodi gloriatio pſeudoapoſtolorum annexum habebat periculum corruptionis Corinthiorum, & propterea ſapienter Paulus inde prouocatur ad gloriationem. Vnde non dicit, & ego gloriabor ſecundùm carnem (quod fuiſſet imitari peccatum) ſed dicit *& ego gloriabor*: (quod ſignificat prouocari ad gloriationem, ſed non ad effectum gloriandi.)

Verſ. 19. Libenter enim svffertis insipientes, cvm sitis ipsi sapientes. Rationé adiungit ſuæ gloriationis ex parte Corinthiorum, libenter tolerantium commendantes ſe: vt vtrinque (hoc eſt, & ex parte æmulorum de ſe gloriantium, & ex parte Corinthiorum tolerantium illos non qualitercumque, ſed libenter) prouocatum ſe deſcribat.

Verſ. 20. Svstinetis enim. Manifeſtat quod dixerat, Corinthios, ſcilicet libenter ſuſtinere verè inſipientes pſeudoapoſtolos. Si qvis vos in servitvtem redigit: legalium obſeruantiarum. Docebant enim pſeudoapoſtoli ſimul cum fide Chriſti ſeruanda legalia legis Moyſi: quod erat liberatos per Chriſtum redigere in ſeruitutem legis veteris. Si qvis devorat. Pſeudoapoſtolos ſignificat, ſumptus ad ſimilitudinem deuorantium volentes. In quo tum auiditatem, tum magnitudinem ſignificat. Si qvis accipit. Non erant contenti ſumptibus, ſed ſubdolis artibus accipiebant etiam alias res. Si qvis extollitvr. Tumor eorundem quo ſeipſos ſupra alios eleuabant, ſignificatur. Si qvis vos in faciem cædit?

Verſ. 21. Secvndvm ignobilitatem dico. Alia quatuor ſecundum proprietatem ſermonis expreſſerat: hoc quintum non ſecundùm quod verba ſonant manifeſtat ſe dicere: non intendo dicere; ſi quis veſtram maxillam percuſſerit: ſed intendo dicere; ſi quis vos ſecundum ignobilitatem in facie, id eſt, coràm, vilipendit. Dicebant enim pſeudoapoſtoli Corinthiis multa ignominioſa, puta quòd fuerant idololatræ, ipſi autem colentes Deum: quòd eſſent ex vili genere, ipſi autem ex nobili Abrahæ proſapia: & ſimilia in quibus Iudæi gloriantur præferendo ſe Gentilibus. Et quia dicebant hæc Corinthiis coràm, ideò Paulus dicit, *Si quis vos in faciem cædit*, non ſecundum corporalem percuſſionem, ſed *ſecundum ignobilitatem*.

De qua ignobilitate loquitur Apoſtolus?

Qvasi nos infirmi fverimvs in hac parte. Superfluit *in hac parte*. Ad hanc vltimam particulam refertur, tanquam nos infirmi fuerimus: eſt enim ſenſus tanquam nos non potuerimus ſecundùm eaſdem ignobilitates præferre nos vobis, & cædere vos ſimiliter in faciem huiuſmodi ignobilitatibus.

Percutit pſeudoapoſtolos quòd ipſi arrogauerint ſibi has nobilitates tanquam proprias, cùm ſecundùm veritatem eſſent communes eis & Paulo: imò (vt manifeſtabit) aliquæ longè magis conueniebant Paulo. Paulo ſiquidem apud Corinthios humiliter conuerſante & hæc tacente, ipſi pſeudoapoſtoli ſuperuenientes arrogarunt ſibi has nobilitates, tanquam Paulus non fuerit tanti vt ſciuerit illis vti: & propterea dicit, *tanquam nos infirmi fuerimus*.

In qvo qvis avdet. Aperit Paulus non ex impotentia, non ex puſillanimitate hæc tacuiſſe quæ modò velut inſipiens audacter dicit. Eſt enim ſenſus, *in quo*, id eſt, in quocumque nobilitatis genere, *quis*, id eſt, eorum quiſpiam, *audet*: & deinde ſubiungitur per parentheſin. In insipientia dico, officium inſipientis exerceo. Avdeo et ego, audendi rationem habeo & ego. Statímque manifeſtat audendi rationem ſupputando nobilitates in quibus gloriabantur.

Hebræi svnt, et ego. Gloriabantur ex antiquitate generis. Hebræorum ſiquidem genus ab Heber cuius tempore diuiſæ ſunt linguæ, proceſſiſſe ex eo apparet, quòd etiam Abraham appellatur Hebræus Geneſ. 14. Israelitæ svnt, et ego. A nobilitate populi electi à Deo ad diuinum cultum ad terrámque promiſſionis poſſidendam, gloriabantur: nam ex omnibus populis ſoli Iſraëlitæ electi ſunt in peculiarem populum Dei. Semen Abrahæ svnt, et ego. Gloriabantur tertiò quòd erant de ſemine illo Abrahæ, cui promiſſio facta eſt à Deo de Meſſia, &c. quod ad magnam nobilitatem ſpectabat. Verſ. 22.

Hebræi ab Heber dicti.

Ministri Christi svnt. Quartum in quo gloriabantur eſt, quòd erant miniſtri Meſſiæ. Et ego. Superfluunt ambæ dictiones. Non dicit Paulus (vt in præcedentibus) *& ego*: ſed dicit interpoſitâ parentheſi. Vt minvs sapiens dico, plvs ego. Sum plus ego miniſter Chriſti quàm ipſi, quamuis in hac mea commendatione officium minus ſapientis exerceam. Probat autem hoc vltimum (videlicet quòd ipſe eſt plus miniſter Chriſti) à perpeſſis propter Chriſtum. In laboribvs plvrimis, pro *abundantius*, in carceribvs abvndantivs, in plagis svpra modvm. Hæ duæ particulæ tranſpoſitæ ſunt: nam in textu Græco ſecundo loco ſcribitur *in plagis ſupra modum*, & tertio loco *in carceribus abundantius*. In mortibvs freqventer, hoc eſt, in periculis mortis. Verſ. 23.

Quanta paſſus fuerit Apoſtolus?

Verſ. 24. A Ivdæis qvinqvies. hoc eſt, quinque vicibus. Qvadragenas, ſubintellige plagas. Vna minvs accepi. hoc eſt, ſingulis quinque vicibus trigintanouē. Deuteron. ſiquidem 25. cap. cum ſtatuiſſet Moyſes iuxta menſuram delicti plagarum modum, adiecit ita tamen vt quadragenarius numerus non excedatur. Quocirca Iudæi clementer ſe exhibebant quoad vnam tantum plagam erga Paulum.

TER VIRGIS CÆSVS SVM. Hinc apparet
Verſ. 25. quòd non virgis ſed inſtrumento Iudæi quadragenas dabant: à Gentilibus enim ter virgis ſe cæſum, ipſa diſtinctione ſignificat. Semel tamen tantum legitur in Actibus Apoſtolorum. SEMEL LAPIDATVS SVM. Et hoc quoque in Actibus apoſtolorum legitur. TER NAVFRAGIVM FECI, NOCTE ET DIE IN PROFVNDVM MARIS FVI. Superfluit *maris*: & legendum eſt, NOCTEM ET DIEM IN PROFVNDO FECI. Et hoc non ſolùm fuit paſſio, ſed diuinum miraculum.

Quadragenas dabant Iudæi non virgis ſed aliquo alio inſtrumento.

Verſ. 26. IN ITINERIBVS SÆPE, PERICVLIS FLVMINVM. Primum periculum itineris a fluminum impetu deſcribit. Et deinde ſubiungit, PERICVLIS LATRONVM. quod erat magis periculum corporum quàm rerum. PERICVLIS EX GENERE. Iudæorum inſidiantium. PERICVLIS EX GENTIBVS. commotis à Iudæis. PERICVLIS IN CIVITATE. vt ſcribitur de Epheſo. PERICVLIS IN SOLITVDINE. hoc eſt, in locis deſertis. PERICVLIS IN MARI, PERICVLIS IN FALSIS FRATRIBVS. hoc eſt, in falſis Chriſtianis.

Verſ. 27. IN LABORE ET ÆRVMNA. hoc eſt, non ſolùm in labore, ſed etiam in difficili & oneroſo labore. IN VIGILIIS MVLTIS. pro, *ſæpe*, IN FAME ET SITI, IN IEIVNIIS MVLTIS pro, *ſæpe*, IN FRIGORE ET NVDITATE.

Verſ. 28. PRÆTER ILLA QVÆ EXTRINSECVS SVNT. Numerata ſiquidem mala, adiacentia & imminentia proprio corpori erant: hæc autem quæ ſubiungit foris erant, vtpote remota. INSTANTIA MEA QVOTIDIANA. hoc eſt, vigilantia mea indefeſſa. SOLICITVDO. pro, *cura*. OMNIVM ECCLESIARVM. Curam ſiquidem Paulum habuiſſe etiam Eccleſiarum, in quibus non fuerat, epiſtolæ eius manifeſtant ad Roman. & Coloſſ.

Verſ. 29. QVIS INFIRMATVR. non ægritudine corporis ſed animi. Qualitatem curæ ſuæ deſcribit ab effectibus internis. ET EGO NON INFIRMOR? compatiendo. QVIS SCANDALIZATVR. *Infirmatur* ab intrinſeca imbecillitate: *ſcandalizatur* ab extrinſeco offendiculo. Vtriſque Paulus compatitur, propter vtroſque affligitur. Ideo ſubdit, ET EGO NON VROR? Ad ſimilitudinem eius qui conſumitur ab igne, magnitudinem zeli ſui affligentis ipſum ſignificat: & in his duobus vera forma paſtoris in internis affectibus deſcribitur: quoniam in his duobus pendet vniuerſa cura paſtoris.

Infirmari refertur ad intrinſecam imbecillitatem: ſcandalizari ad extrinſecum offendiculum.

Verſ. 30. SI GLORIARI OPORTET, QVÆ INFIRMITATIS MEÆ SVNT GLORIABOR. Quamuis hactenus ea quæ fortitudinis ſunt (cuius præcipuus actus conſiſtit in ſuſtinendo) commemorauit, & modò quod infirmitatis ſeu imbecillitatis animi apparet commemoraturus ſit, fugam ſcilicet: quia tamen omnibus commune eſt conſiſtere in paſſione corporis, propterea dicit: *ſi gloriari oportet*, propter vos, gloriabor in iis quæ ſunt infirmitatis meæ. Sententia enim hæc reſpicit etiam antedicta de infirmitate corporali: quoniam omnia quæ patimur, ex parte infirmitatis corporalis ſe tenent: in cuius ſignum eximemur ab omni paſſione reſurgentes impaſſibili corpore. Et eſt ſenſus: ſi gloriari oportet, ea quæ paſſus ſum erunt mihi materia gloriationis. Et dixit hoc, ad explicandum quòd hæc quæ narrauit ad manifeſtandum ſe eſſe plus miniſtrum Chriſti quam illos pſeudoapoſtolos, ſunt talia quòd ſunt illi materia gloriationis ſi gloriari oportet. Et ne quiſquam conficta hæc putet, ſubiungit:

Quæ paſſus eſt Apoſtolus, ea ſunt ipſi materia gloriationis.

Deus & pater Domini noſtri Ieſu Verſ. 31.
Chriſti ſcit (qui eſt benedictus in ſecula) quòd non mentior. Superfluit *noſtri*. Et poteſt particula hæc intelligi narratiuè & inuocatiuè: hoc eſt, inuocando Deum in teſtem.

DAMASCI. Hic punctandum eſt: ac ſi Verſ. 32.
dictum fuiſſet, in ciuitate Damaſcena. PRÆPOSITVS GENTIS. præfectus gentis. ARETÆ REGIS. cuius authoritate erat præfectus. CVSTODIEBAT CIVITATEM DAMASCENORVM. Ex eo quòd Damaſcenos diſtinguere videtur à gente Aretæ regis, inſinuatur quòd rex Aretæ gentem habebat velut præſidium ad manutenendam ciuitatem ſub ſe, de cuius gentis præfecto loquitur Paulus. VT ME COMPREHENDERET. pro, *comprehendere me volens*.

Et per feneſtram in ſporta demiſſus Verſ. 33.
ſum per murum: & ſic effugi manus eius. Superfluit *ſic*. Res hæc geſta ſcribitur Act. 9 cap. Et quia fugere eſt actus imbecillitatis, actus eſt timidi, ideo Paulus appellauit actum infirmitatis ſuæ: in rei tamen veritate fuit actus prudentiæ, vt ſeruaretur vtilitati Eccleſiarum.

Fuga quamuis ſit timidi, aliquando tamen eſt prudentis.

CAPVT XII.

SI GLORIARI OPORTET, NON EXPEDIT QVIDEM. Verſ. 1.
Superfluit *ſi*, & *quidem*, & loco *quidem* deficit *mihi*: Nam in Paulo legitur, *non expedit mihi*: rurſus circa dictionem *oportet*, non concordant Græci codices, communiter enim videtur legi aduerbium affirmatiuum: puta *certe* aut *ſane*. Ita quòd textus eſt: *Gloriari ſanè non expedit mihi* Aliqui verò codices habent ſic, *Gloriari oportet? non expedit mihi*. Et iuxta hos codices legitur interrogatiuè (tanquam quæſtionem proponendo) *gloriari oportet?* & ſubditur reſponſio, *non expedit mihi*. Crediderim ego admittendo huiuſmodi lectionem, vtramque particulam aſſertiuè legendam, aſſerit enim quòd gloriari oportet, & quòd non expedit ſibi, neceſſitas ſiquidem gloriandi manifeſta eſt ex periculo corruptionis Corinthiorum à pſeudoapoſtolis. Ratio autem quare non expedit Paulo, ſed Corinthiis, ſed nobis, in promptu eſt: tum quia periculo ſe exponebat maioris oblocutionis & detractionis: tum quia quantum eſt ex ſuo genere, gloriari de aceptis periculum affert perdendi illa. Sequendo priorem lectionem, aſſeritur tantummodo quòd gloriari non expedit mihi propter rationes dictas. Et præmiſit hoc: quoniam de occultis donis erat ſe laudaturus in ſubiunctis. Vnde & ſubdit,

Varia hic lectio.

Cur non expediat S. Paulo gloriari

VENIAM AVTEM. pro, *enim*. Rationem reddit quare dixit non expedire ſibi, quia ad occulta Dei dona tranſit. AD VISIONES ET REVELATIONES DOMINI. hoc eſt, ad viſiones claras: viſio enim ſine detectione rei viſæ viſio quidem eſt, ſed non clara viſio autem cum detectione rei viſæ, viſio eſt clara.

Viſio quando clara, quando non.

Videmus

Videmus enim quandoque imaginariâ viſione aliqua abſque reuelatione viſorum : vt patet in viſione Nabuchodonoſor, & Pharaonis. Quandoque autem videmus, & viſa intelligimus: & tunc concurrunt ſimul viſio & reuelatio. Et ne de viſionibus quomodolibet intelligas, adiunxit *Domini* : vt diuinas ſignificaret viſiones & reuelationes.

Verſ. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO. Hoc eſt, hominem Chriſtianum, hominem internum renouatum in Chriſto : ad differentiam hominis externi nondum regenerati in Chriſto, ſed expectantis regenerationem corporum in reſurrectione mortuorum. ANTE ANNOS QVATVORDECIM. Tum ne nouitium in huiuſmodi excellentibus donis crederent, ante annos quatuordecim commemorat ſe hæc habuiſſe : tum vt intelligant quòd tanto tempore tacita, modò coactus aperit. SIVE IN CORPORE. Deeſt *neſcio*, SIVE EXTRA CORPVS NESCIO, DEVS SCIT, RAPTVM HVIVSMODI. Aduerte perſpicax lector tum ex proprietate ſermonis, tum ex diſtinctione literæ ſignificari quòd modus eſſendi animæ propriæ tempore illius raptus ignotus fuit Paulo. Dico autem hoc : quia ex his duobus habetur, quòd non de modo raptus, ſed de modo eſſendi Paulus loquitur: nam iuxta proprietatem ſermonis non verificatur differentia hæc inter raptum Habacuc in Babylonem, & raptum Ezechielis in Hieruſalem. Raptus ſiquidem Habacuc poteſt dici in corpore : ſed raptus Ezechielis non poteſt dici extra corpus, qui tamen ſolo ſpiritu iuit ex Chaldæa in Hieruſalem. Vnde non ſignificatur quòd ſiue corrupto corpore, ſiue non corrupto corpore, neſcio : ſed proprie ſignificatur quòd ſiue huiuſmodi internus homo fuerit tunc in corpore ſiue extra corpus, ita quòd anima fuerit ſeparata a corpore (hoc enim proprie ſignificat *extra corpus*) neſcio.

Modum eſſendi animæ ſuæ in ſuo raptu neſciuit D. Paulus.

Patet quoque hic idem ſenſus ex ipſa diſtinctione literæ : nam ſi participium *raptum* retuliſſet Paulus ad *ſiue in corpore, ſiue extra corpus*, non ſeparaſſet illud à prioribus dictionibus, & coniunxiſſet illud cum ſequenti dictione huiuſmodi. Hæc enim diſtinctio indicat planum literæ ordinem eſſe vt *ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit*, referatur ad *hominem in Chriſto* (hoc eſt, ad hominem internum regeneratum in Chriſto) & deinde participium *raptum* referatur ad ſequentia. Raptum huiuſmodi hominem internum. VSQVE AD TERTIVM COELVM : hoc eſt, vſque ad ſupremum cœlum, vſque ad locum in quo Deus & beati habitare dicuntur, vſque ad cœleſtem patriam.

Appellauit autem locum illum ſummum, cœlum tertium : quia in ſacra Scriptura trium cœlorum mentio ſit. Infimum eſt cœlum aëreum : iuxta illud, *Volucres cœli*. Medium eſt cœlum aſtratum, de quo in principio Geneſ. *Et poſuit eas in firmamento cœli*. Tertium ac ſummum eſt, *Aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt*: cuius plures ſcriptura meminit. Quod appellamus cœlum aqueum : Philoſophi verò appellant Primum mobile. Empyreum ſiquidem cœlum, à poſterioribus traditum, nullibi inuenitur in Scriptura. Nominat autem raptum ad ſignificandum quòd ſola vi ele-

Tres cœli in Scriptura.

Cœlum aqueum, & primum mobile idem.

uantis, nullâ ad hoc concurrente inclinatione naturæ facta eſt hæc, interni hominis eleuatio.

ET SCIO HVIVSMODI HOMINEM SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPVS, NESCIO, DEVS SCIT. Non de alio, ſed de eodem loquitur raptu. Et clariùs explicat ſenſum antedictum de modo eſſendi in corpore ignoto : quoniam manifeſtè diſtinguit raptum a præcedentibus, ſubiungendo, Verſ. 3.

QVONIAM, pro *quòd*, RAPTVS EST IN PARADISVM. Prius dixerat quòd raptus eſt in tertium vſque cœlum : modò dicit quòd raptus eſt in paradiſum : hoc eſt, in hortum arboribus conſitum. Metaphorico ſermone delectationis locum ſignificauit : imitatus verbum Domini ad latronem, *Hodie mecum eris in paradiſo*. Et manifeſtat per hoc quòd eſt raptus non ſolùm ſecundùm vim intellectiuam ad intelligendum, ſed etiam ſecundùm voluntatem ad delectationem percipiendam : vt perfectum omniquaque deſcribat interni hominis raptum: nam in eo non ſunt niſi iſtæ duæ partes, intellectus ſcilicet & voluntas. Verſ. 4.

Raptus D. Pauli ſecundùm intellectum & voluntatem.

ET AVDIVIT ARCANA, pro *ineffabilia*, VERBA. Non dicit, *& vidit*, ſed *& audiuit*: ad ſignificandum quòd per modum diſciplinæ intellexit, tanquam ab alio doceretur. Ad quod etiam clariùs explicandum non dicit, & vidit, aut audiuit ineffabile verbum, ſed in numero plurali *ineffabilia verba* : vt intelligeremus quòd ibi didicit (quemadmodum etiam Angeli diſcere dicuntur) multa ineffabilia. Et declarando ineffabilitatem ſubiungit, QVÆ NON LICET, pro *liceat*, HOMINI LOQVI, quæ non fas ſit mortali homini communicare aliis, tam excelſa támque diuina ſunt. Et dixit hoc ad manifeſtandum quòd ea quæ audiuit longè ſuperant quæcumque ipſe communicauit nobis : vt intelligamus quòd non omnia communicauit quæ audiuit, ſed excellentiora ea ratione non communicat, quia non eſt fas mortali homini illa dicere.

Ea Paulus audiuit quæ non licet homini loqui.

PRO HVIVSMODI GLORIABOR : hoc eſt, pro hoc interno homine rapto gloriabor. PRO ME AVTEM NIHIL, pro *non gloriabor*, NISI IN INFIRMITATIBVS MEIS : hoc eſt, pro me autem non rapto, pro me viuente in carne non gloriabor, niſi in iis quæ ſpectant ad ea quæ patior. Quamuis ipſemet ſit ille homo raptus : quia tamen neſcit vtrùm in corpore, an extra corpus fuerit tunc, tanquam de altero homine dicit quòd ratione illius habet materiam vnde poſſit gloriari : pro ſe autem viuente in carne mortali non vult gloriari, niſi in ſpectantibus ad pœnalia. Vnde & ſuperiùs non niſi pœnalia explicauit. Verſ. 5.

NAM ET SI VOLVERO GLORIARI, ego viuens in carne de aliis quàm de pœnalibus : hoc eſt de donis diuinis mihi viuenti in carne collatis. NON ERO INSIPIENS. Et rationem ſubiungit, VERITATEM ENIM DICAM. Superiùs dixerat : accipite me tanquam inſipientem, modò dicit, *non ero inſipiens*: vt intelligamus quòd aliud eſt aſſimilari inſipienti in exteriori actu (hoc eſt, in commendatione ſuipſius) & aliud eſt verè deſipere. Manifeſtat hic quòd ſi vellet gloriari, non verè deſiperet ex parte rerum Verſ. 6.

dictarum, quia veritatem diceret. PARCO AVTEM. hoc eſt, abſtineo autem à commendando meipſum viuentem de donis diuinis internis. NE QVIS ME. pro, *in me*. EXISTIMET SVPRA ID QVOD VIDET IN ME. Superfluit *in*. Et eſt ſenſus: ne quis reputet in me eſſe ſupra id quod videt me eſſe: ſicut Lyconici reputarunt in Paulo & Barnaba numen eſſe diuinitatis ſupra id quod videbant ipſos eſſe. Videbant enim ipſos eſſe homines mortales, & tamen reputabant eos deos. AVT AVDIT ALIQVID EX ME. ne quis reputet ſupra viſum, aut ſupra auditam doctrinam ex me procedentem.

Lyconi: Paulum & Barnabam numina quadam eſſe exiſtimabant.

Verſ. 7. ET NE MAGNITVDO. pro, *excellentia*, REVELATIONVM EXTOLLAT ME. pro, *extollar*. DATVS. pro, *data*, EST MIHI STIMVLVS. pro, *ſudes*: non eſt hic ſermo de inſtrumento quo pungunt̄ur boues (de quo in Actis Apoſtolorum dicitur, ***durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare***) ſed de inſtruméto militari, de telo acuto quod ſudes vocatur, de quo ſcribitur Iob 40. *In ſudibus perforabit nares eius*. CARNIS MEA. Superfluit ***mea***. Et non in caſu genitiuo ſed datiuo legendum eſt, *Carni*. Ita quòd non deſcribitur caro pungens ſed puncta: non deſcribitur data ſudes ſpiritui ſed carni, ANGELVS SATANÆ. pro, *Angelus Satan*. Appoſitiue enim legenda eſt vtraque dictio in caſu nominatiuo, Angelus qui eſt Satana, Angelus aduerſarius. Quam dixerat ſudem datam carni, modo dixit Angelum aduerſarium: vt ſignificet diuinam authoritatem quâ miſſus eſt, quâ data eſt VT ME COLAPHIZET, Quæ vexatio corporis fuerit non conſtat: quoniam ſermone metaphorico vtitur Paulus.

Iob 40.
Stimulus carnis Apoſtolo datus.

Verſ. 8. PROPTER QVOD. pro, *hoc*. Ita *quod* pronomen, non relatiuum eſt. TER DOMINVM ROGAVI VT DISCEDERET A ME. Angelus Satan.

Verſ. 9. ET DIXIT MIHI. Dominus. Attende quòd ter voluit Dominus rogari antequam reſponderet Paulo, SVFFICIT TIBI GRATIA MEA. Et rationem negationis ſubiungit Deus. NAM VIRTVS. pro, *potentia mea*, IN INFIRMITATE PERFICITVR. Volo te pœnam hanc ſuſtinere quia potentia mea perficitur in infirmitate, hoc eſt, in impotentia. Et directe eſt ſermo de potentia gratiæ Dei exiſtentis in hominibus: hæc enim potentia quantùm ad executionem perficitur in imbecillitatibus noſtris.

Si hoc non intelligis: diſtingue duos ſtatus hominis: alterum proſperitatis temporalis, alterum aduerſitatis. Et conſidera quòd in ſtatu proſperitatis, propria hominis potentia exercetur, augetur, & perficitur; potentia verò gratiæ Dei nihil aut parum cognoſcitur, appetitur, requiritur: in ſtatu autem aduerſitatis appetitur executio diuinæ potentiæ, habetur & agnoſcitur, non ſecundum effectum liberationis ab aduerſitatibus, ſed ſecundum effectum roborationis animi ad omnia vincendum propter Deum. Et hoc propriè eſt diuinam potentiam in infirmitate perfici. Perficitur enim executio diuinæ potentiæ, roborando vires animi ad ſuperandum quæcunque. Et propterea non abſtulit Deus a Paulo vexationem illam vt potentia gratiæ Dei in ipſo continuâ executione perficeretur, magis ac magis roborando animum eius in iis quæ Dei ſunt. LIBENTER IGITVR. pro, *libentiſſime igitur*. Et deficit *magis*. GLORIABOR IN INFIRMITATIBVS MEIS, VT INHABITET IN ME VIRTVS. pro, *potentia*, CHRISTI. Hinc habes quòd de potentia Dei habitante in homine dictũ eſt, ***potentia mea in infirmitate perficitur***. Infert Paulus quod non libenter, ſed libentiſſime acceptat pro materia gloriandi, imò magis gloriandi in infirmitatibus (hoc eſt, in pœnalibus, in propriis pœnis) ad hunc fructum non vt hoſpitetur, ſed inhabitet, vt firmetur, & per modum habitantis viuat in me potentia Chriſti, non potentia propria.

In proſperitate propria hominis potentia perficitur: in aduerſitate verò diuina potentia perficitur.

PROPTER QVOD PLACEO MIHI. Superfluit ***mihi***. Velut alterum corollarium deducit. IN INFIRMITATIBVS MEIS. Superfluit ***meis***. Primò deduxit materiam gloriationis fore proprias infirmitates, modò deducit materiam complacentiæ internæ eſſe infirmitates. Et ne ambiguum relinquat quid intelligit nomine ***infirmitatum*** quas toties repetiit, ſubiungit explicando per ſpecies. IN CONTVMELIIS. quæ ſunt pœnæ animi tollentes honorem. IN NECESSITATIBVS, victus & veſtitus. IN PERSECVTIONIBVS de loco ad locum. IN ANGVSTIIS. inſidiarum, vexationum, & preſſurarum hinc inde. PRO CHRISTO. Hoc eſt condimentum omnium: nam nulla eſt ratio quòd placeant hæc pœnalia abſolutè, ſed pro Chriſto ſumma eſt ratio. Verſ. 10.

Pœnalia condiuntur amore Chriſti.

Et ex his perpendere potes, erudite lector, quòd ſudes data Pauli carni Angelus Satan ſub hoc genere continetur: niſi enim ſub infirmitatis genere contineretur, non attuliſſet Deus pro ratione, nam *potentia mea in infirmitate perficitur*. Ad quod declarandũ Paulus infirmitatum genera ſubiunxit. Et verè (vt prius dictum eſt) pœnalia omnia infirmitates dicuntur: quia omne pati, infirmitatis ſeu impotentiæ eſt.

Omne pati infirmitatis ſeu impotentia eſt.

CVM ENIM INFIRMOR. Hoc eſt, cùm patior contumelias, neceſſitates, perſecutiones, &c. TVNC POTENS SVM. animo, potentia diuina in me habitante, tunc roboror eadem potentia. Prius dixerat Dei potentiam roborari in infirmitate hominis, modò dicit ſeipſum roborari cùm infirmatur: vt intelligamus idem eſſe potentiam Dei in nobis perfici, & nos potentes effici ſecundùm illam potentiam.

FACTVS SVM INSIPIENS. pro, *glorians*, VOS ME COËGISTIS. hoc eſt, gloriando, factus ſum ſimilis inſipienti, ſed non abſque cauſa, quoniam vos me compuliſtis, zelus erga vos compulit me ad hoc. EGO ENIM A VOBIS DEBVI COMMENDARI. Rationem aliam accumulat quare compulſus ſit ſeipſum commendare. Et affert nouam rationem ex parte defectus Corinthiorum qui ſuperuenientibus pſeudoapoſtolis debuiſſent obiicere laudes Pauli ad confutandum illos. Et propterea dicit, *ego à vobis debui commendari*. Et merita iuſtæ commendationis ſubiungit primò ex parte ipſius Pauli. Verſ. 11.

Se debuiſſe à Corinthiis commendari ſcribit Apoſtolus.

NIHIL ENIM MINVS FECI. pro, *habui* AB IIS QVI SVNT SVPRA MODVM APOSTOLI. hoc eſt, non minora dona diuina habui quam habuerint Petrus, Iacobus & Ioannes, qui ſunt ſupremi Apoſtoli. Et dixit hoc, quoniam pſeudoapoſtoli dicebant Paulum non eſſe æqualem Apoſtolis, qui fuerunt cum Chriſto in carne. TAMETSI NIHIL SVM. Cum præcedenti ſententia iungitur hæc particula. Temperat enim quod dixerat. Alibi ſiquidem dicit, *Ego ſum minimus*

minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus: & modò eandem humilitatis temperantiam adiecit. Æqualia enim dona Dei ſe dicit habuiſſe, tametſi nihil eſt quod inferius eſt quam eſſe minimum Apoſtolorum. Et verè dicit *nihil ſum*, quantum eſt ex me, qui ſum æqualis ſupremis Apoſtolis ex donis Dei in me.

Verſ. 12. SIGNA TAMEN, pro *quidem*, APOSTOLATVS MEI, pro *Apoſtoli*, FACTA SVNT SVPER VOS, pro *in vobis*. Manifeſtat ab effectibus ſenſibilibus promiſſis veris Chriſti Apoſtolis ſe eſſe verum Apoſtolum. IN OMNI PATIENTIA, IN SIGNIS ET PRODIGIIS ET VIRTVTIBVS, pro *patientia*. Quatuor genera effectuum ſenſibilium apud Corinthios patrata ſupputat. Quorum primum ac præcipuum Chriſti teſtimonium eſt *patientia* in omnibus: hoc eſt enim primum quod Chriſtus Apoſtolis mandauit. Deinde *miracula*, tum in ſignis: nam impoſitione manuum dabat Spiritum ſanctum ſenſibiliter apparentem in ſignis linguarum, ſeu prophetiæ. Tum in *prodigiis* mirabilium operum: quale fuit & Magum excæcare, & fornicatorem tradere Satanæ, ſeu aliquid huiuſmodi: hæc enim exempli gratia afferimus. Tum in *potentiis operationum*, diuerſas ſanando ægritudines, & huiuſmodi. Neſcimus enim in ſpecie quæ apud Corinthios facta ſunt: nec hæc in genere ſciremus niſi Paulus ipſe ſcripſiſſet.

Marginal note: Manifeſtat ab effectibus ſe verum Apoſtolum.

Verſ. 13. QVID EST ENIM QVOD MINVS HABVISTIS PRÆ CÆTERIS ECCLESIIS, pro *quam cæteræ Eccleſiæ*: NISI QVOD EGO IPSE NON GRAVAVI VOS: ſumptibus. Iam enim dictum eſt quòd ab alijs Eccleſiis accipiebat ſumptus.

DONATE MIHI HANC INIVRIAM. Ironia eſt.

Verſ. 14. Ecce tertiò hoc paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Superfluit *hoc*. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos: non mihi, ſed Chriſto. Ratio ſiquidem eſt noua quare non vult ab eis bona temporalia. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare. Aliam accumulat rationem ad idem. SED PARENTES FILIIS. Ad percutiendum pſeudoapoſtolos (de quibus ſuperius dixerat, *ſuſtinetis ſi quis accipit*) hæc dicit: vt vel hinc diſcernant quòd non ipſi patribus, ſed patres ipſis debent recondere neceſſaria. Regulariter ſiquidem parentes recondunt filiis, ſicut & generarunt & aluerunt: præter regulariter verò filij debent parentibus prouidere, in articulo ſcilicet neceſſitatis Pauli, quod regulare eſt, aſſumit.

Marginal note: Parentes filiis theſaurizant, non contra.

Verſ. 15. EGO AVTEM LIBENTISSIME IMPENDAM. Vobis quæcumque habuero vt verus pater. ET SVPERIMPENDAR IPSE, pro *& expendar*, PRO ANIMABVS VESTRIS: non ſolum impendam quæ habuero, ſed expendar egomet officiis, paſſionibus, & demum (ſi opus fuerit) morte pro ſalute animarum veſtrarum. LICET PLVS, pro *abundantius*, VOS DILIGENS, MINVS DILIGAR. Prouocantis eſt ad rependendam æquam dilectionem: vt auertat eos à pſeudapoſtolis.

Verſ. 16. SED ESTO. Inchoantis eſt nouam obiectionem. EGO VOS NON GRAVAVI: in temporalibus bonis.

SED CVM ESSEM ASTVTVS, DOLO VOS CEPI. Ecce alia obiectio quòd quamuis ego perſonaliter non grauauerim vos, aſtute tamen & dolo per meos internuntios decepi vos, accipiendo veſtra. Suſpicor ego Paulum hæc dicere, quòd his artibus vterentur pſeudoapoſtoli. Erant enim (vt dictum eſt) doloſi operarij: & hæc eſt ars doloſorum, vt vtantur intermediis hominibus ſuggerentibus vt porrigant, vt donent, &c. cum multis figmentis.

Marginal note: Cur dicat Paulus ſe aſtutum dolo illos cepiſſe.

NVMQVID PER ALIQVEM EORVM QVOS MISI AD VOS, CIRCVMVENI VOS: Nullus interpres (quem viderim) interpretatus eſt textum Pauli vt iacet, eo quòd mutilus apparet: iacet enim ſic, *Num aliquem eorum quem miſi ad vos, per hunc circumueni vos?* Prima enim particula mutila manifeſtè eſt, ſed intentus ſenſus habetur. Verſ. 17.

ROGAVI TITVM ET MISI CVM ILLO FRATREM. Neſcitur quis fuerit iſte frater. NVMQVID TITVS VOS CIRCVMVENIT: certus enim erat quòd non. Vnde & manifeſtat hoc tum ab internis, dicendo, NONNE EODEM SPIRITV AMBVLAVIMVS? Spiritus enim intus eſt. Tum ab externis. NONNE IISDEM VESTIGIIS? Veſtigia ſiquidem ad exteriora ſpectant opera. Verſ. 18.

OLIM, pro *rurſus*, PVTATIS QVOD EXCVSEMVS NOS APVD VOS? Anceps eſt lectio, an narratiue, an interrogatiue legendum ſit. Et narratiue quidem ſignificat quòd alias etiam hoc putauerant. Magis tamen quadrat vt legatur interrogatiue. Verſ. 19.

Et aduerbium *rurſus*, aliud dicendi caput ſignificat: nam hic incipit materiam iudicialem. Ita quòd punctandum eſt poſt *rurſus*: & ſubiungendum interrogatiuè: Putatis quòd excuſemus nos apud vos? hoc eſt, putatiſne quòd hæc quæ diximus excuſatoriè apud vos homines, & non verè dicamus? Hunc enim ſenſum ſubiuncta præ ſe ferunt. CORAM DEO IN CHRISTO LOQVIMVR. Non excuſatoriè apud vos homines, ſed verè teſte Deo, loquimur in Chriſto, loquimur ſecundum Chriſtum, vt non ſolùm verè, ſed etiam rectè hæc ſe loqui ſignificet.

OMNIA ENIM CHARISSIMI, pro *omnia autem dilecti*, PROPTER ÆDIFICATIONEM VESTRAM. Non ſolum verè & rectè, ſed etiam neceſſariò propter ædificationem veſtram in ſpiritualibus loquimur non quædam, ſed omnia. Dixerat enim tot, talia, & tanta de ſeipſo, vt opus fuerit munimento, & explicatione cauſæ finalis mouentis ipſum ad dicendum.

Verſ. 20. TIMEO ENIM NE FORTE CÙM VENERO. Rationem reddit neceſſitatis dictæ propter ædificationem veſtram. Simulque explicat materiam timoris ſuperiùs propoſiti, cùm dixerat, *timeo ne corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate quæ eſt in Chriſtum*. Tunc enim in genere dixit *à ſimplicitate*, modò in ſpecie explicat à ſimplicitate morum & fidei. NON QVALES VOLO, corruptos in fide vel moribus. INVENIAM VOS. Et timeo quòd ET EGO INVENIAR A VOBIS. Superfluit *a*: ſignificatur enim quòd ego inueniar erga vos. QVALEM NON VVLTIS. Mœſtum & iudicem rigidum. NE FORTE. Deficit *ſint*, & legendum eſt, NE QVO PACTO SINT CONTENTIONES. Quod dixerat in genere *non quales volo* explicat in ſpecie meliorum vitiorum: & primò contentiones in verbis. ÆMVLATIONES. hoc eſt, inuidiæ

Marginal note: Vitia quæ Corinthiis ineſſe timebat [illegible]

in animis. ANIMOSITATES, pro *ira*, vel ad vlciſcendum. DISSENSIONES, pro *concertationes*, in ſtudiis & factis. DETRACTIONES, contra famam. SVSVRRATIONES, contra amicitias. INFLATIONES, tumores ſuperbi, deſpiciendo alios. SEDITIONES, contra Eccleſiæ pacem. SINT INTER VOS. Superfluunt hæ tres dictiones.

Verſ. 21. NE ITERVM CVM VENERO. Explicata illa particula *non quales volo*, quoad mores, incipit explicare illam aliam, *qualem non vultis*. Vnde incipit, *qualem non vultis*, quoad mœſtitiam. HVMILIET ME DEVS. Deeſt, *meus*, APVD VOS. Bonus paſtor inueniens ſubditos in peccatis, deiicitur tum extra, exterioribus, ſcilicet ſignis; tum intus, mœrore: vnde & ſubditur.

ET LVGEAM MVLTOS QVI ANTE PECCAVERVNT, ET NON EGERVNT POENITENTIAM SVPER IMMVNDITIA, ET FORNICATIONE, ET IMPVDICITIA QVAM GESSERVNT. De venereis eſt ſermo. Et impudicitia proprie reſpicit actus libidinoſorum oſculorum, tactuum, & huiuſmodi. Fornicatio autem ipſum concubitum naturalem. Immunditia autem forte ſignificat concubitum contra naturam: aiunt enim apud Corinthios vitium hoc regnaſſe.

Impudicitia, fornicatio, immunditia vt diſtinguãtur

CAPVT XIII.

Verſ. 1. ECCE TERTIO HOC VENIO AD VOS. Superfluit *ecce*. Et eſt ſenſus, tertia hac vice. Tractauit illam particulam *qualem non vultis* quoad mœſtitiam, proſequitur modò eandem quoad iudicium. Et dicit *venio*, tanquam præſentem propinquum aduentum ſuum ad eos denuntians. VT IN ORE DVORVM, VEL TRIVM TESTIVM STABIT OMNE VERBVM. Superfluit *vt*. Ne putent Corinthij quòd vel præceps iudicabit, vel quòd magnâ vtetur multitudine teſtium, explicat eis quòd ſecundum formam diuinæ legis procedet, duobus, aut tribus teſtibus requiſitis, & ſufficientibus.

Verſ. 2. PRÆDIXI ERGO. Superfluit *ergo*. ET PRÆDICO VT PRÆSENS VOBIS, pro *iterum*, ET NVNC ABSENS. Deeſt *ſcribo*. Senſus eſt quòd bis præſens apud vos prædixi & prædico, hoc eſt, prædixi & vtor prædicentia vt perſeuerante. Intendit enim quod duæ præſentiæ ſunt duæ prædicentiæ perſeuerantes (hoc eſt, non abolitæ) tanquam duæ monitiones canonicæ, tertia verò ſit quam nunc abſens ſcribit: vt trina monitione præmiſſa, in aduentu ſuo procedat ad iudicium.

Trinâ monitione præmiſſa venturus Paulus in aduentu ſuo ſe iudicaturum.

Aduerte tamen difficultatem nonnullam in verbis litteræ: ex eo quod dicit, *& prædico præſens iterum*, ſed apponit aduerbialiter coniunctionem vt dicendo, *& prædico vt præſens iterũ*: tanquam non fuerit ſecundo præſens, ſed tanquam præſens ſecundo prædicat. Quia tamen clarè dixit, tertio ſe ire ad eos, potiùs quadrat ſignificari quòd vtitur ſecunda præſentia vt prædicentia: & quod propterea appoſuerit ſimilitudinis aduerbium. IIS QVI ANTE PECCAVERVNT, ET CÆTERIS OMNIBVS. Ad omnes extendit has tres monitiones more Iudicum, vna pro trina canonica monitione præmiſſa. QVONIAM, pro *quod*, SI VENERO ITERVM NON PARCAM. Non conſtat an *iterum*, conſtruatur cum *venero*, an cum *parcam*. Quòd enim aliàs pepercit, ex ſuperioribus inſinuatur, cùm dixit, *& ego ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti*.

AN, pro *quandoquidem*. Non dubitando, ſed arguendo loquitur. EXPERIMENTVM QVÆRITIS, hoc eſt, documentum in executione quæritis. EIVS QVI IN ME LOQVITVR CHRISTVS, pro *loquentis in me Chriſti*. Affirmat Paulus quod Corinthij non ſe emendantes quærunt facto experiri Chriſtum loquentem in ipſo Paulo: hoc eſt, experiri effectum ſenſibilis vltionis Chriſti loquentis in Paulo. Et dicit hoc ad prouocandum eos ad pœnitentiam ante ſuum aduentum: ne experiantur huiuſmodi vltionem. Tradebat ſiquidem Chriſtus in Paulo quos damnabat vexationi ſenſibili à Satana. QVI IN VOBIS, pro *in vos*, NON INFIRMATVR, SED POTENS EST IN VOBIS, pro *in vos*. Chriſtus erga Corinthios non quæ infirmitatis ſuæ fuerant (paupertatem, perſecutiones, & eius generis reliqua) exercebat, ſed quæ potentiæ ſuæ erant, donando eis dona linguarum & prophetiæ: puniendo etiam traditione Satanæ. Et propterea Paulus dicit quòd Chriſtus non infirmatur erga vos, ſed potens eſt erga vos. Verſ. 3.

Vexationi ſatanæ tradebat Chriſtus eos quos damnabat Paulus.

Et adiungit hoc ad hoc vt timeant experiri vltionem Chriſti loquentis in Paulo. Ac ſi apertiùs dixiſſet: experti iam eſtis per me in vobiſipſis potentiam Chriſti.

NAM ETSI CRVCIFIXVS EST EX INFIRMITATE: hoc eſt ex eo quòd habuit carnem paſſibilem, ſubiectam poteſtatibus mundi huius. SED VIVIT, pro *viuit tamen*, EX VIRTVTE, pro *ex potentia* DEI, vita immortali, & potentiſſimâ: vnde prouenit quòd eſt potens erga vos. Verſ. 4.

NAM ET NOS INFIRMI SVMVS IN ILLO. Conſidera hæc duo. Chriſtus crucifixus eſt, ex infirmitate, & nos ſumus infirmi in illo: hoc eſt, & nos aſſimilamur Chriſto infirmo afflicti, vexati in tot & tantis.

In Chriſto ex infirmitate crucifixo, infirmi ſumus, & nec.

SED VIVIMVS CVM EO EX VIRTVTE, pro *potentia*, DEI IN VOBIS, pro *in vos*: hoc eſt, attamen aſſimilamur quoque Chriſto viuenti ex potentia Dei, in hoc quòd viuimus cum Chriſto vita ſpiritus ex eadem potentia Dei erga vos. Et intendit explicare vitam ſpiritus ſui perſeuerare potentem erga Corinthios ad puniendum, potentia autem non humana, ſed diuina. Declarat ſiquidem eis quod non expedit eis expectare experimentum Chriſti in ſe loquentis, quia perſeuerat in vita ſpiritus eius diuina potentia.

VOSMETIPSOS TENTATE. Quæritis experimentum Chriſti in me loquentis: malè facitis ſpectando in me, ſpectate voſmetipſos, examinando, diſcutiendo voſipſos. SI ESTIS IN FIDE. Prius dixerat non quales volo, & explicauerat quoad mores: modò idem explicat quoad fidem. An autem ſermo ſit de fide neceſſaria ad ſalutem, an de fide quæ eſt gratiâ gratis data (qua ſcilicet fiunt miracula) non vſquequaque liquet. IPSI VOS PROBATE. Niſi ſit exaggeratio, ad mores refertur, monet ſiquidem vt diſcutiant ſeipſos tam in fide, quam in moribus. Verſ. 5.

Corinthios iubet ſe diſcutere tam in fide quàm in moribus monet Apoſt.

AN NON COGNOSCITIS VOSMETIPSOS QVIA, pro *quod* CHRISTVS IESVS IN VOBIS EST?

Quaſi

Quaſi dicat. certum eſt quòd cognoſcitis voſmetipſos quoad hoc quod Chriſtus Ieſus eſt in vobis. Quod poteſt intelligi de eſſe Chriſti in eis per fidem, vel per dona linguarum & prophetiæ, vel per ſenſibilem punitionem, quam experti ſunt in inceſtuoſo, ipſiſmet Corinthiis mediantibus. NISI FORTE REPROBI ESTIS. Quod poteſt referri vel ad verbum *cognoſcitis*, vel ad verbum *eſt in vobis*. Magis tamen quadrat vt referatur ad verbum *cognoſciti*. Et eſt ſenſus quòd certum eſt vos cognoſcere ex tot effectibus voſmetipſos quoad hoc quòd Chriſtus eſt in vobis ſecundùm tot effectus, niſi forte reprobi eſtis: hoc eſt, niſi fortè dati ſitis in reprobum ſenſum, vt hoc non cognoſcatis, niſi fortè excideritis à tali gratia cognoſcendi voſmetipſos in hoc: hoc enim eſſet eſſe reprobum.

Verſ. 6. SPERO AVTEM QVÒD COGNOSCETIS, pro *cognoſcetis*, QVIA, pro *quod*, NOS NON SVMVS REPROBI. hoc eſt, quòd nos non excidimus à gratia nobis data. Cadens enim à gratia ſibi conceſſa, reprobus eſt, vtpote reprobatus à Deo quoad illam gratiam. Et intendit per hoc Paulus declarare quòd dato quòd aliqui Corinthij exciderint à gratia eis data, & quod non cognoſcant ſeipſos, cognoſcent tamen Paulum non excidiſſe à gratia ſibi data, ſed perſeuerare in eo omnē quā acceperat gratiā.

ORAMVS AVTEM DEVM, pro *opto autem apud*
Verſ. 7. *Deum*, VT NIHIL MALI FACIATIS. Declarat quod quamuis Corinthij reprobi inuenirentur, ipſe tamen non inueniretur reprobus, ne putaretur Paulum deſiderare demonſtrationem ſuæ potentiæ puniendo alios, vt ſic appareret experientiâ teſte probatus à Deo, explicat ſe deſiderare totum contrarium. Et propterea dicit quod cupio apud Deum, non ſolum dico coram hominibus, ſed etiam apud Deum in veritate præcipuo, prætendero vt nihil mali faciatis, quod eſt ſubtrahere mihi materiam punitionis. Et hoc ex parte veſtri.

Quantùm percupiat D. Paulus Corinthios à peccato immunes.

NON VT NOS PROBATI APPAREAMVS. indicando & puniendo diuina potentia. SED VT VOS QVOD BONVM EST FACIATIS. Vtramque iuſtitiæ partem optat eis. Primam, vt nihil mali faciatis: alteram, vt quod bonum eſt faciatis. NOS AVTEM VT REPROBI SIMVS. Non dicit, nos autem reprobi ſimus, ſed aduerbium ſimilitudinis apponit *vt reprobi*, tanquam reprobi ſimus: hoc eſt, nos autem aſſimilemur reprobis, non demonſtrando Chriſtum in nobis ſo potentem eſſe in vltionis. Exercendo ſiquidem vltionem per diuinam potentiam appareremus probati: non exercendo autem appareremus reprobi. Cupio, inquit Paulus, apparere reprobus, ſubtrahentibus vobis mihi materiam vltionis.

Verſ. 8. NON ENIM POSSVMVS ALIQVID ADVERSVS VERITATEM. Rationem reddit quare oporteret ipſum apparere vt reprobum, quia non poſſumus aduerſus veritatem bonorum operum exercere potentiam Dei in nobis, ſed pro veritate: ac per hoc, ſi vos nihil mali feceritis, ſed bona, non poterimus vti poteſtate noſtrâ punitiua.

GAVDEMVS ENIM QVONIAM, pro *quando itaque*,
Verſ. 9. NOS INFIRMI SVMVS, VOS AVTEM POTENTES ESTIS. Non ſolum alieni ſumus ab appetitu vt appareamus probati puniendo vos: ſed interno gaudio afficimur, cùm ſecundum rem vos quidem eſtis potentes bonis operibus, nos autem infirmi, hoc eſt impotentes ad iudicandū, & puniendum, & huiuſmodi. Hoc. Deeſt *autē*, ET ORAMVS, pro *optamus*, VESTRAM CONSVMMATIONEM. Appoſitiuâ conſtructione pronomen *hoc* explicat *veſtram conſummationem*. Perſpice augmentum: priùs optauit Corinthiis ambas iuſtitiæ partes. Deinde (quod plus eſt) vt eſſent potentes: & demùm perfectionem.

IDEÒ ENIM HÆC ABSENS SCRIBO, VT NON Verſ. 10.
PRÆSENS DVRIVS AGAM SECVNDVM POTESTATEM, pro *vt non præſens rigidè vtar poteſtate*. Manifeſtat deſiderium & gaudium prædicta ex hoc facto: videlicet quia ad hoc ſcribo, vt non ad rigorem iudicij vtar poteſtate.

QVAM DOMINVS DEDIT MIHI IN ÆDIFICATIONEM, ET NON AD DESTRVCTIONEM. Repetit vſum poteſtatis vt Corinthij ſe corrigāt, & non ſit Paulo opus vtendi ſua poteſtate: quoniam non ad nocendum, ſed ad ædificandum, non ad inferendum mala, ſed promouendum bona ſpiritalia data eſt à Domino hæc poteſtas. Iudicia ſiquidem præſentis vitæ non ſunt ad puniendum (hoc enim reſeruatur iudiciis futuræ vitæ) ſed ad promouendum ſpirituale bonum, vel in eo qui punitur, vel in Eccleſia.

Iudicia huius vitæ non ſūt ad puniendū, ſed ad promouendum ſpirituale bonum.

DE CÆTERO, pro *quod ſupereſt*. FRATRES Verſ. 11.
GAVDETE, pro *valete*. officium ſalutationis ſupereſt in calce epiſtolæ peragendum. PERFECTI ESTOTE. Aiunt dictionem Græcam ſonare redintegrationem, ad ſimilitudinem reſarcientium. Ac ſi dixiſſet, integritatem acquirite.

EXHORTAMINI, pro *conſolamini*. Paſſiuè tamen intellige, hoc eſt conſolationem accipite. IDIPSVM SAPITE, pro *idem ſentite*, interno ſenſu concordate. PACEM HABETE, pro *in pace viuite*, ſeu *agite*. Exteriores actus reſpicit. ET DEVS PACIS ET DILECTIONIS. Tranſpoſitæ ſunt dictiones. Legendum eſt, *Et Deus dilectionis & pacis*. Sic enim creſcit oratio. ERIT VOBISCVM. Ecce præmium.

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. Verſ. 12.
Antiquus mos Eccleſiæ dandi pacem inter Miſſarum ſolemnia tangitur. SALVTANT VOS SANCTI. Subaudi qui mecum ſunt.

Pacis inter Miſſarum ſolemnia mos tangitur.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Verſ. 13.
quâ ſemetipſum gratuitò dedit pro nobis hoſtiam, &c. ET CHARITAS DEI, qua ſic dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret. ET COMMVNICATIO SANCTI SPIRITVS, quâ communicauit tot ſpiritualia dona hominibus. Ecce tota Trinitas. SIT CVM OMNIBVS VOBIS AMEN.

Et ſic finitur Epiſtola. Cuius ſubſcriptio apud Græcos eſt hæc: *Ad Corinthios ſecunda, ſcripta à Philippis quæ eſt in Macedonia, miſſa per Titum & Lucam.* Quis hanc ſubſcriptionem appoſuerit, neſcio. Non multum tamen antiqua videtur ex eo quod dicit *ſecunda*: nam ſecundùm veritatem eſt tertia Pauli Epiſtola ad Corinthios. Hinc enim apparet quòd ſubſcriptio hæc appoſita eſt poſtquam perdita fuit prima.

Epiſtolæ ſubſcriptio.

Caietæ M D X X V I I I. menſe Decembri.

Commentariorum Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Xyſti, in poſteriorem Epiſt. ad Corinthios, finis.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS COMMENTARII.

Verſ. 1. *Cur ſe dicit Apoſtolum non ab hominibus?*

PAVLVS APOSTOLVS NON AB HOMINIBVS. Cùm Galatæ ſeducerentur à pſeudoapoſtolis vt circumciderentur & ſeruarent dies feſtos Iudæorum, detrahebatur Paulo quòd non eſſet Chriſti Apoſtolus, ſed diſcipulus Apoſtolorum: ne authoritati Pauli inniterentur Galatæ. Et propterea Paulus in capite Epiſtolæ authoritatem ſuam tuetur: quoniam hoc erat fundamentum totius doctrinæ eius apud gentes. Et proinde dicit, *Apoſtolus, non ab hominibus*: hoc eſt, non a collegio Apoſtolorum, aut alicuius Eccleſiæ, puta Antiochenæ, vnde exierat ad prædicandum gentibus.

NEQVE PER HOMINEM, aliquem ſingularem Apoſtolorum. SED PER IESVM CHRISTVM hominem. ET DEVM PATREM, naturalem Ieſu Chriſti, ad ſignificandum quòd a Deo mediante Ieſu Chriſto homine eſt Apoſtolus. QVI SVSCITAVIT EVM A MORTVIS. Ad ſignificandum quòd non eſt factus Apoſtolus Chriſti quando erat in carne mortali, ſed poſtquam reſurrexit à mortuis: vocatus eſt enim a Chriſto immortali) dicit *qui ſuſcitauit eum a mortuis*. Et hoc ad occurrendum oblocutionibus de eo quòd nunquam fuerat cum Chriſto. Ac ſi apertius diceret: quamuis non ſim Apoſtolus per Chriſtum mortalem, ſum tamen per Chriſtum immortalem: & in hoc differo a cæteris Apoſtolis.

Verſ. 2. ET QVI MECVM SVNT OMNES FRATRES. Obiiciebatur quoque quod Paulus ſolus prohibebat ſeruare legalia: & propterea ad ſignificandum quòd non ſolus, ſed & quod fratres omnes, qui ſecum ſunt, ad idem concurrerent. ECCLESIIS GALATIÆ. Lege principia reliquarum Pauli Epiſtolarum miſſarum ad Eccleſias: & inuenies duo ſingularia hic. Alterum quòd in numero plurali dicit *Eccleſiis*, in reliquis enim ſi *Eccleſiæ* nomine vtitur, vtitur in numero ſingulari. Et quamuis ex induſtria fortè ſignificauerit per hoc diſſenſiones conuentuum apud eos: crediderim tamen ego ideo pluraliter dictum *Eccleſiis*, quia Galatia non eſt nomen ciuitatis, ſed regionis. Corinthus autem & Theſſalonica nomina ſunt ciuitatum. Alterum eſt quòd in cæteris epiſtolis Paulus nominando eos quibus ſcribit, adiectiua ſanctitatis aut Dei apponit, ad Galatas verò nudo vocabulo dicit *Eccleſiis Galatiæ*, non adiungens *in Deo*, vel *Dei*, vel *Chriſti*: ad ſignificandum proculdubio eorum inſtabilitatem in gratia Euangelica.

Duo hic ſingularia.

GRATIA VOBIS ET PAX. Solita ſalutatione in omnium ad Eccleſias epiſtolarum principiis noluit eos priuare: ad ſignificandum affectum ſuum, vt omnia ſpiritualia bona haberent ſicut & cæteri. Sub *gratia* enim quæ eſt primum donum, & *pace* quæ eſt vltimus fructus, omnia media bona ſpiritualia continentur. A DEO PATRE NOSTRO. Superfluit *noſtro*. ET DOMINO. Deficit *noſtro*. IESV CHRISTO. Myſterium ſimul Trinitatis perſonarum & incarnati Verbi ſignificat: vt ſpem gratiæ & pacis in hanc fidem figant. Verſ. 3.

Gratia primũ donum, Pax vltimus fructus.

QVI DEDIT SEMETIPSVM PRO PECCATIS NOSTRIS. Prælibat efficaciam paſſionis Chriſti: quoniam hinc pendet confutatio erroris Galatarum. Vt enim inferius dicet, ſi ex lege Moyſi eſt iuſtificatio, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Fructum ergo paſſionis Chriſti ponit, vt reducant mentis oculos ad intendendum quòd remiſſio peccatorum fit per mortem Chriſti & non per legalia. VT ERIPERET NOS DE PRÆSENTI SECVLO NEQVAM. Non concordant interpretes in dictione interpretata *nequam*, alij *malum*, alij [illegible], alij *& futurum* interpretantur. Sed quocunque modo interpretetur, non ad naturam ſeculi, ſed ad vitium refertur. Præſens enim ſeculum ſecundum naturam neque malum, neque verſutum eſt, ſed quicquid eiuſmodi eſt in eo, ex vitio admiſſo eſt. Et Chriſtus dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ad delendum peccata Verſ. 4.

Seculum nequam non ex natura, ſed ex vitio [illegible].

peccata noſtra, vt eximeret nos à vitiis præſentis ſeculi: vt conſecuta remiſſione peccatorum per mortem eius, viueremus vita exempta a vitiis præſentis ſeculi.

Secundum voluntatem Dei et patris noſtri. Beneplacitum Dei in obedientia Christi explicatur, ad ſignificandum libertatem quâ donauit vos Chriſtus per mortem ſuam proceſſiſſe à voluntate Dei, qui dedit veterem legem.

Et appellat Deum, *patrem noſtrum*, ad ſignificandum paternum Dei erga nos amorem in hoc facto. Dicit enim hæc omnia aduerſus pſeudoapoſtolos, qui dicebant voluntatem Dei adimplendam in obſeruatione legalium. Contra, inquit Paulus, Chriſtus ſecundum voluntatem Dei & patris dedit ſeipſum vt libertate nos donaret.

Verſ. 5. Cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Superfluit *eſt*. Appoſuit hoc, vt intelligãt quòd nihil aliud appetit quàm gloriam Dei, quòd nihil contra gloriam Dei prædicat, quòd nullum ſeculum adimit gloriæ Dei prædicando non ſeruari legalia à Gentilibus. Amen. Confirmantis eſt, & finem imponentis ſalutationi.

Verſ. 6. Miror quòd ſic. Superfluit *ſic*. Completa ſalutatione ad tractatum epiſtolarem inchoat, proponendo materiam tractandam. Tam citò transferimini. Quoniam abſque cauſa effectus videbatur, dicit *miror*. Effectus autem eſt quòd *tam citò*, quod eſt ſignum magnæ inſtabilitatis. Nec dicit, tranſlati eſtis ſed *transferimini*, ad ſignificandum rem eſſe in fieri. Ab eo qui vos vocavit. Non dicit *à me*: vt ab homine quocunque, ſed à Deo qui vos vocauit internâ vocatione. In gratiam. pro, *in gratia*. Christi. Vocari a Deo in gratia Chriſti, eſt vocari a Deo cum remiſſione peccatorum in fide Chriſti, eſt in gratuito dono Chriſti homines internâ vocatione iuſtificari. A Deo enim hoc donante transferebantur Galatæ, tanquam exigentes à tantæ libertatis gratia. In aliud Euangelium. Ecce quò transferebantur. Prædicabant pſeudoapoſtoli Euangelium quidem Chriſti, ſed admixtum obſeruationi legalium. Et propterea Paulus ſubdit:

Pſeudoapoſtoli prædicabant Galatis Euangelium Chriſti, ſed admixtum obſeruationi legalium.

Verſ. 7. Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, et volunt conuertere. pro, *tranſuertere*, Evangelium Christi. Corrigit declarando quod dixerat *in aliud Euangelium*: declarando quomodo eſt aliud, & quomodo non aliud. Dicit enim quod non eſt aliud niſi quantùm ad duo, ſcilicet veſtri turbationem, & Euangelij Chriſti tranſmutationem. Sunt enim aliqui pſeudoapoſtoli qui quietem ac ſerenitatem mentis veſtræ in Euangelio, perturbant immiſcendo legalia: & hi Euangelium Chriſti euãgelizari cupiunt tranſmutare, adiungendo Euangelio obſeruationem legalium. Quoad huiuſmodi ergo adiunctionem eſt Euangelium aliud, non quoad ſubſtantiam & geſta Chriſti: ſed hæc alietas tollit effectum mortis Chriſti. Tollit enim libertatem donatam nobis per Chriſti mortem.

Aduerte hic quòd tunc temporis Euangelium Chriſti in Iudæis compatiebatur obſeruationem legalium tanquam conſuetorum, ſed non tanquam neceſſariorum ad ſalutem. Et propterea illa Iudæorum Chriſtianorum obſeruatio non erat contraria libertati adeptæ per Chriſtum. In Gentiliis autem Euangelium Chriſti non compatiebatur obſeruationem legalium, quia ipſi non erant illis aſſueti: ac per hoc non inducebantur illis niſi vt neceſſaria ad ſalutem, quod erat tendere ad tranſmutationem Euangelij Chriſti annuntiantis libertatem a lege veteri datam per Chriſti mortem. Et propterea Paulus cautè loquitur, dicendo quòd iſti volunt tranſuertere Euangelium Chriſti: vt intentionem pſeudoapoſtolorum in culpa eſſe oſtendat. Dixit enim hoc ad ſignificandum quòd non eſt aliud Euangelium apud Iudæos Chriſtianos, & aliud quod ipſe prædicat ſeruandum in gentibus: ſed vnum atque idem eſt: in illis compatiens conſuetudines legales, in vobis verò reſpuens legalia, quæ ad veſtri conturbationem & ad tranſmutationem Euangelij tendunt. Callidi ſiquidem pſeudoapoſtoli volebant Gentiles Chriſtianos ſeruare legalia, allegantes quòd Iudæi Chriſtiani ſeruabant legalia.

Euangelium in Iudæis compatiebatur obſeruationem legalium tanquam conſuetum non tanquam neceſſarium ad ſalutem.

Aduerte quòd in iſtis verbis (*miror quòd tam citò*) & reliquis huiuſque, Paulus proponit totam huius epiſtolæ materiam. Vnde & tunc tractare incipit particulam illam *in aliud Euangelium*: longo ſermone monſtrando quod nulla authoritate ſuſcipiendum eſt aliud Euangelium. Ad hoc enim affert authoritatem Euangelij ſui, & geſta cum Apoſtolis & Petro.

Sed licet nos. Apoſtoli, etiam meipſum computando. Aut angelus de coelo. hoc eſt, Angelus ſanctus. Euangelizet vobis præterquam. pro, *præter id*, quod euangelizavimus vobis, anathema sit. Obiiciebatur prædicationi Pauli quod alij Apoſtoli docebant oppoſitum: imò quòd ipſemet Paulus inconſtans erat, modo docens non ſeruari legalia, & modo docens oppoſitum. Et propterea ad has obiectiones excludendas, excommunicat ſeipſum & reliquos Apoſtolos & etiam Angelos ſanctos, ſi euangelizauerint aliud præter id quod euangelizauerat Paulus Galatis. Verſ. 8.

Excommunicat Paulus Apoſtolos & Angelos ſi aliud euangelizent.

Si obiicis quòd par in parem & multo minus in maiorem caret imperio: ac per hoc Paulus non potuit excommunicare Apoſtolos & Angelos: Reſpondebit ipſemet Paulus quòd diuina authoritate hæc dicit. At ſi quæris authoritatem diuinam, in promptu eſt Euangelium Chriſti habens diuinam authoritatem: vtpote, non à prophetis nec ab Angelis, ſed ab ipſo Verbo incarnato immediatè traditum. Euangelicâ ita authoritate ſupra omnes Apoſtolos & Angelos exiſtente vtitur Paulus. Et conditionalis eſt vera, quamuis tam antecedens quàm conſequens ſit impoſſibile, ſi Angelus de cœlo euangelizauerit præter Euangelium Chriſti, eſſet anathema. Et bene nota quod non dicit, ſi quis vos aliquid docuerit quod non docuimus vos, ſed ſi quis euangelizauerit præter id quòd euangelizauimus: ad ſignificandum quod de ſpectantibus ad Euangelicam veritatem, de tollentibus Euangelicam veritatem loquitur, ad differentiam aliorum impertinentium ad Euangelicam veritatem.

Qua authoritate.

Anathema autem Græca dictio eſt, ſignificans ſeiunctionem a communi vſu: quod in hominibus dicimus excommunicatum.

Anathema quid?

Sicvt prædixi: pro, *prædiximus*, et nunc iterum

tertiò dico. Repetit ſententiam, ad ſignificandum matura deliberatione & immobili animo ſententiam hanc dicere: ne putaretur tanquam ex impetu hæc ſcripſiſſe. Si qvis vobis evangelizaverit præter id qvod accepiſtis, anathema ſit. vt hinc omnino Galatæ cognoſcant immutabilitatem Euangelii.

Verſ. 10. Modo enim hominibvs svadeo. pro, *confido*, an Deo? Rationem reddit ſuæ authoritati, quâ audet & alios Apoſtolos & Angelos excommunicare. Et interrogatiue ſignificat ſe in hoc confidere non hominibus ſed Deo. Eſt enim ſenſus quia confidentia authoritatis meæ non innititur hominibus ſed Deo. Coniunctio *enim*, monſtrat quòd rationem reddit excommunicationis prolatæ. Et dicit interrogatiue *modò enim*, ad confutandum dicentes quòd ipſe innititur authoritati hominum: modò excommunicans Angelos confidone in hominibus an Deo? Quaſi dicat, apertè videtis quòd non hominibus, ſed Deo confido, excommunicans non ſolùm Apoſtolos, ſed Angelos.

Hominibus non placet Apoſtolus vt diſtinguuntur contra Deum.

An qværo hominibvs placere? Non ſolum alienum eſt à me inniti authoritati humanæ, ſed etiam aliena eſt à me intentio placendi hominibus. Intellige vt homines diſtinguuntur contra Deum: hominibus enim relatiue ad Deum Paulus alibi dicit ſe placere. Et iuxta hanc diſtinctionem ſubiungit, Si. Deficit *enim*, adhvc hominibvs placerem, Chriſti ſervvs non eſſem. Loquitur enim de hominibus è regione Dei & Chriſti locatis. Et dixit quod Chriſti ſeruus non eſſet, qui ſi placeret hominibus è regione ad Chriſtum, diſpliceret Chriſto. Et dixit hoc, vt quicquid humani eſt, alienum explicaret ab Apoſtolatu ſuo, ab euangelizatione ſua. Crediderim quoque addidiſſe hoc ad ſignificandum quòd non vt complaceat gentilibus prædicat libertatem à legalibus, ſed ſolummodo vt quod Chriſti eſt, euangelizet.

Verſ. 11. Notum enim vobis facio fratres Euangelium quod euangelizatum eſt à me.

Coniunctio *enim*, rationem reddit. ſignificat excluſionem humanam tam ab authoritate quam à ſtudio placendi, manifeſtat ſiquidem hoc ex eo quòd Euangelium nec didicit ab homine.

Qvia. pro, *quòd*, non eſt ſecvndvm hominem. Prius declarauerat quòd Apoſtolatus ſuus neque ab hominibus, neque per hominem fuerat, modò declarat idem de Euangelio. Apoſtolatus enim legationem ſignificat, Euangelium autem executionem & doctrinam.

Verſ. 12. Neqve enim ego ab homine accepi illvd neqve didici. Quod dixerat *non eſt ſecundum hominem*, manifeſtat per partes diſtinguendo, quòd *nec accepi nec didici ab homine*. Quod dicit *non didici*, ad intellectum planè ſpectat: vnde & Græcè propriè dicitur *non doctus ſui*. Quod verò dicitur *non accepi*, ad res quæ ſola narratione cognoſcuntur, refertur. Et eſt ſenſus quòd non accepi Euangelium quoad notitiam rerum geſtarum, neque doctus fui quoad notitiam myſteriorum difficilium, ab homine: ita quòd nec geſta Chriſti, nec myſteria fidei habuit ab homine. Et hunc eſſe ſenſum teſtatur ſubiunctum è regione vnicum oppoſitum.

Apoſtolatus legationem ſignificat: Euangelium verò executionem & doctrinam.

Per reuelationem Euangelium didicit Apoſtolus.

Sed per revelationem Iesv Christi. Reuelatio ſiquidem Ieſu Chriſti contraponitur tam ad non accepiſſe quàm ad non didiciſſe ab homine. Ita quòd Chriſtus reuelauit Paulo non ſolum myſteria difficilium rerum fidei, ſed etiam res geſtas ab ipſo Chriſto.

Verſ. 13. Avdiſtis enim conversationem meam aliqvando in Ivdaiſmo. Manifeſtat quòd non ab homine didicit aut accepit Euangelium, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti ex iis quæ ipſe Paulus egit ante conuerſionem ſuam, & in ipſa & poſt ipſam ordinatè: Qvod ſvpra modvm perſeqvebar Eccleſiam Dei. hoc eſt, quod exceſſiue perſequebar Eccleſiam Dei. Et expvgnabam illam. Intellige non quoad ſpiritum, ſed quoad corpus. Non enim expugnauit ſpiritualia Eccleſiæ (imò ipſe vnus fuerat ex illis qui non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur in Stephano) ſed expugnabat Eccleſiam quoad corpora: nec quoad corpora in totum ſed in parte: expugnabam illam partialiter quoad corpora, occiderat enim Stephanum, & tradebat vinctos in carcerem: vt patet Act. octauo.

Paulus Eccleſiæ perſecutor.

Verſ. 14. Et proficiebam in Ivdaiſmo ſvpra mvltos coætaneos meos. Superfluit *meos*. Profectum olim ſuum iu Iudaiſmo narrat ſupra multos coætaneos: tum ad ſignificandum quòd tunc non didicit res geſtas Chriſti: tum ad manifeſtandum quòd vacabat literis antequàm conuerteretur. Inferius enim oppoſitum intimabit de aliis Apoſtolis: vt cognoſcant Galatæ quòd ante conuerſionem non erat minor, ſed maior aliis Apoſtolis: vt vndique deferatur authoritati eius. In genere meo abvndantivs æmvlator exiſtens paternarvm mearvm traditionvm. hoc eſt, inter Iudæos non prædicando gẽtilibus zelator eram eorum documentorum quæ mihi tradita erant a patribus. Prius profectum ſuum in lege & prophetis (quibus tulcitur Iudaiſmus) modo zelum ſuum circa documenta Phariſaica commemorat: fuerat enim, vt ipſe alibi dicit, Phariſæus: quorum ſecta tunc valde æſtimabatur.

Zelus Pauli circa doctrinam Phariſaicam, ante conuerſionem ſuam.

Verſ. 15. Cvm avtem placvit ei. pro *Deo*. Manifeſtauerat quòd ante conuerſionem non didicerat Euangelium Chriſti ſed Iudaiſmum: modò manifeſtat à quo didicit in conuerſione. Qvi me ſegregavit ex vtero matris meæ. Eundem Deum eſſe deſcribit à quo vocatus eſt qui eſt auctor naturæ. Hanc enim identitatem ſignificat ex naturali opere natiuitatis ſuæ ex vtero matris, attribuens opus illud Deo: quia verè eſt Dei vt auctoris naturæ. Et vocavit per gratiam ſvam. Vocationem internam ſignificat non ex meritis, ſed gratuito habitam.

Verſ. 16. Vt revelaret filivm ſvvm in me. Internam reuelationem, internum diſcere deſcribit dicendo, *in me*: more prophetarum multorum qui ſic locuti ſunt deſcribendo internas reuelationes. Vbi & aduerte eundem Deum auctorem naturæ vocantem ſe Paulum, & patrem Ieſu Chriſti appellare. Vt evangelizarem illvm in Gentibvs. Non ſolùm explicat à quo & quomodo didicit, ſed quorſum, ad euangelizandum filium Dei in Gentibus. Ad differentiam Iudæorum dixit *in gentibus*: quoniam præcipua Pauli legatio præcipuumque ſtudium eius fuit ad euangelizandum in gentibus. Continvo non acqvievi. pro, *contuli*, carni et ſangvini. Subiungit tertium ſcilicet quòd poſt conuerſionem à nul-

lo homine didicit. Et propterea explicat quid ſtatim poſt conuerſionem egerit, duabus negationibus & vnâ affirmatione. Prima negatio eſt *non contuli carni nec ſanguini*: hoc eſt, non contuli reuelata mihi cum Iudæis coniunctis mihi carne & ſanguine, non conſului ſanguineos quid mihi agendum eſſet. Altera negatio eſt:

Verſ. 17. NEQVE VENI. pro, *redij* HIEROSOLYMAM AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS. pro, *ad eos qui ante me fuerunt Apoſtoli*. Si obiicis quòd Act. nono ſcribitur Paulum poſt conuerſionem veniſſe in Hieruſalem: ſcito quòd ea quæ refert ibi Lucas fuerunt poſt reditum Pauli de Arabia: tacet ſiquidem Lucas peregrinationem Pauli in Arabia, quam Paulus hîc explicat. Ita quod hiſtoriæ ordo ex integro geſta ſupputando hinc accipiendus eſt. SED ABII IN ARABIAM. Ecce affirmatio, ad ſignificandum quòd illuc iuit: vbi non erat locus diſcendi Euangelium Chriſti ab homine. Tacet autem hîc Paulus prædicationem ſuam in Arabia. ET ITERVM REVERSVS SVM DAMASCVM. Et ibi (vt Lucas dicit) multis diebus prædicabat, & confundebat Iudæos vſqueadeo vt per murum in ſporta demiſſus ſit.

An non redierit Paulus Ieroſolymam.

Verſ. 18. DEINDE POST ANNOS TRES. A conuerſione ſupputandi ſunt anni. VENI. pro, *redij*, HIEROSOLYMAM VIDERE PETRVM. Non redij Hieroſolymam ad diſcendum, ſed ad viſendum Petrum. Et tunc geſta ſunt quæ Lucas narrat Hieroſolymis. ET MANSI APVD EVM DIEBVS QVINDECIM. vt ipſa breuitas temporis monſtret quòd non didicit: Imò (vt Lucas refert) loquebatur & diſputabat ibidem cum Græcis. Et illi quærebant eum occidere, propter quod tam paruo tempore ibidem fuit: ne ſcilicet turbaretur Eccleſia, in partibus illis pacificè agens, vt Lucas expreſſe narrat.

Manſit D. Paulus apud D. Petrum diebus quindecim.

Verſ. 19. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem niſi Iacobum fratrem Domini. Intellige quòd illâ vice, illis quindecim diebus nullum alium Apoſtolorum vidit: aliâ ſiquidem vice poſt annos quatuordecim vidit etiam Ioannem, vt ipſe ſubiunget.

Cur autem Iacobus Alphei *frater Domini* appelletur, tot diuerſi dicuntur vt nihil certi habeatur: niſi quòd conſanguineus erat Domini Ieſu. Dicitur nihilominus frater Domini ad differentiam Iacobi fratris Ioannis. Et fortè nulla magis quadrare videtur ratio: quàm quòd filius fuerit Ioſeph ex alia vxore.

Cur Iacobus dicatur frater Domini?

Verſ. 20. QVÆ AVTEM SCRIBO VOBIS, ECCE, CORAM DEO QVIA. pro, *quod*, NON MENTIOR. Deum in teſtem inuocat, quòd vera ſunt quæ ſcribit, propterea quòd pſeudoapoſtoli hoc præcipuè imponebant Paulo quòd erat diſcipulus Apoſtolorum.

Verſ. 21. DEINDE VENI IN PARTES. pro, *regiones*, SYRIÆ ET CILICIÆ. Lucas ſub aliis verbis dicit quòd deduxerunt Paulum Cæſaream & dimiſerunt Tarſum, proculdubio Ciliciæ.

Verſ. 22. ERAM AVTEM IGNOTVS FACIE ECCLESIIS IVDÆÆ QVÆ ERANT IN CHRISTO. Hoc eſt, conuentibus Chriſtianorum. Narrat quòd in via egrediens ab Hieruſalem per Iudæam nec etiam erat cognitus: vt intelligamus quòd nullibi didicit.

Verſ. 23. TANTVM AVTEM AVDITVM HABEBANT. hoc eſt, auditione perceperant. QVONIAM pro, *quod*, qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat. Intellige expugnare nitebatur. Expugnabat affectu non effectu, niſi quoad corpora credentium: vt ſuperius declarauimus.

ET IN ME CLARIFICABANT. pro, *glorificabant*, DEVM. Verſ. 24.

CAPVT II.

DEINDE POST ANNOS QVATVORDECIM. A conuerſione Pauli ſupputa quatuordecim annos. ITERVM ASCENDI HIEROSOLYMAM CVM BARNABA, ASSVMPTO ET TITO. Narrat ita ſingulariter vt hiſtoria credatur. Et cum plures habuerit ſocios in hoc itinere, horum tantum duorum meminit, quia hi tantùm ſpectant ad ea quæ ſubiuncturus eſt. Verſ. 1.

Poſt annos 14. hoc eſt à ſua conuerſione.

ASCENDI AVTEM SECVNDVM REVELATIONEM. Declarat Paulus quòd aſcenſus iſte principaliter fuit ex reuelatione Spiritus ſancti: vt intelligamus quòd non fuit principaliter ex decreto Eccleſiæ Antiochenſis. Narrat ſiquidem Lucas Act. decimoquinto, quòd factâ ſeditione non minimâ in Antiochia de circumciſione Gentilium, ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus & Barnabas ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione: verùm Paulus diuinâ reuelatione motus, aſcendit tunc in Hieruſalem ad conferendum Euangelium ſuum cum Apoſtolis, vt intelligamus quòd aſcenſus ille ad conferendum, fuit ex diuina reuelatione: ad tutandam autem libertatem Gentilium, fuit ex decreto Eccleſiæ Antiochenæ. Verſ. 2.

Aſcenſus hic fuit partim ex diuina reuelatione, partim ex decreto Eccleſiæ Antiochenæ.

ET CONTVLI CVM ILLIS EVANGELIVM QVOD PRÆDICO IN GENTIBVS. Non dicit *& contuli cum illis Euangelium quod prædico*, ſed adiungit *in gentibus*: ad ſignificandum quòd contulit cum illis Euangelicam libertatem ab onere legalium, quam prædicabat in gentibus. Verùm quia non cum omnibus hoc contulit, ſubiungit, SEORSVM AVTEM IIS QVI VIDEBANTVR ALIQVID ESSE. Superſunt *aliquid eſſe*. Explicat modum, ſcilicet ſecretò, & cum quibus contulit: videlicet *cum iis qui videbantur*, hoc eſt, cum iis qui ſpectabantur tanquam præcipui. Cur autem contulerit ſubiungit, NE FORTE. pro *ne aliquo pacto*, IN VACVVM CVRREREM AVT CVCVRRISSEM. hoc eſt, ne aliquo modo fruſtrà laborarem aut laboraſſem prædicando hanc libertatem Gentibus. Non ſunt hæc verba dubitantis an verum euangelizauerit, ſed dubitantis de fructu: an ſcilicet fructuosè euangelizauit, & euangelizaturus eſſet hanc libertatem: de fructu enim apertè loquitur dicendo *ne in vacuum*. Dubitabat ſiquidem impediri fructum libertatis in gentibus ſi alij Apoſtoli non approbaſſent eandem libertatem. Et meritò erat dubitandum, tot Iudæis Chriſtianis reſiſtentibus Paulo & prædicantibus oppoſitum. Ideo itaque reuelatione Spiritus ſancti motus eſt ad conferendum hanc libertatem Euangelicam cum aliis Apoſtolis: vt illis laudantibus hanc libertatem, excluderetur

Vult D. Paulus conferre Euangelium ſuum cum aliis Apoſtolis.

tur

tur timor infructuoſæ(quoad hoc)prædicationis Pauli apud gentes.

Verſ. 3. *Manifeſtat concluſionem Apoſtolorum circa circumciſionem Gentibus.* SED NEQVE TITVS QVI MECVM ERAT. Manifeſtat ex facto concluſionem Apoſtolorum & ſeniorum in Hieruſalem circa circumciſionem Gentilium. Aſcenderat enim Paulus (vt dictum eſt) propter duo, ſcilicet ad conferendum Euangelium, & ad tutandum libertatem gentium a circumciſione. Et propterea ex facto circa Titum manifeſtat libertatem gentium probatam ab Apoſtolis, CVM ESSET GENTILIS, genere. COMPVLSVS EST CIRCVMCIDI, ab Apoſtolis & ſenioribus. Tunc ſiquidem facta eſt illa definitio de libertate Gentilium à legalibus quæ ſcripta eſt Act. 15.

Verſ. 4. SED PROPTER SVBINTRODVCTOS FALSOS FRATRES QVI SVBINTROIERVNT EXPLORARE LIBERTATEM NOSTRAM QVAM HABEMVS IN CHRISTO IESV, VT NOS IN SERVITVTEM REDIGERENT. Dictio aduerſatiua *ſed*, quadam ſequela ſtyli annexa eſt poſt primum, *ſed neque Titus*. Verùm aliò refertur: nam refertur ad reddendam rationem eius quod dixerat, *ſeorſum autem iis qui videbantur*. Ita quòd quemadmodum definitionem Apoſtolicam manifeſtauit dicendo, *ſed neque Titus*, ita rationem ſecretò conferendi cum primatibus refert di- *Quinam hi falſi fratres.* cendo, *ſed propter ſubintroductos*. Ac ſi apertius dixiſſet, non ob pudorem, non quòd alios ſpernerem ſecretò contuli cum primatibus: ſed ad euitandum ſubintroductos falſos fratres Chriſtianos ex Iudæis conuerſos ad baptiſmum, eo quòd legalia velut neceſſaria putabant ſeruanda *falſos fratres* appellat: vtpote non verè Chriſtianos. Hæc ſiquidem fuit vera ratio quare non in publica ſynodo Paulus contulit Euangelium, quod prædicabat in Gentibus.

Verſ. 5. QVIBVS NEC AD HORAM CESSIMVS SVBIECTIONI. In illa ſynodo (vt refert Lucas Act. 15.) multi Chriſtiani de ſecta Phariſæorum dicebant quod oportet circumcidi Gentiles, & ſeruari legem Moyſi, inquit Paulus, quòd non ſolum abſolutè, ſed nec ad horam ceſſimus ſubiectioni: hoc eſt, vt ſubiicerentur gentes legi Moyſi, & circumciſioni. Et ſignificanter addidit *ſubiectioni*, ad differentiam ceſſionis, quam in propriis factis fecit: ſeruando in propria perſona legalia: hoc enim non erat cedere ſubiectioni gentium, neque etiam Iudæorum: ſed erat cedere conſuetudini Iudæorum. VT VERITAS EVANGELII PERMANEAT APVD VOS. Gentiles. Si enim ſubiectioni ceſſiſſemus quantumcunque parum, veritas Euangelicæ libertatis periclitaretur apud vos Gentiles.

Verſ. 6. AB IIS AVTEM QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID. Proſequitur Paulus effectum collationis. Interpoſuerat ſiquidem effectum Synodi in Tito rationi quare ſecretò contulerat: modò autem proſequitur effectum collationis, interſerens tamen quales olim fuerant illi primates cum quibus contulerat. Et quos ſuperiùs dixit abſolute *qui videbantur*, modò dicit *qui videbantur eſſe aliquid*: hoc eſt, qui ſpectabantur tanquam in pretio habiti.

Statum præteritum Apoſtolorum non vult conſiderare D. Paulus. QVALES ALIQVANDO FVERINT: hoc eſt, quàm alteri aliquando fuerint a ſeipſis qui modò videbantur eſſe aliquid: fuerant enim idiotæ, piſcatores, & in nullo habiti pretio. Quo contra de ſeipſo ſuperiùs dixerat quòd proficiebat in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos, &c, ad magnificandam ſiquidem authoritatem ſuam interſerit hæc Paulus. NIHIL MEA INTEREST, conſiderare ſcilicet iſtam differentiam. Ac ſi apertiùs dixiſſet: contuli cum illis Euangelium, non conſiderando quales aliquando fuerint, ſed quales effecti ſunt per gratiam Dei. Vnde & ſubiungit rationem quare nihil ſua intereſt conſiderare ſtatum præteritum Apoſtolorum.

DEVS ENIM PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT. *Ad merita reſpicit Deus non ad perſonas.* Deus ad merita reſpicit, non ad perſonas gratiâ ſuâ metitur, non qualitatibus perſonarum. MIHI ENIM QVI VIDEBANTVR ESSE ALIQVID. Superfluit *eſſe aliquid*. Explicat fructum collationis. NIHIL CONTVLERVNT: nihil appoſuerunt, nihil tradiderunt notitiæ: ad hoc enim hæc omnia refert vt monſtret quòd nihil ab eis didicit.

SED E CONTRA CVM VIDISSENT QVOD CREDITVM EST MIHI EVANGELIVM PRÆPVTII: hoc eſt inter Gentiles. Verſ. 7. Non ſufficit Paulo manifeſtare negatiuum fructum collationis (quòd ſcilicet nihil ſibi contulerint) ſed adiungit fructum affirmatiuum ſcilicet ſocietatis. SICVT ET PETRO CIRCVMCISIONIS: hoc eſt, Iudæorum. Diſcurrebat ſiquidem Petrus per regionem Iudæorum euangelizans Iudæis, Paulus autem ad euangelizandum gentibus profectus erat.

QVI ENIM OPERATVS EST PETRO IN APOSTOLATVM CIRCVMCISIONIS, OPERATVS EST, Verſ. 8. ET MIHI INTER GENTES, pro *in gentes*. *Petrus Iudæis, Paulus Gẽtibus euãgelizabat.* Per hanc parentheſim effectum manifeſtat in quo viderunt quòd Paulo creditum eſt Euangelium præputij ſicut & Petro circumciſionis. Fuit autem effectus iſte quòd illemet Deus qui operatus eſt (hoc eſt, qui exercuit vim ſuæ efficaciæ) per Petrum in Apoſtolatu inter circumciſos, idem operatus eſt, exercuit vim ſuam per me inter gentes. Videbant enim fructum conuerſionis Iudæorum per Petrum, & fructum conuerſionis Gentilium per Paulum: videbant Deum conferre dona Spiritus ſancti (puta donum linguarum) per Petrum inter circumciſos, & per Paulum inter gentes: videbant miracula per Petrum fieri inter circumciſos, per Paulum inter gentes. In his enim effectibus videbant Deum operari, hoc eſt, exercere vim operis ſui, per Petrum quidem inter circumciſos, per Paulum autem inter gentes.

Et intellige hanc differentiam penès multitudinem: hoc eſt, ille in multitudine circumciſorum, ille in multitudine gentium. Quod ideo oportet intelligere, ne præcidamus à Petro Gentiles, & à Paulo Iudæos: ſed quod multitudinis erat intelligamus ſignificari.

ET CVM COGNOVISSENT GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI. Verſ. 9. Dixerat cum vidiſſent: proſequitur, & cùm cognouiſſent gratiam Apoſtolatus quæ data eſt mihi à Chriſto, IACOBVS ET CEPHAS ET IOANNES, Euangeliſta.

Hinc clarè habes, prudens Lector, quòd *D. Petrus ſexto, aut forte ſeptimo Claudij Cæſaris anno erat Hieroſolymis.* Petrus ſexto, aut fortè ſeptimo anno Claudij Cæſaris erat Hieroſolymis. Nam quartuſdecimus annus à conuerſione Pauli, ſextus ſaltem, ſeu ſeptimus annus imperij Claudij fuit: nam Tiberio (qui annis vigintiduobus cum dimidio imperauerat) ſucceſſit Caius imperans annis tribus & menſibus octo, cui ſucceſſit Claudius, decimooctauo autem, vel decimono

decimonono anno Imperij Tiberij Paulus conuerſus eſt, cùm prædicationem Ioannis Baptiſtæ cōſtet anno quintodecimo Imperij Tiberij incepiſſe. QVI VIDEBANTVR COLVMNÆ ESSE: hoc eſt, qui ſpectabantur tanquam columnæ ſuſtentantes Eccleſiam Chriſti. DEXTRAS DEDERVNT MIHI, ET BARNABÆ SOCIETATIS. Ecce fructus collationis, non ſumus effecti diſcipuli, ſed ſocij præcipuorum Apoſtolorum. VT NOS, itemus prædicatum. IN GENTES, IPSI AVTEM IN CIRCVMCISIONEM: hoc eſt, in Iudæos.

Verſ. 10. TANTVM VT PAVPERVM MEMORES ESSEMVS. Hoc charitatis officium ſocialiter initum eſt, vt pro pauperibus qui erant Hieroſolymis procurarent eleemoſynas à Gentilibus. QVOD ETIAM SOLICITVS, pro *diligens*, FVI HOC IPSVM FACERE. Hanc Pauli diligentiam habes in vtraque epiſtola ad Corinthios.

Verſ. 11. CVM AVTEM VENISSET CEPHAS, pro *Petrus*. ANTIOCHIAM. Non ſufficit Paulo monſtraſſe ſe æqualem aliis Apoſtolis primis, ſed mōſtrat ſe quoque exhibuiſſe maiorem in actione ſummo Apoſtolorum vertice Petro. IN FACIEM, pro *in facie*, EI RESTITI: QVIA REPREHENSIBILIS, pro *reprehenſus*, ERAT. Hanc rem geſtam ſummariè Paulus proponit: & deinde per partes explicat. Duo propoſuit, & quòd Antiochiæ in facie reſtitit Petro, & quòd reprehenſus erat Petrus. Et ab hoc ſecundo inchoat dicēdo,

Petro in facie reſtitit Paulus Antiochiæ.

Verſ. 12. PRIVSQVAM ENIM VENIRENT QVIDAM A IACOBO. Hieroſolymitanam Eccleſiam gubernante: CVM GENTIBVS EDEBAT: quod Iudæis nefas erat. CVM AVTEM VENISSENT illi à Iacobo, SVBTRAHEBAT ET SEGREGABAT SE Petrus ab vſu cum Gentilibus. TIMENS EOS QVI EX CIRCVMCISIONE ERANT. Fuerat enim aliàs Petrus reprehenſus à Iudæis de hoc quòd cum Gentilibus (Cornelio ſcilicet centurione & ſuis) manducaſſet.

Simulatio D. Petri.

Verſ. 13. ET SIMVLATIONI EIVS CONSENSERVNT, pro *& vna cum illo ſimulauerunt*, ET CÆTERI IVDÆI: qui erant Antiochiæ Chriſtiani. ITA VT ET BARNABAS. Vide quantum progrediebatur hoc malum. DVCERETVR AB ILLIS IN ILLAM SIMVLATIONEM, pro *pariter abduceretur in illorum ſimulationem*. Appellat Paulus hanc Petri & ſequacium ſubductionem à comedendo cum Gentilibus, ſimulationem referendo ad obſeruationem legis: quoniam hoc in veritate non faciebant vt obſeruarent legem: ſed erat ſimulata obſeruatio legis.

Verſ. 14. SED CVM VIDISSEM QVÒD NON RECTE AMBVLARENT AD VERITATEM EVANGELII. Nota modum loquendi, *ſed cùm vidiſſem*: inſinuantis ſiquidem eſt quòd aliquantulum tolerauit Paulus (puta per triduum) ſed cùm vidiſſem quòd hæc non erat recta via ad veritatem Euangelij. Hinc enim intelligo Petrum reprehenſum. Gentiles ſiquidem hanc nouitatem videntes reprehendebant (non tamen coram) quod Petrus faciebat: & ideò Paulus proponens hanc hiſtoriam dixit, *quia reprehenſus erat*, ſcilicet a Gentilibus ægre ferentibus hanc nouitatem. DIXI CEPHÆ, pro *Petro*: CORAM OMNIBVS. Declaratà illa particulà, *quia reprehenſus erat*, declarat aliam, ſcilicet *in facie ei reſtiti*: quod enim dixerat *in facie*, modò dicit, *coram omnibus*: SI TV CVM IVDÆVS SIS, GENTILITER VIVIS ET NON IVDAICE, QVOMODO GENTES COGIS IVDAIZARE? Cogis, inquit

Reprehendit Petrum Paulus.

exemplo facti tui: facta enim ſuperiorum non tam inuitant quàm cogunt ſubditos ad imitationem.

NOS NATVRA IVDÆI. Dixerat quòd non rectè ambulabant ad veritatem Euāgelij: & propterea declarat quòd hæc vergebant in detrimentum veritatis Euangelicæ. Et ſunt hæc verba Pauli ad Petrum, longam habentia conſtructionem. Nos, inquit naturà Iudæi, hoc eſt, nati obſeruatores legis. Non dicit, nos naturà iuſti, ſed Iudæi ſub legis diuinæ regula nati. ET NON EX GENTIBVS PECCATORES: hoc eſt, & non ex parentibus Gentilibus nati peccatores, id eſt, ſine legis diuinæ regula viuentes. Ex hoc enim quòd ex Gentibus homines naſcebantur, habebant quòd ſine diuinæ legis regula viuerent peccatores: hoc enim è regione reſpondet ad *nos natura Iudæi*. Verſ. 15.

SCIENTES AVTEM. Superfluit *autem*. QVÒD NON IVSTIFICATVR HOMO EX OPERIBVS LEGIS, NISI PER FIDEM IESV CHRISTI. Duas conditiones ipſorum Apoſtolorum præmittit. Alteram tanquam ex naturali origine à patribus Dei cultoribus: *nos natura Iudæi non ex gentibus peccatores*. Alteram ſcientiæ interior, quòd non ex operibus legis, ſed per fidem Chriſti iuſtificatur homo. Et tunc ſubiungitur tertia conditio, quæ eſt executionis ſcientiæ. ET NOS IN CHRISTVM IESVM CREDIMVS, pro *credidimus*, VT IVSTIFICEMVR EX FIDE CHRISTI, ET NON EX OPERIBVS LEGIS. Credere enim in Chriſtum ad conſequendam iuſtificationem, eſt exequi quod ſcimus de iuſtificatione conſequenda mediante fide Chriſti. Et ad maiorem explicationem idem quod ſuperiùs dixit ſcitum, modò ſubiungendo repetit vt rationem intentionis. PROPTER, pro *propterea*, QVOD EX OPERIBVS LEGIS NON IVSTIFICABITVR OMNIS CARO. Vt dictum eſt, quod erat ſcitum, modò explicatur intentum, imò vt ratio intentionis. Et dicit *omnis caro*, ad comprehendendum tam Iudæos, quam Gentiles: caro enim pro homine ponitur. Verſ. 16.

Tres Apoſtolorum conditiones præmittit.

Caro pro homine.

QVÒD SI QVÆRENTES IVSTIFICARI IN CHRISTO. Poſt tres conditiones ipſorum Apoſtolorum, argumentum intentum format Paulus aduerſus ſimulationem Petri, *quòd ſi nos quærentes iuſtificari in Chriſto*, INVENTI SVMVS, ET IPSI PECCATORES: deſerendo legem, non ſeruando legem. Nota *& ipſi*: quoniam refertur ad id quod dixerat, *& non ex gentibus peccatores*. Significat enim quòd ſi nos quoque in Chriſto deſerentes obſeruationem legis inuenti ſumus peccatores, quemadmodum nati ex gentibus inuenti ſunt peccatores: vtpote ſine obſeruatione diuinæ legis. Factum ſiquidem Petri & ſequacium quantùm ex propria natura facti eſt, ſignificat Iudæos in Chriſto peccatores: quoniam ſignificat libertatem Euangelicam eſſe peccatum: quoniam ſignificat non ſeruare legalia eſſe materiam timoris coram viris iuſtis qui venerant a Iacobo. Verſ. 17.

NVNQVID CHRISTVS PECCATI MINISTER EST? Cum debuiſſet inferre, ergo Chriſtus peccati miniſter eſt, reuerentiùs loquens interrogatiue exaggerauit, nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Et verè Chriſtus peccati miniſter fuiſſet, ſi Iudæos conuerſos non obſeruare legem peccatum eſſet: quoniam fuiſſet miniſter libertatis peccandi. ABSIT. Horrentis eſt,

Verſ. 18. SI ENIM QVÆ DESTRVXI, ITERVM HÆC REÆDIFICO, pro *edifico*, PRÆVARICATOREM ME CONSTITVO. Crediderim ego ab hoc loco verba Pauli ad Galatas eſſe declaratiua eorum quæ dixerat Petro. In cuius ſignum hactenus locutus eſt pluraliter, modò incipit loqui ſingulariter. In primis ſiquidem declarat illam particulam, *inuenti ſumus, & ipſi peccatores*, ex eo quòd ſi legalia quæ credendo in Chriſtum deſtruxi, iterum ædifico, ſeruando illa, præuaricatorem me conſtituo credendo in Chriſtum, meipſum definio facto reædificationis præuaricatorem credendo in Chriſtum.

Ab hinc verba Pauli ſũt declaratiua eorũ quæ dixerat Petro.

Verſ. 19. EGO ENIM PER LEGEM LEGI MORTVVS SVM. Priùs declarauit quâ ratione illa particula, *inuenti ſumus, & ipſi peccatores*, ſequitur ex reditu ipſorum ad legalia: modò manifeſtat quòd ſecundùm veritatem non inueniuntur peccatores Iudæi deſerentes legalia in fide Chriſti: ex hoc enim quòd ipſius legis veteris authoritate ego Iudæus credens in Chriſtum mortuus ſum ipſi legi veteri, non debeo amplius viuere ſecundùm cærimonias legis veteris. Nec oportet afferre loca legis in quibus hoc ſancitum eſt, quoniam vniuerſa de Meſſia prophetata huc tendunt. VT DEO VIVAM, CHRISTO CONFIXVS SVM CRVCI, pro *Chriſto concrucifixus ſum*. Manifeſtat poſtremò quod dixerat, *non ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti iuſtificari homines*: manifeſtando vitam animæ per mortem Chriſti, mediante fide iuſtificante prouenire. Vnde & duo extrema proponit. Alterum tanquam vltimum fructum, *vt Deo viuam*. Alterum tanquam principium, *Chriſto concrucifixus ſum*, imò tanquam & principium & meritum. In eo enim quod dicit *Chriſto*, principium, in eo verò quod dicit *concrucifixus ſum*, meritum ſignificat. Concrucifixum intellige fide per dilectionem operante: hoc eſt fide, affectu ac factis imitantibus Chriſtum crucifixum.

Verſ. 20. VIVO AVTEM IAM NON EGO, VIVIT VERÒ IN ME CHRISTVS. Explicat illam particulam, *vt Deo viuam*. Explicat autem tanquam corrigens quod dixerat in prima perſona *viuam*, dicendo quòd *iam non ego viuo, ſed viuit in me Chriſtus*: hoc eſt, actiones vitales meæ (intelligere, cogitare, amare, delectari, triſtari, cupere, operari) iam non ſunt meæ, iam non procedunt à me: ſed ſunt Chriſti in me, ſed procedunt à Chriſto in me. Qui enim Chriſto concrucifixus eſt, pro ratione omnium ſuarum actionum habet Chriſtum: & ita Chriſtus in eo regit, diſponit, ac vtitur omnibus internis & externis actionibus, vt Chriſtus in eo viuere merito dicatur.

Viuit Chriſtus in Paulo: quomodo?

QVÒD AVTEM NVNC VIVO IN CARNE. Explicat alteram particulam, *Chriſto concrucifixus ſum*. Et per viuere in carne, intellige viuere viatorum in carne mortali. IN FIDE VIVO FILII DEI QVI DILEXIT ME, interno amore. ET TRADIDIT, externâ oblatione in ara crucis. SEIPSVM PRO ME. In textu Græco articulus præponitur dictioni *fide*, ad ſignificandum ſpecialem articulum fidei de morte filij Dei. Eſt enim ſenſus: viuo in ea fide quæ eſt filij Dei, qui dilexit, &c. Intendit enim & ſignificat quòd vita animæ eſt ex fide articuli mortis Chriſti. Quem penes tria ad propoſitum deſcribit. Primò ſecundùm diuinitatem, dicendo *filij Dei*, & in hoc tangit vim efficaciæ vitalis mortis Chriſti: hoc eſt, efficaciæ ad conferendum vitam nobis. Deinde ſecundùm internam charitatem Chriſti, dicendo *qui dilexit me*. Et demùm ſecundùm externam oblationem ſuiipſius in ara crucis, dicendo, *& tradidit ſemetipſum pro me*. Ex his enim tribus integratur articulus fidei mortis Chriſti pro ſalute humani generis.

Fides mortis Chriſti tria continet.

NON ABIICIO, pro *reiicio*, GRATIAM DEI, vitam mihi ſic conferentem ſine meis meritis, ſine operibus meis: hoc enim ſignificat dicendo *gratiam*: gratia enim non eſſet gratia ſi ex noſtris operibus, ſeu meritis eſſet. Et dicit *reiicio*, ego Chriſtianus qui iam ſuſcepi gratiam hanc Dei. Et ſubiunxit hoc non adiectitie, ſed tanquam intentam concluſionem: huc enim tendunt omnia dicta, ſcilicet quòd ex fide mortis Chriſti iuſtificamur & viuimus, ac per hoc qui ex operibus legis (ſiue iudicialibus, ſiue moralibus, ſiue cærimonialibus) docent iuſtificari homines, reiiciunt gratiam Dei per mortem Chriſti collatam: hi enim ex meritis, ac per hoc non ex gratia mortis Chriſti iuſtificari quærunt. Vnde & apertiùs hoc manifeſtando ſubiungit: Verſ. 21.

SI ENIM PER LEGEM IVSTITIA: hoc eſt, ſi per obſeruationem legis tam in moralibus, quàm in iudicialibus, quam in cærimonialibus iuſtitia hominis quâ iuſtificamur, quâ remittuntur peccata, eſſet. ERGO GRATIS, pro *fruſtra*, CHRISTVS MORTVVS EST. Et patet ſequela: quia iam haberetur iuſtificatio remiſſiua peccatorũ ſine morte Chriſti. Ex quibus manifeſtè deduxit Paulus quod Petro dixerat non iuſtificari aliquem per opera legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti declarando per fidem Ieſu Chriſti mortui pro nobis. Vbi Paulus non ſolùm declarauit dicta ad Petrum, ſed monſtrauit Galatis quod ſubeundo ſeruitutem legalium, reiiciunt gratiam Dei collatam per mortem Chriſti quam acceperunt.

Si per opera legis homo iuſtificari potuiſſet, fruſtrà Chriſtus mortuus eſſet.

CAPVT III.

INSENSATI, pro *ſtulti*, GALATÆ. Tractat hic illam particulam, *miror quod tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Chriſti*: longo ſermone tractans gratiam Chriſti etiam ex lege, & qualis ſit, inchoans à vera ratione admirãdi, eo quòd velut faſcinati deuiant. Non autem iniuriando, ſed manifeſtando correctionis gratia proprium Galatarũ defectum vocat eos ſtultos: hoc eſt imprudentes, tum quia naturaliter Galatæ imprudentes dicuntur: tum præcipuè quia hic defectus eſt ad propoſitum, de quo agitur. Verſ. 1.

Non iniuriãdo, ſed correctionis gratiã Galatas vocat ſtultos.

QVIS VOS FASCINAVIT, hoc eſt, ad ſimilitudinem ludificantis ſenſus, fecit vobis apparere contrarium eius quod eſt. NON OBEDIRE VERITATI. Ecce ad quid vos faſcinauit, ad non obtemperandum veritati. Intẽdit enim quis vobis fecit apparere fidem Chriſti non ſufficere ad ſalutem (quod eſt contrariũ veritati) ſed oportere ſeruare legalia: quod non eſt obtemperare veritati, ſed apparentiæ. ANTE QVORVM OCVLOS, pro *quibus ante oculos*. IESVS CHRISTVS PROSCRIPTVS, pro *praeſcriptus* EST, ET IN VOBIS CRVCIFIXVS. Superfluit &. Declarat alienam ab omni ratione eſſe huiuſmodi

faſcinationem, ex eo quod Galatis ante eorum oculos prius ſcriptus eſt Ieſus Christus, in ipſis Galatis crucifixus. Metaphoricus eſt ſermo: & metaphora quidem tendit ad hoc quod ludificari in iis quæ ſolum apparuerunt viſui tolerabile eſt, ſed ludificari in iis quæ vidimus non prius ſcripta, ſed ſcribi, intolerabile eſt: nihil enim certius viſu diſcernitur quàm quod oculis videmus ſcribi: nam & mora & dearticulatio ſingulorum characterum plus certificat viſum quàm ſimpliciter videre rem aliquam, ſeu ſcriptum aut pictum aliquid. Et propter hoc dicit *quibus ante oculos præ*: id eſt, prius, cùm eſſetis integri Chriſtiani, *ſcriptus eſt*: ſignificatur enim quòd ipſa ſcriptio fuit ante oculos. Senſus autem intentus per hanc metaphoram eſt, quòd prius Ieſus Chriſtus eſt ſcriptus, hoc eſt per ſingula certificatus, vobis ante mentis oculos. Quod quomodo fuerit, inferiùs ſubiunget: nec qualitercunque eſt ante veſtræ mentis oculos Ieſus Chriſtus per ſingula certificatus vobis, ſed crucifixus in vobis: hoc eſt multa patiens in vobis: hoc eſt, multis malis perpeſſis a vobis pro Chriſto: *Venio iterum Romam*, dixit Chriſtus ad Petrum, *iterum crucifigi*: ſignificans quòd crucifigendus erat in Petro. Iuxta hunc enim ſenſum Chriſtus crucifixus in Galatis dicitur, eo quod Galatæ cruciati ſunt propter Chriſtum. Ac ſi apertiùs dixiſſet: quis vos faſcinauit poſt viſum Chriſtum in vobis, & poſt tactum eundem crucifixum in vobis: quaſi diceret poſt viſum & tactum.

Quomodo Chriſtus crucifixus in Galatis?

Verſ. 2. Hoc SOLVM A VOBIS VOLO DISCERE. Explicat ſingula propoſita: incipiens ab illa particula *prius ſcriptus eſt*, confutando eos. EX OPERIBVS LEGIS SPIRITVM ACCEPISTIS, AN EX AVDITV FIDEI? Acceperant Galatæ ſpiritum ſanctum in dono linguarum, ſeu prophetiæ, & miraculorum. Et ex hoc conuincit eos Paulus: quoniam legalia ignota erant Galatis, & audientes fidem Chriſti, imò obedientes fidei Chriſti acceperant Spiritum ſanctum. In primitiua enim Eccleſia per impoſitionem manus Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus ſenſibiles faciens effectus, vt in pluribus locis ſcriptum eſt in Actis Apoſt. & in Epiſtolis Pauli. Et hoc eſt fuiſſe eis ſcriptum Ieſum Chriſtum ante eorum oculos: prius enim per Spiritum ſanctum ſcriptus eſt cum euidentibus ſignis.

Ex Spiritu ſancto acceпто Galatas conuincit Apoſtolus.

Verſ. 3. SIC STVLTI ESTIS. Rationem reddit alterius particulæ *ô ſtulti Galatæ*. VT CVM SPIRITV COEPERITIS. Superfluit *vt*. NVNC CARNE CONSVMMAMINI. Ecce manifeſtæ ſtultitiæ actus, incepiſſe à Spiritu ſancto, & perfici velle in carnalibus. Prudentiæ enim ordo exigeret vt qui incepiſſent in carnalibus cærimoniis, perfectionem quærerent in ſpiritu, vt à carnalibus aſcenderent ad ſpiritualia. Stultitiæ autem eſt, a celſitudine ſpiritus profectam ſalutem velle perficere in carnalibus cærimoniis. In quod Galatæ incurrebant: quoniam Spiritum ſanctum prius acceperant, & modo inducebantur à pſeudoapoſtolis ad perfectionem habendam ſeruando carnales legis cærimonias.

Galatarum ſtultitia.

Verſ. 4. TANTA PASSI ESTIS. Declarat aliam particulam, *in vobis crucifixus*: commemorando quanta paſſi pro Chriſto ſunt. SINE CAVSA, pro, *fruſtrà*. SI TAMEN SINE CAVSA, pro, *fruſtra*. Fruſtrà dicit eos paſſos, pro quanto reiiciunt gratiam libertatis Euangelicæ. Et adiungit *ſi tamen fruſtra*: quia ſperat reducere eos ad viam rectam, & ſic non fruſtrà paſſi fuiſſent. Significatur enim hic quod quæcunque facta bona, & mala perpeſſa à iuſtis ſunt fruſtra, ſi decidunt a gratia, ita quod non redeunt ad illam: non autem ſunt fruſtra ſi redeunt: hoc eſt enim quòd conſueuit dici de meritis, illa reuiuiſcunt quæ mortificata fuerunt. Et dicuntur *fruſtrà*, quia coronâ, quam pro meritis ſibi parauerant, priuantur, eo quod ponunt illi obicem.

Omnia bona opera facta ſunt fruſtrà ab iis qui decidunt a gratia, nec ad eam redeunt.

QVI ERGO TRIBVIT. pro, *ſuppeditabat*, VOBIS SPIRITVM, ET OPERATVR. pro, *operabatur*, VIRTVTES. pro, *potentias*, IN VOBIS: EX OPERIBVS LEGIS, AN EX AVDITV FIDEI? Infert vt cognoſcant ſui faſcinationem. Conferte præterita dona Dei in vobis cum altera cauſarum, ſcilicet legalibus vel fide: & diſcernite an Deus, qui ſubminiſtrabat vobis tum Spiritum ſanctum in donis linguarum ſeu prophetiæ; tum exercebat in vobis virtutes miraculorum, an hoc faciebat ex hoc quod operabamini opera legis, (quæ tunc omnino erant vobis ignota) an ex hoc quod audiſtis obediendo fidei. Verſ. 5.

Aduerte quod Græcæ dictiones ancipites ſunt ad præſens vel præteritum imperfectum: *ſuppeditabat*, *operabatur*, *ſuppeditat*, *operatur*, & propterea interpretes ſequuntur quod eis magis placet. Nobis viſum eſt quadrare contextui & ſententiæ præteritum: quod hæc enim fuerint in præterito, certum eſt: quod autem perſeuerarent apud Galatas, non conſtat.

SICVT SCRIPTVM EST. Superfluit *ſcriptum eſt*. Verſ. 6.
Legendum eſt: *Sicut* ABRAHAM CREDIDIT DEO. Et eſt ſenſus: vere ex fide habuiſtis ſpiritum a Deo, quemadmodum Abraham credidit Deo, imitamini Abraham: vos enim credendo accepiſtis Spiritum ſanctum ſicut Abraham credidit Deo, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM. Similis fructus fidei in vobis eſt fructui fidei in Abraham: nam illi credere imputatum eſt ad iuſtitiam, & vos credendo accepiſtis Spiritum ſanctum iuſtificantem vos.

Ex fide accepérunt Spiritum ſanctum Galatæ, ſicut Abraham.

COGNOSCITE ERGO QVIA. pro, *quòd*, QVI EX Verſ. 7.
FIDE SVNT, HI SVNT FILII ABRAHÆ. Dictio Græca anceps eſt ad *cognoſcite* vel *cognoſcitis*. Et proculdubio præcedentibus quadrat *cognoſcitis*, quamuis etiam quadret *cognoſcite*: ex hoc enim quod vos iuſtificati eſtis credendo quemadmodum Abraham iuſtificatus eſt credendo, optime excitantur *cognoſcite ergo*. Et etiam congrue aſſeritur *cognoſcitis ergo*, hoc eſt habetis vnde cognoſcatis, quod qui ex fide conſtant hi ſunt filij Abrahæ, filij proculdubio imitatione.

PROVIDENS. pro, *præuidens*, AVTEM SCRIPTVRA. hoc eſt auctor ſcripturæ Deus. QVIA pro, *quod*, EX FIDE IVSTIFICAT GENTES DEVS. Non ſolum imitatione, ſed generatione ſpirituali manifeſtat quod Gentiles credentes ſunt filij Abrahæ. Ad hoc enim inducit ſcripturam præuidentem Deum iuſtificaturum gentes ex fide, & ideo prædicentem. PRÆEVANGELIZAVIT. pro, *præeuangelizauit*, quod plus eſt quam prænuntiare. ABRAHÆ. Geneſ. 12. QVIA. pro, *quod*, BENEDICENTVR IN TE OMNES GENTES. non carnali, ſed ſpirituali generatione mediante Verſ. 8.

enim Chriſto filio Abrahæ, omnes fideles ſunt filij Abrahæ geniti ex fide.

Verſ. 9. IGITVR QVI EX FIDE SVNT, BENEDICENTVR, pro *benedicuntur*, CVM FIDELI ABRAHAM. Filij ſimiles patri, credentes ſimiles credenti, benedicuntur in ſcriptura cum fideli (hoc eſt credente) Abraham, cui dictum eſt tunc, *Benedicam tibi: eriſque benedictus.*

Verſ. 10. QVICVMQVE ENIM EX OPERIBVS LEGIS SVNT. Hactenus manifeſtauit quòd ex fide iuſtificati ſunt Galatæ, quemadmodum Abraham, atque ex eadem fide benedicti ſunt cum Abraham: modò manifeſtat alteram partem, quòd non ex operibus legis: propoſuerat enim ex operibus legis, an ex fide.

Quicunque ex operibus legis præciſè ſunt, ſub maledicto ſunt.

Cùm autem dicit, *quicumque enim ex operibus legis ſunt*, hoc eſt, conſtant, intellige formaliter & pure: hoc eſt, quatenus ex operibus legis præciſe conſtant, comprehendendo moralia, iudicialia, & cæremonialia. SVB MALEDICTO, pro *ſub maledictione ſunt*. Et rationem reddit. SCRIPTVM EST ENIM. Deuter. 27. MALEDICTVS OMNIS QVI NON PERMANSERIT, pro *permanet* IN OMNIBVS QVÆ SCRIPTA SVNT IN LIBRO LEGIS VT FACIAT EA. Et occurrit ſtatim quæſtio quo pacto valet textus iſte ad inferendum quod Paulus dixerat omnes qui ex operibus legis conſtant ſub maledictione eſſe: nam textus iſte conſtituit ſub maledictione delinquentes ſolos: Paulus autem affert ad probandum quòd omnes ex operibus legis conſtantes, ſub maledictione ſint. Solutio eſt quòd omnes ex operibus legis conſtantes præciſe, ſunt delinquentes: ac per hoc omnes ſunt ſub maledictione: omnes autem eſſe delinquentes, & ex verbis Petri Apoſtoli,

Act. 15. Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus:* & ex ratione patet: quia ſine gratia impoſſibile eſt vniuerſam legem ſeruare. Et Paulus ſtatim idem manifeſtabit ſubiungendo,

Verſ. 11. QVONIAM, pro *quòd*, AVTEM IN LEGE NEMO IVSTIFICATVR APVD DEVM. Æquipollere cenſet Paulus eſſe ſub maledictione, & non eſſe iuſtificatum apud Deum. Et verè ſic eſt, quantumcumque enim homo iuſtificatus ſit apud homines, ſi non eſt apud Deum iuſtificatus, ſub maledictione eſt Dei: & quoad culpam, & quoad pœnam. Et propterea ad manifeſtandum quòd omnes qui ex operibus legis præciſe conſtant, ſint de numero delinquentium, aſſumit eoſdem non iuſtificari apud Deum. Et hoc dicit manifeſtum eſſe ſubiungendo,

Eſſe ſub maledictione, & non eſſe iuſtificatum apud Deum, æquipollent.

MANIFESTVM EST. Et vnde manifeſtum eſt ſubiungit ex Abacuc cap. 2. QVIA IVSTVS EX FIDE VIVIT, pro *viuet*. Hæc authoritas ex Abacuc 2. diffuſe tractata eſt in Epiſtola ad Roman. Et debet fieri punctum poſt *ex fide*, ad differentiam enim iuſti ex lege dicitur, quod *iuſtus ex fide*, eſt ille de quo verè aſſeritur ſimpliciter & abſolute, *viuet*.

Verſ. 12. LEX AVTEM NON EST EX FIDE, hoc eſt, iuſtitia legis non eſt iuſtitia ex fide, imo è regione conduiduntur fides & lex operum, iuſtitia fidei & iuſtitia operum. SED QVI FECERIT EA. Deeſt *homo*, VIVET IN ILLIS. Hæc ſententia ſumpta eſt ex Leuit. cap. 18. E regione ad id quod dixerat *iuſtus ex fide viuet*, modò dicit *qui fecerit ea*, mandata legis (hoc eſt iuſtus ex operibus legis) *viuet in illis*, in illis operibus, & non ſimpliciter & abſolutè, viuet ſecundùm quid, hoc eſt, vitâ quam merentur iuſta opera, vel vita præſenti, bona enim præſentis vitæ promittebat lex vetus. Iuſtus autem ex fide viuet abſolute, & vita æterna.

CHRISTVS NOS REDEMIT DE MALEDICTO, Verſ. 13.
pro *maledictione*, LEGIS. Monſtrato defectu operum legis ſimul cum ſufficientia fidei, manifeſtat fidem quâ iuſti ſimus, eſſe fidem Chriſti: ad hoc enim ſubiungit modum quo Chriſtus mercatus eſt nos Iudæos de maledictione legis. FACTVS PRO NOBIS MALEDICTVM, pro *maledictio*. Quemadmodum Chriſtus mortuus redemit nos à morte, ita Chriſtus maledictio redemit nos de maledictione. QVIA SCRIPTVM EST, Deuteron. 21. MALEDICTVS OMNIS QVI PENDET IN LIGNO. Sic enim in tranſlatione Septuaginta habetur. Nec refert quoad ſententiam dicere *maledictus*, aut *maledictio*. Et ſimiliter non refert ſubintelligere Deum, *maledictio Dei*, ſeu *maledictus à Deo*, quem Paulus tacuit: non refert, inquam, quoniam ſermo eſt de maledictione pœnæ: & conſtat omnem pœnam eſſe à Deo. Et legendo *maledictus*, ſenſus eſt planus: quia verè ad malum pœnæ & infamiæ dictus (hoc eſt, factus, addictus) eſt à Deo omnis qui pendet in ligno. Legendo verò *maledictio*, propriè ſermo cauſalis eſt: hoc eſt, ex maledictione Dei quicumque pendet in ligno. Nec hæc dedecent Chriſtum, qui & mortem & quæcumque ſunt vituperij, & pœnarum ſuſcepit pro nobis. Poteſt nihilominus ſignificari excellentia nimia maledictionis mali pœnæ, dicendo in abſtracto quod *factus eſt maledictio*: vt intelligamus quod repletus eſt tanta maledictione vt dicatur maledictio. Vere enim ſuſtinuit omne genus maledictionis, & propterea Paulus dixit quod factus eſt maledictio.

Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum.

VT IN GENTIBVS BENEDICTIO ABRAÆ FIE- Verſ. 14.
RET IN CHRISTO IESV. Non ſolum vt nos Iudæos, inquit Paulus, eriperet de maledictione legis factus eſt maledictio, ſed etiam vt inde promiſſa Abrahæ benedictio adimpleretur in Gentibus. VT POLLICITATIONEM, pro, *vt promiſſionem*, SPIRITVS ACCIPIAMVS PER FIDEM. Exponit benedictionem promiſſam Abrahæ, eſſe promiſſionem ſpiritus non terreni principatus, eſſe promiſſionem ſpiritualium non carnalium bonorum. Et hanc eſſe communem Iudæis & Gentilibus ſignificat, dicendo *accipiamus*. Modum autem explicat dicendo *per fidem*: per fidem enim habetur & ſpiritus & multiplicatio ſpiritualium bonorum.

FRATRES SECVNDVM HOMINEM DICO. Quia Verſ. 15.
Galatæ ſeducebantur authoritate legis Moyſi, ideò Paulus multiplicat rationes ad monſtrandam infirmitatem legis, & excellentiam fidei ex contentis in libris Moyſi. Et quoniam attulerat promiſſionem factam Abrahæ, intendit modò ex excellentia illius promiſſionis monſtrare legem finitam eſſe in aduentu Chriſti, & nec etiam Iudæos (quibus ſolis erat data) teneri amplius ad obſeruationem illius. Ita quòd duas differentias inter legem & promiſſionem intendit.

Multiplicat Paulus rationes ad monſtrand[illegible] [illegible] & [illegible] tiam fidei.

tendit. Alteram quoad tempus: quia lex ſinem ad Chriſtum, promiſsio autem incipit impleri in Chriſto: alteram quoad extenſionem: quia lex ſolos Iudæos ligabat, promiſsio autem ad omnes nationes mundi ſe extendit. Inchoat autem hoc, præmittendo quòd humano more loquitur de promiſsione Dei facta Abrahæ tanquam de Teſtamento: vt etiam humana ratione trahat Galatas ad reſipiſcendum.

TAMEN HOMINIS CONFIRMATVM TESTAMENTVM. Ordo literæ eſt, teſtamentum hominis confirmatum tamen. Et aduerſatur *tamen* ad *hominis*. Eſt enim ſenſus, teſtamentum quamuis hominis confirmatum tamen. Homo enim eſt quid caducum & nihilominus tantæ eſt authoritatis quòd authorizatum eius teſtamentum NEMO SPERNIT, pro *reiicit*, AVT SVPERORDINAT. Verè ſecundum humanam rationem, & ſecundùm humanum morem ita fit, quòd authorizatum teſtamentum hominis nullus reiicit adimendo aliquid, aut ſuperordinat addendo aliquid: ſed executioni demandatur prout firmatum eſt. Hinc enim intelligi vult quòd multo magis Teſtamentum Dei adimpleri debet, nullâ demptione, nullâve additione facta. Propterea & ſubdit,

Verſ. 16. ABRAHÆ DICTÆ SVNT PROMISSIONES ET SEMINI EIVS. Geneſ. 15. 17. & 22. expreſſa fit mentio etiam ſeminis: Geneſ. autem 12. implicite fit ſeminis mentio. *Promiſsiones* autem pluraliter dicit propter multitudinem promiſſorum. Et *Abrahæ* quidem tanquam ad quem factus eſt ſermo promiſsionum, & cui promiſſa ſunt: *ſemini* autem eius, tanquam & cui promiſſa ſunt, & in quo adimplenda erant promiſſa. NON DICIT ET SEMINIBVS QVASI IN MVLTIS, SED QVASI IN VNO, ET SEMINI TVO, QVI EST CHRISTVS. Paulus eodem ſpiritu, quo condita eſt Scriptura, interpretatur ex numero ſingulari ſignificari Chriſtum.

Verſ. 17. HOC AVTEM DICO TESTAMENTVM. Pronomen *hoc*, demonſtrat promiſsiones dictas Abrahæ & ſemini eius, has enim humano more loquendo inquit, *dico teſtamentum*. Propoſuerat enim quod hominis teſtamentum firmatum, &c. Et propterea modò proſequendo cœpta de teſtamento dicit, *hoc autem dico teſtamentum*. CONFIRMATVM A DEO. Deſunt duæ dictiones. Legendum eſt, ANTE CONFIRMATVM A DEO IN CHRISTVM. Præpoſitio *ante*, ordinem monſtrat temporis relatiue ad tempus legis, de qua ſubiunget quæ poſt, &c. Explicat ſiquidem quòd hoc teſtamentum fuit prius authoratum non ab homine, ſed à Deo in Chriſtum, vtpote ſemen Abrahæ: vt intelligamus huiuſmodi promiſsiones eſſe velut teſtamentariam diſpoſitionem diuinam de Chriſto, de adimplendis in Chriſto, & per Chriſtum. QVÆ POST QVADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX. Supputatio annorum horum a tempore primæ promiſsionis factæ Abrahæ Geneſ. 12. incipit, & terminatur ad tempus quo data eſt lex in monte Sina. NON IRRITVM FACIT. Accuſatiui caſus eſt quòd præmiſerat, *hoc autem dico teſtamentum ante confirmatum a Deo in Chriſtum*. Et ad illud *hoc* refertur quod modò dicitur, *non irritum facit*. Eſt enim ſenſus, quòd lex poſterior non reddidit irritum teſtamentum prius factum. AD EVACVANDAM PROMISSIONEM. Explicat clarius

A tempore primæ promiſsionis facta Abrahæ ad legem datam in monte Sina fluxerūt anni 430.

quòd lex non irritum reddit teſtamentum ad abrogandam, ad tollendam promiſsionem. Et quòd hoc ſit verum, probat.

NAM SI EX LEGE HÆREDITAS, IAM NON EX PROMISSIONE. Hæreditas ſemini Abrahæ ex promiſsione facta, Abrahæ debebatur. Et propterea Paulus inquit quòd ſi ex lege deberetur hæreditas ſemini Abrahæ, euacuata eſſet promiſsio: quia non ex promiſsione, ſed ex lege deberetur. ABRAHÆ AVTEM PER REPROMISSIONEM, pro *per promiſsionem*, DONAVIT DEVS. Ne putares quòd lex limitaſſet promiſsionem (verbi gratia, definiendo quòd ſi ſeruaretur lex, haberetur hæreditas promiſſa Abrahæ) ad hanc opinionem excludendam dicit quòd Deus dono dedit Abrahæ per promiſsionem: hoc eſt, abſque huiuſmodi limitationibus irreuocabili dono promittendo dedit. Verſ. 18.

QVID IGITVR LEX? Quæſtionem mouet Paulus ex eo quòd lex non eſt data propter hæreditatem Abrahæ promiſſam conſequendam, quorſum ergo data eſt lex? Et reſpondet, PROPTER TRANSGRESSIONEM, pro *tranſgreſſores*, POSITA EST, pro *addita eſt*. Proprium effectum legis deſcribit eſſe propter compeſcendas & puniendas tranſgreſſiones. DONEC VENIRET SEMEN CVI PROMISERAT. Aliam conditionem legis deſcribit: videlicet temporalitatem. Ita quòd non eſt addita propter arcendas & puniendas tranſgreſsiones in perpetuum, ſed ad tempus, donec veniret ſemen cui promiſerat, quod ſemen iam declarauit eſſe Chriſtum. ORDINATA PER ANGELOS. Tertia legis conditio eſt, quòd non per Moyſen, nec per Chriſtum filium Dei, ſed per Angelos (medios inter filium & Moyſen) fuit diſpoſita: iuxta verbum Stephani Actuum ſeptimo: *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum*. Per hanc enim conditionem declarat legem Moyſi præſtare omnibus humanis legibus: quia hæc per Angelos, illæ per homines. Longè autem inferiorem promiſsione factâ Abrahæ, & ſemini eius, quanto inferiores ſunt Angeli Deo qui promiſit Abrahæ. Propterea enim ſuperiùs dixit *confirmatum a Deo*. IN MANV MEDIATORIS. Quarta conditio legis deſcribitur quòd eſt ordinata in manu (hoc eſt, in opere) dimidiatoris. Lex ſiquidem dimidiauit humanum genus, ſegregando à reliquo humano genere ſolos Iſraelitas. Hoc eſt enim opus dimidiatoris. Verſ. 19.

Lex propter tranſgreſſionem.

Variæ legis conditiones.

Act. 7.

Vbi aduerte quòd per vniuerſas & ſingulas conditiones differt lex a teſtamento authorato à Deo in Chriſtum. Illud enim propter hæreditatem, iſta propter tranſgreſsionem: illud ad æternum (de æterna enim hæreditate eſt ſermo) iſta temporalis, donec veniret ſemen cui promiſerat: illud authoratum à Deo, iſta ordinata per Angelos: illud (vt declarabit) conſtitutiuum eſt vnitatis in toto genere humano hæc dimidiatrix eſt humani generis. Et hoc declarando ſubiungit.

MEDIATOR AVTEM VNIVS NON EST: hoc eſt, mediator non eſt factiuus vnius, ſed dimidiando facit multa. Et hoc ad ſenſum patuit quòd lex non fecit vnitatem in genere humano, ſed diſtinctionem. Vnde & in Pſalm. dicitur, *Non fecit taliter omni nationi*. DEVS AVTEM VNVS EST: in teſtamento ſuo: Verſ. 20.

quoniam teſtamentum & promiſſionem ſuam ad vnitatem generis humani effecit.

Verſ. 21. LEX ERGO ADVERSVS PROMISSA DEI? Statim profert Paulus obiectionem apparentem, quæ videtur ſequi ex dictis, & præcipuè ex hoc vltimo, ſcilicet quòd Deus eſt vnus in promiſſione teſtamentali, lex autem eſt dimidiator. Hinc enim videtur ſequi quod lex ſit aduerſus promiſſa Dei. ABSIT. Horrentis eſt

Lex impotens ad viuificandum.

SI ENIM DATA ESSET LEX QVÆ POSSET VIVIFICARE. Orditur quodammodo à capite ad declarandum quòd lex non eſt aduerſus promiſſa Dei, ſed præparans ad promiſſa Dei. Et propterea incipit à radicali conditionē legis, impotentiā ſcilicet viuificandi. Et directè hæc particula reſpicit ad id quod dixerat, *propter tranſgreſſiones poſita eſt*: allegat enim legem impotentem ad viuificandum. Ac ſi apertius dixiſſet: non ex defectu legis, ſed ex naturali impotentia communi omni legi ſcripturæ hoc prouenit. Quod manifeſtat ex effectu ſubiungendo. VERE EX LEGE ESSET IVSTITIA. hominis apud Deum. Conſtat ſiquidem quòd ſi lex poſſet conferre vitam ſimpliciter & abſolutè (quæ eſt vita ſpiritualis animæ) ſine dubio ex lege procederet iuſtificatio hominis a peccatis coram Deo. Hæc enim duo mutuò ſe conſequuntur: ſpiritualis vita animæ, & iuſtitia eiuſdem apud eum.

Verſ. 22. SED CONCLVSIT SCRIPTVRA OMNIA SVB PECCATO. Quod ſuperius dixerat omnes conſtantes ex operibus legis ſub maledictione eſſe, modò dicit concluſiſſe ſcripturam omnia ſub peccato. Eſt enim ſenſus quod ſcriptura, hoc eſt, lex ſcripta, concluſit omnia abſque iuſtificatione, relinquendo omnes ſub peccato. Præcipiendo ſiquidem & non adiuuando claudit omnes ſubditos ſibi ſub peccato: quoniam nullus eſt qui vniuerſa ſeruet.

Radicalis diuerſitas legis à fide.

VT PROMISSIO EX FIDE IESV CHRISTI DARETVR CREDENTIBVS. Ecce radicalis diuerſitas inter opera legis & fidem, inter promiſſionem & legem: quod lex ex impotentia viuificandi & iuſtificandi concludit omnia ſub peccato, ad hoc vt cognita impotentiā legis, cognito peccato remanente cum lege, credant in Chriſtum ad acquirendam ex fide promiſſionem factam Abrahæ. Et in his Paulus non ſolùm excuſat legem, ſed monſtrat eam occaſionaliter ſubſeruire promiſſioni: ac per hoc non eſſe aduerſus promiſſa Dei, ſed ſubſeruientem illis. Quod manifeſtius declarat ſubiungens.

Verſ. 23. PRIVS AVTEM QVAM VENIRET FIDES. Intellige manifeſtè reuelata: manifeſta enim fidei reuelatio, reſeruata eſt tempori Chriſti. SVB LEGE CVSTODIEBAMVR, CONCLVSI IN EAM FIDEM QVÆ REVELANDA ERAT. Ad ſimilitudinem puerorum dicit de Iſraelitis ante aduentum Chriſti, quòd ſub lege cuſtodiebantur, ab aliis nationibus ſeparati: concluſi, ſimul clauſi, velut in occulto concluſi ſub figuris, in eam fidem quæ reuelanda erat: hoc eſt, in fidem manifeſtandam per Meſſiam. Et hoc directè ſpectat ad id quod dixerat *donec veniret ſemen, & in manu mediatoris*.

Iſraelitæ ante aduentum Chriſti ad modum puerorum ſub lege cuſtodiebantur.

Verſ. 24. ITAQVE LEX PÆDAGOGVS NOSTER FVIT CHRISTO. pro, in Chriſtum. Pro quanto lex cuſtodiebat Iſraelitas ſub figuris tanquam concluſos ad fidem in futuro manifeſtandam, pædagogus Iudæorum ad Chriſtum fuit. Officium ſiquidem pædagogi eſt cuſtodire ſeparatim pueros ad futurum prouectæ ætatis. Et propterea iuxta hanc ſimilitudinem dixit legem pædagogi fungi officio vſque ad tempus Chriſti. VT EX FIDE IVSTIFICEMVR. non ex ipſa lege.

Lex pædagogus.

AT VBI VENIT FIDES. manifeſtè reuelata. Verſ. 25.
IAM NON SVMVS SVB PÆDAGOGO. iam exempti ſumus a lege.

OMNES ENIM FILII DEI ESTIS PER FIDEM QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Explicat illam Verſ. 26.
particulam, *in manu mediatoris*: manifeſtando vnitatem totius humani generis per fidem Chriſti, poſtquam manifeſtauit quòd per legem cuſtodiebantur Iudæi tanquam concluſi ſub pædagogo, quod eſt opus dimidiatoris, Omnes, inquit, gentiles filij eſtis Dei per fidem. Ecce manifeſta vnitas, non Iudæorum ſed omnium per fidem Chriſti. Quod probat ſubiungendo:

QVICVNQVE ENIM IN CHRISTO BAPTIZATI Verſ. 27.
ESTIS, CHRISTVM INDVISTIS. Chriſti conditionem ſuſcepiſtis, tanquam indumento Chriſto eſtis operti. Hoc eſt, quod ex baptiſmo conſecuti eſtis quod Chriſtus tegit omnia veſtra, tegit omnia peccata, veſtit omnia opera, omnes affectus, &c. Imò conditionibus Chriſti affecti, eſtis filij Dei, hæredes Dei, calcantes mundum, & reliqua huiuſmodi, quæ ſunt conditiones Chriſti. Et vt vnico verbo dicatur, dixit, *Chriſtum induiſtis* perinde ac ſi dixiſſet in Chriſtum mutati eſtis, Chriſti perſonam ſubiiſtis: ſicut qui ſubit perſonam Legati aut Pontificis & huiuſmodi. Vnde & apertius ſubdit.

Baptizati Chriſtum induunt.

NON EST IVDÆVS NEQVE GRÆCVS. hoc eſt Verſ. 28.
non eſt differentia baptizatorum ex hoc quòd fuit Iudæus aut Gentilis. NON EST SERVVS NEQVE LIBER. hoc eſt, nullam in baptizatis facit differentiam libertas vel ſeruitus corporalis. NON EST MASCVLVS NEQVE FŒMINA. hoc eſt, nullam facit in baptizatis differentiam diuerſitas ſexus. Et rationem ſubiungit, OMNES ENIM VOS VNVM, pro, *vnus*, ESTIS IN CHRISTO IESV. Ordo literæ eſt: omnes enim vos in Chriſto Ieſu eſtis vnus, ſcilicet Chriſtus: pro quanto eſtis membra Chriſti. Omnia enim membra vnius hominis ſunt vnus ille homo: ſicut omnes partes domus, parietes, fundamentum, tectum, ſunt vna domus.

SI AVTEM VOS CHRISTI. ſupple membra Verſ. 29.
eſtis. ERGO SEMEN ABRAHÆ ESTIS. Chriſtus enim ſemen eſt Abrahæ: ac per hoc membra Chriſti, ſemen ſunt Abrahæ. SECVNDVM PROMISSIONEM HÆREDES. Ac ſi apertius dixiſſet: non loquor de ſemine Abrahæ ſecundùm carnem, ſed ſecundum promiſſionem hæreditatis dico vos ſemen Abrahæ & hæredes promiſſorum.

CAPVT IV.

DICO AVTEM. Dixerat de Iſraelitis, *at* Verſ. 1.
vbi venit fides iam non ſumus ſub pædagogo: & omiſſa proſecutione de Iudæis, ſubiunxerat Gentiles eſſe hæredes Abrahæ ſecundum promiſſionem. modò ne ſoli Gentiles, ſed ſimul cum Iudæis intelligantur hæredes promiſſorum Abrahæ, explicat Iudæos fuiſſe prius hæredes,

quamuis

quamuis in ſtatu ſeruili. QVANTO TEMPORE HÆRES PARVVLVS, pro, *puer*, EST NIHIL DIFFERT A SERVO, CVM SIT DOMINVS OMNIVM:

Verſ. 2. SED SVB TVTORIBVS ET ACTORIBVS. pro, *ſub commiſſariis & œconomis*, EST VSQVE AD PRÆFINITVM TEMPVS A PATRE. Metaphoram affert ſatis manifeſtam quotidianâ experientiâ in pupillis minoris ætatis, qui relinquuntur à patre ſub commiſſariis (quos tutores appellamus) & procuratoribus ac diſpenſatoribus rei familiaris.

Verſ. 3. ITA ET NOS. Iudæi. CVM ESSEMVS PARVVLI. pro, *pueri*. Vniuerſum ſtatum legis, pueritiæ aſſimilat, ad declarandum imperfectum ſtatum. SVB ELEMENTIS MVNDI HVIVS: Superfluit *huius*. ERAMVS SERVIENTES. pro, *in ſeruitutem redacti*, ſeu *ſeruitute aſtricti*. Explicat penès quid aſſimilat ſtatum legis pueritiæ: quòd quemadmodum hæres puer eſt ſub commiſſariis & œconomis tanquam ſeruus, ita nos Iudæi eramus *ſub elementis mundi* (& hoc reſpondet, *commiſſariis & œconomis*) *ſeruitute aſtricti* (& hoc reſpondet, *nihil differt à ſeruo*. Per elementa mundi, corporeas res ſacrificiorum, cæremoniarum, & huiuſmodi intellige: quoniam hæc ex elementis proficiſcuntur mundi, ſcilicet ex cœlo, terra, & mediis elementis. Sub his enim legali ſanctione erant ſeruitute aſtricti.

Statum legis pueritiæ aſſimilat.

Quænam hic elementa mundi.

Verſ. 4. AT VBI VENIT PLENITVDO TEMPORIS. at vbi impletum eſt definitum tempus à Deo, MISIT pro *emiſit*. Plus enim ſignificatur quam ſimplex miſſio: ſignificatur enim legatio, quòd miſit vt legatum. DEVS FILIVM SVVM. naturalem, FACTVM EX MVLIERE. Cum potuiſſet dicere *in carne*, plus explicauit dicendo *factum ex muliere*: quoniam non ſolum carneam naturam ex muliere ſumptam, ſed etiam ſine virili ſemine ſignificat, dicendo *factum ex muliere*. Quod enim ex muliere, virili ſemine formatur, non propriè, factum, ſed natum dicitur, filius autem Dei factus ex muliere dicitur, ad ſignificandum quòd ex muliere virgine, ex muliere ſola factus eſt. Et ad ſignificandum quòd non eſt factus in carne quemadmodum Adam, ſed ex muliere: & rurſus quòd non tranſiit per vterum mulieris velut per fiſtulam, ſed quòd verè factus eſt ex muliere tanquam ex matre. Confutatur quoque hinc rurſus alia hæreſis dicentium beatam Virginem non eſſe matrem Dei, ſed Chriſti: hic enim clarè dicitur quòd filius Dei factus eſt ex muliere: Mulier ergo eſt mater filij Dei.

Chriſtus factus ex muliere.

Mulieris autem nomen memento quòd non eſt corruptionis, ſed ſexus nomen, à mollitie animi dictum. Vnde & Eua virgo appellata eſt mulier in principio Geneſis. Vtramque itaque naturam (diuinam, ſcilicet & humanam) Chriſti ſignificauit Paulus, dicendo filium ſuum factum ex muliere,

Mulier nomen ſexus non ſignificat corruptam.

FACTVM SVB LEGE. Sicut Chriſtus factus eſt paſſibilis & mortalis ſecundum carnem, & ſubditus parentibus, ita factus eſt ſubditus legi. Vnde & circunciſus eſt octauo die, & præſentatus in templo, quadrageſimo die, & obediebat legi.

Verſ. 5. VT EOS QVI SVB LEGE ERANT REDIMERET. Quemadmodum factus eſt peccatum vt peccata noſtra deleret, & factus eſt maledictio vt de maledictione legis alios eximeret, ita factus eſt *ſub lege*, vt de ſubiectione legis redimeret.

VT ADOPTIONEM FILIORVM RECIPEREMVS. Superfluit *filiorum*. Satis enim intelligitur in adoptione. Et miſit filium naturalem vt efficeremur nos filij adoptiui: imò vt reciperemus ſtatum adoptionis, qui hactenus fueramus ſub ſtatu ſeruitutis. Intendit ſiquidem Paulus quòd Iudæi ſub lege erant quidem hæredes, ſed velut pueri pupilli tanquam ſerui: ſed adueniente Chriſto legato ad redimendum eos de ſeruitute legis, receperunt ſtatum adoptionis.

QVONIAM AVTEM ESTIS FILII DEI. Superfluit *Dei*. Declaratis iam vtriſque (Gentibus ſcilicet & Iudæis) filiis adoptiuis, ſubiungit modò ad Gentiles, *quoniam autem eſtis filij*, quod iam ſuperiùs concluſerat. MISIT DEVS SPIRITVM FILII SVI IN CORDA VESTRA. pro *noſtra*. Et eſt ſenſus, *quoniam autem eſtis filij*, hoc eſt, aduenit tempus adoptionis communis Iudæorum & veſtri, hoc eſt Gentilium, *miſit Deus ſpiritum filij ſui*, hoc eſt ſpiritum proprium filio ſuo naturali communicauit, *in corda noſtra*, tam Iudæorum quàm Gentilium. CLAMANTEM. non voce, ſed affectu, ABBA PATER. Proprium eſt filio naturali clamare ad Deum, *Pater pater*, quoniam ipſe ſolus eſt naturalis filius Dei. Et propterea dum hic ſeruitus communicatur nobis, communicatur ſpiritus filij eius. Et hoc quoad officium ſpiritus: nam ſi de natura eiuſdem ſpiritus intelligimus, dicitur & eſt ſpiritus filij eius, quia procedit à filio, quia mittitur à filio. Verſ. 6.

Abba idem ſignificat quod pater. Et eſt dictio Syra. Hebraice ſiquidem pater dicitur *Ab*. Et geminatur clamor patris, ad ſignificandum & quòd intellectu & quòd affectu ſecure & inuocamus Deum vt patrem, & aſſerimus ipſum eſſe noſtrum patrem. Et ad hoc vtrumque ſignificandum *pater* nominatiui quidem eſt caſus, *Abba* verò fortè vocatiui.

Abba dictio Syra idem quod Pater.

ITAQVE IAM NON EST. pro, *es*, SERVVS, SED FILIVS. Ad gentes redit vt concludat quod ſuperius propoſuerat gentes eſſe hæredes. QVOD SI FILIVS, ET HÆRES, PER DEVM. pro, *& hæres Dei per Chriſtum*. Intulit ſiquidem hoc ad manifeſtandum quòd non ſoli Iudæi ſunt hæredes, ſed etiam gentiles: hæredes autem Dei, tanquam eius qui condidit Teſtamentum, per Chriſtum, per quem & in quo adimpletur Teſtamentum: vtpote naturalem filium. Verſ. 7.

SED TVNC QVIDEM IGNORANTES DEVM. vos Galatæ ante baptiſmum. IIS QVI NATVRA NON SVNT DII SERVIEBATIS puta Soli, Lunæ, elementis, & huiuſmodi. Seruiebatis autem adorando & exhibendo cultum. Verſ. 8.

NVNC AVTEM baptizati. CVM COGNOVERITIS. Præteritum eſt, id eſt, poſtquam cognouiſtis. DEVM. verum. IMO COGNITI SITIS A DEO. Corrigit Paulus quod dixerat *Cum cognoueritis*: non corrigendo cognitionem, ſed corrigendo originem. Significando quòd non eò quòd cognouerntis, ſed eò quòd cogniti fuiſtis. Significatur enim quòd origo & principium non eſt veſtra induſtria qua cognouiſtis, ſed eſt Dei gratia quòd cogniti fueritis. Et eſt ſermo de notitia approbationis. Deus enim ſimplici notitia omnes nouit, ſed approbationis notitia illos tantum nouit quos approbat. Vnde & reprobis dicetur, Neſcio vos. Verſ. 9.

Deus ſimplici notitia omnes nouit, non notitia approbationis.

QVOMODO CONVERTIMINI ITERVM AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA,

QVIBVS DENVO. Deficit *è ſurſum*, SERVIRE VVLTIS: Cautè intelligendus eſt textus iſte, diſtinguendo diuerſum modum ac rationem ſeruiendi elementis. Galatæ ſiquidem cùm eſſent idololatræ, ſeruiebant elementis vt diis, ſeruiebant adorando ea: modò conuertebantur quidem ad elementa, ſed non adorando, ad ſeruiendum elementis, ſed non vt diis. Vnde litera Pauli vt ſonat vera eſt, quoniam ad literam conuertebantur iterum, ſed non eodem modo, ſed non eadem ratione. Prius enim vt dictum eſt, ſeruiebant elementis vt diis, ſeu ſacrificiis deorum: modò autem ſeducti à pſeudoapoſtolis conuertebantur ad elementa (cœlum, terram & corporales obſeruationes quæ ex elementis proficiſcũtur) hoc eſt, ad ritus Iudaicos qui vtpote corporales ex elementis proficiſcuntur. Conuertebantur autem ad huiuſmodi corporea non adorando, ſed tamen ſeruiendo: hoc eſt, ſubeundo ſeruitutem legalem.

Et dicit *è ſurſum*, ſignificans quòd ex ſtatu ſuperiori, ex ſtatu libertatis Euangelicæ volunt declinare in ſeruitutem corporalium cærimonialium. Dicit autem *elementa*, hoc eſt, corporales cærimonias legis, infirma: quia non poſſunt iuſtificare: *egena* autem, quia non ſolum non poſſunt obſeruantes iuſtificare, ſed ſunt in ſtatu indigentiæ, proculdubio, quia indigent Euangelicæ libertatis gratia.

Verſ. 10. DIES OBSERVATIS. Ecce conuerſio ad ſeruitutem elementorum, dies feſtos Iudaiſmi obſeruatis. ET MENSES, neomenias, menſem ſeptimum, &c. ET TEMPORA, ſolemnitatum, ſeu cærimoniarum, in vere, æſtate, autumno, & huiuſmodi. ET ANNOS, annum ſeptimum remiſſionis, annum Iubilei.

Verſ. 11. TIMEO VOS, pro *vobis*, NE FORTE SINE CAVSA, pro *fruſtra*, LABORAVERIM IN VOBIS. Hinc apparet quòd adhuc Galatæ etſi declinarent, non tamen profeſſi fuerant ſubiectionem legis. Si enim fuiſſent profeſſi ſeruitutem legis, non dixiſſet Paulus timeo vobis ne fruſtra laborauerim, ſed aſſeruiſſet quòd fruſtrà laborauit in eis: quoniam ſine fructu perſeuerante.

Verſ. 12. ESTOTE SICVT EGO, QVIA ET EGO SICVT VOS. Verbo *eſtote*, quadrat vt ſubintelligatur verbum *ero*, & dicatur *eſtote ſicut ego, quia ero ſicut vos*: hoc eſt, eſtote liberi à iugo legis ſicut ego, quia ego ero ſicut vos: hoc eſt, erimus conformes, non erit diſformitas inter me & vos: puta quòd vobis non ſeruantibus legem ego illam ſeruem, ſed ego ero ſimilis vobis in non ſeruando legem. Dixit enim hoc ad differentiam Petri, & aliorum, de quibus dixerat quòd coram iis qui à Iacobo venerant ſimulabant ſe ſeruare legem. FRATRES, OBSECRO VOS. Inferit his monitionibus vt conſiderent quà ratione monet eos. Multum enim confert ad vim monendi & ſuadendi, habita ratio amoris vnde procedit monitorius ac ſuaſorius ſermo. Vnde & nomine dilectionis eos nominat fratres, & obſecrationem adiungit, vt inde amor, hinc humilitas loquentis ſignificetur. NIHIL ME LÆSISTIS: hoc eſt, non iniuriis laceſſitus à vobis hæc ſcribo, imo beneficiis affectus, hæc enim ſubiungit,

Ad vim monendi multũ confert amor, ex quo monitio procedit.

Verſ. 13. SCITIS AVTEM QVOD PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS IAMPRIDEM, pro *prius*. Infirmitatem carnis appellat perpeſſionem malorum. Ac ſi apertiùs dixiſſet, ſcitis quòd patiendo multa mala quæ ſe tenent ex parte infirmitatis corporalis, vobis prius euangelizaui. ET TENTATIONEM VESTRAM, pro *mei*, IN CARNE MEA. Tanquam aurum in fornace probat electos ſuos Deus multis paſſionibus. Et propterea Paulus perpeſſionem tot malorum appellat tentationem ſui in carne ſua.

Perpeſſionem malorum vocat Apoſtolus tum infirmitatem carnis, tum tentationem.

Verſ. 14. NON SPREVISTIS, NEQVE RESPVISTIS. Laudat Galatas quòd Paulum afflictum non ſpreuerunt, neque repulerunt doctorem & prædicatorem, imò quod plus eſt, SED SICVT ANGELVM DEI EXCEPISTIS ME, imò plus. SICVT CHRISTVM IESVM. Hæc ſunt enim beneficia.

Verſ. 15. VBI EST ERGO BEATITVDO VESTRA, pro *quæ ergo erat beatificatio veſtra*? Beatificationem Galatarum appellat quòd laudabantur, quòd beati dicebantur, tam beneuolos & beneficos ſe exhibentes erga Paulum euangelizantem eis. Et dicit, *quæ ergo erat*, ad ſignificandum inchoatam quidem, ſed non completam, ſed adhuc pendentem eorum beatificationem. TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO VOBIS QVIA, pro *quòd*, SI FIERI POTVISSET OCVLOS VESTROS ERVISSETIS ET DEDISSETIS MIHI. Exaggeratio eſt beneuolentiæ, & beneficentiæ Galatarum erga ipſum.

Quanta Galatarum in Paulum beneuolentia?

Verſ. 16. ERGO INIMICVS VOBIS FACTVS SVM, VERVM DICENS VOBIS? Tot receptis à vobis beneficiis & nullâ iniuriâ, ironicè concludit, *ergo factus ſum vobis inimicus*, hac ſola actione dicendi veritatem vobis? quæ eſt manifeſte actio amicitiæ. Dicit enim hæc vt conſiderent Galatæ, quòd nec ex præcedentibus, nec ex præſentibus vlla eſt ratio dicendi hæc, niſi dilectio.

Verſ. 17. ÆMVLANTVR VOS NON BENE. De pſeudoapoſtolis loquitur quòd zelant Galatas, ſed non bono zelo. Illi ſiquidem ſub ſpecie ſalutis Galatarum proponebant vt ſeruarent legalia, & propterea Paulus dicit quòd zelant vos non bene. SED EXCLVDERE VOS VOLVNT. Codices Græci variant: nam in aliquibus legitur *excludere*, in aliquibus (& rectius) legitur *includere*. Verè ſiquidem illi volebant includere Galatas ſub ſeruitute legis. Et huic ſenſui optimè quadrat quod ſubiungitur, VT ILLOS ÆMVLEMINI. Ad hoc enim pſeudoapoſtoli volebant includere ſub legis iugo Galatas, vt Galatæ æmularentur, ſectarentur ipſos pſeudoapoſtolos.

Verſ. 18. BONVM AVTEM. Modeſtè loquitur de ſeipſo, in tertia quodammodo perſona loquens quod bonum doctorem decet. ÆMVLAMINI IN BONO. Iuſtificate loquitur, exigendo vt doctorem bonum æmulentur non in re qualibet, ſed in re bona. Non enim ſufficit ſectari bonum doctorem, ſed oportet ſectari ipſum in bono tantum. SEMPER, & non ad tempus, vt vos facitis. ET NON TANTVM CVM PRÆSENS SVM APVD VOS. Ac ſi apertius dixiſſet: Sectati eſtis me bonum doctorem in bono, ſed non ſemper, ſed dum præſens fui apud vos: non ſic eſt agendum, quandoquidem debetis ſemper æmulari me doctorem bonum in bono, & non ſolum cùm præſens ſum apud vos.

Bonus doctor in bono ſectandus.

Verſ. 19. FILIOLI MEI. Auget ſermonem dilectionis, quos prius appellauerat *fratres*, modò *filiolos ſuos* appellans. Materno ſiquidem affectu

affectu compatiens imperfectioni eorum, quos prius in Christo genuerat per Euangelium, merito appellat ſuos filiolos. Qvos itervm partvrio. ad ſimilitudinem parturientis dolore & deſiderio angor iterũ. Semel enim vos parturiui, & nunc iterum parturio. Donec formetvr Christvs in vobis. Primâ vice vos parturiui donec Chriſtus eſſet in vobis, tamdiu durarunt affectus & dolor parturientis, quouſque Chriſtus affuit in vobis: modò autem iterum parturio donec Chriſtus iam in vobis factus formetur in vobis, donec Chriſtus habeat in vobis formam ſuam: quæ eſt quòd ſolus ſufficit ad ſalutem. In vobis quidem eſt Christus, ſed non in vobis formatus, quamdiu putatis ipſum non ſufficere ad ſalutem, ſed oportere ſeruari legalia: vnde ego tamdiu parturio vos iterum donec Chriſtus formetur in vobis, ſic reputantes ipſum ſolum ſufficere ad ſalutem. Et hoc loquendo de formatione fidei, de qua directè eſt ſermo Pauli in præſenti materia. Secus autem eſſet exponenda formatio Chriſti in hominibus, ſ. de moribus, aut dilectione eſſet ſermo.

Verſ. 20. Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor pro, *hæſito*, in vobis. Dictio interpretata ab antiquo interprete *confundor*, anceps eſt ad hæſitationem vel indigentiam. Quadrat autem contextui *hærere* ſeu *hæſitare*, quandoquidem præmiſſum eſt, *timeo vobis*, & cætera. Quod enim eſt timere in affectu, hoc eſt hæſitare in intellectu. Explicat itaque Paulus quòd vellet ipſâ mutatione viuæ vocis explicare internos motus animi ſui (quoniam intus hæſitat non in ſeipſo, ſed in illis) & formare vocem viuam exprimentem hos internos motus tam in intellectu quam in affectu.

Verſ. 21. Dicite mihi qvi svb lege vvltis esse. Accommodat ex lege ſuaſiones. Legem non [illegible] pro, *auditis*? Interrogatiuè legendum eſt.

Verſ. 22. Scriptvm est enim. In Geneſi. Qvoniam. pro, *quod*, Abraham dvos filios habvit: vnvm de ancilla. ſcilicet Iſmaelem de Agar. Et vnvm de libera. Iſaac de Sara.

Verſ. 23. Sed qui de ancilla ſecundum carnem natus eſt. hoc eſt, ſecundum communem carnis curſum, carnis rationem natus eſt: quoniam naturalis ratio habet, vt ſenex de puellâ generet. Qvi avtem de libera per repromissionem. Contra *ſecundum carnem* diſtinguit *per repromiſſionem*: quia ſenex de ſterili ac vetula (cui iam defecerant menſtrua) non ſecundum rationem naturalem generat, ſed ex dono diuinæ promiſſionis. Dicit autem et *per repromiſſionem*, quoniam pluries promiſſio facta eſt de Iſaac: vt patet in cap. 17. & 18. Geneſis.

Verſ. 24. Qvæ svnt per allegoriam dicta. Hæc fuerunt per hiſtoriam dicta vt ſonant: & eadem per allegoriam (hoc eſt per ſenſum quo aliud ſignificant & aliud verba ſonant) dicta ſunt iuxta ſubiuncta. Hæc enim svnt dvo testamenta. Pronomen *hæc* monſtrat duo genera, genus de ancilla, & genus de libera, & per allegoriam ſunt duo teſtamenta, vetus & nouum. Vnvm qvidem in monte. pro, *à monte*, Sina in servitvtem generans. Vnum quidem Teſtamentum à monte Sina inchoatum generans in ſeruitutem legis. Qvæ est Agar. Relatiuum *quæ*, cum in textu Græco neutri generis *Teſtamentum* verò fœminini & *mons* neutri, cõſequens eſt, vt legendum ſit Latine, *Qui eſt Agar*. quoniam apud nos mons eſt maſculini generis, & mons Sina dicitur Agar. Deficiunt duæ dictiones. *Nam Agar*.

Sina enim. Superfluit *enim*. mons est in Arabia. Poteſt nihilominus legi aliter: videlicet, *Hoc enim Agar, Sina mons eſt in Arabia*. Et quoniam hoc vertendum eſſet in maſculinum genus: dicendo *hic enim Agar Sina mons eſt in Arabia*. Ait vulgarius quòd mons Sina, Arabum linguâ nuncupatur Agar. Ita quòd Paulus alluſit ad nomen montis Arabica lingua: & ex identitate nominis montis & ancillæ, ait quòd Sina eſt Agar, non ſolum allegoria, ſed nomine. Qvi conivnctvs est ei. pro, *qui contendit in eam*, Qvæ nvnc est Hiervsalem. Dictio Græca interpretata *contendit*, verbum compoſitum eſt, ſignificans ordinatè procedere. Tanquam recto calle tendat in Hieruſalem, non progreſſu itineris, ſed progreſſu ſimilitudinis. Propter quod ſignificanter non dixit *in Hieruſalem*, ſed in eam quæ nunc eſt Hieruſalem. hoc eſt, in Hieruſalem ſeruam, quia tunc erat ſerua Romanorũ. Significatur enim quòd lex in monte Sina aſſimilatur Hieruſalem ſeruæ: nam illa generat in ſeruitutem legalem, Hieruſalem in ſeruitutem eandem. Ita quòd ab Agar ancilla progreſſus eſt ad montem Sina, à quo procedit in Hieruſalem. Vnde exponendo penes quid attenditur hic proceſſus, quare dixerit, quæ nunc eſt Hieruſalem, ſubdit, Et servit. pro, *ſeruit autem*, cvm filiis svis. Hieruſalem ſeruit duplici ſeruitute: & ſeruitute ciuili Romanis, & ſeruitute legali ſub lege data in monte Sina.

Moni Sina Arabicè dicitur Agar

Ieruſalem, duplici ſeruitute ſeruit.

Illa avtem qvæ svrsvm est Hiervsalem. Cæleſtem ſignificat patriam. De qua etiã dicit ad Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem*. Libera eſt. omni ſeruitutis ſpecie abiecta Qvæ est mater nostra. pro, *mater omnium noſtrum*. Chriſtianorum mater non eſt aliqua ciuitas terreſtris, nec etiam vniuerſitas orbis terreſtris, ſed eſt cæleſtis patria, quoniam Chriſtiani ſpiritu conſtant. mater autem ſpiritus cæleſtis eſt patria. Inde enim ſpiritus eorum qui generantur in baptiſmo, inde ſpiritus Apoſtolorum, inde Martyrum, inde ſpiritus Doctorum, &c. Et propterea Paulus dicit quòd illa eſt mater omnium noſtrum. Scriptvm est enim. Iſa. 54. Verſ. 26.

Lætare sterilis. Si hæc ad ad literam exponantur de Sara & Agar (quoniam illa ſterilis & deſerta erat à viro quoad thorum poſtquam accepit Agar) allegoricè transferuntur ad propoſitum. Veruntamen Eſaiæ verba ex contextu videntur ad literam tractare materiam propoſitam de qua tractat Paulus, ſcilicet generationem filiorum ſpiritualium ex ſterili Hieruſalem cæleſti. Fuerat enim tanto tempore ſterilis ante Chriſti aduentum. Qvæ non paris. Explicat non eſſe perpetuam ſterilitatem, ſed ad tempus. Erumpe et clama qvæ non partvris. Poſt reſurrectionem Chriſti erupit & clamauit per Apoſtolos. Qvia mvlti filii desertæ. Ad ſimilitudinem deſertæ erat cæleſtis patria ante Chriſtum. Vnde & in Euãgelio Dominus deſcribit nonagintanouem Verſ. 27.

Ad ſimilitudinem deſerta erat cæleſtis patria ante Chriſtum.

oues

QVIBVS DENVO. Deficit *è ſurſum*, SERVIRE VVLTIS: Caute intelligendus eſt textus iſte, diſtinguendo diuerſum modum ac rationem ſeruiendi elementis. Galatæ ſiquidem cùm eſſent idololatræ, ſeruiebant elementis vt diis, ſeruiebant adorando ea: modò conuertebantur quidem ad elementa, ſed non adorando, ad ſeruiendum elementis, ſed non vt diis. Vnde litera Pauli vt ſonat vera eſt, quoniam ad literam conuertebantur iterum, ſed non eodem modo, ſed non eâdem ratione. Prius enim (vt dictum eſt) ſeruiebant elementis vt diis, ſeu ſacrificiis deorum: modò autem ſeducti à pſeudoapoſtolis conuertebantur ad elementa (cœlum, terram & corporales obſeruationes quæ ex elementis proficiſcũtur) hoc eſt, ad ritus Iudaicos qui vtpotè corporales ex elementis proficiſcuntur. Conuertebantur autem ad huiuſmodi corporea non adorando, ſed tamen ſeruiendo: hoc eſt, ſubeundo ſeruitutem legalem.

Et dicit *è ſurſum*, ſignificans quòd ex ſtatu ſuperiori, ex ſtatu libertatis Euangelicæ volunt declinare in ſeruitutem corporalium cærimonialium. Dicit autem *elementa*, hoc eſt, corporales cærimonias legis, infirma: quia non poſſunt iuſtificare: *egena* autem, quia non ſolum non poſſunt obſeruantes iuſtificare, ſed ſunt in ſtatu indigentiæ, proculdubio, quia indigent Euangelicæ libertatis gratia.

Verſ. 10. DIES OBSERVATIS. Ecce conuerſio ad ſeruitutem elementorum, dies feſtos Iudaiſmi obſeruatis. ET MENSES, neomenias, menſem ſeptimum, &c. ET TEMPORA, ſolemnitatum, ſeu cærimoniarum, in vere, æſtate, autumno, & huiuſmodi. ET ANNOS, annum ſeptimum remiſſionis, annum Iubilei.

Verſ. 11. TIMEO VOS, pro *vobis*, NE FORTE SINE CAVSA, pro *fruſtra*, LABORAVERIM IN VOBIS. Hinc apparet quòd adhuc Galatæ etſi declinarent, non tamen profeſsi fuerant ſubiectionem legis. Si enim fuiſſent profeſsi ſeruitutem legis, non dixiſſet Paulus timeo vobis ne fruſtrà laborauerim, ſed aſſeruiſſet quòd fruſtrà laborauit in eis: quoniam ſine fructu perſeuerante.

Verſ. 12. ESTOTE SICVT EGO, QVIA ET EGO SICVT VOS. Verbo *eſtote*, quadrat vt ſubintelligatur verbum *ero*, & dicatur *eſtote ſicut ego, quia ero ſicut vos*: hoc eſt, eſtote liberi à iugo legis ſicut ego, quia ego ero ſicut vos: hoc eſt, erimus conformes, non erit diſformitas inter me & vos: puta quòd vobis non ſeruantibus legem ego illam ſeruem, ſed ego ero ſimilis vobis in non ſeruando legem. Dixit enim hoc ad differentiam Petri, & aliorum, de quibus dixerat quod coram iis qui à Iacobo venerant ſimulabant ſe ſeruare legem. FRATRES, OBSECRO VOS. Inſerit his monitionibus vt conſiderent quâ ratione monet eos. Multum enim confert ad vim monendi & ſuadendi, habita ratio amoris vnde procedit monitorius ac ſuaſorius ſermo. Vnde & nomine dilectionis eos nominat fratres, & obſecrationem adiungit; vt inde amor, hinc humilitas loquentis ſignificetur. NIHIL ME LÆSISTIS: hoc eſt, non iniuriis laceſſitus à vobis hæc ſcribo, imò beneficiis affectus, hæc enim ſubiungit,

Ad vim monendi multũ confert amor, ex quo monitio procedit.

Verſ. 13. SCITIS AVTEM QVOD PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZANS VOBIS IAMPRIDEM, pro *prius*. Infirmitatem carnis appellat perpeſſionem malorum. Ac ſi apertiùs dixiſſet, ſcitis quòd patiendo multa mala quæ ſe tenent ex parte infirmitatis corporalis, vobis prius euangelizaui. ET TENTATIONEM VESTRAM, pro *mei*, IN CARNE MEA. Tanquam aurum in fornace probat electos ſuos Deus multis paſſionibus. Et propterea Paulus perpeſsionem tot malorum appellat tentationem ſui in carne ſua.

Perpeſſionem malorum vocat Apoſtolus tum infirmitatem carnis, tum tentationem.

NON SPREVISTIS, NEQVE RESPVISTIS. Laudat Galatas quòd Paulum afflictum non ſpreuerunt, neque repulerunt doctorem & prædicatorem, imò quod plus eſt, SED SICVT ANGELVM DEI EXCEPISTIS ME, imò plus. SICVT CHRISTVM IESVM. Hæc ſunt enim beneficia. Verſ. 14.

VBI EST ERGO BEATITVDO VESTRA, pro *quæ ergo erat beatificatio veſtra*? Beatificationem Galatarum appellat quòd laudabantur, quòd beati dicebantur, tam beneuolos & beneficos ſe exhibentes erga Paulum euangelizantem eis. Et dicit, *quæ ergo erat*, ad ſignificandum inchoatam quidem, ſed non completam, ſed adhuc pendentem eorum beatificationem. TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO VOBIS QVIA, pro *quod*, SI FIERI POTVISSET OCVLOS VESTROS ERVISSETIS ET DEDISSETIS MIHI. Exaggeratio eſt beneuolentiæ, & beneficentiæ Galatarum erga ipſum. Verſ. 15.

Quanta Galatarum in Paulum beneuolentia?

ERGO INIMICVS VOBIS FACTVS SVM, VERVM DICENS VOBIS? Tot receptis à vobis beneficiis & nulla iniuria, ironice concludit, *ergo factus ſum vobis inimicus*, hac ſola actione dicendi veritatem vobis? quæ eſt manifeſtè actio amicitiæ. Dicit enim hæc vt conſiderent Galatæ, quòd nec ex præcedentibus, nec ex præſentibus vlla eſt ratio dicendi hæc, niſi dilectio. Verſ. 16.

ÆMVLANTVR VOS NON BENE. De pſeudoapoſtolis loquitur quòd zelant Galatas, ſed non bono zelo. Illi ſiquidem ſub ſpecie ſalutis Galatarum proponebant vt ſeruarent legalia, & propterea Paulus dicit quòd zelant vos non bene. SED EXCLVDERE VOS VOLVNT. Codices Græci variant: nam in aliquibus legitur *excludere*, in aliquibus (& rectius) legitur *includere*. Verè ſiquidem illi volebant includere Galatas ſub ſeruitute legis. Et huic ſenſui optime quadrat quod ſubiungitur, VT ILLOS ÆMVLEMINI. Ad hoc enim pſeudoapoſtoli volebant includere ſub legis iugo Galatas, vt Galatæ æmularentur, ſectarentur ipſos pſeudoapoſtolos. Verſ. 17.

BONVM AVTEM. Modeſtè loquitur de ſeipſo, in tertia quodammodo perſona loquens quod bonum doctorem decet. ÆMVLAMINI IN BONO. Iuſtificatè loquitur, exigendo vt doctorem bonum æmulentur non in re qualibet, ſed in re bona. Non enim ſufficit ſectari bonum doctorem, ſed oportet ſectari ipſum in bono tantum. SEMPER, & non ad tempus, vt vos facitis. ET NON TANTVM CVM PRÆSENS SVM APVD VOS. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Sectati eſtis me bonum doctorem in bono, ſed non ſemper, ſed dum præſens fui apud vos: non ſic eſt agendum, quandoquidem debetis ſemper æmulari me doctorem bonum in bono, & non ſolum cum præſens ſum apud vos. Verſ. 18.

Bonus doctor in bono ſectandus.

FILIOLI MEI. Auget ſermonem dilectionis, quos priùs appellauerat *fratres*, modò *filiolos ſuos* appellans. Materno ſiquidem Verſ. 19.

affectu

affectu: compatiens imperfectioni eorum, quos prius in Christo genuerat per Euangelium, merito appellat ſuos filiolos. QVOS ITERVM PARTVRIO. ad ſimilitudinem parturientis dolore & deſiderio angor iterũ. Semel enim vos parturiui, & nunc iterum parturio. DONEC FORMETVR CHRISTVS IN VOBIS. Primâ vice vos parturiui donec Chriſtus eſſet in vobis, tamdiu durarunt affectus & dolor parturientis, quouſque Chriſtus affuit in vobis: modò autem iterum parturio donec Chriſtus iam in vobis factus formetur in vobis, donec Chriſtus habeat in vobis formam ſuam: quæ eſt quòd ſolus ſufficit ad ſalutem. In vobis quidem eſt Chriſtus, ſed non in vobis formatus, quamdiu putatis ipſum non ſufficere ad ſalutem, ſed oportere ſeruari legalia: vnde ego tamdiu parturio vos iterum donec Chriſtus formetur in vobis, fide reputante ipſum ſolum ſufficere ad ſalutem. Et hoc loquendo de formatione fidei: de qua directè eſt ſermo Pauli in præſenti materia. Secus autem eſſet exponenda formatio Chriſti in hominibus, ſi de moribus, aut dilectione eſſet ſermo.

Paulus affectu ſuo affectum in Galatas.

Verſ. 20. Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor pro, *hæſito*, in vobis. Dictio interpretata ab antiquo interprete *confundor*, anceps eſt ad hæſitationem vel indigentiam. Quadrat autem contextui *hærere* ſeu *hæſitare*, quandoquidem præmiſſum eſt, *timeo vobis*, & cætera. Quod enim eſt timere in affectu, hoc eſt hæſitare in intellectu. Explicat itaque Paulus quòd vellet ipſa mutatione viuæ vocis explicare internos motus animi ſui (quoniam mutus habitat non in ſeipſo, ſed in illis) & formare vocem viuam exprimentem hos internos motus tam in intellectu quam in affectu.

Verſ. 21. DICITE MIHI QVI SVB LEGE VVLTIS ESSE. Accommodat ex lege ſuaſiones. LEGEM NON LEGISTIS. pro, *audiſtis*? Interrogatiuè legendum eſt.

Verſ. 22. SCRIPTVM EST ENIM. In Geneſi. QVONIAM. pro, *quod*, ABRAHAM DVOS FILIOS HABVIT: VNVM DE ANCILLA. ſcilicet Iſmaëlem de Agar. ET VNVM DE LIBERA. Iſaac de Sara.

Verſ. 23. Sed qui de ancilla ſecundum carnem natus eſt. hoc eſt, ſecundum communem carnis curſum, carnis rationem natus eſt: quoniam naturalis ratio habet, vt ſenex de puellâ generet. QVI AVTEM DE LIBERA PER REPROMISSIONEM. Contra *ſecundum carnem* diſtinguit *per repromiſſionem*: quia ſenex de ſterili ac vetula (cui iam defecerant menſtrua) non ſecundum rationem naturalem generat, ſed ex dono diuinæ promiſſionis. Dicit autem ei *per repromiſſionem*, quoniam pluries promiſſio facta eſt de Iſaac: vt patet in cap. 17. & 18. Geneſis.

Verſ. 24. QVÆ SVNT PER ALLEGORIAM DICTA. Hæc fuerunt per hiſtoriam dicta vt ſonant: & eadem per allegoriam (hoc eſt per ſenſum quo aliud ſignificant & aliud verba ſonant) dicta ſunt iuxta ſubiuncta. HÆC ENIM SVNT DVO TESTAMENTA. Pronomen *hæc* monſtrat duo genera, genus de ancilla, & genus de libera, & per allegoriam ſunt duo teſtamenta, vetus & nouum. VNVM QVIDEM IN MONTE. pro, *à monte*, SINA IN SERVITVTEM GENERANS. Vnum quidem Teſtamentum à monte Sina inchoatum generans

Genus ... de ... ſunt duo teſtamenta, nouum & vetus.

in ſeruitutem legis. QVÆ EST AGAR. Relatiuum *quæ*, cum in textu Græco neutri generis, *Teſtamentum* verò fœminini & *mons* neutri, cõſequens eſt, vt legendum ſit Latinè, *Qui eſt Agar*. quoniam apud nos mons eſt maſculini generis, & mons Sina dicitur Agar. Deficiunt duæ dictiones. *Nam Agar*.

SINA ENIM. Superfluit *enim*. MONS EST IN ARABIA. Poteſt nihilominus legi aliter: videlicet, *Hoc enim Agar, Sina mons eſt in Arabia*. Et quoniam hoc vertendum eſſet in maſculinum genus: dicendo *hic enim Agar Sina mons eſt in Arabia*. Ait vulgarius quòd mons Sina, Arabum linguâ nuncupatur Agar. Ita quòd Paulus alluſit ad nomen montis Arabica lingua: & ex identitate nominis montis & ancillæ, dicit quòd Sina eſt Agar, non ſolum allegoria, ſed nomine. QVI CONIVNCTVS EST EI. pro, *qui contendit in eam*, QVÆ NVNC EST HIERVSALEM. Dictio Græca interpretata *contendit*, verbum compoſitum eſt, ſignificans ordinatè procedere. Tanquam recto calle tendat in Hieruſalem, non progreſſu itineris, ſed progreſſu ſimilitudinis. Propter quod ſignificater non dixit *in Hieruſalem*, ſed in eam quæ nunc eſt Hieruſalem: hoc eſt, in Hieruſalem ſeruam, quia tunc erat ſerua Romanorum. Significatur enim quòd lex in monte Sina aſſimilatur Hieruſalem ſeruæ: nam illa generat in ſeruitutem legalem, Hieruſalem in ſeruitutem ciuilem. Ita quòd ab Agar ancilla progreſſus eſt ad montem Sina, à quo procedit in Hieruſalem. Vnde exponendo penès quid attenditur hic proceſſus, quare dixerit, quæ nunc eſt Hieruſalem, ſubdit, ET SERVIT. pro, *ſeruit autem*, CVM FILIIS SVIS. Hieruſalem ſeruit duplici ſeruitute: & ſeruitute ciuili Romanis, & ſeruitute legali ſub lege data in monte Sina.

Mons Sina Arabicè dicitur Agar.

Ieruſalem, duplici ſeruitute ſeruit.

ILLA AVTEM QVÆ SVRSVM EST HIERVSALEM. Cæleſtem ſignificat patriam. De qua etiã dicit ad Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem*. LIBERA eſt. omni ſeruitutis ſpecie abiecta QVÆ EST MATER NOSTRA. pro, *mater omnium noſtrum*. Chriſtianorum mater non eſt aliqua ciuitas terreſtris, nec etiam vniuerſus orbis terreſtris, ſed eſt cæleſtis patria, quoniam Chriſtiani ſpiritu conſtant: mater autem ſpiritus cæleſtis eſt patria. Inde enim ſpiritus eorum qui generantur in baptiſmo, inde ſpiritus Apoſtolorum, inde Martyrum, inde ſpiritus Doctorum, &c. Et propterea Paulus dicit quod illa eſt mater omnium noſtrum. SCRIPTVM EST ENIM. Eſa. 54. Verſ. 26.

LÆTARE STERILIS. Si hæc ad literam exponantur de Sara & Agar (quoniam illa ſterilis & deſerta erat à viro quoad thorum poſtquam accepit Agar) allegoricè transferuntur ad propoſitum. Veruntamen Eſaiæ verba ex contextu videntur ad literam tractare materiam propoſitam de qua tractat Paulus, ſcilicet generationem filiorum ſpiritualium ex ſterili Hieruſalem cæleſti. Fuerat enim tanto tempore ſterilis ante Chriſti aduentum. QVÆ NON PARIS. Explicat non eſſe perpetuam ſterilitatem, ſed ad tempus. ERVMPE ET CLAMA QVÆ NON PARTVRIS. Poſt reſurrectionem Chriſti erupit & clamauit per Apoſtolos. QVIA MVLTI FILII DESERTÆ. Ad ſimilitudinem deſerta erat cæleſtis patria ante Chriſtum. Vnde & in Euãgelio Dominus deſcribit nonagintanouem Verſ. 27.

Ad ſimilitudinem deſerta erat cæleſtis patria ante Chriſtum.

oues

oues relictas in deſerto, ſignificans beatos Angelos in cœleſti patria: hæc enim poſt Chriſtum multiplicauit filios. MAGIS QVAM QVÆ HABET VIRVM. magis quàm cœtus Iudaicus qui habet virum Moyſem legiſlatorem.

Verſ. 28. NOS AVTEM FRATRES. Applicat ad propoſitum allegoriam, & pronomen *nos*, denominat Chriſtianos omnes. SECVNDVM ISAAC. non ſecundum Iſmaelem. PROMISSIONIS FILII SVMVS. Non ſumus filij carnis, ſed promiſſionis, ſed ſpectátes ad promiſſionem factam Abrahæ.

Verſ. 29. SED QVOMODO TVNC IS QVI SECVNDVM CARNEM NATVS FVERAT; ſcilicet Iſmael. PERSEQVEBATVR EVM QVI SECVNDVM SPIRITVM. ſcilicet Iſaac. In Geneſ. nulla perſecutio legitur: ſed duntaxat quòd Iſmael ludebat cum Iſaac, vt patet Geneſ. 12. Forte Paulus ludum interpretatur perſecutionem interpretatione Spiritus ſancti, aut aliqua interfuit alia perſecutio nobis incognita. Et forte ludus ille erat ludus ad ſimilitudinem perſequentium, vt quandoque pueri more perſequentium ludunt. Quem perſecutorium ludum Paulus allegoricè interpretatur ſignificare perſecutionem Chriſtianorum à carnalibus. Vnde & ſubdit. ITA ET NVNC. carnales perſequuntur ſpirituales.

Verſ. 30. SED QVID DICIT SCRIPTVRA? ibidem. EIICE ANCILLAM ET FILIVM EIVS. Quod allegoricè eſt, eiice legem & obſeruatores eius. NON ENIM HÆRES ERIT FILIVS ANCILLÆ CVM FILIO LIBERÆ. Quod allegoricè eſt quòd ſeruantes legem non erant hæredes ſimul cum Chriſtianis: vt excludi ſe ab hæreditate intelligant Galatæ ſi legem Moyſi ſectantur.

Verſ. 31. ITAQVE FRATRES, NON SVMVS ANCILLÆ FILII, SED LIBERÆ. Concludit quòd nos Chriſtiani non ſumus ſub ſeruitute legis, ſed ſub libertate cœleſtis patriæ, Et hic debet terminari capitulum quartum.

CAPVT V.

QVA LIBERTATE. pro, libertate igitur, qua CHRISTVS NOS LIBERAVIT.

Verſ. 1. *Stare recto* STATE. Ex conditione libertatis progreditur monendo ad ſtandum ipſa libertate. Stare enim recti eſt. Et propterea ſtatum rectitudinis ex libertate monet. Et ipſam libertatem declarat nos habuiſſe à Chriſto, qui ex ſuperna deſcendit Hieruſalem ad donandum nos huiuſmodi libertate. ET NOLITE. pro, *& ne*, ITERVM IVGO SERVITVTIS CONTINERI. pro, *implicemini*. hoc eſt, & ne iterum iugo ſeruitutis elementorum implicemini. Superius enim iam dictum eſt, quod cum eſſent Gentiles erant iugo ſeruitutis elementorum implicati, alio tamen modo & alia ratione.

Verſ. 2. ECCE EGO PAVLVS DICO VOBIS. Ad maiorem aſſeuerationem apponit nomen ſuum proprium. QVONIAM. pro, *quod*, SI CIRCVNCIDAMINI. Circunciſio ſiquidem legalis cum corporalis ſit, inter elementa computatur. CHRISTVS VOBIS NIL PRODERIT. Gentiles alloquitur, non Iudæos: quia Gentiles non alia ratione circunciſionem accepiſſent, niſi quia neceſſaria eſſet ad ſalutem: Iudæi autem etiamſi non ad ſalutem reputarent ipſam neceſſariam, ratione cuiuſdam prærogatiuæ ſui generis circuncidebantur. Et propterea Gentilibus dicit quòd *ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*: quod non dicebat Iudæis.

Verſ. 3. TESTIFICOR AVTEM RVRSVS. Dixi prius damnum, quod Chriſtum nihil vobis proderit, teſtificor autem ab alio principio debitum. OMNI HOMINI CIRCVNCIDENTI. pro, *qui circunciditur*, QVONIAM. pro, *quod* DEBITOR EST VNIVERSÆ LEGIS FACIENDÆ. Ipſa ſiquidem circunciſio profeſſio eſt legis: ac per hoc obligatio ad ſeruandam legem. Et eſt ſemper ſermo de circunciſione legali neceſſaria.

Verſ. 4. EVACVATI. pro, *aboliti*, ESTIS A CHRISTO, QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI. Quod dixerat, *Chriſtus nihil vobis proderit* in futuro, extendit ad damnum etiam perceptorum donorum in fide Chriſti. Aboliti, inquit, eſtis a Chriſto, à libro Chriſti eſtis omnino abraſi, ex eo quod in lege quæritis iuſti fieri. Et amplius explanans ſubdit. A GRATIA EXCIDISTIS. hoc eſt, qui in operibus legis quæritis iuſti fieri perdidiſtis iuſtitiam Chriſti quæ eſt ex gratia. Vnde & ſubdit:

Verſ. 5. NOS ENIM SPIRITV. adoptionis. EX FIDE. non ex operibus legis. SPEM. hoc eſt, rem ſperatam. IVSTITIÆ EXPECTAMVS. præmiũ ſperatum ex iuſtitia expectamus. Vnde & alibi dicebat. *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*

Verſ. 6. NAM IN CHRISTO IESV. hoc eſt, in Chriſtianis. NEQVE CIRCVNCISIO ALIQVID VALET. Non dicit *aliquid nocet* (iam enim dixerat quòd plurimum nocet) ſed dicit quod *nihil valet*: vt intelligant Galatæ, quod circunciſio Iudæorum qui erant Chriſtiani, nihil eis conferebat ad Chriſtianitatem, ad ſpiritualitatem Chriſtianorum. NEQVE PRÆPVTIVM. hoc eſt, gentilitas Chriſtianorum qui ex gentibus conuerſi ſunt, confert eis aliquid ad Chriſtianitatem. SED FIDES QVÆ PER CHARITATEM OPERATVR. *In Chriſto nil prodeſt circunciſio, ſed fides cum charitate.* Quæ eſt communis tam circunciſis quàm incircunciſis: quæ non eſt in corpore, in quo eſt circunciſio & præputium, ſed eſt in anima. Et quoniam fides ſine dilectione mortua eſt, ideo declarat de qua fide loquitur (dicendo quod valet in Chriſto) videlicet de fide quæ per dilectionem operatur: hoc eſt exercet vim ſuam. Ac ſi apertius dixiſſet quòd fides non exercens vim ſuam per dilectionem, non eſt illa de qua loquor. Hanc Theologi conſueuerunt appellare fidem formatam, illam verò fidem informem.

Verſ. 7. CVRREBATIS BENE. in fide Chriſti ad ſimilitudinem currentium bene proficiebatis. QVIS VOS IMPEDIVIT VERITATI NON OBEDIRE? pro, *non credere*. Credere ſiquidem legalia vt neceſſaria ad ſalutem, eſt non credere veritati Euangelicæ: & hoc eſt impedire curſum fidei. NEMINI CONSENSERITIS. Superflua ſunt hæc verba.

Verſ. 8. PERSVASIO HÆC. Superfluit *hæc*. NON EST EX EO QVI VOCAT VOS. hoc eſt, non eſt ex Deo perſuaſio impediens curſum Euangelicæ fidei.

Verſ. 9. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* MODICVM FERMENTVM TOTAM MASSAM CORRVMPIT. pro, *fermentat*. Dixit *modicum fermentum*, quia non agebatur cum Galatis de vniuerſa lege ſeruanda, ſed de quibuſdam extimonialibus, ſcilicet circunciſione & obſeruatione feſtorum. Propterea enim terrendo dixerat quòd

quòd ſecundum ſequelam *qui circuncidiuur eſt debitor vniuerſæ legis faciendæ.* Propterea modò dicit modicum fermentum fermentare totam maſſam: vt intelligant quòd huiuſmodi modicum Iudaiſmi fermentat totam vitam eorum vt non ſit in puritate Euangelica, vt intelligant quòd quantumcunque modicum legalium aduerſatur puritati Euangelicæ veritatis.

Verſ. 10. EGO CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO. Non dicit *confido in vobis*, ſed appoſuit *in Domino*: ad explicandum quòd confidit in gratia Dei in eis. QVOD NIHIL ALIVD SAPIETIS. pro, *ſentietis*. Segregat Paulus Galatas à pſeudoapoſtolis: & quoad ipſos Galatas ſpem ſe habere ſignificat quòd nihil aliud ab Euangelica veritate ſentient, receptâ hac Epiſtolâ. De pſeudoapoſtolis autẽ dicit, QVI AVTEM CONTVRBAT VOS, PORTABIT IVDICIVM QVICVNQVE EST ILLI. abſque exceptione punietur (proculdubio à Deo) qui conturbat vos à quiete Euangelica.

Verſ. 11. Ego autem fratres ſi circuncisionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ad excludendum obiectionem detrahentium Paulo quod ipſemet prædicabat circumciſionem alibi, dicit manifeſtè hoc conuinci falſum ex eo quòd ipſe perſecutiones tot patiebatur à Iudæis propter hoc quòd aduerſabatur circumciſioni. Si prædicarem circumciſionem, non paterer perſecutiones. ERGO EVACVATVM. pro, *abolitum*, EST SCANDALVM CRVCIS? interrogatiue legendum eſt: ſi circumciſionem prædico, ergo abolitum eſt ſcandalum crucis, abrogatum, caſſum, annullatum eſt offendiculum crucis. Iudæi enim non ægrè ferunt prædicari Chriſtum crucifixum, niſi pro quanto prædicatur ſufficiens ad ſalutem ſine legalibus. Et propterea ſi prædicaremus ſimul legalia cum Chriſto crucifixo, annullatum eſſet offendiculum crucis, non eſſet eis crux Chriſti offendiculum, cuius contrarium continuè apparet in prædicatione mea. *Nos enim prædicamus Chriſtum crucifixum Iudæis ſcandalum.*

Oſtendit ſe non prædicare circumciſionem.

Verſ. 12. Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant. pro *à ſtatu dimouent.* Imprecatio eſt amputationis pudendorum, non ex odio, ſed ex iuſtitia. Dicendo enim vtinam & abſcindantur, inſinuat copulationem ad circunciſionem. Et eſt ſenſus: vtinam non ſolum circuncidantur, remotione pelliculæ, ſed etiam abſcindantur, ſectione pudendorum. Et ſubiungit peccatum propter quod merentur talem pœnam, dicendo, qui vos à ſtatu dimouent. Dixerat ſuperius, *libertate ſtate*. Et propterea modò dicit, à ſtatu Euangelicæ libertatis vos dimouent in ſeruitutem legis.

Abſcindi hic quid.

Verſ. 13. Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres. Dixerat *libertate igitur qua Chriſtus nos liberauit ſtate*: intendit modò declarare quæ ſint officia talis libertatis, & quæ ſint tali libertati contraria. Et quoniam Gentiles non erãt à ſeruitute legis liberati (vtpote qui nunquam ſub lege fuerant) ſed erant ad libertatis ſtatum aſciti, ideò ad illos dicit, *vos in libertatem vocati eſtis*, non qualitercunque ſed fratres: vt ex hac adiectione exprimeretur veræ libertatis actio quæ eſt fraterna dilectio. Ac ſi apertiùs dixiſſet, vos vocati eſtis in libertatem Chriſti amore fraterno. Vnde vtrumque explicando & à libertate inchoans dicit, TANTVM NE LIBERTATEM IN OCCASIONEM DETIS CARNIS. Superfluit *detis*. Et non *carnis* in genitiuo, ſed in datiuo legendum eſt, *carni*. Ita quòd ſine verbali copula Paulus dicit, *tantum ne libertatem in occaſionem carni*. Et poteſt conſtrui particula hæc cum prædente, cum participio *vocati*. Ita quòd ordo literæ ſit: Vos eſtis vocati in libertatem, tantum ne libertatem in occaſionem carni, ſubaudi intelligatis vos vocatos. Exponit ſiquidem libertatem non eſſe interpretandam in occaſionem carni, hoc eſt, carnali libertati, carnalibus affectibus. Et hoc eſt primũ contrarium libertati Euangelicæ. SED PER CHARITATEM SPIRITVS SERVITE INVICEM. Superfluit *ſpiritus*. Explicat officium illius particulæ *fratres*, eſſe dilectione, non carne, non timore, non coactione legis ſeruire inuicem. Talis enim ſeruitus eſt officium congruum Euangelicæ libertati. Vbi cernis libertati Euangelicæ non aduerſari omnem ſeruitutem. Seruitus ſiquidem mutua ex amore, expreſſè dicitur officium libertatis. Et rurſus cernis aduerſari libertati Euangelicæ libertatem carnis.

Non omnis ſeruitus aduerſatur libertati Euangelicæ.

Omnis enim lex in vno ſermone impletur Deeſt, *ſcilicet*, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Verſ. 14.
Quod dixerat *fratres*, & poſtea *ſeruite inuicem per dilectionem*, manifeſtat reddendo rationem: quia omnis lex impletur in hoc vno mandato. Vbi aduerte erudite lector ſignificari quòd libertas Euangelica non eſt libertas ab adimpletione legis moralis. Probat ſiquidem Paulus quòd ſeruire inuicem per dilectionem (quod eſt officium Euangelicæ libertatis) eſt adimplere omnem legem, implendo præceptum, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Conſtat enim quòd de lege morali eſt ſermo: quoniam vniuerſa lex moralis hac vna obſeruatione impletur. Non meminit autem legis eorum quæ erga Deum ſunt: quoniam tota quodammodo Epiſtola hæc de veritate Euangelica (quæ lex eſt eorum quæ ad Deum ſunt) tractauit. Quod autem dicitur, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*, in Euangeliis explanauimus propriiſſimè eſſe dictum: & ſignificare vt amore amicitiæ quilibet diligat proximum: hoc eſt, velit bonum proximo propter ipſum proximum. Tali enim modo quilibet diligit ſeipſum, ſcilicet propter ſeipſum.

Seruire inuicem per dilectionem eſt adimplere omnem legem.

QVOD SI INVICEM MORDETIS ET COMEDITIS, VIDETE NE INVICEM CONSVMAMINI. Verſ. 15.
Sub vniuerſa lege morali multa ſunt præcepta affirmatiua, & multa negatiua. Et de præceptis quidem affirmatiuis pro euidenti reliquit Paulus quòd omnia implẽtur implendo hoc vnum affirmatiuum, *diliges proximum tuum ſicut teipſum*: de negatiuis autem (vtpote diſſimilis formæ ab hoc affirmatiuo) manifeſtauit metaphorico ſermone quòd etiam implentur in hoc vno. Vnde dicendo metaphoricè *ſi inuicem mordetis & comeditis*, vniuerſas actiones præceptis negatiuis prohibitas comprehendit: morſu ſiquidem nocumenta minora, comeſtione autem nocumenta maiora ſignificat. Et ab effectu monſtrat contrariari dilectioni proximi, dicendo *videte ne abinuicem conſumamini*. Vnum enim ab alio conſumi manifeſtè contrariatur dilectioni.

Morſu nocumenta minora: comeſtione nocumenta maiora ſignificat.

Dico

Verſ. 16. DICO AVTEM IN CHRISTO. Superfluit *in Chriſto*. Explicat illam particulam, *tantum ne libertatem in occaſionem carni*: manifeſtando modum quo libertas Euangelica ſeruanda eſt abſque libertate carnis. SPIRITV AMBVLATE, ET DESIDERIA. pro, *deſiderium*, CARNIS NON PERFICIETIS. Ac ſi apertiùs dixiſſet, Libertas Euangelica eſt libertas ſpiritus, ambulate ſpiritu: & hic eſt modus, quo concupiſcentiam carnis non adimplebitis.

Si quæris de quo ſpiritu eſt ſermo: ex iis quæ infra ſubiungit (videlicet *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*: & poſtea: *fructus autem ſpiritus eſt, charitas*, &c.) apparet quod de Spiritu ſancto perficiente ſpiritum noſtrum eſt ſermo. Et hoc ſpiritu demonſtrante, dirigente atque impellente, dicit ambulandum eſſe non corporis ſed animi greſſu. Significanter autem non dicit *& deſiderium carnis non habebitis*: ſed dicit *non perficietis*: quoniam carere concupiſcentiâ carnis, non eſt hominis mortalis, ſed non executioni mandare, non perficere conſenſu concupiſcentiam carnis, opus eſt ſpiritus.

Carere concupiſcentiâ non eſt hominis mortalis.

Verſ. 17. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.

Probat efficaciam documenti ex contrarietate deſideratorum à carne & ſpiritu. Et eſt ſermo de carne infecta peccato ſaltem originali: inde enim caro concupiſcit aduerſus ſpiritum & non ex primæua creatione. In cuius ſignum in ſtatu innocentiæ erant Adam & Eua nudi, nec erubeſcebant. Nec oportet literis declarare hanc contrarietatem, quam quotidie experimur. *Hæc enim* pro, autem, SIBI INVICEM ADVERSANTVR. Declarat vehementiam contrarietatis inter carnem & ſpiritum. VT NON QVÆCVNQVE VVLTIS ILLA FACIATIS. Non dicit, vt nulla quæ vultis, ſed dicit, *vt non quæcunque*: ſignificans quod aliqua volumus quæ non facimus. Tam vehementer enim caro & ſpiritus mutuò aduerſantur, vt aliqua velimus & tamen non faciamus. Ex parte ſiquidem carnis tanta eſt inclinatio ad carnalia, vt multa quæ ſecundum rationem volumus non faciamus: vt patet apud incontinentes: & è conuerſo ex parte ſpiritus patet apud continentes. In vtriſque enim pugna eſt manifeſta: ſed continens facit quod vult quoad executionem deliberatam, non tamen facit quod vult quoad affectus quos inuitus patitur: incontinens autem nec etiam quoad executionem facit quòd vult victus à paſſione.

Mutua carnis & ſpiritus repugnãtia.

Verſ. 18. QVOD SI SPIRITV DVCIMINI, NON ESTIS SVB LEGE. Dixerat *ſpiritu ambulate & deſiderium carnis non perficietis*. Et cùm hoc declaraſſet ex contrarietate ſpiritus & carnis, explicat quod ſuppoſuerat: videlicet quòd ambulare ſpiritu eſt libertatis Euangelicæ. hoc enim ſignificat dicendo *quòd ſi ſpiritu ducimini*. Quod dixerat *ſpiritu ambulate*, explicat modò officium ſpiritus: hoc eſt, ſpiritu duce ambulate, hoc ſiquidem ſignificat *ſpiritu ducimini*. Libertas autem Euangelica à lege Moyſi explicatur, dicendo *non eſtis ſub lege*. De illa ſiquidem lege eſt ſermo, de qua millies in hac epiſtola loquitur. Et ſi contuleris, erudite lector, hæc verba cum paulò ſuperius dictis (*omnis enim lex in vno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut teipſum*) perſpicies quod vel per *ſub lege*, intelligit legem quoad legis propria; ad differentiam mutuatorum ex lege naturæ: qualia ſunt moralia omnia, quæ implentur in hoc vno *diliges proximum tuum ſicut teipſum*: vel vim facit in præpoſitione *ſub*, ſignificando ſeruitutem. Qui enim ſpiritu ducuntur, ad legem tenentur ex dilectione, non ex ſeruitute, & propterea dicitur *non eſtis ſub lege*.

MANIFESTA SVNT AVTEM OPERA CARNIS. Verſ. 19.
Propoſuerat duo contraria, carnem & ſpiritum: ne hæſitaremus diſcernendo inter opera carnis & ſpiritus, attulit vtriuſque opera. QVÆ SVNT. Decem & ſeptem carnis opera affert Paulus: ſed in textu Latino deficit primo loco, ADVLTERIVM, FORNICATIO. cum ſoluto. IMMVNDITIA. contra naturam. IMPVDICITIA. laſciuorum tactuum, & huiuſmodi. LVXVRIA. Superfluit.

Carnis opera 17. affert Apoſtolus.

IDOLORVM SERVITVS. hoc eſt, idololatria, Verſ. 20.
VENEFICIA. pro *veneficium*, venenandi actus. INIMICITIÆ. odia in animis ſunt. CONTENTIONES. pro, *lites*. exteriùs. ÆMVLATIONES. In malam partem vtitur Paulus æmulationibus pro prauis ſtudiis ad idem tendentium. IRÆ. appetitiones vindictarum. RIXÆ. in factis. DISSENSIONES. pro. *ſeditiones* inter conciues. SECTÆ ſeu hæreſes. Et hoc etiam in malam partem vtitur Paulus.

INVIDIÆ. manifeſtum eſt vitium. HOMICI- Verſ. 21.
DIA. ſeu cædes. Quod eſt vltimum nocumentum. EBRIETATES in potu. COMESSATIONES. in cibo. ET HIS SIMILIA. ne putares enumerata omnia.

Si quæris quo pacto verificatur quòd hæc omnia ſint opera carnis, cùm multa horum ſiſtant in mente. Solutio eſt quòd hæc omnia ſunt ex fomite, qui carni aſcribitur. Ex contrarietate ſiquidem fomitis ad ſpiritum proficiſcuntur: fomes autem ex peccato eſt originali.

Quomodo hæc omnia ſint opera carnis.

Quæ prædico vobis, ſicut prædixi. verbo. QVONIAM. pro, *quod*, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. pro, *hæreditabunt*. Occurrit hìc quæſtio quo pacto verificatur quòd *qui talia agunt regnum Dei non hæreditabunt*: cùm aliqua horum non ſint peccata mortalia: & conſtat quòd tantummodo peccatum mortale excludit adultos ab hæreditate regni cœleſtis. Solutio eſt quòd hæc omnia intelliguntur cum duabus conditionibus communibus, in materia morali ſubintellectis. Altera eſt ex parte formæ, quòd eſt ſermo formalis, hoc eſt, de his operibus vt ſic, ex intentione factis. Altera eſt ex parte materiæ, quòd non eſt ſermo de iis quæ excuſantur à peccato mortali ob conditionem materiæ, quæ parum nocet: nam ſermo eſt de iſtis operibus in materia nociua mihi vel proximo. His ſiquidem ſubintellectis clarè patet omnia hæc eſſe peccata mortalia. Nam lites vt ſic (hoc eſt ad litigãdum) nocent proximo: & ſimiliter æmulationes vt ſic, ad impediendum proximum tendunt: iræ, vltionem Deo vel iudici reſeruatam appetendo, manifeſte iniuriantur Deo vel iudici. Sectæ ſeu hæreſes communi bono nocent: non enim eſt ſermo de hæreſibus in fide Chriſti, ſed in ciuilibus ſeu moralibus à communi bono recedentibus. Comeſſationes autem (hoc eſt crapulas) notabiliter homini nocentes vt ſic, eâdem ratione qua ebrietates notabiliter nociuas homini vt ſic ex ſuo genere patet eſſe mortalia peccata, apud intelligentes quod formaliter nocere homini, ex ſuo genere eſt peccatum mortale.

Quomodo hæc peccata cum non ſint omnia mortalia, excludant à regno Dei

Nocere homini formaliter ex ſe eſt peccatum mortale.

FRVCTVS

Verſ. 22. FRVCTVS AVTEM SPIRITVS EST. Nota diſparitatem ſermonis. De carne loquens dixit *opera*, de ſpiritu verò dicit *fructus*: rurſus de operibus carnis dixit pluraliter *ſunt*, de operibus ſpiritus dixit ſingulariter, *fructus autem ſpiritus eſt*: ad ſignificandum quòd malum contingit ex ſingularibus defectibus, bonum autem ex cauſa integra. Inter opera autem & fructus manifeſta eſt diſparitas: quòd illa, opera quidem ſunt, ſed non expectata: fructus autem expectatus eſt, vt intelligamus illa præter intentionem auctoris naturæ tanquam ex neceſſitate materiæ prouenire: hæc autem ex intentione diuina proficiſci tanquam fructus ex ſpirituali arbore. CHARITAS, GAVDIVM, PAX, PATIENTIA. Superfluit *patientia*. LONGANIMITAS. quâ animus ad æternitatis longitudinem protenditur expectando. BONITAS, BENIGNITAS. Tranſpoſitæ ſunt, & benignitas quidem refertur ad feracitatem bonorum ad proximos: bonitas autem ad rectitudinem appetitus, quâ bonum hominem dicimus.

Fructus ſpiritus.

Verſ. 23. MANSVETVDO, FIDES. Tranſpoſitæ quoque & hæ ſunt: & fides quidem virtus eſt moralis, quâ fiunt dicta: ſicut & manſuetudo virtus moralis eſt, moderatrix iraſcibilis. MODESTIA, CONTINENTIA, CASTITAS. Nulla harum trium eſt in textu: ſed poſt prædicta octo legitur nono ac poſtremo loco. TEMPERANTIA. quæ eſt virtus nota. ADVERSVS HVIVSMODI NON EST LEX. Et dixit hoc ad explicandum rationem eius quod dixerat, *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Ratio ſiquidem eſt, quia aduersùs opera ſpiritus non eſt lex: exemptio operum ſpiritus à pœna legis eximit homines qui ſpiritu ducuntur à ſeruitute legis.

Aduerſus virtutis actus non eſt lex.

Et bene nota aduerſus huiuſmodi non eſſe legem, vt intelligas nullam legem præcipere aduersùs virtutis actus: ac per hoc nullum principem etiam Eccleſiaſticum poſſe præcipere aduersùs virtutis actus.

Verſ. 24. QVI AVTEM SVNT CHRISTI, CARNEM SVAM. Superfluit *ſuam*, CRVCIFIXERVNT CVM VITIIS, pro *affectibus*, ET CONCVPISCENTIIS. Manifeſtatis iis quæ ſunt carnis, & iis quæ ſunt ſpiritus, & exemptis ambulantibus ſpiritu à lege, ſubiungit qualiter iſti met ſe habent ad ea quæ ſunt carnis. Et quos prius nominauerat *ambulantes ſpiritu*, modò nominat *qui ſunt Chriſti*, eà ratione quia ad imitationem Chriſti ſe habent circa ea quæ ſunt carnis. Et dicit de iſtis quòd crucifixerunt carnem (proculdubio propriam) hoc eſt, cruciatibus affecerunt propriam carnem imitando Chriſtum, vſque adeò quòd etiam cruciatu affecerunt affectus & concupiſcentias: vt affectus referantur ad paſſiones animi, concupiſcentiæ autem ad carnales motus: incipiunt enim quandoque ab anima, quandoque à carne hæc quæ domanda ſimul cum carne ſunt. Addidit enim hæc, vt intelligamus non ſufficere cruciatum carnis abſque cruciatu paſſionum.

Verſ. 25. SI SPIRITV VIVIMVS, SPIRITV ET AMBVLEMVS, pro *incedamus*. Tractat hîc illam particulam, *ſunt quidam qui conturbant vos*. Dixerat *ſpiritu ambulate*, ad excludendum opera carnis: modò reſumendo declarat ipſam ambulationem dupliciter: primò excludendo deformitates morum quæ in pſeudoapoſtolis apparebant: deinde ipſam ambulationem exponendo. Inchoat autem partem hanc in prima perſona pluraliter loquendo (cùm hactenus locutus fuerit in ſecunda perſona) ad inſinuãdum quòd pars hæc de doctoribus præcipuè tractat. Et quẽadmodum ad Corinthios deſcribendo conditiones miniſtrorum noui Teſtamenti, ad hoc deſcribit vt diſcernantur mali miniſtri & caueant ſibi Corinthij ab illis, ita in hac parte vitia malorum doctorum tangit deſcribendo in prima perſona quales debemus eſſe, ad hoc vt Galatæ vel ex moribus malis agnoſcãt pſeudoapoſtolos non eſſe bonos Chriſti miniſtros, ſed perturbatores ipſorum. Dictio interpretata *ambulemus*, plus ſignificat: ſignificat enim incedamus: hoc eſt, compoſito gradu ambulare. Loquitur enim Apoſtolus de ordinata ambulatione ſecundùm ſpiritum: & infert ex vita ſpiritus (dicendo *ſi ſpiritu viuimus*, intus) *ſpiritu & incedamus*, extrà.

Vitia malorum Doctorum hic tangit.

NON EFFICIAMVR INANIS GLORIÆ CVPIDI. Verſ. 26.
Quinque proponit: duo affirmatiua (*ſi ſpiritu viuimus*, *ſpiritu incedamus*) & tria negatiua: vt his quinque deſcribat mores pſeudoapoſtolorum. In vniuerſis ſiquidem his peccabant, propter quod, primum prohibet cupiditatem inanis gloriæ quæ regnabat in pſeudoapoſtolis. Nec dicit, non efficiamur cupidi gloriæ, ſed gloriæ inanis, quæ ſcilicet conſiſtit in opinione hominum: eſt enim vacua valde à fructu interno huiuſmodi gloria: nec etiam dicit, non ſuſtineamus gloriam inanem (quoniam aliorum opinio non eſt in poteſtate noſtra) ſed dicit, *non efficiamur cupidi*: quia cupiditas inanis gloriæ in poteſtate noſtra eſt, & cupiditas talis culpa eſt.

INVICEM PROVOCANTES. Hoc eſt aliud vitium pſeudoapoſtolorum, prouocantium veros Chriſti miniſtros tanquam ad certamen. Docendo ſiquidem ſeruari legalia, prouocabant docentes contrarium ad certamen: hoc enim familiare eſt nouis doctoribus prouocare priores ad certamen: tanquam ipſi doceant ea quæ ſunt legis diuinæ, nec alij poſſint reſiſtere.

INVICEM INVIDENTES. Ex affectu gloriæ propriæ & ex inuidia alienæ gloriæ prouenit prouocatio. Vnde hæc tria vitia pſeudoapoſtolorum proponit Paulus fugienda ſibi & aliis doctoribus, ad deſcribendum (vt dictum eſt) nouorum doctorum vitia: vt ſi non ex Euangelica veritate, ſaltem ex malis moribus cognoſcant illos Galatæ.

CAPVT VI.

FRATRES. Exequitur quinque pro- Verſ. 1.
poſita incipiendo à negatiuis, ſimul ea tractando in actione vna, ſcilicet corrigendi delinquentes: eo quòd in modo exercendi hanc actionem diſcerni poterant huiuſmodi vitia. ET SI PRÆOCCVPATVS FVERIT HOMO IN ALIQVO DELICTO. Duas conditiones alleuiantes tangit. Alteram modi peccandi, dicendo, *ſi occupatus fuerit homo*, ad differentiam eius qui ex propoſito peccat, occupatus enim patiens potius deſcribitur quàm agens: ad ſignificandum peccatum ex infirmitate ſeu paſſione

procedens. Alteram generis peccati, dicendo *in aliquo delicto*. Delictum enim peccatum eſt à præceptis affirmatiuis declinans: ad differentiam peccati contra præcepta negatiua. Minùs ſiquidem malum eſt prætereire affirmatiua quàm negatiua, quia negatiua nullam admittunt excuſationem (vtpote obligantia ſemper & ad ſemper; & peccatum non committitur contra ea, niſi agendo) affirmatiua verò obligant pro loco & tempore, & peccatum contra ea, ſola omiſſione committitur. VOS QVI SPIRITVALES ESTIS. profeſſione & officio: doctores ſiquidem alloquitur. HVIVSMODI INSTRVITE, pro *reparate*, ruinam eius qui cecidit reparate, inſtaurate. IN SPIRITV LENITATIS, pro *manſuetudinis*. Hæc eſt forma reparandi lapſos, vt actio correctiua procedat in ſpiritu manſuetudinis: ad differentiam eorum qui impetuosè ſæuiunt in delinquentes. Et creditur Paulum hæc dixiſſe, eo quòd pſeudoapoſtoli contra delinquentes indignabundi procedebant: in hoc enim vult cognoſci vere ſpirituales paſtores, quòd in ſpiritu manſuetudinis procedunt, ad reparandum, non ad puniendum. CONSIDERANS TE IPSVM, NE ET TV TENTERIS. Mutat loquendi modum alloquens quemlibet paſtorem ſingulariter. Ratio ſpiritus manſuetudinis redditur conſideratio propriæ fragilitatis, ne tu ſimiliter tenteris ſicut ille qui lapſus eſt.

Delictum eſt contra præcepta affirmatiua.

Negatiua præcepta excuſationem non admittunt.

Correctio fiat in ſpiritu manſuetudinis.

Verſ. 2. ALTER ALTERIVS ONERA PORTATE. Rationem reddit eius quod dixerat, *huiuſmodi reparate*, fit enim reparatio adiuuando proximum ad portandum onus, quod fit tum affectu compaſſionis, tum effectu ſubuentionis, tum ſuffragio orationum, tum moderando punitionem. ET SIC ADIMPLEBITIS, pro *adimplete*, LEGEM CHRISTI. Dictio interpretata *implete*, plus ſignificat, ſcilicet *readimplete*, denuo implete. Significatur enim quòd id quod ſubtractum eſt legi Chriſti per lapſum, redintegretur huiuſmodi adiutorio: lex autem Chriſti lex eſt ſpiritus vitæ, quæ alio nomine lex charitatis dicitur. Adiuuando ſiquidem proximos readimpletur quod euacuatum erat, quod deficiebat charitati.

Verſ. 3. NAM SI QVIS EXISTIMAT SE ALIQVID ESSE. Rationem reddit eius quod dixerat *conſiderans teipſum*. CVM NIHIL SIT, IPSE SE SEDVCIT, pro *ſeipſum mente fallit*. Eſt enim dictio Græca compoſita ex *mente* & *fallere*.

Aduerte quòd pronomen *ſe* (cùm dicitur, *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe*) demonſtrat hominem ſecundùm id quod eſt ex parte ſui, vt diſtinguitur contra id quod eſt ex parte diuini doni. Et quia homo ex parte ſui non niſi quæ imperfectionis ſunt efficit, imò niſi quod imperfectionis eſt habet (ſicut aër ex parte ſui non niſi tenebras habet, & nihil habet luminis) ideo de ipſo dicit Paulus, quòd cùm nihil ſit, ſeipſum mente fallit. Siue intelligas quòd omnino nihil eſt, quia ex nihilo eſt, & ex parte ſui in nihilum rediret: ſiue intelligas de nihilo ſecundùm eſſe gratiæ: quouis enim modo exiſtimans ſe aliquid eſſe ſeipſum intus fallit. Eſt enim manifeſta ratio deceptionis internæ ex eo quod nihil eſt, & ipſe exiſtimat ſe aliquid eſſe: ſiue in eſſe naturæ ſiue in eſſe gratiæ. De quo tamen videtur potiùs intelligendum, eo quòd eſt directe ad propoſitum.

Homo ex ſe nihil eſt.

OPVS AVTEM SVVM PROBET VNVSQVISQVE. Verſ. 4.
Non ſufficit Paulo vnumquemque ex ſuiipſius conſideratione monere ad reparationem proximi in ſpiritu manſuetudinis, ſed etiam monet vt vnuſquiſque proprium examinet opus: vt ſi fallitur conſiderando ſeipſum, non fallatur examinando opus proprium: manifeſtius ſiquidem cuique eſt proprium opus, quàm proprium eſſe. ET SIC, pro *& tunc*, IN SEMETIPSO TANTVM. Superfluit *tantum* GLORIAM, pro *gloriationem*, HABEBIT, ET NON IN ALTERO. Qui alteri peccanti non compatitur, ſed indignatur, gloriatur in defectu alterius: hoc eſt, gloriatur comparando ſe ad eum qui peccauit. Quo contra qui examinat ſua propria opera, inuenit quod ſibi diſplicet, & non gloriatur relatiuè ad alterum, nec in ſemetipſo. Ironicè ſiquidem dictum eſt, *& tunc in ſemetipſo gloriationem habebit*. Vnde & ſubditur,

VNVSQVISQVE ENIM ONVS SVVM PORTABIT. Verſ. 5.
Rationem enim reddit quòd nec in ſemetipſo gloriabitur, quia vnuſquiſque onus deformitatum proprij operis portabit coram iudicio Chriſti.

COMMVNICET AVTEM. Poſtquam deſcripſit Verſ. 6.
formam correptionis, abſque ſuperbia & vana gloria, cum manſuetudine & charitate ad deprehendendum ſupradicta vitia in pſeudoapoſtolis, excludit ex parte ſui omnem ſuſpicionem inuidiæ, adimplens id quod dixerat, *non efficiamur inuicem inuidentes*. Ad hoc enim ſubiungit hoc præceptum, in genere tamen. IS QVI CATECHIZATVR VERBO, EI QVI SE CATECHIZAT IN OMNIBVS BONIS. Dictionem Græcam interpres reliquit: cùm potuiſſet dicere *qui docetur*, & *qui ſe docet*. Præcipitur ſiquidem vt diſcipulus qui docetur ſermone, communicet Doctori in bonis omnibus: hoc eſt, ſuſtentando ipſum in omnibus temporalibus bonis: debentur enim euangelizantibus & inſtruentibus ab iis qui inſtruuntur ſuſtentationis ſtipendia, in cibo, potu, domo, veſtibus, & reliquis neceſſariis. Et dixit hoc non vt pſeudaopoſtolos demulceret, ſed vt cognoſcerent quòd doctoribus veritatis Paulus non inuidet, ſed vult eis exhiberi à Galatis bona omnia.

Euangelizantes & inſtruentes debent ſuſtentari bonis temporalibus.

NOLITE ERRARE. Exequitur primò propoſi- Verſ. 7.
tum, *ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu incedamus*. Errare ſiquidem opponitur inceſſui. Si ſpiritu, inquit, viuimus, nolite errare hinc inde, ſed ſpiritu incedite. DEVS NON IRRIDETVR. Hominibus poteſt illudi, homines poſſunt falli, Deus autem non poteſt irrideri, vtpote quem nulla latet ſimulatio. Et quòd hoc ſit verum, probat.

QVIA, pro *quod*, ENIM SEMINAVERIT HOMO, Verſ. 8.
HÆC, pro *hoc*, ET METET. Illuderetur Deo ſi mali ſeminis fructum bonum homo perciperet, aut ſi boni ſeminis fructum malum perciperet, ſed ex eo quòd homo id metet quod ſeminat, apparet quòd Deus non fallitur. Et vtitur ſimilitudine ſeminationis & meſſionis: ad ſignificandum latentem intentionem in opere per ſeminationem, & manifeſtam retributionem in futuro tempore meſſis.

QVONIAM QVI SEMINAT IN CARNE SVA. Explicat differétiam ſeminantium penès contraria ſuperiùs poſita, carnem & ſpiritum: ſeminare in carne propria eſt internum ſtudium latenter apponere ad ea quæ ſunt carnis: hoc eſt, ad propria bona: ex parte ſiquidem fomitis ſe

tenet

…tener inordinatus appetitus cuiuſcunque boni proprij. DE CARNE ET METET CORRVPTIONEM. Aptè fructus carnis deſcribitur corruptio, vtpote quæ corruptibilis manifeſtè eſt, & ex qua non niſi putreſcendo metuntur quodammodo quæ naſcuntur animalia, vermes, veſpæ, muſcæ, & ſimilia. Iuxta hanc metaphoram dicitur quod de carne metet corruptionem, hoc eſt, ea quæ ſunt corruptionis: qualia ſunt pœnalia in futura vita & vana in præſenti. QVI AVTEM SEMINAT IN SPIRITV. intentionem, ſtudium, vimque omnem ſuam locat in ſpiritu, in iis quæ ſunt Spiritus ſancti. DE SPIRITV METET VITAM ÆTERNAM. hîc inchoatiuè, & in futuro conſummatè: fructus enim vltimus ſpiritus eſt vita æterna. Et per hoc declarauit quid eſt ſpiritu viuere: & conſequenter declarat quid eſt ſpiritu incedere, ſubiungendo.

Carnis fructus corruptio.

Verſ. 9. BONVM AVTEM FACIENTES NON DEFICIAMVS. Non ſufficit ſeminare, ſed oportet bonum facere exteriori opere, nec hoc qualitercunque, ſed infatigabiliter, ſed inceſſanter. Et in promptu ratio ſubditur. TEMPORE ENIM SVO METEMVS NON DEFICIENTES. Tempus metendi (vt in Euangelio dicitur) in altera eſt vita: & tunc infatigabiliter metemus, abſque labore vſque ad ſatietatem fructus colligemus.

Verſ. 10. ERGO DVM TEMPVS HABEMVS. Concludit Paulus quod dum tempus eſt meriti, OPEREMVR BONVM AD OMNES. hoc eſt enim ſpiritu incedere, ad hoc ſpiritus incitat & ducit. MAXIME AVTEM AD DOMESTICOS FIDEI. Non corrigit quod dixerat *ad omnes*, ſed inter omnes præponit reliquis domeſticos fidei. Ita quòd non excludit aliquem, ſed arctiori vinculo aſtringit erga domeſticos fidei, proculdubio Chriſtianæ. Vbi omnes Chriſtiani, domeſtici appellati ſunt fidei: quia vniuerſa Eccleſia Chriſtiana vna eſt domus Dei viui: vt ipſe alibi dicit.

Verſ. 11. VIDETE QVALIBVS LITERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANV. Aiunt quod dictio interpretata *qualibus*, magnitudinem ſignificat. Ita quod ſenſus eſt, videte quam grandibus literis ſcripſi vobis manu meà. A differentia inter hanc Epiſtolam & ſcriptas ad alias Eccleſias (penes hoc quod alias ſubſcribebat Paulus manu propriâ, hanc verò totam manu propriâ ſcripſit) allicit Galatas. Significat enim per hoc quod tanti eorum ſalutem facit, tam vehementer illam affectat, vt manu ſuâ tam grandem epiſtolam ſcripſerit ad eos.

Hanc Epiſtolam totam manu propriâ ſcripſit Apoſtolus.

Verſ. 12. QVICVNQVE ENIM. Superfluit, *enim*. VOLVNT PLACERE IN CARNE. Ex induſtria Paulus interpoſuit excitationem Galatarum ad conſiderandum quòd propriâ manu ſcripſit, ſubiungendo vanitatem circunciſionis, vt hinc perpenderent Galatæ in quo conſiſtit ſumma totius negotij legalium, aduerſus quæ Paulus ſcribit. Et hactenus quidem vanitatem legalium monſtrauerat, maloſque mores pſeudoapoſtolorum inſinuauerat: modò demum quod ſupererat monſtrat, ſcilicet quod fictè fugiendoque perſecutionem pro gloria huiuſmodi noui doctores ingerunt Galatis legalia: ait enim quod quicunque doctores volunt Iudæis complacere in carne, hoc eſt, in carnalibus obſeruationibus. HI COGVNT VOS CIRCVNCIDI. Cogunt dicendo circunciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem. TANTVM VT CRVCIS. pro, *cruce*, CHRISTI PERSECVTIONEM NON PATIANTVR.

Cur legalia ingerunt noui doctores.

Volunt iſti Chriſtiani doctores placere Iudæis, vt non ſuſtineant perſecutionem à Iudæis ob crucem Chriſti: vt enim prius dictum eſt Iudæi non perſequebantur crucem Chriſti niſi vt abolentem legalia, & propterea iſti doctores volentes complacere Iudæis (vt per hoc ſubterfugerent perſecutionem ob efficaciam crucis Chriſti) prædicabant circunciſionem.

NEQVE ENIM QVI CIRCVNCIDVNTVR, LEGEM. Deeſt, *ipſi*, CVSTODIVNT. Manifeſtat fictam intentionem talium doctorum, quod non ſtudent in veritate vt obſeruetur lex: vt patet ex hoc quòd ipſi non cuſtodiunt legem, ſed ſtudent ad complacendum Iudæis, vt non commoueantur ad perſequendum eos. SED VOLVNT VOS CIRCVMCIDI VT IN CARNE VESTRA GLORIENTVR. hoc eſt, apud Iudæos glorientur ob circunciſam carnem veſtram, quòd fecerint tot proſelytos. Et hæc ratio vltimo loco reſeruata eſt: vtpote valde valida ad perſuadendum vt non circuncidantur. Verſ. 13.

MIHI AVTEM ABSIT GLORIARI. Et regione vani animi talium doctorum ſeipſum locat. Mihi inquit abſit, vt glorier in quacunque re. NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Illi timent efficaciam crucis euangelizare, imò contra efficaciam eius prædicant: ego autem non ſolum alienus ſum à timore, ſed in ſola cruce Chriſti gloriam meam loco. PER QVEM MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS EST ET EGO MVNDO. Facile eſt gloriari in cruce Chriſti, ſed non ſic, ſed non cum hoc effectu vt mundus ſit mortuus mihi, & ego mortuus mundo. Eſt ſiquidem mundus mortuus mihi, in hoc quod nihil mihi dat mundus, nihil appeto à mundo: ego verò ſum mortuus mundo, cùm nihil mei tribuo mundo, cùm mundus nihil expectat à me. Et ſumitur hic mundus pro vniuerſitate corporalium vt diſtinguuntur contra ſpiritualia. Ita quòd ſub mundo comprehenduntur omnes etiam legales obſeruationes, vtpote corporales, vt manifeſtat ſubiuncta ratio. Verſ. 14.

Mundus hic quid.

IN CHRISTO ENIM IESV NEQVE CIRCVNCISIO ALIQVID VALET NEQVE PRÆPVTIVM. Ecce ex quibus mundus conſtruitur. SED NOVA CREATVRA. conſtans ex hoc quod mundus eſt mihi crucifixus & ego mundo. Ideo enim mihi mundus crucifixus eſt & ego illi: quia in Chriſto nihil valent ea quæ ſunt mundi (ſiue circunciſio ſiue præputium) ſed tantummodo valet noua creatura, hoc eſt, ſpiritualis vita à Deo creata per gratiam Ieſu Chriſti, quæ nunquam veteraſcit, ſed ſemper eſt noua: & ſemper proficit, magis ac magis appropinquando ad nouitatem futuræ felicitatis æternæ. Verſ. 15.

ET QVICVNQVE HANC REGVLAM SECVTI FVERINT. pro *hac regula inceſſerint*. De doctoribus loquitur quod quicunque hac regula (ſcilicet gloriationis in cruce Chriſti ſic quod mundus ſit ei crucifixus & ipſe mundo) quicunque inquam hac regula inceſſum ſuum compoſuerint. PAX SVPER ILLOS ET MISERICORDIA. Pax vltimum eſt donum, miſericordia autem quemadmodum & gratia primum, vt in his comprehendantur omnia diuina dona. ET SVPER ISRAEL DEI. Accuſatiui caſus eſt *Iſrael*, & vniuerſum Chriſtianum populum ſignificat ex appoſitione *Dei*, ad differentiam Iſraelis non Dei, ſed carnalis populi, ſcilicet Iudaici in legalibus pertinacis. Et nominauit Chriſtianos Iſraelem Verſ. 16.

Pax vltimum donum, miſericordia primum.

T 2 Dei,

Dei, vt intelligant Galatæ, & pſeudoapoſtoli, quòd non aduerſatur Iſraëlitico populo quatenus eſt Dei, ſed quatenus eſt carnis: quandoquidem Iſraël Dei eſt ipſe populus Chriſtianus: eſt enim Iſraël non carnaliter, ſed ſpiritualiter.

Verſ. 17. DE CÆTERO NEMO MIHI MOLESTVS SIT: pro *moleſtias exhibeat.* Sufficiant, inquit Paulus hactenus obiectæ mihi falſitates (quòd ego foueo circumciſionem alibi, & ſimilia) deinceps nemo mihi huiuſmodi moleſtias exhibeat. Et ratio manifeſta omnibus eſt. EGO ENIM STIGMATA DOMINI IESV IN CORPORE MEO PORTO. Ad ſimilitudinem ſeruorum geſtantium in facie impreſſam notam Dominorũ inuſtione ferri factam, deſcribit ſe Paulus portare manifeſtè in corpore ſuo non vnam, ſed multas impreſſas notas Domini Ieſu. Et intẽdit per huiuſmodi ſtigmata innumeras plagas, quas pro Ieſu ſuſtinuerat: hoc eſt manifeſtum coram omnibus ſignum quòd ſum ſeruus Domini Ieſu, quòd ſum alienus à legalibus.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, condonans peccata, & liberans à ſeruitute legalium. CVM SPIRITV VESTRO FRATRES: ſupple *ſit*. AMEN, verè, ſeu, *fiat*. Verſ. 18.

Et ſic finitur Epiſtola ad Galatas. Cuius ſcriptio apud Græcos eſt, *Ad Galatas ſcripta Romæ.* Tradunt itaque Græci hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe Romæ, argumentum tamen huius epiſtolæ apud Latinos tradit ſcriptam fuiſſe Epheſi. *Romæ ſcripta eſt hæc Epiſtola.*

Caietæ die 24. Ianuarij, 1529.

Commentariorum Thomæ de Vio Caietani, Cardinalis ſancti Xyſti, in Epiſtolam ad Galatas, finis.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD EPHESIOS COMMENTARII.

CAPVT I.

Verſ. 1. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI PER VOLVNTATEM DEI. In exordiis aliarum Epiſtolarũ dictum eſt tum de nomine Pauli, tum de officio Apoſtolatus, quem ſpecificat fuiſſe immediatè à Chriſto, non ſuis meritis, ſed per voluntatem Dei. OMNIBVS SANCTIS: hoc eſt, mundis per baptiſmum. QVI SVNT EPHESI: nomen eſt ciuitatis in Aſia minori. ET FIDELIBVS IN CHRISTO IESV. *Sanctitatis* munditia refertur ad peccata, *fidelis* autem refertur ad virtutes. Prima enim virtus eſt fides in Chriſto Ieſu mater reliquarum virtutum. *Prima virtus eſt fides, mater reliquarum virtutum.*

Verſ. 2. GRATIA VOBIS ET PAX. Conſueta Paulo eſt hæc ſalutatio, comprehendens omnia dona Dei ab extremis gratiâ & pace. A DEO PATRE NOSTRO, tum creatione, tum gubernatione, &c. ET DOMINO IESV CHRISTO, Redemptore, & Saluatore noſtro.

Verſ. 3. BENEDICTVS DEVS. Poſt ſalutationem incipit tractatus, in quo primò more ſolito proponit materiam tractandam. *Benedictus*, inquit, benedictione laudis, ſupple, ſit *Deus*. Nomen naturæ eſt Deus. ET PATER. Nomen eſt primæ perſonæ Trinitatis. DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Ad vtrumque poteſt referri (ſcilicet tum Deum, tum patrem) obliquus iſte, eo quòd Deus eſt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecundùm humanam naturam, & eſt pater naturalis eiuſdem ſecundùm diuinam: iuxta verbum ipſius, *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* QVI BENEDIXIT NOS. Benedicere Dei eſt benefacere: & ſic dictum eſt, qui benedixit nos, perinde ac ſi dixiſſet, qui benefecit nobis. *Benedicere Dei, eſt, benefacere.* IN OMNI, non in aliqua ſic, & in aliqua non. BENEDICTIONE, hoc eſt, beneficio. SPIRITVALI, ad differentiam benedictionum corporalium, quibus in Deuteronomio benedictus eſt populus

hus Iudaicus : non ſic talibus benedictionibus benedixit nos Deus , ſed ſpiritualibus beneficiis omnibus. IN COELESTIBVS , pro *in ſupercœleſtibus* , ad differentiam donorum ſpiritualium præſentis vitæ. IN CHRISTO : hoc eſt, non in nobiſipſis , ſed in Chriſto , cuius ſumus membra. Loquitur ſiquidem Paulus de benedictione quâ iam benedicti ſumus, ſuſceptâ in Chriſto homine omni benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus : nobis enim Chriſtianis collata ſunt beneficia omnia, quæ ſunt iam in Chriſto. Et hæc ſunt beneficia nobis collata quæ proponit.

Verſ. 4. SICVT ELEGIT NOS IN IPSO ANTE MVNDI CONSTITVTIONEM. Particula *ante muni conſtitutionem*, determinat verbum *elegit* : & particula *in ipſo*, determinat pronomen *nos* : ex parte ſiquidem electorum ſe tenet. Et eſt ſenſus : nos in ipſo , proculdubio Chriſto , hoc eſt , nos membra ipſius. Explicatur ſiquidem quòd non ſumus electi ſeorſum, ſed iuncti Chriſto , vt membra Chriſti : ratio enim electorum ex parte rei electæ ſignificatur Chriſtus , & huiuſmodi electio non noua, ſed ante fundationem mundi deſcribitur. Affertur autem hoc ad manifeſtandum quòd Deus ſic benedixit nos , ſic adimpleuit benedictionem noſtram omnium ſpiritualium beneficiorum in ſupercœleſtibus in Chriſto , quemadmodum elegit ante fundationem mundi nos membra Chriſti : vt intelligamus huiuſmodi benedictionem noſtram fore omnino conformem æternæ electioni noſtri.

Electi ſumus in Chriſto ante mundi conſtitutionem.

Vbi aduerte per verbum *elegit* , ſignificari quòd diſcreuit nos ab aliis , proculdubio non electis. Electio enim ſignificat refutato alio optionem alicuius. Vnde in ipſo electionis beneficio aliorum reprobatio conſignificatur: ſed nunc de noſtræ electionis beneficio eſt ſermo, quæ tanto maius eſt beneficium , quanto de maſſa perditionis ſumus diſcreti.

VT ESSEMVS SANCTI ET IMMACVLATI, pro, *irreprehenſibiles* , IN CONSPECTV EIVS IN CHARITATE, pro *dilectione*. Ne errares confiſus in beneficio electionis , explicauit ad quid ſumus electi membra Chriſti in hac vita. Explicauit autem quatuor. Primum vt eſſemus ſancti , quod per baptiſmum conſequimur, quoniam per ipſum mundamur ab omnibus peccatis. Secundum vt eſſemus irreprehenſibiles in actionibus noſtris. Tertium , in dilectione. Sanctitas ſiquidem & irreprehenſibilitas ad mala referuntur, dilectio autem ad bona. Quartum *in conſpectu eius*, ſcilicet Dei, non in apparentia coram hominibus, ad excludendum fictionem. Et hinc clarè liquet vanam eſſe confidentiam in electione, niſi det homo operam, vt has habeat electorum conditiones: quoniam ad has habendas in hac vita electi ſumus , inquit Paulus.

Quatuor electionem ſequuntur.

Verſ. 5. QVI PRÆDESTINAVIT NOS IN ADOPTIONEM FILIORVM. Superfluit *filiorum*. PER IESVM CHRISTVM IN IPSVM. Non ſufficit Paulo explicare electionem (per quam diſcernimur à malis) ſed explicat etiam prædeſtinationem, per quam ſimiliter ab æterno ordinamur ad bonum adoptionis. Et quemadmodum de noſtra electione dixit , *Elegit nos in ipſo* Chriſto , ita de noſtra prædeſtinatione dicit, quòd *prædeſtinauit nos in adoptione* (hoc eſt, vt ſimus filij adoptiui, per Ieſum Chriſtum filium naturalem. Conſtat namque quòd adoptionem adipiſcimur non noſtris meritis , ſed per merita Ieſu Chriſti.

Quod autem adiungit *in ipſum* , intellige Deum. Carent ſiquidem Græci diſtinctiuo pronominis abſoluti, vel reciproci. Et hoc in loco reciprocum intelligendum videtur pronomen, vt ſignificetur quòd Deus prædeſtinauit nos in adoptionem ad ſeipſum Deum: hoc eſt, vt ſimus filij adoptiui ipſius Dei per Ieſum Chriſtum filium naturalem eiuſdem Dei.

SECVNDVM PROPOSITVM , pro *beneplacitum*, VOLVNTATIS SVÆ. Non ſignificatur placere, ſed beneplacere : vt intelligamus quòd diuina voluntas prædeſtinando , non facit quod placet, ſed quod beneplacet. Verum cùm audis beneplacere, recole quòd voluntas diuina eſt ſibiipſi lex, ac per hoc non mendicat bonitatem ab extrinſeco ſuperiori, nec à noſtris meritis, ſeu demeritis obiectiuè : & id eſt beneplacere quod ipſa vult eſſe beneplacitum. Explicat ſiquidem Paulus in prædeſtinatione beneplacitum diuinæ voluntatis, ad tollendas quæſtiones diſputantium de voluntate prædeſtinantis : aperte per hoc ſignificando quòd bonitas huiuſmodi propoſiti eſt apud diuinam voluntatem , & non apud merita iſtius, vel illius.

Voluntas diuina non mendicat bonitatem ab extrinſeco.

IN LAVDEM GLORIÆ GRATIÆ SVÆ. Duplex bonum per prædeſtinationem intentum ſignificat , alterum adoptionis noſtræ in filios Dei alterum laudis diuinæ, quę explicatur quòd eſt laudatio gloriæ diuinæ, non vndecumque conſurgentis, ſed ex gratia eius: & hoc ad differentiam gloriæ diuinæ conſurgentis ex opere iuſtitiæ. Laudanda ſiquidem eſt diuina gloria non ſolùm penès gratiam , ſed etiam penès iuſtitiam: ex vtraque enim conſurgit diuina gloria. Sed prædeſtinatio non ordinatur ad laudem gloriæ conſurgentis ex iuſtitia , ſed in laudem gloriæ conſurgentis ex gratia : quoniam non noſtris meritis, ſed ex Dei gratia per Ieſum Chriſtum erimus filij Dei. & propterea dicit *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*. Verſ. 6.

Duplex bonum per prædeſtinationem.

IN QVA GRATIFICAVIT NOS IN DILECTO FILIO SVO. Superfluit *filio ſuo*. *Gratificauit* dicit , hoc eſt gratos reddidit, ſeu effecit, proculdubio ſibi.

Et hinc Theologi vulgatam diſtinctionem accipiunt inter gratiam gratis datam , & gratiam gratum facientem. De gratia ſiquidè gratum faciente hic clarè dicitur . *in qua gratificauit nos*. Et addidit *in dilecto*, proculdubio naturali ac vnigenito filio (qui ſingulariſſime , ac per antonomaſiam vocatur dilectus) ad explicandam rationem quare nos gratia impleuit, eſſe filium ſuum dilectum: vt intelligamus gratiâ nos impleri à Deo quatenus membra dilecti vnigeniti, vt omnem noſtram gratiam referamus in Chriſtum. Et hæc ſunt quæ Paulus proponit pro materia huius epiſtolæ.

Hinc ſumitur diſtinctio inter gratiam gratis datã, & gratum facientem.

IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM. Tractat propoſita incipiens ab vltimo , ſcilicet *in qua gratificauit nos in dilecto* : hanc enim particulam tractat quater repetendo , *In quo*, proculdubio dilecto. Declarat itaque ex gratia gratificationem noſtram in Chriſto : in primis explicando modum , dicendo *in quo habemus redemptionem* , per modum ſiquidem redemptionis acquiſiti ſumus , non pretio auri & argenti : ſed , PER SANGVINEM EIVS: Verſ. 7.

redempti ſumus. REMISSIONEM PECCATORVM. Appoſitiuè ad *redemptionem*, dicit *remiſſionem peccatorum*: vt explicaret redemptionem à ſeruitute peccati. SECVNDVM DIVITIAS GRATIÆ EIVS. Verè magna gratia fuiſſet ſimplex remiſſio peccatorum, maior autem remittere peccata redimendo, hoc eſt, adhibito pretio: fuiſſet enim donare nobis vtrumque. Maxima autem gratia eſt adhibuiſſe ſanguinem proprium, dediſſe vitam propriam pro huiuſmodi redemptione: & propterea non dicit ſecundùm gratiam eius, *ſed ſecundùm diuitias gratiæ eius*, vt multiplicem & exuberantem gratiam in hoc facto agnoſcamus.

Maxima gratia remiſſionis per redemptionem ex ſanguine Chriſti.

Verſ. 8. QVÆ SVPERABVNDAVIT IN NOBIS, pro *quam exuberare fecit in nos*. Non ſolùm in effectu remiſſionis peccatorum per redemptionem in ſanguine, &c. ſed etiam in effectu reuelatæ notitiæ gratificatos nos ſubiungit. Et verè quædam exuberantia gratiæ eſt, vt non ſolùm ſimus ſic redempti, ſed etiam ſit reuelatum nobis arcanum diuinæ voluntatis. IN OMNI SAPIENTIA ET PRVDENTIA,

Verſ. 9. VT NOTVM FACERET NOBIS SACRAMENTVM, pro *patefacto nobis myſterio*, VOLVNTATIS SVÆ. Ordo literæ eſt: quam exuberare fecit in nos, patefacto nobis myſterio voluntatis ſuæ in omni ſapientia & prudentia. Ita quòd omnis ſapientia & prudentia ad myſterium voluntatis ſuæ refertur: ad explicandum quod arcanum diuinæ voluntatis eſt in omni ſapientia, & prudentia: ſapientia quidem circa diuina & æterna, prudentia autem circa diſpoſitionem actionum temporalium. SECVNDVM BENEPLACITVM. Arcanum voluntatis diuinæ non ſolùm commendatur ab omni ſapientia & prudentia, ſed etiam à beneplacito, ab eo quod beneplacuit. Et ſtatim materiam beneplaciti ſubiungit primò in genere, dicendo, EIVS QVOD PROPOSVIT IN EO, ſcilicet myſterio. Omne quod propoſitum, ſeu deliberatum eſt, à Deo in huiuſmodi myſterio, deſcribitur eſſe beneplacitum, & in omni ſapientia, & prudentia, &c.

Verſ. 10. IN DISPENSATIONEM PLENITVDINIS TEMPORVM. Ecce in ſpecie id quod propoſuit in myſterio. Optime quadrat ſententia hæc cum verbo Domini: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Arcana ſiquidem diuinæ voluntatis ſunt in diſpenſandis temporibus, non imperfectè, ſed plenè: plenum ſiquidem tempus diſpenſauit cuique rei quam diſpoſuit efficere, & cuiuſque temporis plenitudo latet in myſterio diuinæ voluntatis. Verbi gratiâ, aliam plenitudinem temporis diſpenſauit pro inchoanda circumciſione, aliam pro donatione legis, aliam pro promiſſione Meſſiæ Dauidi, aliam pro inſtitutione Baptiſmi, aliam pro vocatione gentium, &c. hæc enim diſpenſatio plenitudinis temporum, eſt ea quam pater poſuit in ſua poteſtate, eſt ea quæ continetur in myſterio voluntatis diuinæ. INSTAVRARE, pro *recapitulare*, OMNIA IN CHRISTO. Quoniam non eſt nobis patefactum myſterium diuinæ voluntatis ſecundum omnia agenda in quacumque plenitudine temporis, explicat in indiuiduo quod eſt nobis manifeſtatum illius myſterij, eſſe recapitulationem omnium in Chriſto: hoc eſt, ſummariam collectionem omnium in Chriſto. Metaphoricus eſt Pauli ſermo, ad ſimilitudinem aduocatorum, ſeu oratorum, in fine orationis, ſeu aduocationis colligentium per capita ſummatim omnia dicta: iuxta hanc ſiquidem ſimilitudinem collectionis dictorum, tradit collectionem omnium factorum, omnium geſtorum, omniúmque dictorum vbicumque facta, geſta, ac dicta relatiuè ad Deum ſint, dicendo quòd Deus diſpoſuit recapitulare omnia in Chriſto: hoc eſt, colligere omnia per quæcumque ſecula vbiuis ſparſa, & vnire in Chriſto. Et declarando quæ ſint hæc omnia ſubiungit,

Arcana diuinæ voluntatis in diſpenſandis temporibus.

QVÆ IN COELIS SVNT, ET QVÆ IN TERRA SVNT IN IPSO. Superfluit hoc vltimum *ſunt*. Quod dicit *in ipſo*, proculdubio Deum demonſtrat. Et eſt ſenſus: omnia quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in Deo: hoc eſt, relatiuè ad Deum, ad differentiam eorundem abſolutè. Qualiter autem ea quæ in cœlis ſunt colliguntur ad Chriſtum, ignotum eſt nobis niſi quoad duo; alterum eſt quòd omnes Angeli colliguntur ſub Chriſto homine tanquam capite, & domino: alterum eſt quòd eorum ruina reparatur per Chriſtum, locando homines in ſedibus eorum qui ceciderunt. De iis autem quæ in terra ſunt, ſcimus genus humanum vniuerſum collectum eſſe ad Chriſtum ſub eius redemptione, ſub eius iudicio, &c. Et præter hæc reliqua in vniuerſa terra colligi ad Chriſti imperium in miraculis, & demum in reuelatione futuri poſt reſurrectionem ſeculi. Hoc eſt ergo nobis notificatum arcanum iam aduenisse plenitudinem temporis quo miſit Deus filium ſuum, vt in ipſo recapitularet omnia.

Omnia quæ in cœlis, & quæ in terra, collecta ad Chriſtum.

IN QVO ETIAM. Ecce ſecundum *in quo* ad explicandam gratificationem ſpecialem factam diſcipulis Chriſti ex Iudæis aſſumptis. ET NOS SORTE VOCATI SVMVS. Superfluit *& nos*: nec vſquequaque liquet, an *vocati*, an *electi* legendum ſit. Verùm parui refert quoad ſenſum. Et quod dicit *ſorte*, non ſignificat fortuitò, ſed *parte*, ſeu *hæreditate*. Alludit enim ad electionem populi in partem, ſeu hæreditatem Dei, iuxta illud: *Pars autem Domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius.* Et ad literam intendit quòd abſque meritis propriis Iudæi conuerſi ad Chriſtum, velut ſorte hæreditatis, & partis diuinæ non ſuis meritis aſciti, ſeu vocati ſunt. PRÆDESTINATI SECVNDVM PROPOSITVM EIVS QVI OPERATVR OMNIA SECVNDVM CONSILIVM VOLVNTATIS SVÆ. Dixerat *ſorte*. Et propterea ad excludendum intellectum tum fortuiti, tum inconſulti adiungit hæc: nam dicendo *prædeſtinati*, excludit fortuitum: & dicendo *ſecundum conſilium*, excludit imprudentiam: vt intelligamus quòd cum hoc quod ſine meritis, tamen prædeſtinati conſultò fuerunt illi qui ex Iudæis vocati ſunt. Vnde eos explicans ſubiungit: Verſ. 11.

Deuter. 32. 9.

VT SIMVS IN LAVDEM GLORIÆ EIVS NOS QVI ANTE SPERAVIMVS IN CHRISTO. Explicat de quibus loquitur, eſſe nos qui ante ſperauimus in Chriſto. Quos cõſtat fuiſſe Iudæos, qui ante ſperauerũt in Chriſto, quam Chriſtus veniret. Erãt enim in natione Iudæorum viri iuſti innumeri quorũ ſpes erat in Chriſto venturo. *Multi*, inquit Chriſtus, *reges & prophetæ voluerunt videre* Verſ. 12.

quæ

quæ vos videtis, &c. Vel qui antequam Gentiles ſperauimus in Chriſto. Finis autem huius vocationis deſcribitur, *vt ſimus in laudem gloriæ eius*, ſcilicet Dei. Et ad literam Iudæi conuerſi ad Chriſtum, fuerunt & ſunt vſque hodie in laudem gloriæ Dei.

Verſ. 13. IN QVO. Ecce tertium *in quo*, ad proſequendum gratificationem noſtram in Chriſto. ET VOS CVM AVDISSETIS. In prima perſona legitur, & participium præteriti temporis actiuum congruè reſoluitur in paſſiuum, quia caremus actiuo. Legendum itaque eſt, ET NOS AVDITO VERBO VERITATIS SALVTIS NOSTRÆ, non, veſtræ. Dixerat *in quo & ſorte vocati ſumus*, explicando gratificationem vocatorum ex Iudæis ex parte vocantis, modò, explicat eandem ex parte vocatorum: quòd ſcilicet audito Euangelio ſunt in Chriſto. Hebraico more Paulus ſubſtantiuum verbum ſubintelligit. Ita quòd ſenſus eſt: in quo ſumus, ſeu, fuimus & nos audito verbo veritatis, appoſitiuè Euangelio ſalutis noſtræ. Modum explicat quo in Chriſto effecti ſunt. Vbi & aduerte appellari verbum veritatis ſimpliciter & abſolutè, quia nihil niſi veritatem continet Euangelium: & hoc quoad intellectum, qui perficitur ſola veritate. Appellari quoque Euangelium ſalutis noſtræ: quia reuera annuntiatio bona eſt, non terrenorum bonorum aut carnaliũ delectationum, ſed ſalutis noſtræ. In qua continetur omne appetibile quod verè ſpectat ad ſalutem noſtram.

IN QVO. Ecce quartum *in quo*, ad ſignificandum gratificationem gentilium in Chriſto. ET CREDENTES. Dictio Græca participium eſt præteriti temporis actiuum, quo caremus. Et poſſet adiuncto aduerbio ſignificante præteritum dici, *in quo & prius credentes*. SIGNATI ESTIS. pro, *obſignati eſtis*, ad ſimilitudinem ſiquidem tabellarum fœderis dicit *obſignati eſtis*. SPIRITV PROMISSIONIS SANCTO. non eſt obſignatio facta impreſſione annuli aut ſigno notarij, ſed interna obſignatio facta in anima à ſancto ſpiritu promiſſionis. Vt intelligamus obſignationem reſpectu futuræ hæreditatis appellat ſpiritum ſanctum promiſſionis. In baptiſmo ſiquidem gratia Dei confertur animæ vt ſignaculum quoddam promiſſæ hæreditatis æternæ à Spiritu ſancto: quemadmodum ſi inter homines ſignaretur tabella adoptionis ſigno Notariorum & teſtium aut annulo ipſius adoptantis. Illud enim eſſet ſignum promiſſionis.

In baptiſmo confertur gratia vt ſignaculum quoddam promiſſa hæreditatis æternæ.

Verſ. 14. QVI EST PIGNVS. pro, *arrabo*, HÆREDITATIS NOSTÆ IN REDEMPTIONEM ACQVISITIONIS Aduerte quòd relatiuum *qui* cum in Græco ſit maſculini generis, & *ſpiritus* ſit neutri generis, ex parte antecedentiũ non refert ſpiritum ſanctum, ſed Chriſtum: de quo dixerat *in quo prius credentes*, &c. Verùm quoniam *arrabo* maſculini generis eſt etiam apud Græcos, & relatiuum quoad genus concordat quandoque cum conſequente, ideo poteſt & de ſpiritu ſancto intelligi, non obſtante differentiâ generis. Et ſi quidem referatur ad Spiritum ſanctum, ſenſus eſt quòd Spiritus ſanctus habitans in cordibus noſtris, eſt pars pretij in redemptionem acquiſitionis hæreditatis noſtræ: hoc eſt ad plenè emendum acquiſitam hæreditatem noſtram. Et hoc proculdubio verum eſſe conſtat: quoniam requiritur cooperatio noſtra ad aſſequendum acquiſitam iam per Chriſtum hæreditatem. Significatur enim quòd arrabo (hoc eſt, prima pars ſolutionis) eſt gratia Spiritus ſancti quam habemus in anima. Et per hoc inſinuatur ſubſequens cooperatio noſtra ad hæreditatem noſtram conſequendam.

Correctio textus.

Si autem referatur Chriſtus, tunc idem dicitur *arrabo*, quia verè eſt initium redemptionis acquiſitæ hæreditatis noſtræ. Quamuis ſiquidem Chriſtus ſit ſufficientiſſimum & integrum pretium, nobis tamen viatoribus procedentibus in hac vita poſt baptiſmum, communicatur vt arrabo: quoniam exigit noſtras cooperationes ad plenè aſſequendum acquiſitam per eius redemptionem hæreditatem noſtram, quæ eſt æterna felicitas animæ & corporis.

Et ſi aduerteris prudens lector quòd Paulus in poſtremo *in quo*, loquitur in ſecunda perſona ad Gentiles (dicendo *obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto*) & modò mutat perſonam (nam loquitur in prima perſona, dicendo *qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ: noſtræ*, dicit non veſtræ) apparebit ex hac diuerſitate quòd vbi quater de dilecto dixerat *in quo*, demum quinto loco de eodem dilecto dicit, *qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ*, &c. ad declarandam communem gratificationem in Chriſto tam Iudæis quàm gentilibus Chriſtianis ſecundum hunc effectum qui eſt habere arrabonem redimendæ poſſeſſionis hæreditatis noſtræ: vt intelligamus hanc hæreditatem eſſe iam noſtram: ſed ſupereſſe cooperari ad mercandum poſſeſſorium: hoc eſt, vt poſſideamus hæreditatem noſtram.

IN LAVDEM GLORIÆ IPSIVS. Chriſti. Quemadmodum de gratificatione propria dixerat *in laudem gloriæ eius*, ita modò de gratificatione Gentilium ſeu communi dicit *in laudem gloriæ ipſius*: vt intelligamus vnum & eundem eſſe finem communem vtriſque: Iudæis ſcilicet & Gentilibus Chriſtianis.

PROPTEREA. Tractatâ illâ particulâ, *in qua gratificauit nos in dilecto*, tractat illam *qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus in Chriſto*. Et introducit eam per modum rei concupitæ & petitæ pro Epheſiis. ET EGO AVDIENS FIDEM VESTRAM QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Ad id quod dixerat *in quo & credentes obſignati eſtis*, refertur *propterea*. Poteſt nihilominus referri ad vltimò explicatam cõmunem gratiam arrabonis: vt intelligamus quòd propter perficiendum arrabonem. Quod autem dicit *ego audiens*, non ſignificat quòd non etiam viderit (cùm ipſe apud Epheſios multum fructum fecerit prædicando) ſed ſignificat quòd Romæ exiſtens in vinculis audiuit fidem Epheſiorum perſeuerantem. Nec ſolam fidem, ſed ſubiungit. ET DILECTIONEM IN OMNES SANCTOS, hoc eſt, mundos per baptiſmum, in omnes Chriſtianos. Verſ. 15.

NON CESSO GRATIAS AGENS PRO VOBIS. Vide partes orationis Pauli. Primùm gratias agit pro Epheſiis pro diuinis donis in eis. deinde MEMORIAM VESTRI FACIENS IN ORATIONIBVS MEIS. Ad partem orationis petitoriam hoc ſpectat, vnde & petita ſubiungit. Verſ. 16.

VT DEVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. ſecundum humanam naturam. Ecce quod ſuperius proponendo dixerat ſimul *vt Deus & pater*, modò exequendo diſtinguit. Et primum dicit *vt Deus Domini noſtri Ieſu* Verſ. 16.

Chriſti, proculdubio ſecundùm humanam naturam: deinde dicit, Pater gloriæ. hoc eſt, pater eiuſdem ſecundùm quod eſt gloria: hoc eſt, ſecundùm diuinam naturam, quæ ſola eſt ſuapte naturâ gloria. Det vobis spiritvm sapientiæ et revelationis. Non dicit ſapientiam ſed *ſpiritum ſapientiæ*: vt clarè explicet quòd de dono Spiritus ſancti, non de ſapientia humana, quæ per ſtudium acquiritur, loquitur. Spiritus ſapientiæ, ſpiritus eſt notitiæ diuinorum. Verùm quoniam huiuſmodi notitia habetur quandoque tecta, & quandoque detecta (hoc eſt, obſcura vel clara) ideò adiungit *& reuelationis*: claritatem per amotionem veli ſignificans. In agnitionem, pro *in agnitione*, eivs.

Spiritus ſapientiæ eſt ſpiritus notitiæ diuinorũ.

Verſ.18. Illvminatos ocvlos cordis vestri, pro *mentis veſtræ*. Quod dixerat *det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis*, appoſitiuè exponit *illuminatos oculos mentis veſtræ in agnitione eius*. Dicendo *in agnitione eius* (ſcilicet Dei) explicat ſapientiam: & dicendo *illuminatos oculos mentis veſtræ*, explicat reuelationem.

Vt sciatis. Tria cognoſcenda diſtingnit: Primum eſt, Qvæ sit spes vocationis eivs. hoc eſt, quid ſperatur ex vocatione Dei ad Chriſtianitatem. Hoc enim multum refert: ne putemus ſperandum eſſe nobis in hac vita, ſed in futura. Et qvæ divitiæ gloriæ hæreditatis eivs in sanctis. Hoc eſt ſecundum ſciendum: non ſufficit ſcire quòd ſpes Chriſtiana non tendit ad ea quæ ſunt præſentis vitæ, ſed futuræ, ſed & oportet ſcire quæ ſunt diuitiæ gloriæ: ne fallamur, putantes nos in alia vita habituros ſimiles iſtis terrenis, ſed diuitias ſpirituales gloriæ præparatæ hæreditatis in ſanctis, in mundis, iis qui nihil inquinatum habebunt. Et noſſe quæ ſunt hæ diuitiæ, eſt noſſe in quo conſiſtit felicitas cœleſtis patriæ: quòd ſcilicet conſiſtit in bonis animæ, &c.

Tria per ſpiritum ſapientiæ cognoſcenda.

Verſ.19. Et qvæ sit svpereminens magnitvdo virtvtis, pro *potentiæ*, eivs in nos qvi credidimvs, pro *credimus*, secvndvm operationem potentiæ virtvtis, pro *fortitudinis*, eivs.

Verſ.20. Qvam operatvs est in Christo Iesv. Tertium cognoſcendum per ſpiritum ſapientiæ & reuelationis, gloria corporis noſtri poſt reſurrectionem eſt. Ita quòd ſecundum ſpectat ad gloriam animæ: & tertium ad gloriam corporis. Hanc autem noſtri corporis gloriam deſcribit vt effectum ſuperexcellentis magnitudinis potentiæ diuinæ in nos qui credimus: quoniam reuera tam magnus effectus eſt vt corpus mortale imò mortuum, reuocetur non ſolùm ad vitam, ſed ad vitam immortalem, impaſſibilem, glorioſam, &c. vt non ſufficiat afferre diuinam potentiam (quoniam ea communis eſt omnibus operibus naturæ) ſed afferatur magnitudo diuinæ potentiæ. Et quoniam magnitudo diuinæ potentiæ communis eſt aliis operibus mirabilibus, affertur ſupereminens ſeu ſuperexcellens magnitudo diuinæ potentiæ.

Reſurrectio corporis glorioſi dicitur effectus ſupereminentis magnitudinis potentiæ diuinæ.

Et ne incredibilis huiuſmodi ſuperexcellens magnitudo diuinæ potentiæ credatur futura in nos, manifeſtat eam à ſimili efficacia, quam iam exercuit in Chriſto. Hanc enim ſimilem efficaciam ſignificat dicendo, *ſecundùm operationem potentiæ fortitudinis eius, quam operatus eſt in Chriſto Ieſu.* Ita quòd particula *ſecundùm operationem*, refertur ad particulam *ſupereminens magnitudo potentiæ*, &c. Intendit enim & dicit: vt ſciatis quæ ſit ſupereminens illa magnitudo in nos ſecundùm operationem, hoc eſt, ſimilis operationi potentiæ fortitudinis eius, Dei, quam operatus eſt, hoc eſt exercuit in Chriſto Ieſu.

Dictio interpretata *operationem*, clarius interpretata fuiſſet *efficaciam*. Significat enim non ſimplicem operationem, ſed vim quandam in operando: quæ explicatur magis dicendo *ſecundùm efficaciam potentiæ fortitudinis* ſeu *roboris eius*, Dei. Quam exercuit Deus in Chriſto Ieſu in opere reſuſcitationis & collocationis ad dexteram ſuam. De his enim effectibus eſt ſermo: vt clarè ſubiungit,

Svscitans illvm, pro *ſuſcitato illo*, a mortvis. Caremus, vt dictum eſt, participio præteriti temporis actiuo. Et ideò vtcunque fieri poteſt, vertitur in participium præteritum paſſiuum dicendo, *ſuſcitato illo à mortuis.* Intellige tamen quam exercuit in Chriſto Ieſu ſuſcitando illum à mortuis. Et constitvens, pro *& ſedere fecit*, ad dexteram svam in cœlestibvs. Secundùm hanc efficaciam diuinæ potentiæ qua ſuſcitauit Chriſtum a mortuis & ſedere iam fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, rogat Paulus vt ſciant Epheſij quæ ſit excellens magnitudo potentiæ Dei in nos reſuſcitandos & glorificandos in corpore. Hic eſt ſenſus literalis.

Deſcribitur autem Chriſtus ſedens non corporali poſitione, ſed quiete regnans. Sicut nec eſt ibi dextera corporea Dei: ſed ſumma bona Dei dextera metaphoricè appellantur. Significatur enim quòd Chriſtus homo quiete regnat in ſummis bonis Dei, & hoc in cœlis exiſtens.

Chriſtus ſedet ad dexteram quomodo?

Svpra omnem principatvm, et potestatem, et virtvtem, et dominationem. Non ſufficit Paulo explicaſſe efficaciam diuinæ potentiæ in exaltatione Ieſu Chriſti, quoad ipſũ Ieſum Chriſtum & locum eius, ſed explicat etiam relatiuè ad Angelos & totum vniuerſum. Et propterea dicit *ſupra omnem principatum.* Quatuor Angelorum ordines nominat, quorum nomina ab aliqua præeminentia ſumpta ſunt: vt ex ſuperiore ad iſtos, intelligatur ſuperioritas ad omnes. Quodlibet enim horum præeminentiam aliquam ſonat, vt patet intuenti vocabula. Verſ.21.

Quatuor Angelorum ordines nominat.

Et omni nomen qvod nominatvr, non solvm in hoc secvlo, sed etiam in fvtvro. Ne quæſtioni locum aliquem relinqueret, generalem particulam ſubiungit ad comprehendendum omnia citra Deum. Nam dicendo *& omne nomen quod nominatur*, ſignificat & omnem rem quæ nominatur tam in præſenti quã in futuro ſeculo: ad differentiam Dei qui ſuapte natura innominabilis eſt, quia eſt incomprehenſibilis, quamuis nos ab effectibus illum nominemus.

Et dixit *ſupra omne nomen quod nominatur*, alludens ad nomen Dei tetragrammaton, quod non nominatur nec nominari poteſt, vt per hoc clarè excluderet Deum. Et dixit *ſiue in hoc ſeculo ſiue in futuro*, ad comprehendendum innumeras ſubſtantias ſpirituales quæ non nominantur

nominantur

minantur in hoc ſeculo (vtpote ignotæ) ſed nominabuntur in futuro ſeculo, quando erunt notæ.

Verſ. 22. Et omnia svbiecit svb pedibvs eivs. Vt nihil omnino exemptum à poteſtate Chriſti intelligamus, explicat quòd omnia (nullo excepto) ſubiecit ſub pedes eius: vt omnimodam ſubiectionem intelligamus ex ſubiectione ſub pedes. Et ipsvm dedit capvt svper omnem Ecclesiam. pro, *ſuper omnia Eccleſiæ.* Datiui eſt caſus *Eccleſiæ.* Inter alios effectus diuinæ potentiæ in Chriſto enumerat vltimò quod ipſum dedit Eccleſiæ caput ſuper omnia. Hinc gratiã capitalem in Chriſto Theologi aſſumũt. Verùm quia caput tam in corpore naturali, quàm in corpore myſtico (puta collegio, ciuitate, aut regno) nunquam eſt ſuper omnia, ſed aliqua ſunt in corpore naturali ſiue myſtico ad quæ vis capitis non ſufficit, ideo à Chriſto quemuis defectum & quamlibet inſufficientiam tollens addidit *ſuper omnia.* Caput autem metaphoricè ad ſimilitudinem capitis naturalis Chriſtus dicitur Eccleſiæ, eo quòd officia capitis ei conueniant, vt inferius Paulus declarabit.

Nihil exemptum à ſubiectione Chriſti.

Gratia capitalis Chriſti.

Verſ. 23. Qvæ est corpvs ipsivs. Eccleſiam appellat corpus Chriſti. proculdubio myſticum. Sunt enim fideles velut membra Chriſti, ac per hoc congregatio fiedlium, quam Eccleſiæ nomen ſignificat, eſt corpus Chriſti. Et plenitvdo eivs. Superfluit *&*; appoſitiuè ſiquidem dicit *plenitudo eius*, ad explicandum corpus conſtans ex omnibus membris. Qvi omnia in omnibvs adimpletvr. pro, *implet* Eccleſia eſt corpus eius (vtpote plenitudo eius) qui omnia in omnibus implet: hoc eſt plenitudine vniuerſarum partium correſpondens illi qui implet omnia in omnibus. Eccleſia eſt velut plenum ex omnibus partibus corpus, implens Chriſtum ſicut corpus implet animal membris & partibus. Chriſtus verò implet omnia & ſingula in omnibus partibus & membris ſpiritualiter, multò magis quàm anima implet omnes partes corporis viuificando. Integritas Eccleſiæ per hæc deſcribitur ſimul cum efficientia & ſufficientia Chriſti ad vniuerſam Eccleſiam & ſingula membra,

Eccleſia, corpus Chriſti.

CAPVT II.

Verſ. 1. Et vos cvm essetis mortvi delictis et peccatis vestris. Superfluit *veſtris.* Quia litera iſta non habet in ſequentibus ad quod verbum referat *& vos*, conſequens eſt vt referat ad præcedens verbum, quo dixit, *& ipſum dedit caput ſuper omnia, & vos.* Ita quod vbi prius in genere dixerat *ſuper omnia*, modò in ſpecie explicat Gentiles, dicendo *& vos.* Nec ſolum explicat Gentiles, ſed qualitatem eorum ſecundum quam Chriſtus conſtitutus eſt caput ſuper eos, dicendo *cùm eſſetis mortui delictis & peccatis*, ad ſignificandum quòd tunc Chriſtus fuit & incepit eſſe caput ſuper Gentiles cùm mortui fuerunt delictis & peccatis. Chriſtus enim non viuificat membra aliqua niſi prius (ordine naturæ) mortua fuerint delictis & peccatis. Datiui caſus eſt tam *delictis* quàm *peccatis.* Et manifeſtè ſignificat non fructificare, non vtiles eſſe delictis omiſſionum & peccatis commiſſionum. Pœnitentia ſiquidem ſignificatur, qua deteſtamur præterita, & cauemus ne iterum peccemus.

Chriſtus non viuificat membra niſi mortua delictis.

Verſ. 2. In qvibvs aliqvando ambvlastis. Recole, prudens lector, quòd proponendo particulam *qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in ſupercæleſtibus in Chriſto*, adiunxit electionem dicendo, *ſicut elegit nos in ipſo*, &c. Et perpende quòd exequendo illam particulam *qui benedixit nos*, &c. ſimiliter infert tractatum electionis. Eligentis ſiquidem eſt ex maſſa peccatorum aliquos viuificare. Et hoc nunc declarat, primùm in Gentilibus electis: & deinde in Iudæis electis. Gentiles ſiquidem alloquens dicit, *in quibus*, delictis & peccatis, *aliquando ambulaſtis*, ſimiles aliis peccatoribus.

Secvndvm secvlvm mvndi hvivs. hoc eſt, ſine ratione futuræ vitæ. Viuere ſiquidem ſecundùm ſeculum mundi huius, nihil aliud eſt quam hominem diſponere & exequi opera ſua ſecundum periodum quo durat in hoc mundo, quod eſt viuere exclusâ relatione ad alteram vitam, habitâ ſolâ ratione vitæ præſentis. Et hoc commune erat omnibus Gentibus, vnde & ſummum bonum ſuum ponebant in immortalitate famæ huius mundi.

Viuere ſecundum ſeculum mundi huius quid?

Secvndvm principem potestatis aëris hvivs spiritvs. Superfluit *huius*. Alteram rationem pecandi apud Gentiles explicat diabolum: quem nominat principem poteſtatis aëris ſpiritus. Et quidem quòd ſit princeps aliorum dæmonum, nullam habet difficultatem. Quòd verò dicitur aëris ſpiritus, dupliciter exponi poteſt. Primum vt *aëris* nomen ſit loci in quo ſunt ſpiritus. Et tunc eſt ordo literæ, ſecundum principem poteſtatis ſpiritus, hoc eſt, vniuerſalis ſpirituum, aëris, hoc eſt, qui eſt in aëre. Et hic ſenſus nullam etiam habet difficultatem, eo quòd admittitur dæmones habitare in aëre.

Princeps poteſtatis aëris huius ſpiritus Dæmon dicitur, quare?

Alter ſenſus eſt, *aëris ſpiritus*, hoc eſt, aëris, ſpiritus. Ita quæ appoſitiuè dixit, *aëris ſpiritus* ad differentiam aëris coporei, aëris qui eſt elementum inanimatum.

Et hic ſenſus ingerit quæſtionem philoſophantibus Peripateticis, negantibus huiuſmodi ſpiritus aëreos. Crediderim ego dæmones eſſe ſpiritus aëreos, & id conſonare veræ Philoſophiæ rationi, vt quemadmodum inuenitur vegetatiuum ſine ſenſitiuo, & ſenſitiuum ſine ſecundùm locum motiuo, & intellectiuum ſine ſecundùm locum motiuo: ita inueniatur ſecundùm locum motiuum ſine ſenſitiuo, quod eſt ponere huiuſmodi aëreos ſpiritus conſtantes ex intellectiuo & ſecundùm locum motiuo. Et eſt ſermo de motu progreſſiuo abſque ſenſitiuo. Sed hæc diffuſiorem exigunt tractatum quàm locus iſte compatiatur. Verum appellatione *aëris*, non intelligo elementum aëris, ſed ſubtile corpus noſtris ſenſibus ignotum, corpus ſimplex ac incorruptibile, natum moueri localiter ab anima ad omnes differentias poſitionis abſque pugnantia aliqua ex natura corporis, ſicut corpus cœleſte natum eſt moueri circulariter in ea velocitate quà à ſua anima mouetur, abſque aliqua repugnantia: vt Peripatetici tradunt, vt nullus labor interueniat in motu illo.

Dæmones ſpiritus aërei.

Qvi

Qvi nvnc operatvr in filios diffidentiæ. pro, *in filiis inobedientiæ*. Explicatur modus quo ſecundum principem ſpirituum ambulauerunt Gentiles, ſimilis modo quo operatur idem princeps in filiis inobedientiæ. Et intellige per *operari*, inſtigare, ſuadere, tentare, &c. Iſtis enim modis operatur diuerſis viis, in iis qui adhuc ſunt filij inobedientiæ, proculdubio diuinæ, qui non obediunt præceptis diuinis, &c.

Verſ. 3. In qvibvs et nos. Iudæos adiungit ſimiles Gentilibus quoad delicta & peccata, & ſimiliter electos de peccatorum maſſa. In quibus ſcilicet delictis & peccatis, & nos Iudæi. Omnes aliqvando conversati svmvs. Neminem excipit dicendo omnes. In desideriis carnis nostræ. De Gentilibus dixerat *ſecundum ſeculum mundi huius*, excludendo ſpem futuræ vitæ. In Iudæis non eandem dicit rationem peccandi (quoniam in eis erat fides alterius vitæ) ſed dicit *in deſideriis carnis noſtræ*. Quod magis explicans ſubiungit, Facientes volvntatem. pro, *voluntates*, carnis et cogitationvm. Concupiſcentiæ carnales inducebant nos ad opere exequendum voluntates (hoc eſt appetitus) carnis & appetitus cogitationum, vt *voluntates carnis* referantur ad peccata carnalia: & *voluntates cogitationum* referantur ad peccata ſpiritualia. Et eramvs natvrâ. hoc eſt, naturali pronitate. Fomitem enim naturalem ſignificat. Filii iræ. sicvt et cæteri. Hebraico more vndique dignos

Filij iræ, id eſt, digni punitione.

irâ (hoc eſt punitione) *filios iræ* appellat. Communem radicem peccandi omnibus tam Iudæis quàm Gentilibus innatum fomitem deſcribit: ob cuius executionem omnes ſumus digni diuinâ vltione.

Verſ. 4. Devs avtem. pro, *ſed Deus*, qvi dives est in misericordia. Non ſimpliciter miſericors, ſed diues in miſericordia deſcribitur Deus: eo quod nulla ex parte deeſt aliqua miſerendi efficacia, ſed omni carens ſuperiore, & omnium creator ac Dominus, poteſt quemcunque & quantumcunque miſericordiæ effectum exercere. Propter nimiam, pro, *multam*, charitatem svam qvâ dilexit nos. Et hîc quoque non dicitur propter dilectionem ſuam, ſed adiungitur *multam*, vt multiplex & magnus effectus ſignificetur. Et pronomen *nos*, Iudæos demonſtrat, vt coniunctio ſequens teſtatur.

Verſ. 5. Et pro, *etiam*, cùm essemvs mortvi peccatis convivificavit nos Christo. Superfluit *nos*. Recole prudens lector in principio huius capituli dictum, *& vos cum eſſetis mortui delictis & peccatis* Adiungit namque ſimili diſpoſitione ſeipſos Iudæos Gentilibus, dicendo *etiam cùm eſſemus mortui peccatis*, hoc eſt, non aliter nos quàm vos. Vos enim cùm eſſetis mortui delictis & peccatis, etiam nos cùm eſſemus mortui peccatis conuiuificauit Chriſto. Vide quàm aptè, imò quàm veriſſimè dictum

Capitis eſt viuificare membra.

fuerit, *& ipſum dedit caput ſuper omnia*, & *vos cùm eſſetis mortui delictis & peccatis*. Capitis ſiquidem eſt viuificare membra quorum eſt caput. Illi enim viuificationi ſimilem viuificationem adiungit erga Iudæos ſimiliter diſpoſitos, dicendo *etiam cùm eſſemus mortui peccatis conuiuificauit Chriſto*. Nihil eſt enim aliud conuiuificatos fuiſſe Chriſto quàm accepiſſe Chriſtum in caput. Ad vtroſque ergo tam Gentiles quàm Iudæos viuificationem à capite Chriſto proceſſiſſe manifeſtauit, prius vtriſque ordine naturæ pœnitentibus, ſicut prius naturæ ordine tollitur tenebra quàm luceat aër.

Cvivs gratia salvati estis. Superfluit *cuius*. Per modum parentheſis excitat Epheſios in perſona Gentilium, ad librandum quòd gratiâ ſaluati ſunt. Et cùm communem Iudæis ac Gentilibus vitam ex Chriſto capite docuiſſet, non abſque myſterio dixit, *gratiâ ſaluati eſtis*, & non dixit, *gratiâ ſaluati ſumus* Spectat ſiquidem hoc ad differentiam illam inter ſalutem Iudæorum & Gentilium quam ad Rom. 15. Paulus explicat, quòd ſcilicet Iudæi ſaluati ſunt per Chriſtum ad verificandas promiſſiones factas Patribus, *gentes autem ſuper miſericordia ſperare*. Tanquam ſalus gentium ex capite Chriſto ſit omnino ex gratia: ſalus autem Iudæorum ſub eodem capite habeat nonnihil iuſtitiæ ex promiſſione facta Patribus.

Et corresvscitavit et consedere fecit in cœlestibvs in Christo Iesv. Ad vtroſque refertur (Iudæos ſcilicet & Gentiles) correſuſcitatio & conſeſſio: ſicut vtrique viuificati ſunt Chriſto capiti. Verſ. 6.

Vbi aduerte quòd non dicit, *& correſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus* (quoniam hoc fuiſſet manifeſtè falſum: quoniam adhuc non erant in cœleſtibus conſedentes correſuſcitati, imò nec ſunt) ſed adiungit *in Chriſto Ieſu*: vt intelligamus quòd Chriſto reſuſcitato & eleuato ad ſedendum in dextera patris, omnia membra eius ſunt correſuſcitata & conſedentia non in ſeipſis, ſed in Chriſto. Humano more loquitur Paulus, quo, ſi vnus de cognatione mea effectus eſſet rex, omnes conſanguinei gloriaremur quòd conregnaremus in illo.

Et dixit hæc ad manifeſtandum quod propoſuerat: ſcilicet *qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in ſupercœleſtibus in Chriſto*. Hæ ſunt enim benedictiones, quas habemus in ſupercœleſtibus in Chriſto.

Vt ostenderet in secvlis svpervenientibvs. ab Aſcenſione ſua vſque in æternum. Verſ. 7. Abvndantes, pro *ſupereminentes*, divitias gratiæ svæ in bonitate, pro *in benignitate*, svper nos in Christo Iesv. Ideò conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto, vt in venturis ſeculis manifeſtaret Deus benignitatem ſuam ſuper nos, membra Chriſti Ieſu. Verùm benignitatem (quæ feracitas beneficiorum eſt) non ſimpliciter ſignificat, ſed adiungit gratiæ ſuæ: vt beneficia non iuſtitiæ, ſed gratiæ tribuantur. Nec ſufficit explicare gratiam, ſed explicat diuitias gratiæ: nec hoc ſufficit, ſed deſcribit ſupereminentes diuitias. Ad ſignificandum excellentiam multiplicem beneficiorum gratiæ eius. Et verè monſtrare hæc incepit Deus à die Pentecoſtes in Eccleſia primitiua tot & tanta & talia in membris ſuis, vt iam incepimus videre ſupereminentes diuitias gratiæ eius in benignitate ſuper membra Chriſti, & venturis omnibus ſeculis manifeſta factæ ſint.

Benignitas feracitas beneficiorum eſt.

Gratia enim. Dixerat per parentheſim, *gratiâ ſaluati eſtis*: explicat id quomodo factum eſt, nec recedit à propoſito: ſed neceſſaria eſt particula hæc ad declarandum modum Verſ. 8.

quo

quo homines efficiuntur membra Chriſti. Non enim ſufficit dicere *gratia eſtis ſaluati*, ſed modum oportet explicare, qui explicatur ſubiungendo, Estis salvati per fidem. Ita quòd ſalus veſtra ex parte Dei procedit à gratia: veruntamen ex parte veſtra interuenit fides. Et hoc non ex vobis. Dixi oportere interuenire fidem veſtram, attamen ſcitote quòd fides veſtra non eſt ex vobis. Eſt quidem veſtra, ſed non ex vobis. Vnde declarans ſubiungit, Dei enim donvm est. Superfluit *enim*

Verſ. 9. Non ex operibvs. Ideò dixi, quòd credere non eſt ex vobis, quia eſt donum Dei, non ex operibus: hoc eſt, non ex merito operum, ſed quòd gratuitò conceditur. Ne qvis glorietvr. Si credere haberemus ex meritis operum, eſſet locus gloriationi acquirentium fidem ex operibus ſuis: ſed ex eo quòd credere donum Dei eſt gratuitum, nulla ex parte habemus vnde gloriemur quòd ſaluati ſumus: nam gratia qua ſaluamur, Dei eſt gratia; & fides quâ ſaluamur: gratuitò nobis à Deo datur. Propter quod ſubiungit,

Fides non eſt ex operum merito, ſed eſt donum Dei,

Verſ. 10. Ipsivs enim svmvs factvra. quia ipſius Dei ſumus factura quatenus Chriſtiani ſumus. Creati in Christo Iesv. ad differentiam creationis in eſſe naturæ. Hæc ſiquidem eſt ratio quare ea ex quibus ſumus ſaluati, ſunt Dei: quia vt Chriſtiani ſumus creati factura Dei, tanquam ex nihilo producti in tali eſſe. In operibvs bonis, qvæ præparavit Devs vt in illis ambvlemvs. Ne errares ex ſupradictis quòd non ex operibus ſaluati ſumus, ne quis glorietur, declarat quomodo opera noſtra concurrunt ad ſalutem noſtram. Et conſiſtit ſententia in hoc quòd opera noſtra concurrunt conſequenter. Ita quòd ex hac doctrina excluduntur merita operum noſtrorum antecedenter reſpectu fidei, & aſſeruntur conſequentia ad fidem. Et propterea cùm prius excluſiſſet antecedenter (dicendo *non ex operibus*) modo apponit conſequentia, dicendo quòd creati ſumus in Chrſto Ieſu in operibus bonis. Quod magis explicans, dicit: quæ (opera bona) præparauit Deus vt iam Chriſtiani ambulemus in illis. Hoc enim manifeſtè ſonat ſequelam ad fidem, & tanquam concomitantia fidem à Deo concedi.

Quomodo opera noſtra ad ſalutem noſtram concurrant.

Verſ. 11. Propter qvod. Totum poteſt referre, ſcilicet & ſalutem per fidem & progreſſum in bonis operibus. Memores estote. Dixerat in principio huius capituli, *& vos*, nec tractauerat aliquid ſpeciale quare dixerit *& vos*. Et propterea modò tractat propriam Gentilibus rationem propter quam dixit *& vos*. Qvod vos aliqvando qvi eratis gentes in carne, pro *quod vos quondam gentes in carne*. Et declarando quid intendit per *in carne*, ſubiungit, Qvi dicebamini præpvtivm ab ea qvæ dicitvr circvmcisio in carne manvfacta. hoc eſt, qui dicebamini præputium ad differentiam circumciſionis carnalis, quæ erat apud Iudæos.

Verſ. 12. Qvi eratis, pro *quòd eratis*, hoc eſt, quod reuocare debent ad memoriam. Illo in tempore sine Christo. hoc eſt, non Chriſtiani, antequam eſſetis Chriſtiani ſeu carentes fide Chriſti, eratis. Ita quòd totum hoc (videlicet *illo in tempore ſine Chriſto*) eſt ſubiectum enunciationis: & verbum *eratis* iungit prædicatum *alienati*, &c. Et eſt ordo literæ quòd illo in tempore ſine Chriſto eratis alienati, & cætera.

Alienati a conversatione, pro *à ciuilitate*, Israel. hoc eſt, alieni ab vnitate populi ſub vna diuina lege: ad differentiam etiam Iudaici populi, ſub vna politia diuinæ legis viuentis. Et hospites testamentorvm. Dictio Græca peregrinos & hoſpites ſignificat. Et vtriuſque ſenſus capax videtur litera: nam ſi legitur *hoſpites*, refertur ad proſelytos. Si legitur *peregrini*, refertur ad ipſos Gentiles in Gentilitate manentes. Et ſignificatur quòd erant extranei à teſtamentis. Quod declarans ſubiungit,

Promissionis spem non habentes. Et hinc apparet quòd non de hoſpitibus proſelytis, ſed de omninò extraneis loquitur. Quod autem pluraliter dicit *teſtamentorum*, refertur ad ſimilitudinẽ promiſſionũ, tãquam aliud teſtamentũ fuerit promiſſio de ſemine Abrahæ, aliud promiſſio de terra quæ vocatur terra promiſſionis, aliud de perſeuerantia felici in eadẽ ſeruando mandata. Ab omnibus enim deſcribuntur Gentiles extranei: ad differentiam Iudæorum, ſpem habentium promiſſionis omnis factæ per huiuſmodi teſtamenta. Quamuis poſſit referri pluralitas teſtamentorum ad Teſtementum vetus & nouum, ad differentiam Iudæorum Chriſtianorum qui ſpem promiſſionis vtriuſque Teſtamenti habebant.

Promiſſiones inſignes Dei Iudæis.

Et sine Deo in hoc mvndo. Superfluit *hoc*. Et demum, inquit Paulus, eratis ſine Deo in mundo: non eratis ſine Deo in opinione veſtra, ſed eratis ſine Deo exiſtente verè in mundo: quoniam non adorabatis verum Deũ qui eſt in mundo vniuerſo, ſed Deum opinatum, qui non eſt Deus: ad differentiam & Iudæorum & Chriſtianorum colentium vnum verum Deum.

Nvnc avtem in Christo Iesv vos. E regione ad id quod dixerat *illo in tempore ſine Chriſto*, dicit *nunc autem vos in Chriſto Ieſu*: hoc eſt, iam Chriſtiani. Qvi aliqvando eratis longe. Dixerat *alienati & extranei*, modò dicit *longè eratis*, non diſtantiâ locali, ſed diſſimilitudine. Facti estis prope. propinquitate aſſimilationis & coniunctione charitatis. In sangvine Christi. Mors Chriſti in cruce attulit vos de longinquo ad propinquum, effecit vos de diſſimilibus ſimiles ſibi & aliis iuſtis. Verſ. 13.

Ipse enim est pax nostra. hoc eſt, ipſe eſt ratio & effector pacis noſtræ. Qvi fecit vtraqve vnvm. hoc eſt, Iudæos & Gentiles fecit vnum. Et medivm parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sva. Cùm aſſumpſiſſet pro ratione, quia ipſe Chriſtus eſt pax noſtra, incepit hoc manifeſtare ab opere, dicendo *qui fecit vtraque vnum*: & modò ſubiungit modum quo fecit ex vtriſque vnum, dicendo duo, alterum eſt quòd medium parietem maceriæ ſoluit, alterum quòd inimicitias in carne ſua ſoluit. Verſ. 14.

Chriſtus pax noſtra.

Et primum quidem ad ſimilitudinem dicit ſeparatorum locorum quæ ſeparantur interſtite muro ſeu maceriâ: tanquam loca ex vna parte ſint vnius populi, & loca ex altera ſint alterius. Si quis enim dirueret interſtitium illud, faceret vtraque loca vnum, tollendo diſtinctiuum

ſtinctiuum inter ea, Et quoniam huiuſmodi interſtitium quandoque fit pro pace finitimorum, quandoque autem fit pro inimicitia ad tollendum communionem hinc inde, & interſtitium, de quo Paulus loquitur inimicitiæ erat, ideo ad hoc manifeſtandum cùm dixiſſet *& medium parietem maceriæ ſoluens*, ſtatim ſubiunxit ſine coniunctione aliqua velut appoſitiuè *inimicitias in carne ſua*, quod eſt alterum ſolutum à Chriſto faciendo pacem. Et hæc quidem proponendo Paulus dixit: executiue autem tractando, propoſita ſingula explicet, inchoans à ſolutione interſtitij, dicendo:

Verſ. 15. LEGEM MANDATORVM DECRETIS. pro, *in decretis*, EVACVANS VT DVOS CONDAT IN SEMETIPSO IN VNO NOVO HOMINE. pro, *in vnum nouum hominem*. Aduerte quoad literam quod præteriti temporis deberent eſſe participia *ſoluens & euacuans*, ſignificat enim quòd ſoluit & euacuauit.

Quod ergo dixit *medium parietem maceriæ ſoluit*, modò explicat quòd euacuauit legem conſiſtentem in decretis mandatorum: hoc eſt, legem Moſaicam. Hæc enim ſicut in epiſtola ad Roman. appellatur lex factorum, ita hìc appellatur in decretis mandatorum: ad differentiam legis ſpiritus, quæ eſt lex Chriſti. Illa ſiquidem tantummodo præcepit opera agenda vel cauenda: iſta autem confert credere & viuere in Chriſto. Et appellatur interſtitium maceriæ iuxta id quod in epiſtola ad Galatas appellatur *in manu dimidiatoris*, Lex enim vetus non erat data mundo, ſed Iſraelitis tantum, & erat diſtinctiua Iſraelitarum à reliquis populis mundi: ac per hoc erat velut interſtitium maceriæ inter populum Iſrael & Gentiles. Et dicitur *maceria* vt intelligatur interſtitium non in perpetuum, ſed ad tempus donec veniret Chriſtus. Maceria enim breuis eſt durationis. Dicitur *maceria* eò quod lex factorum vt diſtinguitur contra legem ſpiritus eſt ſicut maceria, conſtans ex lapidibus ſine glutino ſpiritus. Et eſt interſtitium inimicitiæ; pro quanto ſingularitas populi Iſrael exoſa erat Gentilibus, & ipſe populus Iſrael abominabatur Gentiles.

Lex vetus non erat data mundo, ſed Iſraelitis tantum.

Et quoniam hìc dicitur quod Chriſtus ſoluit, abſtulit legem mandatorum, quæſtio ſuboritur eo quòd ipſe Dominus dicit, *non veni ſoluere legem*. Solutio eſt, vt ibidem eſt diffusè expoſitum, Chriſtus negat ſe veniſſe quandiu erat viator inter homines ad exercendum officium abſoluendi à vinculo legis veteris: hoc enim reſeruabat futuro tempori, quemadmodum negauit ſe miſſum niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël, Paulus autem affirmat efficaciam mortis Chriſti, ſuapte naturâ ad tollendum vincula legis veteris. Vnde nulla eſt inter dicta vtriuſque controuerſia. Quorſum autem aboleuerit legem veterem, explicat: dicendo vt duos populos condat ſeu creet in vnum nouum hominem in ſemetipſo Chriſto. Quod ad Galatas dicit, *omnes enim vos vnus eſtis in Chriſto Ieſu*, modo dicit ſub aliis verbis vt duos populos creet in ſemetipſo in vnum nouum hominem. Vnus ſiquidem nouus homo integratur ex omnibus Chriſtianis: qui eſt ipſum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia. Et verè *homo* ſecundùm naturam, verè *nouus*, quia ſemper nouus nouitate gratiæ (*nihil enim damnationis eſt iis qui in Chriſto Ieſu ſunt*) & verè *vnus*, vnitate eiuſdem ſpiritus. Et hæc omnia veriſſimè ex coniunctione ad Chriſtum maximè verificantur: cùm ipſe ſit vnus nouus homo ſingulariſſimè carens ſimili: vtpote qui eſt diuina hypoſtaſis, conceptus & natus ex virgine, &c.

Quomodo Chriſtus abſtulit legem mādatorum, cùm dixerit non veni ſoluere legem. &c.

Omnes Chriſtiani ſunt vnus nouus homo.

FACIENS PACEM. Poſtquam declarauit modum quo fecit vtraque vnum diruendo maceriam, abrogando legem quæ diuidebat inter Iudæos & Gentiles, vt ſubtracto interſtitio duo fierent vnus: declarat modò aliam particulam (ſcilicet *ipſe eſt pax noſtra*) cum correſpondenti ſibi, *Inimicitias ſoluit in carne ſua. Faciens*, inquit, *pacem*, directè contrariam inimicitiis.

VT RECONCILIET AMBOS IN VNO CORPORE Verſ. 16.
DEO. Hinc apparet quòd inimicitiæ relatiuè ad Deum intelligendæ ſunt, dum dicit *vt reconciliet Deo*. Duo itaque impedimenta vnitatis & pacis Paulus tetigit. Alterum ex parte Iudæorum, interſtitium maceriæ legem, alterum commune vtriſque (Iudæis ſcilicet & Gentilibus) ſcilicet inimicitias ad Deum quæ conſiſtunt in peccatis quibus contemnitur Deus. Et vtrumque impedimentum ſublatum eſſe per Chriſtum Paulus docet ad hoc vt in vno corpore Chriſti myſtico vterque populus reconcilietur Deo.

PER CRVCEM INTERFICIENS INIMICITIAS IN SEMETIPSO. Vt aliàs dictum eſt, ex ſenſu interpretari oportet apud Græcos quando pronomen tenetur reciprocè. Et quia ſuperiùs propoſuerat inimicitias in carne ſua, congruè interpres pronomen reciprocum reddidit, dicendo *in ſemetipſo*: vt quod dixerat *inimicitias in carne ſua*, explicet quòd interfecit inimicitias per crucem non alterius, ſed ſuiipſius. Conſtat autem quòd huiuſmodi inimicitiæ quas Chriſtus interfecit per mortem ſuam in cruce, ſunt inimicitiæ ad Deum, tum Iudæorum, tum Gentilium ob contemptum Dei peccando.

Qua inimicitias Chriſtus per crucem interfecit.

ET VENIENS EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS Verſ. 17.
QVI LONGE FVISTIS. De aduentu Chriſti poſt reſurrectionem eius loquitur, tunc enim venit & dixit diſcipulis, *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium*, &c. tunc euangelizauit (hoc eſt euangelizandum præcepit) pacem vobis, Gentilibus, qui longè fuiſtis, à diuino cultu. ET PACEM IIS QVI PROPE. Supplet *pacem*, hoc eſt & Iudæis qui erant propè, ratione diuini cultus.

QVONIAM PER IPSVM HABEMVS Verſ. 18.
ACCESSVM AMBO IN VNO SPIRITV AD PATREM.

ERGO IAM NON ESTIS HOSPITES ET ADVENÆ. Verſ. 19
Declaratis geſtis per Chriſtum ad vnitatem Iudæorum & Gentilium, infert Paulus ſpiritualem effectum communem vtriſque, imò ex ſpirituali effectu communi vtriſque infert nouam gentium conditionem. Per modum ſiquidem rationis & cauſæ introducit hunc effectum, dicendo *quoniam per ipſum*, Chriſtum, *ambo*, Iudæi & Gentiles, habemus aditum ad patrem cœleſtem, in vno & eodem ſpiritu, proculdubio ſancto: ergo iam non eſtis vos Gentiles effecti Chriſtiani, hoſpites in domo Dei, & aduenæ in charitate Dei.

Et ab hinc incipit tractare illam particulam, *qui prædeſtinauit nos in adoptionem per Ieſum Chriſtum*

Chriſtum in ipſum ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. Inchoat ſiquidem hoc à communi aditu ad patrem qui adoptauit per Chriſtum in vno ſpiritu. Et hinc optimè infert gentes non eſſe amplius hoſpites & aduenas. SED ESTIS CIVES. Superfluit *eſtis*. Et legendum eſt, *Sed conciues* SANCTORVM, ET DOMESTICI DEI. E regione ad *hoſpites* dicit *domeſtici*: & è regione ad *aduenas*, dicit *conciues*. Eccleſia ſiquidem, & eſt ciuitas Dei, & eſt domus Dei. Et propterea competit, & dicere conciues, & dicere domeſticos.

Eccleſia eſt ciuitas & domus Dei.

Verſ. 20. SVPERÆDIFICATI SVPER FVNDAMENTVM APOSTOLORVM ET PROPHETARVM. Metaphoricus eſt ſermo. Et quod dicit: *Super fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, intellige formaliter: hoc eſt, ſuper Chriſtum, ſeu Deum, quatenus eſt fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Verè enim non ſumus fundati ſuper Chriſtum immediatè, ſed quatenus ipſe ſuſtentat Apoſtolos & Prophetas: hoc eſt, mediantibus Apoſtolis & Prophetis, mediante doctrinâ miniſtrata per Apoſtolos & Prophetas. IPSO SVMMO ANGVLARI LAPIDE. Superfluit *lapide*, & vnâ dictione compoſitâ legendum eſſet. *Ipſo ſummangulari* CHRISTO IESV. Quia de coniunctione vtriuſque populi agitur, ideò Chriſtum ſub metaphora ſummangularis deſcribit. Summangularis enim iungit vtrumque parietem. *Summus* autem deſcribitur non ſolum quia ſupremus eſt ſecundum rem, ſed ad inſinuandum quòd in ſpirituali ædificio quod totum ſuſtinet, non eſt in imo (quemadmodum in ædificiis corporeis) ſed in ſupremo. Idem eſt autem ipſe ſummangularis qui & fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Vnde & alibi dicit, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus.* Vtrúque ergo officium Chriſto tribuitur, & fundamenti & ſummangularis.

Chriſtus lapis ſummangularis.

Verſ. 21. IN QVO OMNIS ÆDIFICATIO CONSTRVCTA, pro *quæ coaptatur*. Eſt enim præſentis temporis, & coaptationem ſignificat. Ad lapidem ſiquidem angularem refertur coaptatio, ad differentiam ædificationis quæ non coaptatur tali angulari propter difformationem morum. CRESCIT IN TEMPLVM SANCTVM IN DOMINO. Ecce quare metaphoram ædificationis immiſcuit, quia Chriſtiani templum ſunt Domini: & ſi coaptantur Chriſto, creſcunt in templum ſanctum, in habitaculum mundum coram Deo. Vnde & hoc quod communiter de omnibus dixerat, magis explanando applicat ad Gentiles, dicendo:

Verſ. 22. IN QVO ET VOS COÆDIFICAMINI IN HABITACVLVM DEI, hoc eſt enim eſſe templum, eſſe habitaculum Dei. Sed quomodo fiat iſta coædificatio adiungit, IN SPIRITV SANCTO. Superfluit *ſancto*, ſubintelligitur tamen. Non eſt corporalis huiuſmodi ædificatio, ſed ſpiritualis, ſed ſecundùm opera Spiritus ſancti.

CAPVT III.

Verſ. 1. HVIVS REI GRATIA, vt ſcilicet vos coædificemini in ſpirituale habitaculum Dei. EGO PAVLVS, Dixerat *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, manifeſtat modò hoc in ſeipſo: quòd ſcilicet ſuper fundamentum eius, hoc eſt, ſuper Chriſtum fundantem ipſum, ſuperædificantur Gentiles. Et ad hoc affert tum ea quæ patitur pro Chriſto, tum reuelationem ſibi factam de myſteriis diuinis: tum officium Apoſtolatus ſui ad gentes. Et à paſſionibus incipiens dicit, VINCTVS CHRISTO IESV. Hebræo more ſubaudit ſubſtantiuum verbum *ſum*. Eſt enim *vinctus* nomen, erat ſiquidem Paulus tunc Romæ vinctus pro Chriſto. PRO VOBIS GENTIBVS. Lege Actus Apoſtolorum, & inuenies Paulum perſecutionem paſſum, tanquam deſtructorem legis Moſaicæ propter veritatem Euangelicam, quam in gentibus prædicabat. Et propterea hîc dicit *pro vobis gentibus*.

Cùm hæc ſcriberet, vinctus erat Romæ pro Chriſto Apoſtolus.

Verſ. 2. SI TAMEN, pro *vtique &*, AVDISTIS DISPENSATIONEM GRATIÆ DEI QVÆ DATA EST MIHI IN VOBIS, pro *in vos*. Ne ſe ingeſſiſſe crederetur ad prædicandum gentibus ob quod patiebatur, commemorat auditum iam fuiſſe à gentibus qualiter diuinâ diſpenſatione gratia Apoſtolatus ad gentes ſibi data fuerat. Iam ſiquidem diuulgatus erat modus quo Paulus conuerſus fuerat ad Chriſtum: & quòd in illa conuerſione Chriſtus dixerat, *Vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coram regibus & gentibus.* Hæc itaque diſtributio diuinæ gratiæ in perſonam Pauli ad euangelizandum gentibus, audita deſcribitur. Act. 9.

Verſ. 3. QVONIAM, pro *quod*, SECVNDVM REVELATIONEM NOTVM MIHI FACTVM EST, pro *fecit*, SACRAMENTVM, pro *myſterium* Et hoc etiam auditum commemorat quòd Deus notificauit Paulo arcana ſecundùm reuelationem: hoc eſt, reuelando per ſeipſum, & non remiſit eum, vt inſtrueretur ab aliis Apoſtolis. SICVT SVPRA, pro *ante*, SCRIPSI IN BREVI. De myſterio dicit, quemadmodum antè ſcripſi in hac eadem epiſtola, *in breui*, hoc eſt, paucis verbis. Verè multa myſteria breuibus verbis in hac eadem comprehenderat epiſtola, quæ per reuelationem didicerat.

Verſ. 4. PROVT, pro *ob quod ſcriptum*. POTESTIS LEGENTES INTELLIGERE PRVDENTIAM, pro *intelligentiam*, MEAM IN MINISTERIO, pro *in myſterio*, CHRISTI. Explicat officium ſuper quòd ædificantur, excitando eos ad conſiderandum excellentem notitiam, quam ipſe habebat in myſterio Chriſti. Dixerat enim *ſuper fundamentum Apoſtolorum*: & propterea oportebat manifeſtare excellentiam doctrinæ Apoſtolicæ, non in Philoſophia, ſed in myſterio Chriſti.

Sapientia D. Pauli in myſterio Chriſti.

Verſ. 5. QVOD ALIIS GENERATIONIBVS, hoc eſt, ætatibus aliarum generationum. NON EST AGNITVM, pro *notificatum*, FILIIS HOMINVM. Ad explicandam maiorem gratiam factæ reuelationis, dicit huiuſmodi myſterium Chriſti non eſſe notificatum filiis hominum (ad differentiam Angelorum) prioribus ætatibus. Cum grano tamen ſalis intellige: nam ſubiungit: SICVTI NVNC REVELATVM EST. Ne intelligeres prophetis omnino fuiſſe incognitum, appoſuit modum, dicendo, *ſicut nunc reuelatum eſt*: vt intelligamus non fuiſſe notificatum priſcis illo modo quo nunc abſque velo notificatum eſt. Ac ſi apertiùs dixiſſet: fuit quidem priſcis notificatum ſub velamine, modò autem ſine

celamine. SANCTIS APOSTOLIS EIVS ET PROPHETIS IN SPIRITV. Deeſt *ſancto*. Ne ſibi ſoli deſcribat reuelationem factam, commemorat reuelatum eſſe myſterium ſanctis Apoſtolis Chriſti & Prophetis: reuelatum autem in Spiritu ſancto, non in ſpiritu Pythonico.

Et hinc habes quòd de prophetis noui Teſtamenti loquitur, dicendo *ſicut nunc reuelatum eſt prophetis*. Et quidem fuiſſe multos Prophetas in Teſtamento nouo, clarè patet legenti Actus Apoſt. & Epiſt. Pauli, imò ipſum Paulum fuiſſe prophetam teſtantur ſcripta in eius epiſtolis vaticinia de futuris. Ex ſymbolo quoque Apoſtolorum apparet omnes Apoſtolos fuiſſe Prophetas reſurrectionis mortuorum venturique ſeculi. Et dixit hæc ad declarandum quod dixerat *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*.

Prophetæ multi in nouo Teſtamento.

Verſ. 6. ESSE GENTES COHÆREDES ET CONCORPORALES, pro *concorpores*, ET COMPARTICIPES PROMISSIONIS EIVS IN CHRISTO IESV PER EVANGELIVM. Superfluit *Ieſu*. Paulò ſuperiùs dixerat de propria intelligentia in myſterio Chriſti: & poſtea ſubiunxit de communi ſibi & aliis Apoſtolis, ac Prophetis notitia eiuſdem myſterij, quæ ſub velamine tradita erat antiquis. Et de proprio quidem dixit ſe ſcripſiſſe: de hoc autem communi, modò explicat quid eſt illud. Et eſt quòd Gentiles ex extraneis à Teſtamentis ſunt iam cohæredes æternæ hæreditatis: & cùm eſſent alieni à ciuilitate diuinæ legis, iam ſunt concorpores corporis Chriſti myſtici: & cùm eſſent ſine ſpe promiſſionis, ſunt iam comparticipes promiſſionis eius, ſcilicet Dei, participando dona Spiritus ſancti promiſſa Eccleſiæ. Hæc autem mutatio eſt, quia iam ſunt in Chriſto per Euangelium, non per legem Moyſi. Hoc eſt myſterium ſub velamine priſcis notificatum: modò autem clarè manifeſtatum.

Gentiles cohæredes & concorporei Chriſti.

Et dicit hæc omnia ad declarandum illam particulam *ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ*: per hæc enim omnia manifeſtat beneplacitum voluntatis diuinæ fuiſſe prædeſtinare gentes in adoptionem tali modo: vt ſcilicet ſuperædificarentur ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ad hoc enim reuelationes factæ Apoſtolis & Prophetis noui Teſtamenti inducuntur de ſalute gentium. Et ad hoc idem ſubiungitur,

Verſ. 7. CVIVS FACTVS SVM EGO MINISTER. Relatiuum *cuius*, ſi referat Euangelium, dicitur Paulus miniſter Euangelij, pro quanto prædicator eſt illius: ſi verò (quod potius quadrat) referat Chriſtum, clarè conſtat, *cuius*, ſcilicet Chriſti *factus ſum ego miniſter*. *Sic nos*, inquit alibi, *æſtimet homo vt miniſtros Chriſti*. Quod enim dixit fundamentum Apoſtolorum: hoc eſt, dicere Chriſtum per miniſtros Apoſtolos, ſeu Apoſtolos miniſtros Chriſti. Ad hoc ergo dixit, *cuius factus ſum ego miniſter*. SECVNDVM DONVM GRATIÆ DEI. non propriis meritis, non virtute propriâ, ſed dono diuinæ gratiæ. QVÆ DATA EST MIHI SECVNDVM OPERATIONEM VIRTVTIS, pro *potentiæ* EIVS. Vide fundamentum Apoſtolorum iunctum ipſis ſecundùm gratiam datam illis, non ſecundum humanas vires: ſed ſecundùm operationem potentiæ Dei: quæ neſcit menſuram. Et dicit *ſecundùm operationem*: quoniam gratia conceſſa Apoſtolis, erat in operatione potentiæ Dei: loquendo linguis, faciendo miracula, interpretando ſcripturas, &c.

MIHI ENIM OMNIVM SANCTORVM MINIMO. Verſ. 8.
Superfluit *enim*. Quod dixerat *miniſterium ſecundùm operationem potentiæ*, modò explicat ſecundùm operationem doctrinæ. Quod autem dixit *omnium ſanctorum minimo*, minùs explicatur in lingua Latina, nam ſignificatur in Græco *minor minimo*. Recognoſcit ſe Paulus, & explicat ſe minorem minimo omnium ſanctorum quantùm eſt ex parte ſui: dum commemorat excellentia dona gratiæ ſibi collata: vt inde ſeipſum ac ſuiipſius notitiam ante oculos ponat, & ſe ad ſeipſum reuocet, ne ex iſtis tam præcipuis donis extollatur, ne aliis ſe præferre reputetur.

Se humiliat D. Paulus dū dona ſibi collata commemorat.

DATA EST GRATIA HÆC. quam ſubiungo. IN GENTIBVS EVANGELIZARE INVESTIGABILES DIVITIAS CHRISTI. Negatiuè ſumitur *in* dicendo *inueſtigabiles*, ſignificantur enim non veſtigabiles. Diuitiæ Chriſti imperueſtigabiles, dona ſunt Chriſti quæ excedunt omnem naturalem inquiſitionem: nullus enim inquirere poteſt *Verbum caro factum eſt*, *Chriſtus reſurrexit, & ſedet ad dexteram Dei*, & huiuſmodi, & tamen hæc ſunt quæ Paulus euangelizabat inter gentes.

Diuitiæ Chriſti inueſtigabiles quæ.

ET ILLVMINARE OMNES, hoc eſt, clarè manifeſtare omnibus. Quod intellige quantum erat ex parte ſui. QVÆ SIT DISPENSATIO SACRAMENTI, pro *myſterij*, ABSCONDITI A SECVLIS IN DEO, QVI OMNIA CREAVIT. Myſterium abſconditum à ſeculis in Deo, eſt arcanum efficiendorum tali & tali tempore in Eccleſiaſticis. Quod abſconditum deſcribitur à ſeculis in Deo etiam poſtquam creauit omnia. Manifeſtat Paulus quòd quamuis Deus creauerit omnia, ac per hoc manifeſtauerit rerum omnium rationes Angelis, & naturas rerum: intelligendas porrexerit hominibus, reſeruauit tamen in arcano ſuo notitiam certis temporibus agendorum, de quibus Chriſtus dixit, *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Sed aduerte quod non dicit, *& illuminare omnes quod ſit myſterium*, ſed dicit, *quæ ſit diſpenſatio myſterij abſconditi*. non enim manifeſtauit Paulus quæ latent in illo myſterio: ſed diſpenſationem (hoc eſt, executionem ordinatam) illius myſterij quæ ſit, declarauit ſiquidem quòd vocatio gentium in vnitatem Eccleſiæ ex Iudæis & Gentilibus eſt non de numero eorum quæ Deus manifeſtauit, ſed eſt executio myſterij reſeruati in arcano Dei; & ſic de ſimilibus ſpectantibus ad executiones quæ fiunt in Eccleſia Chriſti manifeſtatis per Paulum intellige.

Verſ. 9.

Notitiam certis temporibus agendorū ſibi reſeruauit Deus.

VT INNOTESCAT. Deſunt quatuor dictiones, in diuerſis tamen locis. Legendum eſt, *Per Ieſum Chriſtum vt innoteſcat nunc*. Deinde ſequitur, PRINCIPATIBVS ET POTESTATIBVS IN COELESTIBVS. Rationem reddit quare myſterium abſconditum fuerit in Deo. Et eſt ordo literæ, vt per Ieſum Chriſtum innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus. Reſeruauit ſibi Deus in ſeipſo occultū myſterium ad hoc vt mediante Chriſto homine communicaret hoc arcanum in cœleſtibus Verſ. 10.

ſupernis

ſupernis ſpiritibus. Dicendo enim *vt innoteſcat nunc*, & explicando *per Ieſum Chriſtum*, manifeſtat prærogatiuam hanc reſeruatam Chriſto homini: nec adhuc Chriſtum communicaſſe omnia ſupernis ſpiritibus, ſed durare nunc quo notum fit.

Quid ſit autem illud myſterium quod per Chriſtum innoteſcit ſupernis ſpiritibus, manifeſtat ſubiungendo, PER ECCLESIAM MVLTIFORMIS, pro *multifaria*, SAPIENTIA DEI

Verſ. 11. SECVNDVM PRÆFINITIONEM SECVLORVM. Sapientia Dei multifaria per Eccleſiam, variis modis & viis ſparſa per Eccleſiam, non qualitercunque, ſed ſecundùm præfinitionem ſeculorum: hoc eſt, periodorum qui executionibus ſingulorum effectuum diuinæ ſapientiæ in Eccleſia deſtinati ſunt, eſt illa quæ nunc (hoc eſt, vſque ad tempus iudicij vniuerſalis) notificatur per Chriſtum ſupernis ſpiritibus, modo enim reuelat vnum, modò aliud. QVAM FECIT IN CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Relatiuum *quam* refert Eccleſiam. Eccleſia enim nomen eſt commune ad omnes conuentus, & propterea explicat de qua Eccleſia loquitur: de illa ſcilicet quam fecit Deus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quæ eſt Eccleſia Chriſtiana. Et inſeruit hæc ad declarandum quod ſuperiùs dixerat de Chriſto *ſupra omnem principatum & poteſtatem, & dominationem, & virtutem*, &c. per hoc enim declarauit quòd non ſolùm eminentia dignitatis & potentiæ, ſed etiam notitiæ & doctrinæ eſt ſupra omnem principatum omnium cœleſtium ſpirituum.

Sapientia Dei multifaria ſecundum præfinitionem, executum.

Verſ. 12. IN QVO HABEMVS FIDVCIAM, pro *auſum*. De libera audacia euangelizandi eſt ſermo. ET ACCESSVM. *Auſus* refertur ad euangelizandum hominibus: *acceſſus* autem (hoc eſt aditus, ſeu introductio paſſiua) refertur ad eundum ad Deum. IN CONFIDENTIA. Fiducia hæc refertur ad vtrunque, tam aditum, quam auſum. PER FIDEM EIVS. Chriſti. Et adiunxit hæc ad declarandum quòd Apoſtoli per fidem in Chriſto qui reuelat Angelis, confidenter non ſolùm habent aditum ad Deum, ſed etiam auſum ad euangelizandum myſteria.

Verſ. 13. PROPTER QVOD, donum quod in Chriſto habemus per fidem propagandum. PETO à vobis. NE DEFICIATIS IN TRIBVLATIONIBVS MEIS PRO VOBIS, ne deficiatis animo, ne erubeſcatis quòd ego ſim in tribulationibus pro vobis, pro Euangelio ad gentes. QVÆ EST GLORIA VESTRA. Ad vtrumque poteſt referri, ſcilicet tam ad tribulationem Pauli, quam ad perſeuerantiam eorum, nam & preſſura Pauli patris ac doctoris eorum erat materia gloriæ eorum: ſicut crux Chriſti eſt gloria omnium, & perſeuerantia ipſorum erat meritum gloriæ.

Verſ. 14. HVIVS REI GRATIA, ſcilicet ne deficiatis, ſcilicet pro gloria veſtra. FLECTO GENVA MEA. Non ſolùm à vobis peto, ſed à Deo, & hoc flexis genibus. AD PATREM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Vbi declarauit beneplacitum diuinæ voluntatis circa modum prædeſtinatæ adoptionis, explicat modò ipſam adoptionem. Et propterea meminit patris Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt natura pater Domini noſtri Ieſu Chriſti: & adoptione pater noſter. Vnde & ſubdit,

EX QVO OMNIS PATERNITAS, pro *familia*, IN CŒLIS ET IN TERRA NOMINATVR. Non loquitur Paulus de paternitate, ſed de adoptata familia, ſed de familia ab vno eodémque patre deriuata. Et dixit quòd ex quo patre Domini noſtri Ieſu Chriſti omnis familia tam in cœlis, quàm in terra nominatur, tanquam ab vno eodemque patre deducta, verbi gratiâ ſicut à Cæſare familia Cæſarianorum, & ab Iſrael familia Iſraelitarum, & à Chriſto familia Chriſtiana. Explicat ſiquidem per hoc Paulus adoptionis gratiam communem eſſe ſupernis ſpiritibus & hominibus ab vno eodem Deo patre Domini noſtri Ieſu Chriſti, ita quòd omnes (tam ſpiritus cœleſtes, quam nos homines) ſumus adoptiui filij Dei. Verſ. 15.

Gratia adoptionis à patre cœleſti communis Angelis, & hominibus.

VT DET VOBIS SECVNDVM DIVITIAS GLORIÆ SVÆ, in qua conſummatur adoptio. VIRTVTEM, pro *potentiam*, CORROBORARI PER SPIRITVM EIVS IN INTERIORI HOMINI. Supplicat vt ex diuitiis gloriæ paratæ emanet robur potentiæ in interiori homine per ſpiritum Dei. Nihil petit corporeum, ſed ſpectans ad animam: quòd ſcilicet potentia quam acceperunt in Baptiſmo ad confitendum fidem, ad præliandum cum dæmone, ad vincendum mundum, corroboretur per ſpiritum Dei. Quæ corroboratio qualiter fiat, explicat ſubiungendo, Verſ. 16.

CHRISTVM HABITARE PER FIDEM IN CORDIBVS VESTRIS. Non dicit Chriſtum hoſpitari in cordibus veſtris per fidem, ſed *habitare* hoc eſt, tanquam habitantem vti cordibus veſtris per fidem: ſic enim corroboratur potentia interni hominis. IN CHARITATE RADICATI ET FVNDATI: Verſ. 17.

VT POSSITIS. Nota præcedētia conſtrui cum verbo *det* (dicendo *det corroborari potentiam*, *det habitare Chriſtum*) hoc autem, *in charitate radicati & fundati*, non poſſunt conſtrui cum eodem verbo, & propterea ſequentibus adiunguntur. Et eſt ordo literæ: vt in charitate radicati & fundati poſſitis. Similis ordo paulò ante habitus eſt, dicendo *per Ieſum Chriſtum vt innoteſcat*. Verſ. 18.

Supplicationi vt roboretur potentia per ſpiritum vt habitet Chriſtus per fidem, adiungit quod reliquum erat vt in charitate radicati & fundati. Tria enim ſunt in nobis: voluntas, ad quam ſpectat dilectio: intellectus, ad quem ſpectat fides: & potentia, ad quam ſpectat robur ſpiritus. Et quemadmodum dicit non hoſpitari, ſed habitare Chriſtum, ita de dilectione dicit, *radicati & fundati*, tum ad ſignificandam firmitatem, tum ad ſignificandum quòd dilectio eſt radix, & fundamentum: aſſimilatur ſiquidem radici, pro quanto ex ea reliquæ virtutes oriuntur: aſſimilatur fundamento, pro quanto ſuſtentat merita omnium, & quæ agimus, & quæ patimur. Radicati autem & fundati in dilectione ſunt, qui ex imo & profundiſſimo corde dilectionem germinant & ſuſtentant multitudinem bonorum operum. Et hinc conſurgit poſſe ad altiorem contemplationem, imò notitiã ſubiunctã. COMPREHENDERE CVM OMNIBVS SANCTIS. Pro cœleſtis patriæ felicitate ſupplicat, nam non hic, ſed ibi commune eſt omnibus ſanctis comprehendere. QVÆ SIT LATITVDO ET LONGITVDO, ET SVBLIMITAS, ET PROFVNDVM. Tranſpoſitæ ſunt duæ vltimæ

Dilectio eſt radix & fundamentum.

dictiones. Legendum eſt, *Et profunditas & ſublimitas.* Metaphoricè Deum deſcribit Paulus, non tribus dimenſionibus ex quibus conſtat corpus (ne fortè errares intelligendo Deum eſſe corpus) ſed addit tribus dimenſionibus quaſi quartam: vt manifeſtè intelligas quòd metaphoricè loquitur, cùm conſtet dimenſiones corporis eſſe tres tantùm.

Quænam in Deo latitudo, longitudo, ſublimitas profunditas?

Per longitudinem itaque, Dei æternitatem: per latitudinem, immenſitatem potentiæ: per profunditatem, immenſitatem ſcientiæ: per ſublimitatem, excellentiam naturæ intellige. Hæc autem dicit poſſitis comprehendere, non vt comprehenſio fines complectitur rei (hoc enim impoſſibile eſt) ſed vt comprehenſio opponitur inſecutioni: iuxta illud ad Corinth. *Sic currite vt comprehendatis.*

Verſ. 19. SCIRE ETIAM SVPEREMINENTEM SCIENTIÆ CHARITATEM CHRISTI. Datiui caſus eſt *ſcientiæ*, & explicatur charitas Chriſti ſuperans ſcientiam: hoc eſt maior quàm ſciatur. Supplicat etiam Paulus vt non ſolum cognoſcant diuinitatem ſecundum eius naturam, ſed etiam cognoſcant dilectionem Chriſti erga genus humanum. Et ſi extendatur ad omnes ſpirituales creaturas, non eſt error. VT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITVDINEM DEI. Et hoc propriè ad patriam ſpectat, in qua ingrediuntur homines in ipſam Dei plenitudinem, & implentur. Significatur ſiquidem exceſſus plenitudinis diuinæ gloriæ ſupra vniuerſum id, cuius ſumus capaces.

Verſ. 20. EI AVTEM QVI POTENS EST. Deficit *Super omnia facere.* Inexhauribilem diuinam ſignificat potentiam, dicendo quòd eſt potens facere ſuper omnia. SVPERABVNDANTER QVAM PETIMVS. pro, *ex abundanti ſuper ea quæ petimus*, AVT INTELLIGIMVS. Non ſolùm ſuper omnia facta poteſt facere, ſed poteſt etiam ex abundanti ſuper ea quæ petimus, & (quod plus eſt) ſuper ea quæ intelligimus. SECVNDVM VIRTVTEM. pro, *potentiam*, QVÆ OPERATVR IN NOBIS. Ne ficta videatur diuina potentia potens ſuper omnia, manifeſtat eandem eſſe potentiam quà poteſt facere ſuper omnia quæ de facto operatur in nobis ea quæ nunquam aut petiſſemus aut intellexiſſemus: vt ex iis quæ exercet in nobis, credatur quòd poteſt ſuper omnia. Si petis quæ ſunt illa quæ exercebat in Apoſtolis, confer quales erant ante Spiritum ſanctum receptum, & quales fuerunt poſt in tot mirabilibus operibus, & perſpicies potentiam Dei quæ operabatur in illis.

Diuina potentia in Apoſtolis.

Verſ. 21. IPSI GLORIA. Superfluit *Ipſi.* IN ECCLESIA ET IN CHRISTO IESV. Superfluit &. Determinat enim Eccleſiam in Chriſto Ieſu. IN OMNES GENERATIONES SECVLI SECVLORVM AMEN. Dicit hæc Paulus ad explicandum reliquum, *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Explicat enim quòd laudabitur gloria gratiæ in Eccleſia Chriſti ſine termino. Et dicit *in omnes generationes* ad comprehendendum nouam regenerationem quæ erit in reſurrectione. Et dicit *ſeculi ſeculorum*: hoc eſt, æternitatis, comprehendentis reliqua ſecula: de quibus prius dixerat ſecundum *præfinitionem ſeculorum.* Et per modum concluſionis dicit *amen*: ad ſignificandum terminum tractatus ſpeculatiui huius epiſtolæ, ab hinc enim deſcendit ad moralia.

CAPVT IV.

OBSECRO, pro, *hortor*, ITAQVE VOS. Verſ. 1.
In principio Epiſtolæ inter myſteria ſpeculatiua inſeruit *nos electos membra Chriſti vt eſſemus ſancti & irreprehenſibiles in conſpectu Dei in dilectione*: hæc ſunt quæ modò tractanda ſuperſunt. Et inchoat à primo. Tractat ſiquidem quomodo Chriſtiani ſunt membra Chriſti in vno corpore. EGO VINCTVS IN DOMINO. A propria afflictione prouocat ad ſimiles virtutes. Et dicit *in Domino*: ad ſignificandum rationem vinculorum, ad ſignificandum vnionem ſui Chriſto. VT DIGNE AMBVLETIS VOCATIONE QVA VOCATI ESTIS. vt condigna ſit vita atque operatio ſtatui imò corpori ad quod vocati eſtis, vt vita veſtra ſit digna quæ ſit pars vitæ corporis Chriſti. Et explicans partes huiuſmodi dignæ ambulationis, ſubiungit:

CVM OMNI HVMILITATE ET MANSVETVDINE. Verſ. 2.
Humilitas hoc in loco nomen eſt virtutis animi, contrariæ ſuperbiæ. Et verè prima virtus neceſſaria ad dignè viuendum in vnitate eſt humilitas, quoniam inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia. Et huic adiungitur manſuetudo, contraria iræ, cuius eſt perturbare ſocietatem. CVM PATIENTIA. pro *longanimitate*, quæ animum ad æternum extendit præmium: ac per hoc facit contemptorem præſentium bonorum, ob quorum amorem ſæpe ſcinditur vnitas collegij.

Prima virtus neceſſaria vnitati ſeruanda, eſt Humilitas.

SVPPORTANTES INVICEM IN CHARITATE. Et hoc inter præcipua eſt neceſſarium vt tolerent ſeinuicem ſocialiter viuentes. Verùm ne toleratio ſit ex puſillanimitate aut conſenſu ad malum, adiungit *in dilectione*: ita quòd vera dilectio proximi, veraque dilectio communis boni ſit ratio tolerandi.

SOLICITI. pro, *ſtudentes*, SERVARE VNITATEM Verſ. 3.
SPIRITVS IN VINCVLO PACIS. Primaria intentio ad vnitatem communis boni ſpiritualis deſcribitur ſtudio ſeruandæ vnitatis non corporum, ſed ſpiritus in colligatione pacis, in colligatione tranquilli ordinis. Vnitas ſiquidem ſpiritus niſi colligentur partes multitudinis tranquillo ordine, nequit ſeruari.

VNVM CORPVS ET VNVS SPIRITVS. Subaudi Verſ. 4.
ſitis vel *eſtis.* SICVT VOCATI ESTIS IN VNA SPE VOCATIONIS VESTRÆ. Hortatur ſeu aſſerit Paulus Chriſtianos eſſe vnum corpus (proculdubio myſticum Chriſti) & vnum ſpiritum: & hanc vnitatem declarat ex vnitate rei ſperatæ ad quam vocati ſumus. Ita quòd quemadmodum ad vnam & eandem beatitudinem ſperandam ſumus vocati, ita ſumus vnum corpus & vnus ſpiritus. Et vnum quidem ſpiritum declarat ſubiungendo:

Fideles ſunt vnum corpus & vnus ſpiritus.

VNVS DOMINVS. Prima ratio vnitatis ſpiri- Verſ. 5.
tus in corpore Eccleſiaſtico, eſt vnitas Domini, qui proculdubio ſpiritus eſt, vt hinc intelligamus omnes eſſe velut ſeruos vnius & eiuſdem Domini, omnes tendere ad ſeruiendum ſpiritu vni Domino ſpirituali.

Vnus Dominus.

VNA FIDES. *Dominus* res extrinſeca, *fides* res interna: vnitas fidei, vnitas ſpiritualis eſt communis omnibus, vnum enim atque idem omnes credimus.

Vna fides.

VNVM

Vnum bapti-ſma.

VNVM BAPTISMA. Tertio loco vnitas ſpiritus ex vnitate Baptiſmi (quo omnes naſcimur ex aqua & ſpiritu) ponitur : vt vnitas Sacramentorum ad vnitatem ſpiritus ſpectare intelligatur, quoniam ratione ſpiritus in Eccleſia ſunt. Dicitur autem Baptiſma vnum, tum quia vnius eſt formæ : tum quia iteriterabile eſt.

Verſ. 6. *Vnus Deus.*

VNVS DEVS. Vnitatem finis & religionis deſcribit, dicendo *vnus Deus*. Et demum vnitatem patris ſubiungit, dicendo, ET PATER OMNIVM. Vt ex his intelligamus omnes nos eſſe tot ſpiritualibus vnitatibus iunctos, ſcilicet quatenus ſeruos vnitate Domini, quatenus credentes vnitate fidei, quatenus renatos vnitate Baptiſmi, quatenus tendentes ad beatitudinem, & cultui vacantes vnitate Dei, & quatenus filij vnitate patris, vt ſic intelligamus nos omnes fratres. QVI SVPER OMNES ET PER OMNIA, pro, *& per omnes*, ET IN OMNIBVS NOBIS. In textu Græco anceps eſt genus ad maſculinum & neutrum : verum quia cùm tertiò dicitur, *in omnibus*, manifeſtè eſt maſculinum propter pronomen *nobis*, quadrat vt præcedentia etiam maſculine accipiantur, *ſuper omnes & per omnes*. Et quadrat nihilominus materiæ de qua eſt ſermo, ſcilicet de nobis, qui ſumus membra corporis Chriſti : de his ſiquidem dicitur quòd Deus eſt ſuper omnes, non ſolum vt eminentia eſſentiæ, ſed vt eminentia potentiæ ſecundum efficaciam ſpiritualem deſcribatur ſuper omnes, vt omnes comprehendat efficacia ſuæ potentiæ, vt non ſolùm ſuperſit, ſed omnes ambiat tanquam circundando : & demum in omnibus interna penetratione, in omnibus nobis operans, vt nulla ex parte Deum nobis deeſſe intelligamus. Hæc eſt vnitas ſpiritus Chriſtianorum.

Verſ. 7. VNICVIQVE AVTEM NOSTRVM. Cùm declarauit vnum ſpiritum declarat vnum corpus. Et primum, quoad vnitatem capitis, deinde quoad diuerſitatem membrorum, & demum quoad vnitatem totius corporis. Vnitatem quidem proponit cum diuerſitate membrorum : dicendo enim, *vnicuique autem noſtrum*, diuerſitatem membrorum ſignificat. DATA EST GRATIA SECVNDVM MENSVRAM DONATIONIS CHRISTI. Ecce vnitas capitis à quo in vnumquodque membrum datur gratia velut vita. Sed quia non communicatur gratia membris à capite Chriſto per modum naturæ (ſicut à capite naturali communicatur membris naturalibus) ſed per modum liberæ collationis, ideo meminit donationis dicens, *ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Et quia donum Chriſti eſt penes quod menſuratur gratia, ideo dicit *ſecundum menſuram donationis Chriſti* : verbi gratia, ſi donum Chriſti eſt Apoſtolatus, gratia datur tanta, quanta congruit Apoſtolatui : ſi donum eſt doctoratus, gratia datur tanta, quanta congruit doctori, & ſic de aliis donis Chriſti.

Gratia datur ſecundùm menſuram donationis Chriſti.

Verſ. 8. PROPTER QVOD DICIT. Affert ad propoſitum verba Pſal. 28. ASCENDENS IN ALTVM CAPTIVAM DVXIT CAPTIVITATEM, DEDIT DONA HOMINIBVS. Vbi aduerte primum quòd in Hebræo habetur, *Aſcendiſti in excelſum, captiuaſti captiuitatem, accepiſti dona in Adam.* Quocirca Paulus non verba, ſed ſenſum attulit : declarando quòd Chriſtum accipere dona in homine, eſt ipſum dare dona hominibus quia accepit ad dandum.

Aduerte ſecundò quòd vt ex Pſalmo illo apparet, myſtico ſenſu vtitur Paulus his verbis : ad literam ſiquidem loquitur de Moyſe : ſed Paulus ad figuram Aſcenſionis Chriſti tranſtulit. Intendit enim *aſcendens in altum*, hoc eſt, in cœlum, *captiuam duxit captiuitatem* : pro quanto ſanctos omnes qui captiui erant in limbo duxit in cœlum, quod eſt tanquam de captiuitate in captiuitatem ducere : eò quòd velut violenta fuit huiuſmodi ductio, pro quanto in longe peregrinum & extraneum a natura humana locum duxit eos : deſcribitur enim per hoc actio ducentis ſine meritis eorum qui ducebantur, tanta, vt aſſimiletur captiuationi. Quid autem intendat per dare dona hominibus ipſemet explicabit.

Chriſtus aſcendens in cœlum captiuam duxit captiuitatẽ.

QVOD AVTEM ASCENDIT. Declarat illam particulam *aſcendens in altum* : ne incongruè videatur applicaſſe hæc verba ad Chriſtum. Verſ. 9.
Valde enim diſſonum apparet, vt de Chriſto qui eſt verus Deus, legatur *aſcendit in cœlum* : cùm ipſe ſemper ſit in cœlo. Et eſt ſenſus, quòd autem aſcendit, id eſt, quod dictum eſt, aſcendit. QVID EST. Quæſtionem proponit, & ſtatim reſpondet. NISI QVIA ET DESCENDIT PRIMVM IN INFERIORES PARTES TERRÆ? Ratio aſcenſus redditur ex hoc quòd prius deſcenderat, non corporali motu, ſed aſſumendo infimam naturã inter creaturas rationales.

Quod autem dicit, *in inferiores partes terræ*, quamuis poſſit intelligi de partibus ipſius terræ, diſtinguendo in ipſa partes ſuperiores, & partes inferiores (appellando partes inferni inferiores partes, ad quas Chriſtus deſcendit ſecundùm animam) planius tamen intelligitur appoſitum *terræ* ad determinandum inferiores partes : infima enim pars mundi eſt terra, ad differentiam inferiorum partium cœli quæ ſunt in aëre. Ac ſi apertius dixiſſet, quia deſcendit primum ad inferiorem partem mundi, terram.

QVI DESCENDIT IPSE EST, ET QVI ASCENDIT. Verſ. 10.
Eandem hypoſtaſim, eandem perſonam diuinam ſignificat deſcendiſſe, & aſcendiſſe : deſcendiſſe quidem ſuſcipiẽdo carnem : aſcendiſſe autem carnem aſſumptam inferendo cœlis. SVPRA OMNES COELOS. Vt nobiliſſimum omnium corporum locaret ſupra omnia cœleſtia corpora. Quamuis enim ſupra omnes cœlos non ſit vacuum, neque plenum, eſt tamen ibi Chriſtus homo qui non eget vacuo, aut pleno continente. VT ADIMPLERET OMNIA, quæ ſcripta ſunt de eo : ad implendum ſiquidem promiſſa & ſcripturas deſcendit & aſcendit. Quamuis hoc poſſit referri ad effectus in toto vniuerſo producendos ex Aſcenſione Chriſti, vt ſit ſenſus quòd aſcendit ſupra omnes cœlos ad hoc vt impleat omnia effectibus ſuis. Et vterque ſenſus eſt verus.

Chriſtus eſt ſuper omnes cœlos.

ET IPSE DEDIT QVOSDAM QVIDEM APOSTOLOS. Verſ. 11.
Declarauit illam particulam, *dedit dona hominibus* : explicando ſimul diuerſa membra corporis Chriſti. Et primo loco ponit Apoſtolos : vtpote primatum in Eccleſia habentes, vtpote proximos Chriſto. QVOSDAM AVTEM PROPHETAS, ad prædicandum ventura. ALIOS VERÒ EVANGELISTAS, ad prædicandum Euangelium, ALIOS AVTEM PASTORES : ad

Varia membra corporis Chriſti.

paſcendum oues Chriſti. Et doctores. Iungit doctoratum paſtorali curæ: ad ſignificandum quòd paſtor annexum habet officium docendi. Vbi aduerte quòd hæc diuerſitas membrorum eſt intelligenda formaliter, & non cum præciſione: hoc eſt, non eſt intelligendum quòd Apoſtoli non fuerint Doctores, Paſtores, Euangeliſtæ, & Prophetæ (quoniam in Apoſtolatu omnes hæ gratiæ eminenter continentur) ſed eſt intelligendum quòd aliud eſt officium Apoſtoli, aliud Prophetæ, qui tantùm eſt Propheta, aliud eius qui tantùm eſt Euangeliſta, aliud eius qui tantum eſt Paſtor & Doctor.

Paſtor annexum habet docendi officium!

Verſ. 12. Ad consvmmationem, pro *inſtaurationem*, sanctorvm. Fructum triplicem diſtinctorum membrorum in Eccleſiaſtico corpore deſcribit. Primus eſt reparatio ſanctorum. Septies ſiquidem in die cadit iuſtus, & reparatione eget. Reparatio itaque ſanctorum (hoc eſt, mundorum per Baptiſmum) quoniam contingit eos labi, primus fructus ponitur. In opvs ministerii. Primus fructus reſpicit nos ob fragilitatem humanam indigentes reparatione: iſte verò ſecundus reſpicit ipſos Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, & officia ſiquidem eorum ſunt non ad otium, ſed ad opus miniſtrandi Chriſto ad vtilitatem aliorum. Nec ſolùm declaratur quod non dantur dona hæc ad otium, ſed etiam quòd non dantur ad dominandum, ſed ad miniſtrandum. Ita quòd dicendo *opus*, excludit otium: & dicendo *miniſteriis*, excludit dominium. In ædificationem corporis Christi. Tertius fructus ipſum corpus Chriſti myſticum directè reſpicit quatenus ædificandum ex nouis membris, conuertendo infideles ad fidem. Hic eſt triplex fructus diſtinctorum officiorum in Eccleſia Dei.

Triplex fructus diſtinctorum officiorum in Eccleſia Dei.

Verſ. 13. Donec occvrramvs, pro *perueniamus*, Omnes. Non eſſe exercitia Apoſtolorum, Prophetarum, & cætera, ad dictos fructus perpetua, ſed ad tempus, manifeſtat Paulus dicendo, *donec perueniamus omnes*: tamdiu ergo durabunt hæc exercitia, quamdiu durat tempus quo imus ad terminum.

Et dicit *donec perueniamus*, non aliqui, ſed omnes. Quod non erit donec impleatur numerus electorum: tunc enim & non antè perueniemus omnes electi. Quò autem perueniendum eſt ab omnibus, deſcribit quadrupliciter. Primum dicendo, In vnitatem fidei. Antequam impleatur numerus electorum aliqui perueniunt in vnitatem fidei, ſed non omnes: tunc autem omnes perueniemus in vnitatem fidei: in vnam enim & eandem fidem perueniet vltimus electus, in quam peruenit primus. Secundum eſt, Et agnitionis filii Dei: hoc eſt, in vnitatem agnitionis filij Dei. Et hic eſt terminus ſuccedens immediatè priori. Cùm enim omnes peruenerimus in vnitatem fidei, *in virum perfectum*, vt ſubiungitur, ſtatim perueniemus, & in vnitatem agnitionis filij Dei. Statim enim agnoſcemus clara viſione filium Dei eſſe cui credidimus, in quo ſperauimus, &c. Et vnitatem quidem fidei declarauit vt terminum intrinſecum viatorum: vnitatem verò agnitionis filij Dei, vt terminum intrinſecum immediatè tamen ſequentem, vt vndique certificet tempus ſignificatum per *donec*, tunc terminandum.

Quò omnes electi peruenturi ſunt deſcribit quadrupliciter.

In virvm perfectvm. Ecce terminum quod ſpectat etiam ad terminum intrinſecum viatorum omnium. Et eſt ſenſus, donec perueniamus omnes in vnitatem fidei, non qualitercumque, ſed in virum perfectum. Recole quòd de corpore myſtico Chriſti loquitur: & intellige hoc corpus myſticum nunquam terminari niſi ſit in ſtatu viri perfecti, niſi ſit velut corpus viri perfecti: hoc eſt, conſtantis ita ex omnibus, vt nihil omnino ei deſit de quomodolibet ſpectantibus ad perfectionem viri. Declarat ſiquidem per hoc quòd oportet electorum numerum ad hoc perduci, vt habeat quicquid quomodolibet ſpectat ad perfectionem corporis myſtici, ad ſimilitudinem perfecti viri. Et vt intelligas perfectionem corporis myſtici ex ſimilitudine perfectionis corporis naturalis, ſubiungit quartum:

Corpus myſticum non terminatur niſi in ſtatu perfecto.

In mensvram ætatis plenitvdinis Christi. Corpus Chriſti myſticum oportet, quòd perueniat ad hoc vt ſit velut vir perfectus, quemadmodum Chriſtus habuit corpus ſuum naturale perfectum in plenitudine ætatis. Ætas ſiquidem Chriſti plena eſt quoad aſſecutionem omnium ſpectantium ad virilitatem, cùm fuerit trigintatrium annorum. Ita quòd declarat Paulus corpus Chriſti myſticum fore ſimile proportionaliter corpori Chriſti naturali, ita quòd quemadmodum corpus Chriſti naturale perfectum eſt ad plenitudinem ætatis virilis, ita corpus Chriſti myſticum perducetur ad perfectionem tanquam virilem, & tunc & non ante erit terminus.

Ætas plenitudinis Chriſti eſt ætas 33. annorum

Vt iam non simvs parvvli, pro *pueri*. Verſ. 14.
Hinc clarè apparet ſenſus antecedentis particulæ: quod videlicet viatores vt viri imus vt perueniamus omnes ad perfectionem viri. Niſi enim dixiſſet ſub hoc ſenſu *in virum*, non deduxiſſet ſtatim *vt iam non ſimus pueri*: hoc enim manifeſtè deducitur ex illa particula, ſcilicet *imus vt viri*: hinc enim manifeſtè ſequitur quòd iam non ſumus pueri, hoc eſt, quòd ex quo membra Chriſti ſumus, non ſumus pueri. At ſi ſimilitudinem corporis cupis proſequi, in promptu eſt quòd non ſumus membra puerilia, ſed membra virilia. Flvctvantes. Explicat penes quid negatur pueritia, ſcilicet fluctuationem: pueri enim & animo & corpore fluctuant. Et de quali fluctuatione loquatur, ſubiungit: Et circvmferamvr omni vento doctrinæ. Fluctus ex ventis conſurgunt: pueri omni doctrina mouentur & agitantur: vtpote inſtabilis iudicij & animi. In neqvitia hominvm. Dictio interpretata *nequitia*, ſignificat fallacem artem vertendi aleas, ſeu taxillos ad decipiendum: vnde clarius interpretaretur fallacia, ſeu verſutia. Ab hac enim ſimilitudine deſcribit Paulus fallacem artem Doctorum. In astvtia. Auget crimen Doctorum, vt non ſolùm ex fallaci arte, ſed & ex aſtuto animo procedant. Ad circvmventionem erroris. Tolerabilis eſſet aſtutia ad dolosè fallendum circa pecunias & huiuſmodi, ſed intolerabilis eſt ad inducendum errores fidei, ſeu morum. Et hæc facilè patiuntur pueri. Stabilitatem itaque ac firmitatem

Puerorum eſt fluctuare, & animo, & corpore.

tátem per *virum* ſignificauit , excludendo pueritiam inſtabilem & fluctuantem omni vento doctrinæ, &c.

Verſ. 15. VERITATEM AVTEM FACIENTES, pro *ſectantes*. Stabilitas firmitaſque virilis Chriſtianorum non in voluntariis pertinaciis, aut ſectis: ſed ſectando veritatem deſcribitur è regione ad omnes effectus aſtutiarum & malarum artium. Dicant illi quicquid velint: ſimus nos firmi ſectando veritatem ad hoc, vt IN CHARITATE CRESCAMVS, pro *augeamus*, IN ILLO PER OMNIA. Superfluit *per*. QVI EST CAPVT CHRISTVS. Declarauit influxum Chriſti in membra, declarauit & ipſa membra corporis: declarat modò officium membrorum eſſe virtute capitis augere omnia membra corporis. Si hoc penetras, perpendes mirabilem ſanctorum cómunionem explanatam hîc à Paulo. Augeamus, inquit, nos membra in illo *qui eſt caput*, appoſitiuè *Chriſtus*; augeamus, inquam, omnia, omnia proculdubio membra Chriſti.

Verſ. 16. EX QVO TOTVM CORPVS COMPACTVM ET CONNEXVM PER OMNEM IVNCTVRAM SVBMINISTRATIONIS. Modum declarat quo augere debemus omnia membra Chriſti. Et intendit quòd quemadmodum corpus naturale in ſtatu augmenti auget ſeipſum, augendo omnes ſuas partes proportionaliter, ita corpus Chriſti myſticum (quod declaratum eſt eſſe in ſtatu augmenti vſquequo omnes perueniamus in virum perfectum) ex virtute Chriſti compactum, coniunctum, nec ſolum coniunctum, ſed etiam connexum ſeu conglutinatum. Et modum glutini explicat, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ad ſimilitudinem iuncturæ partium corporis eſt ipſa ſubminiſtratio ſpiritualis, qua vnus electus ſubminiſtrat alij ſpiritualibus operibus. SECVNDVM OPERATIONEM IN MENSVRAM VNIVSCVIVSQVE MEMBRI, pro *partis*. Particula interpretata *operationem*, internum actum, internam efficaciam, internum officium ſignificat. Et eſt ſenſus, ſecundum efficaciam commenſuratam vnicuique parti: hoc enim in augmento naturali fit, quòd ſecundum efficaciam commenſuratam cuilibet parti corporis fit augmentum. Et idem proportionaliter dicit Paulus in corpore myſtico quòd ſecundùm menſuram commenſuratam vnicuique electo

Corpus Chriſti myſticum augetur ad ſimilitudinē corporis naturalis.

AVGMENTVM CORPORIS FACIT. Verbum *facit* eſt vnde pendet totius literæ conſtructio. Eſt enim ordo literæ, *ex quo*, Chriſto capite *totum corpus compactum*, &c. *facit augmentum corporis ſecundum efficaciam in menſuram vniuſcuiuſque partis*. Ita quòd totum corpus ſignificatur augmentans: & ipſum corpuſmet ſignificatur augmentari ſecundum efficaciam commenſuratam cuilibet parti: & quod plus eſt adiungitur, IN ÆDIFICATIONEM SVI. Deeſt, *ipſius*, IN CHARITATE. Finis augmentationis explicatur conſiſtere non ſolum in augmento omnium partium, ſed in ædificatione ſuipſius, totius. Et hoc in dilectione: quia ſine ipſa reliqua ſunt nihil.

Vbi nota quòd augmentum corporis Chriſti myſtici, ita eſt augmentum quod tendit ad charitatis ædificationem, ita corpus creſcit quòd ipſummet ædificatur non ſimpliciter, ſed quatenus tendit in dilectionem Dei & proximi: vt intelligamus corporis Eccleſiæ verum augmentum non conſiſtere in ædificatione doctrinæ, prædicationis, prophetiæ, & huiuſmodi: ſed in ædificatione ſuipſius in dilectione, in additione dilectionis: quia enim ædificatio continuè auget ædificium: ideò augmentum corporis per ædificationem explicauit. Et ſic declarauit Paulus vnitatem corporis myſtici.

In quo conſiſtit verum augmentum corporis Eccleſiæ.

In qua non eſt prætereundum quod de augmēto manifeſtat, videlicet augeri corpus Chriſti myſticum ſimul ſecundum omnes partes proportionaliter. Mirabile ſiquidem eſt, ſi intelligamus quod nunquam vna pars augetur quin augeantur omnes: & Paulus quidem non dicit negatiuam (ſcilicet non augeri partem aliquam ſine augmento omnium) ſed dicit affirmatiuam, ſcilicet augeri omnes partes proportionaliter: & hoc quandoque verificari oportet, abſque omni hæſitatione. Sed de negatiua definire non audeo: augmentum ſiquidem naturalis corporis ducit ad aſſerendam illam negatiuam: ratio quoque (quia non eſt maior ratio de vna augmentatione quam de alia) ad idem ducit: qua enim ratione vna augmentatio partis eſt ſimul cum augmento totius & cuiuſque partis, eadem ratione quodlibet cuiuſuis partis augmentum eſt ſimul cum augmento totius ſecundum ſingulas partes proportionaliter. Oratio quoque dominica (petē. *panem noſtrum, debita noſtra, nos*, &c. idem ſuadet. Et ſi hoc verum eſt, tamen nota quòd non de generatione, ſed de augmento eſt ſermo, & rurſus de partium electarum augmento tantū intelligē. Et recole quòd ſicut in corpore naturali non qualibet nutritione fit augmentum, ſed multis nutritionibus diſponitur corpus, & poſt certum tempus corpus augetur, ita in corpore Chriſti myſtico. Et rurſus quòd in augmento non æqualiter, non ſimiliter, ſed proportionaliter omnes partes creſcunt, ita, &c. Et demum recole quòd cum naturale corpus augetur, ſingulæ partes non impeditæ augentur: ſi enim aliqua pars indiſpoſita eſſet ad augmenti motum ſuſcipiendum, non augeretur. Ex hac ſiquidem conditione non apparet mirabile admittere negatiuam: quoniam non aſſeritur niſi hæc negatiua, videlicet non augetur aliqua pars corporis Chriſti myſtici quin augeantur omnes diſpoſitæ ad augmentum: vt intelligamus per hanc Pauli doctrinam non eſſe corpus Chriſti myſticum, ſicut eſt corpus vnius ſenatus aut ciuitatis, ſed ſicut corpus naturale ex eo quòd habet Chriſtum per ſpiritum ſuum iungentem illud intus viuificando & augendo: quod non inuenitur in humano collegio quodcunque ſit illud.

An dum augetur vna pars, omnes augeantur?

HOC IGITVR DICO ET TESTIFICOR IN DOMINO. Verſ. 17.
Tractat illam particulam: *vt eſſemus ſancti*: hoc eſt, mundi. Infert autem huiuſmodi munditiam ex eo quòd ſumus membra Chriſti, inde ſiquidem & dicit & teſtificatur ad maiorem aſſertionis firmitatem. VT IAM NON AMBVLETIS, pro *iam non ambulare*, SICVT ET GENTES AMBVLANT. Hoc eſt quod dicit & teſtificatur, *iam*, hoc eſt ex quo eſtis mēbra Chriſti, non eſſe vobis ambulandum moribus quēadmodum gentes ambulant. IN VANITATE SENSVS SVI, pro *mentis ſuæ*. Explicat mores gētium ex fine. Vanitas ſiquidem mentis eorum, finis eſt vanus, quem ſibimet præſtituunt gentes. Et dicit *mentis ſuæ*, ad ſignificandum finem

Finis gentium, vanitas.

vanum ſecundum ſupremam partem animi: vt intelligamus quòd loquitur de fine quem Philoſophi, quem primates ſecundum ſummum animæ ſuæ præſtituerunt ſibi. Qui quoniam non eſt vnus (ſed ſecundùm diuerſitatem opinionum in diuerſis ſummum bonum conſtituerunt) ſed omnes in hoc conueniunt quòd vanum ſibi finem conſtituerunt: ideò Paulus vnico verbo comprehendit omnes fines Gentilium, dicendo *in vanitate mentis ſuæ*. Diſcurre per omnes Philoſophorum ſectas, & per omnium Gentilium ſcriptorum libros: & tandem inuenies omnes ambulaſſe in vanitate mentis ſuæ, ſiue illa fuerit immortalitas famæ, ſiue gloria præſens, ſiue virtus præſens ſpeculatiua, &c,

Verſ. 18. TENEBRIS OBSCVRATVM HABENTES INTELLECTVM. Ne naturæ mentis tribueres vanitatem finis, explicat hoc non ex natura, ſed ex obtenebrato intellectu prouenire in gentibus. Et oportuit hoc ſubiungere, ne ex eo quòd vanitas huiuſmodi communis erat Gentilibus omnibus, imputaretur naturæ.

Vita Dei quæ? ABALIENATI A VITA DEI. Vita Dei propriè appellatur inchoatiuè quidem vita fidei, iuxta illud: *Iuſtus ex fide viuet*: conſummatè autem vita cœleſtis patriæ. Ab huiuſmodi vita conſtat abalienatos eſſe Gentiles, relinquentes ſiquidem vitam fidei primis parentibus & ſucceſſiuè filiis datam, incurrerunt obtenebrationem intellectus. PER, pro *propter*, IGNORANTIAM QVÆ EST IN ILLIS. Quemadmodum rationem vani finis reddidit obtenebratum intellectum, ita rationem abalienatæ vitæ à vita ſecundum Deum reddit ignorantiam, vt intelligamus vtrumque (ſcilicèt finem & vitam Gentilium) ex obſcuratione intellectus procedere. PROPTER CÆCITATEM, pro *excæcationem*, CORDIS IPSORVM. Rationem ignorantiæ apud Gẽtiles de moribus vitæ ſecundum Deũ, reddit excæcationem cordis. *Cæcitas cordis.* Et cùm cor pro voluntate ponatur, excæcatio cordis dicitur excæcatio cauſata à corde: excæcatio ſiquidem partis eſt cognoſcitiuæ, cor autem partis affectiuæ, vt intelligamus ex affectu ortam excæcationem matrem ignorantiæ. Eſt autem excæcatio in intellectu non priuatio intelligendi (ſicut excæcatio viſus, eſt priuatio videndi) ſed eſt priuatio luminis diuini, quo potuiſſent intelligere abſque errore, & finem rectum habere & vitam rectam. Et hanc excæcationem meruerunt ex corde ſuo prauè affecto.

Verſ. 19. QVI DESPERANTES, pro *indolentes*. Ita tamen quòd *indolentes* intelligatur priuatiuè: hoc eſt, *De peccato non triſtabantur Gentiles.* non dolentes, abdicantes à ſe dolorem. Oportet ſiquidem hanc dictionem fingere ad hunc ſenſum, vt exprimatur dictio Græca. Et explicat per hoc qualitatem cordis Gentilium. Cõmune ſiquidem erat ei abdicare à ſe triſtitiam tanquam inutilem. Et hinc ſequebatur quòd non triſtabantur quòd peccauerant, ſed euitãdo triſtitiam. SEMETIPSOS TRADIDERVNT IMPVDICITIÆ. Ac ſi apertiùs dixiſſet: etſi non causâ delectationis, tamen causâ vitandæ triſtitiæ ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ laſciuorum actuum. IN OPERATIONEM IMMVNDITIÆ OMNIS. Vniuerſa venerea ſecundum conſummationem actus intelligo per immunditiam omnem. IN AVARITIAM, pro *in auaritia*: hoc eſt, in auiditate, ad ſignificandum quòd non paululùm prolapſi ſunt, ſed quoad animũ auide, quoad actus prauios impudicè, quoad actus conſummatos in omnem immunditiam ſe dederunt: hinc enim excæcatio & ignorantia.

VOS AVTEM NON ITA DIDICISTIS CHRISTVM. Verſ. 20. Duo dixerat, ſcilicet *iam non ambulare*, & *ſicut gentes ambulant*. Et declarauerat *ſicut gentes ambulant*: reſtabatque declarare *iam non ambulare ſic*. Et hoc nunc declarat, dicendo quòd vos membra Chriſti non ita didiciſtis Chriſtum.

SI TAMEN, pro *ſiquidem*. ILLVM AVDISTIS. in Verſ. 21. Euangelio. ET IN IPSO EDOCTI ESTIS. à me & aliis euangelizantibus Chriſtum. SICVT EST VERITAS IN IESV. Hæc omnia dicit ſpectantia ad perfectionem intellectus, è regione ad ea quæ dixerat de obtenebratione, ignorantiâ, & cæcitate gentium.

DEPONITE, pro *deponere*, VOS. Re- Verſ. 22. fertur hoc infinitiuum cum ſequentibus infinitiuis ad verbum, *didiciſtis edocti eſtis*. SECVNDVM PRISTINAM CONVERSATIONEM VETEREM HOMINEM. Dicendo *ſecundum priſtinam conuerſationem*, declarat vetuſtatem hominis deponendam: id enim eſt vetuſtas hominis quod ex priſtina conuerſatione effectum eſt in homine. Malus habitus, malæ inclinationes, maculæ peccatorum conſtituunt veterem hominem. Cur autem appelletur vetus homo, ſubiungit dicẽ- *Vetus homo qualis?* do, QVI CORRVMPITVR SECVNDVM DESIDERIA ERRORIS. Quod veteraſcit ad interitum properat: vetuſtas namque ipſa corruptionis ſpecies eſt. Et propterea aptiſſimè Paulus manifeſtat veterem hominem ex eo quòd conſiſtit in corruptione. Peccatum *Peccatum omne conſiſtit in corruptione.* enim quodlibet conſiſtit in corruptione debiti modi, aut debiti ordinis, aut debiti obiecti operandi.

Quod autem dicit *ſecundum deſideria erroris*, vtramque tangit cauſam corruptionis quæ interuenit in peccato. Ex parte ſiquidem intellectus dicit *erroris*: ex parte autem appetitus dicit *deſideria*: vt intelligamus omnem appetitum peccandi eſſe erroris in intellectu, iuxta illud Prouerb. 14. *Errant omnes qui operantur malum*: & apud Prou. 14. Philoſophos, *Omnis malus ignorans*. Quæ non ſic intelliguntur vt omne peccatum procedat ex ignorantia (cùm multa procedant ex malitia) ſed quòd omne peccatum requirit *Omne peccatum requirit aliquem defectum intellectus.* aliquem defectum intellectus. Propter hoc enim Paulus dicit, quòd ſecundum deſideria erroris vetus homo corrumpitur, hoc eſt, in corruptione conſiſtit.

RENOVAMINI, pro *renouari* AVTEM SPIRITV Verſ. 23. MENTIS VESTRÆ. Didiciſtis in Chriſto non ſolùm deponere veterem hominem, ſed renouari ſpiritu mentis veſtræ. Dixerat gentes ambulare in vanitate mentis ſuæ, ac per hoc Epheſios prius Gentiles ambulaſſe in vanitate mentis ſuæ, didiciſſe autem in Chriſto non ſolum deponere vetuſtatem priſtinæ vitæ, ſed renouari mentem (hoc eſt ſupremam partem animæ) ſpiritu, vt ſpiritus ſignificetur ratio renouationis. Tanquam in ipſa mente ſuprema animæ parte ſit officium ſpiritus, hoc eſt, ad ſpiritualia mentem eleuans, è regione ad mentis officium quo ad vanum finem depreſſa eſt.

Et

Et dicit *renouari* : eo quòd huiuſmodi mentis humanæ ſpiritus fuerat iam in homine condito in primis parentibus, & per Chriſtum renouatur in hominibus. Tali ſpiritus officio mens noſtra renouatur, cùm tendit tanquam in finem in cognitionem vnius veri Dei & Ieſu Chriſti.

Verſ. 24. ET INDVITE. pro *& induere*. Hoc eſt, tertium, quod didiciſtis. NOVVM HOMINEM. Inter deponere veterem hominem & induere nouum hominem, non eſt diſparitas penes hominem (nam & vetus & nouus conueniunt in homine. Vterque enim dicitur homo) ſed differentia eſt penes nouitatem & vetuſtatem. Non dicit Paulus deponere hominem aut induere hominem: ſed quatenus veterem deponere, quatenus nouum induere. Poſſumus ſiquidem vetuſtatem deponere, tanquam veſtimentum vetus quod corrumpitur, & nouitatem induere tanquam veſtimentum nouum.

Nouus homo induendus: vetus exuendus.

QVI SECVNDVM DEVM CREATVS EST IN IVSTITIA ET SANCTITATE VERITATIS. De homine quatenus veteri dixerat *qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris*: de homine verò quatenus nouo dicit *qui creatus eſt ſecundum Deum* alienus ab omni corruptione, qui creatus eſt conformis Deo. Et hoc e regione *qui corrumpitur*. *In iuſtitia & ſanctitate veritatis* e regione ad *deſideria erroris*: *iuſtitia* contra *deſideria*, *munditia veritatis* contra *erroris*. Eſt ergo deſcriptio hominis quatenus noui quod ſecundum diuinam rationem creatus eſt, non a nobis factus, *in iuſtitia* quoad partem affectiuam ad reddendum cuique quod ei debetur; *& ſanctitate veritatis*, quoad partem cognoſcitiuam. Vbi non tantùm veritas, ſed munditia veritatis ſignificatur, ad excludendum admiſtionem cuiuſcunque erroris: vt intelligamus nouo homini nullum admiſceri errorem circa ea quæ ſunt ſalutis.

Et dixit hæc de nouo homine comprehendente nouitatem omnium partium hominis quatenus eſt homo (hoc eſt partium rationalium, ſeu rationem participantium) contra corruptam vitam Gentilium in omnibus partibus: intellectu, voluntate, concupiſcibili, iraſcibili.

Verſ. 25. PROPTER QVOD DEPONENTES MENDACIVM. Quæ velut in genere dixit de homine veteri & nouo, modò per partes velut in ſpecie exequitur, vtriuſque (veteris ſcilicet & noui hominis) partes ſingillatim è regione deſcribendo ſermone hortatiuo. Vnde ex parte veteris hominis dicit, *deponentes mendacium*: ex parte verò noui, LOQVIMINI VERITATEM VNVSQVISQVE CVM PROXIMO SVO. Et rationem vtriuſque ſubiungit, QVONIAM SVMVS INVICEM MEMBRA. Membra naturalia eiuſdem corporis non ſibi inuicem mentiuntur facto, ſed ſecundum veritatem virium vnum alteri ſubuenit. Ad horum imitationem debemus qui membra ſumus Chriſti, ſecundum veritatem, quam in corde habemus inuicem communicare.

Verſ. 26. IRASCIMINI. *Locutio* partis rationalis eſt officium: *iraſci* autem eſt appetitus qui iraſcibilis vocatur. Nec eſt alienum a diuinis præceptis *iraſcimini*, quamuis alienum dicatur à præceptis Stoicis. Iraſci enim actus eſt virtutis, ſi moderatum ſit. Et propterea Paulus addit, ET NOLITE PECCARE. Perinde ac ſi dixiſſet: Iraſcimini moderatè, cùm increpationis ratio exigit. SOL NON OCCIDAT SVPER IRACVNDIAM VESTRAM. Si contingat vos iraſci minus moderatè, ſaltem non ſit diuturna ira, ſed citò terminetur. Celeritas ſiquidem terminandi iram ſignificatur prohibendo occaſum Solis ſuper iracundiam. Non dat licentiam ſeruandi iram vſque ad Solis occaſum, ſed vult ſaltem eodem die terminari. Et rationem ſubiungit,

Iraſci moderatum eſt actus virtutis.

Ira terminetur ante Solis occaſum.

Verſ. 27. NOLITE DARE LOCVM DIABOLO. Motus iræ humana eſt paſſio, ſed cùm diutius protenditur, locum parat diabolo ad ſuggerendum quæ conſona ſunt irato: & ſic paulatim ad principandum in animo. Qui locus negatur diabolo, ſi quamprimum ira terminetur. Et quod dicit de ira, ſimile intellige de reliquis paſſionibus cùm continuantur.

Verſ. 28. QVI FVRABATVR. Ad facta nociua deſcendit. IAM NON FVRETVR. Et quoniam furari ex indigentia prouenit: ideo remedium vnde indigentiæ ſuæ ſubuenire poſſit ſubiungit, MAGIS AVTEM LABORET OPERANDO MANIBVS SVIS QVOD BONVM EST. Et addidit *quod bonum eſt* ad differentiam turpis exercitij. VT HABEAT VNDE TRIBVAT NECESSITATEM PATIENTI, non ſolùm reſtituat quod furatus fuerat, ſed vt communicet aliis indigentibus.

Verſ. 29. OMNIS SERMO MALVS. pro, *marcidus*. Ad ſimilitudinem fructuum marcidorum ſermo dicitur marcidus qui inutilis, qui abiiciendus ſuapte natura eſt. EX ORE VESTRO NON PROCEDAT. Vt intelligamus multo magis prohiberi ſermonem peſtiferum. SED SI QVIS BONVS AD ÆDIFICATIONEM FIDEI. pro, *vtilitatis*. Aptè contra ſermonem marcidum locat ſermonem bonum ad ædificationem alicuius vtilitatis: vt ſi ſermo ipſe non directè ſit vtilis, tamen ſit ad conſtructionem vtilitatis: quemadmodum ea quæ non intrant ædificium, ſunt tamen vtilia ad ædificationem. VT DET GRATIAM AVDIENTIBVS. Sermo marcidus non ſolum inutilis, ſed non gratus eſt audientibus: quo contra ſermo bonus ad ædificationem vtilitatis vt det gratiam audientibus deſcribitur. Et non dicit, vt gratus aut acceptus ſit audientibus, ſed vt det audientibus gratiam: ad ſignificandum quorſum tendit vtilitas ſermonis, ſcilicet vt det audientibus gratuitum aliquod donum: puta inſtructionis aut ſuaſionis, cautelæ, & huiuſmodi.

Sermo inutilis de ore veſtro non procedat.

Verſ. 30. ET NOLITE CONTRISTARE SPIRITVM SANCTVM DEI. Inter alia veteris hominis officia connumerat contriſtare ſpiritum Dei. Metaphorico ſermone dicitur Spiritus ſanctus contriſtari a nobis quemadmodum dicitur metaphoricè Deus iratus. Ad ſimilitudinem ſiquidem contriſtari Spiritus ſanctus eſt cùm habitaculum ſuum deſerit ob diſplicentem ſibi conditionem ſuperuenientem. Scriptum eſt enim de Spiritu ſancto in nobis quòd *diſciplinæ effugiet fictum, & corripietur à ſuperueniente iniquitate*. Tunc ergo contriſtamus ſpiritum ſanctum Dei in nobis, cùm aliquid diſplicens ei loquimur aut committimus. Mundos iam Epheſios alloquitur: vt rationem habeant horrendi immunditiam ex parte Spiritus ſancti habitantis in eis. Ac ſi apertius dixiſſet, quòd ſi nulla ſubeſſet alia ratio horrendi veterem hominem, hæc ſola ſufficere debet, ſcilicet vt non contriſtetis Spiritum ſanctum Dei in vobis. Vnde & ſubdit,

Contriſtare Spiritum ſanctum, quid?

IN

In qvo signati estis in die redemptionis. Diem baptiſmi diem redemptionis appellat, eo quòd tunc redemptio per Chriſtum facta applicatur ad eum qui baptizatur: ac per hoc ipſe tunc redimitur executione. Et in illo die ſignatos intus dicit in Spiritu ſancto: quoniam verè tunc gratiam, quæ eſt velut impreſſio Spiritus ſancti recipiunt qui baptizantur.

Dies redemptionis eſt dies baptiſmi.

Verſ. 31. Omnis amaritvdo et ira et indignatio. Legendum eſt, *Omnis amaritudo & furor & ira.* vt amaritudo referatur ad cor, furor ad impetum, & ira ad vindictam. Et clamor, in voce, cõmes ſingulorum trium prædictorum. Et blasphemia. ſæpe comes furoris & clamoris. Tollatvr a vobis cvm omni malitia. Demum quæ ſunt veteris hominis concludens, dicit *cum omni malitia.*

Verſ. 32. Estote avtem invicem benigni, misericordes, donantes. Deeſt *inuicem*. E regione ad tot mala locat duas vniuerſales virtutes: benignitatem feracem omnium bonorum, & miſericordiam alienis malis ſubleuandis intendentem. Et his duabus virtutibus adiungit mutuam condonationem iniuriarum, exemplo Dei ſubiuncto. Sicvt et Devs in Christo donavit vobis. vniuerſa debita, donando ſatisfactorem Chriſtum. Per has enim virtutes iunctas imitationi Dei, quæ ſunt noui hominis contraria ſupradictis amaritudini, iræ, furori, &c. induenda ſignificantur.

Benignitatẽ & miſericordiam commendat Apoſtolus.

CAPVT V.

Verſ. 1. Estote ergo imitatores Dei, sicvt filii charissimi, pro *dilecti*. Tractat hic illam particulam, *vt ſimus irreprehenſibiles*. Vbi prudens lector, aduerte quòd proponendo hæc adiunxit *in charitate* ſeu *dilectione*. Propterea ſiquidẽ & tractando vnitatem noſtram in Chriſto inſtituit charitatem: & tractando munditiam terminauit in charitate. Et ſimiliter modò inchoando tractatum de irreprehenſibilitate, incipit à dilectione: non qualicumque, ſed ad imitationem Dei, quemadmodum filij imitatores debent eſſe patris, & ad ſimilitudinem Chriſti, ſubiungendo,

Verſ. 2. Et ambvlate in dilectione, sicvt et Christvs dilexit nos. Et explicando qualitatem dilectionis Chriſti, ſubiungit, Et tradidit semetipsvm pro nobis oblationem, pro gratiarum actione & bonis obtinendis. Et hostiam, pro peccatis. Deo in odorem svavitatis. Loquitur Paulus de ſacrificio Chriſti in ara crucis, more veterum ſacrificiorum: de quibus ſcribitur in odorem ſuauitatis acceptari à Deo. Locutio eſt metaphorica, more humano ſignificans acceptiſſimum ſacrificium ad ſimilitudinem accepti ſuauiſſimi odoris.

Verſ. 3. Fornicatio avtem et omnis immvnditia. Irreprehenſibilis redditur homo vitando ea quæ reprehenſione digna ſunt. Et propterea Paulus tractans vt irreprehenſibiles eſſent Epheſij, diſcurrit per vitia, monendo vitationem eorum. Nec omnia tractat vitia, ſed ea quæ apud Gentiles aut non æſtimabantur peccata aut paruifiebant. Et propterea meminit fornicationis, quam non æſtimabant Gentiles peccatum. Meminit & omnis immunditiæ carnalis: non autem adulterij & inceſtus: quia hæc reputabantur etiam apud eos peccata, ſed impudicitiæ, mollities, & huiuſmodi paruifiebant.

Meminit Paulus ſolũ vitiorũ quæ apud Gentiles non æſtimabantur aut paruifiebant.

Avt avaritia. Non eſt hic ſermo propriè de auaritia vt opponitur liberalitati, ſed vt opponitur iuſtitiæ: quam apud Gentiles non reputari peccatum, patet ex eo quòd rationabilem belli cauſam dicebant rationem propagandi Imperij, vbi conſtat ſummam auaritiam interuenire. Præter hoc quod leges ciuiles auaritiam citra dimidium iuſti pretij in contractibus permittunt. Nec nominetvr in vobis. Non ſolum eſſe, ſed nec nominari præcipit. Sicvt decet sanctos. Ecce ratio, quia non decet mundos per baptiſmum quouis modo appropinquare huiuſmodi vitiis.

Avt tvrpitvdo. Ratione multorum turpium & factorum & verborum quæ apud Gentiles admittebantur, dixit *aut turpitudo*. Et ſimiliter ſubiungit, Avt stvltiloqvivm avt scvrrilitas. Verùm aduerte quòd dictio interpretata *ſcurrilitas* eſt *Eutrapelia*, quam Ariſt. quarto Ethic. virtutem dicit medium tenentem in ludis & iocis. Sed æquiuocè Paulus & Ariſtoteles vtuntur *Eutrapelia*: nam apud Paulum eſt nomen vitij ſeu actus ad delectationem prouocandam: apud Ariſtotelem verò eſt nomen virtutis quam non prohibet: quia virtus non eſt contraria virtuti. Et propterea interpres antiquus tranſtulit *ſcurrilitas*. Rectius tamen tranſferretur *iocularitas*, aut aliquid huiuſmodi, quod eſt materia virtutis Eutrapeliæ, quod rarò cum moderamine virtutis fit. Vnde & ſubdit, Qvæ ad rem non pertinet, pro *non conuenientia*. Complectitur hæc tria apponendo non conuenientia: vt hinc clarè intelligas quòd non de Eutrapelia virtute, ſed de Eutrapeliæ materia loquitur. Verſ. 4.

Eutrapeliam quo ſenſu vſurpet D. Paulus.

Sed magis gratiarvm actio. Contra vitia ſermonis gratiarum actionem ponit. Hieronymus gratia materiæ putat non gratiarum actionem, ſed gratioſum ſermonem ſignificari: vt è regione vitiorum linguæ directè locetur gratioſus ſermo. Et verè quadrat materiæ.

Hoc enim scitote intelligentes. Rationem reddit trium primò prohibitorum, ſubiungendo, Qvod omnis fornicator avt immvndvs, avt avarvs, qvod est idolorvm servitvs, pro *qui eſt idolorum cultor*. Auarum dicit idolorum cultorem, eo quòd conuenit vterque in colendo vnam & eandem rem. Idolorum ſiquidem cultor argentum & aurum colit: iuxta illud, *Simulacra gentium argentum & aurum*: quum præter argentum & aurum opera manuum hominum, idolum nihil ſit in mundo: vt ad Corinth. dicit Paulus. Auarus quoque argentum & aurum colit, cùm illius Deus aurum ſit, ſicut guloſorum deus venter eſt: in auro ſiquidem tota auari fiducia conſiſtit. Non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Manifeſtat hinc, hæc eſſe peccata mortalia: vtpote excludentia à regno cœleſti, vnde & non repetit alia tria, ſcilicet turpitudinem & ſtultiloquium & iocularitatem: quoniam illa non ſunt ſecundum ſuum genus peccata mortalia. Idem autem regnum dicit Chriſti & Dei, eo quòd Dei vt naturalis Verſ. 5.

Auarus eſt idololatra.

regis

regis, Chriſti autem hominis vt inſtituti regis, vt communicati ſibi à Deo regni.

Verſ. 6. NEMO VOS SEDVCAT INANIBVS VERBIS. Hinc apparet non defuiſſe docentes hæc non eſſe magnipendenda, ſed parua aut nulla eſſe peccata. PROPTER HÆC ENIM VENIT IRA DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ, pro *inobedientia* ſeu *imperſuaſionis*. Et verbum *venit* præſentis eſt temporis. Ita quòd non citat præteritas vindictas Dei, ſed præſentem tanquam continuam denuntiat. Et poteſt intelligi de vindicta Dei, quam in præſenti vita exercet ob hæc crimina, quamuis non diſcernamus quòd propter hanc cauſam veniat. Sed quicquid de vindicta præſenti ſit, continuè venit ira Dei propter hæc in morte huiuſmodi imperſuaſibilium hominum.

Verſ. 7. NOLITE ERGO EFFICI PARTICIPES, pro *comparticipes*. EORVM. tam in culpa, quàm in pœna.

Verſ. 8. ERATIS ENIM ALIQVANDO TENEBRÆ. Accumulat Paulus rationem rationi. Et vbi prius ex parte regni Dei, & deinde ex parte iræ, modò ex contrarietate ſtatus præteriti ad præſentem nititur eos irreprehenſibiles reddere. Et ſtatum quidem præteritum deſcribit tenebroſum, imò tenebras, ad ſignificandum dominiũ tenebrarum in eos: ſtatum verò Chriſtianum deſcribit ſubiungens, NVNC AVTEM LVX IN DOMINO. Et dicit *Domino*, ad ſignificandum lucem gratiæ perficientem lucem naturalem. VT FILII LVCIS AMBVLATE. Hebraico more filios lucis appellat ſectantes lucem. Et conſonum eſt vt qui tranſlati ſunt de tenebris in lucem, ſectentur vita & opere lucem.

Verſ. 9. FRVCTVS ENIM LVCIS, pro *ſpiritus*. Non ſaltat Paulus de materia in materiam, ſed declarat lucem per ſpiritum: Vt intelligamus idem eſſe ſectari lucem in Domino, & fructificare ſpiritui: vt intelligamus lucem hanc eſſe lucem ſpiritus, non lucem corporis. EST IN OMNI BONITATE IN IVSTITIA ET VERITATE. Non eſt fructus ſpiritus quodcunque opus, ſi aliqua ex parte priuatur bonitate, aut iuſtitiâ, aut veritate. Exigit ſiquidem fructus ſpiritus quòd ſecundum omnes circumſtantias ſit bonus, ſit iuſtus, ſit verus. Et propterea dicit *in omni*. Differentia inter veritatem & iuſtitiam clara eſt: quia illa ad intellectum: iſta ad voluntatẽ ſpectat. Vnde relinquit quòd bonitas ſpectat ad mores. Paulus tamen hæc quæ nunc proponit, ſigillatim explicando tractabit.

Fructus lucis, ſeu ſpiritus.

Verſ. 10. PROBANTES QVID SIT BENEPLACITVM DEO, pro *Domino*. Ad verbum *ambulate*, refertur hoc participium *probantes*. Et eſt ſenſus: vt filij lucis ambulate probantes quid ſit beneplacitum Domino. Vere lucis officio fungitur, qui in particularibus examinat, diſcutit ac diſcernit quid ſit beneplacitum Domino.

Verſ. 11. ET NOLITE COMMVNICARE OPERIBVS INFRVCTVOSIS TENEBRARVM. Hactenus propoſuit quæ vſque ad calcem epiſtolæ tractanda ſunt: modò incipit propoſita ſingillatim tractare. Et primum tractat particulam illam *vt filij lucis ambulate*, ex contrarietate tenebrarum & lucis quam propoſuerat. Extendit ſiquidem tenebras & lucem ad opera, præcipiens vt operibus tenebrarum nihil habeant commune. Et rationem interſerit, quia ſunt opera infructuoſa. Infructuoſitas ſiquidem ſufficiens eſt ratio vt abdicentur opera à commercio. MAGIS AVTEM REDARGVITE. Deficit coniunctio *&*, & quadrat vt legatur *potius*. Ita quod legẽdum eſt, *Potius autem & redarguite*. Non ſufficit alienum fieri ab operibus tenebrarum, ſed oportet etiam & redarguere opera tenebrarũ. Et primi quidem (ſcilicet non communicandi rationem ſubiungit,

QVÆ ENIM IN OCCVLTO FIVNT AB IPSIS, Verſ. 12.
TVRPE EST ET DICERE. Optima non communicandi ratio ex turpitudine tali ac tantâ, vt etiam turpe ſit dicere, illa ſumitur. De venereis loquitur tenebrarum operibus. Rationem autem ſecundi (ſcilicet *potius autem & redarguite*) ſubiungit,

OMNIA AVTEM QVÆ ARGVVNTVR, pro *re-* Verſ. 13.
darguuntur, A LVMINE, pro *à luce*, MANIFESTANTVR. Redargui eſt manifeſtari à luce. Igitur cùm vos ſitis lux, ad vos ſpectat redarguere tenebrarum opera. OMNE ENIM QVOD MANIFESTATVR, pro *manifeſtat*: LVMEN, pro, *lux* EST. Ad probandum paſſiuam (quòd quicquid redarguitur, manifeſtatur à luce) affert vniuerſalem actiuam quòd omne quod manifeſtat eſt lux. Cùm aliquid redarguitur, non verè redarguitur, niſi manifeſtetur error, crimen aut defectus, qui ratio eſt quòd redarguendum ſit. Manifeſtare autem, proprium officium lucis Paulus dicit: vt hinc concludat quòd lucis officium eſt redarguere. Quòd autem omne quod manifeſtat ſit lux, ad ſenſum patet in corporeis. Et idem patet in artibus & diſciplinis, & idem in ſpiritualibus.

Non verè redarguitur, niſi manifeſtetur error aut defectus.

PROPTER QVOD DICIT. Per relatiuum *quod*, Verſ. 14.
officium lucis ſpiritualis refertur. SVRGE QVI DORMIS, ET EXVRGE A MORTVIS, ET ILLVMINABIT TE CHRISTVS, pro *& illuceſcet tibi Chriſtus*. Paulus citat hanc ſententiam, proculdubio ex ſcriptura. Et quoniam non inuenitur in ſacra ſcriptura ex integro hæc ſententia, vel ex aliquo librorum ſacrorum quibus caremus (quorum mentio fit in hiſtoria Regum ſeu Paralipom.) vel ex cap. 60. Eſaiæ Paulus hanc ſententiam attulit exponendo. Ibi enim dicitur *ſurge* abſque aliquo nomine: quamuis in Latinis codicibus habeatur *Hieruſalem*. Et hoc *ſurge*: Paulus exponit *qui dormis*: declarando ad quem dirigitur ſermo *ſurge*, ſcilicet ad dormientem, proculdubio in tenebris: quoniam qui dormiunt nocte dormiunt. Et explicando quòd ad dormientem ſomno mortis dirigitur ſermo, adiungit *& exurge à mortuis*, non corpore, ſed animâ: quod eſt ſurge à tenebris peccatorum. Ita quod totum hoc appoſuit Paulus de ſuo, ad declarandum perſonam cui dicitur *ſurge*, & à quali ſtatu dicitur *ſurge*.

Vnde hanc ſententiam citat Paulus.

Quod autem ſequitur, *& illuceſcet tibi Chri-*
ſtus, ibidem apud Eſaiam habetur ſub aliis Iſai. 60.
verbis, *Illuminare quia venit lumen tuum*. Et ſecundum tempus futurum ſubditur, *Super te orietur Dominus*; quod reſpondet tranſlationi Hieronymi, apud quem legitur hoc in loco, *& orietur tibi Chriſtus*. Manifeſtè ſiquidem Eſaias ibi loquitur de differentia inter perſonam hanc & reliquum mundum penes tene-
bras & lucem. *Quia ecce tenebræ operient terram* Iſai. 60.
& caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus. Vnde conformitas materiæ de qua loquitur Propheta ad materiam de qua loquitur Paulus, non paruam coniecturam gignit, quòd

ex illo loco Paulus attulit hanc ſententiam: exponendo per Dominum Chriſtum, & reliqua vt diximus.

Verſ. 15. VIDETE ITAQVE FRATRES. Superfluit *fratres*. Eandem particulam *vt filiij lucis ambulate*, explicat ex alio capite, ſcilicet quantum ad curam ambulationis ratione multorum impedimentorum. Vnde conſequenter ad lucem dicit *videte*. QVOMODO CAVTE, pro *accuratè*, AMBVLETIS. Præcipit Paulus filiis lucis vt vtantur luce ad videndum modum ſtudioſe accuratéque ambulandi: hoc eſt, proficiendi in via Dei. NON QVASI INSIPIENTES. Contrarium officio videndi modum accuratè ambulandi explicat inſipientiam, vt oſtendat neceſſitatem huius curæ. Ad ſimilitudinem ſiquidem corpore ambulantium deſcribit ſpiritualem ambulationem: nam tanquam inſipientes ambulant quibus non eſt cura videndi qualiter ambulant.

Verſ. 16. SED VT SAPIENTES REDIMENTES, pro *ementes*, TEMPVS, QVONIAM DIES MALI SVNT. Sapientiam ſtudioſam circa modum ambulandi explicat quoad vnum in ſpecie effectum, qui eſt emere tempus: hoc eſt, opportunitatem proficiendi in via Dei. *Tempus nobis emendum.* Præcipit Paulus nobis eſſe ambulandum more viatorum: qui diebus malis (ſiue ex aeris perturbatione ſiue ex hominum inſidiis) itinerantur. *Quomodo:* Tales enim emunt tempus opportunum ad ambulandum ne in malitiam dierum incidant: hoc eſt vt euadant pericula in via. Simili namque modo præcipit filiis lucis vt ſtudiis, officiis, incommodis, &c. emant opportunitatem proficiendi meritis, eo quòd dies mali ſunt: hoc eſt dies huius viæ ad cœleſtem patriam pleni ſunt malis ſituationibus, tentationibus, inſidiis, & reliquis huiuſmodi prouocantibus ad peccatum. Ac ſi apertiùs dixiſſet: quia periculoſi ſunt dies itineris, vtimini ſapientia, emite opportunitatem euadendi pericula: non expectetis vt vobis offeratur opportunitas, ſed emite illam vt proficiatis in via Dei. Simile quid dicit Dominus in Euāgelio quòd abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit agrum ſeu margaritam. Niſi quòd Dominus emptionem ad pretioſitatem rei retulit. Paulus verò ratione periculorum emendam præcipit opportunitatem proficiendi.

Hoc præceptum adimplent non ſolum relinquentes mundum, & ad eremum ſeu monaſteria proficiſcentes, ſed etiam quicunque opportunitatem benefaciendi præponunt dānis rerum temporalium aut incommodis corporis & huiuſmodi.

Verſ. 17. PROPTEREA, vt accuratè ambuletis. NOLITE FIERI, pro *ne ſitis*, IMPRVDENTES. Exequitur illam particulam, *probantes quid ſit beneplacitū Domino*. Explicat modum quo ſit huiuſmodi probatio: excludendo ſcilicet imprudentiam, quam conſtat circa ſingularia verſari. SED INTELLIGENTES QVÆ SIT VOLVNTAS DEI, pro *Domini*. Probando, examinando ſingularia occurrentia, abſit imprudentia, hoc eſt, prudens ſit diſcuſſio: terminus autem examinationis ſit intelligere quæ eſt voluntas Domini, quid eſt gratum Deo in hoc ſingulari agendo vel patiendo: ſic enim probatio vndique perfecta eſt.

Verſ. 18. ET NOLITE INEBRIARI, pro *& ne inebriamini*, VINO. Supererat vt irreprehenſibiles redderentur Epheſij circa ebrietatem, quæ non reputabatur peccatum, aut valde paruum. *Ebrietatem fugiendam monet.* Et hoc introducit declaraturus fructum ſpiritus ſuperiùs propoſitum, dicendo, *fructus enim ſpiritus eſt*, & cætera. Ebrietatem ſiquidem implentem hominem vino, è regione locat plenitudini ſpiritus. Prohibet itaque ebrietatem tanquam rem reprehenſibilem. Et rationem ſubiungit, IN QVO EST LVXVRIA. Luxuria non eſt proprium venereorum nomen, ſed commune moribus & actibus ſuperfluitate profuſis. *Luxuria hic ſignificat luxum.* Nec eſt clarum an relatiuum *in quo* referat *vinum*, an referat *inebriari vino*: nam ſi refert *inebriari*, nōn eget gloſsâ: quoniam manifeſtè interuenit ibi ſuperfluus potus. Si autem referatur *vinum*, tunc eſt ſenſus quòd vinum eſt prouocatiuum ad ea quæ ſunt luxus: vt experientia teſtatur in hominibus benè potis. SED IMPLEMINI SPIRITV SANCTO. Superfluit *ſancto*, quamuis ſubintelligatur. Tractat (vt dictum eſt) illam particulam, *fructus enim ſpiritus eſt in omni bonitate*. Et propterea incipit tractatum illius a plenitudine ſpiritus. Et explicat bonitatem ſpiritus triplici relatione. Primum relatiue ad ſeipſos loquendo:

Verſ. 19. LOQVENTES VOBISMETIPSIS IN PSALMIS ET HYMNIS ET CANTICIS SPIRITVALIBVS. Et hoc propriè ſpectat ad partem contemplatiuam. *Bonitatem ſpiritus triplici relatione explicat.* Loqui enim internum, intellectus eſt. Et ſignificat per hoc quod homo conferat pſalmos & hymnos diuinæ laudis, & cantica non ſecularia, ſed ſpiritualia: meditando ea quæ ſignificant. CANTANTES ET PSALLENTES IN CORDIBVS VESTRIS DOMINO. Secunda relatio eſt ad Dominum, non per modum loquentis, ſed per modum cantantis. Quemadmodum magis explicans dicit, in corde veſtro: ad ſignificandum quòd cantus eſt partis affectiuæ relatæ ad Deum, gaudendo & exultando in Domino: lætantium ſiquidem eſt cantare.

Verſ. 20. GRATIAS AGENTES SEMPER PRO OMNIBVS. Tertia relatio eſt ad proximos, imò & ad omnia beneficia gratias agendo. Et dicit *ſemper*, non actu, ſed animi promptitudine. Et dicit *pro omnibus* vt cōmunio ſanctorum exerceatur. IN NOMINE DOMINI IESV CHRISTI. Gratiarum actio inuocato Chriſto homine tāquam medio mandatur: vt quemadmodum eſt medium in beneficiis, ita ſit medium in gratiarum actione. DEO ET PATRI. Deus nomen eſt naturæ: pater perſonæ primæ Trinitatis, aut eſt nomen amoris, ſeu officij quo nos adoptauit.

Verſ. 21. SVBIECTI INVICEM IN TIMORE CHRISTI. Vltima bonitatis pars deſcribitur in mutua ſubiectione non legali, ſed in timore Chriſti: *Subiectio mutua.* talem enim ſubiectionem efficit ſpiritus extendendo bonitatem animi ſingulorum ad mutuam ſubiectionem ob reuerentiam Chriſti in ſingulis habitantis. Huiuſmodi enim ſubiectio communis eſſe debet tam prælatis quàm ſubditis, tam dominis quàm ſeruis, &c. enim nihil aliud ſit quàm ſubiici Chriſto habitanti in Chriſtiano.

Verſ. 22. MVLIERES, pro *vxores*, VIRIS SVIS, pro *propriis*, SVBDITÆ SINT, pro *eſtote*. Tractat illā particulam *& iuſtitia*, in iuſtitia inter virum & vxorem, inter patrem & filium, inter dominum & ſeruum: vnde ab vxoribus incipiens, mandat vt ſint ſubditæ propriis viris. Et modum ſubiectionis

ctionis ſubiúgit. SICVT DOMINO. Nō dicit ſicut dominis: quia non mádat vxores eſſe velut ſeruas maritorú: quod ſignificaretur ſi dixiſſet ſicut dominis. Sed dicit ſicut Domino, hoc eſt, ſicut Chriſto: hoc eſt, volũtarie & ex amore. Sic enim ſubiicimur Chriſto. Vnde ad hanc ſimilitudinem (ſicut Domino) declarandã ſubiungit,

Verſ. 23. QVONIAM VIR CAPVT EST MVLIERIS, pro *vxoris*, SICVT CHRISTVS CAPVT EST ECCLESIÆ. Ratio ſubiectionis non affertur dominium, ſed eſſe caput: & hoc cómune eſſe Chriſto & marito dicitur: Chriſto reſpectu Eccleſiæ, marito reſpectu vxoris. Et de Chriſto quidem Eccleſiæ capite ſuperiùs dictum eſt, de viro autem ne ſit quæſtio penes quid in propoſito attenditur ſimilitudo capitis, ſubiungit de Chriſto: IPSE SALVATOR CORPORIS EIVS, pro *& ſaluator corporis eſt*, vt intelligamus de hoc officio capitis eſſe ſermonem, ſcilicet de officio quo caput ſaluat corpus. Chriſtus quidem ſaluator eſt corporis ſui quod eſt Eccleſia: & maritus ſaluator eſt vxoris, paſcendo, gubernando, regendo, protegendo eam.

Vir caput mulieris ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ.

Verſ. 24. SED SICVT, pro *ſicut autem*. ECCLESIA SVBIECTA EST CHRISTO, ITA ET MVLIERES, pro *vxores*, VIRIS SVIS, pro *propriis*. IN OMNIBVS, pro *in omni*. Explicat clare quod dixerat *ſicut Domino*, adiungendo *in omni*: vt intelligant vxores in omni re, in vniuerſa actione debere ſubiici maritis ſicut Eccleſia Chriſto: hoc eſt, vt in nulla re, in nulla actione admittant aliquid contrarium maritis Chriſti lege regulatis: alioquin non eſſent ſubditæ illis ſicut Chriſto. Per hoc enim excluditur ſubiectio quoad peccandum.

Mulieres in omnibus ſubiiciantur viris, ſicut Eccleſia Chriſto.

Verſ. 25. VIRI DILIGITE VXORES VESTRAS, SICVT ET CHRISTVS DILEXIT ECCLESIAM. Amor amicitiæ ſpiritualis ad vxores exprimitur ex modo quo Chriſtus dilexit Eccleſiam. Vnde effectum huiuſmodi amoris amicitiæ explicat ſubiungens: ET SEIPSVM TRADIDIT PRO EA. in ara crucis.

Verſ. 26. VT ILLAM SANCTIFICARET. hoc eſt, mundam redderet. Explicando modum quo mundat Eccleſiam ſubiungit: MVNDANS LAVACRO AQVÆ IN VERBO VITÆ. Superfluit *vitæ*. Baptiſmus ſignificatur *in verbo*, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Verſ. 27. VT EXHIBERET. pro, *adiungeret*, IPSE SIBI GLORIOSAM. Ad ſimilitudiné ſponſæ deſcribit Eccleſiam glorioſam meritis, clara laude, famáque dignis. ECCLESIAM NON HABENTEM MACVLAM. Turpis eſt in ſponſa macula carnis, & in Eccleſia macula peccati. AVT RVGAM. fictionis, aut duplicitatis. AVT ALIQVID HVIVSMODI. quod ſponſam dedecet. SED VT SIT SANCTA. hoc eſt, munda. ET IMMACVLATA. pro, *irreprehenſibilis in actionibus ſuis*. In quo apparet manifeſtè amor amicitiæ.

Eccleſiam glorioſam inſtar ſponſæ deſcribit.

Verſ. 28. ITA ET VIRI DEBENT DILIGERE VXORES SVAS VT CORPORA SVA. Tractando ſimilitudinem inter virum & vxorem ad imitationem Chriſti & Eccleſiæ, poſtquam explicauit eam penès amorem amicitiæ, modò explicat eandem ſecundum amorem concupiſcentiæ quo aliquis amat ſeipſum. Ad hoc enim manifeſtat quòd viri diligant vxores ſuas, vt corpora propria. Vnde & amplius explicans ſubiungit: QVI SVAM VXOREM DILIGIT, SEIPSVM DILIGIT. eo quòd vxor eſt caro viri.

NEMO ENIM VNQVAM CARNEM SVAM ODIO HABVIT. Intellige hoc formaliter de carne ſua vt ſic, nam ſecus eſt de carne ſua vt impeditiua eſt, vel reputatur, alicuius magis amari. Sic enim multi occiderunt ſeipſos, apprehendentes carnem ſuam tanquã impedientem eos ab affectata libertate ſeu detinentem eos in malis. Sic Chriſtus præcipit odio haberi carnem propriam vt retrahẽtem à ſalute animæ: ſic ſancti caſtigant corpus ſuum vt pugnans aduerſus ſpiritum, & ſic de ſimilibus. Cùm his enim omnibus ſtat ſolida formalis veritas, quòd nemo vnquam carnem ſuam odio habuit Vnde & probationem manifeſtam ſubiungit: SED ET NVTRIT ET FOVET EAM. quod continua experientia teſtatur. SICVT ET DOMINVS ECCLESIAM. dilexit tanquam carnem ſuam. Et ne hoc abſonum videatur, ſubiungit: Verſ. 29.

Nemo vnquam carnẽ ſuam odio habuit quo ſenſu.

QVIA MEMBRA SVMVS CORPORIS EIVS. Hinc enim manifeſtum eſt quòd Eccleſia eſt corpus Chriſti. DE CARNE EIVS, ET DE OSSIBVS EIVS. Eccleſia non ſolùm eſt corpus Chriſti, ſed eſt corpus formatum de carne Chriſti & de oſſibus Chriſti in cruce. Multo enim plus contulerunt caro Chriſti & oſſa Chriſti in cruce ad formandum corpus Chriſti myſticum, quòd eſt Eccleſia, quam contulerint caro Adæ & oſſa Adæ ad formandam vxorem eius, Euam: quoniam caro Chriſti & oſſa Chriſti in cruce contulerunt vitam propriam ad formandum corpus Eccleſiæ: Adæ verò caro & oſſa non contulerunt propriam vitam. Ad illam ſiquidem alludens formationem dicit quòd ſumus de carne eius & oſſibus eius. Verſ. 30.

Eccleſia eſt corpus formatum de carne Chriſti & de oſſibus eius in cruce ſicut Eua de Adami carne & oſſibus.

PROPTER HOC RELINQVET HOMO PATREM ET MATREM. Affert conſequenter verba Scripturæ, quæ fuerunt conſequenter dicta poſt, *caro de carne mea, & os ex oſſibus meis*. Et affert hæc ad manifeſtandũ authoritatem ſcripturæ quòd vxor eſt caro mariti. Et pronomen *hoc*, vinculum inter virum & vxorem demonſtrat Propter huiuſmodi nãque vinculum relinquet (& quoad conuerſationem & quoad thorum) homo patrem ſuum & matrem. ET ADHÆREBIT VXORI SVÆ. conuerſando, curam gerendo, paſcendo, fouendo, &c. ET ERVNT DVO IN CARNE VNA. pro, *in carnem vnam*. Hoc eſt quod Paulus volebat ex Scripturæ teſtimonio habere ad propoſitum vt vxor caro viri manifeſtaretur. Quomodo autem ad literam hoc intelligatur, in Euangeliis expoſuimus. Verſ. 31.

SACRAMENTVM. pro, *myſterium*, HOC MAGNVM EST. Non habes ex hoc loco prudens lector à Paulo coniugium eſſe ſacramentum. Non enim dicit *ſacramentum*, ſed *myſterium hoc magnum eſt*. Et verè myſterium verborum horum magnum eſt. Continent enim & indiuiſibilitatem coniugij, vt Dominus explanauit apud Matthæum. Continent & ius naturæ, horrendi coniugium cum patre & matre. Continent & officium debitum a viro plus vxori quam patri & matri. Continent & hoc quod modò Paulus declarauit vxorem eſſe carnem mariti. Vnde verè myſterium hoc magnum eſt. EGO AVTEM DICO IN CHRISTO ET ECCLESIA, pro *in Chriſtum & Eccleſiam*. Accumulat Paulus magnitudini myſterij ſecundùm ſenſum literalem, magnitudinem Verſ. 32.

Myſterium hoc magnum eſt. in quo?

tudinem ſecundùm ſenſum ſpiritualem, referendo hæc ad Chriſtum & Eccleſiam: vt iam retulerat dicendo qui membra ſumus corporis eius de carne eius, & de oſſibus eius.

Verſ. 23. VERVNTAMEN ET VOS SINGVLI. pro, *ſingulatim*, VNVSQVISQVE VXOREM SVAM SICVT SEIPSVM DILIGAT, Quamuis ego referam hæc ad Chriſtum & Eccleſiam, veruntamen iuxta ſenſum literæ *vnuſquiſque diligat vxorem ſuam ſicut ſeipſum*: vtpote vnam cum eo carnem. VXOR AVTEM TIMEAT VIRVM. Et eſt ſermo de timore reuerentiali.

Vir vxorem diligat, vxor timeat virum.

CAPVT VI.

Verſ. 1. FILII OBEDITE PARENTIBVS VESTRIS IN DOMINO. Poſt iuſtitiam inter coniuges monet iuſtitiam inter patrem & filium: inchoans à debito filiorum. Primum autem quod debent filij parentibus eſt obedientia, non qualitercunque, ſed *in Domino*. Moderatur debitam obedientiam ad *in Domino*: vt intelligamus non eſſe obediendum parentibus niſi ſecundùm Deum præcipiant. Magis enim obedire oportet Deo quàm hominibus. HOC ENIM IVSTVM EST. Manifeſtat obediétiam eſſe debitam, quia eſt iuſta, quia eſt diuinâ lege promulgata.

Debitum filiorum erga parentes.

Verſ. 2. HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM. Ecce iuſtum diuinæ legis expoſitum honore obedientiæ. Ad literam quidem de obedientia atque reuerentia præceptum illud intelligitur, ad ſubuentionem autem extenditur in articulo neceſſitatis, quo ſcilicet parentes indigerent. Iuxta hanc enim extenſionem Dominus in Euangelio vtitur hoc præcepto: Paulus autem ſimpliciter & abſolutè. QVOD EST MANDATVM PRIMVM IN PROMISSIONE. Dicitur præceptum hoc primum in promiſſione, quia prius adiuncta fuit promiſſio huic præcepto quàm fuerint adiunctæ promiſſiones obſeruatoribus mandatorum diuinæ legis: nam huic præcepto fuit adiuncta promiſſio in ipſa promulgatione tabularum: vt patet Exod. 20. promiſſiones autem adiũctæ obſeruatoribus legis poſtea fuerunt adiunctæ: vt patet in fine Deuter.

Verſ. 3. VT BENE SIT TIBI, ET SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM. Duplex bonum promittitur. Primò ipſum bonum: deinde longæuitas vtendi bono habito. Tanquam parum ſit alterum ſine altero. Longa ſiquidem vita abſque bonis, parum boni eſt: & è diuerſo bona ſine diuturnitate, parum proſunt.

Longa vita ſine bonis, & bona ſine diuturnitate parum poſſunt.

Verſ. 4. ET VOS PATRES NOLITE AD IRACVNDIAM. pro, *ad iram*. PROVOCARE FILIOS VESTROS. Debitum parentum erga filios explicat. Primum quod exigit Paulus à parentibus negatiuum eſt: vt non prouocent eos ad peccatum aliquod. Et hoc expreſſit in ira: quoniam parentes in hoc frequenter peccant, prouocando filios ad exercendam vindictam. Hoc eſt enim prouocare filios ad iram aduerſus exoſos parentibus. Vnde è regione incitationis ad malum, ſubiungit aduerſatiuè, SED EDVCATE ILLOS IN DISCIPLINA. pro, *in eruditione*, ET CORRECTIONE. pro, *admonitione*, DOMINI. Eruditio partem reſpicit intellectiuam: admonitio autem partem affectiuam: & vtramque præcipit ſecundum legem Domini: quæ & directè prohibet vindictas & vniuerſæ vitæ actus componit. Tenentur ſiquidem parentes filios non ſolùm alere, ſed inſtruere.

Debitum parentum erga filios.

Verſ. 5. SERVI OBEDITE DOMINIS CARNALIBVS, Vltimo loco iuſtitiam inter dominum & ſeruum præcipit: non enim adhuc erat politia aliqua, ſed tantùm familię erant Chriſtianę. Et propterea omnes & ſolas coniugationes familiæ direxit quoad debitum: videlicet inter viros & vxores, parentes & filios, dominos & ſeruos. Inter obediétiam autem filiorum & ſeruorum quanta ſit differentia, monſtrat ex eo quod obedientiam filiorum præcipit cum vna tantum conditione, ſcilicet *in Domino*: ſeruorum verò obedientiam multiplicatis conditionibus qualificat, adiungendo, CVM TIMORE ET TREMORE. Timor intùs, tremor extrà eſt. IN SIMPLICITATE CORDIS VESTRI SICVT CHRISTO. Tollit à ſeruis duplicitatem cordis reſpectu dominorũ quemadmodum tollitur reſpectu Chriſti: vt quemadmodum obeditur Chriſto, non aliud habendo in corde, & aliud in ſeruitio, ita obediatur à ſeruis dominis carnalibus. Quod magis explicans dicit:

Debitum ſeruorum erga Dominos.

Differentia obedientiæ filiorum & ſeruorum.

Verſ. 6. NON AD OCVLVM SERVIENTES QVASI HOMINIBVS PLACENTES. Seruitium oculare ad placẽdum exteriùs homini non intuenti cor, deſcribitur, quia reuera non exhibetur niſi exterius, ita quod ſi careret arbitro, non fieret. Vnde è regione ad huiuſmodi oculare ſeruitium ſubiungit aduerſatiuè, SED VT SERVI CHRISTI intuentis cor. FACIENTES VOLVNTATEM DEI. Materiam explicat in qua ſerui tenentur obedire dominis carnalibus, ſcilicet in faciendo voluntatem Dei: hoc eſt, ea quæ non aduerſantur voluntati Dei. EX ANIMO. Contra id quod dixerat, ad oculum, dicit, ex animo.

Verſ. 7. CVM BONA VOLVNTATE. pro, cum beneuolentia. Non ſufficit ſeruis Chriſtianis timor, ſed exigitur etiam beneuolẽtia erga dominos. SERVIENTES SICVT DOMINO. Superfluit *ſicut*. ET NON HOMINIBVS. Præcipit Paulus contra id quod dixerat *quaſi placentes*, vt ſerui agnoſcant ſe ſeruire Domino Chriſto, eo quod ipſe præcipit vt obediant carnalibus dominis, eo quod ipſe eſt principalis præcipiens, & cui principaliter obeditur, Quemadmodum dicimus quod ſeruiens inuitato à Domino, non ſeruit inuitato, ſed domino. Sic enim Paulus dicit *ſeruientes Domino non hominibus*.

Verſ. 8. SCIENTES QVONIAM. pro, *quòd*, VNVSQVISQVE QVOD FECERIT BONVM HOC RECIPIET A DOMINO, SIVE SERVVS SIVE LIBER. Manifeſtat quod dixerat *ſeruiẽtes Domino & non hominibus* ex mercede: quia Dominus retribuet mercedem vnicuique tam ſeruo quàm libero operis ſui boni: ac per hoc obedientiæ debitæ carnalibus dominis: quoniam opus bonum eſt.

Verſ. 9. ET VOS DOMINI EADEM FACITE ILLIS. Eadem intellige proportionaliter, ſcilicet cum beneuolentia in ſimplicitate ſecundum voluntatem Dei præcipiẽtes illis. REMITTENTES MINAS. hoc eſt, non exequentes minas. Non enim quod turbato animo ſępe Domini minantur, executioni mandatum eſt. Multa ſiquidem cõſonant animo turbato quæ poſtea diſſonant à quieto. Et propterea rationabiliter Domini remittunt minas. SCIENTES QVIA ET ILLORVM ET VESTER. pro, *quòd & veſter* IPSORVM DOMINVS EST IN CÆLIS. Senſum tranſtulit vetus interpres: nam ordo literæ eſt, ſcientes quòd

Debitum Dominorum erga ſeruos.

quod ipſorum & veſter Dominus eſt in cœlis. Rationem reddit quare debent & remittere minas & eadem facere ſeruis, ex eo quod communis Dominus eſt in cœlis, ex eo quod reddituri ſunt rationem communi Domino de iis quæ agunt erga ſeruos. ET PERSONARVM ACCEPTIO NON EST APVD DEVM. pro, *eum*, ſcilicet Dominum, qui eſt in cœlis. Non eſt *ille* cœleſtis Dominus *vt* princeps mundi huius: apud quos magis reputantur domini quàm ſerui: ſed æqua lance librat animos domini & animos ſeruorum.

Verſ. 10. DE CÆTERO. pro, *cæterum*, FRATRES MEI CONFORTAMINI IN DOMINO ET POTENTIA VIRTVTIS. pro, *fortitudinis*, EIVS. Supererat tractare illam particulam, *& omni veritate*, hanc modò tractat, inſtruendo ad pugnam contra diabolum. Et aptè fructui ſpiritus in omni veritate, attribuitur pugna aduerſus dæmonem: vt intelligamus non eſſe humanæ fictionis bellum inter dæmones & nos, ſed eſſe veritatem: & arma noſtra aduerſus dæmones non eſſe arma imaginata, ſed eſſe fructum ſpiritus in veritate omni, abſque vllo commento.

Inſtruit ad pugnam contra diabolum.

In duas autem partes diſtinguitur robur Chriſtianorum aduerſus dæmones. Altera eſt *confortamini in Domino*: hoc eſt, inualeſcite non in vobiſipſis, ſed in Domino. Altera eſt, *& in potentia fortitudinis eius*. In Domino inualeſcimus quatenus Dominus eſt, ac propterea curam noſtri habet: in potentia vero fortitudinis eius ſimiliter inualeſcimus vtentes fortitudine eius aduerſus hoſtes, non infirma, aut debili, ſed potente, vt vtrinque confortemur ad pugnam, imò ad victoriam ſub tali principe, ſub tanta potentia fortitudinis eius, non in viribus fortitudinis noſtræ.

Verſ. 11. INDVITE VOS. Duorum quæ propoſuit exequitur ſecundum. ARMATVRAM DEI. Dictio interpretata *armaturam*, ſignificat non aliquod ſpeciale genus armorum, ſed vniuerſitatem armorum: quod enim dixerat *in potentia fortitudinis eius*, modò explicat ab effectu vniuerſæ armaturæ. VT POSSITIS STARE ADVERSVS INSIDIAS DIABOLI. Manifeſta ratio induendi vniuerſa arma Dei, vt non cadamus, ſed habeamus vnde poſſimus ſtare aduerſus diabolum inſidiis contra nos pugnantem. Et ne fictio reputetur diabolus inſidians nobis, ſubiungit:

Verſ. 12. QVONIAM NON EST NOBIS COLLVCTATIO. pro, *lucta*. De conflictu eſt ſermo non de ludo. ADVERSVS CARNEM ET SANGVINEM. Intellige, tantum: eſt enim ſenſus quod non eſt nobis conflictus tantummodo aduerſus carnem & ſanguinem: hoc eſt, aduerſus concupiſcentias carnis, & incenſionem ſanguinis quo accendimur ad iram & alias paſſiones. Dicit enim hæc aduerſus doctrinam Gentilium reputantium non eſſe nobis conflictum niſi aduerſus internas paſſiones: & conflictum aduerſus dæmones reputant fictionem.

SED ADVERSVS PRINCIPES. Dæmones quadrupliciter deſcribit. Primò à principatu naturæ. Eminentia ſiquidem naturæ eorum reſpectu viſibilis mundi ſignificatur, & propterea ſine adiectione aliqua dicit *aduerſus principes*: vt quantùm diſtat ſtatus principum à ſtatu aliorum, tantum diſtare intelligamus naturam dæmonum à natura hominum & vniuerſorum ſenſibilium.

Dæmones quadrupliciter deſcribit.

ET POTESTATES. pro, *aduerſus poteſtates*. Deſcribit ſecundò eoſdem ex eminentia potentiæ: & propterea ſine adiectione aliqua dicit *aduerſus poteſtates*, vt cognoſcamus noſtros hoſtes longè eminentiores tum naturâ, tum potentiâ.

ADVERSVS MVNDI RECTORES. pro, *Dominos*. TENEBRARVM HARVM. pro, *ſeculi huius*. Ita quod textus Pauli eſt, *aduerſus mundi Dominos tenebrarum ſeculi huius*. Et in textu Græco quod dicimus *mundi Dominos* vnica eſt dictio compoſita ex mundo & dominio, *κοσμοκράτορας coſmocratoras*. Propter quod ſubobſcurior redditur litera Latina cum tot obliquis ſubſtantiuis, ſcilicet *mundi tenebrarum*. Verùm ordinari poteſt ſic: aduerſus Dominos mundi, non abſolutè, ſed mundi tenebrarum; non æterni temporis, ſed ſeculi huius.

Deſcribit tertiò dæmones à dominio vniuerſali quod debellando homines vbique acquiſierant: vniuerſali inquam reſpectu mundi tenebrarum, ad differentiam mundi lucidi. Mundus ſiquidem tenebrarum non corporalium, ſed ſpiritualium, eſt mundus conſtans ex peccatoribus. Et adiungit *ſeculi huius*, ad differentiam futuri poſt vniuerſale iudicium ſeculi: in quo dæmones non erunt Domini tenebrarum, ſed ab omnibus cognoſcentur ſubiecti & ipſi tenebris, damnati & in tormentis, qui modò ſunt Domini reproborum viuentium in hoc ſeculo, pro quanto vtuntur illis vt ſeruis.

Mundus tenebrarum eſt mundus conſtans ex peccatoribus.

CONTRA. pro, *aduerſus*, SPIRITVALIA NEQVITIÆ IN CŒLESTIBVS. Quartò deſcribit eoſdem à malitia excellentiſſima. Non dicit *aduerſus ſpirituales nequitias*, ſed (quod plus eſt) *aduerſus ſpiritualia nequitiæ*. Habet nequitia carnalia, habet & ſpiritualia. Carnalia nequitiæ ſunt ſtudia mala ſecundum paſſiones carnales. Spiritualia autem nequitiæ, ſunt ſtudia mala ſecundum ſuperiorem animæ partem. Quæ tantò ſunt peiora, quantò intellectus altior & maioris eſt vis quam ſit vniuerſa pars animæ inferior, vt intelligamus mala ſtudia hoſtium noſtrorum tantò peiora, quanto in illis totum ſtudium ex parte conſtat ſpirituali, & non eſt partim ſpirituale & partim carnale, quale eſt omne humanum ſtudium. Quod autem adiungit *in cœleſtibus*, materiam ſignificat circa quam verſantur ſpiritualia ſtudia nequitiæ de qua eſt conflictus. Ad tollendum ſiquidem cœleſtia nobis, ad priuandum nos cœleſtibus, tendunt huiuſmodi ſpiritualia nequitiæ ſtudia.

Quæ ſunt carnalia, quæ ſpiritualia nequitiæ.

PROPTEREA ACCIPITE ARMATV- Verſ. 13.
RAM DEI. Deſcriptis hoſtibus cum tot terribilibus conditionibus, redit ad armandum nos. Et recole quòd de vniuerſis armis dicit armaturam. VT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO. hoc eſt, in die periculoſo: ſicut ſuperius dixit, *dies mali ſunt*. Ad hoc enim armamur, vt reſiſtamus in die conflictus: qui dicitur dies malus ratione periculi incidendi in verè malum mortis animæ. ET IN OMNIBVS PERFECTI STARE. pro, *& omnibus perfectis ſtare*: hoc eſt, etiam omnibus confectis, quæ pugnæ ſunt, ſtare in rectitudine, ſimiliter ſuſtinere, hic eſt enim finis pugnæ.

STATE ERGO. Ab vniuerſa armatura deſcendit Verſ. 14.

ad ſingula arma in ſpecie: incipiens à cingulo, quod baltheum vocant. SVCCINCTI. pro, *præcincti*, LVMBOS VESTROS IN VERITATE. Circuncingi iubet veritate tanquam baltheo: vt vndique veritate defendamur, vt à veritate incipiat omnis noſtra pugna: lumbi ſiquidem vires animæ ad ſimilitudinem lumborum ſuſtentantium corpus dicuntur: & propterea veritate cinguntur, quæ eſt fundamentum omnium virtutum. Nullam enim fallaciam, nihil fraudis, nihil à veritate diſſonum admittit Chriſtiana religio, nullum verum refutat: quoniam verum vero non eſt contrarium. ET INDVTI LORICAM. pro, *thoracem*, IVSTITIÆ. Loco thoracis tuentis pectus & vitalia membra, iuſtitiam veritatis comitem præcipit: voluntas ſiquidem conſtans ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt, vitalia animæ tuetur.

Armatura Chriſtiani. Baltheum. Lorica.

Verſ. 15. ET CALCEATI PEDES IN PRÆPARATIONEM EVANGELII PACIS. Loco calceorum tuentium pedes, affectus quibus incedimus tanquam calceatos præcipit moderatione præparante nos ad Euangelium pacis. Vere poſt voluntatem præditam iuſtitia, affectiua pars debet eſſe diſpoſita ad tranquillitatem ordinis Euangelici.

Calceamenta.

Verſ. 16. IN OMNIBVS SVMENTES SCVTVM FIDEI, IN QVO POSSITIS OMNIA TELA NEQVISSIMI. pro, *mali*, IGNEA EXTINGVERE. Loco ſcuti fidem præcipit. Et eius effectum explicat extinguere ignea tela, non aliqua, ſed omnia *mali*, hoc eſt, dæmonis antonomaſtice mali. Vbi & arma offenſiua dæmonis aduerſus nos declarat eſſe tela quæ ſunt percuſſiua, & ignea combuſtiua: vt ex his duabus conditionibus ſenſibilium percipiamus magnam armorum vim: vtpote à telis & igne deſcriptorum, vt in igne vim conſumptionis, & in telo vim penetrationis intelligamus. Quæ tamen omnia poſſumus ſi volumus vtendo ſcuto fidei extinguere.

Scutum.

Et bene nota quòd tunc vtimur fidei ſcuto, quando ea quæ ſunt fidei opponimus obuiam tentationibus tanquam telis etiam igneis antequam ingrediantur in animas noſtras: hoc enim eſt officium ſcuti: ad hoc Paulus dicit quod poſſumus vtendo fide vt ſcuto omnia tela ignea maligni noſtri inimici extinguere, quod plus eſt quam euitare aut propellere. Et verè ſic eſt: quoniam quandiu ea quæ ſunt fidei velut obuiantia tentationibus opponimus, extinguuntur tela: hoc eſt, nihil nocent animæ.

Verſ. 17. ET GALEAM SALVTIS. pro, *ſalutaris*, ASSVMITE. Quemadmodum dixit ſcutum fidei, fidem vt ſcutum, & ſimiliter thoracem iuſtitiæ, iuſtitiam vt thoracem, ita eodem ſenſu nunc dicit *galeam ſalutaris*, hoc eſt, ſalutare pro galea. Et ſignificatur quòd ſuſcipiant Chriſtum in capite ſub ratione ſalutaris: hoc eſt, quòd in ſupremo noſtri habemus Chriſtum vt ſalutarem in pugna, vt non confidamus in nobis: ſed quòd Chriſtus ſit conferens nobis ſalutem in huiuſmodi conflictu.

Galea.

ET GLADIVM SPIRITVS QVOD EST VERBVM DEI. Hactenus de armis defenſiuis, modò de offenſiuis dicit verbum Dei loco gladij. Verùm aduerte quod verbum Dei appellat gladium non hominis ſed ſpiritus: quia tunc habet vim & actionem gladij quando vtitur eo ſpiritus, & non quando vtitur homo tantùm.

Gladius.

PER OMNEM ORATIONEM. Poſtquam tractauit illam particulam *in potentia fortitudinis eius*, tractat priorem: videlicet *confortamini in Domino*, explicando modum quo inualeſcimus in Domino. Et modus eſt orando, ſeruatis debitis circunſtantiis, vnde & dicit *per omnem orationem*, vt nullam prætermittat rationem eleuandi mentem in Deum. ET OBSECRATIONEM. Media orandi non quæ noſtra ſunt, ſed quæ ſacra ſunt declarat. Obſecramus enim orantes per paſſionem, per reſurrectionem, per incarnationem Chriſti, &c. ORANTES OMNI TEMPORE. quantum facultas permittit: quoniam affirmatiuum eſt præceptum. IN SPIRITV. non verbo, per ſe enim ad orationem ſpectat quòd ſit in ſpiritu: quòd autem ſit in voce, per accidens eſt. ET IN IPSO. pro, *& in hoc ipſum*, ſcilicet ad orandum omni tempore in ſpiritu. VIGILANTES IN OMNI INSTANTIA. Non ſufficit vt vigilemus ad hoc ipſum, ſed & oportet vt inſtemus omni ſedulitate. ET OBSECRATIONE. pro, *deprecatione*. Vult in oratione petitiones fieri. PRO OMNIBVS SANCTIS. Vt ſanctorum communio exerceatur, vult omnes orare pro omnibus mundis: quales ſunt Chriſtiani per baptiſmum. Verſ. 18.

Media orandi.

ET PRO ME. Ad propria deſcendit Paulus in calce Epiſtolæ: inchoans propria ab humili petitione vt Epheſij orent pro ipſo. Quid autem petat pro ſe explicat. VT DETVR MIHI SERMO IN APERTIONE ORIS MEI CVM FIDVCIA. pro, *auſu* (ſeu libertate) NOTVM FACERE MYSTERIVM EVANGELII. Petit vt detur ſibi ex diuina gratia exterior ſermo cum libero auſu notificandi arcanum Euangelij. Et tanquam rationem ſubdens indigentiæ, ſubiungit. Verſ. 19.

Petit Paulus vt Epheſij orent pro ſe.

PRO QVO LEGATIONE FVNGOR IN CATENA ISTA. Superfluit *iſta*. Tanquam dixerit: ideo egeo quia iam pro hac cauſa opprimor vinculis. ITA VT IN IPSO AVDEAM PROVT OPORTET ME LOQVI. Superfluit *ita*. Explicat quod dixerat cum fiducia: declarando quod non petit audaciam ſuperfluam aut temerariam, ſed vt in ipſo Euangelio audeat loqui prout oportet me, in quo clauduntur omnes circunſtantiæ rationales. Verſ. 20.

VT AVTEM ET VOS SCIATIS QVÆ CIRCA ME SVNT QVID AGAM. Duo commemorat & quæ circa ipſum aguntur, & quid ipſe agit. OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICVS CHARISSIMVS, pro, *dilectus*, FRATER. Chriſtianus. ET FIDELIS MINISTER IN DOMINO. Fortè propter hoc verbum *miniſter* aiunt Tychicum diaconum, Miniſter tamen in Domino commune eſt nomen etiam ipſis Apoſtolis, vt ipſe Paulus ſcribit ad Corinth. Commendatur ſiquidem Tychicus de fidelitate miniſterij ſecundum Dominum. Incertum eſt autem de quali miniſterio loquatur, ſpirituali an temporali. Crediderim tamen ego quòd de ſpirituali miniſtratione loquatur: eo quòd ſubiungit de eo. Verſ. 21.

Tychicus qualis miniſter.

Quem miſi ad vos in hoc ipſum vt cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra. Ex hoc officio conſolandi corda Epheſiorum, conijcio ſpiritualem miniſtrum fuiſſe Tychicum. Verſ. 22.

PAX FRATRIBVS ET CHARITAS CVM FIDE. Ordine retrogrado numerat hæc tria: pacem, Verſ. 23.

charitatem,

charitatem, fidem: nam prior eſt fides, deinde dilectio, & demum pax. A DEO PATRE NOSTRO. Superfluit *noſtro*. Paulò ſuperius hæc verba fuerunt expoſita. ET DOMINO IESV CHRISTO. Hæc eſt ſalutatio Epheſiorum. Quam verò ſubiungit, ad omnes extendit.

GRATIA CVM OMNIBVS. hoc eſt, gratia vobis cum omnibus vbique. QVI DILIGVNT DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM IN INCORRVPTIONE, pro *in incorruptibilitate*, hoc eſt, in ſtatu immortalitatis & incorruptibilitatis corporalis exiſtentem & regnantem. AMEN. Concluſio eſt confirmatiua.

Et eſt ſubſcriptio Epiſtolæ apud Græcos hæc: *Ad Epheſios ſcripta Romæ, miſſa per Tychicum.* *Subſcriptio.*

Caietæ die IX. Februarij, M.D.XXIX.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILIPPENSES COMMENTARII.

Verſ. 1. *Timotheus nec quoad epiſtolam, ſed quoad ſalutationem hic Pauli collega.* PAVLVS ET TIMOTHEVS. Collegam ſibi inſtituit Timotheum, nõ quoad Epiſtolam, ſed quoad ſalutationem: noluit ſiquidem reſeruare ſalutationem Timothei in fine cum aliis, ſed præpoſuit: vt hinc etiam cognoſcerent Philippenſes quanti faciat ipſe Paulus Timotheum. SERVI IESV CHRISTI. Omittit Apoſtolatus nomen, vt communi ſibi & Timotheo nomine vtatur. OMNIBVS SANCTIS IN CHRISTO IESV QVI SVNT PHILIPPIS. Sanctos appellat mundos ex baptiſmo. CVM EPISCOPIS ET DIACONIBVS, pro *Diaconis*, hoc eſt, cum ſuperintendentibus ad ſpiritualia, & miniſtris ad temporalia: vtrumque ſiquidem nomen eſt officij. Et ideo pluraliter dicit *epiſcopos*, qui præerant curæ animarum. Diaconos autem conſtat ex Apoſtolorum actibus inſtitutos vt præſint temporalibus. Et cùm communiter omnes ſalutaſſet, meminit ſpecialiter eorum, qui præſidebant ſpiritualibus & temporalibus Eccleſiæ.

Verſ. 2. GRATIA VOBIS ET PAX, A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO IESV CHRISTO. Solita Pauli ſalutatio ſæpe expoſita.

Verſ. 3. GRATIAS AGO DEO MEO. Poſt ſalutationem incipit tractatus, in quo primo more ſolito præmittuntur tractanda. Dicit autem *Deo meo*: tum ad ſignificandum quòd ſolus, non cum Timotheo, ſcribit, quamuis cum Timotheo ſalutauerit: tum ad ſignificandum quòd Deus ita eſt communis ſanctis omnibus, quòd ſimul eſt proprius cuique. IN OMNI MEMORIA VESTRI.

SEMPER IN CVNCTIS ORATIONIBVS MEIS. Verſ. 4.
pro *in omni oratione mea*. PRO OMNIBVS VOBIS. Determinando *in omni memoria veſtri*, adiungit *in omni oratione mea*. CVM GAVDIO DEPRECATIONEM. pro, *orationem* FACIENS.

Verſ. 5. SVPER COMMVNICATIONE VESTRA IN EVANGELIO CHRISTI. Superfluit *Chriſti*. A PRIMA DIE VSQVE NVNC. Ecce materia tum gaudij, tum gratiarum actionis, tum orationis, tum memoriæ, perſeuerantia Philippenſium, imò communicatio in Euangelica veritate & bonitate à prima die, quo conuerſi ſunt ad Christum, vſque nunc. *Perſeuerantia Philippenſium.* Et vere materia eſt omniũ prædictorum, quia nec à pſeudoapoſtolis ſeducti ſunt, nec à priſtina Gentilitatis conſuetudine reducti ſunt, nec perſecutionibus in Paulum ibidẽ excitatis Actuum 16. turbati ſunt.

Verſ. 6. CONFIDENS. pro, *fiduciam habens*. HOC IPSVM, QVIA pro, *quòd*, QVI COEPIT, Deficit *in*, VOBIS OPVS BONVM PERFICIET VSQVE IN DIEM IESV CHRISTI. Propoſità perſeueranti communicatione Philippenſium in Euangelio, proponit futuram in eiſdem perfectionem diuina efficientia. Proponendo autem aperit vtrúque eſſe Dei officium, ſcilicet inchoare in hominibus opus bonum, & perficere illud non ad tempus, ſed vſque in diem Chriſti Ieſu. *Dies Chriſti, quæ.* Qui reſpectu ſingulorum eſt in morte cuiuſque: reſpectu autẽ omnium eſt dies vniuerſalis iudicij. Proponit autẽ huiuſmodi perfectionem tam perſuaſam ſibi: & vnde ſibi hoc perſuaſerit ſubiungit.

SICVT EST MIHI IVSTVM HOC SENTIRE PRO OMNIBVS VOBIS. Debitum cenſet vt ſic ſentiat, vt ſic reputet futurum: iuſtum enim

debitum ſonat. Et ratio debiti explicatur ſubiungendo, EO QVÒD HABEAM VOS IN CORDE. proculdubio amando & deſiderando, cor enim pro voluntate ponitur. ET IN VINCVLIS MEIS, ET IN DEFENSIONE ET CONFIRMATIONE EVANGELII SOCIOS GAVDII MEI, pro *gratiæ meæ*, OMNES VOS ESSE. Ordo literæ eſt, & omnes vos eſſe ſocios gratiæ meæ in vinculis meis, & in defenſione & confirmatione Euangelij, repetendo verbum *habeam*. Ratio quare debitum eſt vt perſuadeam mihi futuram veſtram perfectionem vſque in diem Chriſti eſt, tum quia vos habeo in corde, tum quia vos habeo ſocios gratiæ meæ, quam habeo in vinculis meis, & in defenſione ac confirmatione Euangelij. Verè ſiquidem iuſtum eſt, vt quos ſocios habebat tantæ gratiæ, eoſdem reputaret futuros perfectos vſque in diem Chriſti. Gratiam ſuam explicat Paulus & pati vincula pro Chriſto, & defendere, & confirmare Euangelium: hoc eſt agere, illud pati: vtrumque tamẽ eſt doni diuini, homini conceſſi gratuito.

TESTIS ENIM EST MIHI DEVS. Poſtquam
Verſ. 8. propoſuit tractanda, tractat propoſita, inchoans ab vltimo: videlicet *eo quod habeam vos in corde & in vinculis*, &c. Et quoniam multa in hac particula continentur, incipit ab illo, *eo quòd habeam vos in corde*: declarando amorem ſuum erga illos, tum à deſiderio, tum ab oratione. Et quoniam cordis ſolus Deus eſt inſpector, Deum in teſtem affert. QVOMODO CVPIAM OMNES VOS ESSE IN VISCERIBVS IESV CHRISTI. Superfluit *eſſe*. Et anceps eſt conſtructio an *in viſceribus Ieſu Chriſti*, referatur ad *cupiam*, an referatur ad *vos*: vt interpres retulerat apponendo *eſſe*. Magis tamen quadrat vt referatur ad *quomodò cupiam*: quoniam ad cordis proprij teſtificationem, affertur etiam Deus in teſtem. Et eſt ſenſus, quomodo ſecundum intima, non humani affectus, ſed Ieſu Chriſti, cupiam vos.

ET HOC ORO. non ſolum cupio intus, ſed
Verſ. 9. oratione cordis interprete monſtro. Explicat ſiquidem ſimul quod propoſuerat ſe orare pro illis. VT CHARITAS VESTRA. Ecce quò tendunt deſideria hominis quæ ſunt ſecundùm viſcera Ieſu Chriſti: non ad diuitias, aut ſanitatem, aut vitam corporis: ſed vt dilectio veſtra, perficiens partem affectiuam. MAGIS. Deeſt *adhuc*. Legendum eſt, ADHVC MAGIS AC MAGIS ABVNDET IN OMNI SCIENTIA. pro, *in cognitione*. Orat Paulus non vt cognitio creſcat,

Non vt cognitio creſcat, ſed dilectio orat D. Paulus.

ſed vt in cognitione magis ac magis abundet dilectio: hoc eſt vt creſcente cognitione magis ac magis abundet dilectio. Et dicit *adhuc magis*, quia iam inceperat abundare. ET IN OMNI SENSV. Senſus à cognitione differt penès vniuerſale & particulare, penès ſpeculatiuum & practicum, orat enim vt charitas magis ac magis abundet tum creſcente cognitione ſpeculatiua myſteriorum Dei, & Chriſti, & morum, tum creſcente omni ſenſu: hoc eſt, omni experientiâ, omni prudentiâ circa agenda.

VT PROBETIS POTIORA. pro, *præſtantia*. Ad
Verſ. 10. abundet dilectio vt cognoſcendo & experiendo ad ſimilitudinem examinando probantium, perueniatis ad illa quæ præſtant aliis: hoc eſt, vt non ſitis contenti bonis, ſed exercitatione continuâ aſſequamini meliora. VT SITIS SYNCERI ET SINE OFFENSA. Dixerat *probetis*: & quia probatio purgando fit, ideò explicando adiungit *vt ſitis ſynceri*: excluſa impuritate: *& ſine offenſa*, excluſo ſcandalo actiuo & paſſiuo: anceps ſiquidem ad vtrumque eſt ſenſus. Synceritas purgat hominem quoad ſe, & offenſio quoad proximum. IN DIEM CHRISTI. Non ad tempus, ſed ad diem vſque Chriſti, quo Chriſtus iudicabit.

REPLETI FRVCTV IVSTITIÆ. Deeſt, *qui eſt*.
PER IESVM CHRISTVM IN GLORIAM ET LAVDEM DEI. Verſ. 11.
Ecce præſtantia probando acquirenda. Et per fructum iuſtitiæ, intellige vniuerſum fructum iuſtitiæ ex fide Ieſu Chriſti. Orat vt repleti ſint vniuerſo iuſtitiæ fructu, qui non aliter haberi poteſt quàm per meritum Ieſu Chriſti. Quod autẽ ſubditur *in gloriam & laudem Dei*, reſpicit omnia antedicta: *vt dilectio veſtra abundet, vt probetis, vt ſitis*, &c. *in gloriã*, in excelſis, vbi lucet Dei gloria, *& laudẽ* apud nos: quibus laus potius quam gloria Dei manifeſtatur.

SCIRE AVTEM VOLO VOS FRATRES. Tractat Verſ. 12.
illam particulam in ſpecie *gratiæ meæ in vinculis*, multipliciter: tum reſpectu aliorum, tum reſpectu ſuimet, tum reſpectu Philippenſium. Et reſpectu quidem aliorum dicit, QVIA. pro, *quod*, QVÆ CIRCA ME SVNT, MAGIS AD PROFECTVM VENERVNT, pro, *ſucceſſerunt*, EVANGELII. Et declarans quomodo, ſubiungit,

ITA VT VINCVLA MEA MANIFESTA FIERENT Verſ. 13.
IN CHRISTO. hoc eſt, ita vt vincula mea in Chriſto, non ob crimen, ſed ob Chriſtum manifeſta fierent, quòd eſſent propter Chriſtum. IN OMNI. pro, *in toto*. PRÆTORIO. hoc eſt, apud vniuerſos officiales prætorij. apud vniuerſos agentes in prætorio.

Cur ad prætorium cauſa Pauli deducta ſit non eſt ſcriptum.

Paulus vinctus Romam miſſus (vt in fine Actuum Apoſtolorum dicitur) non inuenit ibi accuſatores aut proſecutores cauſæ aduerſus eum nomine Hieroſolymitarum: vnde permiſſum eſt Paulo habitare in ſuo conducto (cum cuſtodia tamen) per biennium. Occaſio autem quâ ad prætorium cauſa eius deducta eſt, non eſt ſcripta authenticè, tantum ſcimus quod hic Paulus de ſe dicit.

ET IN CÆTERIS OMNIBVS. Superfluit *in*. Amplam & extenſam notitiã ſuorum in Chriſto vinculorum etiam extra prætorium ſignificat, dicendo *& cæteris omnibus*.

VT PLVRES E FRATRIBVS IN DOMINO CON- Verſ. 14.
FIDENTES IN VINCVLIS MEIS. Fructum explicat fiduciæ ab aliis Chriſtianis ſumptæ, videndo Pauli conſtantiam in vinculis. ABVNDANTIVS AVDERENT SINE TIMORE VERBVM DEI LOQVI. Ecce gratia vinculorum Pauli quoad alios.

QVIDAM QVIDEM ET PROPTER INVIDIAM ET Verſ. 15.
CONTENTIONEM. Inuidia intùs mouet, contentio verò exterior ad gloriam tendit. Quoſdam per hoc narrat qui inuidentes Apoſtolis officium prædicandi, & confidentes contentione acquirere gloriam, prædicabant verbum Dei, diſputabant de ſcriptura, huiuſmodi. Et directè inuidia erat ad gloriam verorum Apoſtolorum: contentio autem ad diſparitatem doctrinæ reſpicit. Iudæi ſiquidem fuerant iſti & erant Chriſtiani prædicantes Chriſtum ſimul cum legalibus, quorum legalium ratione dicuntur prædicare Chriſtum propter contentionem: quoniam prædicabant Chriſtũ ad hoc vt contenderent legalia eſſe ſeruanda.

Varia intentione prædicantium Chriſtum.

QVIDAM

Verſ. 16. QVIDAM AVTEM ET PROPTER BONAM VOLVNTATEM CHRISTVM PRÆDICANT. Hanc diſtinctionem inter prædicantes Chriſtum in genere, intellige præmiſſam a Paulo (vt & verba ſonant) vt ex diuerſitate in genere deſcenderet ad illam diuerſitatem, quæ de facto Romæ ſuſcitata eſt ob ipſius in Chriſto vincula manifeſtata. Vnde textus ſequens (ſcilicet *quidam ex charitate*) tranſpoſitus eſt, ſubiungit ſiquidem Paulus diuerſitatem quæ de facto ibi fuit: nec inchoat ab iis qui ex charitate, ſed ab iis qui ex contentione. Legendum itaque eſt, ALII QVIDEM EX CONTENTIONE CHRISTVM ANNVNTIANT NON SYNCERE, pro *non purè*, EXISTIMANTES PRESSVRAM SE SVSCITARE, pro *afferre*, VINCVLIS MEIS:

Verſ. 17. QVIDAM AVTEM EX CHARITATE, SCIENTES QVONIAM, pro *quòd*, IN DEFENSIONE EVANGELII POSITVS SVM. Deſcribit in ſpecie commotos Romæ ad prædicandum Chriſtum quoſdam non purè (quoad cor) ſed ex contentione, ex lite, ex diſſenſione in doctrina legalium, & demum quoad effectum, exiſtimantes ſe addere afflictionem afflicto: tum ſciendo quòd mihi diſplicet prædicatio talium, tum ad irritandum Iudæos aduerſum me. Quoſdam verò ex dilectione: non dicit *mei*, ſed abſolutè *ex dilectione*, vt quos in genere dixerat *per bonam voluntatem*, modò in ſpecie dicit *per dilectionem*, proculdubio Chriſti: vt teſtantur ſubiuncta, *ſcientes quod in defenſione Euangelij poſitus ſum*: hoc enim monſtrat quòd adiuuando me ad defenſionem Euangelij prædicant iſti Chriſtum: tanquam ſupplentes quod ego vinctus minus poſſum.

Verſ. 18. QVID ENIM. Dixerat primum quòd ad profectum Euangelij vincula ſua ſucceſſerunt, & explicando modum dixerat quòd aliqui moti ſunt ex contentione augmentaturi eius preſſuram, ad prædicandum Chriſtum: quod ſonat contrarium profectui Euangelico, & propterea modò ſubdit quidnam hinc dicitur? Et reſpondendo ſubiungit, DVM, pro *niſi*, OMNI MODO SIVE PER OCCASIONEM, SIVE PER VERITATEM, CHRISTVS ANNVNTIETVR, pro *annunciatur*. Ecce profectus Euangelij quòd Chriſtus annuntiatur, ſiue veritate inducente bonos prædicatores, ſiue occaſione, vel inuidiæ, vel diſſenſionis impellente malos prædicatores: hoc enim bonum elicitur ex vtriſque, etiamſi ex malis nihil aliud habeatur. ET IN HOC GAVDEO SED ET GAVDEBO. In hoc quòd Chriſtus annuntiatur, in hoc quòd vincula mea cauſant tam in malis, quàm in bonis annunciationem Chriſti; gaudeo in præſenti; quinetiam & gaudebo, tam in futuro ſeculo, quàm in præſenti.

Siue per occaſionem ſiue per veritatem Chriſtus annuntiatur laudat Apoſtolus.

Verſ. 19. SCIO ENIM. Rationem reddit proprij gaudij, tum præſentis, tum futuri. Et hîc incipit explicare gratiam vinculorum ſuorum reſpectu ſuimet. QVIA HOC MIHI PROVENIET AD SALVTEM. Manifeſta gaudij ratio eſt ſcientia ſalutaris prouentus. Modus autem quo proueniet hoc ad ſalutem eius ſubiungitur, PER VESTRAM ORATIONEM. Adiuuari ſe Paulus manifeſtat ſanctorum communione, quæ ſuffragio orationum fit. ET SVBMINISTRATIONEM SPIRITVS IESV CHRISTI. Altior cauſa adiungitur interna operatio Spiritus ſancti. Qui dicitur ſpiritus Ieſu Chriſti, tum quia procedit à Ieſu Chriſto ſecundùm diuinam naturam: tum quia ducit ad Ieſum Chriſtum. Significanter autem dicit *ſubminiſtrationem ſpiritus*, vt intelligamus quòd orationes aliorum proſunt mihi, quemadmodum officia vnius membri interni proſunt aliis membris: videlicet ſubminiſtrante ſpiritu vitali. Simili namque modo docet intelligi ſanctorum communionem membrorum vnius corporis Chriſti fieri ſubminiſtrante ſpiritu Chriſti ſancto, qui viuificat corpus Eccleſiæ totum. Ita quòd abſque ſubminiſtrante ſpiritu, deducendo & applicando ad alia membra, non ſunt vitales aliis meæ orationes. Hoc eſt enim, quod ad Epheſios quarto diffusè docuit Paulus.

Orationes aliorum mihi proſunt.

SECVNDVM EXPECTATIONEM ET SPEM MEAM QVIA, pro, *quod*, IN NVLLO CONFVNDAR. Explicat qualem ſalutem, ſcilicet ſperatam & vehementer deſideratam. Dictio ſiquidem interpretata *expectationem*, plus ſignificat quàm Latina dictio explicat, ſignificat enim vehementem expectationem. Speratam autem & vehementer concupitam ſic videlicet abſque vlla confuſione. Non dicit, abſque vlla afflictione, abſque vlla preſſura, ſed *quòd in nullo confundar*: ſperabat enim ſalutem futuram nullà interueniente confuſione, quantumcunque æmuli conarentur affligere eum. Vnde explicando de quali confuſione loquitur, ſubiungit aduerſatiuè. Verſ. 20.

SED IN OMNI FIDVCIA SICVT SEMPER ET, pro, *etiam*, NVNC MAGNIFICABITVR CHRISTVS IN CORPORE MEO SIVE PER VITAM SIVE PER MORTEM. Totum hoc pars eſt rei expectatæ & ſperatæ: expecto & ſpero non ſolùm quod in nullo confundar, ſed quòd magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſiue per mortem, ſiue per vitam, quemadmodum ſemper magnificatus eſt, etiam nunc in omni fiducia. Vnde apparet ſalutem ſperatam referri ad vtrumque ſeculum: & poſitam in magnificatione Chriſti.

Vide ſingula. Dicit *in omni fiducia*, ad ſignificandum certudinem ſuæ ſpei, è regione *confuſionis*. Dicit *ſicut ſemper*, ex præteritis ſumens fiduciam futurorum. Et diſtribuit *ſemper*, pro omni tempore ex quo conuerſus eſt ad Chriſtum. Dicit *etiam nunc*, propter vincula & conantes augere preſſuram eius. Magnificari autem Chriſtum in corpore Pauli, eſt (vt ipſemet explicat) ſiue per vitam exhibendo corpus in ſeruitium Chriſti, ſiue per mortem exhibendo corpus hoſtiam Chriſto, vtroque modo magnum fieri Chriſtum in fide ac laude hominum.

Magnificari Chriſtum in corpore Pauli, quid?

MIHI ENIM. Rationem reddit eius quod dixerat, *proueniet ad ſalutem*. VIVERE CHRISTVS EST, ET MORI LVCRVM. Omnino ſiue in præſenti viuam ſeculo, ſiue moriar, proueniet mihi ad ſalutem hoc quod patior propter Euangelium: nam viuere mihi non eſt aliud quàm Chriſtus, & mori eſt lucrum. Sicut dediti delectationibus venatoriis dicunt quòd delectatio venatoria eſt eis viuere: & dediti gulæ dicunt quòd cibus & potus eſt eis viuere, & ſic de ſimilibus: ita Paulus dicit quod Chriſtus eſt ſibi viuere, eo quod vniuerſa ſua ſtudia vniuerſoſque conatus Chriſto dicauerit, mori autem manifeſtum eſt lucrum æternæ felicitatis. Verſ. 21.

Mors, lucrum.

X 4 QVÒD

Verſ. 22. QVÒD SI pro, *ſi autem*. & habet vim aduerſatiuæ coniunctionis: ac ſi diceretur *etſi*, ſeu *quamuis*. VIVERE IN CARNE HIC. pro, *hoc*, MIHI FRVCTVS OPERIS EST. dixerat mortem lucrū ſibi, & quia lucrari eſt præſentis vitæ, in qua ſola meremur, ideo aduerſatiuè ſubiungit, dico mortem lucrum non obſtante quòd viuere in carne ſit etiam mihi lucrum: quandoquidem viuere in carne mihi eſt Chriſtus: & conſequenter hoc viuere in carne eſt mihi fructus continui operis, ſiue agendo, ſiue patiendo. Ac ſi apertiùs dixiſſet: non dico mortem lucrum eo quòd viuendo non lucrer (cum viuendo continue operando lucrer) ſed quia conferendo futura præſentibus mori eſt mihi lucrum: vtpote longe maius. ET QVID ELIGAM IGNORO.

Verſ. 23. COARCTOR AVTEM E DVOBVS DESIDERIVM HABENS. Ordo literæ eſt, coarctor autem è duobus deſiderium habens & quid eligam ignoro. Et eſt ſenſus quod coarctor ex duobus deſideratis, vita ſcilicet & morte, hinc inde ſtringor ac premor vtram velim, & quid eligam ignoro, Et rationem ignorantiæ ſubiungit vtrinque. DISSOLVI ET ESSE CVM CHRISTO MVLTO MAGIS MELIVS.

Verſ. 24. PERMANERE AVTEM IN CARNE. Deeſt, *magis*, NECESSARIVM PROPTER VOS. Sententia eſt clara, & eſt in ea notandum quòd non dicit *diſſolui*, ſed *diſſolui & eſſe cum Chriſto*: quia mors non eſt eligibilis ſecundum ſe, ſed ratione adiuncti, eſſe cum Chriſto. Per quod confutatur dogma illorum qui ſanctos vſque ad diem iudicij negant eſſe beatos: manifeſtè ſiquidem Paulus iungit morti eſſe cum Chriſto, nec alia ratione dicit, multo magis meliùs niſi ratione huius adiuncti: quod non verificaretur ſi diſſolui non iungeret Chriſto.

Hinc confutatur error eorum qui ſanctos vſque ad diem iudicij negant eſſe beatos.

Verſ. 25. ET HOC CONFIDENS. pro, *perſuaſus*. SCIO Incipit hic tractare gratiam ſuam in vinculis & defenſione ac confirmatione Euangelij relatiuè ad Philippenſes. QVIA, pro, *quod*, MANEBO ET PERMANEBO. Deficit *cum*, OMNIBVS VOBIS AD PROFECTVM VESTRVM ET GAVDIVM FIDEI:

Verſ. 26. VT GRATVLATIO. pro, *gloriatio*, VESTRA ABVNDET IN CHRISTO IESV IN ME PER MEVM ADVENTVM ITERVM AD VOS. Hinc apparet quod epiſtola hæc ſcripta fuit a Paulo intra illud biennium, de quo in Actibus Apoſtolorum dicitur quod ſub cuſtodia militis permiſſum eſt Paulo manere, nullo prohibente ei quòd euangelizaret Chriſtum: nam dicit, *Et hoc perſuaſus ſcio quod permanebo*, & cætera. Imò adiungit ſe iterū ad Philippenſes. Vixit enim poſt illud bienniū Paulus decennium, vſque ſcilicet ad quartūdecimū Neronis annū, & verificatū eſt, *manebo & permanebo*, vſque ad ſenium. Vtrùm autem reuerſus fuerit ad Philippenſes non clarè cōſtat. In fine autem ſecundæ ad Timotheum Epiſtolæ conijcitur quòd reuerſus fuerit: vt ibi explanatur. Quorſum autem permanſurus ſit, explicat gradatim: primò profectum in meritis, deinde gaudium non carnale, non humanum, ſed fidei conſequens augmentum meritorum: & demum vt gloriatio Philippenſium de tanto magiſtro creſcat abundanter, gloriatio, inquam, non vana, ſed in Chriſto, ſed ſecundum Chriſtum: & ruſſus veſtra gloriatio in me, non quatenus me, ſed in Chriſto Ieſu.

Vixit Paulus ad 14. Neronis annum.

TANTVM DIGNE EVANGELIO CHRISTI CONVERSAMINI. Ex deſiderio fructus apud Philippenſes tranſit ad exhortandum eos vt tales ſe exhibeant quales eos ipſe reputat. Propoſuerat enim quòd habet eos in corde tanquam ſocios gratiæ ſuæ, &c. Vnde cùm dixiſſet quòd *manebo & permanebo*, &c. ſubiungit vt ex parte ſua agant quod ſuum eſt: vt ſcilicet conuerſentur, ſeu potiùs res omnes gerant, ſeu adminiſtrent pro dignitate Euangelij Chriſti. VT SIVE CVM VENERO ET VIDERO VOS, SIVE ABSENS AVDIAM DE VOBIS. Et ſtatim ſubiungit quid cupit videre præſens, & audire abſens. QVIA pro, *quod*, STATIS IN VNO SPIRITV. Ecce ſocietas gratiæ ſpiritualis. VNANIMES COLLABORANTES. pro, *concertantes*. FIDEI EVANGELII. Ecce ſocietas ad confirmationem Euangelij. Dicuntur enim concertantes fidei tanquam militantes ad vtilitatem fidei Euangelicæ. Verſ. 27.

ET IN NVLLO TERREAMINI. pro, *conturbati* (ſeu *territi*) AB ADVERSARIIS. Ecce ſocietas ad defenſionē Euāgelij. QVÆ EST ILLIS CAVSA. Deficit *quidem*, & non eſt cauſa, ſed oſtenſio ſignificatur. Legendum eſt, *Quæ eſt illis quidem oſtenſio* PERDITIONIS, VOBIS AVTEM SALVTIS. Conturbatio ab aduerſariis refertur: & aſſeritur quod eſt illis aduerſariis *oſtenſio perditionis*: ſignum enim ſeu indicium perditionis futuræ aduerſariorum (æternæ ſcilicet damnationis) eſt conturbatio, quâ Chriſti fideles perſequuntur: & eadem conturbatio paſſiue eſt fidelibus oſtenſio ſalutis æternæ: eſt enim ſignum dilectionis diuinæ. Ita quòd conturbatio actiue demonſtrat damnationem aduerſariorum: conturbatio vero paſſiuè, demonſtrat ſalutem fidelium. ET HOC A DEO. Hoc ſalutis indicium, hoc veſtrum non terreri ab aduerſariis, à Deo eſt, non a veſtris viribus. Verſ. 28.

Perſecutio fidelium oſtenſio ſalutis æternæ ipſis, aduerſariis verò perditionis.

QVIA VOBIS DONATVM EST PRO CHRISTO. Verſ. 29.
hoc eſt, gratuito non veſtris meritis conceſſum ratione Chriſti, meritis Chriſti. NON SOLVM VT IN EVM CREDATIS. Quod ad Epheſios dixerat eſſe fidem donum Dei, modò repetit ad Philippenſes: vt nec ipſum credere propriæ menti aſcribant, ſed gratuito Dei dono. SED ETIAM VT PRO ILLO PATIAMINI. Ecce ſocietas gratiæ in vinculis, & inter præcipua Dei dona docet Paulus computandum, pati pro Chriſto,

IDEM CERTAMEN HABENTES QVALE ET VIDISTIS IN ME. Vt patet Act. 16. Paulus fuit cæſus publice Philippis, & propterea hic dicit, quale vidiſtis in me, tum in plagis, tum in carceribus, &c. ET NVNC AVDISTIS. pro, *auditis*, DE. pro, *in*, ME qui nunc ſum in vinculis Romæ. Hinc appatet Philippenſes paſſos certando pro Euangelio: ſed a quibus & quid, non eſt ſcriptum. Verſ. 30.

Paulus [illegible] cæſus publicè Philippis.

CAPVT II.

SI QVA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO. Proſequitur Paulus declaratam iam ſocietatem gratiæ ſuæ, tum in vinculis, tum in defenſione & confirmatione Euangelij: proſequitur autem ex illa inferendo ſalubres morum monitiones: vnde ex quatuor conditionibus ſociorum infert monitionem Verſ. 1.

tem. Ac ſi apertius diceret, propoſui & declaraui quod habeam vos ſocios gratiæ meæ, &c. ſi ſocij ſumus, ſi conditiones ſociorum inter nos ſunt, implete gaudium meum vt faciatis, & cæt. Prima autem ſociorum conditio deſcribitur *conſolatio in Chriſto*. Et hæc directe reſpicit quæ patiuntur ſeu paſſi ſunt, ſi qua ergo inter nos eſt conſolatio in Chriſto, communi ratione tam patiendi quam conſolandi.

... conditiones ... ſalubres monitiones.

Si qvod solativm charitatis. Communiter interpres vtitur *charitate* pro *dilectione*. Inter ſocios pro Chriſto patiẽtes hoc eſt & mutua in Chriſto conſolatio, eſt inter ſeſe mutua dilectio, quod magnum hinc indè præbet ſolatium. Et propterea adiungit, ſi quod inter nos ſocios eſt ſolatium dilectionis.

Si qva societas. pro, communio, spiritvs. Res, in qua conſiſtit illa ſocietas, explicatur *ſpiritus*, non eſt communio naturæ, non communio militaris, non communio imperij, ſed communio ſpiritus. Communicant ſiquidem ſocij in Chriſto abinuicem ſpiritualia, & in hoc conſiſtit eorum ſocietas. Et propterea dicit, ſi qua communio inter nos eſt ſpiritus, hoc eſt, ſpiritualis gratiæ, prouenientis in nobis ab vno communi ſpiritu Chriſti capitis noſtri vegetantis nos.

Si qva viscera miserationis. pro, *ſi quis viſcera & miſerationes*. Et ſunt nominatiui caſus viſcera & miſerationes. Et eſt ſenſus, ſi quis eſt ita affectus vt non qualitercunque, ſed & intus ſit ad ſimilitudinem viſcerum, & extra ad ſimilitudinem miſerationum: quarta ſiquidem conditio ſpiritualis ſocietatis deſcribitur penes affectum internum & externum ad condolendum. Et ſi diligenter perſpexeritis, prima & quarta conditio ſociorum reſpicit mala: *conſolatio* quidem præterita: *viſcera* vero & *miſeratio* præſentia: mediæ autem reſpiciunt bonum delectationis & rei. Et omnes afferuntur per modum adiurationis.

Verſ. 2. Implete gavdivm mevm. Huc tendunt omnes dictæ adiurationes. Propoſuerat ſuperius quod cum gaudio orationem faciebat ſuper communicatione Philippenſium, & propterea modò dicit, *implete* inchoatum *gaudium meum*. Vt idem sapiatis. pro, *ſentiatis*. Incipit explicare monita. Primum quod petit, ad intellectum pertinet: videlicet idem ſentire, procul dubio mente. Et eſt ſermo de ſpectantibus ad Euangelicam veritatem: vt non diuerſa ſentiant, ſed idem. Eandem charitatem habentes. Quemadmodum in intellectu monet ſentire idem, ita in voluntate monet diligere idem: hoc eſt enim eandem dilectionem habere, vt conueniant & in eodem intellecto & in eodem dilecto. Vnum ſiquidem & idem iubemur credere & amare: nec eſt diuerſa veritas Euangelica ſentienda a diuerſis Chriſtianis, nec eſt diuerſa res diligenda a diuerſis Chriſtianis, ſed vna & eadem, ſcilicet Deus propter ſe, &c.

Monet vt idem ſentiat intellectus, & voluntas diligat.

Vnanimes idipsvm, pro, *idem*, sentientes. Tertium quod monet, ad actionem moralem ſpectat, & complectitur in eo vtrumque: & quod eſt affectus, dicendo *vnanimes*: & quod eſt rationis, dicendo *idem ſentientes*. Exigit vt actione conueniant, concordent & animi vnitate & intelligentia vnius & eiuſdem: oportet enim in actionibus eos qui ſunt ſocij & concordare animo, & rationibus tandem reſoluere ſe in idem.

Nihil per contentionem neqve. pro, *aut*, per inanem gloriam. Tribus affirmationibus adiungit duas negationes eorum quæ ſolent perturbare communem vnitatem in tribus affirmationibus exactam. Tam ſiquidem contentio exterior quàm appetitus inanis gloriæ interior conſueuit vel vnitatem impedire concluſionis communis, vel ſaltem modum concludendi conturbare. Sed in hvmilitate svperiores sibi invicem arbitrantes. pro, *ſed humilitate alij alios exiſtimantes ſuperiores ſeipſis*. Et eſt ſermo de humilitate, vt eſt virtus animi oppoſita ſuperbiæ: & directe ſubiungit aduerſatiuè radicem inanis gloriæ. Eſt autem humilitatis actus exiſtimare alios ſuperiores, pro quanto in quolibet eſt aliquid quo mihi præſtat: in quolibet enim Chriſtiano eſt Chriſtus ſaltem ſecundum quem quilibet Chriſtianus eſt ſuperior me abſolutè, Et nihilominus in quolibet eſt aliquid vel ingenij vel virtutis quo mihi præſtat carenti illo bono,

Verſ. 3.

In quolibet Chriſtiano eſt Chriſtus.

Non qva sva svnt singvli. pro, *quiſque*, considerantes sed et ea. pro, *ſed & quiſque*, qvæ aliorvm, Duo monet. Alterum humilitatis, exiſtimare alios ſuperiores. Alterum dilectionis, quod eſt vt quiſque non conſideret propria, ſed aliena. Verſ. 4.

Et hæc particula ſi formaliter de *conſideratione* intelligatur vt ſonat, non continet nouam monitionem, ſed rationem reddit anterioris: ratio ſiquidem exiſtimandi quemlibet ſuperiorem, eſt quod quiſque non conſideret propria bona, ſed aliena, ſic enim vere exiſtimabit quemlibet ſuperiorem ſe. Si autem *conſideratio* pro *cura* intelligatur, ſic, vt priùs expoſuimus, nouam continet monitionem charitatis: vt quiſque non curet propria, ſed aliena: hoc eſt, vt communia proprijs anteponat, vt ſpiritualia aliorum præponat corporalibus proprijs, vt quæ ſunt ſalutis animarum aliorum, præponat iis quæ ſunt propriæ dignitatis. Vterque ſenſus congruit ſubiunctis.

Hoc enim sentite. pro, *ſentiat* in vobis, Terta perſona refertur ad relatiuum *quiſque*: hoc enim ſentiat quiſque in vobis. Rationem vtriuſque monitionis (ſcilicet humilitatis & dilectionis) reddit ab exemplo Ieſu Chriſti, Qvod et in Christo Iesv. ſupple *fuit*. Verſ. 5.

Qvi cùm in forma Dei esset. Nota *eſſet*: quoniam eſſe in forma Dei, eſt eſſe Deum: forma ſiquidem Dei non diſtinguitur à Deo: imò omnino idem eſt quod Deus, cùm Deus ſit actus purus. De Ieſu Chriſto loquitur qui eſt verus Deus & homo: & de eo clarè dicit: *cùm in forma Dei eſſet*, ſignificans naturam eius diuinam antequam haberet humanam. Non rapinam arbitratvs est esse se æqvalem Deo. Æqualitatem Ieſu Chriſti ad Deum antequam aſſumeret naturam humanam, explicat non eſſe rapinam. In quo manifeſtè confirmatur Chriſtiana fides de diuinitate Chriſti, de æqualitate Chriſti ad Deum. Si enim non fuiſſet verus Deus, rapina proculdubio fuiſſet æqualitas eius ad Deum. Arrianus ergo error manifeſtè hic confutatur. Aſſertio autem talis arbitrij affertur in propoſito à Paulo, ad oſtendendum cauſam exinanitionis ipſius filij Dei: intendit enim quòd non propterea fecit ſe minorem Verſ. 6.

Forma Dei eſt ipſe Deus

minorem Deo, eo quòd arbitraretur rapinam æqualitatem ſui ad Deum: ſed cùm ſciret quòd abſque rapina eſſet æqualis Deo, fecit ſe nihil minorem Deo. Hoc enim ſubiungit,

Verſ. 7. SED SEMETIPSVM EXINANIVIT FORMAM SERVI ACCIPIENS. Euacuauit ſemetipſum puritate æqualitatis ad Deum accipiendo formam ſerui, cum eſſet æqualis Deo ſimpliciter & abſolute: euacuauit ſe huiuſmodi puritate, faciendo ſe minorem accipiendo naturam ſerui. Vnde modò Chriſtus eſt æqualis, & minor Deo, qui prius erat ſimpliciter æqualis. Et hoc eſt quod non conſiderauit quæ ſua ſunt, ſed noſtra. Hoc eſt exemplum ſummæ humilitatis rariſſimos habens imitatores. Conſideramus enim quæ dignitatis & authoritatis noſtræ ſunt, & tuemur illa: nec vlla ratione deſtimur, vt ea quæ minuunt authoritatem noſtram nobis inferamus. Nuſquam inuenitur Epiſcopus, qui Epiſcopus cùm ſit, minuat ſibi nomen: & ſimiliter de quolibet alio Principe, imò de quolibet alio homine in ſuo gradu diſcurre.

Chriſtus exinanivit ſe.

Chriſtus eſt iam æqualis & minor Deo, qui prius ſimpliciter erat æqualis.

IN SIMILITVDINEM HOMINVM FACTVS. Dixerat in genere *formam ſerui accipiens*, ad explicandum quòd de æquali ad Deum non ſolùm fecit ſe minorem, ſed ſeruum: modò in ſpecie explicat cuius ſerui formam accepit, explicando *hominum*, ad differentiam Angelorum, & dicit *in ſimilitudinem hominum*: quam attendi ſecundùm qualitatem ſubſtantialem ipſa coniunctio dictionum (dicendo *in ſimilitudinem hominum*) explicat. Et dicit *factus*: quia verè eſt factus in ſimilitudinem hominum, non ex humano ſemine, ſed diuinâ efficientia. ET HABITV, pro *& figura*, INVENTVS VT HOMO. Similitudinem retulit ad animam, figuram verò ad corpus. Explicat ſiquidem vtrumque: & quod eſt factus in animam ſimilem animabus aliorum hominum, & quod eſt inuentus in corpore vt homo: figura ſiquidem propriè eſt rei quantæ quantitate molis. Et quod dicit *inuentus*, experientiam ſignificat corporalium actionum & paſſionum: comedendi, bibendi, laborandi, patiendi, & huiuſmodi. Dicit autem *vt homo*, expreſſiuè: ad exprimendum corpus ſimile corporibus reliquorum hominum.

Figura propriè eſt rei quantæ quantitate molis.

Verſ. 8. HVMILIAVIT SEMETIPSVM. In hoc quòd Deus factus eſt homo, Deus Filius Patrem non ſolùm exiſtimauit, ſed fecit maiorem ſe, faciendo ſe minorem. In hoc autem quod factus homo humiliauit ſemetipſum (ſub lege, ſub parentibus, ſub præſide Pilato) propter mortis humilitatis, & dilectionis noſtræ ſunt. FACTVS OBEDIENS VSQVE AD MORTEM. Obedientia primò reſpicit Deum: à quo mandatum acceperat, quatenus homo, vt exequeretur myſterium redemptionis humanæ, prædicando, miracula faciendo, & tandem moriendo. Reſpicit nihilominus obedientia parentes, quibus erat ſubditus in pueritia. Reſpicit Pilatum, cui ſe ſubiecit, & ab eo excepit ſententiam mortis tanquam à ſuperiore. MORTEM AVTEM CRVCIS. Exaggerat obedientiam ex ignominioſa morte.

Obedientia Chriſti vſque ad mortem.

Verſ. 9. PROPTER QVOD, ET DEVS EXALTAVIT ILLVM. Dictio interpretata *exaltauit*, plus ſignificat, nam ſignificat *vehementer exaltauit*: reſurrectione ad immortalem vitam, & exaltatione ſupra cœlos ad regnandum in dextera patris, vniuerſalique potentiâ ſuper totum vniuerſum. Hæc enim meruit Chriſtus homo propter huiuſmodi obedientiam. ET DONAVIT ILLI NOMEN. Non ſolùm exaltauit illum in ſeipſo, ſed quoad gloriam donauit illi nomen. QVOD EST SVPER OMNE NOMEN. Propriè ac formaliter loquitur nec opus eſt excipere Deum: quoniam Deus ſecundum ſe caret nomine: vtpote innominabilis. Et propterea nomen Chriſto datum, ſimpliciter & abſolute eſt ſuper omne nomen, quia eſt ſuper omne nominabile.

Deus ſecundum ſe non habet nomen.

VT IN NOMINE IESV. vt intelligas quòd de Verſ. 10.
Chriſto quatenus eſt homo loquitur, nomen proprium eius quatenus homo explicat, dicendo *Ieſu*. Hoc enim nomen impoſitum ei fuit cum circunciſus eſt. OMNE GENV FLECTATVR, pro, *flectat*. CŒLESTIVM. Deficit *&*, TERRESTRIVM ET INFERNORVM, pro, *ſubterraneorum*. Ordo literæ eſt: omne cœleſtium & terreſtrium & ſubterraneorum flectat genu: hoc eſt, adoret. Vbi aduerte ex verbo ſubterraneorum ſolui quæſtionem de loco inferni. Ex eo enim quòd ſubterranea deſcribuntur flectere genu, rationabiles creaturæ ſubterraneæ deſcribuntur: nam ſolius rationalis creaturæ eſt flectere genu in nomine Ieſu.

Solius rationalis creaturæ eſt flectere genu in nomine Ieſu.

ET OMNIS LINGVA CONFITEATVR, QVIA, Verſ. 11.
pro, *quòd*. DOMINVS IESVS CHRISTVS IN GLORIA, pro, *in gloriam*, EST DEI PATRIS. Superfluit *eſt*: abſque verbo loquitur Paulus: & dominium Ieſu Chriſti confitendum ab omni lingua procul dubio ſignificat. Eſt enim punctum faciendum poſt *Dominus*. Omnis enim lingua confitebitur quòd Ieſus Chriſtus eſt Dominus, non horum vel illorum, non cœli aut terræ, ſed ſimpliciter & abſolutè: Dominus autem non ad æmulationem aut denigrationem Dei patris, ſed ad gloriam Dei patris. Hæc autem adimplenda ſunt in futuro ſeculo.

ITAQVE CHARISSIMI, pro, *dilecti*, MEI. Poſt Verſ. 12.
exemplum humilitatis & obedientiæ Chriſti, proſequitur monitionem inchoatam. Et quia iam ad humilitatem monuerat, modò ad obedientiam proſequendo hortatur. SICVT SEMPER OBEDISTIS. Et ab amore proprio (dicendo *dilecti mei*) & à præterita obedientia ipſorum, eos allicit. NON VT IN PRÆSENTIA MEA TANTVM, SED MVLTO MAGIS NVNC IN ABSENTIA MEA. Humilitatem & obedientiam in abſentia maiorem exigit quàm olim in præſentia: vtpote vt non habeant rationem præſentiæ, ſed incrementi meritorum. CVM METV ET TREMORE VESTRAM SALVTEM OPERAMINI. Metus internus, tremor externus eſt. Nec dicit *obedite*, ſed *operamini veſtram ſalutem*; vt proprium ipſorum bonum ingerat, & non partitionem ipſi Paulo. Ratio autem metus & tremoris ſubiungitur:

Ad obedientiam hortatur Philippenſes.

DEVS EST ENIM QVI OPERATVR IN VOBIS ET Verſ. 13.
VELLE ET PERFICERE, pro, *operari*, PRO BONA VOLVNTATE. Ideo vobis neceſſarius eſt, tam metus quàm tremor cum operamini quæ ſunt propriæ ſalutis ſpiritualis: quia nec velle nec operari in veſtris conſiſtit viribus: ſed Deus eſt qui gratuita voluntate ſua bona erga vos, operatur in vobis tam velle intus quàm operari extra. Propterea quidem timendum ac tremendum eſt ne ſubtrahat Deus operationem ſuam qua in vobis hæc operatur.

OMNIA AVTEM FACITE. Poſtquam proſecutus Verſ. 14.
eſt

eſt monitionem humilitatis, proſequitur modò monitionem illam, *nihil per contentionem aut inanem gloriam.* Et quoad contentionem dicit, SINE MVRMVRATIONIBVS ET HÆSITATIONIBVS. pro, *diſceptationibus.* Contentionum ſiquidem hæ duæ partes ſunt. Vacant enim contentioſi diſceptationibus & murmurant ſubdetrahendo.

Contentioſi diſceptationibus & murmurationibus vacant.

Verſ. 15. VT SITIS SINE QVERELA. hoc eſt, vt ſitis tales quòd nullus de vobis conqueri poſſit, vt non detis occaſionem aliis vt conquerantur de vobis. ET SIMPLICES. pro, *& ſynceri*, FILII DEI. hoc eſt, filij Dei puri conuerſantes cum puritate cordis. Puros enim decet eſſe Dei filios adoptiuos: vtpote ſimiles patri qui eſt puriſſimus. SINE REPREHENSIONE. pro, *irreprehenſibiles.* Conſidera prudens lector hæc tria, & confer cum contentione: & perſpicies quam aptè Paulus hæc colligat, vt ſint quoad veritatem puri, quoad mores irreprehenſibiles, quoad proximos ne dent occaſionem querelæ, Horũ enim oppoſita familiaria ſunt contentioſis, diſceptantibus & murmurantibus. IN MEDIO NATIONIS PRAVÆ ET PERVERSÆ. pro, *diſtorta.* Tanto magis ſtudendum eſt vobis vt tales vos exhibeatis, quanto eſtis in medio nationis tum prauæ tum diſtortæ, omnia veſtra facilè interpretantis tortuoſè aut prauè.

INTER QVOS LVCETIS SICVT LVMINARIA IN MVNDO. Propter illam particulam *aut per inanem gloriam*, explicat eorum gloriam veram in medio Gentilium ad ſimilitudinem Solis & Lunæ in mundo: vt ex ipſa ſimilitudine longè alienos (in excelſo tamen) à Gentilibus deſcriberet, quemadmodum luminaria mundi aliena ſunt ab immunditiis mundi.

Verſ. 16. VERBVM VITÆ CONTINENTES. Vnde lucent explicat: ex eo ſcilicet quòd retinent verbum vitæ in ſeipſis, in ſuis moribus & actionibus: AD GLORIAM MEAM. pro, *ad gloriationem mihi*, IN DIEM CHRISTI. Calcaria addit Philippenſibus vt retineant verbum vitæ vt luceant inter Gentiles, ſicut luminaria in mundo, Calcaria, inquam, ex proprio ipſius Pauli bono: ſignificando quòd veſtrum lucere non ſolum eſt veſtrum bonum ſed erit mihi ad gloriationem in diem Chriſti, quo Chriſtus iudicabit & examinabit merita. Et explicando rationem gloriationis propriæ, ſubiungit, QVIA, pro, *quod* NON IN VACVVM CVCVRRI. curſu prædicationis. NEQVE IN VACVVM LABORAVI. Labores aſſumendo in Euangelio: ratio meæ gloriationis erit fructus in vobis. Quemadmodum agricola gloriatur in fructibus, & in vacuum ſe laboraſſe diceret, ſi non ſequutus fuiſſet fructus, ita Paulus dicit Philippenſibus quòd vos lucentes eritis mihi materia gloriationis, non mundanæ, ſed in diem Chriſti.

Verſ. 17. SED ET SI ÆMVLOR, pro, *immolor*, SVPRA SACRIFICIVM ET OBSEQVIVM. pro, *ſuper oblatione & ſacrificio*, FIDEI VESTRÆ, GAVDEO, ET CONGRATVLOR. pro, *congaudeo*, OMNIBVS VOBIS. Duo inducit ſacrificia: alterum immolationis ſuimet, alterum oblationis fidei Philippenſium: & illud ſuper hoc intendens quòd in hoc quòd Philippenſes ſacrificant & offerunt fidem ſuam Deo, immolatur quoque ipſe Paulus. Et verè ſic erat: quoniam fides Philippenſium ex Pauli prædicatione erat: ac per hoc in hoc quòd merita, opera, afflictionéſque Philippenſium per modum ſacrificij offerebantur Deo, offerebatur ſimul Deo prædicatio Paulina, tanquam ſuper illorum ſacrificium poſita, quemadmodum doctrina præceptoris ſuper diſcipulorum ſcientia poſita relucet.

Duo ſacrificia: alterum immolationis ſuimet, alterũ oblationis fidei Philippenſium inducit.

Cùm dixiſſet itaque gloriationem ſuam futuram de hoc quòd non in vacuum cucurrit ac laborauit, ſubiungit cum triplici coniunctione: *ſed & ſi*, & prima quidem aduerſatiuè refertur ad *non in vacuum*, ſed ad hæc duo ſacrificia. Secunda accumulatiuè iungit ſacrificium propriæ immolationis ſacrificio fidei veſtræ: Tertia conditionalis ad perſeuerantiam Philippenſium ſpectat induendo & retinendo verbum vitæ quod ab ipſo Paulo acceperant: non enim aliter iungeretur ſacrificium ſacrificio, vt patet. Dicit itaque non ſolum gloriabor de meritis veſtris, eo quòd non fruſtrà laboraui, ſed ſi in hoc perſeueraueritis, etiam immolor ego meritis prædicationis meæ ſuperpoſitæ oblationi non qualicunque, ſed per modum ſacrificij fidei veſtræ, & in ſeipſa, & in operibus, & in afflictionibus pro Chriſto: & rebus ſic ſe habentibus, gaudeo mihi & congaudeo omnibus vobis. Materia ſiquidem communis mihi & vobis eſt gaudij.

IDIPSVM. pro, *id idem*, AVTEM ET VOS GAVDETE ET CONGRATVLAMINI pro, *congaudete*, MIHI. Mutuum debet eſſe gaudere & congaudere: eo quòd communis eſt materia, commune eſt ſacrificium. Verſ. 18.

SPERO AVTEM IN DOMINO IESV TIMOTHEVM ME CITÒ MITTERE AD VOS. Dixerat, *non quæ ſua ſunt quiſque conſiderantes, ſed quæ aliorum*, vt doctrinam diſcant ab exemplo, incipit exequi opus doctrinæ huius, conſiderando quæ Philippenſium ſunt: ac poſtponendo propria commoda, priuando ſe Timotheo propter eos. VT ET EGO BONO ANIMO SIM, COGNITIS QVÆ CIRCA VOS SVNT. Anxietatem proprij animi de iis quæ apud Philippenſes erant, adiungit pro altera cauſa mittendi Timotheum: vt vndique cognoſcant magnitudinem affectus eius erga ipſos. Verſ. 19.

NEMINEM ENIM HABEO TAM VNANIMEM. Superfluit *tam*, QVI SINCERA AFFECTIONE PRO VOBIS SOLICITVS SIT. Non inuenio interpretes concordes circa aduerbium interpretatum *ſincera affectione*: alij enim interpretantur *ſincerè*, alij *ingenuè* ſeu *peculiariter*, alij *verè* ſeu *germanè*, Verſ. 20.

Timothei ſolicitudo & amor in Philippenſes commendatur.

Quod autem dicitur, *pro vobis ſolicitus ſit* communiter interpretatur *veſtra curabit*. Non dicit Paulus, neminem enim habeo vnanimem niſi Timotheum: ſed dicit, neminem enim habeo vnanimem qui ingenuè ſeu verè, &c. veſtra curabit. Cũ hac enim veritate ſtat quòd multos alios haberet vnanimes, ſed non in hoc officio curandi Philippenſia peculiariter niſi Timotheum.

OMNES ENIM QVÆ SVA SVNT QVÆRVNT NON QVÆ SVNT IESV CHRISTI. Superfluit vtrobique dictio *ſunt*, liberam reliquit Paulus facultatem exponendi *ſunt* vel *ſint*. Per hæc verba, penuria apud Paulum perfectorum diſcipulorum inſinuatur: nam particula hæc, vt ratio præcedentis affertur: vt teſtatur coniunctio *enim*, dicendo *omnes enim*. Nec dicit *amant* ſed *quærunt*: ne intelligas ſignificari amorem præferentem propria iis quæ Ieſu Chriſti Verſ. 21.

Penuria perfectorum diſcipulorum apud Paulum inſinuatur.

(huiuſmodi

(huiuſmodi enim amor eſſet peccatum mortale) ſed amorem quærentem propria commoda, & non quærentem incrementa Ieſu Chriſti. Huiuſmodi ſiquidem ſtudium eſt ſtudium imperfectorum: qui non ſtudent ad quærendum augmenta meritorum in aliis, ſed ſat eſt eis manere in propriis.

Verſ. 22. EXPERIMENTVM AVTEM EIVS, ſcilicet Timothei. COGNOSCITE, ſeu *cognoſceris*: QVIA SICVT PATRI, pro *cum patre*, FILIVS MECVM SERVIVIT IN EVANGELIO. Commendat Timotheum ab experto ſeruitio non in re quacumque, ſed in Euangelio, & hoc ſecum: nec qualitercumque ſecum, ſed tanquam filius cum patre: vt ex tot conditionibus cognoſcant magnitudinem beneficij mittendo Timotheum.

Verſ. 23. HVNC IGITVR SPERO ME MITTERE AD VOS, MOX VT VIDERO QVÆ CIRCA ME SVNT. Superfluit *ſunt*. Dixerat ſe citò miſſurum Timotheũ, explicat modò illud *citò*: fore confeſtim vt viderit terminum eorum quæ circa ipſum geruntur. hoc eſt, terminum perſecutionis motæ à Iudæis aduersùs eum, propter quam adhuc detinebatur vinctus.

Verſ. 24. CONFIDO AVTEM IN DOMINO QVONIAM, pro *quòd*, ET IPSE VENIAM AD VOS CITÒ. Superfluit *ad vos*: quamuis ſubintelligatur. Libertatem a vinculis confidit futuram eſſe citò: vt & ipſe ire etiam liber poſſit ad Philippenſes, ad declarandum ſiquidem ſperatum celerem exitum libertatis, ſubiunxit hæc verba: nam ſuperiùs dixerat ſe ad illos iturum.

Se citò liberũ à vinculis fore ſperat Apoſtolus.

Verſ. 25. NECESSARIVM AVTEM EXISTIMAVI: interim quòd Timotheus venire poſſit. EPAPHRODITVM FRATREM: hoc eſt Chriſtianum, ET COOPERATOREM in Euangelio, ET COMMILITONEM MEVM, aduerſus hoſtes Euangelij. VESTRVM AVTEM APOSTOLVM, hoc eſt, veſtrum ad me nuntium, à vobis ad me miſſum. ET MINISTRVM NECESSITATIS MEÆ: hoc eſt, miniſtrum ad ſubueniendum indigentiæ meæ. Miniſtrauerat ſiquidem iſte nomine Philippenſium neceſſaria Paulo. MITTERE AD VOS. Et rationem ſubdit.

Apoſtolus hic eſt nuntius.

Verſ. 26. QVANDOQVIDEM OMNES VOS DESIDERABAT. ſubaudi viſere. ET MŒSTVS ERAT. Ecce altera ratio. PROPTEREA QVOD AVDIERATIS ILLVM INFIRMATVM. Ægrè ferebat iſte quòd Philippenſes mœſti anxiique eſſent de ipſius ægritudine. Vnde tam deſiderium quàm mœſtitia amoris erat erga illos.

Verſ. 27. NAM ET INFIRMATVS EST VSQVE AD MORTEM. pro, *prope mortem*: SED DEVS MISERTVS EST EIVS. donando ei ſanitatem. NON SOLVM AVTEM EIVS, VERVMETIAM ET MEI, NE TRISTITIAM SVPER TRISTITIAM HABEREM. Sententia clara eſt.

Verſ. 28. FESTINANTIVS. pro, *diligentius*, ERGO MISI ILLVM, VT VISO EO, ITERVM GAVDEATIS. præſentia illius. ET EGO SINE TRISTITIA. pro, *minus triſtis*, SIM. qui modò triſtor intelligens vos mœſtos & anxios eſſe.

Verſ. 29. EXCIPITE ITAQVE ILLVM CVM OMNI GAVDIO IN DOMINO. non cum gaudio ſeculari. ET EIVSMODI CVM HONORE HABETOTE. Non ſolum ipſum Epaphroditum, ſed omnes ei ſimiles habetote in honore. Penes quid autem attendatur eiuſdem modi, ſubiungit declarando perfectionem illius.

Verſ. 30. QVONIAM PROPTER OPVS CHRISTI, VSQVE AD MORTEM ACCESSIT. pro, *appropinquauit*. Cauſam explicat ægritudinis prope mortem, fuiſſe opus Chriſti: hoc eſt, inſiſtere miniſterio neceſſario mihi agenti ea quę Chriſti ſunt, hoc enim appellat Paulus opus Chriſti. Et ne putaretur quòd præter intentionem incurrerit ægritudinem, ſubiungit, TRADENS ANIMAM SVAM. Superfluit *ſuam*. Et dictio interpretata *tradens*, plus ſignificat, nam ſignificat ſponte tradens animam, hoc eſt, ſponte ponens vitam. VT IMPLERET ID QVOD EX VOBIS DEERAT ERGA MEVM OBSEQVIVM. Videbat Epaphroditus periculum ſuæ ægritudinis: ſed vt suppleret vices Philippenſium erga obſequium Pauli, ſponte expoſuit ſe periculo vitæ propter opus Chriſti, tum quod exercebat Paulus, tum quòd ipſum officium miniſtrandi eſt opus Chriſti. Tales ergo iubet Paulus honorari.

CAPVT III.

Verſ. 1. DE CÆTERO, pro *quod ſupereſt*, FRATRES MEI GAVDETE IN DOMINO. Tractaturus illam particulam in principio propoſitam *ſuper communicatione veſtra in Euangelio a prima die vſque nunc*, incipit à gaudio. Quandoquidem materia gaudij eſt perſeuerantia in Euangelio à prima die vſque nunc. Et intendit huiuſmodi communicationem tractare iteratâ monitione vt caueant à pſeudoapoſtolis ſtudentibus Euangelio inſerere neceſſitatem legalium, & præcipuè circumciſionis. EADEM VOBIS SCRIBERE, quæ ore tenus docui. MIHI QVIDEM NON PIGRVM, VOBIS AVTEM NECESSARIVM, pro *ſecurum* ſubaudi *eſt*. Perſeuerabant ſiquidem Philippenſes in puritate Euangelij. Et proptereа non ad reſurgendum à caſu, ſed ad tutelam ſtatus in quo erant, monentur de legalibus.

Verſ. 2. VIDETE CANES. Pſeudoapoſtolos nominat canes, eo quod ad ſimilitudinem canum latrabant aduerſus Paulum. VIDETE MALOS OPERARIOS. Eos, quos quoad verba deſcripſit *canes*, quoad facta deſcribit *malos operarios*. *Operarios* quidem, quoniam officium operariorum exercebant prædicando: *Malos* autem, quoniam malis moribus, malis operibus officium illud exercebant. VIDETE CONCISIONEM. Circumciſionem appellat conciſionem, quia vana erat, & nihil aliud quam carnis conciſio: ac per hoc non merebatur dici circumciſio non vanè data Abrahæ. Et ab hoc vltimo incipiens proſequi hæc tria propoſita, ſubiungit,

Pſeudoapoſtoli vocat canes.

Circumciſio dicitur conciſio.

Verſ. 3. NOS ENIM SVMVS CIRCVMCISIO. Cauete à conciſione carnali, quia nos Chriſtiani ſumus circumciſio vera. QVI SPIRITV SERVIMVS DEO, pro, *qui ſpiritu Dei ſeruimus*. Nos qui ſpiritu Dei ſeruimus, ſumus circumciſio, id eſt, ſemen Abrahæ, cui circumciſio promiſſa eſt hæreditatis. Ex eo enim quod ſpiritu Dei agitur ſeruitium noſtrum, docet Paulus quòd nos ſumus ille populus circumciſionis, cui tot promiſſa ſunt in lege & prophetis. Spiritus ſiquidem non mentitur.

ET GLORIAMVR IN CHRISTO IESV. Non ſolum ſpiritu Dei ſeruimus, ſed & gloriamur in Ieſu Meſſia, redẽptore & patre noui ſeculi. vt ex

vtroque

vtroque (ſcilicet ex ſpiritu Dei, & ex Meſſia) appareat manifeſte quod nos Chriſtiani ſumus circumciſio. ET NON IN CARNE FIDVCIAM HABENTES. E regione ſpiritus Dei, & Ieſu Chriſti: locat fiduciam in carne: hoc eſt, in carnali circumciſione.

Verſ. 4. QVANQVAM ET EGO HABEAM CONFIDENTIAM. Deficit *&*, IN CARNE. Per locum a ſeipſo, cautiores reddit Philippenſes circa legalia. Manifeſtat ſiquidem quod ipſemet in legalibus natus & conuerſatus, multis fultus prærogatiuis, legalia omnia abiecit propter Chriſtum: vt ab eius exemplo videant Philippenſes qui nunquam fuerunt ſub lege, non eſſe eis ſubeundam ſeruitutem legis. Dicit ergo quod nos Chriſtiani non habemus confidentiam in carnali circumciſione, quanquam ego perſonaliter habeam etiam in carne mea confidentiam: hoc eſt, confidentiæ materiam, circumciſionem ſcilicet.

Legalia omnia, etſi in iis natus, propter Chriſtū abiecit D. Paulus.

SI QVIS ALIVS VIDETVR CONFIDERE IN CARNE, hoc eſt, in carnali circumciſione, de pſeudoapoſtolis loquitur. EGO MAGIS. Supple confidere poſſum in carnali circumciſione. Et rationem quare *ego magis*, ſubiungit,

Verſ. 5. CIRCVMCISVS OCTAVO DIE, pro *circumciſio octaui diei*. Circumciſionem in abſtracto dicit ſe, ad ſignificandum omni ex parte ſub circumciſione fuiſſe. Et propterea explicat *octaui diei*, quæ fuit primaria inſtitutio circumciſionis infantum, ſecundùm quam circumciſus eſt Iſaac octauo die.

Qualitates D. Pauli.

EX GENERE ISRAEL. Nominatiui caſus eſt *Iſraël*. Quemadmodum dixit ſe circumciſionem, ita modò dicit Iſraël ex genere, non ex admiſtione: quemadmodum proſelyti erant Iſraëlitæ.

DE TRIBV BENIAMIN, in qua erat Hieruſalem ciuitas regia & diuini cultus.

HEBRÆVS EX HEBRÆIS, non ex Samaritis, non ex admiſtis parentibus, ſed ex parentibus Hebræis, vnde Abraham originem duxit.

SECVNDVM LEGEM PHARISÆVS. Hoc eſt, ſecundùm ſectam Phariſæus, de quorum ſecta in Euangeliis diximus. Erat enim ſecta politica, præcipua inter Iudæos. Dico autem Politica ad differentiam ſectæ Eſſæorum: quoniam illa non erat Politica: vtpote ſine coniugio more monachorum.

Verſ. 6. SECVNDVM ÆMVLATIONEM, paternam traditionum. PERSEQVENS ECCLESIAM DEI, vt patet Actuum 8. & 9. SECVNDVM IVSTITIAM QVÆ IN LEGE EST CONVERSATVS, pro *factus*, SINE QVERELA. Intellige ſine querela paſſiue: hoc eſt, factus vt nullus conquereretur de me. Vbi bene nota quòd non dicit ſecundùm iuſtitiam quæ in lege eſt factus ſine peccato (quoniam ipſemet ad Epheſios ſecundo dixit, *in quibus delictis & peccatis, & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ facientes voluntates carnis & cogitationum*) ſed dicit *ſine querela*: ad ſignificandum quòd licet peccauerit, non tamen peccauit *ſic*, quòd alij quærerentur de ipſo ſecundùm legalem iuſtitiam.

Verſ. 7. SED QVÆ MIHI FVERVNT LVCRA, in ſtatu legali HÆC ARBITRATVS SVM PROPTER CHRISTVM DETRIMENTA pro *detrimentum*. Seruare ſiquidem legalia fuerat olim Paulo lucrum, quæ poſtmodum reputauit propter Chriſtum eſſe damnum: vtpote impedientia libertatem Euangelicam.

VERVNTAMEN ET EXISTIMO OMNIA, non ſolùm exiſtimaui, ſed & in præſenti exiſtimo omnia legalia. DETRIMENTVM ESSE PROPTER EMINENTEM SCIENTIAM, pro *eminentiam cognitionis*, IESV CHRISTI DOMINI MEI. Tanta eſt eminentia cognitionis quâ cognoſcitur Ieſus Chriſtus Dominus meus, vt propter illam ſeruandam & propagandam omnia legalia exiſtimem eſſe damnum: vtpote nocentia puræ notitiæ Ieſu Chriſti. PROPTER QVEM OMNIA DETRIMENTVM FECI. Dixerat *arbitratus ſum omnia detrimentum*: modò quòd plus eſt dicit, *omnia feci detrimentum*: quanto plus eſt feciſſe quàm reputaſſe. ET ARBITROR VT STERCORA. Deficit, *eſſe*. Et ſuperfluit *vt*. Dixerat exiſtimo omnia detrimentum eſſe, modò vilipendens dicit & arbitror ſtercora eſſe: vt non ſolum damnum, ſed etiam fœtida eſſe explicet. VT CHRISTVM LVCRIFACIAM. Dixit propter quem Chriſtum, & adiungit vt Chriſtum lucrifaciam: ad ſignificandum vtrumque amorem: amicitiæ quidem dicendo *propter quem*: concupiſcentiæ verò dicendo, *vt lucrifaciam*. Verſ. 8.

Omnia detrimentum facit, & arbitratur vt ſtercora propter Chriſtū Paulus.

VT INVENIAR IN ILLO. Superfluit *vt*. Non ſolum vt Chriſtum mihi lucrer, ſed *vt & ego inueniar in Chriſto*, ſic videlicet: NON HABENS MEAM IVSTITIAM QVÆ EX LEGE EST. Ordo literæ eſt, non habens meam quæ ex lege eſt iuſtitiam. Deſcribitur ſiquidem iuſtitia ex propriis viribus hominis, tum per pronomen *meam*: quo ſignificatur propria homini ex propriis viribus: tum ex præcepto legis ſcriptæ: ad ſignificandum iuſtitiam legis non excedere humanas vires. SED ILLAM QVÆ EX FIDE EST CHRISTI IESV, QVÆ EX DEO EST IVSTITIA, pro *iuſtitiam*, IN FIDE. E regione iuſtitiæ propriæ, & legis, aduerſatiuè locat iuſtitiam quæ eſt ex fide Chriſti Ieſu, quæ eſt ex Deo in fide. Iuſtitia legis ac propria, obſeruatio eſt mandatorum legis: iuſtitia autem fidei remiſſio eſt peccatorum. Et hæc dicitur ex fide Chriſti Ieſu crediti: & dicitur ex Deo in fide, ad differentiam iuſtitiæ legalis, quæ eſt quidem ex Deo, ſed in opere. Hæc enim iuſtitia quæ imputata eſt Abrahæ a Deo in fide ipſius. Vbi apparet quòd iuſtitia hæc non eſt iuſtitia mea, ſed fidei: nec eſt ex lege, ſed eſt ex Chriſto Ieſu credito. Verſ. 9.

Iuſtitia legis. Iuſtitia fidei,

AD COGNOSCENDVM ILLVM. Inueniar, inquam, iuſtus ex fide ad cognoſcendum illum, Ieſum Chriſtum. Cognoſcere ſiquidem illum eſt cognoſcere diuinitatem & humanitatem eius, & reliqua ſpectantia ad vtramque naturam. ET VIRTVTEM, pro *potentiam*, RESVRRECTIONIS EIVS. Non ſolum ad cognoſcendum illum ſecundùm ſe, ſed etiam ad cognoſcendum potentiam reſurrectionis eius, ad reſuſcitandum omnes ſecundùm corpus, & ad viuificandum animas, imò ad inſtaurandum omnia cœleſtia & terreſtria. ET SOCIETATEM, pro *communionem*, PASSIONVM ILLIVS. Ad cognoſcendum tertiò communicationem afflictorum Chriſti quantæ ſit gratiæ, quanti ſit meriti. Modus autem cognoſcendi, ex hoc vltimo ſubiungitur, CONFIGVRATVS MORTI EIVS. Hucuſque pendet verbum. Verſ. 10.

vt inueniar in illo non habens, & cæt. *configuratus morti eius.* Ac ſi apertiùs dixiſſet, ad cognoſcendum communionem paſſionum illius, non cognitione ſpeculatiuâ, ſed experientiâ, ſed imitatione mortis illius. Affligi ſiquidem pro Chriſto, eſt configurari, ſeu conformari morti Chriſti.

Occurrere, ſeu pertingere ad reſurrectionē mortuorū, quid.

Verſ. 11. SI QVO MODO OCCVRRAM, pro *pertingam,* AD RESVRRECTIONEM, QVÆ EST EX MORTVIS, pro *ad reſurrectionem mortuorum.* Pertingere ad reſurrectionem mortuorum non eſt reſuſcitari commune omnibus, nec eſt reſuſcitari glorioſum quod erit commune omnibus mortuis electis: ſed eſt etiam ex propriis meritis reſuſcitari glorioſum, quod & excludit pœnas medias inter mortem & reſurrectionem, & ponit in homine meritum, non ſolum gloriæ animæ, ſed etiam gloriæ corporis. Et quia hoc eſt valde arduum, ideo dicit, *ſi quo modo pertingam.* Paucorum ſiquidem eſt hoc pertingere. Et inſinuat per hoc quòd ipſa configuratio morti Chriſti eſt via ad huiuſmodi pertactionem. Et quoniam huiuſmodi pertingere valde perfectorum eſt, ne Philippenſes intelligerent per hoc Paulum ſe profiteri perfectum, ſubiungit,

Verſ. 12. NON QVÒD IAM ACCEPERIM. De beatitudine corporis dixerat, *ſi quo modo pertingam ad reſurrectionem mortuorum*: de beatitudine autem animæ dicit, *non quòd iam acceperim.* Quod videtur intelligendum non de ipſa beatitudine in ſeipſa, ſed in termino meriti: & eſt ſenſus, non quòd iam acceperim terminum meriti beatitudinis animæ. Et directè reſpondet ſtudio merendi gloriam corporis: non ideò intelligatis me ſtudere ſi quo modo pertingam ad reſurrectionem, quoniam iam acceperim terminum merendi beatitudinem animæ, non hinc prouenit ſtudium illud.

Perfectus eſt ad cuius integritatē nihil deeſt.

AVT PERFECTVS SIM. Perfectum eſt, cui nihil deeſt de requiſitis ad eius integritatem. Studeo pertingere ad reſurrectionem mortuorum, non quòd acceperim terminum meriti beatitudinis animæ, nec quòd habeam iam omnia requiſita ad perfectionem meæ animæ: hæc enim duo excludit: quia ex his duobus exiſtimari poterat prouenire ſtudium Pauli ad merendum gloriam corporis.

Et hinc incipit Paulus inſerere tractatum illius particulæ in principio Epiſtolæ propoſitæ, *ſuaſum habens quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu*: ab hinc enim orditur tractatum de modo proficiendi meritis in via Chriſti.

SEQVOR AVTEM. E regione ad vtrumque dicit *ſequor autem*: ſignificans ſe viam proſequi perfectionis, & ad terminum ire. SI QVO MODO COMPREHENDAM. Quemadmodum dixerat de gloria corporis, *ſi quo modo pertingam ad reſurrectionem,* &c. ita modò dicit de gloria animæ, *ſi quo modo comprehendam*: difficultatem & arduitatem perueniendi ad animæ gloriam ſignificans. Et eſt ſermo de comprehenſione non vt opponitur aſſequutioni, ſed vt opponitur inſequutioni, quod nihil aliud eſt quàm pertingere ad terminum viæ perfectionis.

Vtitur autem comprehenſionis nomine alludendo ad *ſequor.* Inſequimur enim aliquem vt apprehendamus illum. Et Paulus ſequitur perfectionis viam, vt apprehendat illius terminum. Et dicit *comprehendam,* abſtrahendo ab vtroque ſtatu, tum viæ, tum patriæ: hoc eſt, non explicando comprehenſionem (id eſt, terminum vitæ perfectionis) an in via huius vitæ, an in patria primum ſit.

Quomodo cõprehendat Paulus ſicut comprehenſus eſt à Chriſto.

IN QVO ET COMPREHENSVS SVM A CHRISTO IESV: hoc eſt, quâ ratione ego à Chriſto Ieſu ſum comprehenſus: hoc eſt, vt comprehendam ſecundum animam, ſecundùm quam ego comprehenſus ſum à Chriſto; vt comprehendam per gratiam, per quam & ego comprehenſus ſum à Chriſto; vt comprehendam feliciter prout feliciter comprehenſus ſum à Chriſto; & demum vt viciſſitudinem reddam comprehendendo, quoniam ad hoc comprehenſus ſum à Chriſto. Ac ſi apertiùs dixiſſet, vt eâdem ratione comprehendam proculdubio Deum vt terminum viæ perfectionis, quâ & ego comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fuit enim velut comprehenſus à Chriſto, cùm conuerſus fuit in anima per gratiam feliciter, ad hoc vt ipſe Paulus ſequendo perfectionis viam comprehenderet Deum terminum perfectionis.

FRATRES EGO ME NON ARBITROR. Legendum eſt, *Et nondum me arbitror* COMPREHENDISSE. Quia hactenus non explicauerat an terminus perfectionis eſſet comprehendendus in ſtatu viæ, vel reſeruaretur comprehendendus in patria, ſed tantùm ſe ſequi vt illum comprehendat, declarat modò quòd non ſolùm hactenus non comprehendit illum, ſed nec comprehenſurus eſt durante hac vita: ſed comprehenſio reſeruatur vbi eſt præmium ſupernæ vocationis. Minus dicit, & ad plus tendit dicendo, *Ego nondum me arbitror comprehendiſſe*: quoniam intendit non ſolum *nondum,* ſed nec durante *dum* præſentis vitæ, quod explicat in ſubiunctis verbis. Et eſt ſermo, vt dictum eſt, de comprehenſione, hoc eſt, aſſequutione termini viæ perfectionis. Ego nondum me arbitror comprehendiſſe, hoc eſt, ad terminum perfectionis perueniſſe. Alludit enim ad peruentionem inſequentium: qui tunc arbitrantur ſe comprehendiſſe cùm peruenerunt ad terminum. Verſ. 13.

VNVM AVTEM: Hebræo more ſine verbo ſubſtantiuo loquitur. Et intendit quòd ſumma ſuæ viæ conſiſtit in vno: videlicet, QVÆ QVIDEM RETRÒ SVNT OBLIVISCENS; AD EA VERÒ QVÆ SVNT PRIORA, pro *ante,* EXTENDENS MEIPSVM AD DESTINATVM, pro *ſecundum ſcopum,* PERSEQVOR (ſeu proſequor) AD BRAVIVM SVPERNÆ VOCATIONIS DEI IN CHRISTO IESV. Ad ſimilitudinem tendentium ad certum ſignum, deſcribit ſe ire per viam perfectionis ad terminum, qui eſt præmium patriæ cœleſtis. In qua ſimilitudine more properantis ad certum ſignum, deſcribit primum obliuionem eorum quæ retrò ſunt. Properans ſiquidem ad certum ſignum ad modum obliuiſcentis tranſactæ viæ ſe habet: dum non ponderat quantùm viæ poſt ſe relinquat, ſed quantùm ſupereſt ſibi peragendum. Similiter in via perfectionis præterita merita non penſat continuè proficiens: ſed ſemper quaſi inchoans, conſiderat quod ſupereſt agendum. Et propterea dicit *quæ retro ſunt obliuiſcens*: hoc eſt, ad ſimilitudinem obliuiſcentis non ponderans. Verſ. 14.

Deſcribit ſe tendere ad gloriam ad ſimilitudinē tendentium ad certum ſignum.

Et adiungit ſecundum: *ad ea quæ ſunt antè* (hoc eſt, ad ea quæ ſuperſunt agenda) *extendens meipſum*

meipſum, & conſideratione & affectu & factis, quemadmodum properans corporaliter extendit ſeipſum paſſibus ad ea quæ ante ſunt. Et adiungit tertium dicendo *ſecundum ſcopum proſequor* : hoc eſt ſecundùm determinatum ſignũ iter continuo. Et quis ſit ille ſcopus explicat, dicendo *ad brauium ſupernæ vocationis Dei* : hoc eſt, ad præmium ſupernum ad quod vocat Deus in Chriſto Ieſu. Per Chriſtum enim & in Chriſti imitatione vocat Deus homines ad ſupernum præmium.

Verſ. 15. QVICVNQVE ERGO PERFECTI SVMVS, HOC SENTIAMVS. Inſtruit Philippenſes in ſtatu perfectionis, vt quantumcunq; perfecti ſiue ſentiant hoc (ſcilicet quòd eundum eſt more properantium ſecundùm ſcopũ) obliuiſcẽdo acta, & extendendo ſemper ſe ad agenda. Ex hoc textu clare habes quòd non ſolum incipientes & proficientes, ſed perfecti quicunque in hac vita nunquam perueniunt ad terminum meriti : ſed ſemper poſſunt amplius mereri.

Neque ipſi perfecti vnquam ad terminum meriti in hac vita perueniunt.

ET SI QVID ALITER SAPITIS, pro *ſentitis*. Non dicit *& ſi quid aliud*, ſed *ſi quid aliter*: ſignificans non perfectos. Vnde & in prima perſona dixerat, *quicunque ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus* : in ſecunda verò perſona ſubiungit, *& ſi quid aliter ſentitis*, hoc eſt, & ſi quid aliter quàm perfecti ſentitis. Non perfecti ſiquidem aliter ſentiunt id quod de perfectione ſẽtiunt quàm perfecti: quoniam modus ſentiendi proprius perfectis non communicatur nõ perfectis. Alio ſiquidem modo guſtat perfectus ea quæ perfectionis ſunt, & aliter non perfectus : ſicut aliter experitur quæ vtilitatis ſunt vir, & aliter adoleſcens & aliter puer:

Quæ perfectionis ſunt aliter perfecto, aliter non perfecto ſapiunt.

ET HOC VOBIS DEVS REVELABIT. Ex eo quòd *reuelabit* in futuro dicit, pronomen *hoc*, non demonſtrat illud *quid* quod dictum eſt *& ſi quid* : ſed demonſtrat demonſtratum per idem pronomen cùm dictum eſt *hoc ſentiamus*. Vt ſit ſenſus quòd nos quidem perfecti hoc ſentiamus : vobis autem non perfectis qui aliter ſentitis etiam Deus hoc vobis deteget proficientibus ad meliora.

Verſ. 16. VERVNTAMEN AD QVOD PERVENIMVS. Dixerat non perfectis, *& ſi quid aliter ſentitis, & hoc vobis Deus reuelabit* : ne pendente futurã reuelatione non perfecti diuerterent ab identitate regulæ & pacis, ſubiungit aduerſatiuè, *Veruntamen ad quod peruenimus*. VT IDEM SAPIAMVS ET IN EADEM PERMANEAMVS REGVLA, pro *eâdem incedere regulâ, idem ſentire*. Mutilus eſt ſermo Hebræo more. Subintelligitur enim ſubſtantiuum verbum *ſit*. Appoſitiuè ſiquidem explicando ad quod peruenimus dicit *eâdem incedere regulâ, idem ſentire*. Hoc eſt enim ad quod peruenimus Chriſtiani omnes, eâdem incedere regulâ fidei & morum, idem ſentire, tam circa credenda quàm circa neceſſariò agenda & vitanda, hoc inquam ad quod peruenimus ſit. Præcipit ſiquidem identitatem fidei & morum ſaluam ſemper fore in omnibus, non obſtante quòd diuerſificentur ſtatus : aliis exiſtentibus perfectis, aliis proficientibus, aliis incipientibus.

Identitas fidei & morũ ſeruanda.

Verſ. 17. IMITATORES, pro *coimitatores*, MEI ESTOTE FRATRES. Tractata illa particula *videte conciſionem* (cui inſeruit tractatum de perfectione) tractat illam, *videte malos operarios*. Nec ſufficit Paulo vt Philippenſes imitentur illum, ſed exigit ſimul vt concorditer imitentur ipſum ad diſcernendum malos operarios. ET OBSERVATE, pro *& conſiderate*, EOS QVI ITA AMBVLANT SICVT HABETIS FORMAM NOSTRAM, pro *nos*. Non ſolùm coimitatores mei eſtote, ſed etiam conſiderate alios qui ſic ambulant in Euangelio, in fide & moribus, ſicut nos habetis pro forma exemplari: hoc eſt, qui ambulant ad ſimilitudinem noſtri. Ne fallantur Philippenſes in diſcernendo pſeudoapoſtolos à veris viris Euangelicis; præcipit Paulus vt habeant ipſum, & Timotheum, & ſimiles certos viros Euangelicos pro forma, pro exemplo, pro ſpeculo : vt ſic diſcernant pſeudoapoſtolos à veris Euangeliſtis Chriſti.

MVLTI ENIM AMBVLANT QVOS SÆPE DICEBAM VOBIS (NVNC AVTEM ET FLENS DICO) INIMICOS CRVCIS CHRISTI. Verſ. 18. Ecce ratio neceſſariæ diſcretionis, ecce mali operarij. Quos primùm deſcribit ab inimicitia crucis, pro quanto inimici ſunt libertatis à legalibus quam effecit crux Chriſti. Pſeudoapoſtolos ſiquidem Iudæos Chriſtianos prædicantes neceſſitatem legalium deſcribit. QVORVM FINIS INTERITVS, tum proprius, tum aliorum. Et eſt ſermo de interitu animæ. Doctrina enim eorum tendens ad neceſſitatem legalium, habet pro fine interitum animæ.

Pſeudoapoſtoli inimici crucis Chriſti.

QVORVM DEVS VENTER EST. Non ſolùm in Verſ. 19. doctrina, ſed etiam in moribus malos operarios deſcribit. Qui enim ſeſe dederunt ventri, ventrem habent pro Deo : vtpote præferentes illum reliquis quæ amantur. ET GLORIA IN CONFVSIONE IPSORVM QVI TERRENA SAPIVNT, pro *ſentiunt*. Quartò deſcribit eos à gloria: quòd gloria eorum non conſiſtit in illuminatione, in recta diſpoſitione eorum qui terrena ſentiunt (quemadmodum conſiſtit gloria Euangeliſtarum in illuminatione, ordinata diſpoſitione ac reuelatione hominum deditorum terrenis) ſed in confuſione ipſorum. Et verè *in cõfuſione ipſorum*: quoniam quos trahunt ad ſe, cõfuſioni ſubiiciunt. Reddunt enim eos cõfuſos: vtpote nec Chriſtianos, nec Iudæos, ſed partim Iudæos, & partim Chriſtianos. Hæc eſt, inquã, gloria pſeudoapoſtolorũ: ſed huiuſmodi cõfuſio nõ ſortitur effectũ in omnibus, ſed in iis qui terrena ſentiũt: non ſenſu corporis, ſed mentis.

NOSTRA AVTEM, pro *enim*, CONVERSATIO IN Verſ. 20. COELIS EST. Rationẽ reddit eius quod dixerat, *ſicut habetis formam nos*: quia noſtra cõuerſatio in cœlis eſt. De conuerſatione mentis eſt ſermo. Intelligentia ſiquidẽ & amore, reliquiſque internis actibus mentis perfecti conuerſantur in cœlis: quamuis corpore conuerſentur in terris. VNDE, pro *ex quo*. Non referuntur cœli (vt numerus ſingularis teſtatur) ſed refertur *cõuerſari in cœlis*. ETIAM SALVATOREM EXPECTAMVS. Non ſolùm in præſenti conuerſamur in cœlis ſecundùm mentem, ſed hinc etiam expectamus corporis ſaluatorem. DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Superfluit *noſtrum*.

QVI REFORMABIT, pro *transfigurabit*, CORPVS Verſ. 21. HVMILITATIS NOSTRÆ: hoc eſt, corpus noſtrum abiectum, quale eſt in præſenti vita. CONFIGVRATVM, pro *conforme*, CORPORI CLARITATIS SVÆ : Dicit *transfigurabit*, ad ſignificandum quòd caducam figuram corporis noſtri corruptibilis, mutabit in figuram

Corpus noſtrum corruptibile reformabitur in incorruptibile.

immutabilem & incorruptibilem: dos enim impaſſibilitatis corporis per hoc ſignificatur: quemadmodum per conformitatem ad claritatem Chriſti ſignificatur dos claritatis corporalis. Et in his duabus dotibus comprehenduntur reliquæ. SECVNDVM OPERATIONEM VIRTVTIS SVÆ, pro *ſecundum efficaciam* (ſeu vim) quâ iam poſſit ſubiicere ſibi omnia. Magnitudinem efficaciæ in Chriſto ad transfigurandum corpora noſtra in corpora glorioſa, ſignificat tantam, vt eadem poſſit etiam totum vniuerſum ſibi ſubiicere: imò vt eadem ſubiiciat ſibi de facto omnia. Eſt enim vis diuina, cui omnia obediunt, & per quam erunt tunc omnia Chriſto ſubdita ſponte, vel inuitè.

CAPVT IV.

Verſ. 1. ITAQVE FRATRES MEI CHARISSIMI, pro *dilecti*, ET DESIDERATISSIMI, pro *deſiderati*: GAVDIVM MEVM, ET CORONA MEA. Triplici actioni (ſcilicet dilectionis, deſiderij, & delectationis) adiungit tanquam inſigne triumphi coronam: vt ex his omnibus manifeſtet quàm chari ſint ſibi Philippenſes. Et hoc vt conſeruet eos in ſtatu, in quo erant. Vnde & ſubiungit: SIC STATE IN DOMINO CHARISSIMI, pro *dilecti*. Ex abundantia cordis repetit *dilecti*: monens vt perſeuerent ſtando in Domino ſicut ſtant. Non enim receperant pſeudoapoſtolos.

Verſ. 2. EVCHODIAM, pro *Euodiam*, ROGO, ET SYNTYCHEN DEPRECOR: rogo, IDIPSVM SAPERE, pro *idē ſentire*, IN DOMINO. Mulieres duas rogat idem ſētire in Domino: vel quòd intellexerat aliquid diſcordiæ inter eas eſſe, vel quòd etiā mulieres primarias rogat vt perſeuerent ſentiendo idem circa legalia quod ſentiūt viri: cauens ne pſeudoapoſtoli inciperent ſeducere mulieres. Et hic ſenſus quadrat materiæ de qua eſt ſermo.

Cur duarum mulierū hic meminit?

Verſ. 3. ETIAM ROGO, ET TE GERMANE COMPAR, ADIVVA ILLAS QVÆ MECVM LABORAVERVNT, pro *certauerunt*, IN EVANGELIO. Ancipitis eſt generis ad maſculinum, vel fœmininum, quod dicitur *Germane compar*. Poteſt ſiquidem legi *Germana compar*, & *Germane cōpar*. Tres autem cōiecturæ ſunt quòd fœminino genere legendum ſit. Prima eſt, quia quadrat vt mulieribus Euodiæ & Syntychę iungat mulierem, dicendo ſub eodem verbo *etiam rogo*. Secunda eſt quòd perſonam certam demonſtrat dicendo *& te*: quæ tamen ex ſubiunctis ſi maſculino legantur genere, non certificatur. Ambigua ſiquidem reſtat perſona. Sed ſi fœminino legatur genere, certificatur perſona: vxor ſcilicet Pauli. Nam dictio interpretata *compar*, congruiſſimè interpretatur *coniux*: quoniam ſignificat ſub eodem iugo, & dictio interpretata *Germane* interpretari etiam poteſt *vera*, ſeu *propria*. Vnde legendo *rogo & te Germana coniux*, certificatur perſona demonſtrata per pronomen *te*. Accedit tertiò quòd quadrat mulieres mulieri committi, ſubiungendo, *adiuua illas*.

An legendū, Germane compar, an verò Germana compar, & an vxor D. Pauli ſignificetur.

Dicit *quæ mecum certauerunt in Euangelio*, ſignificans mulieres notas propriæ Pauli vxori, quæ ad propagandum Euangelium adiuuerant Paulum. Inceperat ſiquidem Philippis à conuerſione mulierum: vt patet Act. 16.

Diſputare hîc an Paulus habuerit vxorem ſuperfluum duxi: cùm ex aliis locis Epiſtolarum Pauli nihil certi habeam. Et hic locus cogere videatur non ratione demonſtratiuâ, ſed ſenſu valde rationabili, quòd Paulus habuerit vxorem. Quod non ſolùm multi Grecorum, ſed etiam ſi epiſtolis Ignatij datur fides, affirmarūt.

CVM, Deficit, *&*, CLEMENTE ET CÆTERIS ADIVTORIBVS, pro *cooperariis*, MEIS, QVORVM NOMINA SVNT IN LIBRO VITÆ. Ad verbum *certauerunt* referuntur iſti. Et eſt ordo literæ, quæ mecum & cum Clemente, & cæteris cooperariis meis certauerunt in Euangelio. Et quoniam ſolum Clementem nominauerat, ne ægrè ferāt cæteri cooperarij quòd non fuerint nominati, ſubiungit eorum nomina in meliori libro iſtâ epiſtola eſſe ſcripta, nempe in libro vitę. Appellatur autem *liber vitæ* metaphoricè diuinus intellectus continens nomina omnium prædeſtinatorum ad vitam æternam.

Liber vitæ quid.

GAVDETE IN DOMINO SEMPER, ITERVM DICO GAVDETE. Poſt ſpeciales exhortationes ad viros & mulieres, adiungit communem vtriſque exhortationem ad gaudium ſpirituale, ratione conceſſæ eis gratiæ perſeuerandi in puritate Euangelij. Conduplicat autem gaudium, vt gaudeant ratione beneficij accepti, & ratione ſpei proficiendi. Verſ. 4.

Ad gaudium ſpirituale monet.

MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBVS HOMINIBVS, internum gaudium ita continuetur, vt non immoderatè extrà effluat, ſed moderatio veſtra appareat non ſolùm Chriſtianis, ſed omnibus hominibus. DOMINVS ENIM PROPE EST, Superfluit *enim*. Non ratio præcedentium, ſed noua ſubiungitur exhortatio cui præmittitur propinquitas Domini: de qua propinquitate ex Deuteron. tractauit ad Rom. 10. Dicitur enim Dominus prope eſſe, pro quanto eſt velut aſſiſtens cordi, intellectui, ori, & operi noſtro. Monitio autem hinc ſubiungitur, Verſ. 5.

NIHIL SOLICITI SITIS. Anxietas animi circa futuros euentus eorum quæ cupimus, aut timemus prohibetur, non cura, prouidentia, exercitium, aut labor. SED IN OMNI: hoc eſt, ſed in omni re, in omni occurſu. ORATIONE ET OBSECRATIONE CVM GRATIARVM ACTIONE PETITIONES VESTRÆ INNOTESCANT APVD DEVM. Ex eo quòd Dominus prope eſt, prohibet ſolicitudinem: mandans quòd in omni re recurramus ad Dominum, petendo cum tribus conditionibus. *Oratione*, hoc eſt, mentis eleuatione in Deum: *obſecratione*, per miſericordiam, per gratiam, per myſteria Chriſti implorando: *& gratiarum actione*, pro beneficiis receptis. Has quatuor partes ſeruat Eccleſia in orationibus ſuis. *Orationem* quidem dicendo *Deus*. *Obſecrationem* verò dicendo, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. *Gratiarum actionem* autem commemorando aliquod beneficium: puta victoriam Martyris, & huiuſmodi; *petitionem* verò, petendo augmentum gratiæ, vel vitam æternam, & huiuſmodi. Verſ. 6.

Quatuor partes orationum Eccleſiæ.

Quòd autem dicit *innoteſcant apud Deum*, ſignificat quòd petitiones tales ſint quòd ſint dignæ, vt perferantur coram Deo. More humano docet petere talia quæ ſint digna, vt apud principem approbentur. Propter quòd orationes Eccleſiæ nunquā petunt aliquid tēporale, niſi

niſi in ordine ad ſpirituale: vt patet diſcurrendo, per omnes orationes quadrageſimales, & Dominicales. Sciens indignum eſſe petere temporalia non relata ad ſpiritualia: cùm Deus dederit hominibus illa ſuapte naturâ propter ſpiritualia.

Verſ. 7. Et pax Dei qvæ exvperat omnem sensvm, pro *mentem*, cvstodiat, pro *cuſtodiet*, corda vestra, et intelligentias vestras in

Pax eſt tranquillitas ordinis.

Christo Iesv. Cùm pax tranquillitas ſit ordinis, apte dicit *pax Dei* (hoc eſt, tranquillitas ordinis diuini) quæ ſuperat omnem mentem, etiam Euangelicam. Nullæ ſiquidem vires creaturarum ſufficiunt ad tranquillitatem etiam participandam diuini ordinis quo mens inhæret Deo charitate, & omni ſtudio, &c. Hæc, inquam, promittitur cuſtoditura tam partem intellectiuá, quàm partē affectiuam in Chriſto Ieſu, ſi ſeruauerimus antedicta.

Verſ. 8. De cætero, pro *quod ſupereſt*, fratres. Tractatâ illâ particulâ *videte malos operarios*, tractat illam, *videte canes*. Tractat autem eam mandando vt tum cogitationes, tum actiones occupēt ſubiunctis. Ac ſi apertiùs diceret. latratibus canibus vos hæc cogitate & agite, & Deus pacis erit vobiſcum ſecuros vos reddens à canibus. Dat autem eis latum cāpum cogitandi, & agēdi in vaſto ſpatio octo rerū. Qvæcvnqve svnt vera. Quia verum vero non eſt contrarium, nihil veri prohibet. Qvæcvnqve pvdica, pro *honeſta*. Vera ſpectant ad intellectum, honeſta

Omne inhoneſtum religioni Chriſtianæ eſt contrarium.

ad affectum. Omne inhoneſtum contrarium eſt religioni Chriſtianæ, nullúmque honeſtum officium Chriſtiano prohibetur. Qvæcvnqve ivsta. Ad reddendum vnicuique debitum præcipitur vt ſimus prōpti. Qvæcvnqve sancta, pro *pura*. Admiſtionem cuiuſcumque impuritatis, aut immunditiæ prohibet. Qvæcvnqve amabilia, non compoſita ex amabili, & odibili: qualia ſunt vtilia cum alterius damno, delectabilia inordinatè. Vult enim eſſe a Chriſtianis amanda quæcunque ſunt amabilia, & non quæcunque ſunt ſimul amabilia & odibilia.

Qvæcvnqve bonæ famæ. *Curam*, inquit, *habe de bono nomine*: & alibi, *oportet ſanctos ab iis qui foris ſunt, teſtimonium habere*. Et intellige quæcunque ſuapte naturâ ſunt bonæ famæ, non quæcumque hypocriſi, & aliis figmentis ſunt bonæ famæ.

Si qva virtvs. De virtute vt opponitur vitio eſt ſermo: nullam virtutem renuit Chriſtiana religio. Si qva lavs disciplinæ. Superfluit

Nihil verè laude dignū prohibetur Chriſtiano.

diſciplinæ: & deficit coniunctio &. Legēdum eſt vltimo loco, *Et ſi qua laus*. Concludit vniuerſalem: & ſi quid eſt laudabile: vt intelligamus nihil in veritatem laude dignum prohiberi Chriſtiano: ſed quicquid eſt verè laudabile conſonum eſſe Chriſtianæ religioni. Hæc cogitate, intus animo verſate.

Verſ. 9. Qvæ et didicistis, à me docente. Et accepistis, hoc eſt, acceptaſtis, approbaſtis. Et avdistis, et vidistis in me, partim viſu, partim auditu percepiſtis hæc in me eſſe. Hæc agite. Non ſufficit mandare, *hæc cogitate*, ſed adiungit *hæc agite*, vt exequantur opere, nec a cogitatione, nec ab actione ceſſent latrantibus canibus. Et Devs pacis erit vobiscvm, non permittens vos turbari latratu canum.

Verſ. 10. Gavisvs avtem svm in Domino vehementer. In principio epiſtolæ inter alia propoſuit gaudium proprium de Philippenſibus: modò illud in ſpecie tractat ſuper charitate Philippenſium erga ipſum Paulum demonſtrata factis.

Qvoniam, pro *quòd*, tandem, pro *iam*, aliqvando reflorvistis, pro *reuiguiſtis*, pro me sentire, sicvt, pro *in quo*, et sentiebatis. Philippenſes tardè ſubueniſſe Paulo vincto Romæ ſignificat, dicendo quòd *iam aliquando*, & eos velut vires reſumpſiſſe ad exequendam ſubuentionem ſignificat, dicendo, *reuiguiſtis ſentire prò me*, & eoſdem decreuiſſe priùs hanc ſubuentionem ſignificat, ſubiungendo, *in quo ſentiebatis*. Statimque excuſans tarditatem executionis ſubiungit, Occvpati avtem eratis, hoc eſt, opportunitatem non habebatis exequendi. Deinde more ſuo ſingula propoſita tractans, declarat illud quod dixerat, *gauiſus ſum in Domino vehementer*.

Non qvasi, pro *quod*, propter penvriam Verſ. 11.
dico, non propter penurſam me gauiſum eſſe vehementer dico: hoc eſt, non propter releuationem meæ penuriæ, dico me gauiſum eſſe vehementer. Et antequam dicat veram cauſam tanti gaudij, explicat quòd non propter propriam releuationem gauiſus eſt vehementer, dicendo: Ego enim didici in qvibvs svm svfficiens esse. Pulcherrima ſententia: Ego didici ſufficere iis quæ habeo: quamuis ipſa quæ habeo non ſufficiant mihi; & prudentiæ & modeſtiæ & patientiæ documentum ſingulare in penuria.

Diſce contentum eſſe iis quæ habes.

Scio et hvmiliari, scio et abvndare Verſ. 12.
vbiqve, pro *in omni*. In omni re, inquit Paulus, & non in aliqua ſic, & in aliqua non; ſcio vtramque actionem prout res exigit exercere: & humiliari ſcilicet quando opus eſt, & abundare quando opus eſt. Et rationem quare ſcit vtrumque officium exercere, ſubiungit: Et in omnibvs institvtvs svm. Non ſolum ſcio, ſed & inſtitutus ſum in omnibus contrariis, didici omnia contraria: ideo ſcio quia didici experientia magiſtra. Et satiari, pro *& ſaturari*, et esvrire. Ecce duo contraria. Et abvndare, et penvriam pati. Ecce alia duo contraria.

Omnia possvm in eo, pro *in Chriſto*, qvi me Verſ. 13.
confortat, pro *roborat*. Quia non ſufficit ſcire, ſed oportet vires habere ad exequendum, ideò ſcientiæ adiungit potentiam, non ſecundùm proprias vires, ſed ſecundum vires Chriſti in ipſo Paulo.

Vervntamen bene fecistis commvni- Verſ. 14.
cantes tribvlationi meæ. Quamuis non propter reuelationem penuriæ meæ gauiſus ſum vehemēter (quia ſcio & poſſum, & inſtitutus ſum ad omnia ſufferendum) veruntamen vos bene feciſtis ſubuenientes indigētiæ meæ.

Scitis avtem et vos Philippenses. Decla- Verſ. 15.
rat illam particulam *reuiguiſtis*, ex hoc quòd alias idem fecerunt. Qvod in principio Evangelii, ſupple apud vos. Qvando profectvs svm a Macedonia, in qua eſt veſtra ciuitas. Nvlla mihi Ecclesia commvnicavit in ratione dati et accepti. Subuentiones ad victum Pauli appellantur *communicationes*, non abſolutè, ſed in ratione dati & accepti: ad ſignificandum quòd ſunt debitæ quemadmodum rationes dati & accepti: hoc eſt, commutationes. Erat enim inter Paulum, & Eccleſias ratio dationis & acceptionis: eo quòd accipiebant a Paulo ſpiritualia, & dabant

temporalia ad ſuſtentationem vitæ. NISI VOS SOLI. Et hoc manifeſtat.

Verſ. 16. QVIA ET THESSALONICAM SEMEL ET BIS, pro *& iterum*, IN VSVM MIHI MISISTIS. Hinc enim apparet quòd Theſſalonicenſis Eccleſia non dabat Paulo temporalia. Et dicit *in vſum*, tum ad ſignificandam neceſſitatem, tum ad excludendum rationem mercedis ab eo quod dixerat in ratione dati & accepti.

Verſ. 17. NON QVIA, pro *quòd*, QVÆRO DATVM, pro *donum*. SED REQVIRO, pro *quæro*, FRVCTVM ABVNDANTEM IN RATIONE VESTRA, pro *in rationem veſtram*. Dixerat ſe non gauiſum vehementer propter ſubleuationem ſuæ penuriæ, explicat modò principalem cauſam ſui gaudij: manifeſtando quod non quærit ſibi donari huiuſmodi temporalia, ſed quærit vt abundet fructus bonorum operum in eis.

Non quærit tēporalia D. Paulus, ſed fructus bonorum operum.

Et deſcribit hanc abundantiam boni operis per abundantiam in rationem Philippenſium, alludendo ad rationem dati & accepti. Significat enim quòd quærit vt ratio (hoc eſt, ſupputatio) Philippenſium creſcat abundanter: ad ſimilitudinem eorum quorum ratiocinia tanto magis creſcunt quanto magis dant: iuxta hanc ſiquidem ſimilitudinem, inter ratiocinia dati & accepti quærit Paulus fructum tantum vt abundent ratiocinia Philippenſium penes dare. Ad illorum ergo bonum non ad proprium principaliter tendebat.

Verſ. 18. HABEO, pro *recipio*, AVTEM OMNIA. Supple *quæ miſiſtis*: quamuis non quæram, recipio tamen omnino quæ miſiſtis. ET ABVNDO. Hoc adiungit tum ad ſignificandum quòd non oportet iterum ſubuenire, tum ad ſignificandum quod abundanter miſerunt. Vnde & directè ad hoc ſubiūgit, REPLETVS SVM ACCEPTIS, pro *cum accepi*, AB EPAPHRODITO QVÆ MISISTIS, pro *quæ à vobis*, IN ODOREM. Superfluit *in*, Appoſitiue ſiquidem legendum eſt, ODOREM SVAVITATIS, HOSTIAM ACCEPTAM, pro *acceptabilem*, PLACENTEM DEO. Conditiones ſubuentionis miſſæ deſcribit non ſolùm relatiuè ad ipſum Paulum (quòd ſcilicet repleuerunt eum abūdanter) ſed etiam relatiuè ad Deum: dicendo quòd habent vim ſacrificij in odorem ſuauitatis, more legis loquendo: & ſimiliter hoſtiæ, quæ acceptatur à Deo, & habet vnde Deo placet. Hæ enim omnes conditiones ad deuotionem Philippenſium commendandam dicuntur.

DEVS AVTEM MEVS IMPLEAT, pro *implebit*, OMNE DESIDERIVM VESTRVM, pro *omnem indigentiam veſtram*, SECVNDVM DIVITIAS SVAS IN GLORIA IN CHRISTO IESV. Ecce merces Philippenſium, dare eis omnia quibus indigent, non ſecundum merita eorum, ſed ſecundum diuitias Dei: & hoc in gloria cœleſtis patriæ, & in Chriſto Ieſu, tanquam membris in capite. Verſ. 19.

DEO AVTEM ET PATRI NOSTRO GLORIA IN SECVLA SECVLORVM AMEN. Refert in calce gratias Deo in ſummo quod poſſumus Deo exhibere: videlicet gloria. Verſ. 20.

SALVTATE OMNEM SANCTŪ IN CHRISTO IESV, hoc eſt, omnē mundū per Baptiſmū in Chriſto. Verſ. 21.

SALVTANT VOS QVI MECVM SVNT FRATRES, SALVTANT VOS OMNES SANCTI, ſupple *qui ſunt Romæ*. MAXIME AVTEM QVI DE CÆSARIS DOMO SVNT. Quia ſolo Neronis tempore Paulus fuit Romæ, ideò Cæſaris nomine Nero intelligendus eſt. Et dixit hoc ad conſolationem Philippenſium: vt intelligant etiam in domo Neronis eſſe ſanctos; hoc eſt, Chriſtianos per Baptiſmum mundos, & de hoc gaudeant. Verſ. 22.

Etiam in domo Neronis erant ſancti.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Superfluit *noſtri*. Hæc eſt ſalutatiua concluſio manu, vt creditur, Pauli, CVM SPIRITV VESTRO, pro *cum omnibus vobis*. AMEN. Verſ. 23.

Et eſt apud Græcos ſubſcriptio: *Ad Philippenſes ſcripta Romæ, miſſa per Epaphroditum.*

Caietæ die XIX. Februarij, M.D.XXIX.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD COLOSSENSES COMMENTARII.

Verſ. 1. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI, non aliorum Apoſtolorum. PER VOLVNTATEM DEI, non proprijs meritis. ET TIMOTHEVS FRATER. Ad conſalutandum adiungit ſibi Timotheum.

Verſ. 2. IIS, QVI SVNT COLOSSIS, non omnibus, ſed SANCTIS, hoc eſt, mundis per Baptiſmum. ET FIDELIBVS. Munditia à peccatis eſt, fides verò reſpicit ea quæ creduntur. FRATRIBVS. Sic enim appellabāt Chriſtiani ſe inuicē. IN CHRISTO

Chriſtiani ſe inuicē fratres appellabant.

STO

ſto Ieſv. Superfluit *Ieſu*. Quod dicitur in Chriſto refertur ad munditiam, ad fidem, ad fraternitatem.

Verſ. 3. Gratia vobis et pax. Solita ſalutatio Pauli comprehendens ab extremis omnia dona. A Deo patre nostro. Deficiunt quatuor dictiones. Et Domino Iesv Christo. Dicit *à Deo*, quod eſt nomen naturæ diuinæ: *patre noſtro* per adoptionem: *& Domino Ieſu Chriſto*, ſecundum humanam naturam.

Gratias agimvs Deo. Poſt ſalutationem antequam ad tractatum epiſtolarem deſcendat, interponit bona Coloſſenſium, tum quæ habent, tum quæ eis cupit. Vnde & proponit vtraque: illa quidem vt materiam gratiarum actionis: hæc autem vt materiam orationis. Proponendo itaque gratiarum actionem & orationem, *gratias*, inquit, *agimus Deo*. Et patri Domini nostri Iesv Christi semper. Deus nomen eſt naturæ, pater verò nomen eſt perſonæ. Eſt ſiquidem Deus pater naturalis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quod autem dicit *ſemper*, limitat ſubiungendo, Pro vobis orantes. ſignificatur enim quòd ſemper gratias agimus quando pro vobis oramus. Quod tamen dicitur *pro vobis*, refertur tam ad *orantes* quàm ad *gratias agimus*. Et eſt ſenſus quòd pro vobis gratias agimus. Vbi clarè vides vtrumque proponi.

Verſ. 4. Avdientes. Participium actiuum præteriti temporis eſt, quo nos caremus. Et ne oporteat multa mutare, legendum eſt, Cvm avdivimvs fidem vestram in Christo Iesv. Incipit explicare materiam gratiarum actionis, narrando audita de eis bona: fidem, charitatem, ſpem, fructum & augmentum Euangelij. Vnde & ſubiungit de charitate. Et dilectionem qvam habetis in sanctos omnes. Superfluit *quam habetis*. Dilectio erga omnes mundos, eſt propria Chriſti dilectio: vtpote extenſa in mundum vniuerſum, non ratione ſanguinis, amicitiæ, patriæ, aut naturæ, ſed ratione munditiæ in Chriſto: hæc enim ſignificatur dicendo, *in ſanctos omnes*.

Auditis Coloſſenſium ſpiritualibus bonis, gratias agit Deo.

Verſ. 5. Propter spem qvæ reposita est vobis in cœlis. Ecce bonum ſpei, quæ quoad rem ſperatam dicitur vobis repoſita in cœlis. Qvam. Deeſt *antè*. Avdistis in verbo veritatis Evangelii. Quam rem ſperatam (beatitudinem ſcilicet cœleſtis patriæ) audiſtis, ante hanc Epiſtolam à prædicatoribus Euangelij. audiſtis autem *in verbo Euangelij veritatis*: vt epitheton Euangelij intelligamus *Euangelium veritatis*: vel *veritatis Euangelij*, hoc eſt, veritatis manifeſtatæ per Euangelium. Et quocunque modo fiat conſtructio, ſignificatur quòd non commento aliquo, non adinuentione humanâ, ſed verbo veritatis Euangelicæ audierunt beatitudinem ſperandam.

Euangelium veritatis.

Verſ. 6. Qvod pervenit ad vos, sicvt et in vniverso mvndo est. Superfluit *eſt*, & legendum eſt in accuſatiuo *vniuerſum mundum*. De Euangelio dicit quòd peruenit ad vos quemadmodú in vniuerſum mundum, hoc eſt, in vniuerſas partes mundi, non in vniuerſas ciuitates: quia hoc nec vſq; hodie apparet impletú. Et rurſus intellige de vniuerſo mundo communiter tunc noto; quod dico propter alias quartas terræ tunc communiter ignotas quoad habitationem.

Et frvctificat et crescit sicvt et in vobis, hoc eſt, fructificat & creſcit in vniuerſo mundo Euangelium, quemadmodum & in vobis. Quod dicit *& creſcit*, non inuenitur in omnibus, ſed in quibuſdam codicibus Græcis. Ex ea die qva avdistis. Perſeuerantiam fructus & augmenti in Coloſſenſibus commemorat ab illo die quo audierunt. Et cognovistis gratiam Dei in veritate. Non ſufficit audiſſe, ſed oportet verè cognoſcere oblatam Dei gratiam. Et hoc fuiſſe apud Coloſſenſes commemorat,

Sicvt didicistis ab Epaphra. Ecce à quo audierunt Euangelium. Charissimo, pro *dilecto*, conservo nostro: Qvi est fidelis pro vobis minister Christi Iesv. Superfluit *Ieſu*. Et eſt ordo literæ: qui eſt miniſter Chriſti fidelis pro vobis. Commendat ſiquidem Epaphram non ſolùm ex eo quòd eſt dilectus & conſeruus, ſed ex eo quòd eſt Chriſti miniſter euangelizando, & fidelis, fideliter exercens miniſterium pro Coloſſenſium ſalute. Verſ. 7.

Epaphras commendatur.

Qvi etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritv. Dixerat ſuperius quòd audierat eorum dilectionem erga ſanctos omnes, explicat modò quòd Epaphras manifeſtauit eis, Paulo & Timotheo, dilectionem Coloſſenſium ſpiritualem: hoc eſt, dilectionem eorum erga Paulum ſolo ſpiritu cauſatam: cùm nunquam vidiſſent eum in carne. Verſ. 8.

Paulum quē nunquam viderant diligebant Coloſſenſes.

Ideò et nos. Omnia ſupradicta bona refert *ideò*. Ex qva die avdivimvs. Proportionaliter reſpondet vt quemadmodum Coloſſenſes ex quo die audierunt, &c. ideò & nos ex quo die audiuimus hæc veſtra bona. Non cessamvs pro vobis orantes et postvlantes. Oratio ad eleuationem mentis, poſtulatio ad petitionem ſpectat. Poſtquam explicauit materiam gratiarum actionis narrando bona quæ habent, explicat modò materiam orationis narrando bona quæ petit pro eis. Verſ. 9.

Vt impleamini agnitione volvntatis eivs. Primum petitum ad perfectionem intellectus ſpectat. Et non dicit *vt cognoſcatis* (iam enim cognouerant voluntatem Dei) ſed *vt impleamini agnitione voluntatis eius*, vt nullâ ex parte intellectus veſter vacuus maneat cognitione voluntatis diuinæ. In omni sapientia et intellectv spiritvali. Intellectus penetrationem, ſapientia iudicium ſignificat ſecundum rationem ſupremæ cauſæ. Petit itaque vt impleantur notitiâ diuinæ voluntatis penetrando & iudicando non in quibuſdam ſic, & in quibuſdam non, ſed in omni penetratione & omni iudicio non carnali, ſed ſpirituali. Ex parte rei cognitæ explicat voluntatem Dei: ex parte cognoſcentis explicat plenitudinem notitiæ cum omni tam penetratione quàm iudicio ſpirituali ad differentiam tam penetrationis, quam iudicij, tum naturalis, tum carnalis. Fructum autem tantæ notitiæ, ſapientiæ, & intellectus ſubiungit,

Vt ambvletis digne Deo per omnia placentes, pro *Domini in omnem placentiam*, hoc eſt, vt ambuletis dignè in omnem placentiam Domini. Ecce ad quid debet eſſe dignitas, ſcilicet ad omne beneplacitum Domini, non ſufficit Paulo vt ambulemus pro dignitate alicuius beneplaciti Deo, ſed vt ambulemus pro dignitate cuiuſlibet beneplaciti Domino. Verſ. 10.

Ambulare dignè ſecundum beneplacitū Dei, quid?

IN OMNI OPERE BONO FRVCTIFICANTES. Explicat quid eſt ambulare dignè ſecundùm omne beneplacitum Domini. Explicat ſiquidem hoc eſſe fructificare non in aliquo, ſed in omni opere bono; & hoc directè ſpectat ad voluntatem. Sed & hoc non ſufficere ſubiungit, adiungendo,

ET CRESCENTES IN SCIENTIA, pro *cognitione* DEI. Non ſufficit ad ambulandum pro dignitate omnis beneplaciti diuini, fructum ferre in omni bono opere, ſed & oportet creſcere *in cognitione Dei*: quoniam hoc eſt vnum de beneplacitis Dei.

Verſ. 11. IN OMNI VIRTVTE CONFORTATI, pro *in omni potentia potentes*. Petit Paulus non ſolùm vt Coloſſenſium intellectus impleatur notitia, & affectus dignitate ad omne bonum, ſed etiam vt vires ad ſufferendum mala impleantur potentiâ, & propterea dicit *in omni* (non in aliqua) *potentia* ad tolerandum *potentes*. SECVNDVM POTENTIAM CLARITATIS, pro *gloriæ*, EIVS. Aptè rationem potentiæ ad tolerandum omnia, explicat potentiam gloriæ diuinæ, maximæ ſiquidem potentiæ eſt diuina gloria ad hoc vt omnia toleremus: hæc enim Martyres omnes effecit. IN OMNI PATIENTIA ET LONGANIMITATE. Patientia æquat animum in afflictionibus; longanimitas verò extendit eundem ad æternitatis præmium. CVM GAVDIO. Valde magnum donum adiungit inter patiendum gaudere.

Verſ. 12. GRATIAS AGENTES DEO PATRI. Superfluit *Deo*. In prima perſona legenda ſunt hæc (continuantur enim cum illis) *non ceſſamus orantes & poſtulantes*. Incipit autem hinc proponere materiam tractandam in hac epiſtola, proponendo beneficia vt materiam gratiarum actionis, & huiuſmodi gratiarum actionem introducit eleuando mentem propriam ad Deum ſub ratione patris per adoptionem. QVI DIGNOS, pro *idoneos* NOS FECIT IN PARTEM SORTIS SANCTORVM IN LVMINE. Materiā gratiarū actionis communem omnibus Chriſtianis explicat triplicem. Et primum quidem beneficium commune Chriſtianis omnibus eſt, quòd Deus *fecit nos idoneos* ſeu ſufficientes *in lumine*, proculdubio fidei, in claritate & manifeſtatione myſteriorum fidei reddidit nos ſufficientes ſeu idoneos ad habendam partem ſortis ſanctorum. Sors ſanctorum hæreditas eſt ſanctorum, Et eſt ſenſus: ad habendam partem hæreditatis ſanctorum: hoc eſt, ad participandum hæreditatem ſanctorum, quæ appellatur *ſors*: quia non ex proprio conſilio, non ex propriis meritis, ſed velut ſorte (hoc eſt, ſolo diuino munere) obtigit ita illis, quod non aliis: per gratiam enim Dei in lumine fidei idonei ſumus ad participandam hæreditatem ſanctorum futuram in patria.

Triplex materia gratiarum actionis communis omnibus Chriſtianis.

Verſ. 13. QVI ERIPVIT NOS DE POTESTATE TENEBRARVM. Primum beneficium reſpicit bonum ſperatum, hoc autem reſpicit tum malum præſens, tum bonum præſens. Et malum quidem præſens eſt quod eramus ſubditi tenebris, imò poteſtati tenebrarum, hoc eſt, dæmonibus: bonum autem præſens e regione ſubiungit, ET TRANSTVLIT IN REGNVM FILII DILECTIONIS SVÆ. De patre loquitur & dicit quòd tranſtulit nos ex ſeruitute dæmonum, in regnum filij. Regnum filij, regnum Dei, regnum cælorum, vnum atque idem eſt. Magnum beneficium vt de ſeruitute Diaboli tranſlati ſimus in regnum filij, imò effecti ipſum regnum filij: vt in quibus prius regnabat diabolus per opera tenebrarum, in eiſdem modò regnet filius per opera lucis.

Regnum Dei, Regnum filij. & Regnū cælorum, idē.

Et dicit *filij dilectionis ſuæ* Hebraico more: hoc eſt, filij pleni dilectione ſuâ, patris ſcilicet. Sicut enim dicitur filius perditionis, filij nuptiarum, filij regni, qui digni ſunt perditione, qui pleni ſunt gaudio nuptiali, & huiuſmodi: ita dicitur filius dilectionis ſuæ, qui vndique plenus eſt dilectione ſua. Nihilominus vt exigentibus proprietatem ſermonis ſatisfiat, æternus Dei filius dicitur filius dilectionis patris, qui eſt filius dilectionis eſſentialis, quemadmodum eſt filius eſſentiæ. Genitus enim eſt non ex vno eſſentiali ſic, & alio non, ſed ex omnibus eſſentialibus natura, eſſe, potentia, intellectu, voluntate, & reliquis, alioquin non fuiſſet genitus integer Deus.

Chriſtus eſt filius dilectionis.

IN QVO HABEMVS REDEMPTIONEM ET REMISSIONEM PECCATORVM. Superfluit *&*. deficiunt autem tres dictiones. Legendum eſt, *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem peccatorum*. Tertium beneficium redemptio eſt facta per Chriſti ſanguinem. Redemptio autem non à ſeruitute Romanorum, ſed remiſſiua peccatorum: appoſitiuè ſiquidem ad *redemptionem* dicit *remiſſionem* peccatorum. Verſ. 14.

Aduerte prudens lector, quòd, vt dictum eſt, hæc tria beneficia commemorata vt materia gratiarum actionis, proponuntur à Paulo materia totius Epiſtolæ, vnde primò incipit tractare illam particulam, *tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ*, explicando ipſum filium, & regnum eius communicatum nobis. De filio itaque dicit,

Tria hæc commemorata beneficia ſunt materia totius Epiſtolæ.

QVI EST IMAGO DEI INVISIBILIS. Genitiui caſus eſt *inuiſibilis*, & explicat inacceſſibilitatem Dei à quocunque viſu: non ſolùm ſiquidem Deus inuiſibilis eſt à nobis, ſed à quibuſcunque ſpiritualibus ſubſtantiis, quantumcumque excellentibus; iuxta illud, *Deum nemo vidit vnquam*. Et hæc intellige ſecundùm vires naturales cuiuſcunque creaturæ: nam ſecundùm vires gloriæ ſcriptum eſt, *Videbimus eum ſicuti eſt*: & Angeli & Sancti beati vident Deum. Verſ. 15.

Dei itaque ſecundùm naturam inuiſibilis à quacunque creatura Filius eſt imago. Quemadmodum enim eſt filius Dei inuiſibilis, ac per hoc eſt filius ipſe inuiſibilis (alioquin non eſſet eiuſdem naturæ cum Deo: & conſequenter non eſſet filius: filius enim eſt illius naturę cuius eſt pater) ita eſt imago Dei inuiſibilis, ac per hoc imago inuiſibilis: alioquin non repræſentaret Deum inuiſibilem. Imò ad hoc ipſum Paulus dixit *Dei inuiſibilis*, vt non ſolum deitatem, ſed inuiſibilitatem in imagine intelligeremus, ne putaremus filium eſſe imaginem viſibilem, ſed imaginem inuiſibilē, ſicut Deus eſt inuiſibilis. Nec dicitur imago Patris, ſed *imago Dei inuiſibilis*: quia non paternitatem, ſed deitatem inuiſibilem accepit filius à Patre: eſt enim filius, non pater, ſed Deus inuiſibilis productus à patre ad hoc vt ſit ſimilis ei in deitate inuiſibili. Tam itaque diſtinctio perſonalis imaginis à patre inuiſibili Deo à quo procedit,

Filius eſt imago Dei inuiſibilis.

procedit, quàm ſubſtantialis deitas imaginis ſignificatur, dicendo de filio quod eſt proculdubiò non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter imago Dei inuiſibilis à quo procedit: qui enim ſecundum eſſe ſubſtantiale eſt imago Dei inuiſibilis, habet in ſuo ſubſtantiali eſſe & deitatem & inuiſibilitatem: nam ſi deeſſet deitas non eſſet ſubſtantialiter imago Dei: & ſi deeſſet inuiſibilitas, non eſſet ſubſtantialiter imago inuiſibilis. Filium ergo à Deo inuiſibili (nempe patre) Deum inuiſibilem vt imaginem, hoc eſt ſecundùm ſimilitudinis rationem productum explicat: ad differentiam Spiritus ſancti, qui etſi productus Deus inuiſibilis, non tamen vt imago Dei inuiſibilis, ſed vt ſpiritus, vt amor Dei inuiſibilis: quia filius ex modo ſuæ productionis producitur vt ſimilis: vtpote vnus ab vno per modum verbi intellectualis: Spiritus verò ſanctus ex modo ſuæ productionis non producitur vt ſimilis, vtpote vnus à duobus per modum amoris. Quæ in Theologia ſpeculatiua diffuſè tractantur.

Differentia productionis Filij à productione Spiritus ſancti.

Primogenitvs omnis creatvræ. Arriani quemadmodum argumentum ſumunt contra deitatem filij, tum ex hoc quòd dicitur *filius dilectionis ſuæ* (tanquam ſit filius ex dilectione libera productus) tum ex hoc quòd dicitur *imago Dei inuiſibilis*, tanquam ſit imago per quam videatur Deus qui ſecundùm ſe eſt inuiſibilis, ita ſumunt argumentum ex hoc quòd dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, tanquam ſit inter omnes creaturas primò creatus. Sed quemadmodum extorquent ſeu inuertunt antecedentia, ita & hoc: non dicit Paulus *primò creatus omnis creaturæ*, ſed dicit *primogenitus omnis creaturæ*: vt differentiam etiam inuiti intelligamus in hoc quòd omnis creatura vt vox ſonat, creata eſt, filius autem genitus: quanta eſt ergo differentia inter creatum & genitum, tanta ſignificatur differentia inter filium & omnem creaturam ex ipſis Pauli verbis. Duplex itaque ſenſus eſt huius literæ. Alter quòd eſt genitus ante omnes creaturas: vt prius ſignificatus fuerit modus quo productus eſt filius, ſcilicet vt imago, modò ſignificetur æternitas eius ex hoc quòd eſt genitus ante omnem creaturam. Et per hoc clare excluditur error Arrij ponentis Chriſtum primam creaturam. Alter ſenſus eſt quòd eſt primogenitus poſſeſſiuè omnis creaturæ: ita quòd deſcripto modo quo genitus eſt filius, deſcribitur eius dominiũ vniuerſale, non cœli aut terræ, ſed vniuerſæ creaturæ. Quemadmodum enim primogenitus regni, genitus eſt dominus regni, & primogenitus imperij, genitus eſt dominus imperij: ita dicitur primogenitus omnis creaturæ, pro quãto eſt genitus dominus omnis creaturæ: ius enim primogeniti eſt dominiũ hæreditatis paternæ.

Hinc argumenta contra Filij deitatem ſumunt Ariani:

Sed malè.

Quomodo Chriſtus dicitur primogenitus omnis creaturæ.

Verſ. 16. Qvoniam in ipso. proculdubio primogenito. Condita, pro *creata*, svnt vniversa in cœlis et in terra, pro *quæ in cœlis & quæ in terra*, visibilia et invisibilia: sive throni, sive dominationes, sive principatvs, sive potestates. Manifeſtat ab effectu vtrumque de filio dictum, ſcilicet & quòd eſt *imago inuiſibilis Dei*, & quòd eſt *primogenitus omnis creaturæ*: ex eo quòd omnia creata ſunt in ipſo: hoc eſt, in imitatione ipſius, quemadmodum exemplaria fiunt in imitatione exemplaris. Hinc enim probatur quòd ipſe filius eſt ſubſtantialiter imago Dei inuiſibilis: cùm conſtet omnia creari ad imitationem diuinæ ſubſtantiæ: ex hoc enim quòd id quod eſt proprium diuinæ naturæ conuenit filio, ſcilicet omnia creari in imitatione ipſius, manifeſtè infertur quòd eſt ita imago Dei quòd eſt Deus: & ſimiliter ex hoc quod omnia creata ſunt in imitatione ipſius filij imaginis Dei inuiſibilis, infertur & quòd eſt genitus ante omnem creaturam, & quòd eſt genitus Dominus omnis creaturæ. Et ne ſuboriatur quæſtio an appellatione vniuerſorum intelligantur terreſtria, aut cœleſtia, aut viſibilia, explicat Paulus omnia includi, & quæ in cœlis, & quæ in terra, & viſibilia & inuiſibilia. Et vt inuiſibilia intelligamus ſpirituales ſubſtantias quas Philoſophi vocant intelligentias, explicat quatuor ordines eorum: dicendo, *ſiue throni* (& in hoc tangit ſupremam Hierarchiam) *ſiue dominationes*, &c. in quibus tangit mediam Hierarchiam, *ſiue principatus*, & in his ſecundùm Dionyſium tangitur infima Hierarchia.

In Chriſto tanquam exemplari omnia condita ſunt.

Omnia per ipsvm et in ipso creata svnt. Extendendo explicat multis habitudinibus quod dixerat, in ipſo creata ſunt vniuerſa: explicat enim quatuor relationibus ipſius ad vniuerſa. Prima eſt quòd omnia per ipſum efficienter creata ſunt. Et huic iungit ſecundam quam prius dixerat: *& in ipſo*, imitatiuè, creata ſunt. Oportuit autem hæc duo ſimul explicare ad differentiam exemplarium quibus nos vtimur. Exemplar enim, cuius imitatione artifex aliquid facit, eſt in quo imitatione res fit, ſed non eſt per quod res fit: quoniam exemplar non efficit artificiatum, ſed artifex efficit illud imitando exemplar: filius autem Dei eſt non ſolùm in cuius imitatione omnia creantur, ſed etiam quòd efficit ſimul cum patre ea quæ creantur. Et propterea de ipſo vtrumque dicitur, quòd omnia & per ipſum & in ipſo creata ſunt. Non repetit ergo Paulus ſuperfluè quòd *in ipſo creata ſunt*, ſed neceſſariò ad explicandum, quòd non purè in ipſo, ſed ſic in ipſo quòd etiam per ipſum creata ſunt omnia.

Quatuor relationes Verbi diuini ad omnes creaturas explicat.

Et ipse est ante omnes. pro, *omnia*. Tertia habitudo eſt prioritatis ſecundum durationem, quæ eſt prioritas æternitatis ad tempus: alioquin non eſſet ante omnia. Et omnia in ipso constant. pro, *conſtiterunt*. Priùs declarauerat relationes omnium creatorum *in fieri* ad filium, manifeſtans quòd *in fieri* dependent ab ipſo dupliciter, ſcilicet efficienter & imitatiuè, modò manifeſtat omnium dependentiam *in eſſe* ab ipſo, dicendo *& omnia in ipſo conſtiterunt*: ita quòd non ſolum creata ſunt in imitatione ipſius, ſed etiam conſtiterunt in propriis *eſſe* in imitatione ipſius. Et verè ſic eſt, quoniam tamdiu conſtat noſtrum eſſe quamdiu eſt imitatio diuina. Et per hoc manifeſtat filium eſſe verum Deum, vtpote à quo dependent creata omnia non ſolùm in *fieri*, ſed in *eſſe*: quemadmodum lumen in aëre pendet à luce ſolis non ſolùm in *fieri*, ſed in *eſſe*. Et dicit *conſtiterunt* ad ſignificandum quòd cum hoc quòd habent naturam non fluentem ſed conſtantem, conſtant in imitatione filij. Rurſus dicit *conſtiterunt* in præterito, ad ſignificandum quòd non eſt noua hæc dependentia, ſed Verſ. 17.

Tamdiu conſtat noſtrum eſſe, quamdiu eſt imitatio diuina.

ex quo

ex quo creata ſunt conſtiterunt in ipſo.

Verſ. 18. Et ipse est capvt corporis Ecclesiæ. Propoſuerat *in regnum filij*: & propterea cùm declaraſſet dominium Filij reſpectu omnis creaturæ quod conuenit Filio ex eo quòd per ipſum & in ipſo omnia creata ſunt, deſcendit ad declarandum ſpeciale eius regnum in quod tranſlati ſumus. Eſt autem ſpeciale filij Dei regnum quod appellatur regnum Dei, corpus Eccleſiæ tam triumphantis quam militantis: quoniam in his peculiariter regnat per gratiã, primò fidei & iuſtitiæ, & demum gloriæ æternæ felicitatis. Ipſe non alius eſt caput. Metaphorico ſermone principem deſcribit caput corporis Eccleſiæ, vt ſimul cum eminentia reſpectu corporis Eccleſiæ deſcribat ipſum partem corporis Eccleſiæ: caput enim pars eſt corporis. Et in hoc myſterium Incarnationis ſignificat. Et exinanitionem tantam manifeſtat, ſubiungendo.

Eccleſia eſt regnum Dei.

Qvi est principivm. Apertiſſimè dicendo & ipſe qui eſt principium, omnium (vt declaratum eſt) eſt etiam caput: hoc eſt, pars (eminentior tamen) corporis Eccleſiæ vt intelligamus quòd qui eſt ante omnia & ſupra omnia principium omnium, dignatus eſt fieri caput corporis Eccleſiæ per myſteriũ Incarnationis.

Primogenitvs ex mortvis. Modum quo factus eſt caput corporis Eccleſiæ deſcribit eſſe reſurrectionem ipſius: reſurgendo ſiquidem effectus eſt immortalis ſecundum corpus, & Eccleſiam ſecundùm ſtatum in quo perpetua futura eſt, inchoauit in ſuprema illius parte Appellatur autem reſurrectio generatio ex mortuis, quia reuera noua eſt generatio hominis, vtpote ad vitam immortalem etiam ſecundùm corpus. Sic enim etiam Dominus illam appellauerat dicendo, *in regeneratione cùm ſederit filius hominis*, &c. Chriſtus autem dicitur *primogenitus ex mortuis*, quia fuit primus reſurgens ad vitam immortalem: quotquot enim ſuſcitati ſunt ante ipſum, ad vitam mortalem ſuſcitati ſunt, vnde & iterum mortui ſunt. Et ipſe dicitur *primogenitus* non ſolum quia nullus ante eum ad vitã ſurrexit immortalem, ſed etiam quia alij ſequuntur ipſum reſurgendo ad vitam immortalem.

Reſurrectio eſt generatio ex mortuis.

Vt sit in omnibvs ipse primatvm tenens. Hoc eſt, vt vnus atque idem ipſe filius gerat primatum in omnibus rerum ordinibus. Ipſe enim qui primatum tenet in ordine naturali omnium ex hoc quòd eſt caput Eccleſiæ, tenet quoque primatum in ordine gratiæ. Vnde quoad hoc ſubdit,

Verſ. 19. Qvia in ipso complacvit omnem plenitvdinem inhabitare. Rationem reddit quare filius homo primatum tenet in ordine gratiæ: quia in ipſo ſecundùm humanam naturam complacuit Deo omnem plenitudinem gratiæ habitare. Nota ſingula verba: quoniam hic gratia Chriſti deſcribitur ex qua habet quòd ſit caput Eccleſiæ. Dicit *complacuit*, vt excludat meritum: non enim meruit Chriſti anima plenitudinem gratiæ, ſed ex diuino beneplacito ab initio habuit. Dicit non ſolum plenitudinem: ſed omnem plenitudinem: vt nihil gratiæ intelligamus deeſſe, ſed omnes gratias & omnes pleniſſimè intenſiuè & extenſiuè intelligamus. Dicit *habitare*, vt intelligamus fixam in eo omnem gratiæ plenitudinem & non ad tempus, vt aliis ſanctis quædam gratiæ conceduntur.

Anima Chriſti non meruit plenitudinem gratiæ, ſed ex diuino beneplacito ab initio habuit.

Et per evm reconciliari omnia in Ipso. Verſ. 20.
Quemadmodum de eodem Filio ſecundum diuinitatem dixit, *omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt*, ita modò de eodem ſecundùm humanitatem dixit, *& per eum, & in ipſo reconciliari omnia: per ipſum* quidem efficienter: quãdoquidem ipſe eſt reconciliator omnium Deo, *in ipſo* verò inchoatiuè: quandoquidem in ipſo Chriſto capite inchoata eſt reconciliatio omnium in reſurrectione ipſius. Vnde & ſubdit: Pacificans. pro, *pacificatis*, per sangvinem crvcis eivs. Deficiunt duæ dictiones, *Per ipſum*, sive. pro, *&*, iis qvæ in terris, sive. pro, *&*, qvæ in cœlis svnt. Reconciliatio pacificatos vnit: & propterea reconciliationi præſentis temporis adiungit pacificationem temporis præteriti. Effecta eſt autem pax per ſanguinem crucis Chriſti: hoc eſt, per ſanguinem eius non qualitercunque, ſed fuſum in cruce. Et adiungit *per ipſum*, tum vt voluntaria ſignificetur effuſio ſanguinis in cruce ad pacificandum; tum vt eadem hominis Deique hypoſtaſis ſignificetur, quæ moriens in cruce ſecundum naturam humanam actionem pacificandi exerceret.

Pax per ſanguinem Chriſti effecta.

Pacificata autẽ explicat tum ea quæ in terris, tum ea quæ in cœlis ſunt. Cùm pacificare nihil aliud ſit quam tranquillum ordinem diuinum efficere, pacificaſſe quæ in terris ſunt, eſt tranquillum ordinem in iis quæ in terris ſunt effeciſſe. Et talẽ ordinẽ cõſtat per Chriſti mortẽ effectum eſſe in hominibus: hic in anima per gratiam inchoatiuè, & demum in reſurrectione mortuorum conſummatè. Tranquillum autem diuinum ordinem in iis quæ in cœlis ſunt effectum per mortẽ Chriſti intelligamus, pro quanto reparata eſt ruina Angelorum: & quicquid turbationis in ordine Angelorum acciderat, in tranquillum redactum eſt ordinem.

Et vos. Poſtquam in genere fructum gratiæ Verſ. 21.
Chriſti capitis explicauit, deſcendit ad ſpeciem explicando fructum eiuſdem gratiæ Chriſti capitis ſpecialiter in gentilibus. Et propterea dicit *& vos*, ſupple Gentiles. Triplicem autem communicationem ſubiungit à Chriſto capite ad Gentiles extenſam (prima eſt communicatio gratiæ; ſecunda eſt communicatio afflictionum: tertia eſt communicatio notitiæ ac ſpei gloriæ ſperandæ) inſinuans hoc tractatu, quòd per has tres communicationes transferimur in regnum filij. Communicationem itaque gratiæ gratum facientis tractans dicit,

Triplex communicatio à Chriſto capite ad gentiles extenſa.

Cùm essetis aliqvando alienati. proculdubio à Deo, vtpote idololatræ. Et inimici sensv. pro *menti*. Datiui caſûs eſt *menti*, quamuis dupliciter exponi poſſit. Vel loco ablatiui: vtuntur enim Græci quandoque datiuo pro ablatiuo. Et ſic eſt ſenſus: inimici mente, ad explicandum quod non ſolum carnalibus operibus, ſed etiam mente quæ ſuprema pars eſt animæ fuerant inimici Dei: vtpote malè ſentientes de Deo. Vel datiuus pro datiuo intelligatur, ad explicandum cui fuerant inimici, videlicet *menti*: mali ſiquidem homines inimici ſunt menti propriæ: quoniam amant & quærunt malum mentis propriæ priuationẽ felicitatis. In operibvs malis. Vtrique ſenſui

Mali homines inimici ſunt menti.

ſeruit

ſeruit, & explicatur ratio alienationis & inimicitiæ fuiſſe opera eorum mala proculdubio malo culpæ.

Verſ. 22. NVNC AVTEM RECONCILIAVIT. filius caput Eccleſiæ. IN CORPORE CARNIS EIVS. Ad differentiam eius quod dixerat, *corporis Eccleſiæ*, dicit *in corpore carnis ſuæ*: vt intelligatur reconciliatio facta in naturali corpore proprio non in corpore myſtico. Modus autem quo in corpore carnis propriæ reconciliauit omnes, ſubiungitur: PER MORTEM. Deficit *eius*. hoc eſt per mortem propriam in corpore ſuo naturali. EXHIBERE, pro *ad exhibendum* vos. ſcilicet Gentiles. SANCTOS, hoc eſt mundos à peccatis. ET IMMACVLATOS, pro *& irreprehenſibiles*; non ſolùm mundos à præteritis peccatis veſtris, ſed irreprehenſibiles in actionibus ſubſequentibus. ET IRREPREHENSIBILES, pro *& inculpabiles*, hoc eſt, in iudicio inaccuſabiles. CORAM IPSO. Ad ſingula trium refertur, vt ſcilicet exhiberet ſanctos *coram ipſo*, & irreprehenſibiles *coram ipſo*, & inculpabiles *coram ipſo*: ad differentiam mundorum irreprehenſibilium ad inculpabilium ſecundùm iudicium humanum. In quibus clarè deſcribitur communicatio gratiæ gratum facientis Gentilibus.

Verſ. 23. SI TAMEN PERMANETIS IN FIDE. Ne intelligerent Coloſſenſes huiuſmodi fructus ſe habituros ex gratia Chriſti abſque propria cooperatione, ſubiungit neceſſarium concurſum propriæ cooperationis: dicendo, ſi tamen perſeueratis in fide, non qualitercunque, ſed FVNDATI ET STABILES. hoc eſt, ſi perſeueratis habendo fidem pro fundamento vitæ & actionum veſtrarum, & in illa perſeueratis firmi. ET IMMOBILES A SPE EVANGELII. Non ſufficit perſeuerantia firma in fide, ſed exigitur immobilitas à ſpe euangelizata: vt ſcilicet immobiliter ſperetur futura beatitudo: nihil enim prodeſt credere, niſi adſit immobilis ſpes cœleſtis patriæ. Immobilitatem autem ſpei fieri à charitate, alibi Paulus declarat: & propterea dicendo *immobiles à ſpe*, tertiam virtutem fidei ac ſpei adiungit charitatem. QVOD AVDISTIS. ad differentiam cuiuſcunque alterius Euangelij. Prout etiam ad Galatas dicit: Si quis aliud quàm audiſtis euangelizauerit, anathema ſit.

Gratia cooperandum.

Spes immobilis comitatur fidem.

QVOD PRÆDICATVM EST IN VNIVERSA CREATVRA QVÆ SVB CŒLO EST. Idem Euangelium deſcribit à communitate: quia ſcilicet commune eſt vniuerſo generi humano. Et dicit hoc ad differentiam particularium Euangeliorum quæ diuerſi hæretici prædicant: non enim prædicant Euangelium commune vniuerſo mundo, ſed propriæ ſectæ. Nec intelligas aſſeri à Paulo quòd tunc temporis iam prædicatum fuiſſet Euangelium vniuerſo generi humano, ita quòd ad vniuerſos peruenerit: ſed quòd tunc temporis prædicatum, eſt extendédum in vniuerſa creatura quæ ſub cœlo eſt, hoc eſt, in vniuerſo genere humano: ad differentiam, vt dictum eſt, Euangeliorum per conuenticula.

Euangelium commune vniuerſo generi humano.

CVIVS FACTVS SVM EGO PAVLVS MINISTER. Tertiam adiicit conditionem Euangelij in quo debent perſeuerare. De illo ſcilicet Euangelio loquor, cuius ego Paulus factus ſum miniſter: ad differentiam Euangelij quod prædicabatur à pſeudoapoſtolis, cuius Paulus non erat miniſter, imò aduerſus illud Paulus erat miniſter.

QVI NVNC GAVDEO IN PASSIONIBVS MEIS PRO VOBIS. Superfluit *qui*. Vbi prudens lector aduerte quòd ſi dictio Græca interpretatata *factus ſum*, ritè interpretata eſt cum verbo *ſum*, textus ille continuatur cum paulò ſuperiore, vbi dictum eſt, *& vos cùm eſſetis aliquando alienati & inimici menti in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis*, &c. Ita quòd poſtquam è regione alienationis & inimicitiæ eorum locauit *nunc* reconciliationis factæ per Chriſtum in carne propria, modò locat *nunc* adimpletionis paſſionum Chriſti in corpore eius myſtico: vt intelligamus quòd non ſolùm nunc reconciliauit Chriſtus in carne propria, ſed & nunc per Apoſtolos & Martyres ſua membra, ſupplet reliquas afflictiones: vt vtrumque beneficium intelligamus collatum Gentilibus: & reconciliationis per Chriſtum in carne propria, & afflictionum ſuorum Apoſtolorum vice Chriſti. Continuando itaque ad *nunc* reconciliationis factæ per Chriſtum, *nunc* afflictionis Apoſtolorum dicit, *nunc* reconciliatis vobis Deo, *gaudeo in paſſionibus*, hoc eſt, afflictionibus *meis pro vobis*, Gentilibus: vtpote pro membris Chriſti. Simúlque aduerte aptiſſimè ſubiungi gaudium in afflictionibus miniſterio Euangelij, per hoc enim manifeſtè comprobatur verus Euangelij miniſter, quòd gaudet in afflictionibus ſuis pro membris Chriſti. Verſ. 24.

ET ADIMPLEO EA QVÆ DESVNT PASSIONVM CHRISTI IN CARNE MEA. Dictio interpretata *adimpleo*, compoſita eſt ex tribus: *vice, re, impleo*. Ita quòd ſonat *vice redimpleo*, ad ſignificandum quòd vice Chriſti replet ea quæ in carne ſua deſunt paſſionum (hoc eſt afflictionum) Chriſti. Vtriuſque conſtructionis ſenſus in idem redit: prima tamen omnem quæſtionem excludit, nam dicendo *ea paſſionum Chriſti quæ deſunt in carne mea*, nihil ſignificatur diminutionis in paſſione Chriſti, ſed ſignificatur quòd in carne mea deeſt aliquid paſſionum Chriſti, quod à me ſupplendum eſt vice Chriſti, quod conſtat abſque omni ambiguitate verum eſſe. Dicendo verò *adimpleo in carne mea ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*, apparenter ſignificat aliquid diminutionis in paſſione Chriſti: ſecundũ tamen veritatẽ non ſignificatur diminuta paſſio Chriſti: ſed ſignificatur quòd deeſt illi coniunctio ipſius cũ afflictionibus noſtris. Et hoc indubiè verum eſt, & à nobis oportet impleri: à nobis autem vice Chriſti, quemadmodum in virtute capitis operantur membra: vt ſicut ex nobis & Chriſto integratur corpus vnum, ita ex paſſione Chriſti & paſſionibus noſtris integretur velut vna paſſio, nam quémadmodum definiuit Chriſtus certum membrorum ſuorum numerum, certámque magnitudinem ac multitudinem meritorum, ita definiuit determinatum numerum paſſionum iungendarum paſſioni ſuæ; & quantum in carne Pauli, quantum in carne Petri, quantum in carne Laurentij adiiciendum eſt afflictionum, prædefinitum eſt. Et propterea Paulus dicit quòd ipſe adimplet ea quæ in carne ſua deſunt paſſionum Chriſti.

Adimplet Paulus ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua, quo ſenſu?

Suorum afflictiones determinauit & definiuit Chriſtus.

PRO CORPORE EIVS QVOD EST ECCLESIA. Hinc clarè habetur quòd non ſolùm Chriſtus, ſed

ſed etiam ſancti ex intentione paſſi ſunt pro corpore Chriſti quod eſt Eccleſia: hoc eſt, ad vtilitatem Eccleſiæ.

Verſ. 25. CVIVS FACTVS SVM EGO MINISTER SECVNDVM DISPENSATIONEM QVÆ DATA EST MIHI IN VOBIS, pro *in vos*. *Cuius*, fœminini eſt generis: ac per hoc Eccleſiam refert. Appellat autem Paulus ſe miniſtrum Eccleſiæ factum, hoc eſt, ad miniſtrandum Eccleſiæ, quemadmodum appellauit ſe miniſtrum Euangelij, quia miniſtrat Euangelium. Poteſt & nihilominus dici miniſter Eccleſiæ, quemadmodum membrum eſt miniſter totius corporis. Et hũc ſenſum intendere videtur ex eo quòd dicit, quòd non ſecundùm diſpoſitionem hominum, ſed ſecundùm diſpoſitionem Dei factus eſt miniſter Eccleſiæ, vt vtrumque ſignificet: & quòd eſt quidem Eccleſiæ miniſter, & quòd non eſt Eccleſiæ diſtributione factus miniſter, ſed Dei. Et ſubiungit, *quæ data eſt mihi in vobis*, Apoſtolatum ſuum ad gentes denominat à diſpenſatione Dei: eo quod non humana authoritate, ſed diuinâ datus eſt Apoſtolus gentibus.

VT ADIMPLEAM VERBVM DEI. Ecce tertia communicatio, qua tranſlati ſumus in regnum filij: communicatio ſcilicet notitiæ gloriæ ſperandæ per Chriſtum a gentibus. Officium itaque euangelizandi hoc gentibus denominat implere verbum, eo quod eſt executio definiti ab æterno conſilij diuini.

MYSTERIVM QVOD ABSCONDITVM FVIT A
Verſ. 26. SECVLIS ET GENERATIONIBVS. Appoſitiue ad verbum Dei, explicat quòd ipſe implet myſterium occultum præteritis ſeculis quoad tempora, & generationibus quoad ſucceſſiones hominum. NVNC AVTEM MANIFESTATVM, pro *manifeſtum factum*, EST SANCTIS EIVS. Verbum Dei quod implet Paulus non ſolùm deſcribit à præterita occultatione, ſed à præſenti executione manifeſtâ non omnibus, ſed ſanctis Dei, & rurſus non omnibus ſanctis Dei, ſed

Verſ. 27. QVIBVS VOLVIT DEVS NOTAS FACERE DIVITIAS, pro *notum facere quæ ſunt diuitiæ*, GLORIÆ SACRAMENTI, pro *myſterij*, HVIVS IN GENTIBVS. Lege Actus Apoſtolorum, & inuenies admiratos fuiſſe Chriſtianos, de hoc quòd in gentibus diuina gratia diffuſa eſſet, cùm Petrus acceſſit ad Cornelium Centurionem. Inde enim apparet quòd non omnibus ſanctis, ſed quibus voluit Deus notificauit quæ ſunt diuitiæ gloriæ latentis in myſterio conuerſionis gentium. Fuit ſiquidem in Deo velut arcanum reconditum quod gentes conſecuturæ eſſent per Euangelium Chriſti non ſolum gloria, ſed diuitias gloriæ, ſed opulentiam gloriæ. Putabant enim quòd gentes futuræ eſſent quemadmodum proſelyti inter Iudæos. Effectus autem demonſtrauit quod diuitiæ gloriæ communicatæ ſunt gentibus non vt proſelytis, ſed ex æquo ipſis & Iudæis: imo magis ipſis quam Iudæis, vſquequo introeat plenitudo gentium. Et ad hoc implendum ſtudebat Paulus gentium Apoſtolus.

Myſterium abſconditum à ſeculis eſt conuerſio gentium.

QVOD pro *qui*, EST CHRISTVS. Relatiuũ *qui*, diuitias refert, & eſt enim dictio interpretata *diuitiæ* maſculini generis, & ſingularis numeri. Et explicat quod Chriſtus eſt ipſi opulentia gloriæ myſterij manifeſtati in gẽtibus. Et vere eſt opulentia gloriæ quonia non ſolu in ſeipſo habet omnem plenitudinem gloriæ, ſed etiam eſt ratio ditandi omnes alios gloria. Vnde & ſubdit: IN VOBIS SPES GLORIÆ. Idem Chriſtus qui eſt diuitiæ gloriæ, eſt in vobis ſpes eiuſdem gloriæ: pro quanto eſt vobis ratio ſperandi eandem gloriam.

Chriſtus eſt opulentia gentium.

QVEM NOS ANNVNTIAVIMVS. Non enim Verſ. 28.
noſipſos prædicamus, ſed Chriſtum. CORRIPIENTES, pro *admonentes*, OMNEM HOMINEM. circa agenda. ET DOCENTES. Deeſt *omnem hominem*. ſcienda. IN OMNI SAPIENTIA. Tam monitio excitans affectum, quam doctrina aperiẽs intellectum, ad omnem hominem extenditur: vt neceſſaria omni homini, & non alicui ſic, & alicui non, explicetur Euangelica doctrina ac monitio. Et vtraque fit in omni ſapientia tam diuinorum quàm humanorum ſpectantium ad ſalutem: quia ſecundùm diuinas regulas fit monitio, & ſecundùm diuinam rationem fit doctrina.

Doctrina & monitio Euangelica omnibus neceſſaria.

VT EXHIBEAMVS OMNEM HOMINEM PERFECTVM IN CHRISTO IESV. Ecce quò tendit Euangelicum officium, ad exhibendum omnem hominem (abſque delectu ſexus, conditionis, nationis, &c.) perfectum, ita vt nihil Dei deſit in Chriſto Ieſu.

IN QVO, pro *in quod*, ET LABORO. in quod of- Verſ. 29.
ficium exhibendi quantùm eſt ex parte mea omnem hominem perfectum in Chriſto *& laboro*. CERTANDO SECVNDVM OPERATIONEM EIVS. hoc eſt, ſecundum efficaciam Chriſti. Dictio ſiquidem interpretata *operationem*, internam vim ſeu efficaciam ſonat operis. QVAM, pro *qua* efficacia Chriſti. OPERATVR IN ME VIRTVTE, pro *potentia*. Ego quidem laboro certans ſecundum efficaciam Chriſti: verùm ipſa Chriſti efficacia operatur in me in potentia miraculorum, ad teſtificandum veritatem Euangelicæ doctrinæ quam prædico.

CAPVT II.

VOLO ENIM VOS SCIRE. Tractat illam Verſ. 1.
particulam, *in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius remiſſionem peccatorum*. Introducit autem tractatum ipſius per modum certaminis aduerſus diuerſos impugnatores Chriſtianæ veritatis. Et propter hoc continuat hanc partem cũ præcedenti quam finierat dicendo *in quod laboro certans*, &c. ad hoc ſiquidem addit coniunctionem *enim*, dicendo *volo enim vos ſcire*. Rationem enim reddit laboris ſui certaminis. QVALEM SOLICITVDINEM, pro *quantum certamen*, HABEAM PRO, pro *de*, VOBIS ET IIS QVI SVNT LAODICIÆ, ET QVICVNQVE NON VIDERVNT FACIEM, pro *perſonam*, MEAM IN CARNE. Non ſolùm certabat Paulus tuendo eos quibus prædicauerat, ſed multo ſtudio certabat monitis, inſtructionibus, & nuntiis, vt etiam alij Chriſtiani qui eum nunquam viderant, perſeuerarent ac proficerent in fide Chriſti.

Solicitudo Apoſtoli.

VT CONSOLENTVR. Paſſiue abutitur *conſo-* Verſ. 2.
lentur: hoc eſt conſolationem accipiant. CORDA IPSORVM INSTRVCTI, pro *compactorum*, IN CHARITATE. Ecce quorſum tantum certamen Paulus aſſumpſit de iis qui non viderant ipſum, vt ſcilicet ipſorum non omnium ſed compacto

compactorum in charitate corda conſolationẽ accipiant. ET IN OMNES DIVITIAS PLENITVDINIS, pro *plenariæ certitudinis*, INTELLECTVS. Coniunctio *&*, denotat accumulationem rei conſolatoriæ, eſt enim ſenſus, vt ipſorum compactorum in charitate corda accipiant conſolationem, addendo conſolationi charitatis etiã conſolationẽ acceſſus ad omnes diuitias plenæ certitudinis intellectus. Præpoſitio ſiquidẽ *in*, accuſatiuo iuncta, acceſſum denotat. Nec dicit in certitudinem intellectus, ſed dicit in plenariam certitudinem intellectus, vt non ex parte tollatur hæſitatio intellectus, ſed vndique. Nec etiam dicit, in plenam certitudinem intellectus, ſed *in omnes diuitias* in omnem copiam plenæ certitudinis. Certitudo intellectus eſt quando intellectus non dubitat de iis quæ ſunt fidei. Et hæc eſt communis ac neceſſaria Chriſtianis omnibus: dubius enim in fide, infidelis eſt. Plenaria autem certitudo (ad ſimilitudinem teſtimoniorum facientium in Prætoriis nõ ſemiplenam ſed plenam probationem) dicitur quæ ex teſtimoniis fidei prouenit: ſiue externis dictorũ aut factorũ Dei vel ſanctorũ, ſiue ex interna extẽſione luminis fidei, aut gratuiti auxilij diuini ad cumulum certitudinis.

Certitudo intellectus eſt quando non dubitat de rebus fidei.

Diuitiæ autem plenæ certitudinis conſiſtũt in copia teſtimoniorum ad diuerſas materias quæ diſputantur in fide: ac per hoc omnes diuitiæ conſiſtũt in vniuerſis teſtimoniis ad materias emergentes in fide: puta ad materiã Arrianam, ad materiam Photini, & ſic de aliis. Dicit ergo Paulus, quòd certamen tantum aſſumpſit, vt ipſorum qui conſolati iam ſunt in charitate, corda conſolentur etiam non habendo, ſed accedendo ad omnes diuitias plenariæ certitudinis intellectus: hoc eſt, ad vniuerſam copiam teſtimoniorum plene certificantium intellectum in omni materia fidei. Vnde & ſubiungit materiam certitudinis, dicendo,

Diuitiæ plenæ certitudinis intellectus quænam.

IN AGNITIONE, pro *in agnitionem*, myſterij Dei. Deficit, *Et Patris & Chriſti Ieſu*. Superfluit *Ieſu*. Ecce progreſſus, vt progrediantur in omnes diuitias plenæ certitudinis intellectus: nõ in quacunque materia, ſed progrediendo in agnitionem myſterij, tum Dei, tum patris, tum Chriſti. Deus nomen eſt naturæ, pater nomen eſt perſonæ, ſi de Trinitate eſt ſermo: alioquin nomen eſt amoris quo adoptauit nos Deus. Nec vſquequaque liquet quo ſenſu Paulus vtatur hîc *patris* nomine: nam vtrumque poteſt ſignificari, ſcilicet vt agnitioni diuinæ naturæ adiungatur agnitio Trinitatis perſonarum, vel adiungatur agnitio paterni amoris erga nos. Primus tamen ſenſus magis videtur quadrare interpoſitioni inter Deum & Chriſtum. Quia tamen nulla mentio de Trinitate inferius fit, ſed de officio paterno Dei erga nos, abiiciendus non eſt ſecundus ſenſus. Quot autem, quanta, & qualia comprehendantur ſub myſterio Dei & patris & Chriſti, explicari non poteſt.

Verſ. 3. IN QVO SVNT OMNES THESAVRI SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ ABSCONDITI. Dixerat, ad cognoſcendum myſterium, tum Dei, tum patris Chriſti: & quoniam de Deo ac de patre nulla erat ambiguitas, de Chriſto qui homo eſt, ſubiungit, *in quo ſunt omnes theſauri*, &c. vt hinc æqualem ſignificet Chriſtum Deo & patri: vt magnitudo myſterij penſetur non ſolùm in cognitione Dei & patris, ſed in cognitione Chriſti, ex eo quod in ipſo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ diuinorum, & ſcientiæ creatorũ, non effuſi, ſed abſconditi ab oculis vniuerſæ creaturæ: vel abſconditi natura humana quaſi occultante diuinitatem eius, ratione cuius habet omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ: hoc eſt, clari iudicij & claræ notitiæ. Dictio enim interpretata *ſcientiæ*, cognitionem ſonat.

In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

Verſ. 4. HOC AVTEM DICO. Explanato fine quare certat, explicare incipit materiam certaminis multiplicem. Vnde pronomen *hoc*, demonſtrat certamen de quo dixerat, quantum certamen habeam. VT NEMO VOS DECIPIAT IN SVBLIMITATE SERMONVM, pro *in perſuaſibili eloquentia*. Prima certationis materia deſcribitur oratoria perſuaſio, arte dicendi fulta. Vnde coniicimus quod erant tunc temporis, qui dicendi arte fulti nitebantur abducere Chriſtianos à puritate fidei. Et propterea Paulus timens Coloſſenſibus ab huiuſmodi oratoribus, monet vt nemo eorum decipiatur huiuſmodi perſuaſionibus.

Oratores aliqui Chriſtianos à puritate fidei abducere ſua eloquentia nitebantur.

Verſ. 5. NAM ETSI CORPORE, pro *carne*, ABSENS SVM. Rationem ne decipiantur, intendit ſubiungere ex parte fidei & morum apud eos: & ne videatur diuinare aut ex auditu (qui poteſt falli) loqui de iis quæ apud Coloſſenſes ſũt, præmittit modum quo nouit ea quæ apud illos ſunt. Et propterea dicit: *nam etſi carne abſens ſum*: ac per hoc corporis oculis non video quæ apud vos ſunt. SED SPIRITV VOBISCVM SVM, ſpirituali præſentia apud vos ſum. Et ne hoc intelligeretur ſecundum affectum charitatis ſubiungit, GAVDENS ET VIDENS. Dicendo *videns*, manifeſtat ſe ſpirituali intuitu comitante gaudio apud eos eſſe. Quod autem videat, ſubiungit, ORDINEM VESTRVM ET FIRMAMENTVM EIVS, QVÆ IN CHRISTO EST FIDEI VESTRÆ. Duo dicit ſe videre: & ſoliditatem fidei in Chriſtum, & ordinem. Qui cum ſit materia gaudij, intelligitur rectus ordo in Eccleſia Coloſſenſium, tum circa ſpiritualia, tum circa temporalia viduis & pauperibus diſpenſando. Integer ſiquidem ordo intelligitur, ex quo ſine adiectione aliqua ſignificatur. Ex eo itaque quod in Coloſſenſibus ſunt hæc tanta bona (ſoliditatis ſcilicet fidei & rectitudinis ordinis,) monet vt caueant ne fallantur à dicacibus.

Verſ. 6. SICVT ERGO ACCEPISTIS IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Superfluit *noſtrum*. Ex ſoliditate fidei in eis, infert quòd ſicut acceperitis Ieſum Chriſtum eſſe Dominum, non horum aut illorum, ſed omnium, IN IPSO AMBVLATE. hoc eſt, conformis fidei ſit ambulatio ſpiritualis: quæ eſt proficere.

Verſ. 7. RADICATI ET SVPERÆDIFICATI IN IPSO. pro, *radicamini, & ſuperædificamini in ipſo*, ad ſimilitudinem plantarum radices figite in Chriſto; ad ſimilitudinem vero templi, ſuperædificamini in ipſo: hoc eſt, Chriſtus ſit fundamentum veſtri tanquam templi & ſit velut terra optima, in qua vos tanquam plantæ radices habeatis, vt continua vegetatio in Chriſto ſignificetur, & non ſola ſoliditas ſuſtentationis. ET CONFIRMATI. pro, *& confirmamini*, IN FIDE. Quã metaphora radicationis & ædificationis ſignificauerat, explicat proprietate verborum. SICVT ET DIDICISTIS,

pro *ſicut edocti eſtis*. Modus firmitatis deſcribitur iuxta doctrinam eorum qui docuerant Coloſſenſes. Sciebat enim quòd plene docti fuerant, quòd oportebat abſque omni hæſitatione, & abſque quacunque ſuſpicione oppoſiti firmari in fide. ABVNDANTES IN ILLO, pro *in illa*, videlicet in fide. IN GRATIARVM ACTIONE. hoc eſt, vt cognoſcatis magnum vobis collatum beneficium in hoc, quòd collatum eſt vobis credere in Chriſtum, &c.

Monet Coloſſenſes ne decipiantur per Philoſophiam & inanē fallaciam.

Verſ. 8. VIDETE NE QVIS VOS DECIPIAT, pro *deprædetur*. Secunda materia certaminis ſubiungitur aduerſus Philoſophos. Nec dixit, videte ne quis deprædetur veſtra, ſed *ne quis deprædetur vos*, ne quis voſipſos in prædam abducat. PER PHILOSOPHIAM ET INANEM FALLACIAM. Philoſophiæ adiungit inanem fallaciam quantùm ad officium prædandi homines a fide Chriſtiana, quia non veritatis Philoſophiæ officium eſt prædari Chriſtianos, niſi ei adiungatur inanis fallacia. Quæ quia dupliciter adiungitur Philoſophiæ, ideo ſubiungit,

SECVNDVM TRADITIONEM HOMINVM, SECVNDVM ELEMENTA MVNDI. Aut enim inanis fallacia iungitur Philoſophiæ ex traditione hominum: puta ex ſecta Stoicorum vel Peripateticorum, & huiuſmodi. Aut ex elementis mundi: hoc eſt, ex metiri & iudicare ea quæ ſunt Chriſtianæ fidei ſecundùm elementa mũdi: hoc eſt, cauſas cœleſtes & elementares, & compoſitorum ex his. Hoc enim inanis eſt fallaciæ, pro quanto iudicium quod ex huiuſmodi cauſis haberi poteſt non ſe extendit ad excelſa Chriſti myſteria, quæ fide tenemus: nam Chriſti myſteria ſpiritualia ſunt, & independentia ab elementis conſtituentibus mundum. Propter quod & ſubdit,

Quomodo Philoſophia aduerſetur, & non aduerſetur Chriſto.

ET NON SECVNDVM CHRISTVM. Philoſophia ſecundùm elementa mundi ſi ſiſtit in propriis, non aduerſatur Chriſto, ſed eſt ſecundùm Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis: ſed ſi præſumit in excelſiora (qualia ſunt myſteria fidei Chriſtianæ) non ſecundùm Chriſtum, ſed aduerſùs Chriſtum eſt, vtpote quæ inani innititur fallaciæ. Quæ ideò dicitur *inanis*, quia fruſtra nititur, quia vanis innititur fundamentis aduerſùs ea quæ ſunt fidei.

Chriſtū elementis mūdi & traditioni hominū præponderare oſtendit.

Verſ. 9. QVIA IN IPSO INHABITAT OMNIS PLENITVDO DIVINITATIS CORPORALITER. E regione Philoſophiæ *ſecundùm traditionem hominum*, ac *ſecundùm elemẽta mundi*, dixerat *& non ſecundum Chriſtum*, manifeſtat modò præpõderare Chriſtum elementis mundi, & deinde traditioni hominum. Et elementis quidem mundi præſtare Chriſtum, manifeſtat per hoc *quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. In elementis mundi inueniri diuinitatem & præcipue in primis elementis quæ ſunt corpora cœleſtia, omnes fatentur. Et propterea Paulus è regione dicit, in Chriſto habitare non diuinitatem, ſed omnem plenitudinem diuinitatis, non qualitercunque ſed corporaliter. In elementis ſiquidem mundi habitat Deus ſecundùm efficientiam, ordinem, perpetuitatem, & alios partiales effectus: in Chriſto autem non plenitudo effectuum, ſed plenitudo diuinitatis habitat, imò omnis plenitudo diuinitatis: vt intelligamus quòd deitas ex integro habitat in Chriſto corporaliter.

Vbi aduerte prudens lector Paulum dicere quòd in Chriſto omnis deitatis plenitudo inhabitat corporaliter, & non dicere *eſt corporaliter*. Habet ſiquidem vnio deitatis cum humanā natura in Chriſto duo valde mirabilia. Alterum eſt, quòd ipſa deitas ſubſtantiale eſſe corporeum in illo habet: dicente Ioanne: *Verbum caro factum eſt*, & hoc ſignificatur dicendo *corporaliter*. Alterum, quòd abſque quacunque ſui mutatione deitatis in Chriſto habet illud ſubſtantiale eſſe corporeum: & ad hoc ſignificandum dicitur *inhabitat*. Inhabitatio enim nullam mutationem ſignificat in habitante. Vnde ſi vtrumque ſimul iungas (ſcilicet *inhabitat corporaliter*) intelliges quòd abſque mutatione quacunque deitatis non extrinſeca denominatione ſed ſecundum eſſe ſubſtantiale corporis, deitas eſt in Chriſto. Quod ſi intelligere voluiſſet Neſtorius, non dogmatizaſſet deitatem habitare in Chriſto tanquam in templo. Ad hoc enim addidit Paulus *corporaliter*, vt vnionem ſubſtantialem explicaret cum corpore: per quam differt ab habitatione Dei in mentibus etiam beatorum, & non ſolum ab habitatione Dei in elementis mundi.

Vnionis hypoſtaticæ duo valde mirabilia.

ET ESTIS IN ILLO REPLETI QVI EST CAPVT OMNIS PRINCIPATVS ET POTESTATIS. Verſ. 10. E regione ad Philoſophiam *ſecundùm traditionem hominum* explicat notitiam qua repleti ſunt Chriſtiani in Chriſto, eſſe non traditione hominum, ſed traditione illius qui eſt caput etiam omnium Angelorum. Quanta ergo eſt differentia inter traditionem hominum & caput Angelorum, tanta eſt differentia inter Philoſophiam traditam ab hominibus, & notitiam fidei traditam à Chriſto. Et in hoc Paulus excellentiam Chriſtianæ notitiæ ſignificat: quòd nec etiam ab Angelis, ſed à capite Angelorum tradita eſt immediatè hominibus, à Chriſto ſcilicet.

Circumciſio impletur per Chriſtum in baptiſmo.

IN QVO ET CIRCVMCISI ESTIS. Verſ. 11. Tertia materia certaminis aduerſus pſeudoapoſtolos cogẽtes ſeruare legalia, tractatur declarando in primis circumciſionẽ quæ erat profeſſio totius legis, impleri in Chriſtianis per Chriſtum in baptiſmo: ac per hoc nõ egere circumciſione carnali. Dicit itaque, *in quo*, Chriſto etenim eſtis circũciſi. CIRCVMCISIONE NON MANVFACTA. Triplici conditione deſcribit circumciſionem in Chriſto. Prima eſt quòd non eſt circumciſio facta manu qualis eſt circumciſio legalis. DE EXPOLIATIONE CORPORIS. Deficit *peccatorum carnis*. Secunda conditio eſt, quòd huiuſmodi circumciſio non tollit pelliculã carnis, ſed tollit corpus peccatorum: hoc eſt, vniuerſam congeriem peccatorum. Et denominat corpus peccatorum carnis, eo quòd vniuerſa congeries peccatorum ex fomite prouenit.

SED IN CIRCVMCISIONE CHRISTI. Superfluit *ſed*. Tertia conditio eſt quòd huiuſmodi nõ eſt circumciſio Moyſi aut patrũ, ſed eſt circumciſio Chriſti. Hanc enim ſpiritualem circumciſionẽ tollentem corpus peccatorum ſolus Chriſtus efficere poteſt: & ideò circumciſio Chriſti appellatur. Modus autem quõ fit huiuſmodi circumciſio Chriſti, explicatur ſubiungendo:

In baptiſmo Chriſto ſepulto aſſimilamur.

CONSEPVLTI EI IN BAPTISMO. Verſ. 12. Per baptiſmum fit iſta circumciſio, in quo aſſimilamur Chriſto ſepulto. In hoc enim quòd ſub aqua mergimur in baptiſmo, aſſimilamur Chriſto ſub terra condito cùm ſepultus fuit. Significat enim huiuſmodi aſſimilatio cũ qui baptizatur

non ſolum mortuum, ſed ſepultum priſtinæ peccatorum vitæ, quemadmodum corpus Chriſti ſepultum totaliter alienum fuit a priſtina vita animali.

IN QVO ET CONSVRREXISTIS PER FIDEM OPERATIONIS DEI, QVI SVSCITAVIT ILLVM A MORTVIS. Ritus baptiſmi habet, vt qui baptizatur ſub aqua mergatur, & ex aqua leuetur: & quemadmodum merſio ſub aqua aſſimilat Chriſto ſepulto, ita emerſio ex aqua aſſimilat Chriſto reſurgenti à morte. Significatur ſiquidem per emerſionem noua vita per fidem reſurrectionis Chriſti, vt quemadmodum Chriſtus ſurrexit in vitam nouam operatione Dei qui ſuſcitauit illum, ita qui baptizetur in nouã ſubit vitam ſpiritualem per fidem eiuſdem operationis quâ Deus ſuſcitauit Chriſtum à mortuis. Explicat ſiquidem in fide reſurrectionis Chriſti contineri tum quòd reſurrectio illa facta eſt operatione Dei, tum multa Dei opera effecta quæ ſubiungit. Ita quòd ſuſcitatio Chriſti pars eſt operationis Dei quam credendo viuificamur. Reliquę verò partes huius operationis ſubiunguntur: videlicet viuificatio noſtra, condonatio delictorum, deletio chirographi, & reliquę quæ ſubiũguntur. Purus enim homo nõ poteſt ſuſcitare ſeipsũ nec aliũ.

Verſ. 13. ET VOS CÙM MORTVI ESSETIS DELICTIS ET PRÆPVTIO CARNIS VESTRÆ, CONVIVIFICAVIT CVM ILLO. Ecce alia pars operationis Dei: quâ Gentiles cùm eſſent ſpiritualiter mortui malâ morte, vtpote in delictis, & perſeuerante ſtatu præputij, hoc eſt, & non eſſetis proſelyti Iudæorum, conuiuificauit, vitâ ſpirituali, cum illo Chriſto ſuſcitato ad vitã immortalẽ.

Vbi aduerte prudens lector quòd ideo meminit Paulus vtriuſque (ſcilicet mortis animæ ob peccata, & ſtatus præputij perſeuerantis in gentilibus) vt monſtret gratiam Dei ad viuificandũ illos abſque carnali circumciſione per fidem operationis Dei, qua hæc operatur.

Condonatio peccatorũ per Chriſtum. DONANS VOBIS. pro, *nobis* OMNIA DELICTA. Ecce tertia pars operationis Dei condonatio omnium peccatorum. Et à ſecunda perſona tranſit in primam. Dixerat enim, *& vos Gentiles*: modò autem dicit, *donans nobis*: quia ſtatus præputij proprius erat gentilibus, condonatio autem peccatorum communis eſt Gentilibus & Iudæis. Et per hoc explicat modum quo viuificauit Deus nos cum Chriſto, ſcilicet condonando nobis peccata omnia: hoc eſt, non noſtrâ ſatisfactione, non noſtris meritis, ſed liberali dono:

Verſ. 14. DELENS. pro, *cùm deleuit*, QVOD ADVERSVS NOS ERAT CHIROGRAPHVM DECRETI. pro, *decretis*, QVOD ERAT CONTRARIVM NOBIS. Quarta pars operationis Dei explicatur. *Decretis* datiui eſt caſus. Et eſt ordo literæ: Delens chirographum quod decretis aduerſus nos erat, quod erat contrarium nobis. Eſt ſiquidem ſenſus quod deleuit chirographum in fauorem decretorum aduerſus nos quod erat contrarium nobis. Duæ enim conditiones chirographi deſcribuntur. *Chirographi quod deleuit Chriſtus duæ conditiones.* Altera quòd erat decretis aduerſus nos, hoc eſt, in fauorem decretorum aduerſus nos. Altera quòd erat contrarium nobis: quemadmodum ſententia in fauorem legũ contraria eſt iis qui deliquerunt. Verùm Paulus non vtitur metaphorâ ſententiæ, ſed metaphorâ chirographi (hoc eſt, libelli manu noſtra inſcripti) decretis, hoc eſt, in fidem ſeruandorum decretorum. De lege ſiquidem Moyſi loquitur: quæ lex mandatorum, decretorum, ac factorum appellatur. Et ad ſimilitudinem chirographi erat circunciſio, quâ quilibet vel manu inſcribebat decretis ſeruandis, pro quanto circunciſio erat profeſſio vniuerſæ legis ſeruandæ. Et apte deſcribit *decretis aduerſus nos*: quia legalia præcepta & erant intolerabilia (dicente Petro quod nec nos, nec patres noſtri iugum legis portare potuimus) & excitabant concupiſcentiam, quia nitimur in vetitum; & erant ac puniendum, non ad iuuandum: vtpote non præſtantia auxilium gratiæ, ſed obligando ad pœnam tranſgreſſores. Ipſum quoque chirographum contrarium nobis dicit pro quanto debitores ſeruandæ legis Iudæorum, conteſtando reos violatę legis accuſabat. Conſidera prudens lector materiam de qua eſt ſermo: eſt enim ſermo de libertate à circunciſione legali & reliquis legalibus: & perpende Paulũ ſtudere ad hoc vt monſtret Gentilibus deleta eſſe à Deo per Chriſtũ legalia. *Quid intendat hic Apoſtolus.* Et beneficium collatũ gentibus in ſtatu præputij, collatum quoque monſtrat & Iudæis, delendò circuncisionem & legalia reliqua. Communia ſiquidẽ ſunt beneficia viuificationis & cõdonationis peccatorũ: ſed modus deſcribitur diuerſus. Gentiles enim hæc conſequuntur in ſuo præputij ſtatu, Iudæi autem deletâ obligatione circunciſionis & legalium.

ET IPSVM TVLIT È MEDIO, AFFIGENS ILLVD. pro, *affixo illo*, CRVCI. Quinta pars operationis Dei deſcribitur. Et proſequendo ſimilitudinem chirographi dicit: Deus non ſolum deleuit chirographum, ſed tulit ipſum è medio, hoc eſt, ex ordine rerum. Nec hoc effecit lacerando illud, ſed affigendo illud cruci, tanquam occidendo illud in cruce, quiã verè in cruce Chriſti annullauit Deus omnem obligationem legalium: ideo Paulus dicit, illud tulit è medio affigendo cruci. *Legalium obligationem cruce ſua ſuſtulit Chriſtum.*

ET EXPOLIANS. pro, *expoliatos*, PRINCIPATVS ET POTESTATES TRADVXIT PALAM CONFIDENTER, TRIVMPHANS. pro, *cum triumphauit*, ILLOS IN SEIPSO. Verſ. 15. Superfluit ſe. Legendum eſt *in ipſo*: nam vt clarè contextus ſonat, Deo attribuuntur omnes operationes narratæ cum hac ſexta triumphali. Et quemadmodum Deus deſcriptus eſt viuificans, donans, delens, tollens, affigenſque cruci, ita deſcribitur ſpolians, traducens, & triumphans in Chriſto, ad ſignificandum quòd non puri hominis ſunt officia hæc, ſed Dei in homine Chriſto. Et ſcito quòd participia *delens*, *affigens*, *expolians*, *triumphans*, ſunt præteriti temporis actiua, quibus Latina lingua caret. Et propterea vel in paſſiua præteriti temporis participia *affixo*, *expoliato*, vel in verba præteriti perfecti (*cum deleuit*, *cum triumphauit*) mutantur, prout clarius quadrare videntur ſeruato tenore & ſenſu. Dictio quoque vna interpretata eſt *palam confidenter*, ad explicandum integrè ſenſum Græcæ dictionis ſignificantis auſum palam.

Tertiam itaque efficaciam Dei in Chriſto moriente & reſurgente deſcribit. Primùm enim deſcripſit efficaciam erga Gentiles viuificando conſepultos Chriſto: deinde erga Iudæos tollendo obligationem legis per crucem.

Modò erga dæmones, ſpoliando illos ſanctis omnibus qui erant in limbo, & triumphando de illis ſubactis, & traducendo palã confidẽter.

Traduxit quid?

Dictio Græca interpretata *traduxit*, propriè ſignificat exemplificare. Et ſi refertur ad dæmones, in malam partem ſumitur, ſignificando quòd ad ſimilitudinem triumphantis Deus in Chriſto dæmones ſubactos fecit exemplum contumeliæ inuitæ ſubiectionis. Sic enim triumphantes duci faciebant ſubactos reges: quod erat facere eos exemplum aliis. Si autem referatur ad ſanctos qui erant velut ſpolia in triumpho Dei in Chriſto, ſic in bonam partem ſumitur: ſignificando quòd ſanctos poſuit in exemplum vt nos confidamus per eundem Chriſtum cum illis ſanctis felices futuros. Vtrique autem ſenſui quadrat *palam confidenter*: nam vtrumque factum eſt palam, & audacter abſque vlla ſuſpicione cuiuſcunque impedimenti. Et dixit hæc Paulus vt conſolaretur Coloſſenſes in copia teſtimoniorum diuinorum myſterij Dei in Chriſto: vt hinc certiores redderentur quòd plenè liberatum eſt genus humanum à ſeruitute peccati, à ſeruitute legis, à ſeruitute diaboli: & vt declararet modum quo eripuit nos de poteſtate tenebrarum, quod inter alia propoſuerat.

Verſ. 16. NEMO ERGO VOS IVDICET IN CIBO. Hæc illatio excluſiua legalium manifeſtat quòd de chirographo hoc eſt, inſcriptione facta decretis legis Moſaicæ, ſermo fuit. Inde ſiquidem infert, Nemo ergo vos iudicet in legalibus de cibo mundo vel immundo. AVT IN POTV, ſimiliter mundo vel immundo. Erant enim ſecundùm legem cibi aliqui immundi: & ſimiliter potus vaſe carente operculo erat immundus. AVT IN PARTE DIEI FESTI, AVT NEOMENIÆ, AVT SABBATORVM, hoc eſt, aut in partitione feſti à nõ feſto tam in diebus quàm in menſibus, quam in ſabbatis. Erant enim feſti aliqui dies, erant & principia ſingulorum menſium feſtiua, erant & ſabbata tum ſeptimi diei, tum ſeptimi menſis, tum ſeptimi anni, &c.

Potus ex vaſe carente operculo immundus.

Verſ. 17. QVÆ SVNT VMBRA FVTVRORVM, CORPVS AVTEM CHRISTI. Non dicit, quæ ſunt vmbræ præcedentium aut ſimultaneorum, ſed *futurorum*, ad ſimilitudinem vmbræ præcedentis corpus. Aſſimulat ſiquidem cærimonialia legis vmbræ ſequentis corporis, ad ſignificandum quòd ea quæ ſunt legis, ſignificabant ea quæ ſunt Chriſti tanquam vmbra corpus ſequens. Et vtitur ſimilitudine vmbræ tum propter certitudinem: vmbra enim eſt ſignum certum corporis cauſantis ipſam, tum propter cauſalitatem, vt intelligamus Chriſtum fuiſſe cauſam cærimoniarum legis, tum propter obſcuram ſignificationem, quã vmbra repræſentat corpus. Obſcurè ſiquidem cærimonialia legis repræſentabant ea quæ ſunt Chriſti. Tum præcipuè propter ceſſationem: vmbra enim ſequentis corporis adueniente corpore ceſſat: & ſimiliter legalia aduenientibus iis quæ ſunt Chriſti, ceſſant. Et propter hoc ſignificantius dixit *futurorum*. Vmbra enim futuri iam non eſt cùm futurum illud effectum eſt præſens. Et quemadmodum metaphoricè cærimonias legis appellat *vmbram*, ita metaphoricè appellat myſteria Chriſti *corpus* relatiuè ad vmbram: vmbra enim omnis eſt vmbra corporis. Et dixit corpus autẽ Chriſti, perinde ac ſi dixiſſet ſignificata autem Chriſti.

Cæremonialia legis vmbræ comparat.

NEMO VOS SEDVCAT, pro *brauio priuet*. Verſ. 18.
Quarta materia certaminis ſubiungitur aduerſus capita ſectarum ſub ſpecie religionis: hoc enim reliquum erat poſt certamina aduerſus oratores, aduerſus Philoſophos, aduerſus Iudæos. Inducit autem hos vt interceptores currentium ad brauium: quoniam ſub religioſioris formæ ſpecie tanquam augmentum religioſæ vitæ ingerentes impediunt, & priuant currentes ad brauium ſupernę vocationis. Pingit autem huiuſmodi capita ſectarum quatuor coloribus, vt diſcernantur à capitibus verè religioſorum Ordinum quæ Spiritus ſanctus præuidebat futura in Eccleſia Dei: Antonium, Baſilium, Benedictum, &c.

Sectarum capita quatuor coloribus depingit.

VOLENS IN HVMILITATE ET RELIGIONE ANGELORVM, Primus color iſtorum eſt quòd volunt vos in humilitate animi veſtri ſubditos, vt non audeatis diſcernere præcepta quæ dant, ſed ſimpliciter ſubiiciamini præceptis. Et præcepta eorum appellat præcepta religionis Angelorum, ſiue per Angelos intelligas ſubſtantias ſpirituales eis familiares, ſiue per Angelos intelligas ipſoſmet nominantes ſe Angelos, hoc eſt nuntios Dei ad inſtitutionem religionis. Alterum ſiquidem horum finxerunt quotquot religioſarum ſectarum capita fuerunt. In his itaque duobus (humilitate ſcilicet veſtri animi, & religione Angelorum) volunt voſipſos: nam participium *volens* refertur ad pronomen *vos*. Et eſt ordo literæ; nemo vos volens in humilitate & religione Angelorum brauio priuet. Et ſcito quòd dictio interpretata *religione* poteſt in bonam & in malam partẽ ſumi: hoc eſt & pro religione quæ verè eſt virtus, & pro religione quæ eſt ſuperſtitio. 1.

Religio Angelorum quæ.

QVÆ NON VIDIT AMBVLANS, pro *ingrediens*, FRVSTRA, Secunda conditio horum eſt quòd intrant ſeu inchoant quæ non vident, & hoc vanè. Potuiſſet dicere, fingunt ſe videre quæ non vident: ſed ab executione maluit deſcribere quòd intrant in præcepta ſeu inchoant præcepta quæ non vident, Diuino aut Angelico lumine. Et id fruſtra faciunt: vtpote non ſalutem animarum, quæ ſuapte natura eſt finis religionis & præceptorum eius. INFLATVS 2.
SENSV, pro *mente* CARNIS SVÆ. Tertia conditio horum eſt ſuperbia ſtudio carnalis affectus. Ad carnales ſiquidem obſeruationes aliis imponendas eleuatur ſupra alios. Et propterea inflati dicuntur ſtudioſà mente carnis ſuæ: hoc eſt, mente carnali, non ſpirituali. 3.

ET NON TENENS CAPVT EX QVO TOTVM CORPVS PER NEXVS ET CONIVNCTIONES SVBMINISTRATVM ET CONSTRVCTVM, pro *compactum*, CRESCIT IN AVGMENTVM, pro *auget augmentũ*, Verſ. 19.
DEI. Quarta conditio tribus affirmatiuis adiũcta negatiua eſt. Et quia *tenere* conſeruare eſt, nõ tenere caput eſt in huiuſmodi religione, nõ attendere ad caput, ſcilicet Chriſtum. Ad caput autem quatenus principium eſt augmenti ſpiritualis: nam de augmento dicit, *ex quo totum corpus per nexus*, &c. auget augmentum Dei. Hinc enim apparet quòd directè huiuſmodi religio opponitur augmento ſpirituali. Inſinuatur namque per hæc Pauli verba quòd huiuſmodi religio ad augmentum inſtituebatur: quemadmodum Religioſorum Ordines inter Chriſtianos, & ſectæ Phariſæorum 4.

Non tenere caput, eſt non attendere ad caput Chriſtum.

&

& Eſſæorum apud Iudæos ad meliorem vitæ frugem inſtitutæ ſunt. Propterea enim Paulus deſcribens huiuſmodi ſectarum capita, errare eos dicit in hoc quòd non tenent caput, quòd non ſeruant Chriſtum vt caput: ex quo totum corpus Eccleſiæ ad ſimilitudinem corporis naturalis per nexus neruorum, & coniunctiones mutuas compactum, & ſubminiſtratum internis operationibus augetur. Ecce officium: ex capite totum corpus auget, augendo efficit augmentum in toto, & in ſingulis partibus proportionaliter: augmentum inquam Dei, ad differentiam augmenti cærimonialis, augmenti opinati, augmenti coram hominibus.

Sequaces pſeudoapoſtolorum arguit.

Verſ. 20. Si mortvi estis cvm Christo. Deſcriptis capitibus ſectarum religioſarum abducentium à Chriſto, arguit conſequenter ſequaces eorum, argumentum ſumens a qualitate præceptorum huiuſmodi ſectarum: quia ſcilicet erant præcepta non ſpiritualia, ſed corporalia. *Si mortui*, inquit, *eſtis cum Chriſto*: hoc eſt, ſi vos ſpiritu eſtis mortui cum Chriſto mortuo ſecundum corpus. Ab elementis hvivs mvndi. Superfluit *huius*, Chriſtus ſecundùm corpus mortuus fuit ab elementis mundi, à corporeis omnibus: perdidit enim vitam corporis. In baptiſmo autem morimur ſpiritu ab elementis mundi, à corporeis omnibus, omittentes affectum ad omnia corporea. Qvid adhvc tanqvam viventes in mvndo discernitis, pro *dogmatizamini*. Superfluit *adhuc*. Conuincit eos quòd contra mortem quâ cum Chriſto mortui ſunt, ſe gerunt, ſuſcipiendo dogmata corporalia ſubiuncta.

Verſ. 21. Ne tetigeritis, pro *tetigeris*. neqve gvstaveritis, pro *guſtaueris*. neqve contrectaveritis, pro *contrectaueris*. Præcepta corporalium obſeruationum inducit ternario numero ad comprehendendum omnia. Neque clare intelligimus huiuſmodi præcepta in ſpecie circa quæ erant: ſed ſolùm quòd non erant præcepta corporalium obſeruationum tanquam religioſarum. Et propterea Paulus dicit quòd tanquam viuentes in mundo ſuſcipiunt hæc dogmata: hoc eſt, quòd tanquam affecti ad corporalia ſuſcipiunt hæc religionis præcepta.

Et cautè dicit *tanquam*: quoniam ſequaces ſectarum affectu ſpirituali fallebantur, & non affectu, ſed facto erant dediti corporalibus obſeruationibus.

Verſ. 22. Qvæ svnt omnia in interitv, pro *in interitum*, ipso vsv, pro *abuſu*, secvndvm præcepta et doctrinas hominvm. Fructum ſimul & authoritatem horum præceptorum manifeſtat. Authoritatem quidem ſecundùm præcepta & doctrinas hominum. Et hoc dicit ad excludendum, & nomen Angelorum, & viſiones veras, prout propoſuerat dicendo *quæ non vidit ingrediens*: apertè per hoc ſignificando quòd non eſt religio Angelorum, ſed ſunt præcepta & doctrinæ hominum. Fructus vero quem ſuperius propoſuerat *fruſtra* explicatur quòd omnia ſunt in interitum. Ita quòd ſunt fruſtra quoad bonum animæ, omnia ſunt in interitu ipſo abuſu, hoc eſt ipſa obſeruatione, non ex vi obſeruationis, ipſo abuſu ſecundum præcepta & doctrinas hominum.

Obſeruationē horum præceptorum corporalium abuſum appellat.

Obſeruationem talium præceptorum abuſum appellat: quia verè abuſus eſt libertatis viuendi corporalibus. Et dicit ipſam non interitum, ſed *in interitum*: ad ſignificandum quod ducit ad interitum animæ: ad explicandum quod ſuperiùs dixerat, *nemo vos brauio fraudet*. Abducunt enim huiuſmodi ſuperſtitiones ab augmento in Chriſto: abducunt a ſpiritu: & ſic ducunt in interitum animæ.

Qvæ svnt rationem qvidem habentia sapientiæ. Verſ. 23. Declaratis authoritate & fructu huiuſmodi præceptorum, declarat religionem ac humilitatem in eiſdem: vtramque enim ſuperiùs propoſuerat. Et dicit quòd habent rationē (hoc eſt ſpeciem) ſapiētiæ, quoad tria ſubiuncta. In svperstitione, pro *in religione*. et hvmilitate, et non ad parcendvm corpori, pro *& imparcimonia corporis*. Vbi ſcito quòd eadem dictio eſt hic & ſuperiùs interpretata *religione*: & eſt communis, vt dictum eſt, veræ & ſuperſtitioſæ religionis. Rurſus dictio interpretata *imparcimonia*, penuria vocabulorum ſic expreſſa eſt. Significat enim ſi dici liceret *imparcentiam*. Quoad hæc tria præcepta hæc ſpeciem habent ſapientiæ: nā prætendunt religionem in opere, humilitatē in animis ſequacium, & imparcentiam: hoc eſt, etiam cum incommodis & afflictionibus exactā executionē. Non in honore aliqvo. Explicata ſpecie ſapientiæ quoad tria, ſubiungit veritatem quoad duo. Quorum primum eſt, non in honore aliquo. Et eſt ſenſus quòd quamuis hæc præcepta habeant ſpeciem ſapientiæ in his tribus, non tamen in honore aliquo. Vbi non affirmat cōtumeliam ſeu vituperium, ſed negat honorem, vt manifeſtet quòd verè fruſtra ſunt quoad bona animæ, quia non ſolùm aliena ſunt à bono interno ipſius animæ, ſed etiam à bono externo quod eſt honor. Tanquam ſi apertiùs diceret, tolerabilia fortè eſſent ſi eſſent cum aliquo honore, ſed ex quo in nullo ſunt honore, intolerabilia redduntur.

Sed ad satvritatem, pro *ad ſatietatem* carnis. Ecce alterum inuentum ſecundum veritatem in his præceptis, quòd ſcilicet ſunt *ad ſatietatem carnis*: hoc eſt, ad ſatietatem corporalium obſeruationum, ad ſatietatem carnalis affectus erga religioſas obſeruationes: vnde & ſuperius dixit *inflatus mente carnis ſuæ*. Et inſinuatur per hoc tanta multitudo obſeruationum carnalium, quòd ſunt vſque ad ſatietatem, tam præcipientium, quam obſequentium. Non mireris prudens lector ſi partem hanc aduerſus capita ſectarum tractauimus in genere. Ignorantia ſiquidem facti (hoc eſt ſectæ illius aduerſus quam Paulus loquitur) in cauſa eſt.

CAPVT III.

Verſ. 1. Igitvr si consvrrexistis cvm Christo. Superfluit *cum*. Tractat illam particulam, *idoneos nos fecit in partem ſortis ſanctorū in lumine*, vnde ex ipſa ſorte ſanctorum, quæ in Chriſti reſurrectione inchoata eſt, incipit monere, inferendo ex ea quod ſuperius dixerat *in quo & conſurrexiſtis*. Inde ſiquidem inferendo dicit: *Igitur ſi conſurrexiſtis Chriſto*. Qvæ svrsvm, pro *ſupra*, svnt qværite. Ecce ſors ſanctorum quærenda ſupra,

VBI CHRISTVS EST IN DEXTERA DEI SEDENS. Non ſufficit dicere *quæ ſupra ſunt*, ſed oportet adiungere locum felicitatis Chriſti: vt non vage quæramus ſuperna, ſed ea quæ ibi ſunt, vbi Chriſtus eſt ſedens in dextera Dei, hoc eſt, in optimis Dei bonis quieſcens & regnans.

Omnes animi vires verſus cæleſtia intendenda.

QVÆ SVRSVM, pro *ſupra*, SVNT SAPITE, pro *ſentite*. Non ſolum quærere, quod eſt deſiderij & operis, ſed etiam ſentire (quod eſt intellectus) monet quæ ſuprà ſunt: vt intelligamus omnes animi vires expediendas eſſe in actionibus ſuis erga ea quæ ſunt ſuperna. NON SVPER TERRAM. hoc eſt infima. Ac ſi apertiùs dixiſſet; non poteſtis ſimul ſentire & quærere quæ ſuperna ſunt & quæ infima ſunt: ſed ſi ſurrexiſtis ſpiritu cum Chriſto, oportet vos ſic ſentire & quærere quæ ſuprà ſunt, vt nec ſentiatis nec quæratis quæ ſunt ſuper terram, hoc eſt, infima: nam infima pars vniuerſi, eſt terra. Et hoc intellige vt beatitudinem, vt felicitatem: non prohibemur enim quærere quæ ſunt ſuper terram, vt media ad felicitatem, vt ſubſidia temporalia: ſed prohibemur ea quærere & apprehendere vt felicitatem, vt beatitudinem noſtram. Sic enim ſola ea quæ ſupra ſunt, quærenda & apprehendenda ſunt.

Verſ. 3. MORTVI ENIM ESTIS, ET VITA VESTRA ABSCONDITA EST CVM CHRISTO IN DEO. Rationẽ reddit vtriuſque partis præceptæ: videlicet *non quæ ſuper terram*, dicendo, *mortui eſtis*: & *quæ ſuprà ſunt*, dicendo, *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Nam ſenſus eſt quòd in baptiſmo morimur vitæ terrenæ, & inchoamus vitam cæleſtem, quæ eſt vita ſpiritualis, quæ abſcondita eſt huic mundo cum Chriſto, abſcondito huic mundo, quamuis in ſupernis manifeſtiſſimo. Et dicit *in Deo*, ad ſignificandum tum quòd in veritate abſcondita eſt vita noſtra cum Chriſto: tum quòd abſconſio non eſt per interpoſitionem velaminum aut locorum, ſed in ipſo Deo: vt non miremur de abſconſione, ſed intelligamus quòd quemadmodum Deus eſt nobis occultus, ita vita noſtra cũ Chriſto in Deo recondita, eſt mundo occulta.

In baptiſmo morimur vitæ terrenæ vt viuamus cæleſti.

Verſ. 4. CVM AVTEM CHRISTVS APPARVERIT VITA VESTRA, pro *noſtra*. De apparitione in iudicio vniuerſali (quando Chriſtus iam non occultus, ſed manifeſtus erit vniuerſis) eſt ſermo. Quòd autem dicitur *vita noſtra*, poteſt referri, vel ad *apparuerit*, vel ad *Chriſtus*. Et referendo ad *apparuerit*, effectum apparitionis ſignificat: quoniam apparebit tunc viuificans nos in corpore immortali vitá. Si autem refertur ad *Chriſtus*, cauſalis eſt enunciatio: pro quanto Chriſtus eſt cauſa vitæ noſtræ, quæ in Deo modò eſt abſcondita cum Chriſto.

TVNC ET VOS APPAREBITIS CVM IPSO IN GLORIA. Ecce fructus ſentiendi & quærendi quæ ſuprà ſunt, ecce terminus abſconditæ vitæ cum Chriſto. Tunc enim & vos apparebitis vniuerſo mundo manifeſti cum eodem Chriſto, cum quo modò eſtis abſconditi: apparebitis autem non qualitercunque, ſed glorioſi. Sub gloria enim intelliguntur omnes partes beatitudinis & animæ & corporis.

Verſ. 5. MORTIFICATE ERGO MEMBRA VESTRA QVÆ SVNT SVPER TERRAM. Explicatis *quæ ſupra ſunt*, explicat *non quæ ſuper terram*, inferendo ex eadẽ radice: quia ſcilicet mortui eſtis ſecundùm animam iis quæ ſuper terram ſunt: conſequens eſt vt membra veſtra quoque quæ ſuper terrã (hoc eſt, infima membra veſtra) mortificetis. Quæ ſunt autem iſta membra, ſubiungit: FORNICATIONEM, IMMVNDITIAM, LIBIDINEM, CONCVPISCENTIAM MALAM, ET AVARITIAM QVÆ EST IDOLORVM SERVITVS, pro *cultus*. Recole ſuperius dictum in expoliatione corporis peccatorum carnis: & non miraberis hæc vitia appellari *membra*. Sicut enim vniuerſitas peccatorũ appellatur corpus, ita particularia peccata appellãtur *membra*. Et nominat ea *membra veſtra*, quia peccata ex nobis ſunt, iuxta illud: *Perditio tua Iſrael ex te eſt*. Et dicit *ſuper terram*, è regione operum ſpiritualium quæ ſunt velut membra ſpiritus tendentis ſurſum. Per *fornicationem* autem & *immunditiam* vniuerſa peccata venerea in opere intellige. Per *libidinem* autem & *concupiſcentiam malam* interna delicta intellige. Ita tamen quòd concupiſcentiam malam non reſtringas ad venerea, ſed prout in ſcriptura extenditur, *non concupiſces vxorem, non rem*, &c. Dictio autem interpretata *libidinem*, diſcordes habet interpretes: videtur tamen ſonare morbum animæ. Et quoniam diſtinguitur à concupiſcentia mala, conſonum non eſt vt delectatio mala ſignificetur. Ita vt inter peccata deſcribantur à delectatione & concupiſcentia. Delectatio ſiquidem communis eſt omni morbo animæ: cùm etiam ita quæ ex triſtitia cauſatur in delectationem terminetur, & triſtes ipſa triſtitia delectentur. *Auaritiam* autem appellat cultum ſimulachrorum, eo quòd auarus colit aurum & argentum, quemadmodum colens ſimulachra. Conueniunt ſiquidem & in materia & in affectu idololatra & auarus. Vterq; enim aurũ præponit Deo in affectu ſuo.

Membra eſt mortificanda.

Auaritia hic eſt cultus ſimulachrorũ: cur?

PROPTER QVÆ VENIT IRA DEI SVPER FILIOS INCREDVLITATIS. Verſ. 6. *Venit*, eſt temporis præſentis. Et dictio interpretata *incredulitatis*, interpretatur *inobedientiæ* ſeu *inſuaſibilitatis*. Sunt enim hic eadem verba cum ſcriptis ad Epheſ. 5. Et adiicit minas, vt etiam ex timore pœnæ moueantur: vel potius vt cognoſcant ita Deo placere bona quòd duplicent mala culpæ: & præſertim hæc, eo quòd etiam in præſenti vita punit pertinaces in his.

IN QVIBVS. ſubaudi *vitiis*. ET VOS AMBVLASTIS ALIQVANDO CVM VIVERETIS IN ILLIS. Verſ. 7. dixerat ſiquidẽ, *mortui enim eſtis*. Vbi aduerte quòd à principio huius capituli vſque ad hanc particulam locutus eſt ex conditione illa, *ſi conſurrexiſtis Chriſto*, inferendo *quærite, ſentite, mortificate*: modò autem affirmat ipſos Coloſſenſes ambulaſſe cum aliis Gentibus in huiuſmodi vitiis. Et propterea ſignificanter dicit, *& vos ambulaſtis*. Et ſubiungit non iam ex conditione inferendo, ſed abſolutè.

NVNC AVTEM DEPONITE ET VOS OMNIA. Quia Verſ. 8. de facto baptizati eſtis, *ideo nunc deponite & vos omnia*, tam dicta quam dicenda vitia. IRAM, INDIGNATIONEM, MALITIAM. Tria animi peccata progreſſu quodam ſupputat. Ex ira namque naſcitur indignatio, ſeu (vt aliis interpretibus placet) furor: & inde oritur malitia, quæ machinatur ad malum alterius. BLASPHEMIAM. in Deum. TVRPEM SERMONEM DE ORE VESTRO. quia non erat in poteſtate eorum tollere turpem ſermonem ex ore eorum.

Vitia deponenda.

NOLITE

Verſ. 9. NOLITE MENTIRI INVICEM. Tertium locutionis peccatum explicat mendacium, quod eſt ad fallendum proximum: vt his tribus (blaſphemia contra Deum, turpi ſermone contra ſeipſum, & mendacio contra proximum) vniuerſa oris peccata comprehendat. EXPOLIANTES, pro *exuentes*. Sed nec hoc explicat participium Græcum præteriti temporis actiuum: & clarius ſonaret ſi legeretur *cùm exueritis*, præteriti temporis, & ſimiliter quando ſubiungetur, *& induentes nouum*, legendo, *& indueritis nouum*. VOS VETEREM HOMINEM CVM ACTIBVS SVIS. Superfluit *vos*. Non hortatur vt exuant, ſed ex eo quòd exuerunt in Baptiſmo ſeipſos veterem hominem, rationem reddit deponendi vitia omnia ſupradicta. In Baptiſmo ſiquidem profitemur exuere nos veterem hominem: hoc eſt, vetuſtatem vitæ cum omnibus partibus ſuis. Vetuſtas vitæ eſt deformitas vitæ per peccata. Quæ ideo vetuſtati aſſimilatur, quia defectus eſt, & corruptio vitæ ſpiritualis tendens ad æternam mortem. Et dicendo *cum actibus ſuis*, inſinuat per veterem hominem ſignificari ea quæ in nobis ſunt vitia per modum habitus.

Vetus homo expoliandus.

Verſ. 10. ET INDVENTES, pro *& cùm indueritis*, ſimiliter in Baptiſmi profeſſione. NOVVM, hoc eſt, nouam vitam. Hominem nouum appellat ſpiritualem vitam fidei, ſpei, charitatis, &c. eo quòd initium eſt vitæ æternæ, quæ ſemper eſt noua, nihil defectus habens. EVM QVI RENOVATVR. Superfluit *eum*. Dicit vtrumque (ſcilicet *nouum, qui renouatur*) vt intelligamus non nouum in termino, ſed in via: nouus enim in termino erit cùm erimus beati: tunc ſiquidem ita erit nouus quòd non amplius renouabitur: modò autem & eſt nouus, & renouatur continuo profectu. IN AGNITIONEM DEI SECVNDVM IMAGINEM EIVS QVI CREAVIT EVM. Superfluit *Dei*. Penes quid renouetur explicat dicendo *in agnitionem*: hoc eſt, magis ac magis accedendo ad agnitionem, non quamcunque, ſed ſecundum imaginem Dei qui creauit eum. Imago Dei ad quam creatus eſt homo nouus quatenus nouus, eſt imago ordinis gratiæ: quemadmodum imago ad quam creatus eſt homo, eſt imago in ordine naturæ. Et ſignificatur per hoc quòd homo nouus quatenus nouus renouatur proficiendo in agnitione ſimilitudinis infuſæ per fidem, ſpem, charitatem, miſericordiam, & reliquas virtutes infuſas: in his enim eſt imago Dei, in qua creauit nouum hominem quatenus nouum. Et dicit *creauit eum*, quia imago gratiæ non educitur de potentia ſubiecti, ſed creatur à Deo.

Et induendus nouus.

Imago Dei ad quam creatus eſt nouus homo, quænam?

Verſ. 11. VBI NON EST MASCVLVS ET FOEMINA. GENTILIS ET IVDÆVS, CIRCVMCISIO ET PRÆPVTIVM. Superfluit *maſculus & fœmina*. BARBARVS ET SCYTHA. Superfluit *&*, SERVVS ET LIBER. Superfluit *&*. SED OMNIA ET IN OMNIBVS CHRISTVS. Aduerbium *vbi*, nouum hominem, ſeu (quod idem eſt) imaginem, in qua creatus eſt, demonſtrat, & explicatur quòd in nouitate quam habemus in Baptiſmo, nulla eſt differentia nationum, profeſſionum, conditionum, &c. ſed Chriſtus in omnibus cuiuſcumque nationis, conditionis, &c. ſint, eſt omnia: hoc eſt, [illegible] ratio omnium actionum & motuum, & donorum, & reliquorum ſpectantium ad nouum hominem: vtpote caput, ex quo ſenſus, & motus omnibus eſt.

Verſ. 12. INDVITE VOS. pro, *ſitis induti*, ERGO SICVT ELECTI DEI. Ex hoc quòd in baptiſmo induerunt nouum hominem qui renouatur, explicat monendo ea quibus renouatur, vt ſint ſimiles electi Dei. SANCTI. hoc eſt, mundi. ET DILECTI. *Electio* beneficium eſt reſpectiue ad alios non electos: *ſanctitas* munditia eſt à peccatis; *dilectio* autem beneficium eſt, quo Deus vult eiſdem bonum vitæ æternæ. VISCERA MISERICORDIÆ. pro, *miſerationum*. Ecce prima pars noui hominis quâ renouatur nouus homo, intimi affectus miſerationum, proculdubio ad commiſerandum alios. BENIGNITATEM. miſeratio mala proximi reſpicit, benignitas bona; eſt enim feracitas bonorum. HVMILITATEM. Virtus animo ſuperbiæ oppoſita ſignificatur quæ eſt cuſtos habentis ipſam. MODESTIAM: pro *manſuetudinem*, moderatricem iræ & audaciæ. PATIENTIAM pro, *longanimitatem*, extendentem animum ad æternitatis beatitudinem poſt hanc vitam futuram.

Quas virtutes nouus homo debeat induere.

Verſ. 13. SVPPORTANTES INVICEM. in onerosis conuerſationibus, dum vnus alteri quandoque oneri eſt ob malum pœnæ, & etiam quandoque ob malum culpæ: non fuit enim bonus qui non potuit tolerare malos. ET DONANTES VOBISMETIPSIS SI QVIS ADVERSVS ALIQVEM HABET QVERELAM. Quod dicit *donantes vobiſipſis*, non ſonat quòd dones tibiipſi: ſed quòd inter vos ipſos condonetis iniuriam ei qui fecit, ſi contingat quòd aliquis aduersùs alium habeat causã querelæ. SICVT ET DOMINVS. pro, *Chriſtus*, DONAVIT VOBIS, ITA ET VOS. Ne grauis videretur hæc pars noui hominis, exemplum Chriſti adiecit: vt imitatio Chriſti facilem reddat conditionem.

Verſ. 14. SVPER OMNIA AVTEM HÆC CHARITATEM HABETE. Superfluit *habete*: refertur enim ad verbum *ſitis induti*. Eſt ſiquidem ſenſus: ſuper omnia autem hæc ſitis induti dilectionem. Et ratio quare dicit *ſuper omnia hæc*, ſubiungitur: QVOD. pro, *quæ*, EST VINCVLVM PERFECTIONIS. Dilectio ideo ſuper omnes antedictas virtutes ponitur, quia in ipſa conſiſtit perfectio per modum vinculi: eſt enim dilectio ligans amantes. Ita quod duo attribuuntur dilectioni: & quòd perficit hominem (& hoc eſt ſpeciale: cùm nulla virtus moralis conſiſtat in dilectione) & quod perficit per modum vinculi ligantis amantes, inter quos eſt Deus: eſt enim ſermo de dilectione, quâ diligimus Deum in ſeipſo, & alios propter Deum: propter quod merito ſuper reliquas virtutes locatur.

Charitas vinculum perfectionis.

Verſ. 15. ET PAX CHRISTI. pro, *Dei*, EXVLTET: pro, *palmam obtineat*. IN CORDIBVS VESTRIS. Pax Dei fundatur in charitate & reliquis virtutibus: vtpote quæ eſt tranquillus ordo charitatis & aliarum virtutum in anima. Et propterea illi attribuitur palma in cordibus noſtris: vt quaſi palmam victoriæ obtineat tranquillus ordo charitatis & reliquarum virtutum. Et verè in tali ordine habetur palma. IN QVA. pro, *in quam*, ET VOCATI ESTIS IN VNO CORPORE. Quemadmodum pax ſingularis perſonæ conſiſtit in tranquillo ordine virtutum vnius animæ, ita pax Eccleſiæ ſeu plurium fidelium conſiſtit in tranquillo ordine eorundem inter ſe

Paci palma datur.

ſe & ad Deum. Et de hac loquens Paulus dicit *in quam & vocati eſtis in vno corpore*: hoc eſt, tanquam membra vnius corporis. Et quoniam in hac pace clauditur pax cuiuſlibet ſingularis perſonæ, ideo directè loquendo de pace communi, implicitè loquitur de pace cuiuſlibet ſingularis. ET GRATI ESTOTE. Vniuerſæ virtutes aboleſcerentur ſi deeſſet gratitudo.

Verſ. 16. VERBVM CHRISTI HABITET IN VOBIS ABVNDANTER. Hactenus partes noui hominis in parte affectiua mõſtrauit: modò in parte intellectiua noui hominis partes manifeſtat: vt cõplete tractet ea quibus reddimur idonei in partem ſortis ſanctorum in lumine. *Verbum* inquit, *Christi* quod eſt Euangelium, non hoſpitetur: ſed *habitet in vobis*, non qualitercunque, ſed *abundanter*. Ipſamque abundantiam explicando ſubiungit, IN OMNI SAPIENTIA DOCENTES. proculdubio indoctos. Et hæc eſt prima abundantia. ET COMMONENTES VOSMETIPSOS. Secunda abundantia eſt vt noſipſos in omni ſapientia admoneamus. Quod poteſt dupliciter intelligi, vel vt quilibet moneat ſeipſum, in omni ſapientia excitando ſeipſum, vel vt inter noſipſos monitionem exerceamus, vt alter alterum moneat. IN PSALMIS, HYMNIS, ET CANTICIS SPIRITVALIBVS. Superfluit *in*, & ad ſequentia referuntur. IN GRATIA CANTANTES. pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus. IN CORDIBVS VESTRIS DEO, pro, *in corde veſtro Domino*. Contemplatio interna per modum canentis in gratiarum actione deſcribitur, non in ſolo intellectu, ſed redundans in affectum gaudentem. Inſtrumenta autem aſſumenda ad meditandum deſcribuntur Pſalmi, hymni, & cantica ſpiritualia: quoniam meditatio horum non ſolùm intellectum paſcit, ſed affectum mouet.

Verbū Christi habitet in vobis abundanter.

Verſ. 17. OMNE QVODCVNQVE. hic faciendum eſt punctum. Reliquum erat poſt partes noui hominis tam in affectu, quam in intellectu deſcriptas, vt partem eiuſdem circa operis executionem deſcriberet, & propterea vltimo loco dicit *omne quodcunque*. Mutilus eſt ſermo: ſubauditur enim verbum ſubſtantiuum *ſit*. FACITIS, pro *faciatis*, IN VERBO, AVT IN OPERE, OMNIA IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, GRATIAS AGENTES DEO, ET PATRI PER IPSVM. Ecce generale præceptum ad omnes executiones, tam in verbo, quam in opere, vt fiant in nomine Domini Ieſu, gratias agendo Deo, & patri per ipſum Dominum Ieſum. Quod dicitur *in nomine Domini Ieſu*, nõ intelligitur oportere actualiter inuocare nomen Domini Ieſu in omni opere, & locutione: ſed oportere reinuocare nomen Domini Ieſu. Quod tunc fit cum in fide Ieſu, cùm confidendo in Ieſu loquimur, aut operamur. Secus autem ſi contingat fieri, non oportet ſemper interuenire peccatum, ſed perditionem meriti. Chriſtianus enim exiſtens in peccato mortali, reddendo depoſitum, honorando parentes, & ſimiles actus virtutum informes exercendo abſque relatione ad Chriſtum, non peccat: cùm non ſit deterioris conditionis Gentili hæc eadem exercente: meritorij tamen non ſunt huiuſmodi actus. Vnde & Paulus non vt partes hominis, ſed vt partes hominis noui hæc præcipit.

Generale præceptum omnia fieri in nomine Domini Ieſu.

Verſ. 18. MVLIERES, pro *vxores*, SVBDITÆ ESTOTE VIRIS SICVT OPORTET IN DOMINO. Poſtquam explanauit generaliter ad omnes partes noui hominis, manifeſtat in ſpecie partes eiuſdem ad coniuges, ad patres & filios, & ſeruos, ad dominos, &c. Non mandat vxoribus ſubiici abſolutè maritis, ſed cum duabus conditionibus, ſcilicet *ſicut oportet*, & *in Domino*.

Monita. Mulieribus.

VIRI DILIGITE VXORES, ET NOLITE AMARI ESSE AD, pro *erga*, ILLAS. Præcepta ſunt clara dilectionis & dulcedinis. Verſ. 19.

Viris.

FILII OBEDITE PARENTIBVS PER OMNIA. Verſ. 20.
Non poſſumus ſiquidem reddere æquiualens parentibus, & propterea dicit *per omnia*. HOC ENIM PLACITVM EST IN DOMINO. Superfluit *in*. Præceptum legis manifeſtat, hoc eſſe placitum Domino.

Filiis.

PATRES NOLITE AD INDIGNATIONEM PROVOCARE FILIOS VESTROS. Superfluit *ad indignationem*. VT NON PVSILLO ANIMO FIANT. pro, *ne triſtitia animo concidant*. Hinc apparet quod non eſt idem præceptum patribus hìc & ad Epheſios: ibi enim prohibetur prouocatio filiorum ad vindictam: hìc autem prohibetur prouocatio abſolutè. Et ratio ſubiungitur, ne triſtitia deiiciat filiorum animos: quod perinde eſt ac effici puſillanimes. Vnde prouocatio crebram ſignificat obiurgationem. Cum enim filij in omnibus aut ferè omnibus arguuntur, apprehendunt ſe nihil boni facere, & inde deiiciuntur animo ad aggrediendum bona opera, & ſic aluntur puſillanimes: quod eſt peius vitium, quàm nimia animoſitas. Ibi ergo Paulus monuit ne patres inducerẽt filios ad exceſſum animi: hìc verò ne inducerent eos ad defectum animi. Vtrumque enim extremum vitij eſt. Verſ. 21.

Parentibus.

SERVI OBEDITE PER OMNIA DOMINIS CARNALIBVS. Quod dicit *per omnia*, qualiter ſit intelligendum, explicat cùm ſubiungit, timentes Deum. Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum. Inſtruit ſiquidem ſeruos non ſolum circa obedientiam exteriorem, ſed præcipue circa internam rationem obediendi, vt ſit timor Dei excluſa omni duplicitate. Et hoc magis explicans ſubiungit. Verſ. 22.

Seruis.

ET QVODCVNQVE FACITIS, EX ANIMO OPERAMINI SICVT DOMINO. ſupple Chriſto, ſeu Deo. ET NON HOMINIBVS. Nititur in animis ſeruorum non ſolum timorem Dei inſerere, ſed etiam amorem: vt ex amore ad Chriſtum ſeruiant dominis carnalibus: hæc enim eſt pars noui hominis in ſeruo. Verſ. 23.

SCIENTES QVOD A DOMINO ACCIPIETIS RETRIBVTIONEM HÆREDITATIS. Manifeſtat per hoc, quòd ſi ſic ſeruierint carnalibus dominis, ipſa ſeruitia meritoria erunt æternæ hæreditatis. Et ex hoc textu clarè habes quòd actiones noſtræ quantumcunque ex debito naturali aut legali fiant, ſi ex dilectione Dei fiunt, meritoriæ ſunt vitæ æternæ. Et rationem ſubdit, DOMINO, deficit *enim*, CHRISTO SERVITE. pro *ſeruitis*. Quod enim ex dilectione Chriſti fit, quamuis debitum domino carnali, Chriſto exhibetur, & propterea ab ipſo remunerabitur. Verſ. 24.

QVI ENIM, pro, *qui autem*, INIVRIAM FACIT, RECIPIET QVOD INIQVE GESSIT. Adiecit hoc, ad hoc, vt ſerui non deſiſtant a prædictis Verſ. 25.

officii

officiis ſi iniuriâ afficiuntur a dominis : quoniam ipſi domini luent pœnas iniuriarum in ſeruos, Vnde & ſubdit : ET NON EST PERSONARVM ACCEPTIO APVD DEVM. Superfluit *apud Deum* : quamuis ſubintelligatur. Non impunes euadent domini iniuriantes ſeruis eo quòd ſunt domini : quoniam non erit in illo iudicio acceptio perſonarum, non habebitur ibi ratio domini.

CAPVT IV.

Verſ. 1. *Dominis.* DOMINI QVOD IVSTVM EST, ET ÆQVVM SERVIS PRÆSTATE : SCIENTES QVÒD ET VOS DOMINVM HABETIS IN COELIS. Sententia clara eſt, vt non ſolùm debita ſeruis impendant, ſed etiam æquitatem erga eos ſeruent.

Verſ. 2. ORATIONI INSTATE. Complet partes ſuperiùs inchoatas noui hominis, quas non interceperat interſerendo partes noui hominis in ſingulis partibus, ex quibus conſtituitur domus : ſed extenderat ad omnes Eccleſiæ partes tunc temporis. Conſtabat enim tunc Eccleſia tantummodo ex domibus : nec erat ſicut modò conſtans etiam ex ciuitate. Poſtquam ſingulas ergo domos inſtruxit, inſtruit modò omnes ſimul in conuentu, dicendo, orationi inſtate. VIGILANTES IN EA, ſcilicet oratione. IN GRATIARVM ACTIONE. Et adiungit materiæ orationis ſe cum ſociis, ſubiungendo,

Conſtabat tunc Eccleſia tantum ex domibus, non verò ex tota ciuitate.

Verſ. 3. ORANTES SIMVL ET PRO NOBIS, VT DEVS APERIAT PRO NOBIS OSTIVM SERMONIS AD LOQVENDVM MYSTERIVM CHRISTI. Non petit pro ſe orari ad propriam vtilitatem, ſed ad profectum Euangelij. Nec dicit vt aperiat nobis oſtium carceris, *oſtium ſermonis* : erat enim quaſi clauſus Euangelicus ſermo impedimentis prædicandi. Vnde & ſubiungit, PROPTER QVOD ETIAM VINCTVS SVM. Non eſt certum an de vinculis primis loquatur, cùm ex Iudæa Romam venit, an de aliis vinculis Romæ ſibi iniectis. Si de tempore primorum vinculorum intelligitur, cùm tunc permiſſum fuerit Paulo prædicare in ſuo hoſpitio, oſtium ſermonis clauſum ſignificatur relatiuè ad omnes. Si verò de aliis vinculis ſit ſermo, impedimentum nobis ignotum ſignificatur in clauſo oſtio ſermonis.

Verſ. 4. VT MANIFESTEM ILLVD ITA VT OPORTET ME LOQVI. Impedimentum in modo euangelizandi inſinuat dicendo, *ita vt oportet*.

Verſ. 5. IN SAPIENTIA AMBVLATE AD EOS QVI FORIS SVNT. Poſtremò partes noui hominis relatiuè ad infideles manifeſtat, inſtruendo prudenter conuerſandum eſſe cum iis qui foris ſunt, id eſt, infidelibus exiſtentibus extra Eccleſiam. TEMPVS REDIMENTES, pro *ementes*. Ad ſimilitudinem ementium, vtendum oblatâ temporis opportunitate inter pericula cenſet. Et hæc eſt prima explicata pars ſapientiæ ad eos qui foris ſunt, vt ſciant vti opportunitate : imò vt ſciant quodammodo emere opportunum tempus inter pericula. Altera verò pars eſt.

Verſ. 6. SERMO VESTER SEMPER IN GRATIA SALE SIT CONDITVS. Non ſolùm intùs debet eſſe prudentia, ſed etiam in ſermone : ea enim ſignificatur per ſal. Verùm ad excludendum ſal aſtutiæ, aut verſutiæ, & huiuſmodi in locutione dicit *in gratia* : vt ſal diſcretionis conforme ſit gratiæ diuinæ. VT SCIATIS QVOMODO OPORTEAT VOS VNICVIQVE RESPONDERE. Ecce ſal in gratia, reſpondens vnicuique iuxta conditionẽ vniuſcuiuſque : aliter enim reſpondendum eſt infidelibus Dominis, aliter Philoſophis, aliter plebeiis, &c.

Sal prudentiæ & diſcretionis

QVÆ CIRCA ME SVNT, OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICVS CHARISSIMVS, pro *dilectus*, FRATER ET FIDELIS MINISTER, ET CONSERVVS IN DOMINO. Ad propria deſcendit in calce Epiſtolæ : & per quem mittet Epiſtolam nominat, collaudando eum vt illi dent fidem de iis quæ penès Paulum erant. Inter alia autem commendatur hic Tychicus quòd eſt fidelis miniſter, proculdubio Chriſti in Euangelio. Verſ. 7.

QVEM MISI AD VOS AD HOC IPSVM VT COGNOSCAT QVÆ CIRCA VOS SVNT. Præteritum *miſi*, non ad tempus ſcriptionis, ſed ad tempus lectionis Epiſtolæ refertur : nam per hunc miſit Epiſtolam hanc. ET CONSOLETVR CORDA VESTRA, vtpote fidelis miniſter Chriſti. Verſ. 8.

CVM ONESIMO CHARISSIMO, pro *dilecto*, ET FIDELI FRATRE : omnes enim Chriſtiani appellantur fratres. QVI EX VOBIS EST, qui veſtras eſt. OMNIA QVÆ HIC AGVNTVR, pro *ſunt*, NOTA FACIENT VOBIS, ambo. Verſ. 9.

Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata. Barnabam refert relatiuum *quo* : vt teſtantur ſubiuncta. SI VENERIT AD VOS, SVSCIPITE ILLVM. Marcus enim erat conſalutans. Quę autem fuerint hæc mandata, ſcriptum non eſt. Verſ. 10.

Varia variorum ſalutationes.

Et Ieſus qui dicitur Iuſtus, qui ſunt ex circumciſione. Hi tres enim erant ex Iudæis facti Chriſtiani. HI SOLI SVNT ADIVTORES MEI. Loco harum trium dictionum (*ſunt adiutores mei*) legendum eſt *cooperatores in regno Dei*. Inter eos qui erant ex circumciſione, tantùm hi tres erant cooperatores Pauli in regno Dei, quod intra nos eſt. QVI MIHI FVERVNT SOLATIO. De domeſticis Pauli intelligendum hoc eſt : nam Romæ erat Petrus ex circumciſione magnus cooperator in regno Dei, ſed non erat domeſticus Pauli. Nec ſolus Petrus, ſed multi alij, ex circumciſione erant fideles : vt patet in Epiſtola ad Romanos, quæ prius fuit ſcripta quam iſta. Verſ. 11.

Prius ſcripta fuit Epiſtola ad Romanos quàm iſta.

SALVTAT VOS EPAPHRAS, QVI EX VOBIS EST SERVVS CHRISTI. Hic eſt enim cuius ſuperiùs meminerat. SEMPER SOLICITVS, pro *certans*, PRO VOBIS IN ORATIONIBVS. Paulus certabat pro eis in doctrina, Epaphras in orationibus. VT STETIS, pro *ſitis*, PERFECTI ET PLENI IN OMNI. Hic fiat punctus, hoc eſt, in re omni. VOLVNTATE DEI : hoc eſt, non veſtris meritis, ſed diuinæ voluntatis gratiâ ſitis & conſummati quoad vos, & pleni quoad alios in omni re ſpirituali. Verſ. 12.

Teſtimonium enim illi perhibeo quòd habet multum laborem, pro *zelum*, pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. Conterminæ videntur hæ ciuitates. Verſ. 13.

Salutat

Verſ. 14. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, pro *dilectus*. De Luca Euangeliſta loquitur. Et conferendo hoc cum antedicta ſententia quòd Lucas non fuit ex circumciſione. ET DEMAS. De quo poſt hæc in calce ſecundæ ad Timotheum ſcribit, *Demas me dereliquit diligens hoc ſeculum*.

Verſ. 15. Salutate fratres qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo eius eſt, pro *& domeſticam eius*, ECCLESIAM, ad differentiam Eccleſiæ communis conſtantis ex pluribus familiis.

Verſ. 16. Et cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc. Superfluit *hæc*. Facite vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur. Communem hanc doctrinam iubet eſſe Laodicenſibus. Et ea quæ eſt Laodicenſiũ vobis legatur, pro *& eam ex Laodicia & vos quoque legatis*: hoc eſt, facite vt & vos quoque legatis illam ex Laodicia, ſupple communicandam. Præcipit Coloſſenſibus, facite hanc epiſtolam communem Laodiciæ vt inter illos legatur, & vt vos quoque legatis illam noſtram epiſtolam ex Laodicia communicandam vobis. Nec inuenitur Pauli ad Laodicenſes epiſtola digna vt communicetur Coloſſenſibus inſtructis per hanc epiſtolam: ſicut nec inuenitur quæ verè fuit prima ad Corinthios. Ex his clarè liquet Coloſſas ciuitatem eſſe prope Laodiciam in Aſia minori.

Pauli ad Laodicenſes epiſtola non habetur, nec prima ad Corinthios.

Verſ. 17. ET DICITE ARCHIPPO. Epiſcopus dicitur hic Coloſſenſium; quem Paulus monendum per ſubditos cenſet: tum ad docendum, quod non dedecet ſubditos monere prælatos, ſuggerendo: tum ad porrigendum anſam Archippo corrigendi ſubditos per hoc quòd ipſimet ſubditi excitant ipſum ad exercendum officium prælati. VIDE MINISTERIVM QVOD ACCEPISTI IN DOMINO VT ILLVD IMPLEAS. Conſidera verborum modeſtiam: nulla interuenit obiurgatio: ſed excitatio vt ipſemet videat vt impleat officium quod accepit, non vſurpauit, non in authoritate mundana, ſed *in Domino*, vt moueatur intuitu Domini ad implendum ſuum officium.

SALVTATIO MEA MANV PAVLI. Hinc apparet quòd aliena manu ſcripſit epiſtolam, & ſolam hanc ſalutationem ſcripſit propriâ manu. Verſ. 18. MEMORES ESTOTE VINCVLORVM MEORVM, ad exemplum patientiæ, ad imitandum conſtantiam in Euangelio Chriſti, ad conſolationem veſtrarum afflictionum. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Superfluunt hæ quatuor dictiones, *Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Et ſequitur, VOBISCVM, AMEN. Solum inquit, *gratia vobiſcum, amen*: vt abſolutè dicendo *gratia*, nullâ limitatione arctetur.

Et apud Græcos inuenitur ſubſcriptio hæc: *Ad Coloſſenſes ſcripta Romæ, miſſa per Tychicum & Oneſimum*: quamuis in argumento huius epiſtolæ apud Latinos legatur *ſcripta Epheſi*. Conſtat enim de vinculis Romæ, ſed non de vinculis Epheſi. *Subſcriptio.*

Caietæ die quinta Martij, 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD THESSALONICENSES PRIOREM COMMENTARII.

CAPVT I.

Verſ. 1. PAVLVS ET SILVANVS ET TIMOTHEVS. Solo proprio nomine (nullo adiecto titulo Apoſtolatus, aut ſeruitutis Chriſti) vtitur Paulus in ſolis duabus ad Theſſalonicẽſes epiſtolis, proptèr reuerentiam Silæ qui Siluanus dicitur: cum his enim duobus prędicauerat apud Theſſalonicam. Et Silas loco Barnabæ iunctus eſt Paulo: vt patet in Actis Apoſtolorum. ECCLESIÆ THESSALONICENSIVM IN DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Superfluit *noſtro*. Qualitatem Eccleſiæ Theſſalonicenſis deſcribit, in *Deo*, quod eſt nomen naturæ: *Patre*, quod eſt nomen primæ perſonæ Trinitatis,

&

& *Domino Ieſu Chriſto*, quod eſt nomen perſonæ filij quatenus homo eſt in ſtatu glorioſo. Vnde per hæc tria ſignificat Eccleſiam in fide deitatis & Trinitatis, & myſterij Incarnationis, ac Reſurrectionis & gloriæ Chriſti.

Verſ. 2. GRATIA VOBIS ET PAX. Deſunt octo dictiones, *A Deo patre & Domino Ieſu Chriſto.* Solita Pauli ſalutatio, comprehendens omnia dona diuina ab extremis, primo & vltimo: gratia & pace: Et dicit *patre noſtro*, per adoptionem: adiungitque & *Domino Ieſu Chriſto*, ad ſignificandum Chriſtum hominem largitorem eſſe omnium diuinorum donorum.

GRATIAS AGIMVS. Pluraliter loquitur, ſpecialius propter Siluanum: qui cum eo fuerat cæſus, & pariter fuerant perſecutionem paſſi. DEO SEMPER PRO OMNIBVS VOBIS. Quod dicit *ſemper*, habitu intellige & affectu. Et quod dicit *pro omnibus vobis*, intellige vtpote acquiſitis per nos Deo. Et hinc incipit Paulus proponere materiam tractandam in epiſtola hac.

Incipit hinc proponere materiam Epiſtolæ.

MEMORIAM VESTRI FACIENTES IN ORATIONIBVS NOSTRIS SINE INTERMISSIONE. Non ſolum gratias agimus, ſed oramus pro vobis, & hoc indeſinenter, horis & temporibus orandi.

Verſ. 3. MEMORES OPERIS FIDEI VESTRÆ. Materiam in ſpecie gratiarum actionis explicat in tribus virtutibus (fide, ſpe, & charitate) ſingulis virtutibus ſingulos effectus adiungens. Et fidei quidem adiungit opus, dicendo *memores operis fidei veſtræ*; hoc eſt, memores fidei veſtræ non ſolum mente & ore, ſed factis: monſtrauerant enim (vt patet etiam in Actibus Apoſtolorum, Theſſalonicenſes fidem ſuam factis. ET LABORIS ET CHARITATIS. Superfluit vltimum &: adiungit enim charitati laborem, ſicut fidei adiunxit opus, memores ſumus dilectionis veſtræ non ſolùm in animo, ſed in labore. Laborauerant ſiquidem ad ſedandum turbam, & ad liberandum Paulum & Silam cum Timotheo.

Laborauerant Theſſalonicenſes ad liberandum Paulum & Silam cũ Timotheo.

ET SVSTINENTIÆ SPEI DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Adiungit ſpei ſuſtinentiam: quoniam ſpei eſt efficere tolerantiam, & tenere animum ſurſum: paſſi ſiquidem ſunt Theſſalonicenſes ob ſpem ſupernæ felicitatis. Et quod dicit *Domini noſtri Ieſu Chriſti*, non eſt arctandum ad ſpem: ſed referendum ad fidei, dilectionis, ac ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, tanquam crediti, tanquam dilecti, tanquam ſperati.

ANTE DEVM ET PATREM NOSTRVM. Interpres pluries in hac epiſtola vtitur *ante*, pro *coram*. Et hoc quod dicitur *coram Deo, & patre noſtro*, determinat *memores*: ſignificat enim quod memores coram Deo & patre noſtro, &c.

Et adiunxit hoc, ad explicandam non ſolum veritatem, ſed rationem memoriæ: vt intelligamus quòd memoria prædictarum rerum non ſolùm erat materia gratiarum actionis, ſed etiam occaſio incitatiua ad prouidendum Theſſalonicenſibus coram Deo, & patre noſtro per adoptionem.

Verſ. 4. SCIENTES FRATRES DILECTI. Quemadmodum dixit *facientes, memores*, ita dicit *ſcientes*, in prima perſona. Et vocatiui eſt caſus *fratres*. Merito appellat eos fratres dilectos poſtquam dixerat *patre noſtro*. Rem autem ſcitam ſubiungit, A DEO ELECTIONEM VESTRAM. Gratias agimus, & oramus ſcientes electionem veſtram à Deo: hoc eſt vos electos eſſe à Deo. Et hactenus propoſuit tractanda in hac epiſtola. Vnde incipit ab hoc vltimo tractare propoſita,

QVIA EVANGELIVM NOSTRVM NON FVIT AD VOS IN SERMONE TANTVM. Verſ. 5. Manifeſtat electionem Theſſalonicenſium eſſe à Deo ex parte vtrorumque, ſcilicet ipſorum qui prædicauerunt, & Theſſalonicenſium qui audierunt. Et dicit hæc ad firmandum Theſſalonicenſes: non parua ſiquidem ratio firmitatis eſt, agnoſcere modum quo peruenerant ad fidem Chriſtianam: cùm modi ipſi fuerint tum mirabiles, tum veritati innixi, tum alieni ab omni admiſtione cuiuſque mali tam intellectus, quàm affectus. Ad hunc igitur finem commemorat qualitatem prædicationis, quòd non fuit in ſermone tantùm, more oratorum. SED ET IN VIRTVTE, pro *potentia*, proculdubio miraculorum. ET IN SPIRITV SANCTO. Dabatur enim per impoſitionem manuum Pauli Spiritus ſanctus: vt patet Act. 19. ET IN PLENITVDINE MVLTA. Dictio interpretata *plenitudine*, non integrè explicatur, niſi addatur certitudinis. Ita quòd legendum eſt, ET IN PLENITVDINE CERTITVDINIS MVLTA: ſpectat ſiquidem hæc conditio ad intellectum, explicando quòd prædicatio fuit collatiua multæ plenæ certitudinis eorum quæ ſunt fidei: hoc eſt, quòd erat ablatiua ab eis omnis hæſitationis, non mediocriter, ſed plenè: propter multitudinem teſtimoniorum inductorum ad ea quæ ſunt fidei. Et inſinuatur per hoc quòd multa Scripturæ ſacræ teſtimonia vltra miracula, & Spiritum ſanctum ad certificandum eos attulerant. SICVT SCITIS QVALES FVERIMVS IN VOBIS PROPTER VOS. Ipſoſmet Theſſalonicenſes in teſtes dictarum trium conditionum citat: explicando quòd hæc omnia fuerant propter vos, propter veſtram ſalutem:

ET VOS IMITATORES NOSTRI FACTI ESTIS, Verſ. 6.
ET DOMINI. Rationi ſumptæ ex parte conditionum euangelizationis, adiungit rationem ex parte auditorum: ad monſtrandum ſcilicet eos eſſe electos à Deo: fructus Euangelij noſtri ad vos fuit quòd vos imitati eſtis non ſolum nos (Paulum & Silam) ſed etiam Dominum Ieſum. Penès quid autem attendatur huiuſmodi imitatio, ſubiungit dicendo, EXCIPIENTES VERBVM IN TRIBVLATIONE MVLTA CVM GAVDIO SPIRITVS SANCTI. In modo ſuſcipiendi Euangelicum verbum, declaratur hæc imitatio. Et modus integratur ex duobus: altero externo, ſcilicet tribulatione multa: altero interno, ſcilicet gaudio Spiritus ſancti. Vtrumque enim fuerat in ipſis Apoſtolis prædicantibus, vtrumque fuerat in Domino Ieſu cum prædicaret: & propterea Theſſalonicenſes imitati ſunt & Apoſtolos & Chriſtum, ſuſcipientes cum his duabus conditionibus Euangelicum verbum.

Imitatio Chriſti & Pauli, in quo conſiſtat?

ITA VT FACTI SITIS FORMA, pro *forma*, OMNIBVS CREDENTIBVS IN MACEDONIA ET ACHAIA: Verſ. 7. hoc eſt, vt facti ſitis exemplares formæ: ad ſignificandum ſiquidem quòd non in vno tantum, ſed in multis erant in exemplum aliis, in plurali numero dicit formæ.

A VOBIS

Verſ. 8. A VOBIS ENIM DIFFAMATVS EST, pro *reſonuit*, SERMO DOMINI NON SOLVM IN MACEDONIA ET ACHAIA, SED ET IN OMNI LOCO FIDES VESTRA, QVÆ AD DEVM PROFECTA EST, pro *dimanauit*. Vide differentiam, ſermo Domini in Macedonia & Achaia, fides vero eorum in omni loco dimanauit. Primum refertur ad Euangelium: ſecundum ad fructum. ITA VT NON SIT NOBIS NECESSE QVICQVAM LOQVI, ſupple ad manifeſtandum euangelicum fructum qui in vobis eſt. Vnde & ſubdit,

Verſ. 9. IPSI ENIM DE NOBIS ANNVNTIANT QVALEM INTROITVM HABVERIMVS AD VOS: vnde non oportet nos manifeſtare aliis quales fuerimus ad vos. ET QVOMODO CONVERSI ESTIS AD DEVM A SIMVLACRIS: vnde non oportet nos manifeſtare fructū conuerſionis. SERVIRE, pro *ad ſeruiendum*. DEO VIVO ET VERO. Dicit *viuo* ad differentiam deorum mortuorum, puta Herculis, & aliorum huiuſmodi: & ſimiliter ad differentiam ſimulacrorum quæ non viuunt. Addit autem *& vero* ad differentiam viuorum dæmonum, ſeu hominum qui colebantur vt dij: quos conſtat non eſſe veros Deos.

Verſ. 10. ET EXPECTARE, pro *& expectandum*, FILIVM EIVS DE COELIS, in glorioſo eius aduentu ſecundo. Vnde & ſubdit, QVEM SVSCITAVIT EX MORTVIS IESVM. In vitam enim immortalem & glorioſam ſuſcitatus eſt, & in cœlis reſidet. QVI ERIPVIT, pro *eripit*, NOS AB IRA VENTVRA. Continuè Chriſtus eripit nos, miſerando, condonandoque peccata, a ventura iuſtitia vindicatiua (quæ ira appellatur metaphorice) quâ punientur iniqui.

CAPVT II.

Verſ. 1. NAM ET IPSI SCITIS FRATRES INTROITVM NOSTRVM AD VOS, QVIA, pro *quod*, NON INANIS FVIT. Poſtquam attulit rationes tum ex parte prædicationis, tum ex parte ſuſceptionis ad manifeſtandum Theſſalonicenſes electos eſſe à Deo, affert modò ad idem rationem ex parte factorum, ex parte operum ipſius Pauli & Silæ qui prædicauerant eis. Ad confirmandum ſiquidem Theſſalonicenſes commemorat proprias ipſorum, qui prædicauerunt, conditiones: vt habitâ earum ratione habeant vnde omni ex parte firmentur in Euangelio quo acceperant.

Vnde & primò commemorat ipſis Theſſalonicenſibus teſtibus quòd introitus ſuus ad eos non fuit inanis: hoc eſt, non fuit vacuus veritate, ſancto affectu, ſanctis operibus, manifeſtis probationibus: in genere ſiquidem proponit quod per multas partes ſubiungendo explicat. Vnde ſtatim è regione ſubiungit quòd plenus fuit probatione & fiducia in Deo.

Verſ. 2. SED ANTE PASSI MVLTA. Superfluit *multa*. ET CONTVMELIIS AFFECTI SICVT SCITIS IN PHILIPPIS. Lege Actuum 16. de huiuſmodi afflictionibus Pauli & Silæ, fuerunt ſiquidem ibi nudati, virgis cæſi publicè, & in carcerem poſtmodum redacti, ligno ſtrictis pedibus. FIDVCIAM HABVIMVS IN DEO NOSTRO LOQVI AD VOS EVANGELIVM DEI IN MVLTA SOLICITVDINE, pro *in multo certamine*. Non obſtante quod

Quam multa paſſus ſit in ... D. Paulus.

priùs paſſi fuerimus plagas in corpore, & contumelias contra honorem, auſi ſumus (non in nobis, ſed in Deo noſtro) prædicare vobis Euangelium, non qualitercunque, ſed prædicare in multo certamine aduerſus Iudæos, intendentes impedire Euangelium.

Verſ. 3. EXHORTATIO ENIM NOSTRA. Manifeſtat quòd non fuit inanis velut erronea, immunda, aut doloſa. Vnde dicit, NON DE ERRORE. Et hoc quoad intellectum, nullum ſiquidem errorem continet. NEQVE DE IMMVNDITIA. Et hoc quoad affectum, nullam ſiquidem immunditiam cuiuſcunque peccati continet. NEQVE IN DOLO. Non ſolùm vera & munda fuit exhortatio noſtra in ſeipſa, ſed etiam ex parte noſtri nullus fuit dolus: vt aliò tenderemus quàm ad ipſam veritatem & munditiam.

Exhortatio Pauli non erronea, nec immunda, nec doloſa.

Verſ. 4. SED SICVT PROBATI SVMVS A DEO, VT CREDERETVR NOBIS EVANGELIVM: hoc eſt, vt committeretur nobis Euangelium. ITA LOQVIMVR. Omnem dolum, omnem errorem, omnem immunditiam excludit modus exequendi conformis modo quo probati ipſi ſunt à Deo ad hoc, vt committeretur eis Euangelium: probatio ſiquidem diuina ad huiuſmodi officium, hæc excludit. Et explanans talem exequendi modum dicit, NON QVASI HOMINIBVS PLACENTES, SED DEO. Ecce modus ex parte noſtri. Et quantùm importet, *ſed Deo*, ſubiungit, QVI PROBAT CORDA NOSTRA, qui examinat intima noſtra: nec aliquid poteſt eum latere. Et magis explicando non tanquam hominibus placentes, ſubiungit quoad alios:

Verſ. 5. NEQVE ENIM FVIMVS ALIQVANDO IN SERMONE ADVLATIONIS SICVT SCITIS: vos eſtis teſtes quòd ſermo noſter non fuit aſſentatorius. NEQVE IN OCCASIONE AVARITIÆ, DEVS TESTIS EST. Solus Deus intuetur cor, & ideo Deum teſtem inducit quòd in corde ſuo nullam habuerint occaſionem auaritiæ. Et hoc dicit ad declarandum non quaſi ſibiipſis hominibus placentes. Et ad idem ſubiungit,

Deum qui ſolus cor intuetur, in teſtem adducit.

Verſ. 6. NEC QVÆRENTES AB HOMINIBVS GLORIAM. Quod magis ſpecificans & extendens dicit, NEQVE A VOBIS, NEQVE AB ALIIS, vbicunque ſint. Et hoc manifeſtat ab abſtinentia authoritatiui ſtatus, ſubiungendo,

Verſ. 7. CVM POSSEMVS VOBIS ONERI ESSE, VT CHRISTI APOSTOLI. Superfluit *vobis*. Et legendum eſt non *oneri*, ſed *in grauitate*. Ab abſtinentia ſiquidem authoritatis quâ vti potuiſſent, vt Chriſti Apoſtoli, manifeſtant quòd nec ab eis, nec ab aliis quærunt gloriam: nam quærentes gloriam, gerunt ſeipſos in grauitate: hoc eſt, in authoritate. SED FACTI SVMVS PARVVLI, pro *ſuaues*, IN MEDIO VESTRVM. E regione ad authoritatis ſtatum plus dicit quàm facti ſumus ſicut vnus veſtrum, dicendo quòd *facti ſumus ſuaues in medio veſtrum*, ſignificat enim ſeipſos geſſiſſe in medio eorum, non ſolum tanquam priuatos, ſed etiam tanquam cuique exhibentes ſe morigeros. Vnde & cum hac comitate ſubdit affectum in officio Euangelico. TANQVAM SI NVTRIX FOVEAT FILIOS SVOS.

Verſ. 8. ITA DESIDERANTIS VOS CVPIDE, circumlocutio eſt interpretis ad explicandum magnitudinem affectus Græcè ſignificatam: ad hoc enim addidit deſiderio cupiditatem. VOLEBAMVS TRADERE VOBIS NON SOLVM EVANGELIVM DEI, SED ETIAM ANIMAS NOSTRAS: QVO-

NIAM

NIAM CHARISSIMI. pro, *dilecti*, NOBIS FACTI ESTIS. Ne non ſeruata authoritas minueret officium, explicat tum magnitudinem teneritudinis, ad inſtar nutricis ad filios, tum magnitudinem affectus propenſi vſque ad impartiendum etiam proprias vitas, & omnium ratio aſſignatur charitas erga eos.

Verſ. 9. MEMORES ENIM ESTIS FRATRES LABORIS NOSTRI, ET FATIGATIONIS. Non ſufficit Euãgeliſtis comprobare officium ſuum negationibus malorum & charitate affectus, ſed oportet operibus illud comprobare. Et propterea externum opus contra auaritiam, contra quæſtum, victumque ex eleemoſyna, explicat laborem & fatigationem: vt intelligamus eos non ſolùm operatos eſſe manibus propriis, ſed vſque ad laborem, nec qualitercumque laboraſſe, ſed vſque ad fatigationem. Modus autem ſubiungitur dicendo, NOCTE. Deeſt *enim*, ET DIE OPERANTES. Vtrumque tempus manuali operi expendebatur. Ratio verò ſubiungitur: NE QVEM VESTRVM GRAVAREMVS, propter neceſſarios ſumptus. PRÆDICAVIMVS VOBIS EVANGELIVM DEI. Horis itaque vacantibus ab Euangelio tam nocte, quàm die manibus operabantur.

Laborabat propriis manibus Paulus etiam vſque ad fatigationem.

Verſ. 10. VOS TESTES ESTIS, ET DEVS QVAM SANCTE, hoc eſt, mundè. ET IVSTE. A generali virtute *iuſtè* dicit, prout iuſtum dicimus virum omni ex parte bonũ. ET SINE QVERELA. Sæpe interpres vtitur hoc loquendi modo, ad ſignificandum nulli datam occaſionem querelæ aduerſus eos: vtitur enim paſſiuè *ſine querela*. VOBIS QVI CREDIDISTIS, pro *creditis*, AFFVIMVS. Officium Euangelicum commemorat comprobatum operibus non ſolum manualibus, ſed etiã operibus mundis, iuſtis, & irreprehenſibilibus, & ad hoc Deũ, & ipſos teſtes affert. Et quòd ipſi ſint teſtes & ſpecies operũ ſanctorũ ſubiungit,

Verſ. 11. SICVT SCITIS. Nemo enim poteſt eſſe teſtis eorum quæ neſcit. Qualiter vnumquemque veſtrum ſicut pater filios ſuos

Verſ. 12. Deprecantes, pro *hortantes*, vos & conſolantes teſtificati ſumus, pro, *& teſtificantes*. Quoniam mutilus eſt ſermo, congruit ſubintelligere verbum ſubſtantiuum ante hæc tria participia. Ita quòd litera ſit, ſicut ſcitis qualiter vnumquemque veſtrum, ſicut pater filios ſuos fuimus hortantes. Et ibi fiat linea, deinde ſubiungatur: VOS ET CONSOLANTES, pro *& vos conſolantes*, ET TESTIFICANTES. Et tunc ſubiungitur materia exhortationis, conſolationis, & obteſtationis.

VT AMBVLARETIS DIGNE DEO: hoc eſt, vt proficeretis pro dignitate Dei. QVI VOCAVIT, pro *vocat*, VOS IN SVVM REGNVM ET GLORIAM. Vndique rationes adunat tum ex parte Dei, tum ex parte beneficij vocationis, non ad nuptias, ſed ad regnum: non ad gloriam humanam, ſed gloriam diuinam. Vbi & perſpicere potes nullum omiſiſſe officium: nec matris, dicendo *tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos*, non alienos: nec patris, dicendo *ſicut pater filios*.

Officiũ patris & matris exercet Apoſtolus.

Verſ. 13. Ideo & nos gratias agimus. Tractat illã particulam, *gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis memores operis fidei veſtræ*, &c. Tractat autem eam continuando facta factis: hoc eſt, factis propriis facta Theſſalonicenſium. Et commemorat ea vt materiam gratiarum actionis Deo: vt ex propriis quoq; factis confirmentur in fide. DEO SINE INTERMISSIONE, quoad habitum & affectum.

QVONIAM DVM ACCEPISSETIS A NOBIS VERBVM AVDITVS DEI: hoc eſt, verbum Euangelicũ, quo auditur non homo, ſed Deus, auditu interno. Accepiſtis illud non vt verbũ hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei. In quibuſdã codicibus Græcis non habetur *vt*: ſed legitur, *accepiſtis illud non verbum hominum, ſed ſicut verè eſt verbum Dei*, vt explicetur abſque ſimilitudinis nota negatum verbum hominũ: & acceptatum verbum Dei quemadmodum in veritate eſt. QVI. Deficit *&*, OPERATVR IN VOBIS QVI CREDIDISTIS, pro *creditis*. Ab effectu manifeſtat verbũ eſſe non hominũ, ſed Dei: quia non homo, ſed Deus operatur intus in vobis qui creditis, faciens vos non ſolum credere, ſed factis comprobare fidem. Vnde & facta ſubiũgit:

Verbũ Euangelicum non eſt verbum hominum, ſed Dei.

Vos enim imitatores facti eſtis fratres Verſ. 14.
eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu. Primæ perſecutiones Chriſtianorum in Iudæa fuerunt & à Iudæis, & propterea Paulus Theſſalonicenſes dicit imitatos eſſe Eccleſias Chriſtianas quæ ſunt in Iudæa. Et ſubiungendo in quo imitati ſunt dicit, QVIA EADEM PASSI ESTIS ET VOS A. deficit *propriis*, CONTRIBVLIBVS VESTRIS. Superfluit *veſtris*. SICVT ET IPSI. Subaudi Chriſtiani Eccleſiarum in Iudæa. A IVDÆIS. Similitudo clara eſt. Verum de Iudæis ſubiungit multas malas conditiones eâ ratione, quia Iudæi excitauerant turbam in Theſſalonica mediantibus quibuſdam malis viris aduerſùs Paulum & Silam, & aduerſus Theſſalonicenſes Chriſtianos, vt patet Act. 17.

Qui & Dominum occiderunt Ieſum. Verſ. 15.
Iudæi ſiquidem impulerunt Pilatum ad occidendum Ieſum, & propterea ipſi dicuntur occiſores Ieſu. ET. deficit *proprios*, PROPHETAS. Hieremiã, Eſaiã, &c. ET NOS PERSECVTI SVNT: & nos Chriſti diſcipulos perſecuti sũt. ET DEO NON PLACENT. Ad excludendum quòd Iudæi arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo perſequendo Chriſtianos, hoc adiunxit. ET OMNIBVS HOMINIBVS ADVERSANTVR. Et huius exaggerationis rationem explicat ſubiungendo:

PROHIBENTES NOS GENTIBVS LOQVI VT SAL- Verſ. 16.
VI FIANT: hoc eſt enim aduerſari omnibus nationibus mundi. VT IMPLEANT PECCATA SVA SEMPER: vt indeſinenter addant peccata peccatis, quouſque impleant præuiſam ac permiſſam menſuram peccatorum: ſimili ſiquidem modo loquitur Deus Geneſ. 15. *Nondum impleta ſunt iniquitates Amorræorum*.

Implere peccata ſua, quid.

Geneſ. 15.

PERVENIT ENIM IRA DEI SVPER ILLOS VSQVE IN FINEM. Superfluit *Dei*. Rationem reddit eius quod dixerat, *vt impleant ſemper peccata ſua*, quia ira peruenit in illos nõ ſecundum quid, ſed vſque ad extremum. Ira interciſpitur, cùm non permittitur augmentum peccatorum. Eſt enim effectus deſertionis diuinæ: ac per hoc plenæ vltionis ſubſequentis. Et hoc impleri continuè videmus in obſtinatione Iudæorum.

Si tamen intelligatur textus iſte de ira præſentis vitæ, impleta ſunt hæc Pauli verba paulò poſt in excidio Hieroſolymitano. Tanquam Iudæi impleuerint peccata ſua illis 40. annis ad executionem proprij excidij

vſque in finem, ſine termino: eo quòd nunquam reſtituendi ſunt in priſtinum gradum.

Verſ. 17. NOS AVTEM FRATRES. Commemoraturus perſeuerantiam Theſſalonicenſium, interſerit modum quo nouit eos perſeuerare, commemorans ſimul perſeuerantem affectum proprium erga illos. DESOLATI A VOBIS, pro *orbati vobis*, tanquam parentes orbati filiis. AD TEMPVS HORÆ, hoc eſt, ad tempus modicæ moræ; exturbatus ſiquidem ex Theſſalonica & Berthœa, venerat Athenas. ASPECTV NON CORDE. Orbationem declarat eſſe quoad aſpectum corporalem, non quoad aſpectum cordis. ABVNDANTIVS FESTINAVIMVS, pro *ſtuduimus*, FACIEM VESTRAM VIDERE CVM MVLTO DESIDERIO. Et ſtudium ac deſiderium declarans ſubiungit:

Verſ. 18. QVONIAM VOLVIMVS VENIRE AD VOS. Pluraliter dicit *voluimus*, propter ſocios. Singulariter tamen ſubdit de ſeipſo, EGO QVIDEM PAVLVS, ET SEMEL, ET ITERVM. Fortè quòd alij non totiens ſtuduerant venire. SED IMPEDIVIT NOS SATANAS. hoc eſt, aduerſarius proculdubio diabolus. Ratio autem tanti ſtudij ac deſiderij ſubiungitur:

Deſiderium Pauli veniendi Theſſalonicam.

Verſ. 19. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? pro, *gloriationis*. Ad futurum tempus aduentus Chriſti, hæc tria ſpectare conſtat ex ſubiunctis. Et gradatim ſupputat. Primò ſpem præmij ex fructificatione in illis, deinde gaudium de ſalute illorum, & demum coronam gloriationis in Deo de virili certamine habito ab ipſis conuerſis operâ Apoſtolorum.

NONNE. Deficit *& vos*. Non dicit, nonne vos, ſed dicit *nonne & vos*: vt comprehendat cum Theſſalonicenſibus alias Ecleſias doctas ab ipſo. ANTE DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Vt prædiximus interpres vtitur *ante* pro *coram*: ſignificat quòd coram Chriſto, & ipſi & aliæ Eccleſiæ ab eis doctæ, erant eorum ſpes, gaudium, & ratio gloriationis, non coram vanitate hominum. ESTIS IN ADVENTV EIVS. Superfluit *eſtis*. Et non ſolum coram Chriſto, ſed & in aduentu ipſius eos fore hæc tria ſignificat, ad explicandum communem tunc lætitiam & gloriam.

Verſ. 20. VOS ENIM ESTIS GLORIA NOSTRA ET GAVDIVM. hoc eſt, quia vos in præſenti eſtis materia tum gaudij noſtri, tum gloriæ, claritatis, & ſplendoris noſtri. Filius enim ſapiens eſt & gloria, & gaudium patris.

CAPVT III.

Verſ. 1. PROPTER QVOD. hoc eſt, propter tantum vinculum affectus noſtri vobiſcum. NON SVSTINENTES AMPLIVS. ſupple vos inuiſitatos à nobis. PLACVIT NOBIS. Paulo & Silæ. REMANERE. pro, *relinqui*, ATHENIS SOLIS. pro, *ſoli*. videlicet abſque Timotheo.

Verſ. 2. Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum. ſecundum fidem & dilectionem. ET MINISTRVM DEI. Non dicit miniſtrum noſtrum, ſed *Dei* ad ſalutem animarum. IN EVANGELIO. Deficiunt tres dictiones, Legendum eſt, *Et cooperatorem noſtrum in euangelio* CHRISTI. Erat enim Timotheus & ipſe prædicator Euangelij. AD CONFIRMANDOS VOS. Ecce ad quid miſimus Timotheum. ET EXHORTANDOS. pro *& conſolandos*, PRO FIDE VESTRA. hoc eſt, pro perſeuerantia fidei veſtræ.

VT NEMO MOVEATVR. Dictio Græca interpretata *moueatur*, non videtur poſſe exprimi Verſ. 3.
vnicâ dictione: eo quòd ſignificat *cedere ob blanditias*, ſumpta metaphora a motu caudę canis, cuius eſt agitatione caudæ blandiri. Vnde poſſet explicari legendo, vt nemo moueatur blanditiis, ſubiungendo: IN TRIBVLATIONIBVS ISTIS. Vt enim dictum eſt, exturbati fuerant Paulus, Silas, Timotheus, & Theſſalonicenſes Chriſtiani. Et Paulus quidem cum ſociis receſſerunt, Theſſalonicenſes autem tracti ſunt ad magiſtratus. Et quoniam dimiſſi fuerant fideiuſſione datâ liberi, timebat Paulus ne blanditiis aliorũ Theſſalonicenſium qui fideiuſſerant, mutarentur. Et propterea miſit ad confirmandos & conſolandos, vt perſeuerarent in fide immoti à quibuſcunque blanditiis conſanguineorum, amicorum, & huiuſmodi.

Theſſalonicenſes Chriſtiani tracti fuerant ad magiſtratus.

IPSI ENIM SCITIS QVOD IN HOC POSITI SVMVS. Accuſatiui caſus eſt *hoc*. Commemorat enim quod ipſi iam ſciunt quòd nos Chriſtiani ad hoc (ſcilicet ad patiendum) poſiti ſumus à Chriſto. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Non ſunt afflictiones iſtæ improuiſæ, ſed ſcitis quòd ad afflictones ſuſtinendas ſumus decreti. Et hoc quòd ſciuerint manifeſtat.

NAM ET CÙM APVD VOS ESSEMVS, PRÆDI- Verſ. 4.
CEBAMVS VOBIS PASSVROS NOS. ſubaudi Chriſtianos. TRIBVLATIONES SICVT ET FACTVM EST, ET SCITIS. experientiâ.

PROPTEREA ET EGO AMPLIVS NON SVSTI- Verſ. 5.
NENS. vos inuiſitatos manere. Cùm prius dixiſſet pluraliter *propterea non ſuſtinentes amplius*, modò ſingulariter dixit *propterea & ego amplius non ſuſtinens*: ad explicandum magnitudinem affectus in ſeipſo erga eos: vt quemadmodum maior erat Sila & Timotheo gradu & dignitate, explicaret quoque ſe maiorem affectu & officio erga illos.

MISI AD COGNOSCENDAM FIDEM VESTRAM. hoc eſt, perſeuerantiam veſtram in fide. NE FORTE TENTAVERIT VOS IS QVI TENTAT. Diabolum appellat eum qui tentat: quoniam proprium eſt eius officium tentare, non ad cognoſcendum, ſed ad inclinandum & ducendum ad malum. Et per hoc quas ſuperiùs dixerat blanditias, modò inſtrumenta eſſe tentationis diabolicæ inſinuat. ET INANIS ERAT LABOR NOSTER. Conſequenter ad fructum tentationis diabolicæ dicit quod inanis redderetur labor quem Paulus & ſocij aſſumpſerant euangelizando illis. Inanis autem redderetur non quoad proprium meritum; ſed quoad fructum in eis.

Proprium diaboli officium eſt tentare.

NVNC AVTEM VENIENTE TIMOTHEO. pro, Verſ. 6.
nunc autem cùm veniſſet Timotheus, AD NOS A VOBIS. Deſcriptâ miſſione Timothei, deſcribit reditum eiuſdem: ex quo cognouit perſeuerantiam Theſſalonicenſium. ET ANNVNTIANTE. pro, *annuntiaſſet*. NOBIS. mihi & Silæ. FIDEM ET CHARITATEM VESTRAM. Ecce duo præcipua bona Chriſtianorum. ET QVIA. pro, *quod*, MEMORIAM NOSTRI HABETIS BONAM SEMPER. Ad differentiam memoriæ in malam

partem

partem. Meminerant enim Pauli & Silæ, benedicentes horam, quâ venerunt ad eos, & conuerterunt eos ad Deum, etiam poſt afflictiones, & propterea dicit *ſemper*. DESIDERANTES NOS VIDERE, SICVT ET NOS QVOQVE VOS. Superfluit *quoque*. Hoc eſt quartum, quod retulit Timotheus.

IDEO CONSOLATI SVMVS FRATRES IN VOBIS. Effectum ſubſecutum ex Timothei relatione deſcribit. Et vtitur (vt aliàs diximus) interpres paſſiuè *conſolati ſumus*: hoc eſt, conſolationem accepimus. IN OMNI NECESSITATE ET TRIBVLATIONE NOSTRA PER FIDEM VESTRAM. Quamuis nos in afflictione & indigentia ſimus conſtituti, nihilominus ob veſtram fidem accepimus conſolationem multam in vobis: ita quòd perſeuerantia veſtra in fide, fuit conſolatio noſtri in iis quæ patimur. Vnde & ſubdit:

Verſ. 8. QVONIAM NVNC VIVIMVS SI VOS STATIS IN DOMINO. Non ſolum eſt conſolatio noſtri,

Hyperbole. ſed etiam eſt vita noſtra. Hyperbolicus eſt ſermo humano more ad explicandum magnitudinem affectus erga perſeuerantiam eorum.

Verſ. 9. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere vobis. Magnitudinem affectus explicat agnoſcendo impoſſibilem gratiarum actionem tanti beneficij, ſcilicet quòd ipſi perſeuerent. In omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum: hoc eſt, coram Deo noſtro. Ecce

Immenſitas dilectionis Pauli & ſociorum. quod dixerat *viuimus*, vitâ lætâ, non lætitiâ mũdanâ, ſed in conſpectu Dei. Hinc apparet immenſitas dilectionis Pauli, & ſociorum: quòd non ſolum conſolationem acceperunt, ſed tanto gaudio repleti ſunt, propter perſeuerantiam Theſſalonicenſium, vt non inuenirent quas gratias referrent Deo, penſantes magnitudinem beneficij.

Verſ. 10. Nocte ac die abundantius orantes. Tractat conſequẽter illam particulam, in principio propoſitam, *memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris, ſine intermiſſione*. Quod dixerat *ſine intermiſſione*, exponit modò, nocte ac die abundantius, (hoc eſt, frequentiùs, attentiùs, diutiùs) orantes, imò ſupra modũ. Dictio enim interpretata *abundantius*, exceſſum ſignificat, ad manifeſtandam quodammodo exceſſiuam orationem. VT VIDEAMVS FACIEM VESTRAM. non ad carnalem aut humanã conſolationem, ſed ſpiritualem fructum. De quo ſubdit, ET COMPLEAMVS EA QVÆ DESVNT FIDEI VESTRÆ. Non quòd deeſſent eis aliqua neceſſaria ad fidem, ſed deerant aliqua cognoſcenda, circa myſteria fidei, vel operum & huiuſmodi.

Verſ. 11. Ipſe autem Deus & pater noſter & Dominus. Deeſt *noſter*. Ieſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Scribendo orat, primò pro itinere ad eos, deinde pro augmento donorũ in Theſſalonicenſibus, ſubiungẽdo.

Verſ. 12. Vos autem Dominus multiplicet. pro, *plus habere*, & abundare faciat charitatem veſtram, in inuicem & in omnes. Duo petit, primò quòd Dominus faciat eos plus habere donorum ſpiritualium. Deinde ſpecialiter, quòd faciat abundare donum dilectionis, tum mutuæ, tum in omnes. In hoc enim ſuperat Chriſtiana dilectio reliquos amores, quòd non ſolum eſt ad diligentes ſe, ſed eſt ad

Duo petit pro Theſſalonicenſibus.

omnes etiam ignotos, & inimicos. QVEMADMODVM ET NOS IN VOBIS. pro, *in vos*. hoc eſt, ſpiritualiter. Sic enim fuit, & eſt dilectio noſtra erga vos.

AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA. Ecce quorſum petit hæc, pro Theſſalonicenſibus, vt confirmentur corda eorum in fide. Confirmentur autem cum duabus conditionibus. Altera eſt, SINE QVERELA. Paſſiuè intelligendum eſt: hoc eſt, quòd nullus ſit aduersùs eos querelæ locus. Et in hoc operum irreprehenſibilitatem comprehendit. Altera eſt, IN SANCTITATE. hoc eſt, munditiâ internâ. ANTE DEVM ET PATREM NOSTRVM. hoc eſt, coram Deo & patre noſtro. Vtramque conditionem cupit non coram vanitate hominum, ſed in conſpectu Dei tanquam Dei, & patris per adoptionem: vt vndique adſit reuerentia: IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Superfluit *Chriſti*. Et legendum eſt, *In aduentum Domini noſtri Ieſu*. hoc eſt, accedendo verſus aduentum Domini noſtri Ieſu. Huiuſmodi enim conditiones firmatæ, ſunt progreſſus quidem verſus aduentum Domini Ieſu. Paratæ ſiquidem in Euangelio virgines deſcribuntur euntes obuiam ſponſo. CVM OMNIBVS SANCTIS EIVS: AMEN. Superfluit *Amen*. Glorioſus Chriſti aduentus deſcribitur cum comitatu omnium ſanctorum. Verſ. 13

CAPVT IV.

DE CÆTERO. pro, *quòd ſupereſt*, ERGO FRATRES ROGAMVS VOS ET OBSECRAMVS, pro, *adhortamur*. IN DOMINO IESV. Supererat tractare illam particulam propoſitam, *coram Deo & patre noſtro*. Hæc enim particula (vt ibi dictum eſt) refertur ad *memores*. Tractat itaq; in toto reſiduo epiſtolæ huius, quàm memores ſint eorum coram Deo & patre noſtro: inſtruendo eos de vniuerſis quibus indigebant coram Deo & patre noſtro. Hæc eſt enim vera memoria ſubditorum apud prælatos in iis quæ Dei ſunt. Vnde & inchoat inſtructionem, rogando & exhortando in Domino Ieſu. VT QVEMADMODVM ACCEPISTIS A NOBIS. Superfluit *vt*. QVOMODO OPORTEAT VOS AMBVLARE. non pedibus, ſed affectibus ac moribus. ET PLACERE DEO. Nihil prodeſſet proficere moribus niſi placeretur Deo. Et hæc duo comprehendunt in genere vniuerſam vitæ Chriſtianæ formam. SIC ET AMBVLETIS. Superfluunt hæ tres dictiones: VT ABVNDETIS MAGIS. Hinc ſumendus eſt ordo literæ: hoc eſt enim quod rogant & adhortantur. Eſt ſiquidem ordo literæ: Adhortamur in Domino Ieſu, vt abundetis magis quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo. Rogat enim & hortatur Theſſalonicenſes bene operantes, vt abundent magis in ambulando & placendo Deo iuxta illũ modum quo inſtructi fuerant: quo ſcilicet oportet Chriſtianos ambulare & placere Deo. Inſtructi ſiquidem fuerant ore tenus de modo ambulandi & placendi Deo. Vnde & eundem ſcientiam citat. Verſ. 1.

Ambulare & placere Deo totam Chriſtianæ vitæ formam continet.

Verſ. 2. SCITIS ENIM QVÆ PRÆCEPTA DEDERIM. pro, *dederimus*, ſimul cum Sila. VOBIS, PER DOMINVM

nvm Iesvm. Ad præcepta refertur *per Dominum Ieſum*. Significatur enim quòd non propria præcepta, ſed præcepta per Dominum Ieſum dederunt eis.

Verſ. 3. Hæc est enim volvntas Dei. Explicaturus opportuna Theſſalonicenſibus præcepta, reducit præcepta Domini Ieſu (vtpote hominis) in Deum, dicendo, *hæc eſt enim voluntas Dei*: vt cognoſcamus præcepta Ieſu eſſe ex diuina voluntate. Sanctificatio vesta. Primum inter opportuna Theſſalonicenſibus præcepta, carnis munditiam ab illicitis venereis continet. *Sanctificatio veſtra*, hoc eſt, mundificatio veſtra. Et quoniam ad diuerſas materias poteſt referri mundificatio, explicat materiam intentam ſubiungendo.

Fornicationem non eſſe peccatum credebant Gentiles. Vt abstineatis vos a fornicatione. Vbi prudens lector, nota, quòd quia Gentiles reputabant fornicationem non eſſe peccatum, ne crederent ideo eam eſſe peccatum, quia prohibita eſt per Dominum Ieſum. iungit huic præcepto voluntatem Dei: vt ſciant ipſam fuiſſe prohibitam à Deo, & non incepiſſe prohibitionem eius per Dominum Ieſum.

Verſ. 4. Vt sciat vnvsqvisqve vestrvm vas svvm possidere in sanctificatione et honore. Ratione explicat prohibitæ à Deo fornicationis: quia videlicet eſt contra poſſeſſionem proprij corporis *in ſanctificatione* (hoc eſt, in mundificatione) *& honore*. Contra munditiam, ac contra honorem proprij corporis fornicationem eſſe aſtruit, quod in primæ quoque ad Corinth. cap. 6. dicit: ſed hîc aliam aſſignat rationem, quam ſubiungit.

Verſ. 5. *Paſſio ſignificat perturbationes animi.* Non in passione desiderii. Vſurpatum iam eſt apud Theologos nomen *paſſionis* ad ſignificandum perturbationes animi. Signum dehonorationis & immunditiæ corporis in fornicatione, eſt perturbatio animi concupiſcentis impellens ad fornicandum: imò ipſe vſus corporis ex perturbatione concupiſcentiæ. Vndè per hoc explicauit Paulus rationem immunditiæ & dedecoris corporis, quatenus humanæ rationi naturaliter ſubiecti quoad illius vſum voluntarium.

Sicvt et gentes, qvæ ignorant Devm. Adiunxit hoc ad excludendum excuſationem Gentilium attribuentium naturæ huiuſmodi vſum corporis in concupiſcentia perturbante animum: hoc, inquit Paulus, accidit gentibus ex eo quòd ignorant Deum, ex eo quòd non metiuntur ea quæ ſunt animi & vſus corporis ſecundum Deum. Igitur ex ignorantia Dei & peccant & excuſant peccatum.

Verſ. 6. Et ne qvis svpergrediatvr. Superfluit *&*. neqve. pro, *&*, circvmveniat in negotio fratrem svvm. Prohibitæ fornicationi adiungit prohibitum adulterium. Quod honeſto ſermone ſignificat à ſupergredi & decipere fratrem ſuum in negotio huiuſmodi. Communiter ſiquidem in adulteriis interuenit fallacia aliqua qua adulter velut ſupergreditur fratrem ſuum abutendo vxore illius.

Tres rationes contra hæc omnia affert ex parte Dei. Qvoniam vindex est Dominvs de his omnibvs. Tres rationes affert ex parte Dei aduerſus hæc omnia. Quarum prima eſt, quòd Deus eſt vltor omnium harum iniuriarum: vt hinc timeant cognoſcendo quòd non erunt impunes. *Sicvt*. Deeſt. *&*, prædiximvs vobis et testificati svmvs. Non nouiter hoc dicimus, ſed prius & diximus &, teſtificati ſumus afferendo teſtimonia ſcripturarum ſacrarum.

Non enim vocavit nos Devs in immvnditiam, sed in sanctificationem. Verſ. 7. Secunda ratio ex parte diuinæ vocationis ad Chriſtianitatis ſtatum eſt, quòd Deus vocauit nos in ſtatum munditiæ à perturbationibus animi, à ſordibus peccatorum, & non ad immunditias venereas.

Itaqve qvi hæc spernit. pro, *reiicit*, non hominem spernit. Verſ. 8. pro, *reiicit*, sed Devm: qvi etiam dedit spiritvm svvn sanctvn in nobis. pro, *in nos*. Superfluit *hæc*. & ſimiliter ſuperfluit *etiam*. Tertia ratio (quæ per modum illationis ex duabus præcedentibus inducitur) ex parte ipſius Dei habitantis in Chriſtianis per Spiritum ſanctum ſumitur. Hinc enim fit, vt qui reiicit abſtinentiam à fornicatione & adulterio, non reiiciat hominem, ſed reiicit Deum habitantem in ſeipſo, per Spiritum ſuum ſanctum. Vnde & contra Deum iudicem, & contra Deum vocantem, & contra Deum habitantem peccat tam fornicator quàm adulter.

De charitate avtem fraternitatis. Verſ. 9. Præceptis de ſpectantibus ad proprias munditias ſingulorum, adiungit præcepta de ſpectantibus ad dilectionem proximorum. Quæ tacenda dicit, quia Theſſalonicenſes ſeruabant ea, nec indigebant amplius moneri. Et propterea ſubdit, Non necesse habvimvs, pro: *habetis*, scribere. pro, *vt ſcribamus*, vobis. Et ratio ſubiungitur, Ipsi enim vos à Deo didicistis. pro, *edocti eſtis*, vt diligatis invicem. ab interno doctore plenè docti non egetis externo præceptore.

Etenim illud facitis in omnes fratres, Verſ. 10. in vniuerſa Macedonia. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis: liberalitas Theſſalonicenſium extendebat ſe ad omnes Chriſtianos, non ſolùm in ciuitate, ſed etiam in vniuerſa prouincia Macedoniæ: cuius pars erat Theſſalonica. *Theſſalonicenſium liberalitas.* Rogamvs avtem vos fratres, vt abvndetis magis. Facitis quidem officium dilectionis: rogamus autem vt creſcat.

Et operam detis. pro, *& ambiatis*, hoc Verſ. 11. eſt, pro honore ducatis. Adiungit etiam præcepta opportuna Theſſalonicenſibus. Et quantum conijcitur ex ſubiunctis, erant inter eos aliqui inquieti, aliena curantes: aliqui otioſi. Et illi quidem quietem & aliena poſtponere, velut ignauiam quandam reputabant. Quo contra ad eos dicitur: *Rogamus vos, vt pro honore ducatis*, Vt qvieti sitis, et vt vestrvm negotivm. pro, *res proprias*, agatis. hoc eſt, vt quieti occupemini circa res veſtras, nec hoc reputetis ignauiam, ſed honorabile. Sunt enim homines aliqui inquieti, ſemper quærentes curam alienorum. Ad otioſos autem dicitur, Et operemini. Deeſt. *propriis*, manibvs vestris, sicvt vobis præcepimvs. Artifices erant iſti, quibus præceperant voce vt non ſolùm manibus ſuboperariorum, ſed etiam manibus propriis operarentur. *Sunt aliqui [illegible]*

Vt honeste ambvletis, ad eos qvi foris svnt. hoc eſt, ad infideles, qui ſunt extra Eccleſiam. Volebat enim, vt cum eis ſeruaretur decorum,

decorum. ET NVLLIVS ALIQVID DESIDERETIS, pro, *& nullius indigentiam habeatis*. De infidelibus intelligo, hoc eſt, vt Chriſtiani ita ſe exhiberent, vt nullius infidelis indigentiam haberent, ne ex indigentia eorum, occaſionem incurrerent peccandi.

Verſ. 12. *Aduerſus triſtitiam pro defunctis monita.* NOLVMVS AVTEM VOS IGNORARE FRATRES, DE DORMIENTIBVS. Præcepta aduerſus triſtitiam & luctum pro defunctis adiungit, ſciens fortè quòd nimis triſtabantur. *Dormientes* appellat Chriſtianos mortuos, eo quòd ſurrecturi ſunt ad immortalem vitam: ac per hoc tanquam dormientes interim habent. VT NON CONTRISTEMINI, SICVT ET CÆTERI QVI SPEM NON HABENT. Non dicit, *vt non contriſtemini*, ſed adiuncto modo, ſicut non habentes ſpem immortalis vitæ corporis.

Verſ. 13. SI ENIM CREDIMVS, QVÒD IESVS MORTVVS EST, ET RESVRREXIT, ITA ET DEVS EOS QVI DORMIERVNT, PER IESVM ADDVCET CVM EO. Conditionali vtitur cuius antecedens tanquam notorium conſtat, vt indubitatum reddat conſequens. Simile quid fecit ad Corinthios ſcribens, *Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus*. Ex eo enim quòd conſtat Chriſtum mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, aſtruit conſtare quoque quòd Deus per Ieſum iudicem ac ducem adducet cum ipſo Ieſu eos, qui dormierunt in ſpe futuræ reſurrectionis. Et ad cumulum conſolationis, ordinem manifeſtat quòd dormientes præuenient alios. Hinc ſiquidem meliore conditione dormientium auditâ, meritò minorem triſtitiam causâ dormientium accepturi erant. Hunc itaque ordinem pro ratione reddens conſolationis, ait,

Verſ. 14. HOC ENIM VOBIS DICIMVS IN VERBO DOMINI, non in verbo hominum. QVIA, pro *quod*, NOS QVI VIVIMVS, QVI RESIDVI SVMVS IN ADVENTV, pro *in aduentũ*, DOMINI. Nota duas conditiones determinantes pronomen. Altera eſt, vita præſens, ad differentiam dormientium: hoc eſt, mortuorum. Altera eſt relinqui in aduentum Domini, ad differentiam eorum qui ante aduentum Domini morientur. Quæ ſimul iunctæ conditiones, manifeſtant quòd pronomen *nos*, non demonſtrat Paulum, Silam, Timotheum, & reliquos illius ætatis Chriſtianos, ſed electos qui tempore aduentus Domini ad iudicium vniuerſale relinquentur viui. Et dicit *qui reſidui ſumus*, ſeu *qui relinquimur*, propter id quod dictum eſt à Domino Ieſu: *Filius hominis veniens an inueniet fidem ſuper terrã?*

Sermo eſt de electis qui viui relinquentur ad iudicium vniuerſale.

NON PRÆVENIEMVS EOS QVI DORMIERVNT: non præueniemus, inquit, quoad gloriam immortalis vitæ, quoad eſſe ſimul cum Chriſto. Et rationem ſubdit non præuentionis, manifeſtando ſimul id quod dixerat, *Deus per Ieſum adducet cum eo eos qui dormierunt*.

Verſ. 15. QVONIAM IPSE, ſupple Ieſus. DOMINVS IN IVSSV. Non deſcendet ſeruus vt olim, ſed Dominus, non ſubditus hominibus vt in primo aduentu, ſed in iuſſu: veniet ergo Dominus iubens. ET IN VOCE ARCHANGELI. Superfluit &. Vox Archangeli poteſt intelligi vox Angelorum miniſtrantium Chriſto ordinatè ſub Archangelo Michaele qui creditur præeſſe Eccleſiæ: vt quemadmodum ſcriptum eſt in deſcenſu Dei in monte Sina, *Currus Dei decem millibus multiplex* &c. multò magis in aduentu perſonali Domini Ieſu innumera multitudo Angelorum ordinatorum appareat.

Vox Archangeli ante iudicium vniuerſale, qualis.

Quæ erit autem huiuſmodi vox, quamuis non ſcripta, intelligi poteſt vox tùm exultationis, tum conuocationis hominum ad iudicium. Poteſt nihilominus intelligi de voce ipſius Chriſti: nam conſtat ei competere Archangeli nomen *tum*: quoniam quatenus homo veniet ſupremus nuntius, ſupremi conſilij diuini de ſuprema diſpoſitione totius vniuerſi. Verum ſi de voce corporali eſt ſermo, ſenſus eſt quòd veniet in voce ſonante ipſum eſſe Archangelum: ita quòd non erit opus indice, nec expectabitur qualitas ſermonis: ſed ipſa eius vox ſonabit ipſum ſupremum nuntium deitatis. Si verò metaphoricè ſumitur *vox* pro manifeſtatione; ſenſus eſt, quòd deſcendet Archangelus manifeſtè: hoc eſt, quòd deſcendet clarè manifeſtus ſupremus nuntius deitatis ad diſponendum de nouitate totius mundi. Et hunc reputó eſſe ſenſum literalem.

ET IN TVBA DEI: hoc eſt, diuinitus conuocans omnes tam viuos, quàm mortuos: tubæ enim officium conuocare eſt. Et quia non humanitùs, ſed diuinitùs erit conuocatio, ideò dicitur *Dei*. Verè autem erit diuinitus: quoniam hæc tuba eſt illa vox filij Dei, quam audient omnes qui in monumentis ſunt. Eſt enim reſuſcitatiua mortuorum. *Tuba Dei, quænam?*

DESCENDET DE COELO. Vbi reſidet, deſcendet ſenſibiliter videntibus iis qui viuunt in terra. ET MORTVI QVI IN CHRISTO SVNT RESVRGENT PRIMI, pro *primùm*. E regione ad id quod dixerat, *non præueniemus eos qui dormierunt*, dicit quòd dormientes præuenient nos. Hunc enim ordinem clarè ſignificat aduerbium *primùm*. Primum igitur aſſequentur electi qui mortui fuerant vitam corporis glorioſam.

DEINDE. Non dicit *ſimul*, ſed *deinde*: vt ordo temporis ſignificetur. Verſ. 16.
NOS QVI VIVIMVS QVI RELINQVIMVR. Repetit ambas conditiones ſupradictas: manifeſtè explicans quòd de electis viuentibus: tunc loquitur. SIMVL RAPIEMVR CVM ILLIS IN NVBIBVS OBVIAM CHRISTO, pro *Domino*, IN AERA. Clare Paulus explicat quatuor myſteria. Primum eſt ordo temporis inter reſurrectionem electorum qui mortui fuerant, & raptum ad occurrendum in aëra Domino. Vbi inſinuatur ſecundum, quòd electi qui fuerant mortui, reſurgent in terra, & non in aëre, alioquin non deinde ſimul cum illis raperemur. Tertium eſt ſimultas raptus electorum viuentium, & eorum qui reſurrexerant. Quartum eſt quòd electi qui relinquimur non moriemur, ſed de vita mortali transferemur in vitam immortalem. Hoc enim clarè ſignificat, repetendo *qui viuimus ſimul rapiemur cum illis*. Hoc conſonat verbis Petri Apoſtoli Actuum decimo: *Ipſe qui eſt conſtitutus eſt à Deo index viuorum & mortuorum*. Et ideo in Symbolo cantamus, *Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos*. Act. 10.

Quatuor myſteria reſurrectionis generalis, explicat.

Nec obſtat quod ſtatutum ſit homini ſemel mori: quoniam ſtatutum regulare eſt, illos autẽ non mori ſingulare eſt. Et ſimiliter non obſtat ſcripturã dicere quod omnes reſurgemus: quoniam hoc verificatur etiã in illis quoad terminum reſurrectionis: hoc eſt, quoad ipſam vitam corporalem ad quam ordinatur reſurrectio.

Non omnes morientur.

Quod autem dicit *in nubibus*, nubes gloriæ ſignificatur. Corpora enim glorioſa ſplendẽtia,

nubem gloriæ efficient : quemadmodum videmus in cœlo in illa parte quæ vocatur via lactea. ET SIC SEMPER CVM DOMINO ERIMVS. Nota & *ſic* : abſque mora intercedente: & non aliquanto tempore, ſed *ſemper erimus cum Domino.* Et non dicit *erimus ibi* : quia non perſeuerabunt in aëre, ſed vbi erit Dominus.

Verſ. 17. ITAQVE CONSOLAMINI INVICEM IN VERBIS ISTIS. vtpote non humanis, ſed diuinis.

CAPVT V.

Verſ. 1. DE TEMPORIBVS AVTEM ET MOMENTIS FRATRES. Poſtquam deſcripſit qualitatem aduentus glorioſi, tractat tempus ipſius aduentus. Et dicit de temporibus & momentis, tempora referendo ad annos ſeu menſes, momenta autem ad dies ſeu horas. NON INDIGETIS VT SCRIBAMVS. pro, *ſcribatur*, VOBIS. Et rationem ſubdit.

Tempus aduentus Chriſti Iudicis tractat.

Verſ. 2. IPSI ENIM DILIGENTER. pro, *exactè*, SCITIS. Erant enim Theſſalonicenſes ſtudioſi ſcripturarum. QVOD DIES DOMINI SICVT FVR IN NOCTE ITA VENIET. Aduerte, erudite lector, vtrumque dictum à Paulo, & quod Dominus veniet manifeſtus in tuba, &c. & quod dies Domini veniet repentè, ex improuiſo ſicut fur in nocte. Vtrumque ſiquidem eſt verum: quoniam certum ac determinatum tempus quando veniet, erit ex improuiſo ac repentè, ipſe autem veniens tunc repentè & ex improuiſo, veniet manifeſtus & glorioſus. *Dies* itaque *Domini*, hoc eſt modus temporis quando veniet Dominus, aſſimilatur modo quo fur venit in nocte. Simitudinem enim modorum explicant aduerbia *ſicut* & *ita*. Et quoniam immiſcuit noctem, rationem reddit in quibus erit nocturna dies illa ſubiungendo.

Verſ. 3. CVM ENIM DIXERINT PAX ET SECVRITAS, TVNC REPENTINVS EIS SVPERVENIET. pro, *inſtat*, INTERITVS. Ecce quod ex improuiſo, putantibus eſſe pacem præſentium, & ſecuritatem futurorum : ecce quòd repentè, quòd repentinus iniquis non futurus, ſed preſens inſtat interitus. Et ne intelligeres quod ſtatim repentinà morte interibunt corpore, ſubiungit peius.

SICVT DOLOR. Deeſt, *partus*. IN VTERO HABENTIS. pro, *habenti*. Parum eſſet repente mori, ad cumulum ſiquidem pœnæ adiungitur ſenſibilis dolor, quemadmodum dolor partus eſt mulieri habenti in vtero dum parturit & non parit.

Scito quòd dictio Græca interpretata *dolor*, non planè explicabatur : quoniam ſignificat non dolorem abſolutè, ſed dolorem partus. Et propterea additum eſt partus.

ET NON EFFVGIENT. Ineuitabilitas mali adiungitur. Interitus itaque non ipſa mors, ſed terminus viæ ſignificatur. Ex tunc enim redduntur obſtinati in ſua malitia tanquam mortui in illa. Et propterea appellatur interitus abſque facultate euitandi malum pœnæ æternæ damnationis. Et hoc proportionaliter intellige de electis viuis tunc, quod confirmabuntur in bono : vtpote in termino viæ. Simul enim & pari ratione iſti iniqui erunt obſtinati in malo, & electi confirmati in bono, cùm repente veniet dies Domini, terminans viam meriti & demeriti. Verſ. 4.

Quis erit terminus viæ meriti eorum qui reſidui erunt ad Iudicium.

Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Non dicit quòd vobis non erit repentina dies illa, ſed dicit quod vos non comprehendet dies illa ſicut fur in tenebris. Fur enim in tenebris comprehendit bona furando : vos autem quia non eſtis in tenebris peccatorum, non comprehendemini ab illa die tanquam à fure, nihil perdetis adueniente repentè illa die.

OMNES ENIM VOS. Superfluit *enim*, FILII LVCIS ESTIS ET FILII DIEI. Hebræo more Paulus Hebræus loquitur, habentes lucis copiam filios lucis appellando : & ſimiliter habentes claritatis copiam filios diei appellando. Et tamen propriè geniti ſunt à luce ſpirituali & die ſpirituali, Chriſto ſcilicet, hoc enim dicit è regione ad noctem & tenebras. Vnde clarè ſubdit, NON SVMVS NOCTIS NEQVE TENEBRARVM. quoad ſtatum animæ. Verſ. 5.

IGITVR NON DORMIAMVS. ſomno negligentiæ & peccati. Infert exhortationem ex contrariis conditionibus Chriſtianorum & aliorum antedictis. SICVT ET CÆTERI. iniqui. SED VIGILEMVS ET SOBRII SIMVS. Non de vigilia corporali, ſed de vigilantia mentis eſt ſermo. Verſ. 6.

Ad vigilandum excitat.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Accommodatæ exhortationis rationem reddit ex iis quæ corporaliter geruntur in nocte. Dixerat enim quod nos non ſumus noctis ſed diei, & ideo ex hoc quod nocturno tempore homines corporaliter dormiunt & ebrij ſunt (communiter enim ſuperueniente nocte inebriabantur, vt nocturno ſomno digererent ebrietatem) propotionaliter iniqui tanquam filij noctis, & dormiunt in peccatis & inebriantur paſſionibus proprijs. Verſ. 7.

NOS AVTEM QVI DIEI SVMVS. Chriſtiani omnes. SOBRII SIMVS. E regione ad ebrietatem. INDVTI LORICAM. ſeu thoracem, FIDEI ET CHARITATIS. E regione dormitionis vigilātiam deſcribit. Vigilum enim eſt indui thoracem ad protegendum pectus, in quo ſunt vitalia membra. Vnde & principales virtutes explicat (fidei ſcilicet & charitatis) præſentem animæ vitam ſeruantes. ET GALEAM SPEM SALVTIS. futuræ in æternitate, ad protectionem capitis quo erigimur ad ſuperna. Verſ. 8.

Lorica fidei & charitatis.

Galea ſpei ſalutis.

Quoniam non poſuit nos Deus in iram. Verſ. 9.
Rationem adiungit ex parte ſtatus, ad quem Chriſtus nos Chriſtianos aſſciuit. Et differentiam aliam inter electos & reprobos ex parte Dei ſignificat. Negando ſiquidem quod poſuit nos Deus in iram, affirmationem inſinuat quod reprobos poſuit Deus in iram : iuxta doctrinam eiuſdem diffusè ſcriptam ad Rom. Poſiti ſunt enim reprobi ad ſuſcipiendam diuinam iuſtitiam vindicatiuam in æternum : quæ appellatur ſimpliciter & abſolutè ira. SED IN ACQVISITIONEM SALVTIS. Conſtituit Deus Chriſtianos ad acquirendam ſalutem æternam non propriis viribus ſeu meritis, Sed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

QVI MORTVVS EST PRO NOBIS. Ecce cuius Verſ. 10.
viribus, cuius merito acquirenda eſt nobis ſalus. Et vſque adeò, VT SIVE VIGILEMVS SIVE DORMIAMVS. corpore, hoc eſt, vt in quibuſcunque quæ agimus ſeu patimur. SIMVL CVM ILLO

VIVAMVS

VIVAMVS. hic eſt enim modus acquirendæ ſalutis per Chriſtum, vt omnibus quæ agimus ſiue patimur, ſeruemus viuere cum Chriſto, imò viuere cum Chriſto ſit ratio vigilandi & dormiendi. Viuere autem cum Chriſto eſt ſe conformare illi mente & animo.

Viuere cum Chriſto, quid.

Verſ. 11. Propter quod conſolamini inuicem & ædificate alterum, ſicut & facitis. *Propter quod*, refert diuinum beneficium quo conſtituit nos in acquiſitionem ſalutis per Chriſtum tali modo. Hinc enim deducit & mutuam conſolationem ſeu adhortationem quæ ſpectat ad verba, & mutuam ædificationem factis. Adiungit autem *ſicut & facitis*: ne putent latere Paulum virtutes eorum & intelligant quòd ad perſeuerantiam inuitantur.

Verſ. 12. ROGAMVS AVTEM VOS FRATRES. Moniturus in ſpecie qualiter ſubditi in prælatos, & prælati in ſubditos ſe gerere debent, incipit à ſubditis erga prælatos. Quos deſcribit à tribus actionibus. VT NOVERITIS EOS QVI LABORANT IN TERVOS. Ecce prima prælatorũ actio, laborare inter ſubditos: hoc eſt, qui non parcunt laboribus propriis in regimine veſtro. ET PRÆSVNT VOBIS IN DOMINO. Ecce ſecunda actio qua præſunt non tanquam dominantes, ſed *in Domino*, tanquam ſerui Domini Ieſu. ET MONENT VOS. Præeſſe eſt authoritatis, laborare operis, monere doctrinæ. Hæ ſunt partes Prælatorum.

Prælatos à tribus actionibus deſcribit.

Verſ. 13. VT HABEATIS ILLOS ABVNDANTIVS. Pro, *in æſtimatione*. Primum quod debetis talibus eſt, habere illos in pretio, quod eſt officium honoris. IN CHARITATE. Præcipit & quod honorentur, & quòd diligantur. PROPTER OPVS ILLORVM. non propter titulum præſidentiæ, ſed propter opus multiplex deſcriptum. ET PACEM HABETE CVM EIS. Superfluit *&*. Tertium quod exigit à ſubditis erga tales prælatos, eſt pax cum illis vt non reſiſtant caſtigationibus, monitionibus, & huiuſmodi, ſed cum ordinis tranquillitate ſe gerant erga eos exercentes officium ſuum. Tria ergo debent ſubditi prælatis, honorem, amorem, & pacem.

Pax ſubditorum cum Prælatis.

Verſ. 14. ROGAMVS VOS FRATRES. Ad prælatos dirigitur iſte ſermo, quatuor continens præcepta. CORRIPITE INQVIETOS. pro, *monete inordinatos*. vt ſint compoſiti & ordinati in moribus & actionibus ſuis. CONSOLAMINI PVSILLANIMES. ad aggrediendum ſeu perſequendum bona opera. SVSCIPITE. pro, *ſubleuate* INFIRMOS. non corpore ſed animo, qui inualidi ſunt ad ſuſtinendum aduerſa, ad reſiſtendum tentationibus, & huiuſmodi. PATIENTES, pro, *longanimes*, ESTOTE AD OMNES. Poſt tres ſpecies defectuum (ſcilicet ordinis, animi, & virium) generale præceptum ſubiungit longanimitatis ſeruandæ cum omnibus: Animum enim extenſum ad æternæ felicitatis futurum bonum oportet ſeruare cum omnibus: vt nullius occurſus abducat ab huiuſmodi longanimitate, vt omnibus ingerant huiuſmodi longanimitatem: quæ eſt omnibus ſummè neceſſaria.

VIDETE. Communia ſubiungit mandata.

Verſ. 15. NE QVIS MALVM PRO MALO ALICVI REDDAT. Formaliter intellige malum pro malo reddere: hoc eſt, intendere reddere malum ad differentiam intendentis reddere bonum iuſtitiæ vindicatiuæ ſeu punitiuæ pro malo quod aliquis fecerat. Non enim reddit Deus malum pro malo, cùm punit: ſed bonum iuſtitiæ pro malo culpæ. SED SEMPER QVOD BONVM EST SECTAMINI. quamuis non poſſitis quandoque illud efficere, IN INVICEM ET IN OMNES. Vt ſuperius dictum eſt, proprium eſt Chriſtianæ dilectionis velle bonùm non ſolum mutuò ſed ad omnes.

Communia mandata.

SEMPER GAVDETE. ſpirituali gaudio: hoc Verſ. 16.
eſt ſemper materiam gaudij habete Quod impletur etiam occurrentibus quibuſcunque triſtibus: quoniam in bonum ſibi vertunt etiam triſtia viri perfecti, ac per hoc materiam gaudij inde habent.

Etiam ex triſtibus materiam gaudij elicunt perfecti.

SINE INTERMISSIONE ORATE. horis con- Verſ. 17.
gruis.

In omnibus gratias agite. reputantes om- Verſ. 18.
nia diuina eſſe beneficia. Hæc eſt enim volũtás Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis. Pro, *in vos*. Ratio deſcriptæ vitæ voluntas Dei aſſignatur deducta in Chriſto Ieſu ad vos: hoc eſt, in fide Chriſti Ieſu extenſa ad vos credentes.

SPIRITVM NOLITE EXTINGVERE. Feruorem Verſ. 19.
ſpiritualem in multis quandoque inſurgentem mandat non extingui. Et bene nota quòd ſolum ſpiritum nominat, ad differentiam exteriorum feruorum: quos non vetat extingui.

PROPHETIAS NOLITE SPERNERE. Non loqui- Verſ. 20.
tur de prophetiis Eſaiæ, Hieremiæ, & huiuſmodi: ſed de prophetiis quas non profitemur. Nec dicit *complectamini*, ſed *nolite ſpernere*, & ſi non vultis illas complecti, non tamen iniuriam irrogetis illis ſpernendo.

OMNIA AVTEM PROBATE. Superfluit *autem*. Verſ. 21.
examinate & diſcutite prophetias & reliqua ſcripta. QVOD BONVM EST TENETE. Optimum atque tutiſſimum documentum.

AB OMNI SPECIE MALA ABSTINETE VOS. Su- Verſ. 22.
perfluit *vos*. Non ſolùm à verè malo opere, ſed etiam ab apparenter malo opere abſtinendum præcipit, & hoc propter aliorum ſcandalum.

IPSE AVTEM DEVS PACIS SANCTIFICET VOS Verſ. 23.
PER OMNIA. pro, *totos*. Orat pro Theſſalonicenſibus vt Deus mundet illos non in parte aliqua, ſed ſecundùm omnes partes, quas ſubiungendo explicat. VT. pro, *&*. INTEGER SPIRITVS VESTER, ET ANIMA ET CORPVS. In tres partes diſtinguit hominem: ſpiritum ſcilicet, animam, & corpus. Inter ſpiritum autem & animam differentia eſt penes officia. Vna ſiquidem & eadem res eſt anima & ſpiritus: ſed *anima* ſecundum officium viuificandi corpus dicitur, *ſpiritus* verò ſecundum officium intelligendi & volendi ſpiritualia, quam animæ partem Philoſophi appellant *mentem*.

Hominem in ſpiritum, animam & corpus diſtinguit.

Dicit autem de ſpiritu *& integer*: ad ſignificandum hanc partem quæ ſpiritus ſeu mens appellatur, conſtare ex multis partibus. Integratur enim ex intellectu & voluntate. Vnde dicendo *integer ſpiritus*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, vt ſpiritus veſter tam ſecundùm intellectum, quam ſecundùm voluntatem.

SINE QVERELA. Iam pluries diximus paſſiuè intelligi: hoc eſt, ſine aliqua aduerſus ſpiritum, animam, & corpus querimonia. IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SERVETVR. Explicat in quo iudicio eos ſine querela cupit eſſe.

Verſ. 24. FIDELIS EST QVI VOCAVIT, pro *vocat*, VOS, QVI ETIAM, pro *&*, FACIET. Orationi adiungit efficaciam non ex propriis orantium, aut eorum pro quibus oratur viribus, aut meritis, ſed ex diuina promiſſione. *Fidelis*, inquit, *eſt qui vocat vos Deus*: hoc eſt, verax in promiſſis, ad quæ vos vocat. Nec ſolùm eſt verax, ſed etiam effector eorum quæ dicit: imò quod exequetur ea quæ dicit vocando vos.

Verſ. 25. FRATRES ORATE PRO NOBIS. Agnoſcunt ſeipſos quamuis Doctores & tam perfectos, egere orationibus eorum quos conuerterant.

Verſ. 26. SALVTATE FRATRES OMNES IN OSCVLO SANCTO, ad differentiam oſculi amoris humani.

Verſ. 27. ADIVRO VOS PER DOMINVM. Apoſtolicâ authoritate præcipientis Pauli eſt. VT LEGATVR EPISTOLA HÆC OMNIBVS SANCTIS FRATRIBVS. Superfluit *hæc*. Et manu Pauli verba hæc ſcripta ſignificantur, eo quòd ſingulari numero tacito nomine ſuo dixit *adiuro*, vt manus propria loco nominis ſignificaret ipſum. Cogit autem adiuratio hæc vt putemus aliquod impedimentum formidatum ad publicè legendum conuocatis omnibus hanc epiſtolam: ſed neſcimus quod aut quare.

GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM, AMEN. Verſ. 28.
Sic enim ſolito more terminat Epiſtolam Paulus.

Et apud Græcos inuenitur ſubſcriptio talis: *Ad Theſſalonicenſes prima, ſcripta Athenis.*

Caietæ die duodecima Martij, 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD THESSALONICENSES POSTERIOREM COMMENTARII.

CAPVT I.

Verſ. 1. PAVLVS ET SILVANVS ET TIMOTHEVS ECCLESIÆ THESSALONICENSIVM IN DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO.

Verſ. 2. GRATIA VOBIS, ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Quemadmodum in priore Epiſtola, ſcribuntur perſonæ ſalutantes, Eccleſia ſalutata, & ſalutatio.

Verſ. 3. GRATIAS AGERE DEBEMVS SEMPER DEO. Hinc incipit narratio commemoratiua augmenti fidei, dilectionis, & patientiæ Theſſalonicenſium: vt hinc proponatur materia tractanda. Commemorat autem vt materiam debitæ gratiarum actionis Deo de illis. Vnde & ſubiungit: PRO VOBIS FRATRES, ITA VT DIGNVM EST. Superfluit *ita*. Declarat rationem debiti dicendo, *vt dignum eſt*. Et explicando ſubiungit: QVONIAM SVPERCRESCIT FIDES VESTRA. Non ſolum augetur, ſed multùm augetur fides veſtra. ET ABVNDAT CHARITAS VNIVSCVIVSQVE OMNIVM VESTRVM INVICEM. Vt neminem excluderet ab abundantia mutuæ dilectionis, non ſufficit dicere *vniuſcuiuſque*, ſed addidit *omnium*.

ITA VT ET NOSIPSI IN VOBIS GLORIEMVR IN ECCLESIIS DEI. Vſqueadeo augetur fides veſtra erga Deum, & dilectio veſtra mutua, vt & noſipſi gloriemur de vobis in aliis Dei Eccleſiis. Verſ. 4.

PRO PATIENTIA VESTRA, ET FIDE IN OMNIBVS PERSECVTIONIBVS VESTRIS ET TRIBVLATIONIBVS. Ecce euidens materia gloriationis noſtræ de vobis, exterior patientia procedens ex conſtantia fidei non in aliqua, ſed in omnibus perſecutionibus veſtris à contribulibus, & afflictionibus. Hoc enim tunc temporis nouum erat apud Gentiles, quoniam adhuc non fuerat ab Imperatoribus mota perſecutio contra Chriſtianos: & primi Gentiles qui leguntur afflicti pro fide, fuerunt Theſſalonicenſes. Et ideo Paulus meritò de ipſis gloriabatur in aliis Eccleſiis. QVAS SVSTINETIS.

Theſſalonicenſes primi ſunt Gentiles qui leguntur afflicti pro fide.

IN EXEMPLVM IVSTI IVDICII DEI. Superfluit *in*. Nec vſquequaque liquet an *exemplum*

ſit caſus nominatiui, & refertur ad *ſuſtinetis*: an ſit caſus accuſatiui, & referatur ad *quas*. Sẽſus tamen in idem redit. Et eſt quòd quatenus toleratis huiuſmodi afflictiones & perſecutiones, eſtis indicium iuſti iudicij Dei, in vobis tolerantibus ſperatum futurum iuſtum Dei iudicium. Quod qualiter verificetur ipſe declarabit. Incipit enim hîc proponere materiam tractandam. VT DIGNI HABEAMINI IN REGNO DEI. Superfluit *in*. Suſtinetis non ſolùm ad indicium iuſti iudicij Dei, ſed vt noſipſi digni habeamini regno Dei. Non dicit *digni ſitis* (quoniam *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurum regnum*) ſed vt digni habeamini ab ipſo Deo. Et hoc eſt alterum quod proponitur tractandum.

PRO QVO ET PATIMINI. Incipit tractare illam particulam, *exemplum iuſti iudicij*. Et relatiuum *quo*, refert *regnum*. Hinc enim tolerantia veſtra indicium eſt iuſti iudicij, quòd vos pro regno Dei patimini. In quo clauditur quòd illi à quibus patimini, contra regnum Dei agunt. Verè ſiquidem pro regno Dei paſſi ſunt Martyres omnes, non ſolum acquirendo, ſed etiam vt ſeipſos ſeruent partes regni Dei, tales in quibus regnet Deus per fidem, ſpem, charitatem, & reliquas virtutes.

Pro regno Dei paſſi ſunt omnes Martyres.

Verſ. 6. Si tamen pro, *ſiquidem*, iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant.

Verſ. 7. Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum. Ecce documentum iuſti iudicij, dum vos affligimini pro regno Dei, indicatur omnibus quòd Deus diſcernet inter vos & eos qui affligunt, iuſto iudicio retribuendo affligentibus afflictionem, & vobis afflictis refrigerium. Niſi enim hoc indicaretur, ſtultum eſſet & vanum pati pro huiuſmodi cauſa.

IN REVELATIONEM DOMINI IESV DE CŒLO. Declarat ipſum iuſtum iudicium Dei quale erit, dicendo *in reuelatione*. Nunc enim tanquam tectus eſt nobis Dominus Ieſus per interſtitiũ cœli. Et ideo tempus aduentus eius appellatur reuelatio de cœlo. Et tangitur per quem (ſcilicet Dominum Ieſum) fiet iuſtum Dei iudicium. CVM ANGELIS VIRTVTIS. pro, *potentiæ*, EIVS.

Verſ. 8. IN FLAMMA IGNIS. pro, *in igne flamma*. Deſcribit aduentum Domini Ieſu, tum à ſocietate Angelorum, tum à potentia, cui ſubduntur Angeli, tum ab inſtrumento elementi ignis quo vtetur. Et deſcribit in ſpecie flammæ: ad differentiam naturalis ignis, tum ex terra conſurgentis in ſpecie carbonum ardentium, tum in impreſſionibus aëris apparentis in ſpecie vaporum accenſorum. Aëreum ſiquidem videtur ſignificare: vnde & deſcribitur tanquam deſcendens de cœlo.

Aduentus Chriſti ad iudicium deſcribitur.

DANTIS VINDICTAM. Participium *dantis* refertur ad *Domini Ieſu*. Officium deſcribitur ad quod exercendum veniet. IIS QVI NON NOVERVNT DEVM. Primum puniendorum genus conſtat ex infidelibus, qui Deum fide non nouerunt. Et qui non obediunt euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Alterum damnatorum genus eſt inobedientium Euangelio: ſub quo comprehenduntur omnes mali Chriſtiani, inobedientes mandatis Euangelicis.

Verſ. 9. QVI PŒNAS, pro, *pœnam*, DABVNT IN INTERITV ÆTERNAS. pro, *interitum æternum*. Superfluit ſiquidem *in*, & appoſitiuè ad pœnam dicitur *interitum æternum*. Semper enim interibunt & nunquam deſinent. A FACIE DOMINI ET A GLORIA VIRTVTIS. pro, *potentiæ*, EIVS. Et tempus & excellentia cauſæ deſcribitur. *Tempus* quidem *à facie Domini*: quoniam ex quo incipiet apparere Dominus, erunt obſtinati in malo, & incipiet tẽpus ſupplicij eorum. *Excellentia* verò *cauſæ*: quoniam ſola facies Domini in potentia ſua glorioſa, ſufficiens erit ad vindictam omnium, ne putaret quiſpiam quòd oportebit ibi laborare aut pugnare pro huiuſmodi vindicta exercenda.

Verſ. 10. CÙM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SVIS. Declaratâ vnâ parte iuſti iudicij futuri (ſcilicet vindicta) declarat alteram, videlicet præmium ſanctorum. Quod à duobus deſcribit, primo à glorificatione, *cùm venerit gloriari in ſanctis ſuis*, vt qui iam glorificatus eſt in ſeipſo, glorificetur etiam in ſuis ſanctis, communicando illis etiam corporis immortalem gloriam.

Præmium ſanctorum à duobus deſcribit.

Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Ecce alterum: Tanta erit glorificatio communicata mundis omnibus qui crediderunt, vt admirabilis reddatur Ieſus in illis. Excellentia gloriæ tunc incogitabilis, tunc viſa, admirabilem toti vniuerſo reddet Ieſum etiam in minimis qui crediderunt.

Quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. Proprios effectus propriis adaptat cauſis, propria præmia propriis adaptat meritis: & propterea gloriam admirabilem futuram in die illo, reducit tanquam in propriam cauſam meritoriam in fidẽ à gentibus adhibitam teſtimonio Apoſtolico de præmio in illo futuro. Vnde ordo literæ eſt: *quia creditum eſt*, ab humano genere, *teſtimonium noſtrum*, ſubaudi de futuris, *ſuper vos*, Gentiles *in die illo*.

Verſ. 11. IN QVO. pro, *in quòd*, ETIAM ORAMVS SEMPER PRO VOBIS. Per modum orantis incipit tractare illam particulam, *vt digni habeamini regno Dei*. Nunc quidem tractat illam vt materiam petitionis apud Deum: poſtmodum verò in calce ſecundi capituli tractabit eandem docendo. Dicit itaque, *in quod*, referendo præmium futurum: nos etiam vobis ſuffragamur orationibus. VT DIGNETVR VOS VOCATIONE SVA DEVS NOSTER. Superfluit *ſuâ*. Ecce quid petunt, vt Deus dignos reddat Theſſalonicenſes vocatione, hoc eſt, efficiat tales, quales vocatio diuina exigit, & hoc relatiuè ad Deum. Relatiuè autem ad proprias ipſorum vires ſubiungit:

ET IMPLEAT OMNEM VOLVNTATEM BONITATIS SVÆ. Superfluit *ſuæ*. ET OPVS FIDEI IN VIRTVTE. pro, *potentia*. Dictio interpretata *voluntatem*, non plenè explicatur, ſignificat enim bonam voluntatem ſeu beneplacitum, ſeu bonum propoſitum. Petitur ergo vt Deus impleat in parte affectiua omnem bonam voluntatem bonitatis, omne bonum propoſitum cuiuſcunque boni. Significatur enim bonitas, tum ex parte actus, tum ex parte obiecti: nam vtrinque oportet bonitatem adeſſe (& quòd bonum

bonum velimus, & quòd bene velimus, bonum) ſed totum nihil eſt, niſi efficacia diuina adſit ad adimplendum huiuſmodi voluntatem. Ex parte autem intellectus *vt Deus impleat fidei opus in potentia.* Implere opus fidei in potentia contingit tum potenter tolerando afflictiones & perſecutiones illatas propter fidẽ; tum potenter operando ex fide, quod eſt gratiæ miraculorum: quæ fidei attribuitur ab ipſo Domino: *ſi habueritis tantam fidem vt granum ſinapis, diceretis monti huic,*&c.

Oportet bonum velle, & bene velle.

Verſ. 12. VT CLARIFICETVR, pro *glorificetur*, NOMEN DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI IN VOBIS, ET VOS IN ILLO. Ratio petitionis explicatur, non vt Chriſtus, ſed vt nomen Chriſti glorificetur in vobis ſic qualificatis, & vos ſic qualificati glorificemini in illo nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, non in vobiſipſis. Et quoniam hoc excedit humanas vires, ſubiungit: SECVNDVM GRATIAM DEI NOSTRI. quem colimus. ET DOMINI IESV CHRISTI. per quem deriuatur ad nos diuina gratia.

CAPVT II.

Verſ. 1. ROGAMVS AVTEM VOS FRATRES. Tractat illam particulam *iuſti iudicij* Dei, quantùm ad tempus quo eſt futurum illud iuſtum Dei iudicium. PER ADVENTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Obſecratio apta eſt materiæ. ET NOSTRÆ CONGREGATIONIS IN IPSVM. pro, *& noſtram congregationem in ipſum.* Et poteſt referri tum noſtra præſens congregatio per fidem in ipſum Chriſtum, tum (quod potius quadrat) futura noſtri congregatio in ipſum Chriſtum tempore aduentus eius: vt vtrinque obſecratio fiat per futura tunc.

2. VT NON CITO MOVEAMINI. pro, *dimoueamini*, A VESTRO SENSV. pro, *à mente.* Ecce quid rogant vt non facilè dilabantur à mente: hoc eſt, ab eo quod ſecundùm ſupremam intellectus partem tenent de tempore aduentus Chriſti. Et dixit hoc: quoniam ex priore Epiſtola Theſſalonicenſes intellexerant propinquum eſſe aduentum Chriſti, & inde tanquam dimoti ab eo quod mente tenebant, ac turbati fuerant. Vnde & ſubiungit: NEQVE TERREAMINI. pro, *turbemini.* Vnde autem turbationem & lapſum huiuſmodi incurrerant, ſignificatur ſubiungẽdo: NEQVE PER SPIRITVM, NEQVE PER SERMONEM, NEQVE PER EPISTOLAM TANQVAM PER NOS MISSAM. Superfluit *miſſam.* QVASI INSTET DIES DOMINI. pro, *Chriſti.* Quod dicit *tanquam per nos*, refertur ad ſingula, ſcilicet ſpiritum, ſermonem & epiſtolam. Erant enim inter Theſſalonicenſes interpretantes *per ſpiritum*, tanquam per ſpiritum Pauli inſinuatum in Epiſtola priore, aut in ſermone habito coram eis, quod inſtaret tempus aduentus Chriſti. Anſam autem accipiebant ex epiſtola eo quòd in prima perſona dixerat, *nos qui viuimus, qui relinquimur in aduentum Domini, ſimul rapiemur cum illis.* Et hæc videtur ad literam ratio huius ſecundæ epiſtolæ: ad tollendum ſcilicet ab eis huiuſmodi intellectum.

Occaſio huius Epiſtolæ.

NE QVIS VOS SEDVCAT VLLO MODO. videli- Verſ. 3.
cet explicando ſpiritum noſtrum, aut ſermonem noſtrum, aut Epiſtolam noſtram. QVONIAM NISI VENERIT DISCESSIO. pro, *apoſtaſia.* PRIMÙM. Ad tollendum huiuſmodi opinionem de propinquitate aduentus Chriſti: manifeſtat eis oportere duo præcedere Chriſti aduentum. Alterum eſt apoſtaſia, ſed non dicit à quo. Græca ſiquidem dictio eſt *apoſtaſia*: & ſignificat defectionem ſeu rebellionem ab obedientiâ, ſtatu, profeſſione, principe, &c. Intelligitur autem de apoſtaſia ab Imperio Romano: prædicit eis oportere primum deficere gentes ab Imperio Romano quàm veniat Chriſtus.

ET REVELATVS FVERIT HOMO PECCATI. Ecce alterum quod oportet præcedere aduentum Chriſti, & eſt aduentus Antichriſti. Quem deſcribit primò à natura, dicendo *homo*: deinde à plenitudine peccatorum, dicendo *homo peccati.* Et de eo dicit *reuelatus fuerit*, quoniam manifeſtus erit homo peccati: non erit hypocrita (vt non poſſit cognoſci, vt lateat peccatum eius) ſed erit manifeſtus homo peccati. FILIVS PERDITIONIS. Hebræo more loquitur vndique perditione dignum appellans filium perditionis.

Antichriſtus deſcribitur.

QVI ADVERSATVR ET EXTOLLITVR SVPRA Verſ. 4.
OMNE QVOD. pro, *omnem qui*, DICITVR DEVS. Ex hac Antichriſti conditione apparet quòd Mahometus non fuit Antichriſtus, nam fecit ſeipſum flatum Dei, non ſupra Deum. Antichriſtus autem non ſolùm aduerſabitur Deo, ſed etiam extolletur ſupra omnem qui dicitur Deus. AVT QVOD COLITVR. Circumloquitur interpres dictionem Græcam, ſignificantem omne id cui debetur veneratio religioſa: qualia ſunt quæcunque ſacramenta & ſacra, ſiue res, ſiue loca, ſiue tempora. Extollet ſiquidem ſe ſuper omnes dies feſtiuos, tam Chriſtianorum quàm Iudæorum, & ſuper reliqua ſacramenta & ſacra, &c.

Mahometus non fuit Antichriſtus.

ITA VT IN TEMPLO DEI SEDEAT, OSTENDENS SE TANQVAM. pro, *quod*, SIT DEVS. In multis quoque codicibus Græcis, inueniuntur duæ dictiones mediæ inter *Dei* & *ſedeat*, ita quod legitur, *ita vt in templo Dei, tanquam Deus ſedeat*, oſtendens ſeipſum quòd ſit Deus. Et ſunt ad clariorem ſenſum.

Declarat Paulus modum quo Antichriſtus extolletur ſupra Deum. Et modus eſt quod ipſe ſedebit in templo Dei oſtentans ſeipſum eſſe Deum: hoc eſt enim extolli ſupra Deum. Nec aliquod determinatum templum ſignificatur: ſed in quocunque templo Deo dicato, ſedebit tanquam ſibi dicato.

NON RETINETIS. pro, *non meminiſtis*. inter- Verſ. 5.
rogatiuè punctando & legendo. QVOD CVM ESSEM APVD VOS, HÆC DICEBAM VOBIS? Reuocat ad memoriam eorum hæc eadem verba eis ſignificata fuiſſe: arguens per hoc eos, quòd cùm hæc ſciant ab ore eius, non debebant turbari & adduci in opinionem quòd inſtaret dies aduentus Chriſti.

ET NVNC QVID DETINEAT SCITIS. Ordo li- Verſ. 6.
teræ eſt: & ſcitis quid nunc detineat, quid in præſenti prohibeat, occaſio ſit moræ. VT REVELETVR. Deficit, *ille homo peccati*, IN SVO TEMPORE. Dicit Paulus quòd Theſſalonicenſes non ſolùm hæc prædicta ſciebant, ſed etiam

rationem

rationem dilatæ manifeſtationis Antichriſti: dixerat enim eis illam rationem Paulus. Quam rationem ſubiungit, ponendo eam in ſcriptis.

Verſ. 7. NAM MYSTERIVM IAM OPERATVR INIQVITATIS TANTVM. pro, *ſolum*. Et hic fiat colon. VT QVI TENET NVNC TENEAT. Superfluunt duæ dictiones, *vt*, & *teneat*: & dictio interpretata *tenet*, eſt illamet quæ interpretata eſt *detineat*, dicendo *& nunc quid detineat ſcitis*. Vnde litera iſta legenda eſt. QVI IAM DETINET, DONEC DE MEDIO FIAT. Et eſt ordo literæ: nam qui iam detinet, iam operatur ſolùm iniquitatis myſterium, donec de medio fiat. In quibus verbis duo myſteria declarat.

Detinetur Antichriſtus donec impleantur iniquitates Imperij Romani.

Alterum eſt, quòd ratio detinendi eſt, non potentia aliqua detentiua aut prohibitiua, ſed vt impleantur iniquitates Imperij Romani: ſimilis ſiquidem eſt hęc ſententia illi diuinæ ſententiæ Geneſ. 15. *Nondum ſunt completæ iniquitates Amorræorum*, vnde relatiuum *qui detinet*, Imperium Romanũ refert: de quo modum detinendi explicat, dicendo quòd *ſolummodo operatur arcanum iniquitatis*: apertè ſignificando, quòd non aliter detinet, quàm operando arcanum iniquitatis. Nominat autem integritatem iniquitatum myſterium iniquitatis, quoniàm verè arcanum eſt, & ſoli Deo cognitum quantùm iniquitatis implendum eſt ad hoc, vt Romanum Imperium de medio tollatur. Et bene nota formalem ſermonem: non dicit abſolutè quòd ſolùm agit myſterium iniquitatis (quod eſſet nihil boni agere, ſed malum ſolummodò) ſed dicit, *qui detinet*, agi tantummodo myſterium iniquitatis: quod eſt quatenus detinens aduentum Antichriſti non detinet authoritate aut merito, ſed ſolum implendo myſterium iniquitatis, cum quo ſtat, quòd multa bona & ſancta opera etiam efficiat interim, ſed non ad detinendum aduentum Antichriſti.

Alterum myſterium quod declarat eſt, quòd cùm dixiſſet, *niſi venerit apoſtaſia primùm*, intellectum fuiſſet nihil aliud ſignificari niſi defectionem multarum gentium ab Imperio Romano, niſi modò adiungeret, donec de medio fiat: apertè ſignificans quòd ante aduentum Antichriſti oportet non ſolum eſſe defectionem gentium à Romano Imperio, ſed etiam totaliter aboleri Romanum Imperium, hoc eſt enim de medio illud tolli. Quocirca cùm adhuc non ſit de medio ſublatum Romanum Imperium, adhuc non eſt impletum quod Paulus dicit, *donec de medio fiat*.

Verſ. 8. ET TVNC REVELABITVR ILLE INIQVVS. Certum eſt quòd aduerbium *tunc*, excludit tempus præcedens (ſignificat enim quòd non prius) ſed non eſt certum an affirmet tempus immediatè ſequens. Non enim dicit *& tunc immediatè*, ſed dicit *& tunc*, ſublato de medio Romano Imperio *reuelabitur ille iniquus*. Igitur ex Paulo habemus tria præcedentia aduentum Chriſti: primum eſt apoſtaſia: ſecundũ extinctio: & tertium aduentus Antichriſti. Quæ eo ordine ventura prædicta ſunt quo ſunt enumerata. Quorum primum tantum videmus impletum: reliqua ſuperſunt implenda.

Tria ex D. Paulo præcedentia aduentum Chriſti iudicis.

QVEM DOMINVS IESVS. Superfluit *Ieſus*. INTERFICIET, pro, *conſumet*. SPIRITV ORIS SVI, ET DESTRVET ILLVSTRATIONE. pro, *apparitione*, ADVENTVS SVI EVM. Prima fronte ſignificatur metaphoricè tam facilis cõſumptio Antichriſti à Domino quòd ſolo flatu oris Dominus conſumet eum: ſecundùm tamen proprietatem verborum ſignificatur quòd Dominus Ieſus conſumet Antichriſtum: non conſumptione corporali, ſed conſumptione ſpirituali: ſpiritu oris ſui, hoc eſt, ſpiritu ſermonis Euangelici, quod ex proprio Chriſti ore exiit, & eundem deſtruet apparitione aduentus ſui. Cerne differentiam inter conſumptionem & deſtructionem: Euangelici ſiquidem verbi ſpirituali virtute conſumet paulatim auertendo homines ab Antichriſti ſequela, & ducendo ad veritatem Euangelicam. Et quia non omnes reuocabuntur, ſed aliqui poſt aliquos paulatim, multis tamen perſeuerantibus vſque ad aduentum Chriſti, in doctrina Antichriſti, ideo dicitur quod conſumet quidem ſpiritu oris, deſtruet autem apparitione aduentus ſui. Cùm enim aduentus Chriſti incepit apparere, tunc totaliter deſtruetur Antichriſtus, pro quanto tunc ab omnibus cognoſcetur fallacia eius. Vnde hinc habes prudens lector aliud myſterium: videlicet quod ſequaces Antichriſti durabunt vſque ad apparitionem aduenientis Chriſti.

Verſ. 9. Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ. Deſcriptis principio & fine, deſcribit progreſſum Antichriſti: inchoando à dæmone cuius virtute operabitur. Dixerat ſuperiùs eundem hominem peccati: modò deſcribit ipſum ex Satana (hoc eſt, aduerſario dæmone, qui antonomaſticè dicitur aduerſarius) efficaciam dante actionibus illius hominis.

Progreſſus Antichriſti.

IN OMNI VIRTVTE. pro, *potentia*. Ecce primum inſtrumentum Antichriſti, potentia omnis: vt è regione Chriſti appareat: nam Chriſtus ſecundùm operationem Spiritus ſancti apparuit, ille ſecundum operationem Satanæ: Chriſtus in omni humilitate, ille in omni potentia: eſt enim ſermo de potentia ſeculari. Et dicitur *omnis potentia*, quia erit potentia tum diuitiarum, tum vis coactiuæ & dominatiuæ, tum deliciarum, &c.

ET SIGNIS ET PRODIGIIS MENDACIBVS. pro, *mendacij*. Signa ſanitatum quas mirabiliter conferet, & prodigia apparentium in elementis, appellantur mendacij, tum quia multa erunt præſtigioſa & ſpectra potius quàm vera: tum quia quæ erunt vera facta, erunt mendaciter miracula. Vt enim in Euangelijs declarauimus, ea, quæ verè efficiet Antichriſtus mirabilia in conſpectu hominum, non erunt verè miracula: hoc eſt, ſupra facultatem omnium cauſarum ſecundarum: & propterea omnia ſunt ſigna & prodigia mendacij.

Signa & prodigia mendacia Antichriſti.

Verſ. 10. ET OMNI SEDVCTIONE INIQVITATIS. pro, *iniuſtitiæ*. Ecce tertium organum Antichriſti: ſcilicet ſeductio iniuſtitiæ, vſque adeò dementabit homines vt iniuſtitias licitas reputent. Et hæc erit non aliqua, ſed omnis ſeductio, omni genere ſeductionis vtetur ad homines faciendos iniuſtos ſimiles ſibi. IIS QVI pro, *in iis qui*, PEREVNT. Non ſufficit Paulo explicare progreſſum Antichriſti, ſed explicat etiam fructum eius: in quibus ſcilicet fructum habebunt hæ ſeductiones eius, dicendo *in iis qui pereunt*, ad differentiam electorum. Ac ſi apertè diceret:

Seductio Antichriſti.

diceret: non in electis fructificabit, ſed in reprobis, qui ſuapte voluntate pereunt. Vnde & ſubdit rationem quare pereunt.

In eo qvod charitatem veritatis non recipervnt, vt salvi fierent. Ideo pereunt, quia non receperunt dilectionem veritatis, non cuiuſcunque, ſed illius quà ſalui fierent. *Charitas veritatis.* Dilectionem veritatis prædicauit Chriſtus, prædicauerunt Apoſtoli, prædicat Eccleſia Chriſti. Qui hanc dilectionem recipiunt in mentibus, affectibus, & operibus propriis, ſalui fiunt: totum enim quod Euangelicus ſermo tradit, veritas eſt. Qui autem hanc dilectionem non receperunt ad hoc, vt ſalui fierent, ipſimet ſeipſos interimunt eo ipſo, quòd non recipiunt hanc dilectionem, quæ ſola eſt medium ad ſalutem. Non imputent igitur pereuntes alteri, ſed ſibimet ſuum interitum, quemadmodum nulli imputare debent, quòd non receperunt oblatam eis dilectionem veritatis.

Ideo. Deficit &. Legendum eſt, Et ideo mittet illis Devs operationem erroris. Quemadmodum ad Romanos ſcribit, in pœnam peccati *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, &c. ità modò ſcribit: & ideo quia non *Operatio erroris.* receperunt dilectionem veritatis; in pœnam huiuſmodi criminis mittet illis Deus operationem erroris. Dictio interpretata *operationem*, non totaliter explicatur nomine *operationis*: nam ſignificat quandam efficaciam, ſiue vim intùs operantem. Et eſt ſenſus, quòd mittet illis Deus internam vim, ſeu efficaciam ad errandum. Vnde & ſubdit: Vt credant mendacio. Mirabilis eſt hæc pœna; quæ eſt & pœna peccati præcedentis, & ratio peccati ſequentis.

Verſ. 11. Vt ivdicentvr omnes, qvi non credidervnt veritati, sed consenservnt iniqvitati. pro, *iniuſtitia*. Sed nec ſic totum explicatur, nam Græcè habetur, *ſed complacentes in iniuſtitia*. Ne tantæ pœnæ peccatum exiſtimetur finis, ſubiungit bonum ad quod hæc mala ordinantur eſſe bonum diuinæ iuſtitiæ, dicendo: *vt iudicentur omnes* de peccato, tum omiſſionis, quòd non crediderunt veritati; tum commiſſionis, quòd complacentes fuerunt in iniuſtitia: hæc enim duo crimina erunt in ſequacibus Antichriſti. Quorum primum contrariatur bono intellectus, ſecundum bono affectus.

Verſ. 12. Nos avtem debemvs gratias agere Deo. Deficit, *ſemper*. pro vobis fratres dilecti a Deo. pro, *Domino*. E regione reproborum ad electos Theſſalonicenſes ſermonem conuertit: materiam gratiarum actionis aſtruens ſubiuncta bona. Qvod elegerit nos. pro, *vos*, Devs primitias. pro, *ab initio*, in salvtem. *Electio ad ſalutem magna materia gratiarum actionis.* Magna materia gratiarum actionis, quòd ab initio Euangelicæ diuulgationis, abſque veſtris meritis Deus vos elegerit, præferendo vos reliquis quos non elegit: elegerit autem non ad temporale bonum, ſed in ſalutem æternam.

In sanctificatione spiritvs. Non ſolùm elegit vos in ſalutem finalem, ſed cum gratuitis mediis, altero ſpectante ad affectum, ſcilicet mundificatione ſpiritus: altero ſpectante ad intellectum: ſcilicet,

Et in fide veritatis, In his enim duobus mediis velut ducibus electi ſumus ad acquirendam ſalutem.

In qva. pro, *in quod*. Et refert vniuerſitatem donorum quæ comprehenduntur ſub ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis in ſalutem. Verſ. 13.

Et vocavit vos per Evangelivm nostrvm. Signum electionis veſtræ ab æterno, eſt temporalis vocatio quâ per Euágelium noſtrum Deus vos vocauit ad huiuſmodi dona. In acqvisitionem gloriæ Domini nostri Iesv Christi, Omnia hæc ad quæ vocati eſtis dona, nihil aliud ſunt quàm acquiſitio gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſcilicet communicetur vobis gloria Chriſti.

Verſ. 14. Itaqve fratres state. Redit ad proſequendam illam particulam, *vt digni habeamini regno Dei*. Diuerſimodè ſiquidem tractat eam hortando, imprecando, monendo, &c.

Infert itaque ex electione & vocatione monitionem ad duo. Alterum eſt, *ſtate*: hoc eſt, ſpiritualem rectitudinem ſeruate. Alterum eſt: Et tenete traditiones qvas didicistis. pro, *edocti eſtis*, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. *Traditiones commendat Apoſtolus.* Modus ſtandi, eſt ſeruare traditiones, Non dicit *noſtras*, ſed *per ſermonem*, ſeu *per epiſtolam noſtram*: quoniam traditiones ſunt Euangelicæ. Vbi & nota, prudens lector, aduerſus exigentes ſcripturam de omnibus traditionibus Apoſtolicis; ecce Paulus apertè dicit, *traditiones per ſermonem*. Tali enim modo habemus Symbolum Apoſtolorum, habemus ſignare nos ſigno crucis, habemus feſtiuitatem diei Dominicæ, Sacrificium altaris, &c.

Verſ. 15. Ipse avtem Dominvs noster Iesvs Christvs. Ecce imprecatio, Et Devs et pater noster. Ieſus Chriſtus nomen eſt hominis, Deus nomen eſt diuinæ naturæ commune Patri & Filio & Spiritui ſancto: Pater verò *noſter*, nomen eſt relatiuum ad nos adoptionis. Qvi dilexit nos, eligendo & vocando nos. Et dedit consolationem æternam. *Conſolatio æterna, i. æternis innixa.* Spiritualis conſolatio Spiritus ſancti qua repleti ſunt Apoſtoli in præſenti vita, appellatur conſolatio æterna: eo quòd eſt conſolatio non temporalibus ſed æternis innixa. Et spem bonam in gratia. hoc eſt, ſpem non vnam ſed vtilem virtute gratiæ, non propriis noſtris viribus.

Verſ. 16. Exhortetvr. pro, *conſoletur*. corda vestra. partem affectiuam, extendat quam dedit æternam conſolationem ad corda veſtra. Et confirmet in omni opere et sermone bono, Tranſpoſitæ ſunt dictiones, *opere & ſermone*, Imprecatur eis in corde conſolationem: in omni autem tam ſermone, quàm opere bono, confirmationem.

CAPVT III.

Verſ. 1. De cætero. pro, *cæterum*, fratres orate pro nobis. Mutuam orationem ad dignitatem regni Dei ſpectare, non eſt dubium: cum mutuum ſit ſuffragium membrorum regni Dei. Vt sermo Dei. pro, *Domini*, cvrrat. Metaphoricè ſignificat orari vt tollantur impedimenta Euangelij,

gelij, vt currat tum ex parte prædicatorum, tum ex parte auditorum. ET CLARIFICETVR, pro *& glorificetur*, SICVT ET APVD VOS. quemadmodum apud vos ita apud alios & currat & glorificetur.

Verſ. 2. ET VT LIBEREMVR AB IMPORTVNIS, pro *abſurdis*, ET MALIS HOMINIBVS. Homines mali dicuntur penes malam diſpoſitionem voluntatis: abſurdi autem penes malam diſpoſitionem rationis. Abſurda enim dicimus inconuenientia ſecundùm rationem: & Iudæos ſignificare videtur impedientes eos ne prædicêt gentibus. Tales enim perſecutionem excitauerant in Paulum & Silam, tum Theſſalonicæ, tum Berrhææ. Et fortè notat Gentiles qui excitabantur à Iudæis aduersùs eos: nam & in Actibus Apoſtolorum dicitur quòd Iudæi per malos homines concitauerunt turbam. Vtrique tamen ſenſui quadrat ſubiuncta ratio.

Abſurda ſũt quæ ſecundũ rationem ſũt inconuenientia.

NON ENIM OMNIVM EST FIDES. hoc enim eſt verum tam de Iudæis quam de Gentilibus.

Verſ. 3. FIDELIS AVTEM DEVS EST QVI CONFIRMABIT VOS ET CVSTODIET A MALO. Quamuis omnibus non ſit datum credere, vos quibus datum eſt credere, ſcitote quòd fidelis in promiſſis eſt Dominus, tam in futura quàm in præſenti vita, confirmando vos in bono & cuſtodiendo à malo.

Verſ. 4. CONFIDIMVS AVTEM, pro *ſuaſum autem habemus*, DE VOBIS FRATRES IN DOMINO. Superfluit *fratres*. Et quod dicitur *in Domino*, referri poteſt ad pronomen *vobis*: hoc eſt, *de vobis* non in vobiſipſis, ſed *in Domino*: tum ad *ſuaſum habemus*: vt ſit ſenſus, ſuaſum habemus in Domino de vobis, ad differentiam ſuaſionis humanæ. Prima tamen relatio magis quadrat.

QVONIAM, pro *quòd*, QVÆCVNQVE PRÆCIPIMVS. Deeſt, *vobis*, ET FACITIS, ET FACIETIS. Et dicit hoc propter ſubſequentia præcepta, circa quæ aliqui inter Theſſalonicenſes deficiebant quamuis communiter ſeruarentur. Propter itaque communem obſeruationem dicit *& facitis & facietis*: propter aliquos autem non obſeruantes adiungit præcepta.

Verſ. 5. DOMINVS AVTEM DIRIGAT CORDA VESTRA IN CHARITATE, pro *in charitatem*, DEI ET PATIENTIA, pro *& expectationem* CHRISTI. Sed nec *expectatio* integrè explicat Græcam dictionem ſignificantem perſeuerantiam expectantem non ſine moleſtia. Et eſt ſermo de dilectione quâ diligendus eſt Deus: & de expectatione quâ expectandus eſt aduentus Chriſti. Et eſt ſermo imprecatiuus vtriuſque doni neceſſarij ad ſeruandum præcepta Apoſtolica.

Verſ. 6. Denuntiamus, pro *præcipimus*, autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. hoc, eſt in perſona vice Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. conuerſationem præcipit ſubtrahi non infidelibus, ſed fratribus (hoc eſt, Chriſtianis) tum ambulantibus inordinate, tum ſpecialiter ambulantibus non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis. Nec dicit *vt ſubtrahatis veſtra, ſed vos*: eſt enim quædam excommunicationis ſpecies ſubtrahere conuerſationem. Præcipit enim Paulus pro ſalute inordinatè ambulantium & otioſorum adhiberi hanc medelam vt quilibet vitet eos ad hoc vt ſic erubeſcant: vt inferius explicabit.

Subtrahere conuerſationẽ eſt quædam excommunicationis ſpecies.

IPSI ENIM SCITIS. Declarat traditionem quam acceperunt tum facto, tum verbo. Et primò facto, dicendo, *ipſi enim ſcitis*, Verſ. 7.
Quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti, pro *inordinati*, fuimus inter vos.

Neque gratis panem manducauimus, Verſ. 8.
pro *accepimus*, ab aliquo, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Sententia clara eſt exemplaritatis, & quoad compoſitos mores, & quoad viuendum ex proprio labore.

NON QVASI, pro *quòd*, NON HABEREMVS Verſ. 9.
POTESTATEM. Scilicet viuendi ſumptibus vt Chriſti Apoſtoli. SED VT NOSIPSOS FORMAM DAREMVS VOBIS AD IMITANDVM NOS. Sententia clara eſt, nec ſolum facto, ſed verbo eadem docuimus.

NAM ET CVM ESSEMVS APVD VOS, HOC DE- Verſ. 10.
NVNTIABAMVS, pro *præcipiebamus*, VOBIS, QVONIAM, pro *quòd*, SI QVIS NON VVLT OPERARI, NEC MANDVCET. Non dicit, ſi quis non operatur, ſed *ſi quis non vult operari*. Et hoc dicit ad differentiam tum inualidorum ad operandum, tum diuitum non indigentium operatione ad hoc vt viuant propriis ſumptibus. In talibus enim locum non habet pœna *nec manducet*. Validis itaque ac non habentibus vnde propriis ſumptibus viuant, præcipitur *ſi quis non vult laborare, nec manducet*. Et eſt ſenſus non manducet alieno ſumptu, vt vel ſic cogatur laborare.

Si quis non vult operari, nec manducet.

Recole prudens lector præcepta omnia obligare quidem ad peccatum, ſed non mortale niſi gratia materiæ contra charitatem Dei, ſuiipſius aut proximi. Vnde cùm huiuſmodi præcepta non ſint in materia contra charitatem, ſed præter charitatem, obligant quidem, ſed non ad mortale.

Quomodo obligent hæc præcepta.

AVDIVIMVS, pro *audimus*, ENIM. Rationem Verſ. 11.
reddit præcepti. INTER VOS QVOSDAM AMBVLANTES INQVIETE, pro *inordinatè*: hoc eſt, incompoſitis moribus ſeu actibus. NIHIL OPERANTES. manuali opere. SED CVRIOSE AGENTES. Vacantes curioſitatibus: hæc enim tria vitia ſeſe comitantur. Et hi de numero eorum erant, qui proprio ſumptu viuere nequibant: niſi labore manuum. Et propterea ipſis in ſpecie Paulus præcipit ſubiungendo,

IIS AVTEM QVI EIVSMODI SVNT, Verſ. 12.
DENVNTIAMVS, pro *præcipimus*, ET OBSECRAMVS IN DOMINO IESV CHRISTO, pro *per Dominum Ieſum Chriſtum*. Vtroque fungitur Paulus officio, præcipientis & obſecrantis: vt tum authoritate, tum amore flectantur, vt authoritas præcipientis, non ab improuiſo Domino, ſed ab effectu ſalutis eorum proficiſci cognoſcatur. VT CVM SILENTIO. E regione curioſitatis & inordinationis dicit *cum ſilentio*: nam nec incompoſiti nec curioſi ſilent. OPERANTES. E regione ad *nihil operantes*,

dicit

dicit *operantes*, proculdubio manibus propriis. Et fructum ſubiungit, SVVM. Deeſt, *ipſorum*. PANEM MANDVCENT. Suum non quomodolibet, ſed ſuum ipſorum panem: vtpote propriis laboribus partum: ad differentiam panis gratis ſibi ab aliis dati, qui poſtquam datus eſt eis, eſt quidem panis eorum, ſed non eſt ſuus ipſorum.

Verſ. 13. VOS AVTEM FRATRES NOLITE DEFICERE BENEFACIENTES. Ad ſeruantes præcepta redit: qui cùm eſſent benefici, ne propter aliquorum otium deſiſterent ab eleemoſynis erogandis, monentur à Paulo.

Verſ. 14. QVÒD SI QVIS NON OBEDIERIT VERBO NOSTRO PER EPISTOLAM. Adiungit pœnam: imò explicat ſuperius decretam pœnam (*vt ſubtrahatis vos*, &c.) reſtringendam ad inobedientes poſt hanc epiſtolam. Intendit ſiquidem vt velut abolitæ præteritæ culpæ habeantur: ſed ſi quis non obedierit verbo noſtro per Epiſtolam ſcripto: HVNC NOTATE, ET NON COMMISCEAMINI CVM ILLO, VT CONFVNDATVR, pro *vt pudefiat*. Duas pœnas explicat: Alteram: *hunc notate*, communi diſcuſſione, communi iudicio. Alteram facti, *& non commiſceamini cum illo*, conuerſatione communi. Et vtrumque fit vt vel ſic erubeſcat. Vbi & diſcerne inter pœnam Corinthij & inobedientis: ille excommunicatus traditus eſt Satanæ propter criminis magnitudinem, iſte ſolum excommunicatur propter paruitatem delicti: & penſa rigorem primitiuæ Eccleſiæ, ex hoc quòd propter otium & huiuſmodi venialia excommunicabantur moniti non ſe corrigentes, vt erubeſcerent. Intelligóque non Eccleſiaſticas cenſuras quibus hodie Eccleſia vtitur: ſed cenſuras Religioſas quibus clauſtrales vtuntur: quæ non cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſed pœnæ quædam ſunt ſeparantes à templo, vel conuerſatione fratrum, vel à menſa fratrum, & huiuſmodi. Tales erant iſtæ ad Theſſalonicenſes indictæ pœnæ pro iis vanitatibus; non excommunicationes Decretalium.

Duæ pœnæ inobedientiũ.

Intellige hic cenſuras non Eccleſiaſticas ſed clauſtrales.

Verſ. 15. ET NOLITE, pro *& non*, QVASI INIMICVM EXISTIMARE. Dixerat *& non commiſceamini*: moderatur vt ſanè intelligant, vt non reputent eum tanquam inimicum. SED CORRIPITE, pro *monete*, VT FRATREM. Hinc tractum eſt quòd licitum eſt monere excommunicatos, & inſtruere & hortari ad ea quæ ſalutis ſunt.

Verſ. 16. IPSE AVTEM DEVS, pro *Dominus*, PACIS. Imprecando finit Epiſtolam. Et Ieſum appellat *Dominum pacis*, à quo pendet & ſingulorum & vniuerſi pax. DET VOBIS PACEM. Aptè imprecatur vt Dominus pacis det pacem. SEMPITERNAM, pro *ſemper*, IN OMNI LOCO, pro *in omni modo*. Pacem eis imprecatur omni tempore & omni modo: quod impoſſibile eſt regulariter in hac vita. Semper enim durante hac vitâ aliquis modus aliqualiter turbatur, vel ex fomite externo, vel ex externis occurſibus. DOMINVS SIT CVM OMNIBVS VOBIS. Hæc eſt ſalutatio communis Paulo, Siluano, & Timotheo. Propria verò Pauli ſubiungitur,

Ieſus Dominus pacis.

Verſ. 17. SALVTATIO MEA MANV PAVLI. Ablatiui caſus eſt *mea*. QVOD EST SIGNVM IN OMNI EPISTOLA. Hinc coniicitur calcem Epiſtolæ ad Coloſſenſes mutilam eſſe: quoniam caret integritate huius ſigni. ITA SCRIBO,

Verſ. 18. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI CVM OMNIBVS VOBIS: AMEN. Hæc enim ſalutatio ſcripta manu Pauli, *ſignum* dicitur *in omni Epiſtola*, & in omnibus Epiſtolis ad Eccleſias miſſis inuenitur huiuſmodi integra ſalutatio in fine, niſi in Epiſtola ad Coloſſenſes: in qua legitur, *Gratia cum omnibus vobis, Amen*: & non dicitur *Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c.

Et apud Græcos inuenitur ſubſcriptio talis: *Ad Theſſalonicenſes ſecunda, ſcripta Athenis.*

Caietæ die 17. Martij, 1529.

THOMÆ

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM PRIOREM COMMENTARII.

CAPVT I.

Verſ. 1. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI SECVNDVM IMPERIVM DEI SALVATORIS NOSTRI ET. Deeſt *Domini*, IESV CHRISTI SPEI NOSTRÆ. Non ſolum ſe Apoſtolum Ieſu Chriſti explicat, ſed Apoſtolatum ipſum explicat non quæſitum, ſed iniunctum ſibi à Deo ſaluatore noſtro: naturam exprimens diuinam & officium ſaluandi nos: vt intelligamus iniunctum ei fuiſſe Apoſtolatum ad exequendum officium ſalutis noſtræ. Nec tantùm à Deo, ſed etiam ab homine Domino Ieſu Chriſto iniunctum ſibi explicat. Et dicit *Domini*, eo quòd ad ſtatum dominij iam peruenerat Ieſus Chriſtus, cùm iniunxit Apoſtolatum Paulo. Adiungitque *ſpei noſtræ*, eò quòd Chriſtus immortalis iam & glorioſus ſecundùm corpus, eſt ſpes noſtræ futuræ beatitudinis. Chriſti namque reſurrectioni innititur ſpes noſtra quòd erimus quoque nos immortales ſecundùm corpus.

Apoſtolatus ad ſalutem noſtram D. Paulo iniunctus.

Verſ. 2. TIMOTHEO DILECTO, pro *germano*. Eadem dictio habetur hic quæ habita eſt ad Philipp. dicendo *rogo te germano* (ſeu *germana*) *compar*. Quadrat autem dictio illa tum æquali tum minori, vnde & ibi dictum eſt *germana compar*, & hìc dicitur *germano filio*. Significat enim verè ac conſonè eſſe talem: vnde Germanus filius eſt qui verè eſt conſonans patri filius. FILIO IN FIDE. ad differentiam filij naturalis: vt enim patet Act. 16. Paulus aſſciuit ſibi Timotheum, quem ex his verbis apparet à Paulo fuiſſe conuerſum ad fidem: alioquin non appellaret ipſum filium in fide.

GRATIA, ET MISERICORDIA, ET PAX. Superfluunt coniunctiones. Noua ſalutatio: nam hactenus ſalutauerat, *gratia & pax*: modò tria dici, *gratia, miſericordia, pax*, eâ ratione quòd Prælatis maximè neceſſaria eſt miſericordia: tanquam loco Dei, cui proprium eſt miſereri, præſint. A DEO PATRE ET. Deeſt, *Domino* IESV CHRISTO DOMINO NOSTRO. Bis dicit *Domino*, ſemel abſolutè *Domino Ieſu Chriſto* iterum relatiuè ad nos, *Domino noſtro*. Eſt ſiquidem abſolutè Dominus omnium, & eſt peculiariter Dominus noſter tanquam ſponte ſeruorum.

Miſericordia Prælatis maximè neceſſaria.

SICVT ROGAVI TE. Completâ ſalutatione inchoat tractatum epiſtolarem. Vbi aduerte quòd aduerbium *ſicut*, non habet in textu aliquid correſpondens ad complendam orationem vſque ad calcem huius capituli, vbi dicitur, *hoc præceptum commendo tibi*, ita quòd illic complet Paulus orationem quam hîc inchoat. Et eſt ſenſus, *ſicut rogaui te*, &c. ita hoc præceptum commendo tibi, quemadmodum olim rogaui te, nunc tibi commendo hoc præceptum. Vnde omnia interiecta abhinc illucuſque, verè interiecta ſunt ad explicandum neceſſitatem præcepti, & quod olim dederat, & quod modò commendat. Verſ. 3.

VT REMANERES EPHESI CVM IREM IN MACEDONIAM, VT DENVNTIARES, pro *vt præciperes*, QVIBVSDAM NE ALITER DOCERENT. Dictio Græca interpretata *aliter docerent* compoſita eſt ex *alio* & *doctor*, varietatem doctorum clarè ſignificans. Mandauit Paulus Timotheo, vt præciperet quibuſdam ne eſſent varij doctores, quod eſſet variam inducere doctrinam. Et quantum ſubiuncta inſinuant, aduerſùs illos

Ne ſint varij doctores.

loquitur, qui aliam de legalibus doctrinam inducebant: nam tales doctores explicabit paulò inferiùs.

Verſ. 4. Neque intenderent fabulis. Thalmudicas fictiones prohibet. Et genealogiis interminatis. Non dicit, neque intenderent genealogiis, ſed addit *interminatis*: quæ ſcilicet ſunt ſine termino in ſacris ſeu authenticis ſcripturis: multæ enim genealogiæ tunc temporis erant interminatæ. Et rationem huius vltimi ſubdit, Quæ quæſtiones præſtát magis quàm ædificationem, pro *diſpenſationem*, Dei quæ eſt in fide. Interminatæ ſiquidem genealogiæ quòd præbeant quæſtiones, clarum eſt. Et quòd magis multiplicandis quæſtionibus proſint quàm diuinæ diſpenſationi ſeu gubernationi quam exercet Deus in fide, Paulus docet: nam ad Dei gubernationem quâ gubernat ea quæ ſunt fidei, parum aut nihil prodeſt notitia huiuſmodi genealogiarum, vt patet de multis genealogiis quas habemus in libris Paralipomenô.

Genealogia interminata.

Finis autem præcepti eſt dilectio.

Verſ. 5. Dixerat vt præciperes quibuſdam ne varij eſſent doctores: & propterea vanitatem finis omnium præceptorum legis explicat, vt ex ipſa vanitate finis præceptorũ varietas arguatur doctorum. *Finis*, inquit, *præcepti eſt dilectio*, non qualiſcunque, ſed procedens à triplici fonte. Primus eſt, DE CORPORE PVRO. hoc eſt affectu puro, à paſſionibus & malitia. ET CONSCIENTIA BONA. Secundus fons eſt applicatio ſcientiæ: applicatio inquam bona, ad agendum, ad cauendum, &c. Multi enim habent applicationem ſcientiæ malam & innumera mala inde ſequuntur. ET FIDE NON FICTA. Tertius eſt hic fons vltimo loco ſcriptus: eo quòd duo primi naturæ ſunt, hic autem tertius reuelatæ eſt gratiæ. Et dicit *fide non ficta*, propter hypocritas in fide qui fingebant ſe Chriſtianos, & nec erant Chriſtiani nec Iudæi.

Finis præcepti eſt dilectio quænam?

Diſcurre per præcepta: & inuenies omnia ordinari ad dilectionem talem: huiuſmodi enim dilectio eſt dilectio Dei & proximi, ex vera fide in intellectu, & ex puro corde in affectu, & ex conſcientia bona in applicatione & executione, quæ perficit & mandata primæ & ſecundæ tabulæ.

Hæc ſunt quæ Paulus proponit tractanda in hac Epiſtola. Verum antequam ſigillatim particulas propoſitas tractet, neceſſitatem commemorat remanſionis Timothei Epheſi ad præcipiendum quæ dixit, ex caſu aberrantium ab his. Vnde dicit,

Verſ. 6. A QVIBVS. præceptis & conditionibus finis præceptorum, QVIDAM ABERRANTES. Similes pſeudoapoſtolis ſignificat. Conuerſi ſunt in vaniloquium. ab vtili doctrina.

Verſ. 7. Volentes eſſe legiſdoctores. Hinc apparet Iudæos eſſe iſtos, qui doctrinam legis Moyſi ingerebant. Et hinc coniicitur iſtos eſſe quos appellauit *alia docentes*. Et iungitur vaniloquio non doctrina legis, ſed voluntas vtendi officio doctoris legis verſa dicitur in vaniloquium. Et ratio ſubditur,

Non intelligentes neque quæ loquuntur, ipſimet præcepta legis. Neque de quibus affirmant. obligati ad præcepta legis.

Scimus autem quòd bona eſt lex. Verſ. 8.
Intendit Paulus commemorare, vt Timotheus non ſolùm præcipiat vitari fabulas, & quæſtiones de genealogiis, ſed etiam doctores legis Moyſi male applicantes illam: quod eſſet, ſi applicarent illam ad obligandum iuſtificatos in Chriſto. Et propter hoc non reprehendit legem, ſed laudat eam, dicendo, *ſcimus autem quòd lex bona eſt*. Vituperat autem malè applicantes eam ſubiungendo,

SI QVIS EA LEGITIME VTATVR. hoc eſt, ſi quis eam ſecundùm ipſammet legem applicet; Et ne vageris quid eſt *legitime applicare*, explicat ſubiungendo,

SCIENTES, pro *ſciens*, HOC. Ecce legitimus vſus, ſciens hoc. QVIA, pro *quòd* lex iuſto non eſt poſita. Formalis eſt ſermo Pauli: nam cùm lex non ſuperfluè ponatur, & iuſtus quatenus iuſtus, non indigeat lege, formaliter verificatur quòd iuſto non eſt lex ſcripta poſita. Rurſus cùm medium legis ſit pœna, & iuſtus quatenus iuſtus nulli ſit obnoxius pœnæ, formaliter verificatur quòd iuſto non eſt lex poſita. Verſ. 9.

Lex non eſt poſita iuſto.

Et intendit per hoc quòd quemadmodum malè applicatur lex ad iuſtos, ita malè applicatur ad iuſtificatos in Chriſto: & propterea ſubiunget de ſeipſo iuſtificato in Chriſto. Cum qua veritate ſtat, quòd ſi iuſtus recedat à iuſtitia, ſtatim inuenitur in ordine eorum, quibus eſt lex poſita, vtpote non iuſtis.

SED INIVSTIS. E regione iuſti vniuerſaliter, nominat per partes multa genera iniuſtorum. Et primò iniuſtos in genere. ET NON SVBDITIS. pro, *& iis qui ſubdi nolunt*, IMPIIS. in patriam ac parentes, &c. ET PECCATORIBVS. à recto recedentibus. SCELERATIS. qui præ aliis copia flagitiorum exuberant. ET CONTAMINATIS. pro, *prophanis*, ea quæ religionis ſunt polluentibus. PATRICIDIS ET MATRICIDIS. Clara ſunt crimina hæc. HOMICIDIS,

Fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis. Verſ. 10.
Dictio *plagiarijs* ſignificat fures hominum in mancipia, vel vendenda vel redimenda ab ipſiſmet captis ſeu ſibi coniũctis. MENDACIBVS ET PERIVRIS. Superfluit &. & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur. Ne per omnes ſpecies diſcurrat, vnico verbo reliqua comprehendit.

Plagiarij quinam?

QVÆ EST Superfluunt hæ duæ dictiones, Verſ. 11.
adiunctæ ab aliquo qui reſtringere voluit ſequentem particulam ad ſanam doctrinam: cùm tamen poſſit aliò referri: nam & poteſt referri ad id quod dixerat, *ſciens hoc*: vt modò explicet *ſciens hoc*. SECVNDVM EVANGELIVM GLORIÆ BEATI DEI. ad ſignificandum vnde ſcitur hæc libertas iuſti à lege, ſcilicet ex Euangelio gloriæ beati Dei: & ad diſcernendum verè ſcientes ab illis qui volunt eſſe legiſdoctores & non intelligunt quid dicant, quia neſciunt Euangelium gloriæ Dei beati.

Poteſt

Poteſt nihilominus referri ad ſanam doctrinam, ad explicandum quæ chriſtiana doctrina: quæ ſcilicet eſt ſecundùm Euangelium gloriæ non hominis, ſed Dei, non ſecundum ſtatum præſentem, ſed beatum. Et aptè loquens de lege, appellat Euangelium, *Euangelium gloriæ beati Dei*, quoniam finis iuſti qui verè iuſtus
Euangelium gloriæ beati Dei. eſt, eſt gloria apud Deum beatum, quam oportet eſſe gloriam felicitatis æternæ.

Qvod creditvm est mihi. Ad declarandum ex facto in ſeipſo Paulo quod dixerat (videlicet *lex iuſto non eſt poſita*) ſubiungit qualis modò eſt in ſtatu Euangelij, & qualis prius fuerit, & vnde, &c. Ab officio itaque Euangelico inchoat: & vt materiam gratiarum actionis ſupputat multitudinem beneficiorum ſibi collatorum ad Euangelicum munus, ſubiungendo:

Gratias ago. pro, *& gratiam habeo*, ei qvi me confortavit. pro, *potentem fecit*, In Christo iesv Domino nostro. Superfluit *in*.
Verſ. 12. Et gratiam habeo ei Domino Ieſu Chriſto, vel gratiam habeo ei qui fecit me potentem Chriſto Ieſu Domino noſtro: non fecit me potentem mundo aut mihiipſi, ſed Chriſto, hoc eſt, ad ſeruitium Chriſti.

Quòd fidelem me exiſtimauit. Ecce, aliud beneficium quod me iudicauit fidelem, quòd me viſus eſt vt fideli. Ponens in ministerio. proculdubio ſuo ad propagationem regni cœlorum.

Qvi prius blasphemvs fvi. Explicatis donis in libertate Euangelij, explicat crimina quoque propria in ſtatu legis. Et dicit ſe fuiſſe
Verſ. 13. blaſphemum, propter iniurias quas irrogauerat Chriſto. Agnoſcens ſiquidem Chriſtum
Crimina propria in ſtatu legis explicat Paulus. eſſe verum Deum, agnoſcit peccatum ſuum in Chriſtum fuiſſe blaſphemiã. Et persecvtor. ſubaudi Eccleſiæ Chriſti. Et contvmeliosvs. pro, *& violentus*. Non ſolum perſecutus fuerat Paulus Eccleſiam Chriſti, ſed & violentiam intulerat: vt patet in Actibus Apoſtolorum.

Sed. Deficit *&*. miſericordiam Dei conſecutus ſum. Superfluit *Dei*. Quia ignorans feci in incredulitate. Rationem ex parte qualitatis peccati reddit, quare miſericordiam conſecutus ſit, quia ignoranter peccauit in ſtatu incredulitatis. Ita quòd *ignorans* refertur ad vtrũque, tum ad *feci*, tum ad *incredulitatem*. Nam & peccatum incredulitatis ex ignorantia in Paulo fuit: & factũ blaſphemiæ, perſecutionis, & violentiæ ex ignorantia quoque fuit. In cuius ſignum quamprimum audi-
Peccauit Paulus ex ignorantia. uit *Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris*, ſtatim dixit *Domine quid me vis facere?* Nonnulla ſiquidem ratio veniæ eſt ex ignorantia peccare: quoniam affectus peccantis ex ignorantia, non tendit per ſe ad malum: vtpote qui non tenderet in illud ſi ſciret eſſe malum.

Superabundauit autem gratia Domini noſtri. Non ſolum miſericordiam conſecu-
Verſ. 14. tus ſum condonantem mihi peccata mea, ſed etiam ſuperabũdauit gratia Domini noſtri: vtpote promouens me ad Apoſtolatũ. Cvm fide et dilectione qvæ est in Christo Iesv. Intellige *ſuperabundauit* referri non ſolũ ad gratiam: ſed etiam ad dona fidei & dilectionis in Chriſto. Hæc enim tria abundanter in Paulo apparent: nam & gratia Apoſtolica in eo exuberat: & fides valde inconcuſſa, tum in perpeſſis, tum in miraculis apparet: dilectio quoque tanta vt ipſe dicat: *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror*, &c.

Fidelis sermo et omni acceptione dignvs. Ne libertatem iuſti ex Verſ. 15.
ſeipſo tantùm ex quodam ſingulari aſtruere videatur, ſubiungit vniuerſalem cauſam huiuſmodi libertatis, aduentum Chriſti. Et ſermonem huius cauſæ communis ſtatui Euangelico præmittit eſſe tum fidelem, hoc eſt, veracem, tum omni acceptatione dignum: vt tam parti cognoſcitiuæ congruere ſignificetur ex veracitate, quàm parti affectiuæ ex acceptabilitate. Qvia. pro, *quod*, Christvs Iesvs venit in hvnc mvndvm peccatores salvos facere. Superfluit *hunc*. Ecce ſermo fidelis & omni acceptione dignus. Et dicendo *venit in mundum*, diuinam Ieſu Chriſti perſonam ſignificat. Cùm enim eſſet ſupra mundum, ingreſſus eſt mundum, factus eſt vna mundi pars cùm factus eſt homo.

Et dicendo *peccatores ſaluos facere*, explicat quorſum venerit. E regione ad legem (quæ poſita eſt ad puniendos peccatores) dicitur *Chriſtus venit ad ſaluandum peccatores.*
quòd Ieſus Chriſtus venit ad ſaluandum peccatores, quod eſt eripere eos à ſubiectione legis.

Qvorvm primvs ego svm. Relatiuũm *quorum*, non refert *peccatores* abſolutè, ſed peccatores ſaluatos à Chriſto. Et eſt ſenſus, quorum peccatorum qui ſaluantur per Chriſti aduentum, ego ſum primus, hoc eſt, præcipuus. Peccatorum ſiquidem tunc temporis ſaluatorum per Chriſtum, duo fuerunt genera: Alterum peccantium ex infirmitate: vt *Duo peccatorum genera per Chriſtum ſaluatorum.*
mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt Petrus qui ex timore negauit, & ſimiles: Alterum eorum qui per ignorantiam crucifixerũt Chriſtũ qui poſtea adueniente Spiritu ſanctó pœnitentiam egerunt: vt dicitur in Act. Apoſt. Paulus his omnibus ſaluatis peccatoribus præſtat, tum quia & blaſphemus & perſecutor & violentus fuerat, tum quia nec per aduentum Spiritus ſancti & prædicationẽ Apoſtolorum conuerſus eſt vt alij. Et propterea meritò inter ſaluatos peccatores primum (hoc eſt, præcipuum) ſe dicit.

Et ideo misericordiam consecvtvs svm: vt in me primo ostenderet Iesvs Verſ. 16.
Christvs omnem patientiam, pro *longanimitatem*, ad informationem eorvm qvi credituri svnt illi, pro *in illum*, in vitam æternam. *Primo*, non eſt aduerbium, ſed nomen, & ſignificat præcipuum. Reddiderat prius rationem conſecutæ prius miſericordiæ ex parte qualitatis peccati ſui: modò aliam rationem reddit ex parte exempli tribuendi aliis peccatoribus. *Ideo*, inquit, *miſericordiam conſecutus ſum vt in me primo* (hoc eſt, præcipuo) monſtraret Ieſus Chriſtus omnem longanimitatem propriam quam ſeruat expectando peccatorum pœnitentiam (animi enim in longum propenſi eſt huiuſmodi expectatio) ad ſtatuendum me exemplar aliis qui credituri ſunt. Informationem intellige exemplari forma. Et eſt ſenſus: vt in me præcipuo oſtenderet longanimitatem

ganimitatem ad exemplarem informationem itineris in vitam æternam reſpectu eorum qui credituri ſunt in Chriſtum. In ipſo ſiquidem

In ipſo Paulo exemplar præ oculis habent peccatores.

Paulo habemus præ oculis exemplar eundi in vitam æternam, quamuis peccatores ſimus. Modus autem eundi explicatur per fidem in Chriſtum. Et hæc eſt propria ratio, propter quam Paulus præcipuus inter peccatores ſaluatos miſericordiam conſecutus eſt.

Verſ. 17. REGI AVTEM SECVLORVM. Superiùs dixerat, *& gratiam habeo*: modò exercet gratiarum actiones, dicendo: *Regi autem* non vnius ſeculi, ſed *ſeculorum*. IMMORTALI. ad differentiam regum longæuæ vitæ: puta Noë qui ſeculo ante diluuium præfuit, & ſeculo poſt diluuiũ, qui tamen non fuit immortalis. INVISIBILI. Hoc ad differentiam cœleſtium corporum dicitur. Cœlum enim licet regat ſecula, & ſit immortale, eſt tamen viſibile.

Deus ſolus ſapiens.

SOLI DEO. Deficit *ſapienti*. legendum eſt: SOLI SAPIENTI. ſuapte natura. Reliquæ enim ſubſtantiæ immortales ac inuiſibiles cum in nudis naturalibus deſipere poſſint peccando, non ſunt ſuapte natura ſapientes: ſed quæcunque ſunt ſapientes, ex liberali dono Dei ſapiunt. Cùm dixiſſet tot regis conditiones, pauſit vt plenæ ſapientiæ meminerit: explicando non ſolum quòd eſt ſapiens, ſed quòd eſt ſolus ſapiens.

DEO. Faciendum eſt punctum poſt *ſoli ſapienti*, & deinde ſubiungendum, *Deo*. Quadrat ſiquidem poſt tot adiectiua vt natura ipſius regis explicetur, dicendo, *Deo*. HONOR ET GLORIA IN SECVLA SECVLORVM, AMEN. Hæc de interiectis. Vnde & rediens ad principium Epiſtolæ, *ſicut rogaui te vt remaneres Epheſi, vt præciperes quibuſdam*, &c. ſubiungit,

Verſ. 18. HOC PRÆCEPTVM COMMENDO TIBI, FILI TIMOTHEE. Illo modo quo rogaui te vt remaneres & præciperes Epheſi: nunc quoque cõmendo tibi hoc præceptum de fine omnium præceptorum explicato, de libertate iuſtorum a lege, de dilectione ex corde puro & fide non ficta, & conſcientia bona.

SECVNDVM PRÆCEDENTES IN TE PROPHETIAS, VT MILITES IN ILLIS BONAM MILITIAM. In Actibus Apoſtolorum ſcribitur quòd de Timotheo multa bona reddebantur teſtimonia, cùm Paulus aſſumpſit eum ſecum. Plus autem explicatur hîc, dicendo quòd præceſſerunt

Prophetiæ de Timotheo.

prophetiæ de Timotheo. Et quantum ex his conijcitur, ab aliqua ſeu aliquibus ſpiritualibus perſonis prædicta fuerant multa bona ſpiritualia Timotheo acceſſura, quæ tam Paulo quam Timotheo nota erant. Et propterea animum Timothei accendit ex talibus præcedentibus prophetiis. Et eſt ordo literæ: vt ſecundùm præcedentes in te (ſeu ſuper te, ſeu ad te) prophetias milites in illis prophetiis (hoc eſt, in prophetatis per illas prophetias) bonam militiam, agas bonum militem.

Verſ. 19. HABENS FIDEM ET BONAM CONSCIENTIAM. Applicat ad ipſum Timotheum quæ in genere dixerat de fide & conſcientia bona, vt Timotheus ſit primus ibi habens fidem & conſcientiam bonam: vtpote qui præſidebat Epheſi. QVAM QVIDAM REPELLENTES, pro *quã quidam repulſa*. Et relatiuum *quã*, refert bonam conſcientiam, ad oſtendendum quanti pendenda eſt bona conſcientia, hoc eſt, bona applicatio ſcientiæ. CIRCA FIDEM NAVFRAGAVERVNT, pro *naufragium fecerunt*. Ecce periculum ac damnum non ſeruatæ bonæ conſcientiæ. Inde ſiquidem iacturam incurrerunt fidei. Malè ſiquidem applicando ſcientiam; incurritur error in fide: & ſic paulatim perditur fides.

Verſ. 20. EX QVIBVS EST HYMENÆVS ET ALEXANDER. Nihil inuenio authenticè ſcriptum de his duobus, qui repulſa bona conſcientia perdiderunt fidem.

Hymenæus & Alexander traditi Satanæ Apoſtolo.

QVOS TRADIDI SATANÆ. corporaliter vexandos: vt de Corinthio inceſtuoſo explicatur. VT DISCANT NON BLASPHEMARE. Quemadmodum Corinthium excommunicando tradidit Satanæ ſecundum carnem vt ſpiritus ſaluus fieret, ita iſtos excommunicando tradidit Satanæ vt diſcant huiuſmodi pœnis nõn blaſphemare. Inſinuat enim hinc quòd Ieſum Chriſtum blaſphemabant iſti perdita fide. Et forte iſti erant doctores docentes aduerſus Chriſtum poſtquam a fide ceciderunt. Et propterea dicit, *vt diſcant non blaſphemare*.

CAPVT II.

Verſ. 1. OBSECRO, pro *adhortor*, IGITVR PRIMVM OMNIVM. Tractata neceſſitate quare reliquerat Timotheum Epheſi, incipit proſequi propoſita. Vnde tanquam ad propoſita exequenda rediens illatiue dicit, *adhortor igitur*. Propoſuerat autem quòd finis præcepti eſt dilectio de corde puro, &c. Et propterea ab executione dilectionis erga omnes inchoat. Primus autem & communiſſimus dilectionis actus erga omnes eſt

Primus & communiſſimus dilectionis actus erga omnes eſt oratio.

oratio: & ideò tractans illam particulam *dilectio*, hortatur ante omnia orari pro omnibus. FIERI OBSECRATIONES, pro *preces petitorias*. ORATIONES, hoc eſt, mentis eleuationes in Deum. POSTVLATIONES, pro *intercesſiones*. Quæ differunt à precibus, in hoc quòd preces reſpiciunt rem petitam, interceſſiones autem mediæ ſunt ad reconciliandum homines Deo. GRATIARVM ACTIONES, pro beneficiis acceptis. PRO OMNIBVS HOMINIBVS. Ecce extenſio intellectionis ad omnes homines, ſiue Chriſtianos, ſiue non Chriſtianos: nam non dicit *pro omnibus fratribus*, ſed *omnibus hominibus*.

Verſ. 2. PRO REGIBVS, qui tunc non erant Chriſtiani. Vult pro omnibus hominibus in genere, pro regibus autem in ſpecie orari. Nec ſolum

Oratio pro regibus & dominis temporalibus.

pro regibus, ſed, ET OMNIBVS QVI IN SVBLIMITATE CONSTITVTI SVNT. Omnes temporales Dominos comprehendit, generali nomine ſublimitatis, ſeu excellentiæ. VT QVIETAM ET TRANQVILLAM VITAM AGAMVS. Non concordant omnino interpretes circa hæc vocabula. Verùm parui refert, tranquillam & quietam vitam, an placidam & quietam, ſeu tacitam dixeris. Id tamen aduertendum eſt, quòd cùm dixiſſet, tum pro omnibus hominibus, tum pro Regibus & Dominis, prius more ſuo declarat poſtremum, ſcilicet quare pro Regibus, & in celſitudine conſtitutis, *vt quietam & tranquillam vitam*, &c. Siquidem ſermo Pauli formalis eſt, cum dicit pro regibus & temporalibus

dominis

dominis orandum: videlicet quatenus regunt & dominantur: vt regimen eorum iuſtum ſit. Nam inde ſequitur iſte fructus, vt tranquillam & quietam vitam agamus Chriſtiani.

In omni pietate et castitate, pro *honeſtate*. Ne quietem & tranquillitatem vitæ appetant Chriſtiani abſolutè, ſed relatiuè ad virtutum opera, adiungit virtutem pietatis erga parentes, patriam, &c. & vniuerſæ morum grauitatis. Et dicit *in omni*, vt nulla pars pietatis, nulla pars honeſti moris prætermittatur,

Verſ. 3. Hoc enim bonum est. Pronomen *hoc* demonſtrat orare pro omnibus hominibus. Et quod primò dixerat (ſcilicet pro omnibus hominibus orandum) manifeſtat hoc eſſe bonum in ſe. Et acceptum coram salvatore Deo nostro. Non ſolum eſt in ſe bonum, ſed gratum Deo. Quem nominat ſaluatorem, quia ex officio ſaluandi manifeſtat intentum, ſubiungens,

Verſ. 4. Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Non eſt hic, ſpeculatiue Theologe, ſermo de voluntate beneplaciti: de qua ſcriptum eſt: *Omnia quæ voluit Dominus fecit in cælo & in terra*, & quòd *voluntati eius nullus poteſt reſiſtere*, vt clare patet ex eo quod videmus non omnes homines ad agnitionem veritatis venire. Sed eſt ſermo de voluntate ſigni, qua Deus proponit omnibus hominibus præcepta ſalutis doctrinamque Euangelicam: & illis imputatur qui nolunt venire ad veritatis cognitionem, & nolunt ſalui fieri, de qua ſcriptum eſt: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Ex hoc enim quòd Deus ſalutem, & agnitionem omnibus vult proponendo, monſtratur gratum illi eſſe quòd pro omnibus oremus, & ſimul inſinuatur quid eſt petendum orando pro omnibus videlicet vt ſaluentur.

Deus vult omnes homines ſaluos fieri voluntate ſigni, non voluntate beneplaciti.

Verſ. 5. Vnus enim Deus. Manifeſtat quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tum ex vnitate Dei. Ex hoc enim quod non niſi vnus eſt Deus, omnium hominum curam illi vni incumbere manifeſtatur: & cùm ſit natura bonus, conſequens eſt, vt omnibus proponat ſalutem & agnitionem veritatis. Si namque eſſent plures dij, cogitari poſſet quòd vnus Deus haberet curam ſaluandi aliquos homines, & alius haberet curam ſaluandi alios: ſed vbi vnus tantum eſt Deus, illi vni incumbit cura omnium. Tum ex vnitate mediatoris, ſubiungendo,

Vnus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus. Si plures eſſent mediatores inter Deum & hominem, exiſtimaretur quòd vnus eſſet mediator pro quibuſdam, & alius pro aliis: ſed ex quo vnus eſt mediator Dei, & hominum ad reconciliandum homines Deo, illi vni incumbit mediare inter Deum, & omnes homines. Et propterea idem ſequitur, ſcilicet quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ex hoc ipſo quòd vnum conſtituit mediatorem Dei, & hominum. Qui tanto magis omnium hominum mediator eſt ad Deum, quanto ipſe eſt homo, quanto ab ipſo nihil humani alienum eſt.

Verſ. 6. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ab effectu manifeſtat quòd etiam mediator vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ex hoc ipſo quòd dedit ſemetipſum pretium ad redimendum non aliquos, ſed omnes. Quod veriſſimum eſt, non ſolùm quantùm ad ſufficientiam, ſed etiam quantùm ad efficientiam: pro quanto omnes redemit à morte corporis reſuſcitando omnes in nouiſſimo die.

Redemit omnes Christus quantum ad ſufficientiam & efficientiam.

Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est. Superfluunt tres dictiones: *cuius confirmatum eſt*. Legendum ſiquidem eſt appoſitiuè, dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, appoſitiuè teſtimonium temporibus ſuis. Verè teſtimonium diuinæ voluntatis quòd vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dedit Chriſtus dando ſeipſum redemptionem pro omnibus. Dedit autem hoc teſtimonium temporibus propriis definitis à diuina ſapientia. Et addidit hoc, ne quiſquam diceret tardum fuiſſe teſtimonium reſpectiuè ad eos qui præceſſerant aduentum Chriſti. Omnis enim tam tarditas, quàm anticipatio excluditur dicendo *temporibus ſuis*.

Verſ. 7. In quo, pro *in quod*, videlicet teſtimonium promulgandum mundo, Positus sum ego prædicator, pro *præco*. Officium præconis eſt publicare: & Paulus publicabat teſtimonium datum à Chriſto. Et Apostolus. Ne vſurpatum, aut vile præconis officium putaretur, adiunxit *& Apoſtolus*, proculdubio Chriſti.

Paulus Præco, Apoſtolus, & Doctor veritatis.

Veritatem dico. Deficit, *In Chriſto*, non mentior. Parentheſis eſt hæc, explicans officium præconis, & Apoſtoli Paulum agere, vtramque complectendo partem: videlicet non mentiri & veritatem dicere Chriſto teſte: vt nulla falſitas miſta veritati intelligatur.

Doctor gentium in fide et veritate. Non ſolum Præco & Apoſtolus ſum veritatis, ſed ſum ſpecialiter Doctor gentium in fide, non in Philoſophia; ſed non in fide vana, ſed in veritate. Doceo gentes veritatem, non figmenta: verùm non in euidentia ſcientifica, ſed in fide. Et hæc omnia ago ad duplicandum teſtimonium quod dedit Chriſtus.

Verſ. 8. Volo ergo viros. Tractat illam particulam, *de corde puro*. Continuat autem exercens officium Doctoris gentium. Orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Dixerat Dominus, *ſi offers munus tuum ante altare, & recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſum te*, &c. extendit Paulus ad omnem locum idem præceptum. Docet ſiquidem quòd non ſolum ante altare ſed in omni loco, in quo quis orauerit, oportet leuari manus mundas ſine ira & diſceptatione. Nec eſt ſermo de membris corporeis, ſed de operibus. Impedimenta ſiquidem orationis vbicunque oretur, impuritas operum, ira & contentio ſunt.

Et excluduntur ad literam duo crimina. Alterum auaritiæ occupantis, dicendo *puras manus*. Communi ſiquidem vſu occupantes aliena, dicimus non habere manus puras. Alterum diſcordiæ cum proximo: dicendo *ſine ira* intus, *& diſceptatione*, extra. Hæc enim duo purganda ſunt ante orationem. Auaritia reſtituendo, & diſcordia reconciliatione. Et me-

Auaritia & diſcordia cū proximo ante orationē purganda.

minit munditiæ ab his criminibus tantùm: quia reliqua crimina internâ pœnitentiâ purgantur, hæc autem exigunt etiam externam reſtitutionem & reconciliationem.

Verſ. 9. SIMILITER ET MVLIERES IN HABITV. pro, *amictu*, ORNATO CVM VERECVNDIA ET SOBRIETATE. pro, *modeſtia*. ORNANTES. pro, *ornare*. SEIPSAS. Quemadmodum à viris abſtulit impedimenta orationis tanquam propria viris, ita à mulieribus tollit impedimenta orationis quæ ſunt velut propria mulieribus. Vnde quod dicit in amictu ornato, ſic dicit quemadmodum dixerat *in omni loco*. Vtrunque enim recenſetur ad explicandum modum ſeruandum: à viris quidem, in quocunque loco orauerint: à mulieribus verò, in quocunque amictu ornato. Et explicatur modus, dicendo, cum verecundia & modeſtia ornare ſeipſas. Vtraque pars valde congruit mulieribus: ne ornatus ſit inuerecundus, & ſimiliter ne ſit immoderatus. Vnde immoderationem ornatus explicando ſubiungit.

Verecundia & modeſtia ornatus muliebris.

Non in tortis crinibus aut auro aut margaritis. Primitiuæ Eccleſiæ tempori congruebat hoc præceptum: eo quòd tunc mulieres quæ ſe Chriſtianas profitebantur, omnia huiuſmodi à ſe abdicabant tanquam ſuperflua & vana. Vnde hodie cùm multæ principes & reginæ, quibus ſecundum ſtatum congruit ornare ſe auro & margaritis, Chriſtianæ ſint, non contra Pauli præceptum his vtuntur. VEL VESTE PRETIOSA. pro, *ſumptuoſa*. Dixerat *in amictu ornato*, & declarauerat immoderatum ornatum: declarat modò amictum, inhibendo veſtem ſumptuoſam. Et quod temporale fuerit huiuſmodi præceptum, aurea veſtis Cæciliæ teſtatur.

Verſ. 10. SED QVOD. pro, *quæ*, DECET MVLIERES PROMITTENTES. pro, *profitentes*, PIETATEM PER OPERA BONA. Relatiuum *quæ*, ad veſtem refertur, & vult veſtem eſſe talem quæ deceat mulieres profitentes per bona opera (hoc eſt profitentes non tantum verbis ſed factis) pietatem: hoc eſt, cultum diuinum. Dictio ſiquidem Græca non ſignificat *pietatem* in genere, ſed eam quæ eſt erga Deum. Perpende ex his omnibus impedimenta orationis in mulieribus vbicunque orent eſſe contraria prædictorum: vtpote appetitum muliebrem deprimentia ad hæc vana ne eleuetur illarum mens in Deum.

Verſ. 11. MVLIER IN SILENTIO DISCAT CVM OMNI SVBIECTIONE. Poſtquam cor purum tam in viris quam in mulieribus declarauit relatiuè ad orationem, declarat in ſpecie puritatem cordis in muliere relatiuè tum ad diſciplinam & doctrinam, tum ad Dominum. Et quoniam mulier eget vt doceatur, modum explicat tum quoad linguam, dicendo *in ſilentio*. Non vult quod in Eccleſia interroget doctorem docentem: ſed quòd audiat quidem & diſcat ſilendo: ſi quid autem reſtat dubij, virum domi interroget. Tum quoad reuerentiam *cum omni ſubiectione*, interna & externa.

Diſcat mulier in ſilentio & ſubiectione.

Verſ. 12. DOCERE AVTEM. ſupple, publicè. MVLIERI NON PERMITTO. Et diximus *publicè*, ad differentiam doctrinæ domeſticæ: quia mater debet erudire filios & filias. NEQVE DOMINARI. pro, *neque authoritatem habere*, IN VIRVM. Directe hoc reſpicit vxores, quas nefas eſt authoritatem habere in maritos. SED ESSE IN SILENTIO. vt non ſolùm opere, ſed nec ſermone authoritatem ſibi vſurpet in virum.

Nec doceat neque dominetur.

ADAM ENIM PRIMVS FORMATVS EST, DEINDE EVA. Ex ordine quo Moyſes narrat formationem Adæ & Euæ, probat virum præeſſe mulieri, & non è diuerſo. Verſ. 13.

Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. Verſ. 14. Eâdem vtitur hiſtoriâ, in qua mulier ipſa profeſſa eſt ſe ſeductam à ſerpente. Adam verò non ſe excuſauit vt deceptum, ſed vt allectum ab vxore: vt ibi patet. Præſtat itaque vir mulieri tum ordine formationis, tum vigore rationis.

Saluabitur autem per filiorum generationem ſi permanſerint, pro, *ſi manſerint*, in fide & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate. pro, *modeſtia*. Ordo literæ eſt, ſaluabitur autem ſi manſerint (ipſa & vir) per filiorum generationem in fide, &c. Verſ. 15.

Meritorium ſalutis aſtruit eſſe coniugium mulieri: ex hoc quòd ſi ob filiorum generationem manſerit ſimul cum viro, in fide, &c. ſaluabitur ipſa mulier. Et per hoc intellige explicari proprium munus ſexus. Non docet Paulus ſalutem mulieris pendere à generatione filiorum (cùm facilius ſaluetur virgo quàm coniugata) ſed docet quòd vtendo officio ſexus, habet vnde ex ipſo vſu ſexus ſaluetur: hoc eſt, quòd ad ſalutem eis operetur, ſi ob filiorum generationem manſerint cum viris ſuis in fide, &c. Et ſi vis omnem ſcrupulum ab hac lectione excludere, ordina *ſaluabitur*, pro prædicato totius enuntiationis: ordinando literam ſic: Si permanſerint autem per filiorum generationem in fide & dilectione & ſanctificatione cum modeſtia, ſaluabitur. Sic enim clare ſignificatur quòd non pendet ſalus mulieris à filiorum generatione, ſed quod acquiritur ei ſalus ſi ſic manſerint.

Coniugium mulieri meritorium ſalutis.

Et nihilominus aduerte quod non de muliere, ſed de vxore eſt ſermo: de qua dixerat *neque authoritatem habere in virum*. de ipſo enim ſubiungitur *ſaluabitur autem*, &c.

Et meminit ſpecialiter ſanctitatis ac modeſtiæ: quoniam tam munditia in vſu coniugij, quam moderatio in vſu rerum & gubernatione familiæ, peculiaris eſſe debet coniugatis.

CAPVT III.

FIDELIS SERMO. Proſequitur Paulus particulam *de corde puro*, quoad conſtitutos in Eccleſiaſticis miniſteriis. Præponit autem huic tractatui *fidelis ſermo*, ad ſignificandam veritatem dicendorum: ne quis imputaret Paulo quòd nimis exigeret ex proprio capite in Epiſcopis & Diaconis. Totum hoc excluditur, dicendo *fidelis ſermo*. Significatur enim quòd eſt ſermo fidelis Domino, quòd eſt iuxta fidem, quam debet Paulus Domino: & non ſecundùm propriam ſententiam. SI QVIS EPISCOPATVM DESIDERAT, BONVM OPVS DESIDERAT. Initium fidelis ſermonis eſt: ſi quis ſuperintendentiam cupit, bonum (ſeu præclarum) opus deſiderat. Non dicit Verſ. 1.

In Eccleſiaſticis muneris conſtitutis mente, non de ſuo ſed iuxta fidem.

dicit ſi quis dignitatem, ſi quis gradum, ſi quis prouentus, ſi quis honores, ſi quis gloriam Epiſcopatus, ſed ſi quis ipſum Epiſcopatum (hoc eſt, ipſam ſuperintendentiam, ipſum ſuperintendere) deſiderat: proculdubio deſiderat opus, cùm ſuperintendere ſit opus, non qualecumque, ſed opus bonum ex ſuo genere, imò opus præclarum ex proprio genere. Nec hoc eget probatione aliquâ: quoniam manifeſtè conſtat ſic eſſe. Nullum itaque peccatum eſt ex proprio genere, deſiderare Epiſcopatum: hoc eſt, ipſum ſuperintendere. Secus autem eſt de appetitu gradus, honoris, prouentuum, & huiuſmodi. Nihil enim horum eſt opus bonum: cùm nec ſit opus.

Epiſcopatus bonum opus.

Verſ. 2. OPORTET ENIM, pro *igitur*, EPISCOPVM IRREPREHENSIBILEM ESSE. Ex ratione excellentis bonitatis huiuſmodi operis quod eſt ſuperintendere, illatiuè dicit, oportet igitur Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem. Et hæc eſt prima conditio Epiſcopi relatiuè ad malos mores, vt nihil in eo ſit reprehenſibile. Et vere ex eo quòd aliis ſuperintendit reprehendendis, manifeſtò infertur quòd oportet ipſum eſſe irreprehenſibilem. Quâ enim fronte poteſt alios reprehendere qui reprehenſibilis eſt: Diceretur namque ei; *Medice cura teipſum.*

Boni Epiſcopi conditiones.

VNIVS VXORIS VIRVM. Secunda conditio negatiuè intelligenda eſt, hoc eſt, non plurium vxorum virum. Nõ enim exigit Paulus ab Epiſcopo quòd fuerit, aut ſit coniugatus (qui conſulit melioré eſſe cælibatum, ſcribendo ad Corinth.) ſed exigit quòd ſi habet vxorem ſit vir vnius vxoris. Sic enim litera ſonat, dicendo eſſe. Quo contra de vidua inferiùs dicet in cap. 5. non præſenti, ſed præterito vtens tempore, *quæ fuerit vnius viri vxor.* Et dixit hoc, quia tunc temporis multi plures vxores habebant, imitantes patres veteris Teſtamenti: cùm nullibi legamus hoc prohibitum.

SOBRIVM, pro *vigilem.* Tertia conditio vigilantiam ſummè neceſſariam ſuperintendenti explicat.

PRVDENTEM, pro *modeſtum.* Quarta conditio ſummè quoque eſt neceſſaria ſuperintendenti, vt vigilantia comitem habeat moderationem: vt ipſe ſic ſit vigil vt tamen ſit modeſtus, & ſic modeſtus vt tamen ſit vigil.

ORNATVM, proculdubio compoſitione geſtuum, actionum, eloquij, & aliis bonis moribus.

PVDICVM. Superfluit *pudicum.* Sexto enim loco dicitur

HOSPITALEM. Rara eſt hæc hodie virtus.

DOCTOREM, non laurea, ſed ſcientia ſufficiente ad docendum.

Verſ. 3. NON VINOLENTVM, pro *non vinoſum*, hoc eſt, deditum vino.

Turpe eſt Epiſcopo etiam iuſte percutere.

NON PERCVSSOREM. Quamuis Paulus de iniuſta percuſſione loquatur, turpe tamen eſt Epiſcopo etiam iuſte percutere. Debet enim aliena, non propria, manu percutere delinquentes.

Poſt *non percuſſorem*, deficit vna particula, ſcilicet, *Non turpilucrem.* Hæc eſt enim decima conditio in textu Pauli: clarè ſonans quòd Epiſcopus alienus eſſe à turpi lucro debet. Quod ſi ſeruaretur, non audirentur lucra tam turpia, vt turpe ſit ea dicere. Nec loquor de ſimonia, ſed propriè turpi lucro ſparſo nimis in Epiſcopis Eccleſiarum Chriſti.

SED MODESTVM, pro *ſed mitem.* Eſſe mitem plus eſt quam eſſe manſuetum. Mitis enim non ſolum iram temperat, ſed dulcedinem quandam adhibet.

Mitis plus eſt quàm manſuetus.

NON LITIGIOSVM. Valde repugnat officio ſuperintendentis aliis, vt ipſe litibus incumbat. Alienus enim eſſe debet ab omni pugna tam verborum, quàm factorum. Sola ſiquidem pugna fidei & pietatis ei ſufficit.

NON CVPIDVM, pro *non auarum.* Non eſt ſermo de quacumque cupiditate, ſed de cupiditate argenti, auri, & huiuſmodi, quam auaritiam dicimus.

SVÆ DOMVI BENE PRÆPOSITVM, pro *præſidentem*, hoc eſt, propriam domum bene regentem, vult enim Paulus experientiâ comprobatum fuiſſe quòd is qui fit Epiſcopus ſit idoneus ad bene regendum Eccleſiam, experientiam autem ſumi ex hoc quod bene regit propriam domum. Verſ. 4.

FILIOS HABENTEM SVBDITOS CVM OMNI CASTITATE, pro *reuerentia*, ſeu *honeſtate.* Ne intelligas quòd oporteat Epiſcopum habere filios (quoniam hoc Paulus non dicit) ſed quod Epiſcopus habens filios, habeat illos ſubditos cum omni reuerentia, ſeu honeſtate. Ex hac enim experientia tenendi filios ſubditos cum omni honeſtate, ſeu reuerentia, ſpes gignitur quòd tenebit Chriſtianos ac clericos ſubditos cum omni honeſtate, ſeu reuerentia ſicut rexit filios.

SI QVIS AVTEM DOMVI SVÆ PRÆESSE NESCIT, QVOMODO ECCLESIÆ DEI DILIGENTIAM HABEBIT, pro *curam aget*: Ratio clara, ſolido innixa fundamento. Verſ. 5.

NON NEOPHYTVM Græcam dictionem reliquit interpres, cùm potuiſſet dicere non nouitium in miniſterio Eccleſiaſtico, vel in fide. Et rationem reddit, NE IN SVPERBIAM ELATVS IN IVDICIVM INCIDAT DIABOLI. Occaſio ſuperbiendi eſt, ſi quis nouiter conuerſus ad fidem, ſeu non initiatus in miniſteriis Eccleſiæ, præferatur ad ſuperintendendum Eccleſiæ, & ſic merito ſuperbiæ incidat in damnationem ſimilem damnationi diaboli, qui propter ſuperbiam damnatus eſt. Loqui autem Paulum de nouitio in miniſterio Eccleſiæ, ex ſubiunctis de promotione Diaconorum ſatis patet. Nam ſi illos vult primùm probari, multo magis promouendos in Epiſcopos. Verſ. 6.

Cur Neophytum non expedit eſſe Epiſcopum.

OPORTET AVTEM ILLVM, ET TESTIMONIVM BONVM HABERE AB IIS QVI FORIS SVNT. Vltima conditio Epiſcopi eſt vt ſit bonæ famæ etiam apud infideles. Et rationem ſubdit, VT NON IN OPPROBRIVM INCIDAT: hoc eſt, vt non incidat in vituperationem: vituperaretur enim ſi eſſet apud eos malæ famæ. ET IN LAQVEVM DIABOLI. Dictionem Græcam reliquit interpres: fortè rectius dixiſſet *calumniatoris.* Nam ſi malæ famæ eſt apud infideles, laqueis exponitur hominum calumniatorum, ex ipſa mala fama audentium etiam quæ non fecit imputare, & illaqueare cum detractionibus, accuſationibus, & aliis huiuſmodi. Verſ. 7.

DIACONES, pro *Diaconos*, SIMILITER PVDICOS, pro *compoſitos.* Dictionem quoque Græcam interpres reliquit *Diacones*: cùm potuiſſet Latinè dicere *miniſtros.* Et quoniam non legimus alios in ſacra Scriptura Diaconos, quam Verſ. 8.

Diaconi conditiones

illos

illos in Actis Apoſtolorum inſtitutos miniſtros temporalium Eccleſiæ, ideo de eiſdem intelligo Paulum loqui: nam etiam Epheſi fuiſſe Diaconos diſpenſationis temporalium, patet ex ſubiunctis: vbi dicetur *ne grauetur Eccleſia viduis quibuſdam.* Vbi & aduerte non loqui Paulum de ordinibus ſacris, ſed de officiis: vnde nullam mentionem facit Sacerdotis, ſed Epiſcopi & Diaconi: quorum vtrunque nomen eſt officij, illud ſuperintendendi, hoc miniſtrandi.

Primam itaque conditionem miniſtrorum Eccleſiæ, explicat compenſationem in moribus, in actibus, in geſtibus. NON BILINGVES, duplici vtentes ſermone: modò vnum, modò contrarium vni ſiue pluribus dicendo.

NON MVLTO VINO DEDITOS. Non prohibet eis vſum vini, ſed multum. NON TVRPE LVCRVM SECTANTES. Non ſolum ab illicito, ſed etiam à turpi lucro vult eſſe alienos. Sunt enim multa lucra licita quæ tamen ſunt turpia.

Verſ. 9. HABENTES MYSTERIVM FIDEI IN CONSCIENTIA PVRA. Non ſufficit vt Diaconi habeant fidem, ſed exigitur ab eis vt habeant intimum fidei arcanum. *Myſterium fidei, quid?* Quod conſiſtit in conformitate animi ad fidem, in conformitate voluntatis & affectus ad fidem, hoc eſt enim intimum fidei. Et hoc non eſt habendum qualitercunque, ſed in conſcientia pura, ſed in applicatione ſcientiæ pura ab omni errore & paſſione. Oportet enim miniſtros Eccleſiæ, & intus habere animum conformem fidei, & miniſtrando applicare purè ſcientiam ad opus.

Verſ. 10. ET HI AVTEM, pro *quidem*, PROBENTVR PRIMVM: ET SIC. Loco harum duarum dictionum legendum eſt, *Deinde* MINISTRENT. Deficit *ſic*, NVLLVM CRIMEN HABENTES. De Epiſcopo dixerat *non nouitium*: de Diaconis autem dicit quòd primùm examinentur, experientiâ operum diſcernantur. Poſtea miniſtrent ſic, ſcilicet probati quòd nullum habeant crimen, quòd nullus poſſit illos criminari.

Verſ. 11. MVLIERES, pro *vxores.* proculdubio Epiſcoporum & Diaconorum. *Mulieres Epiſcoporum. & Diaconorum.* De aliis ſiquidem mulieribus ſuperius locutus fuerat. SIMILITER PVDICAS, NON DETRAHENTES, pro *non calumniatrices*, SOBRIAS, pro *vigiles*, FIDELES IN OMNIBVS. Conditiones claræ ſunt.

Verſ. 12. DIACONI, pro *Diaconi*, SINT VNIVS VXORIS VIRI. Intellige hoc ſicut de Epiſcopo expoſitū. QVI FILIIS SVIS BENE PRÆSINT. Superfluit *ſuis.* ET SVIS DOMIBVS. Exigit à promouendis in Diaconos ſimilem experientiam circa regimen domus & filiorum, qualem exegerat à promouendo in Epiſcopum.

Verſ. 13. QVI ENIM BENE MINISTRAVERINT. Poſt conditiones requiſitas ad Diaconos fructum eorum ſubiungit. Nec dicit, qui enim miniſtrauerint, ſed qui bene miniſtrauerint. GRADVM BONVM SIBI ACQVIRENT, pro *acquirunt*, hoc eſt, altiori officio dignos ſe conſtituunt: hic enim fructus ſuapte natura ſequitur bonam miniſtrationem inferioris officij.

ET MVLTAM FIDVCIAM IN FIDE, QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Actiuè & paſſiuè verificatur quòd acquirunt ſibi multam fiduciam in fide Ieſu Chriſti. Actiuè quidem, quia bene miniſtrando, magis confidunt & audent in iis quæ ſunt fidei: vt patet de Stephano. Paſſiuè verò: quia bene miniſtrando acquirunt vt alij multum confidant in ipſis in iis quæ ſunt fidei.

HÆC TIBI SCRIBO FILI TIMOTHEE, SPERANS ME VENIRE AD TE CITÒ. Superfluit *fili Timothee.* Ne putaret Timotheus epiſtolam hanc ſignum eſſe quòd Paulus non eſſet ad eum venturus, hanc opinionem excludit. Verſ. 14.

SI AVTEM TARDAVERO. Ecce quare ſcripſi, vt ſi tardauero. VT SCIAS QVOMODO OPORTEAT TE IN DOMO DEI CONVERSARI, QVÆ EST ECCLESIA DEI VIVI. Aduerte, prudens Lector, quòd Eccleſiam Dei appellat domum Dei: eo quòd vniuerſa Eccleſia vna domus eſt, vna familia eſt, vnum habens patremfamilias. Omnium enim Chriſtianorum communio ſpiritualis mutua eſt, quemadmodum eorum, qui ſunt vnius domus, ſeu vnius familiæ. Verſ. 15. *Eccleſia eſt domus Dei.*

COLVMNA ET FIRMAMENTVM, pro *fundamentum* VERITATIS. Eccleſia appellatur columna, & fundamentum veritatis: pro quanto ſuſtentat veritatem certam, non qualitercunque, ſed vt in qua fundata eſt ipſa veritas: nam veritas diuinorum myſteriorum velut excelsè ſuſtentatur in Eccleſia, dum ſupra omnia aſſeritur, veneratur, & colitur, & in ipſa Eccleſia, ita fundata eſt vt extra eam non inueniatur. *Columna & fundamentum veritatis.*

ET MANIFESTE, pro *confeſſè*, hoc eſt, omnium confeſſione. MAGNVM EST PIETATIS SACRAMENTVM, pro *myſterium.* De Eccleſia dicit confeſſum eſſe quòd eſt myſterium pietatis. Pietas propriè officium cultumque exhibet parentibus & ſanguine iunctis, & quia Eccleſiam domum Dei dixerat, aptè & propriè ſubiungit quòd eſt magnum myſterium pietatis. Officia ſiquidem Eccleſiæ ſunt officia pietatis: vtpote domeſticorum in domo. Et quia in domo Dei tanquam patrisfamilias, officia Eccleſiæ ſunt officia pietatis erga Deum vt patremfamilias. Et quoniam hoc in congregatione fidelium eſt intimum, ideo *myſterium* appellatur. Et quia tum extenſiua, tum intenſiua quantitate præſtat, ideo *magnum* dicitur. Verſ. 16. *Pietatis ſacramentum.*

Habes ergo Eccleſiam Dei viuentis (hoc eſt, congregationem fidelium in Deo viuente) relatiuè ad Deum eſſe domum Dei: relatiuè ad veritatem, eſſe columnam & fundamentum veritatis; relatiuè verò ad pietatem eſſe magnum myſterium pietatis, & hoc confeſsè. Vt per hoc vltimum intelligamus officium Chriſti fidelium conſiſtere in pietate, exhibendo patrifamilias cultum, & aliis domeſticis officium. Verè ſiquidem talis pietatis Eccleſia eſt myſterium magnum.

QVOD MANIFESTATVM EST. Vniuerſa hæc litera vſque ad finem huius capituli neſcitur quomodo corrupta ſit. *Litera hic corrupta.* Tum adimendo ſubſtantiuum: nam in textu Græco non habetur relatiuum quod, ſed habetur ſubſtantiuum Deus. Tum conſequenter mutando genus: nam omnia quæ in neutro genere leguntur (*manifeſtatum, iuſtificatum, prædicatum, creditum, aſſumptum*) maſculini ſunt generis ſicut & *Deus.* Legendum itaque eſt, DEVS MANIFESTATVS EST IN CARNE, IVSTIFICATVS EST IN SPIRITV, VISVS EST ANGELIS, PRÆDICATVS EST GENTIBVS, CREDITVS EST IN MVNDO, ASSVMPTVS EST IN GLORIA. Et dicuntur hæc à Paulo, tum ad manifeſtandam illam particulam *domo Dei*, & particulam

particulam *& confeſsè*: vt confeſſione omnium iſtorum pateat quod dixerat *& confeſsè*. Tum ad explicandum Deum patremfamilias erga quem eſt pietas Eccleſiæ. Dixerat enim quod Eccleſia eſt magnum myſterium pietatis.

Deum quaſi patremfamilias manifeſtat.

Manifeſtat autem modò ipſum Deum ſub ratione patrisfamilias. Dixerat enim, *in domo Dei*. Et verè hic paterfamilias deſcribitur dicendo: *Deus manifeſtatus eſt in carne*, tum cùm Verbum caro factum eſt, & coruſcauit tot miraculis viuens in carne mortali: tum in reſurrectione manifeſtatus eſt in carne immortali: ſecundùm vtrumque namque ſtatum Deus manifeſtatus eſt in carne. Et hoc eſt primum quod colit pietas Eccleſiæ in domo Dei patrisfamilias: quoniam per hoc Deus factus eſt paterfamilias, per hoc factus eſt eiuſdem naturæ nobiſcum, communicans nobiſcum etiam in carne.

IVSTIFICATVS EST IN SPIRITV. Si miraris Deum iuſtificatum eſſe, recole dictum eſſe Deo antequam manifeſtetur in carne; *iuſtificeris in ſermonibus tuis*. Multò ergo magis poſtquam manifeſtatus eſt in carne, dici de eo poteſt, *iuſtificatus eſt in ſpiritu*. Et eſt ſenſus quòd in ſpiritu ſancto, quem dedit diſcipulis & conſequenter aliis, iuſtificatus eſt à calumniis Iudæorum & aliorum qui crucifixerunt & perſecuti ſunt eum. Vnde in die Pentecoſtes apud ipſoſmet qui crucifixerant eum linguis clamando *crucifige*, incepit iuſtificari: vt patet in Actis Apoſtolorum. Et nihilominus adhuc mortalis iuſtificatus eſt in ſpiritu vitæ, operum, ac doctrinæ, ab obiectionibus Iudæorum.

VISVS EST ANGELIS. Deus in carne, & ſimiliter Deus in ſpiritu, ab hominibus credi potuit: non autem viſus eſt hominibus. Ab Angelis autem beatis viſus eſt. Et inſeruit hoc, ad afferendum teſtimonium Angelicum de noſtro patrefamilias. Et hoc verificatum eſt de Deo in vtroque ſtatu, carnis paſſibilis & impaſſibilis.

PRÆDICATVS EST GENTIBVS. Ecce domus Dei comprehendens gentes.

CREDITVS EST IN MVNDO. Ecce latitudo domus Dei, comprehendens vniuerſum mundum.

ASSVMPTVS EST IN GLORIA vt manifeſtè intelligamus patremfamilias domus Eccleſiaſticæ regnare glorioſum in gloria, ad quam aſſumptus eſt in die Aſcenſionis. Hæc ſunt beneficia patrisfamilias, erga quem eſt pietas Eccleſiæ. Et ſimul perpende quod dixerat, *& confeſsè*, explicatum à carne, à ſpiritu, ab Angelis, à gentibus, à mundo, à gloria cœleſti.

CAPVT IV.

Verſ. 1. SPIRITVS AVTEM MANIFESTÈ. pro, *loquibiliter*, DICIT. Tractat illam particulam, *de fide non ficta*. Et dicit quòd Spiritus ſanctus non obſcurè, ſed loquendo vt poſſit intelligi dicit hæc ſubiuncta. QVIA. pro, *quod*, IN NOVISSIMIS. pro, *in poſterioribus*, TEMPORIBVS DISCEDENT QVIDAM A FIDE. Præmonemur, vt iacula præuiſa minus feriant. ATTENDENTES SPIRITIBVS ERRORIS. pro, *erroneis*. Spiritus Chriſti, eſt ſpiritus veritatis: ſpiritus autem iſti, ſunt ſpiritus à vero errantes. Quales ſunt omnes ſpiritus hæreticorum. Omnium enim hæreticorum ſpiritus à vero declinant, & errant hac atque illac. ET DOCTRINA DÆMONIORVM. Spiritus hæreticorum pingit ab errore, doctrinas verò à dæmoniis: ad ſignificandum quod doctrinæ talium hominum non tam ſunt doctrinæ hominum, quam dæmoniorum. Ipſos namque homines appellat *dæmonia*: eo quod officio ſunt dæmonia, eo quòd diſcipuli ſunt & imitatores dæmoniorum. Et vt clarè percipias quòd huiuſmodi hæreticos nominat dæmonia, ſubiungit de eiſdem.

Hæreticorum ſpiritus ab errore, doctrinas verò à dæmoniis pingit.

IN HYPOCRISI LOQVENTIVM MENDACIVM. Verſ. 2.
pro, *in ſimulatione falſiloquorum*. Vbi duas conditiones eorumdem iungit: & quod falſum loquuntur, & non ignoranter, ſed ſimulatè. ET CAVTERIATAM HABENTIVM SVAM CONSCIENTIAM. Quoniam metaphoricus eſt ſermo, obſtinata horum conſcientia intelligi poteſt ad ſimilitudinem indelebilis notæ, quæ ex cauterio facta eſt in hominibus ſeu iumentis, vt ſignificetur conſcientiam horum cauterio diaboli penetratam eſſe, vt indelebiliter eandem retineant conſcientiam, vt nulla ſit ſpes emendationis eorum. Eſt enim ſermo de hæreſiarchis, de capitibus eorum.

PROHIBENTIVM NVBERE. Depictis magiſtris Verſ. 3.
errorum, deſcribuntur eorundem præcepta circa nuptias & cibos. Et quoad nuptias, dicitur prohibentium nubere: quoad cibos verò, IVBENTIVM ABSTINERE A CIBIS. Vtrumque præceptum dicitur eſſe Manichæorum. QVOS DEVS CREAVIT. Contra præceptum abſtinentię à cibis, affert Paulus rationem ex inſtitutione diuina. Ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognouerunt veritatem.

Quia, pro, *quòd*, omnis creatura Dei Verſ. 4.
bona eſt: & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Ne quæreres, vbi habetur quòd Deus creauit omnia ad percipiendum cum gratiarum actione: declarat Paulus quòd in hoc ipſo quòd omnis creatura Dei munda eſt ſecundùm ſe, & quòd nullius vſus illicitus eſt, ſi cum gratiarum actione fit, habetur quòd Deus creauit omnia comeſtibilia ad percipiendum cum gratiarum actione. Et primum quidem (ſcilicet *quod omnis creatura Dei bona eſt*) tanquam manifeſtum relinquit. Alterum verò ſpectans ad vſum, probat reddendo rationem.

Omnis creatura Dei bona eſt.

Sanctificatur enim per verbum Dei & Verſ. 5.
orationem. pro, *interceſſionem*. Propter Iudæos videtur hoc dicere: apud quos cibi aliqui erant immundi quoad vſum. Aduerſus ſiquidem hoc dicit quòd mundificatur vſus ciborum qui reputantur immundi, per verbum Dei quo vtimur benedicendo ipſos, & per interceſſionem. Radix vnde verbum Dei mundificat, ſignificatur interceſſio (hoc eſt mediatio) Chriſti inter legem & non diſcernentes inter cibos. Et extendit ad legalem prohibitionem ſermonem ſuum Paulus: eo quod conueniunt quoad hoc in materia præcepti, hæretici & Iudæi, ſectatores legis: dum vtrique iubent abſtinere à cibis quibuſdam.

Hæc

Verſ. 6. HÆC PROPONENS FRATRIBVS. pro, *admonens fratres*. BONVS ERIS MINISTER CHRISTI IESV ENVTRITVS. pro, *enutriens*, VERBIS FIDEI ET BONÆ DOCTRINÆ QVAM ASSECVTVS ES. Vndique commendat officium admonendi fratres de prædictis, tum ex parte officij relati ad Chriſtum: tum ex parte officij relati ad rem dictam quoad auditores: manifeſtando nutritionem animarum in fide & bona doctrina. Quod autem dicitur, *quam aſſecutus es*, non plenè explicat textum Græcum, ſignificantem, *quam hucuſque ſecutus es*.

Verſ. 7. INEPTAS. pro, *prophanas*. AVTEM ET ANILES FABVLAS DEVITA. Fabellas aduerſus religionem, *aniles* appellat: quoniam ſimiles ſunt fabellis quas anus narrant pueris. EXERCE AVTEM TEIPSVM AD PIETATEM. Tractat illam particulam, *conſcientia bona*. Et inchoat officium conſcientiæ bonæ à pietate: quæ cultum ac officium exhibet parentibus, ſanguine iunctis, patriæ, eiuſque beneuolis.

Verſ. 8. NAM CORPORALIS EXERCITATIO AD MODICVM VTILIS EST. Non vituperat corporale exercitium, ſed præponit illi pietatem. Et hæc intellige comparando hæc ſecundum propria genera: nam ſecus eſt ſi ſecundum charitatem imperantem, aut ſecundum occurrentem articulum neceſſitatis comparatio fieret. Ex maiori namque neceſſitate ſi proueniret corporalis exercitatio, vtilior eſſet, quàm pietas ex minore charitate: & ſimiliter in articulo neceſſitatis vrgentis ad ieiunium ſeu aliquid huiuſmodi corporale, vtilior eſſet corporalis exercitatio quàm pietas. Sed hæc ſunt per accidens; nam ſecundum genus proprium corporalis exercitatio in ieiuniis & abſtinentiis, peregrinationibus, ciliciis, & huiuſmodi, ad modicum vtilis eſt: quia tantum valet ad domandum corpus proprium.

Corporali exercitationi pietatem præfert.

PIETAS AVTEM AD OMNIA VTILIS EST. Officia pietatis erga Eccleſiæ membra, & cultus erga patremfamilias domus quæ eſt Eccleſia, ſunt vtilia ad omnia, tam temporalia quàm ſpiritualia. Vnde hoc manifeſtat ſubiungendo:

Pietas ad omnia vtilis eſt.

PROMISSIONEM. pro, *promiſſiones*, HABENS VITÆ QVÆ NVNC EST ET FVTVRÆ. Ex hoc ipſo quod lege diuina in præcepto pietatis (*Honora patrem tuum & matrem tuam*) Exod. 20. adiungitur promiſſio vitæ præſentis & futuræ, manifeſtat Paulus quòd pietas ex ſuo genere ad omnia vtilis eſt. Interpretatur autem Paulus verba legis partim ad literam, & partim myſticè. & propterea pluraliter dicit *promiſſiones*, & vtriuſque vitæ meminit. In Exodo namque dicitur, *vt ſis longæuus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. Paulus verò etiam myſticè terram promiſſionis cœleſtem patriam interpretatur, & propterea dicit vitæ præſentis & futuræ.

Exod. 20.

Ne hinc arguas inferendo abſtinentiam & ieiunia inutilia eſſe ad vitam æternam: quoniam hoc hinc non habetur: ſicut nec habetur reliqua virtutum opera inutilia eſſe ad vitam æternam. Tantum hinc habetur ſpeciale priuilegium pietatis, quod in illius præcepto explicatur promiſſio vtriuſque vitæ: cum hoc enim priuilegio ſtat & reliquarum virtutum opera (inter quæ eſt exercitatio abſtinentiæ corporalis) meritoria eſſe vitæ æternæ.

Ne inferas hinc abſtinentiam & ieiunia eſſe inutilia.

At ſi quæris, cur pietas donata eſt hoc priuilegio? ratio eſt quia pietas ad faciendum alteri bonum reddit, quod diuini officij eſt maxime imitatiuum & homini difficile: cum naturaliter non inclinetur niſi ad proprium bonum.

FIDELIS SERMO ET OMNI ACCEPTIONE DIGNVS. Ad declarandum quòd ipſe interpretatus fuerat (videlicet *& futuræ*) adiungit quòd ſermo iſte dicens quòd pietas habet promiſſionem vitæ futuræ, eſt ſermo fidelis & omni acceptione dignus. Et hoc ab experientia in ſeipſis manifeſtat, ſubiungendo, Verſ. 9.

IN HOC ENIM. Deficit, *Et* LABORAMVS, ET MALEDICIMVR. hoc eſt, nam ad hoc pietatis opus & laboramus aſſiduè, & maledictis afficimur. QVIA SPERAMVS. pro, *ſperauimus*, IN DEVM VIVVM. pro, *in Deo viuente*. QVI EST SALVATOR OMNIVM HOMINVM, MAXIME FIDELIVM. Ab experientia quæ ſuſtinent tum proprios labores, tum maledicta exercendo ea quæ pietatis ſunt, manifeſtat promiſſionem vitæ futuræ: ex eo quòd hæc omnia procedunt ex ſpe in Deo viuente quòd ſaluaturus eſt omnes homines, præcipuè fideles. In vita futura ſaluabit Deus omnes homines quoad vitam corporis, ſuſcitando omnes, maximè autem ſaluabit fideles: quoniam ſuſcitabit eos ad vitam felicem. Hæc eſt res ſperata, de qua dicit: *ſperauimus in Deo viuente qui eſt ſaluator*, &c. pro qua & laboramus & maledicimur, vacando pietati Eccleſiaſticæ. Verſ. 10.

In vita futura omnes homines ſaluabit Deus quomodo.

PRÆCIPE HÆC ET DOCE: *doce* vt ſciant: *præcipe*, vt imitentur. Verſ. 11.

NEMO ADOLESCENTIAM. pro, *iuuentutem*, TVAM CONTEMNAT. hoc eſt, ſic te habe vt nemo contemnat ætatem iuuentutis tuæ. Vnde & ſtatim aduerſatiuè ſubiungit: SED EXEMPLVM ESTO FIDELIVM IN VERBO. hoc eſt, in loquendo. IN CONVERSATIONE, IN CHARITATE, Præcipit Paulus, vt locutio ſit exemplaris, conuerſatio ſit exemplaris, dilectio ſit exemplaris. Et præter hæc adiungit tria alia. Quorum primum deficit in textu Latino: videlicet. IN SPIRITV, IN FIDE, IN CASTITATE. In ſpiritualibus, in iis quæ ſunt fidei & in corporis caſtitate, præcipit etiam Timotheo vt exhibeat ſe exemplum fidelium. Et hæ ſunt partes, ex quibus effici decet, vt nemo eius iuuentutem contemnat. Multo magis hæ partes in prælato prouectæ ætatis efficient vt non deſpiciatur. Verſ. 12.

Locutio conuerſatio & dilectio ſit exemplaris.

DVM VENIO ATTENDE LECTIONI. ad paſcendum teipſum. EXHORTATIONI. aliorum ad bona opera. ET DOCTRINÆ. Superfluit *&*, non ſolum exhortare, ſed doce alios ea quæ ſunt ſacrarum ſcripturarum. Verſ. 13.

NOLI NEGLIGERE GRATIAM QVÆ. pro, *donum quod*. IN TE EST: QVÆ DATA. pro, *quod datum*, EST TIBI PER PROPHETIAM CVM IMPOSITIONE MANVVM PRESBYTERII. Epiſcopalem gradum appellat donum datum Timotheo duplici concurrente cauſa. Verſ. 14.

Altera eſt prophetia: quòd futurus eſſet Epiſcopus, a quo autem fuerit facta hæc prophetia ſeu cui fuerit reuelata, ſcriptum non eſt. Simile quid in primo capitulo dixerat, *ſecundum præcedentes ad te prophetias*.

Altera eſt impoſitio manuum presbyterij: hoc eſt, officij presbyteratus: ad ſignificandum impoſitionem non eſſe humanæ manus, ſed manus ſacræ, manus ſacerdotalis officij.

Impoſitio manuum presbyterij.

Et

Et dicit pluraliter *manuum presbyterij*, fortè ad ſignificandum plurium Sacerdotum concurſum, fiebant ſiquidem Epiſcopi per impoſitionem manuum, ſicut & hodie fiunt.

Verſ. 15. HÆC MEDITARI, pro *exerce*. Dixerat præceptum negatiuum, *ne neglexeris*: adiungit modò affirmatiuum, *hæc exerce*. Et pronomen *hæc*, monſtrat tria antedicta Epiſcopi officia: legere, exhortari, & docere. IN HIS ESTO, VT PROFECTVS TVVS MANIFESTVS SIT OMNIBVS, pro *in omnibus*. Fructus conſequens ſuapte natura explicatur. Nec hic fructus vacat ſalute aliorum.

Verſ. 16. ATTENDE TIBI IPSI, ET DOCTRINÆ. Adiungit vt ſic attendat ſaluti aliorum, vt ſimul incumbat propriæ ſaluti. INSTA, pro *perſiſte* IN ILLIS, vtriſque: ſcilicet quæ ſunt ad ſalutem tuam, & aliorum. HOC ENIM FACIENS. Attentionem ad vtraque demonſtrat pronomen *hoc*. ET TE IPSVM SALVVM FACIES, ET EOS QVI TE AVDIVNT. Ecce fructus attentionis ad vtrumque: & vere fructus perfectus.

CAPVT V.

Verſ. 1. SENIOREM NE INCREPAVERIS, SED OBSECRA, pro *exhortare*, VT PATREM. Nomen ætatis eſſe hoc in loco *seniorē*, ex aliis ætatibus ſubiunctis apparet. Et propter aliorum ætates ſubiunctas, magis quadrare videtur *exhortare* quàm *obſecra*: quoniam ad omnes ſubſequentes idem verbum refertur. Peccantem itaque ſenem mandat Paulus non increpandum, ſed exhortandum: vt velut filiali vtatur in eum reuerentia: ſic enim facilius corrigitur ſenex. IVVENES VT FRATRES,

Senex peccās non increpandus, ſed obſecrandus.

Verſ. 2. ANVS VT MATRES, IVVENCVLAS VT SORORES. Repete *exhortare*. IN OMNI CASTITATE, hoc opus fuit addere in exhortatione iuuencularum propter periculum ætatis. Et dicit *in omni*, vt ſit caſtitas in oculis, in geſtibus, in verbis: &c.

Verſ. 3. VIDVAS HONORA. Honorem in ſcripturis ſacris referri non ſolum ad officia, ſed etiam ad ſubſidia, docet Dominus, exponendo præceptum *honora parentes tuos* de ſubuentione. Nec ambigendum eſt vtrumque hic comprehendi: verum ſub ratione honoris præceptum datur: quoniam honor per ſe exhibendus eſt, ſubuentio autem per accidens: videlicet ſi ſunt indigentes.

Honor in Scriptura non ſolum ad officia, ſed etiā ad ſubſidia refertur.

Viduis autem honorem exhibendum iubet, non omnibus: ſed QVÆ VERE VIDVÆ SVNT. Et eſt aduerbium *vere*, tam hic, quam in ſequentibus ſimilibus. Quas autem vere intelligit viduas, ipſemet explicabit ex duplici differentia: altera penes naturalia: altera penes voluntaria. Vnde a naturali neceſſitudine inchoans dicit.

Verſ. 4. SI QVA AVTEM VIDVA FILIOS, AVT NEPOTES HABET. Prima differentia inter viduas tangitur conſiſtēs in hoc quod aliqua vidua eſt quæ habet vinculū naturalis neceſſitudinis cum filiis, aut nepotibus (hoc eſt, filiis filiorum) aliqua autem caret huiuſmodi vinculo. Et de habente huiuſmodi ſubiungit, DISCAT, pro *diſcat primū* DOMŪ SVAM REGERE, pro *pie curare* ET MVTVAM VICEM REDDERE PARENTIBVS. Dicendo *diſcant*, manifeſtè loquitur de filiis & nepotibus. Dicendo *primum*, ſignificat quod vidua non prius recipiatur ad profeſſionem vidualem quàm filij, ſeu nepotes didicerint curam habere domus & mutuam vicem parentibus reddere. Et in promptu eſt ratio huius præcepti: quoniam quamdiu filij, ſeu nepotes non peruenerint ad ætatem & virtutem regendæ domus, incumbit viduæ cura familiæ: & hinc impeditur ad vacandum diuinis & Eccleſiæ, quibus vacabant profeſſæ viduitatem. Tales enim viduæ quamuis fortè affectu ſint verè viduæ, quia tamen alligatæ ſunt curæ filiorum, non ſunt recipiendæ ad profeſſionem vidualem, donec filij, ſeu nepotes diſcant domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus, habendo curam parentum qualem parentes habuerunt de eis: hoc eſt, donec filij habeant curam viduæ: vt ſic vidua exempta ab omni cura domeſtica poſſit profiteri ſtatum vidualem ad vacandum diuinis, hoſpitibus, & aliis miſericordiæ operibus.

Vidua diſcāt primum domum ſuā regere, &c.

HOC ENIM. Deficiunt duæ dictiones, *Bonum &*, ACCEPTVM EST CORAM DEO. Ne vidua talis ægre ferat dilationem profeſſionis, explicat Paulus huiuſmodi dilationem bonam eſſe in ſe, & gratam Deo: quoniam innititur neceſſariæ pietati.

Verſ. 5. QVÆ AVTEM VERE VIDVA EST. Officia eius quæ verè eſt vidua deſcribit, tum ad declarandum quod dixerat *verè viduæ ſunt*, tum ad explicandum incompoſſibilitatem viduæ habentis curam nepotum ac filiorum ad officia verè viduæ. ET DESOLATA SPERET, pro *ſperauit*, IN DEVM, pro *in Deo*, ET INSTET, pro, *& perſiſtit*, IN OBSECRATIONIBVS ET ORATIONIBVS NOCTE ET DIE. Ecce, duo officia verè viduæ: tum quòd deſolata locauit ſpem ſuam in Deo, non in futuro coniuge, non in diuitiis & reliquis, quæ mundi ſunt, tum quòd tempus omne occupat orationibus & obſecrationibus, quod non poteſt facere vidua alligata curæ filiorum minorum.

Officia verè viduæ deſcribit.

Verſ. 6. NAM QVÆ IN DELICIIS EST, VIVENS MORTVA EST. Alteram tangit differentiam viduarū penès voluntaria. E regione ſiquidem ad perſiſtentem die ac nocte in orationibus, deſcribit eam quæ deliciis vacat. Et de hac dicit quòd viuens mortua eſt: hoc eſt, vtrique ſubiacet cōtrario: nam & viuit ſtatu, mortua eſt autē opere. Ita quòd quatenus vidua monſtruoſa eſt: nam & viuit, & mortua eſt: viuit nomine & ſtatu viduæ: mortua eſt carens operibus viduarum.

Verſ. 7. ET HOC PRÆCIPE VT IRREPREHENSIBILES SINT. Ne paruifieret huiuſmodi mors & vita, ſubiungit hoc ſpectare ad reprehenſibilitatem viduarum. Et propterea mandat Timotheo, vt præcipiat viduas abſtinere à deliciis, vt irreprehenſibiles ſint.

Verſ. 8. SI QVIS AVTEM SVORVM ET MAXIMÈ DOMESTICORVM CVRAM NON HABET, pro, *ſi quis autem ſuis & maxime domeſticis non prouidet*, FIDEM NEGAVIT, ET EST INFIDELI DETERIOR. Relatiuum *quis*, quamuis Græcè anceps ſit ad maſculinum & fœmininum, & propterea legi poſſit, *ſi qua*, referendo viduam (nam de viduis eſt ſermo) & ſic legendum crediderim, tum propter ſubiuncta de officiis viduarum,

Si quis ſuorū curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior.

tum propter præcedentia de officio viduæ habentis filios: de quo cùm dixiſſet, *hoc enim bonum & acceptum eſt coram Deo*, ne putaretur illud ſic eſſe bonum gratúmque Deo, quod etiam profiteri viduitatem eſſet bonum, explicat modò quòd eſſet magnum facinus, fateor tamen quod ſi relatiuum communis generis haberemus, magis quadraret: vt ex vniuerſali canone communi vtrique ſexui monſtraretur quantum crimen eſt non prouidere filiis & nepotibus. In cuius ſignum non loquitur canon de filiis aut nepotibus, ſed vniuerſaliſſimè de ſuis, præponendo domeſticos.

Quod autem dicit *fidem negauit*, ad exaggerationem ſceleris dicitur, & verificatur, quia fidem negauit facto. Quod verò ſubiungitur, *eſt infideli deterior*, expoſitione non indiget: quia manifeſtum eſt, nam infideles prouident ſuis, hoc eſt: ſpectantibus ad ſe, & maximè domeſticis.

Verſ. 9. VIDVA ELIGATVR NON MINVS SEXAGINTA ANNORVM. Dixerat, *viduas honora, quæ verè viduæ ſunt*: & deſcripſerat eas, quæ verè ſunt viduæ, & quæ mortuæ viduæ, & quæ impeditæ ad tempus, declarat modò quæ inter verè viduas præhonoranda ſit, quæ eligenda ſit in caput viduarum. Et multas exigit conditiones. Quarum prima eſt ætatis. Et hæc tantæ ætatis exactio manifeſtat quòd de electionis capite eſt ſermo.

Conditiones illius quæ in caput viduarum eligenda eſt.

QVÆ FVERIT VNIVS VIRI VXOR. Caſtitatis muliebris decor eſt poſt primum virum non nupſiſſe.

Verſ. 10. IN OPERIBVS BONIS TESTIMONIVM HABENS. Non dicit *teſtes*, ſed *teſtimonium* ſui *habens* in ipſis operibus bonis. Et quæ ſint illa bona opera explicat, ſubiungendo,

SI FILIOS EDVCAVIT: Intellige de ea, quæ habuit filios. Si enim filios neglexiſſet, malum haberetur de ea teſtimonium.

SI HOSPITIO RECEPIT. Hoſpitalitas magnum eſt teſtimonium charitatis.

SI SANCTORVM PEDES LAVIT. Pedites ibant Prædicatores & Euangelici viri (quos Paulus *ſanctos*, hoc eſt, mundos appellat) quorum pedes lauare tunc conſueuerant viduæ, aut recipientes eos hoſpitio: aut ſi alibi hoſpitabantur, illuc veniebant ad lauandum eorum pedes.

SI TRIBVLATIONEM PATIENTIBVS SVBMINISTRAVIT. Et hoc eſt aliud miſericordiæ opus, ſubuenire afflictis. Et demum,

SI OMNE OPVS BONVM SVBSECVTA, pro *ſecuta eſt*. Ne per ſingula moraretur vniuerſaliter, ſubdit, ſi omne opus bonū eſt ſecuta, faciendo, procurando, &c. Et in his officiis perſpicere potes quæ ſunt officia verè viduarum relatiuè ad homines: nam relatiuè ad ſeipſas deſcripſerat abiiciendas delicias, & relatiuè ad Deum, quòd perſiſtit in orationibus & obſecrationibus die ac nocte.

Verſ. 11. ADOLESCENTIORES, pro *iuniores*, AVTEM VIDVAS DEVITA. Poſt impedimentum temporale (videlicet quòd vidua habet filios, aut nepotes educandos) impedimentum aliud maius edocet, ætatis ſcilicet iuuenilis. Quam vitandam dicit quoad profeſſionem viduitatis ſtatus. Non dicit differendam eſſe profeſſionem (ſicut dixerat de habente filios) ſed abſolutè dicit *deuita*. Et rationem ſubdit,

CVM ENIM LVXVRIATÆ FVERINT IN CHRISTO. Superfluit *in*, & iuxta textum Græcum genitiui eſt caſus *Chriſto*. Et ſumitur *luxuriari* propriè pro ſuperfluo vſu. Et dicit, *cum enim luxuriatæ fuerint Chriſti*, non quòd ſuperfluitates verè fuerint Chriſti, ſed quòd vſæ ſunt Chriſto in ſuperfluitatibus. Significatur enim ad literam quòd cùm in ſuperfluitatibus vſæ fuerint viduali velo Chriſti, tunc NVBERE VOLVNT. Hæc eſt itaque vera ratio repellendi iuuenculas viduas à profeſſione viduali: quia cùm vſæ fuerint aliquanto tempore velo Chriſti in ſuperfluitatibus, mutant voluntatem, & volunt nubere.

Luxuriari in Christo quid?

Verſ. 12. HABENTES DAMNATIONEM, pro *iudicium*, QVIA PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERVNT, pro *abiecerunt*. Tria propoſuerat, ſcilicet *deuita*, *cum luxuriatæ fuerint*, & *volunt nubere*. Et retrogrado ordine illa explanat, dicendo quòd nubendo incurrunt iudicium iuſtæ damnationis, eo quòd repulerunt primam fidem. Manifeſtant autem ſubiuncta de eiſdem (*volo igitur iuniores nubere*) quòd non eſt ſermo de fide primi coniugis abſolutè, ſed de eadem firmata profeſſione viduitatis: hæc eſt enim prima fides cuius obiectione incurrunt iudicium. Et hinc ſumitur quòd profitebantur viduitatem voto in manu Epiſcopi, & à tali voto vitandas adoleſcentiores viduas Paulus cenſet propter periculum inſtabilitatis: quia poſtea volunt nubere.

Viduæ profitebantur viduitatem in manu Epiſcopi.

Verſ. 13. SIMVL AVTEM ET OTIOSÆ DISCVNT CIRCVMIRE DOMOS. Declarat *luxuriatæ fuerint Chriſti*, explicando in quibus conſiſtit huiuſmodi ſuperfluitas vtendo Chriſto in huiuſmodi ſuperfluitatibus. Et primum ſupputat otioſè circumire domos. Conicitur hinc quòd officium verè viduarum quæ erant profeſſæ viduitatem, erat ire per domos, non otioſè, ſed pietatis cauſâ: & propterea dicit Paulus quòd harum exemplo iſtæ adoleſcentiores viduæ diſcunt circumire domos, non tamen piè, ſed otioſè. Et hic eſt primus luxus.

NON SOLVM. Deeſt, *autem*, OTIOSÆ, SED ET VERBOSÆ, pro *nugaces*, ET CVRIOSÆ, LOQVENTES, QVÆ NON OPORTET. Ecce multitudo luxuum in nugis & curioſitate, & (quod peius eſt) in verbis indecentibus: hoc eſt enim vti Chriſto in ſuperfluitatibus.

Verſ. 14. VOLO AVTEM, pro *igitur*, IVNIORES NVBERE. Declarat illam particulam *deuita*: inferendo ad euitandum tum periculum damnationis earum, tum huiuſmodi luxus, quòd non admittantur ad profeſſionem viduitatis, ſed nubant: & hinc, vt dictum eſt, manifeſtè patet quòd licitè nubebant ante profeſſionem viduitatis.

Iuniores viduæ non admittantur ad profeſſionem viduitatis.

FILIOS PROCREARE. Et hinc manifeſtè patet quòd de iunioribus verè iuuenculis loquitur, non de iunioribus, id eſt, minoribus ſexagenariis: nam de illis nō fuiſſet dictū, *filios procreare*.

MATRESFAMILIAS ESSE, pro *familiam adminiſtrare*. Et hoc contra otium & diſcurſum.

NVLLAM OCCASIONEM DARE ADVERSARIO MALEDICTI GRATIA. Dabatur occaſio maledicendi, murmurandi, ac detrahendi, ex diſcurſu iuuencularum viduarum per domos: & propterea ad hoc euitandum dicit quòd tales iuuenculæ nullam occaſionem dent aduerſario

(ſine

(ſiue Gentili, ſiue Chriſtianò aduerſanti) maledicentiæ,

Verſ. 15. IAM ENIM QVÆDAM CONVERSÆ SVNT RETRO. Loco harum trium dictionum (*conuerſæ ſunt retro*) legendum eſt, *Deſluxerunt poſt Satanam.* Ecce effectus manifeſtans non ſolum periculum, ſed caſum quarundam talium, & ſimul occaſionem datam maledicentiæ. Et ex hoc textu apparet quòd ante hanc Pauli inhibitionem admittebantur iuniores viduæ ad profeſſionem vidualem, & ſequebantur huiuſmodi inconuenientia prædicta: quibus cognitis Paulus inhibuit huiuſmodi iuuenculas viduas admitti ad profeſſionem viduitatis.

Iuniorũ profeſſionem vetitam non conducere Eccleſiæ didicit experientiâ D. Paulus.

Didicit ab experientia Paulus non conducere illis iuuenculis viduis, nec conducere Eccleſiæ huiuſmodi profeſſionem. Vtinam hodie diſceremus ab huiuſmodi experientiis, an proſint iuuenilis ætatis vtriuſque ſexus perſonarum ſolemnia vota, tum ſacrorum Ordinum, tum Religionum.

Verſ. 16. SI QVIS FIDELIS. Deſunt hic quatuor dictiones; *Aut ſi qua fidelis* HABET VIDVAS, SVBMINISTRET ILLIS, VT, pro, *&* NON GRAVETVR ECCLESIA: VT IIS QVÆ VERE VIDVÆ SVNT, SVFFICIAT. Hactenus de ſpiritualibus circa viduas locutus fuerat in ſpecie, multa inſtruendo: modò temporalibus ſubuentionibus inſtruit diſtinguendo inter viduas verè *deſolatas*, & verè viduas *non deſolatas.* Et non deſolatas appellat illas quæ habent ſuos iam Chriſtianos, verè autem viduas (hoc eſt, deſolatas) appellat quarum ſui aut non ſunt; aut non ſunt Chriſtiani. Et de illis quidem mandat, vt ſui fideles ſubminiſtrent illis temporalia, & non grauetur Eccleſia in communi pro illis: vt Eccleſia ſufficiat ad ſubueniendum iis quæ verè deſolatæ ſunt. Perpende hinc quòd abſque delectu Eccleſia communis prouidebat viduis indigentibus; & quoniam hóc oneroſum erat Eccleſiæ, ordinat Paulus, vt filij, nepotes, cognati, & huiuſmodi prouideant ſuis viduis; & curæ Eccleſiæ relinquantur ſolæ verè deſolatæ. Et ratio mandati huius eſt: vt ſuauiter continuari poſſit Eccleſiæ communis cura circa viduas.

Verſ. 17. QVI BENE PRÆSVNT PRESBYTERI. Nomen ordinis eſt *presbyteri* hoc in loco. Quod ex eo patet quòd deſcribuntur præeſſe bene: præeſſe enim eſt Epiſcoporum, ſeu ſuperintendentium. Nec dicit *qui præſunt*, ſed *qui bene præſunt.*

Presbyter, nomen Ordinis

Duplex honor in Scripturæ.

DVPLICI HONORE DIGNI HABEANTVR, videlicet reuerentialis officij, & ſubuentionis: hic eſt enim duplex honor in ſcripturis. MAXIME QVI LABORANT IN VERBO ET DOCTRINA. Inter bene præſidentes præferendi ſunt illi qui ſuper officium ſuperintendendi adiungunt laborem in verbo exhortatorio affectus, & in doctrina inſtruente intellectum. Et ad hoc affert authoritatem Scripturæ Deuteron. vigeſimo quinto.

Verſ. 18. DIXIT, pro *dicit.* ENIM SCRIPTVRA: NON ALLIGABIS OS BOVI TRITVRANTI. Nota *trituranti*: quoniam propter hanc particulam affertur authoritas ad eos, qui laborant in verbo & doctrina. ET DIGNVS EST OPERARIVS MERCEDE SVA. Hoc ſcriptum eſt in Euangelio Lucæ decimo. Et ad idem affertur operarius, nó otioſus.

Verſ. 19. ADVERSVS PRESBYTERVM. Conſequenter *presbyteri* nomen non ætatis, ſed ordinis apparet: quoniam de talibus eſt præſens tractatus. ACCVSATIONEM NOLI RECIPERE, pro *non admitte*, NISI SVB DVOBVS, AVT TRIBVS TESTIBVS. Non facile admittendam cenſet accuſationem presbyteri ratione ſtatus: non enim vult vt accuſatione admiſsâ ſubiaceat diſcrimini progreſſus an ſint teſtes ſufficientes, an deficiant teſtes, ſed quòd ipſa accuſatio non admittatur, niſi conſtet de ſufficientibus & idoneis teſtibus. Et hoc eſt priuilegium presbyterorum ex hac Pauli ordinatione.

Accuſatio in Presbyterum nõ facilè admittenda.

PECCANTES CORAM OMNIBVS, ARGVE: VT ET CÆTERI TIMOREM HABEANT. Verſ. 20.
Anceps eſt conſtructio an *coram omnibus* referatur ad *peccantes*, an ad *argue*. Et ſi quidem ad *peccantes* refertur, de punitione peccatorum publicorum Timotheum monet vt peccantes coram omnibus (quorum non oportet accuſationem & teſtes expectare) arguat, puniendo. Et quadrat ratio, vt & cæteri timorem habeant. Si autem refertur ad *argue*, cùm dixiſſet de presbyteris quòd accuſationem aduersùs eos non admittat niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus, conſequenter ſubiungit quòd eos conuictos in peccato, publicè puniat, vt cæteri timorem habeant.

Verum ſi participium *peccantes* ponderatum fuerit, ſola prima lectio quadrare videtur: non enim dicit *eos qui peccauerunt*, ſed *peccantes*, & ideo adiungit *coram omnibus*, ad differentiam peccantis in te, peccantis ſecretò: quem Dominus corrigendum inter te & ipſum præcipit.

TESTOR CORAM DEO ET. Deeſt *Domino*, CHRISTO IESV ET ELECTIS ANGELIS VT HÆC CVSTODIAS. Verſ. 21.
Cerne quanto vinculo aſtringit Timotheum in materia iudicij. SINE PRÆIVDICIO, hoc eſt, ſine anteiudicio, ſine præuio iudicio. Præcipitationem, inconſultationem, indiſcuſſionémque prohibet, præcipit diſcerni prius, examinari, & diſcuti cauſam antequam procedatur ad ſententiam.

Præcipitationẽ in ferenda ſententia prohibet.

NIHIL FACIENS IN ALTERAM PARTEM DECLINANDO. Loco iſtarum quatuor dictionum (*in alteram partem declinando*) legendum eſt, *Per aduocationem.* Ex parte ſui errat ſi procedit abſque præuio iudicio: ex parte autem aliorum errat ſi aliquid facit per aduocationem: hoc eſt, ad inſtantiam aduocati, ad inſtantiam cuiuſcumque fauoris, patrocinij & reliquorum huiuſmodi. Hæc ſunt propter quæ tanto vinculo aſtringit Timotheum in iudiciis.

MANVS CITÒ NEMINI IMPOSVERIS. Circa Verſ. 22.
promotionem Diaconorum & Presbyterorum inſtruit ipſum: fiebat enim per impoſitionem manuum. Et rationem ſubdit, NEQVE COMMVNICAVERIS PECCATIS ALIENIS. Peccata ſiquidem illius communia erunt tibi, ſi minus idoneum promoueris.

TEIPSVM CASTVM CVSTODI, ſic curam gere aliorum, vt non recedas à cuſtodia tui ipſius.

NOLI ADHVC AQVAM BIBERE. Non ſolum ani- Verſ. 23.
mæ, ſed corporis Timothei curam exercet Paulus. SED MODICO VINO VTERE PROPTER STOMACHVM TVVM, ET FREQVENTES TVAS INFIRMITATES. Sententia eſt clara.

QVORVNDAM HOMINVM PECCATA MANIFE- Verſ. 24.
STA, pro *præmanifeſta*, SVNT PRÆCEDENTIA AD IVDICIVM: QVOSDAM AVTEM ET SVBSEQVVNTVR. Dixerat vt nihil faceret in iudiciis ſine

præuio iudicio: ne hæc intelligerentur vniformiter, ſed ſecundùm diuerſitatem materiæ ſubiectæ diuerſimodè ſeruanda, diſtinguit peccata hominum iudicanda dupliciter inueniri, vel ante iudicium manifeſta, vel quorum manifeſtatio ſequitur iudicium. Et eſt ſermo de iudicio diſcuſſionis, ſine quo præceperat nihil fieri, vt ex hoc diuerſo modo manifeſtationis diſcerneret Timotheus diuerſum modum præuij iudicij: nam in iis quæ antequam diſcutiantur manifeſta ſunt, ſolâ notitiâ apud iudicem opus eſt: in aliis autem notitia iudicis pendet ex diſcuſſione præuia. Eſt itaque ordo literæ: Quorundam hominum peccata præcedentia ad iudicium, hoc eſt, quæ iudicanda ſunt præmanifeſta ſunt; antè ſcilicet quàm veniant in iudicium: quodam autem, iudicandos, & ſubſequuntur, ſcilicet peccata quatenus manifeſta. Ita quòd peccata quatenus manifeſta ſubſequuntur iudicium diſcuſſionis.

SIMILITER MANIFESTA, pro *præmanifeſta ſunt*: ET QVÆ ALITER SE HABENT. Superfluit *ſe*.
Verſ. 25 ABSCONDI NON POSSVNT. Dixerat, *nemini cito manum impoſueris*: diſtinguit modò de bonis factis ſicut diſtinxit de peccatis. Et dicit quorundam facta bona præmanifeſta ſunt, antequam homines diſcutiantur: vt intelligat Timotheus quòd in iis qui ſunt notoriè boni quoad facta, non eſt opus diſcuſſione ad hoc vt imponantur eis manus. Quidam autem ſunt qui habent aliter bona: hoc eſt, non notoriè bona habent opera: & hi diſcutiendi ſunt, quoniam latere non poſſunt, ſi diligens adhibeatur diſcuſſio.

Quidam examinandi, quidam non examinandi.

Et intellige ipſos latêre non poſſe regulariter loquendo: communiter enim diligenti diſcuſſione inuenitur veritas talium; contingere tamen poteſt præterregulariter quòd veritas occultaretur. Et propterea circa hos promouêdos vtendũ eſt tarditate, vt veritas inueniatur.

CAPVT VI.

Verſ. 1. QVICVNQVE SVNT SVB IVGO SERVI. De corporaliter ſeruis loquitur. DOMINOS SVOS OMNI HONORE DIGNOS ARBITRENTVR. Et loquitur de dominis etiam paganis: baptiſma enim non abſoluit ſeruos à ſeruitutis corporalis vinculo. Vnde & rationem ſubdit, NE NOMEN DOMINI, pro *Dei*, ET DOCTRINA BLASPHEMETVR. Si ſerui facti Chriſtiani non honorarent dominos ſuos, periculo blaſphemiæ exponeretur tam nomen Dei, quàm doctrina Dei: conquererentur ſiquidem domini de tali doctrina quæ ſubducit ſeruos à debito ſeruitio dominorum: & ſimiliter detraherent tali Deo, cui placent huiuſmodi iniuſtitiæ. Quo contra ſi ſerui Chriſtiani omni honore dignos exiſtimant dominos ſuos, occaſionem dant laudandi nomen & doctrinam Dei Chriſtianorum.

Baptiſmus non abſoluit ſeruos à ſeruitutis corporalis vinculo.

Verſ. 2. QVI AVTEM FIDELES HABENT DOMINOS, NON CONTEMNANT. Supple ipſos dominos. QVIA FRATRES SVNT. In Chriſto. SED MAGIS SERVIANT, QVIA FIDELES SVNT ET DILECTI, QVIA, pro *qui*, BENEFICII SVNT PARTICIPES. Ordo literæ eſt, ſed magis ſeruiant qui beneficij participes ſunt, quia fideles & dilecti ſunt eorum domini. Et eſt ſenſus quòd fraternitas in Chriſto non inducat contemptum dominorum tanquam parium: ſed ſerui qui ſimul cum dominis participes ſunt beneficij diuini, magis ſeruiant dominis, eo quòd non ſolùm domini, ſed fideles ſunt & dilecti à Deo. Et meminit participationis beneficij, vt intelligant ſerui fraternitate non eſſe ſubtractum dominium, ſed conſtitutos eſſe ſeruos & dominos participes diuini beneficij ſpiritualis vitæ: & intelligant augeri debere ſeruitia exhibenda dominis fidelibus, eo ipſo quòd domini aucti ſunt: dum ex dominis effecti ſunt domini fideles & dilecti à Deo. HÆC DOCE ET EXHORTARE. doce neſcientes: ſcientes verò exhortare ad exequendum.

SI QVIS ALITER DOCET. Tanquam in fauorê libertatis. ET NON ACQVIESCIT. pro *accedit*, SANIS SERMONIBVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Et non accedit docendo: explicat enim quid eſt aliter docere. Et appellat *ſermones Domini* ſermones ſanos, quia verè ſunt ſani, non ſolum per elongationem ab omni inſania, ſed per affirmationem veræ ſanitatis mentis. Verſ. 3.

ET EI QVÆ SECVNDVM PIETATEM EST DOCTRINÆ. Sermonibus Chriſti adiungit doctrinam ſecundùm pietatem, ad ſignificandum quòd doctrina veratum virtutum comes eſt ſermonum Chriſti: vt intelligamus quod ſeruos paruifacere dominos ſuos, & aduerſatur ſermonibus Chriſti & doctrinæ pietatis. Sub pietate ſiquidem comprehenduntur in Scriptura omnia officia debita proximis: vt ex eo patet quòd vnicum tantum præceptum officiorum debitorum proximo datum eſt in ſecunda tabula ſub præcipuo pietatis actu qui eſt honorare parentes. Loquitur enim ad literam textus hic de pietate, quæ virtus eſt exhibens cultum & officium parentibus, patriæ, ſanguineiunctis, patriæque beneuolis: extenſa tamen vt dictum eſt ad omnia officia debita proximis.

Pietate in Scriptura omnia officia debita proximis ſignificantur.

SVPERBVS EST, pro *ſuperbiuit*. Si quis aliter docet, &c. ſuperbiuit, iam ex præcedêti ſuperbia aliter docet. NIHIL SCIENS. Superbiuit in affectu, nihil ſcit in intellectu. SED LANGVENS CIRCA QVÆSTIONES ET PVGNAS VERBORVM. Nihil ſcit rei veritatis, ſed eſt ad ſimilitudinem ægrotantis circa inquiſitiones & pugnas verborum: puta quia Chriſtus nos liberauit, habent mentem velut ægrotam ad inquirendam vim vocabuli libertatis: ad diſcernendum pugnam libertatis & ſeruitutis: tanquam non ſtet ſimul libertas, quá Chriſtus nos donauit, cum ſeruitute ciuili. Ex ſuperbia enim talium doctorum prouenit, & quòd nihil ſciunt quoad veritatem rei, & quòd circa inquiſitiones, & pugnas verborum non habent mentem ſanam, ſed ægrotantem: ac per hoc deficientem etiam à veritate circa verba: & propterea omnino nihil ſciunt: quia nec res, nec verba. Verſ. 4.

EX QVIBVS. ſuperbia, quæſtionibus &, pugnis verborum, ORIVNTVR INVIDIÆ. pro, *inuidia*, CONTENTIONES. pro, *contentio*. BLASPHEMIÆ, SVSPICIONES MALÆ,

CONFLICTATIONES. Vide quot mala inde ſequũtur. HOMINVM MENTE CORRVPTORVM, ET QVI VERITATE PRIVATI SVNT, EXISTIMANTIVM Verſ. 5.

TIVM QVÆSTVM ESSE PIETATEM. Dixerat quòd ex his oriuntur tot mala: explicat modo in quibus hominibus ortus horum malorum locum inuenit. Cùm mens ſit incorruptibilis, mente corruptos appellat non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundùm ignorantiam prauæ diſpoſitionis. Vnde affectum huius corruptionis explicat dicendo *a veritate deſtitutorum:* ſunt enim tales velut deſerti à veritate, & rerum & verborum. Et quod in genere dixerat de corruptione mentis, & deſtitutione a veritate, manifeſtat in indiuiduo cùm dicit *exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.* Nunquam Chriſtus docuit diſcipulos ſuos quæſtum, nunquam ordinauit vt quærerent, nunquam vt mendicarent. Paulus mente corruptis & à veritate deſtitutis attribuit doctrinam dicentem quæſtum eſſe pietatem: quæſtus enim eſt aut neceſſitatis aut auaritiæ: nunquam autem pietatis. Et eſt ſermo de quæſtu pro ſe: ſecus autem eſt de quæſtu pro pauperibus in Hieruſalem.

Quæſtum nunquam docuit Chriſtus: quippe quæſtus nūquam eſt pietatis.

Deficiunt in textu Latino tres dictiones iſtæ: *Abſiſtito a talibus.* Non ſolum vitandos, ſed procul eſſe à talibus mandat Paulus.

Verſ. 6. EST AVTEM QVÆSTVS MAGNVS PIETAS CVM SVFFICIENTIA. Illi corruptæ mentis homines exiſtimabant quæſtum temporalium rerum eſſe pium. Paulus e regione docet non ſolum quæſtum, ſed magnum quæſtum eſſe pietatem: quoniam eſt quæſtus magnorum bonorum, eſt quæſtus ſpiritualium, quæ ſola ſunt verè magna bona.

Adiungit autem pietatis ſufficientiam ad eradicandum quæſtum temporalium: vt intelligamus ſufficientiam victus & veſtitus non quæri à pietate, ſed concomitari pietatem. Et verè ſic Dominus ordinauit, vt diſcipuli pietatem exercentes prædicando ſufficientiam haberent, non quærerent: *Edentes*, inquit, *& bibentes quæ apud illos ſunt*, offerri vult pietati, non quæri ab illa.

Verſ. 7. NIHIL ENIM INTVLIMVS IN HVNC MVNDVM. Superfluit *hunc*. HAVD DVBIVM, QVIA. pro, *quod*, NEC AVFERRE ALIQVID POSSVMVS. Declarat comitem pietatis ſufficientiam quæ comprehendat: diſcurrendo ab ingreſſu noſtro in mundum vſque ad egreſſum per mediam vitam. Et quia in ingreſſu nihil facultatum temporalium intulimus, non eſt dubium quòd ſimiliter in egreſſu nihil auferre poſſimus: in vita verò media,

Sufficientia pietatis.

Verſ. 8. HABENTES AVTEM ALIMENTA ET QVIBVS TEGAMVR, HIS CONTENTI SIMVS. pro, *erimus.* Ecce quæ comprehendit ſufficientia: alimenta ſcilicet & tegumenta: quandoquidem his contenti erimus ſecundum neceſſitatem naturæ. Ex hoc enim quòd natura contenta erit in hac vita alimentis & tegumentis, monſtrat has eſſe partes ſufficientiæ quæ eſt comes pietatis.

Verſ. 9. NAM QVI VOLVNT DIVITES FIERI. E regione non contentorum alimentis & tegumentis, locat eos qui volunt diteſcere: & eos pingit ſuis coloribus valde malis. INCIDVNT IN TENTATIONEM. Auaritiæ, fraudis, & huiuſmodi. ET IN LAQVEVM DIABOLI. Superfluit *diaboli*, & præpoſitio *in*. Non ſolum ſuccumbunt tentationi allicientium diuitiarum ad ſuperfluitatem, ſed etiam illaqueantur laqueo penè inſolubili: eo quòd obnoxia reſtitutioni tales nunquam reſtituunt: ſunt enim velut illaqueati affectu rerum.

ET DESIDERIA MVLTA INVTILIA. pro, *irrationabilia.* Et verè ſic eſſe apparet: quoniam in multa incidunt deſideria aliena à recta ratione. Et quod peius eſt, ET NOCIVA. aliis. Hæc enim communiter videntur accidere iis qui volunt diteſcere.

Et bene nota, ne per iſtos intelligas eos, qui pro neceſſitate familiæ ſuæ induſtrias exercent mercaturæ: hi enim non ſunt qui volunt diteſcere, ſed lucrari vt poſſint ſecundum ſtatum proprium viuere filij, &c.

QVÆ DEMERGVNT HOMINES IN INTERITVM. Animę in præſenti. ET PERDITIONEM. in futuro.

RADIX ENIM OMNIVM MALORVM EST CVPIDITAS. pro, *auaritia*, Dictio Græca non eſt nomen cupiditatis in genere, ſed cupiditatis argenti, quam vnico vocabulo *auaritiam* dicimus: quoniam de inordinata cupiditate eſt ſermo. Et hæc metaphoricè dicitur radix malorum omnium, quoniam ex ea pullulant mala omnia. Sex enim genera malorum Paulus iam ſupputauit ex tali radice oriri: incidere in tentationem & laqueum, deſideria multa irrationabilia & nociua, interitum & perditionem. Sub his generibus mala omnia continentur. Verſ. 10.

Cupiditas radix omnium malorum.

QVAM QVIDAM APPETENTES ABERRAVERVNT A FIDE. Manifeſtat ab experientia auaritiam radicem eſſe omnium malorum, vſque adeo vt ſit etiam radix infidelitatis. Vehementer ſiquidem animus affectus diuitiis etiam à fide apoſtatat. ET INSERVERVNT SE DOLORIBVS MVLTIS. Nihil Paulus prætermittit. Declarauit quòd auaritia eſt radix omnium malorum culpæ, ex experientia, quia abducit etiam à fide: declarat modò quòd eſt etiam radix multorum malorum pœnæ in hac vita, dicendo quòd immiſcuerunt ſe doloribus multis. Perturbationes animi quas auari incurrunt, conſtat eſſe multas: quoniam æſtuant continuo appetitu lucri. Et multo plures perturbationes animi incurrunt tales aberrantes à fide: nam non ſolùm perturbantur propter diuitias, modo perditas, modo periclitantes, &c. ſed etiam propter ſynderesim ob fidem relictam.

Auaritia radix etiam infidelitatis.

TV AVTEM Ó HOMO DEI HÆC FVGE. Appellat eum hominem Dei, ad reddendam rationem fugæ, iuxta Chriſti præceptum, non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. SECTARE VERÒ IVSTITIAM, PIETATEM, FIDEM, CHARITATEM, PATIENTIAM, MANSVETVDINEM. Et cur has virtutes ſectari præcipiat ſubiungit ſummando ad duo capita. Verſ. 11.

CERTA BONVM CERTAMEN FIDEI, APPREHENDE VITAM ÆTERNAM. Ad hæc duo reducitur omnis ſequela cuiuſque virtutis. Et primum quidem ſpectat ad viam præſentis vitæ: alterum autem ad terminum eiuſdem. Sectando ſiquidem virtutes, certamus certamen fidei bonum: & in termino apprehendimus vitam æternam, præmium certaminis. Verſ. 12.

IN QVA. pro, *in quam*. Deeſt, & VOCATVS ES. ET CONFESSVS ES BONAM CONFESSIONEM CORAM MVLTIS TESTIBVS. Ne impoſſibile reputaretur tam arduum præmium, dicit, *in quam*, vitam æternam, tum *vocatus es* à Deo, tum tu ipſe *confeſſus es confeſſionem bonam coram multis teſtibus*. Profeſſionem quam facit Epiſcopus

ſuperintendendi aliis, appellat confeſſionem bonam factam coram multis teſtibus: quoniam non ſecretò, ſed palam fit huiuſmodi profeſſio. Et hanc quoque affert factam in vitam æternam. Ita quòd tam ex vocatione Dei, quàm ex profeſſione tua certandum eſt tibi certamen fidei ad apprehendendam vitam æternam.

Verſ. 13. PRÆCIPIO TIBI CORAM DEO. Vinculo vocationis, & propriæ profeſſionis adiungit vinculum præcepti adhibitis teſtibus Deo, & Chriſto. QVI VIVIFICAT OMNIA. Quoniam præcipit omnia ad vitam æternam, ideo Deum inducit quatenus viuificat omnia.

ET CHRISTO IESV, QVI TESTIMONIVM REDDIDIT, pro *teſtatus eſt*, SVB PONTIO PILATO BONAM CONFESSIONEM. Dixerat *& confeſſus es bonam confeſſionem coram multis teſtibus*, & propterea præcipiendo executionem illius affert Chriſtum Ieſum quatenus teſtatus eſt ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem. Facto ſiquidem & verbo Chriſtus bonam confeſſionem teſtatus eſt ſub Pontio Pilato. Verbo quidem teſtatus eſt confeſſionem propriæ innocentiæ, *Non haberes aduerſùm me poteſtatem vllam*, &c. futuræ vitæ, *regnum meum non eſt de hoc mundo*, propriæ deitatis, *Ego ad hoc veni in mundum*, & demum propriæ doctrinæ, *vt teſtimonium perhibeam veritati.* Facto autem, patiendo vſque ad crucem. Vnde verè de ipſo dicitur quòd confeſſionem bonam non ſolùm protulit, ſed & teſtatus eſt, certando facto paſſionis ſuæ, & verbis teſtificando illam.

Bona Chriſti confeſſio ſub Pilato.

Verſ. 14. VT SERVES, pro *ſeruare te*. Ecce actus præcepti. MANDATVM, proculdubio tibi impoſitum in tua profeſſione. Mandatur ſiquidem Epiſcopo, cùm ordinatur vt prædicet populo Dei: ita quòd non ſolum ex profeſſione propria, ſed ex mandato obligatur. Et propterea Paulus dicit, *Præcipio tibi ſeruare te mandatum.* SINE MACVLA, IRREPREHENSIBILE, pro *immaculatum, irreprehenſum*. Et refertur vtrumque ad pronomen *te*. Et eſt ſenſus: præcipio tibi te immaculatum, irreprehenſum ſeruare mandatum. Non ſufficit mihi vt ſerues mandatum, ſed exigo vt immaculatus intus & irreprehenſibilis foris ſerues mandatum. Serues autem non ad diem, aut annum, ſed vſQVE IN ADVENTVM. pro, *apparitionem*, DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. hoc eſt, vſque in finem, rationem habendo apparitionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ad iudicandum omnes & ſcrutandum ſingula hominum opera.

Verſ. 15. QVEM. pro, *quam*. Refert enim apparitionem. SVIS TEMPORIBVS, ſoli Deo notis. OSTENDET BEATVS. Ad apprehenſionem vitæ æternæ inuitans, aptè deſcribit Deum beatum. Rurſus apparitionem Chriſti ad iudicium ad beandum electos deſcribens ab authore Deo, aptiſſime nominat Deum beatum, vt propriam cauſam omnis beatitudinis tangat.

Deus ſolus potens.

ET SOLVS POTENS. Verè ſolus poteſt, cuius poteſtas ad omnia ſe extendit, & à quo omnium poteſtates ſic pendent, vt ſi velit, nihil poſſint. Et vtrumque horum (ſcilicet eſſe beatum & eſſe ſolum potentem) naturale eſt Deo.

REX REGVM. pro, *regnantium*, ET DOMINVS DOMINANTIVM. Vtrumque horum ad gubernationem ſpectat vniuerſi.

QVI SOLVS HABET IMMORTALITATEM. Omnis mutatio, quædam mortis ſpecies eſt: & perinde dictum eſt quod ſolus habet immortalitatem, ac ſi dictum fuiſſet qui ſolus viuit abſque omni mutabilitate: nam omnis creatura quantumcunque immortalis, imò etiam beata, alicui ſubiacet mutationi: nam & de facto motus mentis aliquos habet ſucceſſiue, præter hoc quod mutabilis eſt per potentiam diuinam. Verſ. 16.

Omnis mutatio quædam mortis ſpecies eſt.

ET LVCEM INHABITAT, pro, *inhabitans*, INACCESSABILEM. Superfluit *&*. De luce ſpirituali eſt ſermo. Et diuina ſubſtantia appellatur intelligibilis lux inacceſſibilis, tantæ excellentiæ vt nullus poſſit ad eam accedere. Quemadmodum lux Solis eſt inacceſſibilis relatiuè ad corporea, ita lux diuina eſt inacceſſibilis relatiuè ad totum vniuerſum. Metaphorico autem ſermone dicit quod *inhabitat*: nulla ſiquidem eſt ibi propriè inhabitatio: ſed ad ſimilitudinem habitantis in luce inacceſſibili, excellentiam diuinæ lucis hominibus deſcribit.

QVEM NVLLVS HOMINVM VIDIT: SED NEC VIDERI. pro, *videre*, POTEST. Ex hac ſecunda particula apparet quòd de homine ſecundùm naturæ vires loquitur: nam ſic abſque omni controuerſia verificatur quod nullus hominũ Deum vidit & quod nec videre eum poteſt. Et hoc intellige de videre Deum ſecundum ſeipſum: ad differentiam eius quod eſt videre Deum in alio, ſiue intelligibili, ſiue imaginabili, ſiue ſenſibili: nam ſic Prophetæ viderunt Deum, & Philoſophi & Angeli naturaliter vident Deum.

CVI HONOR ET IMPERIVM SEMPITERNVM, AMEN. Par fuit vt deſcripto Deo ſecundum tot præclaras conditiones, in gratiarum actiones prorumperet, cupiendo exhiberi illi honorem, & aduenire imperium ſempiternum queadmodum in cœlo ita & in terra. Poſſunt tamen & hæc aſſertiuè intelligi, vt etiam deſcribat Deum & honorari & imperare ſempiterno tempore.

DIVITIBVS HVIVS SECVLI PRÆCIPE NON SVBLIME SAPERE. pro, *ſentire*. Neceſſaria monſtrat hæc eſſe dicendo *præcipe*. Et verè primum præceptum negatiuum quo egent diuites, eſt *non altè ſentire*. Diuitias enim magnipendunt ac per hoc efferunt animum magnipendentium illas & poſſidentium. Elata ergo mens primò inhibetur. deinde, NEQVE SPERARE IN INCERTO, pro, *in incertitudine*, DIVITIARVM. Et hoc quoque familiare eſt diuitibus vt confidant in auro. Et verè dicit in incertitudine diuitiarum: quoniam incerta eſt earum ſtabilitas, incertus eſt earum futurus vſus, & incertior fructus. SED IN DEO VIVO, QVI PRÆSTAT NOBIS OMNIA ABVNDE AD FRVENDVM. hoc eſt, ad delectabiliter ſuauiterque vtendum. Et quod dicit *abunde*, intellige quantum eſt ex parte Dei: nam ſecus quandoque accidit ex parte noſtri, vel propter demerita noſtra, vel propter aliquod ſpirituale bonum. Verſ. 17.

Diuites non ſublime ſapiant.

BENE AGERE. Refertur ad *præcipe diuitibus huius ſeculi*. Nec dicit bona, ſed bene agere, vt modum agendi ex parte agentis explicet bonum. DIVITES FIERI IN OPERIBVS BONIS. multiplicando bona opera. FACILE TRIBVERE Verſ. 18.

Diuites ſiant faciles ad tribuendum.

BVERE

BVERE. non ſolùm tribuere, ſed facile. COMMVNICARE. Rationem facile tribuendi explicat adiungendo communicationem. Diuites ſiquidem vtpote abundantes bonis fortunæ, conſiderare debent quòd ideò ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ abundant vt communicent: non enim eis eſt data abundantia vt tot propria retineant, ſed vt propria, quibus abundant, communia efficiant: & propterea faciles debent eſſe ad tribuendum. Et ne hoc reputarent eſſe ſibi damnum, ſubiungit:

Verſ. 19. THESAVRIZARE SIBI FVNDAMENTVM BONVM IN FVTVRVM. Ecce fructus communicandi, ipſum ſiquidem communicare eſt recondere ſibiipſis bonum fundamentum in futurum. Et ad quid ſit hoc fundamentum ſubiungit: VT APPREHENDANT VERAM, pro *æternam* VITAM. Electionis reconditur fundamentum, ſuper quod conſurget aſcenſus ad apprehendendum vitam æternam: hoc eſt enim proprium meritum diuitum, quatenus ſunt diuites.

Verſ. 20. O TIMOTHEE. Ad excitandum Timotheum, adiungit articulum. DEPOSITVM CVSTODI. Commiſſum gregem ſub depoſiti ratione cuſtodiendum mandat: vt etiam de leui culpa teneatur. DEVITANS PROPHANAS VOCVM NOVITATES, pro *inanitates*. Inter alias vigilantias, neceſſarias ad cuſtodiam depoſiti oportet te euitare prophanas vocum inanitates. Inanitates vocum aliæ ſunt prophanæ, hoc eſt, ſacris aduerſæ: aliæ ſunt tanquam indifferentes, vt nugæ, & propterea Paulus addidit prophanas. Oportet ſiquidem Epiſcopum cuſtodire depoſitum ſibi gregem etiam à vanis vocibus ſi prophanæ ſunt: ſi aduersùs ſacras literas ſunt, ſi aduersùs ſacra myſteria ſunt.

Inanitates vocum prophana quenam.

ET OPPOSITIONES FALSI NOMINIS SCIENTIÆ. hoc eſt, falsò nominatæ ſcientiæ. Forte ſcientiam Cabaliſticam appellat falsò nominatam ſcientiam. Verum quamcumque intelligas, perpende ſoliditatem veritatis Euangelicæ: nam non contrariantur ei oppoſitiones cuiuſcumque ſcientiæ, dummodò non falsò nominetur ſcientia: ſed ſolum oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ, aduerſantur veritati Chriſtianæ. Et in promptu ratio eſt: quia verum vero non eſt contrarium. Omnis autem verè nominata ſcientia eſt verorum.

QVAM QVIDAM PROMITTENTES, pro *profitentes*; CIRCA FIDEM EXCIDERVNT, pro *à fide aberrauerunt*. Experientiam affert quò ducit illa falsò nominata ſcientia. Et hinc habemus quòd de quadam certa ſcientia loquitur; alioquin non diceret *quam quidam profitentes à fide aberrauerunt*. Et ſi collegeris hæc omnia (videlicet quòd falsò nominatur ſcientia, quòd complexa eſt à fidelibus cum periculo profitentium illam, ita quòd quidam illam profitentes aberrarunt à fide: & quòd Paulus non dicit illā omninò vitandam, ſed dicit illius vitandas eſſe duas partes, ſcilicet prophanas vacuitates vocum & oppoſitiones ad cuſtodiendum depoſitum gregem) ſuſpicaberis fortè mecum Cabaliſticam pingi ſcientiam. Meæ ſiquidem ſuſpicioni alia non occurrit ſcientia hīs picta coloribus. Verſ. 21.

Cabaliſtica hic pingitur ſcientia.

GRATIA TECVM, AMEN. Hæc eſt ſalutatio manu Pauli.

Et apud Græcos inuenitur ſubſcriptio talis. *Ad Timotheum prima ſcripta Laodiciæ.*

Caietæ die vltimo Martij, 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD TIMOTHEVM POSTERIOREM COMMENTARII.

Verſ. 1. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI, non aliorum Apoſtolorum. PER VOLVNTATEM DEI, non meritis propriis: SECVNDVM PROMISSIONEM VITÆ QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Apoſtolus per voluntatem Dei, non ſecundùm quod diſponit & gubernat naturalem rerum ordinem, ſed ſecundum quod promittit vitam quæ eſt in Chriſto Ieſu, nunc per fidem, poſtremò autem per immortalem gloriam etiam corporis. Materia ſiquidem Apoſtolatus ſignificatur, explicando quòd eſt miſſus per voluntatem Dei quatenus promittit vitam quæ eſt in Chriſto Ieſu. Ad hanc ſiquidem promiſſionem promulgandam, ad illam inuitandum, &c. legatus eſt.

Verſ. 2. TIMOTHEO CHARISSIMO, pro *dilecto* FILIO. per Euangelium. GRATIA ET MISERICORDIA ET PAX. Superfluunt ambæ coniunctiones. Inprecatur non ſolum extrema dona (gratiam & pacem) ſed etiam miſericordiam, donum medium ſummè neceſſarium Prælatis. A DEO PATRE NOSTRO, Superfluit *noſtro*. ET CHRISTO IESV DOMINO NOSTRO. Expoſita ſæpe ſunt hæc.

Verſ. 3. GRATIAS AGO, pro *gratiam habeo*, DEO MEO. Superfluit *meo*. Perfectâ ſalutatione inchoat narrationem a commendatione Timothei. Et commendationem inchoat explicando ſe recognoſcere vt diuinum beneficium quòd aſſiduè eſt memor ipſius Timothei, memor autem in orationibus & in deſiderio videndi ob virtutes eius matris & auiæ. CVI SERVIO A PROGENITORIBVS MEIS IN CONSCIENTIA PVRA. Superfluit *meis*. Et non eſt ſermo de qualicunque ſeruitute, ſed de ſeruitute cultus. Ac ſi diceretur, quem colo non nouitius, ſed à via progenitorum, Abrahæ, Iſaac, Iacob, &c. ſed nec externo tantum honore, ſed in conſcientia pura.

A commendatione Timothei narrationem inchoat.

QVÒD SINE INTERMISSIONE HABEAM TVI MEMORIAM IN ORATIONIBVS MEIS NOCTE AC DIE. Ad orationes refertur aſſiduitas, non ad tempus: hoc eſt, quòd nunquam Paulus orabat abſque admiſta memoria Timothei, ſiue in die, ſiue in nocte,

Verſ. 4. DESIDERANS TE VIDERE, MEMOR LACHRYMARVM TVARVM. Lachrymas fidei fuiſſe has manifeſtant ſubiuncta. Et propterea non immeritò accendebant deſiderium Pauli ad videndum illum. VT GAVDIO IMPLEAR,

Verſ. 5. RECORDATIONEM ACCIPIENS EIVS FIDEI QVÆ IN TE EST NON FICTA: ET QVÆ HABITAVIT PRIMVM IN AVIA TVA LOIDE, ET MATRE TVA EVNICA. PERSVASVM AVTEM HABEO QVÒD ET IN TE. Lachrymæ Timothei accendebant Pauli deſiderium: cauſa autem lachrymarum interna fides Timothei non ficta ab auia & matre profecta, replebat gaudio animum Pauli. Vt patet in Act. Apoſtolorum, Timotheus ex materno genere erat Iudæus. Et propterea Paulus meminit matris & auiæ.

Timotheus ex materno genere erat Iudæus.

Verſ. 6. PROPTER QVAM CAVSAM. fidei in te habitantis. ADMONEO TE VT SVSCITES GRATIAM, pro *donum*. DEI QVOD EST IN TE PER IMPOSITIONEM MANVVM MEARVM. Niſi teporem aliquem in Timotheo Paulus cognouiſſet, non monuiſſet vt ſuſcitaret velut ſopitum ignem donum Dei Epiſcopalis gradus, quod erat datum Timotheo per impoſitionem manuum Pauli, ſicut & hodie datur.

Verſ. 7. NON ENIM DEDIT NOBIS DEVS SPIRITVM TIMORIS, pro *timiditatis*. Inſinuatur hinc cauſa teporis circa curam Epiſcopalem fuiſſe timiditatem quandam. SED VIRTVTIS, pro *potentiæ*, ad fortiter operandum magno animi robore. ET DILECTIONIS. Nihil prodeſſet ſpiritus

tus fortitudinis ad euangelizandum, arguendum, docendum, &c. niſi ſimul eſſet ſpiritus dilectionis impellentis ad operandum. ET SOBRIETATIS. Non eſt ſermo de ſobrietate potus, ſed de ſobrietate doctrinæ: prout ipſemet Paulus dicit in Actis Apoſtolorum ad Feſtum verba ſua eſſe ſobrietatis. Hæc ſunt quæ proponit Paulus tractanda in hac Epiſtola.

Sobrietas doctrinæ non potus.

Verſ. 8. NOLI ITAQVE ERVBESCERE, pro *non igitur erubeſcas*. Incipit tractare propoſita, inchoans ab illa particula, *ſpiritum timiditatis*. Timidi ſiquidem eſt erubeſcere. TESTIMONIVM DOMINI NOSTRI NEQVE ME VINCTVM EIVS. Quamdiu Paulus perſecutiones paſſus eſt à Iudæis, Timotheus non indiguit exhortatione vt liberè teſtificaretur ea quæ ſunt Ieſu Chriſti, & vt Paulo etiam vincto ad inſtantiam Iudæorum adhæreret: ſed vbi Paulus abſolutus a primis vinculis cum quibus miſſus fuerat Romam (vt in calce Epiſtolæ huius explicabitur) iterum vinctus eſt Romæ à Nerone primam contra Chriſtianos perſecutionem mouente, occaſio timendi data eſt Epiſcopis vbique exiſtentibus tum teſtificari ea quæ ſunt Ieſu Chriſti, tum adhærere Paulo. Vnde in calce Epiſtolæ dicet quòd *in prima defenſione nemo mihi affuit*. Et propterea Paulus ſecũdò vinctus in fine vitæ ſuæ & Imperij Neronis, monet Timotheũ, qui poſt prima vincula diſceſſerat ab ipſo miſſus ad Philippenſes, vt illis Paulus in Epiſtola promittit, vt auditis iſtis nouis vinculis, non timeat, non erubeſcat teſtimonium Chriſti crucifixi, neque me vinctum tanquam maleficum. Vtrumque enim erat materia pudendi in conſpectu Gentilium & Iudæorum.

Paulus ſecũdò vinctus ſub Nerone hortatur Timotheum ad conſtantiam.

SED COLLABORA EVANGELIO. hoc eſt, patiendo afflictiones vna mecum incumbe Euãgelio tuendo ac propagando. SECVNDVM VIRTVTEM, pro *potentiam*, DEI. ſcio quòd hoc excedit vires tuas, noui timiditatem tuam: & ideò adiungo ſecundum potentiam Dei quæ tibi non deerit confidenti in illa.

Verſ. 9. QVI NOS LIBERAVIT, pro *ſaluauit*. Ecce ratio non erubeſcendi teſtimonium Domini, beneficium ſaluationis collatum electis. Pronomen ſiquidem *nos*, demonſtrare electos ſubiuncta teſtantur.

ET VOCAVIT VOCATIONE SVA SANCTA. Superfluit *ſua*. Ecce aliud beneficium vocationis non qualicunque vocatione, ſed vocatione ſancta; hoc eſt, munda quantum ad ſtatum ad quem vocauit. Vocauit ſiquidem ad ſtatum munditiæ ab erroribus & peccatis.

NON SECVNDVM OPERA NOSTRA. Ad vtrumque beneficium (ſaluationis & vocationis) refertur quod non noſtris meritis: SED SECVNDVM PROPOSITVM SVVM, ab æterno definitum. Prima radix ſaluationis & vocationis electorum eſt diuina voluntas: qua propoſuit iſtos ſaluare & vocare. ET GRATIAM QVÆ DATA EST NOBIS IN CHRISTO IESV ANTE TEMPORA SECVLARIA: pro *æterna*. Multa ſunt hic myſteria. Dicit in primis, *data eſt nobis ante tempora æterna*. Et propterea quæſtio oritur: cùm omnis diuina ratio, qua Deus dedit nobis aliquid, ſit datio temporalis, quomodo verificatur quòd gratia data eſt nobis ante tempora æterna. Solutio eſt, quòd licet effectus dationis ſit in tempore, ipſa tamen datio quæ eſt actio diuina, quæ eſt eſſentia diuina; eſt æterna ante omnia tempora. Et ex parte actionis dicit Paulus quòd gratia (hoc eſt, gratuita Dei voluntas) data eſt nobis ante tempora æterna. Hanc doctrinam de omni actione diuina nunquam in potentia, ſed ab æterno in actu ex parte actionis, ſi non percipis minus docte in Metaphyſica ſeu Theologia ſpeculatiua, percipe hanc faciliorem. Paulus non ſolum dicens *ſecundum propoſitum*, ſed *gratiam datam ante tempora*, explicauit quòd non ſecundùm quodcunque propoſitum, ſed ſecundùm propoſitum gratuitò (non ex debito) datum nobis ante tempora æterna. Ita quòd *data eſt* non ſignificat actioné tranſeuntem (quia non habet pro materia donum aliquod creatum) ſed ſignificat actionem immanentem: quia habet pro materia gratuitam Dei voluntatem: & quemadmodum ab æterno dilexit nos, ita ab æterno dedit nobis ſuum propoſitum gratuitò. Et ſi hanc rurſus non percipis, intellige gratiam datam nobis ante tempora, datam in prædeſtinatione diuina: quamuis in effectu data ſit in tempore.

Quomodo gratia data eſt nobis ante tempora æterna.

Dicit quoque *ante tempora æterna*. Et habet quæſtionem: tum quia ipſa non fuerunt æterna: tum quia ſi fuiſſent æterna, non datur antè. Solutio eſt, quòd Paulus non dicit tempora æterna à parte antè, ſed abſolutè, quod verificatur in temporibus inchoatis, durantibus in perpetuum: durabunt autem in perpetuum tempora in ſucceſſionibus actionum humanarum. Et hoc ſufficit textui quòd ante tempora data ſit nobis gratia. At ſi quadrare vis omnino textum de temporibus æternis à parte antè, dicito quòd loquitur de temporibus non quæ fuerunt æterna niſi imaginariè, ſed etiamſi fuiſſent æterna. Et verè ante tempora etiamſi fuiſſent æterna, gratia Dei data eſt nobis: quoniam data eſt nobis in æternitate, quæ eſt ante omnia tempora etiam æterna, vt cauſa omnis temporis etiam æterni.

Dicit quoque *in Chriſto Ieſu*. Difficile autem eſt intelligere quo pacto verificatur quòd gratia Dei data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tẽpora æterna: cùm Chriſtus Ieſus nomen ſit hominis, & certum ſit quòd filius Dei non fuit homo ante æterna tempora, ſed *vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum*, &c. Solutio eſt, quòd ſiue *in Chriſto Ieſu* referatur ad gratiam (& ſit ſenſus gratiam in Chriſto Ieſu quæ data eſt nobis) ſiue referatur ad pronomen *nobis* (& ſit ſenſus, nobis non abſolutè, ſed membris Chriſti Ieſu) vtroque modo ſignificatur idem, videlicet modus participandi ſalutem & gratiam diuinæ prædeſtinationis, quod propoſuit Deus gratuitò per Ieſum Chriſtum ſaluare nos, & dedit modis expoſitis ante æterna tempora nobis gratiam tali modo habendam. Cum qua veritate ſtat quòd ſecundum effectum peruenit ad nos hoc beneficium Et hic modus in tempore.

MANIFESTATA EST AVTEM NVNC. Superfluit Verſ. 10.
eſt. PER ILLVMINATIONEM, pro *apparitionem*, SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI, ante tempora, data quidem eſt nobis in Chriſto Ieſu gratia Dei, verùm ab æterno non eſt manifeſtata, ſed manifeſtata eſt nunc in plenitudine temporis per apparitionem in carne

carne prius mortali, & deinde immortali Ieſu Christi. Verè per hanc apparitionem manifeſtata eſt gratuita Dei voluntas ab æterno erga electos, ob quorum ſalutem miſit Deus filium ſuum, &c.

Per Euangelium Christus deſtruxit mortem & illuminauit gratiam.

QVI DESTRVXIT, pro *aboleuit*, QVIDEM MORTEM, ILLVMINAVIT AVTEM VITAM ET INCORRVPTIONEM, pro *incorruptibilitatem*. PER EVANGELIVM. Ab effectibus probat manifeſtam gratiam per apparitionem Ieſu Christi. Alter effectus aboleuiſſe mortem tam animæ quam corporis. Alter in lucem protuliſſe vitam tam animæ, quam corporis & incorruptibilitatem vtriuſque vitæ felicis. Vtrumque autem effecit Ieſus Chriſtus per Euangelium, ſubaudi creditum. Mediante ſiquidem Euangelio credentibus & amplectẽtibus illud, Ieſus obliterauit mortem, & in lucem protulit vitam & incorruptibilitatem, Rectè intellige quòd non eſt hîc ſermo de effectibus paſſionis & reſurrectionis Christi ſecundùm ſe, ſed de applicatione eorumdem ad credentes per Euangelium prædicatum, creditum, ac complexum.

Verſ. 11. IN QVO, pro *in quod* Euangelium. POSITVS SVM EGO. non ego me poſui. PRÆDICATOR, pro *præco*, ad publicandum. ET APOSTOLVS. in ſupremo Eccleſiæ ordine. ET MAGISTER, pro *& doctor*, GENTIVM. Præco & Apoſtolus abſolutè, Doctor verò gentium peculiariter. Propoſuerat, vt non erubeſceret *teſtimonium Domini, neque me vinctum eius*. Et propterea expeditis ſpectantibus ad teſtimonium Domini, tractat modò ſpectantia ad *me vinctum eius*: commemorando, quòd quamuis ſim vinctus, ſum tamen poſitus in Euangelium præco & Apoſtolus ac doctor gentium.

Verſ. 12. OB QVAM CAVSAM. videlicet Euangelij. ETIAM, pro *&*. HÆC PATIOR, ſupple vincula. SED NON CONFVNDOR, pro *erubeſco* vincula & carceres. Multo igitur minus tu debes erubeſcere me vinctum Chriſti.

Euidentem Dei cui credimus notitiam in ſuo raptu habuit Apoſtolus.

SCIO ENIM CVI CREDIDI. Ecce ratio quare non erubeſco vincula propter Euangelium. Et dicit *ſcio*, quia ipſe euidentem habuit notitiam, cùm raptus fuit quòd Deus eſt ille cui credimus. Nos autem quamuis euidentiâ demonſtratiuâ ſciamus Deum eſſe, non tamen euidenter ſcimus quòd ipſe eſt cui credimus, ſed fide tenemus hoc.

ET CERTVS SVM, pro *& perſuaſum habeo*, QVIA, pro *quod*, POTENS EST DEPOSITVM MEVM SERVARE IN ILLVM DIEM. Merita propria tam benè operando quàm malè patiendo appellat depoſitum ſuum apud Deum: vt intelligamus quòd ndn pereunt, non tranſeunt cum tempore actionum & paſſionum, ſed commendantur in depoſitum, non apud hominem, ſed apud Deum potentem ſeruare hæc ad præmiandum illo die quo ipſum iudicabit: vnde merito non erubeſco, ſed continuè augeo depoſitum meum.

Verſ. 13. FORMAM HABE SANORVM VERBORVM: QVÆ A ME AVDISTI IN FIDE ET IN DILECTIONE IN CHRISTO IESV. Poſtquam explicauit quare non debet Timotheus erubeſcere ipſum Paulum vinctum ratione officij, cauſæ, & certi præmii ipſius Pauli, adiungit rationem relatiuè ad ipſum Timotheum quòd inſtructus fuerit à Paulo. De forma itaque exemplari ſeu in exemplum expoſita, dicit: Habeto in vſu, formam ſermonum ſanitatem animi præbentium, quos à me non per ſcripturas didiciſti, ſed audiſti, non in Philoſophia morali, ſed in fide & dilectione in Chriſto. Hæc forma faciet te non erubeſcere teſtimonium Chriſti.

BONVM DEPOSITVM CVSTODI PER SPIRITVM Verſ. 14.
SANCTVM, QVI HABITAT IN NOBIS. Ipſa forma ſanorum verborum quæ audierat à Paulo, &c, appellatur depoſitum bonum. Depoſitum quidem Pauli apud Timotheum: bonum autem Timotheo & aliis Chriſtianis. Hoc, inquam, depoſitum cuſtodi, non per proprium ſpiritum, ſed ſpiritum ſanctum. Curam depoſiti habe, parendo non ſpiritui timiditatis, ſed ſpiritui ſancto, qui non eſt longè à nobis, nec hoſpes in nobis, ſed habitat in nobis electis.

Bonum hoc depoſitum, quodnam?

SCIS ENIM HOC. Superfluit *enim*. Ad exci- Verſ. 15.
tandum Timotheum, vt cuſtodiat depoſitum, ſubiungit & quoſdam profeciſſe in malum, & quoſdam profeciſſe in bonum: vt in illis periculum, in iſtis profectum conſiderando excitetur. QVÒD AVERSI SVNT A ME, pro *auerſati ſunt me*, OMNES QVI IN ASIA SVNT. Superfluit hoc vltimum, *ſunt*. EX QVIBVS EST PHYGELVS ET HERMOGENES. Ordo literæ eſt quòd auerſati ſunt me Romæ omnes qui in Aſia quoque auerſati fuerant me. Et dicit *ſcis*, quia commemorat id quod Timotheo notum erat, videlicet quòd quemadmodum in Aſia minore iſti Paulum aſpernati fuerant, ita & Romæ, de malo in peius procedentes. De quorum numero duos tantum nominat.

DET MISERICORDIAM DOMINVS ONESI- Verſ. 16.
PHORI DOMVI. Ecce proficiens Oneſiphorus & gratus. Paulus non orat pro Oneſiphoro tantùm, ſed pro vniuerſa illius familia. QVIA SÆPE. non ſemel aut bis. ME REFRIGERAVIT, pro *refocillauit* ſecundùm corpus. ET CATENAM MEAM NON ERVBVIT. Hoc eſt quod præcipuè intendit Paulus ſignificare Timotheo, vt ab exemplo animoſior reddatur ad non erubeſcendum ipſum vinctum. SED CVM ROMAM VENISSET, pro cùm *Romæ eſſet*, SOLICITE, pro *ſtudioſius*, ME QVÆSIVIT ET INVENIT. Quod longè propenſioris animi fuit, quàm ſi me caſu repertum cum catena non erubuiſſet.

DET ILLI DOMINVS INVENIRE MISERICOR- Verſ. 1-
DIAM A DOMINO, pro *apud Dominum*, IN ILLA DIE. Ratione huius maioris officij orat pro æterna retributione in die iudicij.

ET QVANTA, pro *& quæ*. EPHESI MINISTRA- Verſ. 18.
VIT MIHI TV MELIVS NOSTI. Vt credat Timotheus hæc Oneſiphori officia erga Paulum Romæ, commemorat Epheſina nota Timotheo: vt & hinc profectus Oneſiphori innoteſcat & trahat exemplo.

CAPVT II.

TV ERGO FILI MI CONFORTARE, Verſ. 1.
pro *inualeſce*, IN GRATIA QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Tractat illam particulam, *ſed ſpiritum potentiæ*. Propoſuerat enim quòd non dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, ſed potentiæ:

tiæ Vnde & à robore incipit, inferendo ex dictis, *Tu ergo inualeſce*, non in propriis viribus, ſed in gratia quæ ſecundum ſeipſam eſt data, nutrita, & aucta fide Chriſti Ieſu.

Verſ. 2. Et qvæ avdisti a me. Duo exigit ſpectantia ad ſpiritum potentiæ Euangelicæ. Alterum quòd inualeſcat in gratia Chriſti: alterum quòd aſſeiſcat ad officium Euangelicum alios. Euangelicos ſiquidem ſermones ſignificat dicendo, & *quæ audiſti a me*.

Per mvltos testes hoc commenda. In calce præcedentis Epiſtolæ dicitur Timotheo, & *confeſſus es bonam confeſſionem coram multis teſtibus*. Quod itaque ſeruatum eſt in promotione Timothei, idem ſeruandum à Timotheo ſtatuit in promotione aliorum. Ita quòd modò explicat modum commendandi, qui prius explicauerat rem commendandam: videlicet *quæ audiſti a me*. Et tertiò ſubiungit quibus commendandum eſt. Fidelibvs hominibvs qvi idonei ervnt et alios docere. Fidelitas voluntatis eſt, virtus ad non fallendum: idoneitas verò ad docendum alios, intellectiuæ partis eſt ſimul & executiuæ, puta linguæ expeditæ & huiuſmodi.

Verſ. 3. Labora, pro *tu igitur fatigare*. Præceperat primum, *tu ergo fili mi inualeſce in gratia*. Hoc præceptum proſequitur explicando potentiam ad ſufferendum afflictiones occurrentes propter militiam Euangelicam. Sicvt bonvs miles Christi Iesv. pugnando, tuendo, expugnando.

Verſ. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis secvlaribvs. Superfluit *Deo*. & legendum eſt, *Nemo militans implicatur negotiationibus vitæ*. Quia dixerat, ſicut bonus miles Chriſti, affert conditionem militum, in qua vult Chriſti militem aſſimilari armatæ militiæ. Et de militibus armatæ militiæ refert, *nemo militans implicatur negotiationibus vitæ*: Prohibitæ ſunt enim negotiationes militibus, vt ſe totos expeditos militiæ dedant. Et hinc præcipit Paulus vt Chriſti milites proportionaliter ſe totos dedant militiæ Euangelicæ, alieni ab omni ſolicitudine temporalium, etiam propriæ vitæ, famæ, &c. Vt ei placeat qvi se probavit, pro *qui ipſum ad militiam elegit*. Hæc enim eſt communis militaribus animis ratio bene militandi.

Verſ. 5. Nam et qvi certat in agone, pro *ſi autem & certat quiſpiam*, non coronabitvr, pro *coronatur*, nisi legitime certaverit. Dixerat, *ſicut bonus miles*, & explicauit quoad partes negatiuas ex ſimilitudine militum: modo explicat quoad partes affirmatiuas ex alia ſimilitudine. Prius indecentes occupationes abſtulit, modo actiones legitimas attrait exemplo certantium ſingularium, puta athletarum. Nulli enim certanti datur corona laurea, aut quæuis alia, niſi certamen eius legi ſtatutæ conforme approbatum fuerit: vt hinc intelligamus nullum ex certamine Euangelico coronandum, niſi certatio fuerit legitima, ſecundum legem Euangelicam. *Legitimè certanti datur corona.*

Verſ. 6. Laborantem agricolam oportet primvm de frvctibvs percipere. Tertia eſt hæc ſimilitudo agricolæ primitias fructuum ex culto agro iuſtitia fouente percipientis: vt intelligamus quòd in agro Euangelico laborantem exterioribus officiis colendo mentes hominum, primitias fructuum ſpiritualium & temporalium hîc; & æternorum in futura vita percepturum neceſſitate iuſtitiæ.

Intellige qvæ dico. Tres has ſimilitudi- Verſ. 7.
nes non applicauerat: & propterea dicit, *intellige quæ dico*. Dabit, pro *det*. enim tibi Dominvs in omnibvs intellectvm. Imprecantis ſeu potius orantis pro Timotheo eſt, vt Deus det illi intellectum non ſolùm in iſtis, ſed in omnibus. Et coniunctio *enim*, vſurpatur ad ſignificandum, quia oratio ſupplebit vt intelligas, & hæc quæ dixi & alia.

Memor eſto Dominum Ieſum Chri- Verſ. 8.
ſtum reſurrrexiſſe à mortuis, ex ſemine Dauid ſecundùm Euangelium meum. Superfluit *Dominum*. Præceperat, tu ergo fili mi inualeſce in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu, & declarauit *inualeſce*: declarat modò gratiam quæ eſt in Chriſto Ieſu, inchoans ab ipſo Ieſu, & deriuans eam ad membra. Et eſt ordo literæ, Ieſum Chriſtum ex ſemine Dauid reſurrexiſſe ex mortuis. Meminit originis Dauidicæ, vt naturam carnis ſecundùm quam reſurrexit, & prophetias Teſtamenti veteris promittentes Meſſiam ex ſemine Dauid vnico complectatur vocabulo. Quod autem dicit, *ſecundum Euangelium meum*, refertur ad *memento*, reuoca ad memoriam quod meo Euangelio didiciſti. Et ſimul conſonantiam Prophetarum & Euangelij ſignificat. Et dicit *meum*, non mei ſolius, non cuius ego ſum author, ſed mihi commiſſi ad prædicandum, tuendum, &c.

In qvo laboro. afflictiones ſuſtinendo. Verſ. 9.
Vsqve ad vincvla. incluſiuè. Qvasi male operans, pro *maleficus*. Vinctus erat Paulus impoſito ei titulo malefici. Vnde & Suetonius in vita Neronis dicit: Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac maleficæ. Mirum autem eſt cur Paulum aliosque tam optimis moribus præditos Chriſtianos appellauerit maleficos: cùm conſtet omne maleficij genus execrari à Chriſtiana religione: nec ſcio colorem aliquem huius tituli, niſi fortè maleficos appellarint quia miracula faciebant quæ magicis artibus imputabant. *Vinctus erat D. Paulus ob impoſitum maleficij crimen.*

Sed verbum Dei non eſt alligatum. Quamuis ego ſim aſtrictus vinculis, verbum tamen Dei (Euangelium ſcilicet) non eſt aſtrictum vinculis, ſed inter mea vincula ſolùm perſeuerat: quoniam non deſiſto, tum verbis, tum epiſtolis, tum factis euangelizare Chriſtum.

Ideò omnia ſuſtineo propter electos. Verſ. 10.
hoc eſt, ne verbum Dei alligetur, ſuſtineo omnia euangelizando, ſuſtinentia omnium propter electos. Mea fortitudo in ſuſtinendo, ad hoc ordinatur vt verbum Euangelicum liberum apud alios ſit propter ſalutem non omnium, ſed electorum. Vt et ipsi salvtem conseqvantvr qvæ est in Christo Iesv, cvm gloria cœlesti, pro *æterna*. Quid ſtulte diſputas de operibus neceſſariis ad ſalutem electorum, ecce Paulus ad hoc ſe ſuſtinere omnia dicit propter electos, vt vnà ſecum electi ſalutem conſequantur æternam. *Opera ad ſalutem neceſſaria.*

Fidelis sermo. Gratiam immortalitatis in Verſ. 11.
Chriſto, iam per reſurrectionem habitam & habendam ab illius membris expoſuerat: expoſiturus

poſitumus verò modum conſequendi præmittit. *Fidelis*, hoc eſt, verax & conſonus Chriſto, ſermo. NAM SI COMMORTVI SVMVS. proculdubio Ieſu Chriſto qui mortuus fuit. ET CONVIVEMVS. cum ipſo qui reſurrexit & viuit vitâ immortali, ſicut Chriſtus mortuus fuit vitæ tranſitoriæ. Et verbum *ſumus*. præſens quidem tempus deſignat, ſed præſens huius vitæ, nam ſenſus eſt: ſi in hac vita commorimur corpore propter Chriſtum, conuiuemus in alia vita cum ipſo vita immortali.

Verſ. 12. SI SVSTINEBIMVS, pro *ſuſtinemus*. Præſentis ſiquidem temporis eſt: & atteſtatur quòd in toto hoc ſermone Paulus vtitur præſentibus extenſis ad præſens totius vitæ vſque ad vltimum. Alioquin non eſſent veræ conditionales. ET CORREGNABIMVS. Niſi quis ſuſtinuerit vſque in finem; hic non corregnabit in futuro cum Chriſto. Conſidera appropriationes: ſi commorimur, conuiuemus: ſi ſuſtinemus, corregnabimus ſicut vitam morti, ita regnum tolerantiæ appropriat. SI NEGAVERIMVS, pro *negamus*, cum coram hominibus, ET ILLE NEGABIT NOS. coram Angelis Dei & vniuerſo mundo.

Verſ. 13. SI NON CREDIMVS, interna fide. ILLE FIDELIS PERMANET. In comminatis ſuppliciis. NEGARI SEIPSVM NON POTEST. Quemadmodum Deus non poteſt peccare, & tamen eſt omnipotens (quia poſſe peccare non eſt poſſe, ſed defectus potentiæ) ita cum eiuſdem omnipotentia ſtat quòd negare ſeipſum non poteſt: quia poſſe negare ſeipſum non eſt poſſe, ſed defectus potentiæ. Eſt enim mutabilitatis. Omnis enim qui poteſt negare ſeipſum eſt mutabilis à prima deliberatione in alteram. Puniet ergo incredulos vt decreuit.

Poſſe peccare non eſt poſſe, ſed defectus potentia.

Verſ. 14. HÆC COMMONE. Cùm declarauit, *Tu ergo fili mi inualeſce in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu*, proſequitur modò reliquam præcepti partem, *& quæ audiſti à me commenda per multos teſtes fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere*: præcipiendo vt admoneat illos hæc Chriſti & membrorum eius.

TESTIFICANS CORAM Deo, pro *Domino*, hoc ſubiunctum præceptum. Non ſufficit Paulo vt coram multis hominibus teſtibus, ſed exigit vt etiam coram Deo (qui intuetur cor & videt ex corde officium exerceri) Timotheus teſtificetur ſubiunctum præceptum.

NOLI CONTENDERE VERBIS, pro *non pugnare verbis*. Hoc eſt præceptum à te teſtificandum aliis quos aſciueris ad euangelizandum, non pugnare verbis, ſed doctrina. Et rationem ſubdit ex conditionibus pugnæ verborum.

AD NIHIL ENIM VTILE EST NISI AD SVBVERSIONEM AVDIENTIVM, pro *ad nihil vtile, quam ad ſubuerſionem audientium*. Exaggeratio eſt conditionum pugnæ verbalis. Et verè experimur quòd in materia Euangelicâ pugnare verbis ad nihil eſt vtile, & auditorum mentes ſubuertit non penetrantium veritatem.

Pugnare verbis ad nihil vtile.

Verſ. 15. SOLICITE AVTEM CVRA, Loco harum trium dictionum vnica eſt: *Stude* TEIPSVM PROBABILEM EXHIBERE Deo. Tractat illam particulam in principio propoſitam, *ſed ſpiritum dilectionis*, proculdubio diuinæ. Vnde & relatiuè ad Deum inchoans proſecutionem illius, ſtude, inquit, exhibere teipſum Deo dignum approbatione, quod conſtat ſolo dilectionis ſpiritu fieri. Nam ſoli diligentes Deum digni ſunt approbatione diuina.

OPERARIVM INCONFVSIBILEM, pro *non erubeſcentem*. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis: intus oportet eſſe probabilem Deo: foris autem oportet eſſe operarium eorum, quæ in Euangelio mandantur: operarium autem non erubeſcentem ignominias, vincula, & reliquas vilitates crucis Chriſti.

RECTE TRACTANTEM VERBVM VERITATIS. Ad ſimilitudinem ſecantium ligna ſecundùm lineam rectam, dicit rectè ſecantem verbum veritatis. Non ſufficit Paſtorem Eccleſiæ probatum eſſe intus, & foris operarium abſque erubeſcentia, ſed oportet tertiò vt verbum Euangelicæ veritatis abſque obliquitate aliqua diſtribuat auditoribus, non declinando ad dexteram vel ad ſiniſtram. Et meritò: nam veritas in medio eſt, & tam hinc quàm ad falſum, ad inconueniens, ſeu abſurdum declinatur. Tria hæc præcepit pro ſpiritu dilectionis, & ſingula proſequitur ordine retrogrado, inchoat enim ſtatim ab vltimo ſubiungendo,

Veritas eſt in medio.

PROPHANA AVTEM ET VANILOQVIA DEVITA. Superfluit &, nec vaniloquia, ſed inaniloquia ſignificantur: quæ in calce præcedentis Epiſtolæ vocum inanitates appellantur. Idem ſiquidem præceptum repetit mandando vt euitet prophana inaniloquia. Sunt ſiquidem inaniloquia vitanda (vtpote otioſa) ſed cùm ſunt prophana, procul abiicienda. Et dixit hoc ad proſequendum tertium propoſitum, ſcilicet rectè tractantem verbum veritatis. Inſtituit ſiquidem quòd ad rectè tractare verbum veritatis ſpectat euitare prophana inaniloquia. Et hoc ab effectu explicat ſubiungendo, Verſ. 16.

MVLTVM, pro *amplius*, ENIM PROFICIVNT, pro *proficient*. AD IMPIETATEM. Inaniloquia contraria ſacris dogmatibus non ſiſtunt in inani, ſed magis proficient in animis auditorum ad impietatem fouendam, tanquam vana ſit pietas Euangelica.

ET SERMO EORVM VT CANCER SERPIT, pro *pabulum habebit*. Aſſimilat ſermonem horum morbo cancri, qui paſcitur in carne vlcerata, vt intelligamus horum ſermonem vbi auditores inuenerit, paſci in vulneratis animis. Et hinc apparet quòd de quadam certa ſecta doctorum inanitates vocum prophanas docentium loquitur. Quod etiam apparet ex repetita Pauli monitione: nam & in priore Epiſtola idem monuit Timotheum. Verſ. 17.

Sermo malus vt cancer ſerpit.

EX QVIBVS. doctoribus & ſectatoribus prophanatū inanitatum vocum. EST HYMENÆVS ET PHYLETVS. Si nouiſſemus nos iſtos ſicut nouerat illos Timotheus, intelligeremus de qua ſecta Paulus loquitur,

QVI A VERITATE EXCIDERVNT, pro *aberrauerunt*. Chriſtiani igitur erant iſti. Vide quò ducit prophanum inaniloquium: & hinc perpende quantum aduerſetur veritati. DICENTES RESVRRECTIONEM IAM ESSE FACTAM. Quia doctores erant iſti inanium vocum, ideò eorum argumenta tanquam innixa inaniloquio tacet Paulus. Verſ. 18.

ET SVBVERTERVNT QVORVNDAM FIDEM. Ecce longè peius. Tolerabilis magis erat profectus impietatis: ſed intolerabilis omnino eſt ſubuerſio vſque ad fundamentum, quod eſt fidei.

SED

Verſ. 19. SED FIRMVM FVNDAMENTVM DEI STAT, pro *Chriſti ſtetit*: Quamuis in quibuſdam euerſum ſit fundamentum, non tamen propterea putes firmum Chriſti fundamentum euerſum. Fundamentum ſiquidem infirmum euerſum eſt: firmum autem fundamentum à Chriſto firmatum (quod eſt non ad tempus, ſed ſimpliciter & abſolutè Chriſti) non eſt euerſum, ſed ſtetit in ſua ſoliditate.

HABENS SIGNACVLVM HOC: COGNOVIT DOMINVS QVI SVNT EIVS, pro *ſui*. Aduerte (vt penetres doctrinam hanc) quòd in humanis id, quòd ſparſim inuenitur in multis diuerſarum nationum & locorum, quamuis deſinat eſſe apud quoſdam, remanet apud alios: verùm & contingere poſſet quòd deſineret apud omnes, & remanendo incerti ſunt illi, apud quos remanebit. In fide autem Chriſti ſparſa iam Pauli tempore per multas nationes & loca innumera, intendit Paulus docere non ſic eſſe: ſed quamuis aliquorum fides ſubuertatur, nec poteſt in omnibus ſubuerti, nec incerti ſunt apud quos fides remanet: quoniam firmum Chriſti fundamentum fidei non ſubuertitur. Et ſi quæris qui ſunt illi homines, in quibus eſt firmum fundamentum Chriſti, reſpondet quòd ſunt illi in quibus fides inuenitur cum hoc ſignaculo: videlicet, *nouit Dominus qui ſui ſunt*. Sunt illi homines qui ſunt inſigniti notitiâ Dei tanquam ſtigmate quòd ſunt Dei: ſicut equi, boues & oues ſignum impreſſum habent quòd ſunt talis domini. Et bene nota quòd non habent ſignaculum inhærens: nam notitia diuina nihil ponit in rebus notis: ſed eſt ſignum diſtinguens illos qui ſunt Dei, ab illis qui non ſunt Dei. Vnde patet quòd noti & certi ſunt apud Deum (quamuis non apud homines) illi in quibus eſt firmum Chriſti fundamentum: ac per hoc impoſſibile eſt deficere fidem in omnibus, & non in incerto periclitatur.

In quibusnā hominibus eſt firmum fundamentum Chriſti.

ET DISCEDAT AB INIQVITATE OMNIS QVI INVOCAT, pro *nominat*, NOMEN DOMINI. Ne certitudo ſignatorum hominum diuina notitiâ, occaſio fieret negligendi ſtudium fugiendi mala & proſequendi bona, adiungit alteram ſignaculi partem. Prima namque ſignaculi pars ex parte ſe tenet diuinæ notitiæ: hæc autem ex parte liberi arbitrij: vt non ſolùm apud Deum, ſed apud homines ſaltem ſemetipſum, cuiuſque ſignaculum notum ſit per elongationem ab iniquitate cum profeſſione nominis Domini Ieſu. Hoc eſt fundamentum Chriſti firmum ſignatum in hominibus: aduerſus quod non præualent hæreſes.

Verſ. 20. IN MAGNA AVTEM DOMO NON SOLVM SVNT VASA AVREA ET ARGENTEA, SED ET LIGNEA ET FICTILIA. pro, *teſtacea*. Dixerat quoſdam à fide aberraſſe, & quorundam fidem ſubuertiſſe: ne mireris cur Deus in domo ſuæ Eccleſiæ habet quoſdam infirmos & quoſdam firmos, rationem affert ab exemplo magnæ domus, vt diuinæ prouidentiæ ratio ex ipſa ſimilitudine innoteſcat. Et accommodum attulit exemplum: nam Eccleſia, magna domus eſt: & firmi ſunt velut vaſa aurea & argentea: infirmi verò velut vaſa lignea & teſtacea.

In domo Dei ſunt firmi & infirmi.

ET QVÆDAM QVIDEM IN HONOREM, QVÆDAM AVTEM IN CONTVMELIAM. Ab hinc incipit proſequi ſecundum præceptum, *operarium non erubeſcentem*. Dedecus enim & ignominia materia eſt erubeſcentiæ. Prior differentia attenditur penès materiam: hæc autem penes vſum. Et in vaſe quidem neutra differentia imputatur vaſis: ſed illis conuenit ex materia vel artifice qui effecit vnum vas in vſum decorum, alterum in vſum ſordidum: in Chriſtianis autem prima differentia penès Chriſti donum maius vel minus participatum attenditur: altera penès liberum arbitrium, cuius eſt vti, attenditur. Ex meo ſiquidem libero eſt arbitrio quod ego vtar meipſo in officiis turpibus, dedecentibus, ignominioſis. Vnde & ſubdit,

SI QVIS ERGO EMVNDAVERIT SEIPSVM AB ISTIS. Verſ. 21. proculdubio infidelitatibus, prophanis inaniloquiis, & huiuſmodi. Et niſi hoc ſpectaret ad liberum arbitrium, non dixiſſet, ſi quis ergo emundauerit ſe ab iſtis. Et vtitur illationis notâ, quoniam hoc dicit ſpectans ad prius præceptum, *ſtude teipſum exhibere Deo operarium abſque erubeſcentia*. Monſtrat ſiquidem modò hoc eſſe in facultate ſtudij noſtri concurrente diuinâ gratiâ. Et ſimul declarat alteram ſignaculi partem: videlicet *vt diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*.

ERIT VAS IN HONOREM SANCTIFICATVM, ET VTILE DOMINO, AD OMNE OPVS BONVM PARATVM. Superfluit &c. Cerne fructum mundantis ſeipſum. Erit, inquit, vas in honorem: ergo à noſtro libero arbitrio dependet vſus vaſis in honorem vel ignominiam. Et ne ambigas quòd de vaſe contumeliæ transfertur in vas honoris, ſubiungit *ſanctificatum*, hoc eſt mundificatum. Et rationem honorabilis vſus explicando dicit, vtile Domino: non in ſeipſo Domino, ſed ad ipſius Domini gloriam. Vnde vtilitatis ratio ſubditur, *ad omne opus bonum paratum*. Participium eſt *paratum*. Significatur enim quòd per huiuſmodi munditiam redditur vas præparatum ad omne, non aliquod opus bonum neceſſarium ad ſalutem æternam.

Qui mundauerit ſe, erit vas in honorem.

IVVENILIA AVTEM DESIDERIA FVGE. Verſ. 22. Reſtabat proſequi primò præceptum, *ſtude teipſum probabilem exhibere Deo*. Et hoc modò proſequitur, monſtrando tum negatiua, tum affirmatiua opportuna ad hoc. Et negatiua quidem vnico comprehendit nomine iuuenilium affectuum. Et hos non vitandos, ſed fugiendos mandat: quoniam illos qui prope ſunt alliciunt, trahunt. Vigent ſiquidem in iuuenibus perturbationes animi, quas paſſiones vocamus.

SECTARE VERÒ IVSTITIAM. reddendo vnicuique quod debetur illi. FIDEM. Ieſu Chriſti: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. SPEM, CHARITATEM. Superfluit *ſpem*. Tertio ſiquidem loco dilectionem nominat, proculdubio ad omnes. Hæc enim dilectio Chriſtiana eſt.

ET PACEM. Superfluit &c. Pax quæ tranquillitas eſt ordinis quarto loco nominatur. Verùm limitatur pax CVM IIS QVI INVOCANT DOMINVM DE PVRO CORDE. Nolo te habere pacē cum Hymenæo & Phileto & reliquis inimicis veritatis, ſed cū inuocantibus Dominū Ieſum non verbo, ſed de puro corde. Poteſt nihilominus hęc particula referri nó ad *pacē*, ſed ad *ſectare*: vt conſectatores hęc intelligamus deſcriptos

illos qui inuocant Dominum ex corde puro.

Verſ. 23. Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita. Tractat illam particulam in principio propoſitam, *ſed ſpiritum ſobrietatis.* Aduerſus ſobrietatem ſiquidem doctrinæ militant ſtultæ & ineruditæ quæſtiones. Et dicit ſtultas per priuationem rationis quærendi: indiſciplinatas verò ſeu ineruditas per priuationem rationis quæſitæ. Stulta quæſtio eſt quæ non habet rationabilem cauſam dubitandi: vt ſi in quæſtionem vertantur ea quæ ſunt per ſe nota. Et ſimiliter ſi inter fideles vertatur in quæſtionem Deum eſſe, aut Beatam Virginem concepiſſe & peperiſſe, & ſimilia quæ ſut in fide vt principia per ſe nota. Inerudita verò quæſtio eſt, ſi quæratur ratio euidens eorum quæ credimus, & non ſufficiat authoritas diuinæ ſcripturæ: quemadmodum ſi in ſcientificis quæratur ratio demonſtratiua eorum quæ ſunt probabilia. Vtraſque quæſtiones Paulus reiiciendas mandat.

Stulta quæſtiones vitanda.

Sciens qvòd generant lites. pro, *pugnas.* Ecce ratio reſpuendi vtrumque quæſtionis genus, ab effectu pugnæ quæ ex his gignitur.

Verſ. 24. Seruum autẽ Dei non oportet litigare. pro, *pugnare.* De pugna verborum eſt ſermo. Huiuſmodi quæſtiones ſecundum ſe ſunt ſtultæ aut ineruditæ, ſecundùm effectum ſunt pugnaces, ſecundum ſubiectum ſunt dedecentes. Nam dedecet Dei ſeruum pugnare verbis: cùm debeat pugnare virtutibus & doctrina. Vnde de pugna virtutum ſubdit.

Sed mansvetvm. pro, *mitem.* qui præſtat manſueto. Esse. non apparere. Ad omnes. non ad aliquem, ne diceres quod ad iſtos mouentes ſtultas quæſtiones non oportet eſſe mitem. Quoad pugnam verò doctrinæ ſubdit: Docibilem. Et ſumitur actiuè: hoc eſt, potentem ad docendum. Patientem

Verſ. 25. Cvm modestia. pro, *manſuetudine*, corripientem eos qvi resistvnt veritati. Superfluit *veritati.* Poteſt patientia iungi & cum præcedenti particula, dicendo, docibilem patientem, ad tollendam impatientiam à Doctore Catholico. Poteſt & iungi cum *corripientem*, vt officio correptionis adiungantur comites patientia & manſuetudo. Illa, qua toleret mala qui corripit alios: intolerantia ſiquidem malorum, tollit ſpatium pœnitendi. Iſta, qua itam moderetur vt correptio habilis reddatur ad hoc vt ſuſcipiatur ab iis qui corripiuntur eo quòd reſiſtunt ſanæ doctrinæ.

Correptionem comitentur patientia & manſuetudo.

Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem. Non prohibentis ſed dubitantis aduerbium eſt *ne*; hoc in loco: perinde ac diceretur, ſi quando. Hic eſt finis moderatæ correptionis.

Verſ. 26. Et reſipiſcant à diaboli laqueis, pro *laqueo.* Pœnitentia quam dat Deus non ſiſtit in intellectu, non in cognitione veritatis: ſed extendit ſe ad voluntatem ac effectum; vt veritate cognita reſipiſcant ab oppreſſione & vinculo diaboli.

A qvo captivi tenentvr ad ipsivs volvntatem. Græcus ſermo plus ſignificat: nam ſignificat captiuos viuos teneri. Quod in Latino ſubintelligitur: nam propriè loquendo ſoli viui tenentur captiui. Timenda valde ſententia quod ad nutum diaboli aliqui in hac vita tenentur captiui ab eo: hoc enim eſt captiuos eſſe ad ſeruiendum diabolo. Quod verum eſt pro quanto non eſt in poteſtate hominis qui iam ſe ſubdidit diabolo per mortale peccatum, liberare ſe ab huiuſmodi ſeruitute, ſed oportet ipſum obſequi diabolo ad ipſius voluntatem, peccando. Et propterea dixit, *ſi quando det Deus illis pœnitentiam*: & non dixit, *ſi quando ipſos pœniteat.* Diuinæ ſiquidem gratiæ donum eſt pœnitentia in remiſſionem peccati. Hinc habes Theologe à Paulo Apoſtolo ſententiam illam Gregorianam, *Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, ſuo pondere ad aliud trahit.* S. Grego:

CAPVT IV.

Verſ. 1. Hoc avtem scito. Dixerat eos qui reſiſtunt: modò reſiſtentes deſcribit. Qvia, pro *quod*, in novissimis diebvs instabvnt tempora pericvlosa. Noli putare hàc ætate noſtrâ reſiſtentes veritati & correptionibus ac doctrinis exterminandos: ſed ſcito quòd in peius proceditur, vſque adeò quòd in nouiſſimis prope finem huius mundi diebus erunt tempora difficilia plena periculorum.

Et, pro *nam*, ervnt homines seipsos amantes. Non computat inter vitia naturalem ſuiipſius amorem (de quo alibi ſcripſit, *nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*) ſed ſolius ſuiipſius amorem: vtpote excludentem amorem & erga Deum, & erga alios homines. Verſ. 2.

Cvpidi, pro *pecuniæ auidi.* Auaritia enim ex ſui amore naſcitur.

Elati, pro *iactabundi.* Nec minus gloriatio inde oritur.

Svperbi. Hæc velut truncus arboris ex illa proprij amoris radice prodiit.

Blasphemi aduerſus honorem diuinum.

Parentibvs non obedientes. non ſolùm Deum quem non vident, ſed parentes, quos cernunt, deſpiciunt. Ingrati. beneficiis. Scelesti. promiſcuè.

Sine affectionb. ad coniunctos. Sine pace, pro *fœdere* ad confœderatos. Criminatores, pro *calumniatores innocentum.* Incontinentes, iræ. Immites, infirmis. Sine benignitate, pro *non amici bonis hominibus.* Verſ. 3.

Proditores protervi. pro, *præcipites* ſine conſilio operantes.. Tvmidi. inflato animo. Verſ. 4.

Cæci, & voluptatum amatores magis quàm Dei. Superfluit &. Horum infinitus eſt numerus ſi ad facta ſpectetur: ſecus autem ſi ad intentionem.

Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem. pro, *vim*, autem eius abnegantes. pro, *inficiati*: eſt enim præteriti temporis. Hypocritæ ſunt qui profitentur pietatem in apparentia, ſed pietatis potentiam non exercent, qui negauerunt illius intimam vim quæ per opera exercetur, & in ſola apparentia ſunt pij. Verſ. 5.

Et hos devita. pro, *auerſare*: hi enim reſiſtunt verbo, vel ſaltem facto ſanæ doctrinæ.

Ex his enim svnt. Pronomen *his*, peculiariter reſpicit habentes ſpeciem pietatis, Verſ. 6.

ſed

ſed potentiam illius negantes : nam ex illo genere propriè ſunt, QVI PENETRANT DOMOS. proculdubio alienas ſub pietatis ſpecie. Et interpres dixit *penetrant*, ad ſignificandum improbitatem illorum : cùm Pauli textus habeat *ſubeunt*. ET CAPTIVAS DVCVNT MVLIERCVLAS. Vide officium pietatis, priuare libertate mulieres. ONERATAS PECCATIS. Ecce captiuitatis ratio : abducunt ſiquidem mulieres à rectitudine rationis, fallendo eas & ſubiiciendo illas nouis præceptis, nouis documentis, nouis profeſſionibus : ex quibus non ſolùm peccant, ſed onuſtæ peccatis redduntur : quo fit vt & ſeruitutem peccati, & ſeruitutem dogmatum parientium peccata incurrant.

Captiuas ducere mulierculas oneratas peccatis, quid?

QVÆ DVCVNTVR VARIIS DESIDERIIS. Dixerat non mulieres, ſed mulierculas, vt inter mulieres ſignificaret illas quæ minoris ſunt iudicij, quæ leuiores ſunt. Verùm ne mulierculas humano more intelligeres, deſcribit eaſdem tum ab effectu, tum ab intellectu. Et ab effectu quidem quòd non ſolùm patiuntur varias concupiſcentias (hoc enim imputaretur ſexui) ſed quòd variis deſideriis ſuccumbunt, imò quòd à variis deſideriis ducuntur promptæ ad varia deſideranda, hoc enim inſtabilitatis eſt. Hæ ſunt quæ facile falluntur. Ab intellectu verò,

Verſ. 7. SEMPER DISCENTES. Non vituperatur ſemper diſcere (quoniam & laudabile & neceſſarium eſt, præcipuè mulieribus) ſed vituperatur ſemper diſcere abſque fructu : nam diſcere quodam tempore, ita quòd perueniat ad notitiam alicuius veri, & poſtea diſcendo cognoſcere aliud verum, & ſic deinceps, laudabile ſtudium eſt : ſed ſemper diſcere, & nunquam ad notitiam veritatis amplectendæ peruenire, vituperabile eſt, & ex mala diſpoſitione diſcentis hoc prouenit. Vnde & ſubdit :

Semper diſcere an laudabile?

ET NVNQVAM AD SCIENTIAM VERITATIS PERVENIENTES, pro *venire potentes*. Ex varietate deſideriorum prouenit vt ſemper diſcant migrando de diſcere in diſcere, & ex eadem varia ac inſtabili mentis diſpoſitione prouenit quod nunquam poſſunt venire ad notitiam veritatis : quoniam inde prouenit quòd non figunt mentis aciem ad penetrandum, examinandum, diſcutiendum, & ſiſtendum, ſed in fluxu eſt talium mens. Indéque merentur vt ex diuina gratia non ſortiantur fixionem iudicij circa ea quæ diſcutiunt : vtpote ad huiuſmodi donum contrariè diſpoſitæ.

Verſ. 8. QVEMADMODVM IANNES ET MAMBRES. pro, *Iambres*, RESTITERVNT MOYSI. Magorum Pharaonis nomina ſunt hæc, qui coram Pharaone reſtiterunt Moyſi probanti ſe miſſum à Deo teſtimonio ſignorum. Reſtiterunt, inquam, efficiendo ſimilia ſigna tria : videlicet conuerſionis virgæ in ſerpentem, aquæ in ſanguinem, & productionis ranarum ; vt hinc appareret quòd Moyſes non eſſet miſſus à Deo, ſed arte efficiebat hæc mira.

Iannes & Mambres Magi Pharaonis.

ITA ET HI RESISTVNT VERITATI. Euangelicæ, quam ipſe Deus reuelauit.

HOMINES. non dæmones. CORRVPTI MENTE. Ignorantia prauæ diſpoſitionis. REPROBI CIRCA FIDEM. Corruptio mentis reſpicit prauam mentis diſpoſitionem circa veritatem in genere : reprobatio autem malam in eis ſignificat diſpoſitionem circa fidem in ſpecie. Tales ſiquidem deſcribit eſſe reſiſtentes Euangelicæ veritati.

SED VLTRA, pro *amplius*, NON PROFICIENT. Verſ. 9.
De his ſubdolis ſeductoribus mulicularum dicit : ſed non proficient amplius, quàm ſeducendo mulierculas, non proficient extendendo ſeductiones ſuas ad mulieres cordatas, non ad viros, ſed ſiſtet eorum ſeductio in mulierculis.

INSIPIENTIA ENIM EORVM MANIFESTA ERIT OMNIBVS. Ratio quare non proficient amplius quàm in mulierculis eſt, quia cùm amplius ſe extendent, manifeſta erit omnibus (etiam ipſis mulierculis ſeductis) illorum inſipientia.

SICVT ET ILLORVM FVIT. Simili ſiquidem modo cum Iannes & Mambres extendere tentarent ſuas artes ad ampliora ſigna facienda quæ fecit Moyſes, manifeſtata eſt eorum inſipientia quâ nuntio Dei Moyſi reſiſtebant : impotentia ſiquidem ipſorum ad faciendum quartum ſignum manifeſtauit ipſorum inſipientiam contra Deum.

TV AVTEM ASSECVTVS ES. Tractat illam particulam in principio propoſitam, *vt ſuſcites donum Dei quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Et dictio *aſſecutus* non ſignificat *adeptus*, ſed *iuxta ſecutus*. propter quod cautiùs interpretes moderni legunt *ſectatus* ſeu *aſſectatus es*. MEAM DOCTRINAM. Non ſolùm impoſitione manuum mearum dignus es habitus, ſed aſſectatus es in comitatu meo, tum doctrinam meam quâ tot Eccleſias docui ; tum inſtitutionem quâ verbo erudiui ac ordinaui Eccleſias & paſtores earum. PROPOSITVM. conforme diuinæ voluntatis. FIDEM. & eam quâ credimus in Ieſum, & eam quâ fiunt dicta. LONGANIMITATEM. quâ animus meus in æternitatis longitudinem præmia reſeruat. DILECTIONEM. erga omnes propter Deum. PATIENTIAM. tolerando mala frigoris, famis, nuditatis, &c. Verſ. 10.

PERSECVTIONES. de loco ad locum. PASSIONES. illatas mihi à multis. QVALIA, pro *quales*, MIHI FACTA SVNT ANTIOCHIÆ. De Antiochia Piſidiæ eſt ſermo, nõ de Antiochia Syriæ, Vnde Paulus & Barnabas egreſſi ſunt ad prædicandum Gentibus. ICONII. quæ etiam eſt Piſidiæ ciuitas. LYSTRIS. Hæc eſt Lychaoniæ ciuitas (vicina tamen ſupradictis) in qua Paulus fuit lapidatus. Lege Act. Apoſtolorum capitula 13. & 14. QVALES PERSECVTIONES SVSTINVI: ET EX OMNIBVS ERIPVIT ME DOMINVS. Hæc ſunt mea quæ tu ſectatus es. Verſ. 11.

ET OMNES QVI PIE VOLVNT VIVERE IN Verſ. 12.
CHRISTO IESV PERSECVTIONEM PATIENTVR. commune eſt mihi & tibi & omnibus volentibus viuere vt membra Chriſti Ieſu (exercendo officium pietatis in cœleſtẽ patrem, in domeſticos Dei & conciues ſanctorum, perſecutionem quandoque pati.

Perſecutiones pij patiuntur.

MALI AVTEM HOMINES ET SEDVCTORES PRO- Verſ. 13.
FICIENT IN PEIVS. omnibus piè in Chriſto viuẽtibus commune eſt proficere in melius tolerãdo mala pœnæ : malis verò hominibus commune eſt proficere in peius malum culpæ.

ERRANTES, ET IN ERROREM MITTENTES. Tranſpoſitæ ſunt particulæ iſtæ : nam primum in

in textu locatur actiua (ſcilicet *in errorem mittentes*, proculdubio alios) & deinde paſſiua, ſcilicet *errantes ipſi*: verùm eadem ſententia eſt; proficient enim in vtroque: & in errando, & in ducendo alios ad errorem. Et hoc quidem dicitur in genere de malis & ſeductoribus, cum quo conſtat quòd in ſpecie de ſeductoribus mulierculárum, quæ variis ducuntur deſideriis, paulò ante dictum ſit quòd non proficient amplius quàm in mulierculis.

Verſ. 14. TV VERÒ PERMANE IN IIS QVÆ DIDICISTI, ET CREDITA SVNT TIBI. Deſcriptis in genere conditionibus bonorum & malorum, & in ſpecie donis Timothei imitando Paulum, hortatur vt perſeueret tam in iis quæ didicit, quā in iis quæ ſunt ſibi commiſſa officiis. Et rationem ſubdit: SCIENS A QVO DIDICERIS. videlicet à me Apoſtolo Chriſti.

Ad perſeuerantiam hortatur.

Verſ. 15. ET QVIA, pro *quod*, AB INFANTIA SACRAS LITERAS NOSTI. Ad participium *ſciens* refertur etiam hoc, ſciens & quod ab infantia ſacras literas noſti. Et eſt ſermo de ſacris literis veteris Teſtamenti: mater enim Timothei Iudæa, ſtuduit vt filius ſacris literis imbueretur.

QVÆ TE POSSVNT INSTRVERE, pro *ſapientiam docere*, AD SALVTEM PER FIDEM QVÆ EST IN CHRISTO IESV. Sacræ veteris Teſtamenti literæ habent facultatem docendi ſapientiam, nō huius mundi, ſed ad æternam ſalutem intercedente fide quæ eſt in Chriſto Ieſu: ſine huiuſmodi namque fide non docent ſapientiam ad ſalutem. Et quòd hoc ſit verum, manifeſtat ex conditione omnis ſcripturæ ſacræ (ad comprehendendum non ſolùm veteris, ſed etiam noui Teſtamenti ſcripturam) dicens:

Verſ. 16. OMNIS SCRIPTVRA DIVINITVS INSPIRATA. Nota *diuinitus inſpirata*, ad differentiam reliquarum, quæ humana adinuentione aut diſciplinā ſunt ſcriptæ: author ſiquidem ſcripturæ Spiritus ſanctus ſignificatur dicendo, *diuinitus inſpirata*. VTILIS. Deeſt *&*. Legendum eſt, ET VTILIS EST. Significatur enim quòd non ſolùm in ſe eſt honorabilis, ſed etiam quòd vtilis eſt. AD DOCENDVM, AD ARGVENDVM, AD CORRIPIENDVM, AD ERVDIENDVM. Quatuor hęc gerundia apud Paulum ſunt nomina. Ita quòd legendum eſſet: *Ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem in iuſtitia*. Et eſt repetendum in ſingulis *in iuſtitia*: vt ſit ſenſus, vtilis eſt ad doctrinā in iuſtitia, ad redargutionem in iuſtitia, ad correctionem in iuſtitia, ad inſtitutionem in iuſtitia. Et vere proprium eſt ſacræ ſcripturæ ignorantes docere ea quæ ſunt iuſtitiæ diuinæ, reſiſtentes redarguere cum diuina iuſtitia, errantes corrigere etiam in iuſtitia, & demum inſtituere gradus omnis homines in iuſtitia.

Scripturæ S. vtilitas.

Verſ. 17. VT PERFECTVS, pro *integer*, SIT HOMO DEI. vtpote conſtans ex omnibus requiſitis ad perficiendum hominem Dei. AD OMNE OPVS BONVM INSTRVCTVS, pro *conſummatus*. Prima perfectio declaratur per hanc ſecundam relatiuè ad omne opus bonum. Ecce quo tendit vtilitas diuinæ ſcripturæ, ad perfectionem hominis Dei (hoc eſt, qui totum ſeipſum Deo dat) perfectionem, inquam, talem, vt ſit perfectus ad omne opus bonum exercendum. Ad vtramque ergo partem vtilis eſt diuina Scriptura, & ad partem intellectiuam, & ad partem operatiuam.

CAPVT IV.

TESTIFICOR CORAM DEO ET. Deeſt, *Domino*. IESV CHRISTO QVI IVDICATVRVS EST VIVOS ET MORTVOS, Non ſufficit Paulo ſimplici monitione excitare Timotheum, ſed addit atteſtationem, tum Dei, tum hominis glorioſi Domini Ieſu Chriſti, apponendo terribile officium iudicij eius tam reſpectu viuorum quàm mortuorum. Ab ambobus Apoſtolis (Petro ſcilicet & Paulo) habemus quod Chriſtus iudicaturus eſt viuos & mortuos: vt intelligamus quòd cum Chriſtus veniet ad iudicandum, quos inueniet viuos iudicabit viuos. Et de electis quidem tunc viuis in ſecunda ad Theſſalonicenſes ipſemet Paulus dixit, *deinde nos qui viuimus* &c. De reprobis autem tunc viuis, hinc inſinuatur quòd etiam viui iudicabuntur: alioquin non ius diceret tunc Chriſtus viuis, ſed quibuſdam viuis, ſcilicet electis, vtrumque autem Apoſtolus dicit, quòd iudicaturus eſt viuos abſque exceptione aliqua. Vnde ſicut omnes mortuos (tam electos quàm reprobos) tunc reſuſcitatos iudicabit, ita omnes tam electos quàm reprobos, tunc viuos iudicabit. Verſ. 1.

Et electos & reprobos qui tempore iud. cij ſuperſtites inuenerit, viuos ſiue mortuos iudicabit Cenſet.

Et per aduentum ipſius. Superfluit *&*. Legendúmque propriè eſſet PER APPARITIONEM IPSIVS. veniet enim, non latens ſed apparens vniuerſis. ET REGNVM EIVS. Per hæc duo (apparitionem ſcilicet Chriſti, & regnum ipſius, cuius tunc poſſeſſionem plenam accipiet) obteſtatur Timotheum.

PRÆDICA VERBVM. Ecce quid exigit, hoc ſiquidem eſt proprium Epiſcopi officiū. Quod in principio dixerat proponendo, *ſuſcita donum Dei*, quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum: modò explicat diſtinguendo ſingulas actiones, inchoans à prædicatione Euangelij. INSTA OPPORTVNE, IMPORTVNE. Ecce alia actio. Nec dicit *inſta, incumbe opportunè*, ſed iungit ſimul *opportunè, importunè*: vt alterum alterum aduerbium temperet, & aſſiduitas ſtudij ad incumbendum ſaluti animarum nulla negligentia, nulla timiditate aut quauis alia paſſione interpelletur. Verſ. 2.

Epiſcopi officium.

ARGVE. errantes & reſiſtentes. OBSECRA, INCREPA. Tranſpoſitæ ſunt dictiones: nam prius eſt *increpa* proculdubio delinquentes. Quod autem dicit *obſecra*, rectius interpretatur *exhortare puſillanimes*, timidos, tepidos. In omni patientia & doctrina. Duæ partes & ambæ neceſſariæ Epiſcopo: *patientia*, quà toleret ea, quæ ſibi diſplicent: & *doctrina*, qua alios inſtituat. Et dicit, *in omni*, vt nulli aduerſitati ſuccumbat, vt nullum documentum neceſſarium prætermittat.

Erit enim tempus cùm ſanam doctrinā non ſuſtinebunt. Chriſtiani. Sed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros. pro, *doctores*. Intuere è regione ſanæ doctrinæ locari doctores conformes deſiderijs auditorum. Erubeſcant ſiquidem Verſ. 3.

Chriſtiani ad ſtores dicere ſe nolle ſanam doctrinam: ſed tamen facto illam quærunt doctores ſeu prædicatores conformes ſuis deſiderijs, a ſana doctrina declinant. Qualia autem ſint eorum deſideria, declarat ſubiungendo, PRVRIENTES AVRIBVS, pro *auditum*. Eadem enim dictio eſt quæ poſtmodum ſubditur, *auditum auertent*. Quemadmodum in præcedenti capitulo deſcripſit mulierculas ex eo quod ducuntur varijs deſiderijs; ita modò deſcribit auditorum deſideria ex prurítu auditus. Eſt enim nominatiui caſus *prurientes*, & non ad doctores, ſed ad eos *qui ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi auctores*, manifeſte refertur. Et pruritus quidem auditus non ſanam cupit doctrinam, ſed confricationem auditus, ſed delectationem audiendo: quemadmodum prurientes membrum aliquod, cupiunt confricationem illius delectantem.

Verſ. 4. ET A VERITATE QVIDEM AVDITVM AVERTENT, AD FABVLAS AVTEM CONVERTENTVR. Tolerabile eſſet ſi prurientes auditum non auerterent illum à veritate, non præferrét delectationem auditus veritati: intolerabile autem eſt, quòd eouſq; ducat eos pruritus auditus, vt ad fabulas conuertantur, auerſo a veritate auditu.

Verſ. 5. TV VERÒ VIGILA. alijs vacantibus fabulis, tu vigila ſuper gregem tuum. IN OMNIBVS LABORA. in nulla re omitte difficilia ſtudia. OPVS FAC EVANGELISTÆ. Ecce quorſum vigiliæ & labores. Euágeliſtæ opus eſt verbo & facto Euangelium regni prædicare, tueri, propagare.

MINISTERIVM TVVM IMPLE. debitum ſolue hæc faciendo, quoniam hæc ad tuum ſpectant miniſterium.

Verſ. 6. SOBRIVS ESTO. Superfluunt ambæ dictiones. EGO ENIM IAM DELIBOR, pro *immolor*. Tanto magis tu debes incumbere Euangelio, quáto inſtat diminutio prædicatorum: ego enim tam vniuerſalis prædicator iam immolor Deo velut hoſtia quæ mactatur. Et ne de afflictionibus quas tunc patiebatur, ſed de morte imminente intelligeret Timotheus, ſubiungit, ET TEMPVS MEÆ RESOLVTIONIS INSTAT. reſoluendus ſiquidem erat in animam reddendam Deo, & corpus reddendum terræ.

Mortis ſuæ tempus imminere prædicit Apoſtolus.

Verſ. 7. BONVM CERTAMEN CERTAVI. Ad tuum & aliorum exemplum explico ſummarie mea merita. Aduerſus reſiſtentes Euangelio, aduerſus mundum me perſequentem bonum certamen certaui.

CVRSVM CONSVMMAVI. Non fui tepidus, ſed cucurri: nec defeci in medio itinere Euangelij, ſed curſum conſummaui mihi a Spiritu ſancto decretum.

FIDEM SERVAVI. tam fidem quâ fiunt dicta ſeruaui Domino meo, fideliter certans & currens: quàm fidem qua credimus & iuſtificamur in Chriſto Ieſu ſeruaui, nullis perturbationibus, nullis poteſtatibus valentibus me ſeparare a fide Chriſti habenda & propaganda.

Verſ. 8. IN RELIQVO. pro *quod ſupereſt*, poſt hanc vitam, poſt hæc merita, REPOSITA EST MIHI CORONA IVSTITIÆ. Cum audis coronam, triumphum intellige, velut triumphanti repoſita eſt mihi corona. Et dicit *iuſtitiæ*, quoniam ſibi debitam ſignificat. Vnde hoc debitum magis explicans ſubdit,

QVAM REDDET MIHI DOMINVS IN ILLA DIE IVSTVS IVDEX. Dicendo *reddet iuſtus iudex*, manifeſte debitam ius ſignificat. Verùm occurrit quæſtio ex ipſius Pauli ſententia ad Romanos octauo vbi dicit *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad ſuperuenturam gloriam*. Si enim non ſunt condignæ, quomodo iuſtitiá exigente debetur eis corona gloriæ? Solútio eſt quod opera noſtra meritoria conſiderantur, vel ſecundùm conditiones, quas habent ex proprio genere quatenus ſunt humanarum propria virtutum: & ſic non ſunt condigna ad ſuperuenturam gloriam. Vel ſecundùm conditiones, quas habent ex gratia Spiritus ſancti habitantis in nobis: & ſic ſunt condigna, & ſic debetur eis corona gloriæ à iuſto iudice.

Corona gloria quomodo debita operibus noſtris, cum non ſint condigna paſſiones, &c.

Quòd autem dicit *in illa die*, diem iudicij vniuerſalis ſignificat: in qua integra corona, integer triumphus erit ſanctorum in anima & corpore. Et quod de illa die loquatur ad literam, manifeſtant ſubiuncta.

Sancti in die iudicij integrè triumphabunt.

NON SOLVM AVTEM MIHI, SED. Deeſt, *omnibus*, IIS QVI DILIGVNT, pro *dilexerunt*, ADVENTVM, pro *apparitionem*, EIVS. Communis ei & omnibus qui dilexérunt apparitionem iuſti iudicis reddenda corona iuſtitiæ, teſtatur quòd de illa die loquitur, in qua ei & omnibus immortalitatis corporalis coronam reddet.

FESTINA, pro *ſtude*, AD ME VENIRE CITÒ. Iunge iſtis ſcripta ad Philippenſes, & clarè comperies Paulum Epiſtolam hanc ſcripſiſſe in ſecundis vinculis. Nam cùm ſcripſit Epiſtolam ad Philippenſes erat in primis vinculis, cum quibus ex Iudæa miſſus fuerat Romā: & erat tunc cum eo Romæ Timotheus, de quo ſcribit, *ſpero autem in Domino Ieſu Timotheum me cito mittere ad vos*: & rurſus, *hunc igitur ſpero mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me*. Ex his iunctis abſentiæ Timothei (cui modò ſcribit (*ſtude ad me venire cito*) clare apparet quòd Timotheus receſſerat miſſus a Paulo.

In ſecundis vinculis hanc Epiſtolam ſcripſit Apoſtolus.

Demas enim me reliquit. Ratio indigentiæ Timothei redditur ex abſentia ſubiunctorum. Verſ. 9.
DILIGENS HOC SECVLVM, pro *amplexus præſens ſeculum*. Eſt enim præteriti temporis. ET ABIIT THESSALONICAM. Iſte non ſolùm abſens, ſed etiam apoſtata fuit à Paulo.

CRESCENS, pro *Creſces*, IN GALATIAM, TITVS IN DALMATIAM. Non intelligas hos ſimiliter amplexos præſens ſeculum. Verſ. 10.

LVCAS EST MECVM SOLVS. De Luca Euangeliſta loquitur: *ſolus* autem dicitur inter miniſtros Pauli. Verſ. 11.

Marcum aſſume & adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſterio. Marcus iſte videtur conſobrinus Barnabæ, qui erat cum Paulo Romæ cùm ſcripſit Epiſtolam ad Coloſſenſes: tunc enim etiam erat cum eo Demas.

TYCHICVM AVTEM MISI EPHESVM. Hæc omnia ſcribit vt cognoſcat Timotheus quòd indiget miniſtris. Verſ. 12.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum, & libros: maximè autem membranas. Superfluit *tecum*. Veſtem, qua ſuperinduimur contra pluuiá dicit ſe reliquiſſe Troade, & egebat illa in ſuperuentura hyeme. Erat itaque Verſ. 13.

Quã pauper D. Paulus.

tam pauper Paulus Romæ vt egeret dimiſsâ veſte contra pluuiam in tanta terrarum diſtantia: apparétque Paulum non ſic arctatum carcere, vt non graderetur per ciuitatem: alioquin quorſùm egebat penulâ? niſi forte dicatur quòd propter frigus: nam & Romanos penulis quandoque vſos propter frigus legimus.

Vbi diligentius aduerte, quòd ex hoc textu iuncto ſequentibus (*Eraſtus remanſit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*) apparet quòd Paulus ſolutus à vinculis: quibus ex Iudæa vinctus venerat Romam, reuerſus eſt in Macedoniam, Achaiam, & loca in quibus prius prædicauerat, prout ipſe promiſerat bis in Epiſtola ad Philipp. imò dixerat, *& hoc perſuaſum habens, quod manebo & permanebo, vt gratulatio veſtra abundet per meum aduentum iterum ad vos.* Apparet autem hinc Paulum rediiſſe ad partes illas, ex eo quòd dicit ſe reliquiſſe penulam Troade, & Eraſtum remanſiſſe Corinthi, Trophimum autem Mileti. Quòd enim hæc non fuerint geſta in itinere, quo vinctus ductus eſt è Iudæa Romam, teſtantur Actus Apoſtolorum. Lege totam illam nauigationem, & perſpicies quod dico. Quamuis etiam hoc idem appareat ex magna temporis diſtantia: nam Paulus ſecundo Neronis anno vinctus ex Iudæa venit Romam: vt Hieronymus dicit in lib. de viris illuſtribus: hæc autem Epiſtola ſcripta eſt anno decimotertio, vel decimoquarto Neronis, quando tempus mortis Pauli prope erat. Nam conſtat ipſum decollatum fuiſſe anno decimoquarto Neronis: nec eſt veriſimile, quòd relictam ante vndecim annos veſtem pluuialem modò moriturus petat. Et tanto minus eſt veriſimile, quanto Timotheus prius iam venerat ad ipſum Romam, & potuiſſet hanc afferre. Rurſus cùm Timotheus fuerit cum Paulo Romæ, ore tenus ei dixiſſet, quòd Eraſtus remanſit Corinthi, & Trophimum reliquit Mileti infirmum, ſi ante per vndecim annos geſta commemoraret. Ridiculum quoque eſt quòd poſt vndecim annos dicat *Trophimum reliqui infirmum Mileti*: nunquid Trophimi ægritudo tam longa fuit? quocirca abſque omni hæſitatione intelligendum eſt, quòd loquitur de ſecundo itinere ad vrbem Romam ex partibus illis, ita quòd ſeruauit quod promiſit Philippenſibus, & ſeruauit ad Philemonem. Et rediens Romam reliquit Troade penulam cum libris & membranis, forte epiſtolarum quas ſcripſerat, & in eadem via Eraſtus remanſit Corinthi, & Trophimum Mileti reliquit ægrotum.

Quo tempore ſcripta fuerit hæc Epiſtola?

Verſ. 14. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit. Quis fuerit iſte Alexander neſcitur: hoc tantùm ſcitur quòd erat faber ærarius. Reddet, pro *reddat*, illi Dominus ſecundum opera eius. Imperantis ſeu cupientis diuinam iuſtitiam ſunt verba.

Alexander ærarius obſtat Apoſtolo.

Verſ. 15. Quem et tu devita, pro *obſerua*. Hinc coniectura nonnulla eſt hunc Alexandrum fotis in partibus illis in quibus tunc erat Timotheus multa mala contra Paulum egiſſe: hoc enim inſinuat monitio hæc, *quem & tu obſerua*, à quo & tu caue: neſcimus enim ſecundorum vinculorum Pauli occaſionem, neque ſcimus an in vrbe an extra vrbem fuerit accepta occaſio. Valde enim reſtitit verbis noſtris. Forte ſimili occaſione quâ Demetrius argentarius populum excitauit aduerſus Paulum Epheſi, vt ſcribitur Act. decimonono.

Verſ. 16. In prima mea defenſione. Confer tempus Epiſtolæ huius cum ſcriptis in Epiſtola ad Philipp. præſente Timotheo Romæ: & percipies primam eius defenſionem appellari eã, quæ fuit poſt ſecunda vincula. Nam in primis vinculis dicit, *mittam ad vos Timotheum cum cognouero quæ circa me*: modò verò poſt tot annos poſtquam rediit ex partibus Græciæ, ſignificat Timotheo quid ſibi acciderit in prima defenſione ſua. Nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt. Intellige de iis qui potuiſſent ipſum adiuuare: iam enim dixerat quòd Lucas erat ſecum, & Petrus tunc erat Romæ, ſed hi non erant de numero eorum qui potuiſſent ipſum adiuuare. Sed cùm magna multitudo Chriſtianorum eſſet tunc Romæ, quorum aliqui potuiſſent ipſi aſſiſtere & adiuuare, nullus eorum comparuit pro Paulo, timore, vt creditur, Neronis. Et propterea ſubdit,

Non illis imputetur. Compatiens enim humanæ fragilitati, cupit vt Deus non imputet illis hanc omiſſionem.

Verſ. 17. Dominus autem mihi aſtitit. loco hominum. Et confortavit. pro *corroborauit*, me. quod homines facere nequiuiſſent. Vt per me prædicatio. pro *præconium*, impleatur. Si homines alij mihi affuiſſent, præconium Chriſti per alios fuiſſet probatum: ex eo autem quòd nullus mihi affuit, Deus mihi vires præſtitit ad hoc, vt per meipſum præconium Chriſti compleretur, à quo cœptum fuerat: vt egomet qui inceperam, illud perficerem, tuendo illud diuinâ virtute in prima mea defenſione coram iudice. Et audiant omnes gentes, hoc factum, quod Dominus per me adimpleuit. Et liberatus ſum, pro *fui*, de ore leonis. Neronem leonem appellat, vt ſubſcriptio huius Epiſtolæ teſtatur.

Neronem leonem appellat.

Verſ. 18. Liberavit. Deeſt *&*, nec eſt præteriti, ſed futuri temporis. Legendum eſt: Et liberabit me Dominus ab omni opere malo. Non dicit, liberabit me Dominus à vinculis, ab afflictionibus, à morte, ſed *ab omni opere malo*: quod conſtat eſſe peccatum. Et ſalvum faciet in regnum ſuum cœleſte. Non ſolum hic liberabit ab opere malo, ſed poſteà ſaluum faciet in regnum ſuum cœleſte. Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Verſ. 19. Saluta Priſcam et Aquilam et Oneſiphori domum. Apud Epheſum videtur quòd fuerit tunc Timotheus: nam de Oneſiphoro dixerat, *& quæ Epheſi mihi miniſtrauit, tu melius noſti.* Nec dicit, ſaluta Oneſiphorum (quoniam forte Romæ adhuc erat) ſed Oneſiphori familiam.

Verſ. 20. Eraſtus remanſit Corinthi, Trophimum autem reliquit infirmum Mileti. De his ſatis diximus.

Verſ. 21. Feſtina, pro *ſtude*. Ante hyemem venire. Hinc apparet quòd pro hyeme

volebat

volebat penulam. SALVTANT TE EVBVLVS ET PVDENS. Hic fuit pater ſanctarum virginum Potentianæ & Praxedis. ET LINVS, qui ſucceſſit Petro. ET CLAVDIA. Timotheus ſiquidem fuerat Romæ, & amicitiâ iunctus cum iſtis. ET FRATRES OMNES.

Verſ. 22. DOMINVS IESVS CHRISTVS CVM SPIRITV TVO. Hæc eſt ſalutatio manu Pauli. GRATIA VOBISCVM, AMEN. Prius Epiſcopum, deinde Eccleſiam ſalutat manu propria.

Subſcriptio. Et apud Græcos inuenitur ſubſcriptio hæc: *Secunda ad Timotheum ſcripta Romæ, cùm ſecundò præſentatus eſt Paulus Neroni Cæſari Romanorum.* Ex qua ſubſcriptione apparet quòd diximus de ſecundis vinculis Pauli. Nam quòd dicit *cùm ſecundò præſentatus eſt*, non refertur ad actiones iudiciales (nam ipſe ſcripſit non in ſecunda, ſed in prima ſua defenſione) ſed refertur ad iterata vincula: primò enim præſentatus eſt cùm ex Iudæa vinctus appellauit ad Cæſarem: ſecundò autem cùm in fine imperij Neronis iterum vinctus eſt.

Caietæ die 29. Aprilis, 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD TITVM COMMENTARII.

CAPVT I.

Verſ. 1. PAVLVS SERVVS DEI. Appellat ſe ſeruum Dei non ratione naturæ (quę ſeruitus communis eſt omnibus creaturis) ſed ratione officiorum quæ ſponte addixit ſeruitio diuino. Ideo autem appellat ſe ſeruum Dei, vt excludat obiectiones Iudæorum, dicentium Paulum apoſtataſſe à ſeruitute Dei. Diſpoſuerat enim hanc epiſtolam ſcribere præcipuè aduerſus traditiones Iudæorum.

Hæc epiſtola præcipuè aduerſus traditiones Iudæorum ſcribitur.

APOSTOLVS AVTEM IESV CHRISTI. Dei quidem ſeruus: hominis autem Ieſu Chriſti Apoſtolus. SECVNDVM FIDEM ELECTORVM DEI. Non ſecundùm legem Moſaïcam Apoſtolus, ſed ſecundùm fidem electorum Dei, non ad propagandam legem Moyſi, ſed ad propagandam fidem electorum Dei eſt Apoſtolatus meus.

Significanter autem dicit *electorum Dei*: electorum quidem, quoniam propter electos inſtituti ſunt Apoſtoli & Euangeliſtæ, & Prophetæ, &c. *Dei* autem ad ſignificandum eoſdem eſſe electos à Deo, qui ſaluantur in fide, quam prædicat Apoſtolus.

ET AGNITIONEM VERITATIS. Non ſolùm ad fidem, ſed agnitionem veritatis propagandam ordinatur Apoſtolatus meus. Cuius autem veritatis ſubiungit, QVÆ SECVNDVM PIETATEM EST

IN SPEM, pro *ſpe*, VITÆ ÆTERNÆ. Ad propagandam notitiam veritatis non cuiuſcumque, ſed quæ eſt ſecundum pietatem quoad ea, quæ ſunt præſentis ſeculi. Veritas ſecundùm pietatem eſt veritas omnium præceptorum moralium: vt intelligamus Apoſtolos deſtinatos non ſolum ad propagandam fidem quâ ſaluantur electi Dei, ſed etiam ad agnitionem veritatis omnis quæ eſt conformis pietati, quæ eſt ſecundum omnem virtutem moralem: ſub pietate enim comprehenduntur omnia quæ debemus proximis. Erat ſiquidem mundus obſcuratus, & priuatus notitiâ veræ pietatis, innumeris ſceleribus offuſcatus. Et propterea poſtquam dixit fidem *electorum*, adiunxit *& agnitionem* (non fidem) *veritatis*, quæ eſt ſecundum pietatem. Verſ. 2.

Veritas ſecundùm pietatē quænam?

Verùm quia veritas ſecundùm pietatem dupliciter poteſt cognoſci (vel abſolutè, vt Philoſophi morales tradiderunt & docuerunt: vel relatiuè, ad felicitatem æternam futuræ vitæ) ideo adiungit, *in ſpe vitæ æternæ*: vt intelligamus differentiam inter Apoſtolos & Philoſophos morales quoad propagandam notitiam veritatis moralium. Philoſophi enim huiuſmodi notitiam ad præſentem felicitatem referebant: Apoſtoli autem ad vitam non temporalem,

Dupliciter poteſt cognoſci.

ſed æternam non in re in hac præſenti vita habitam, ſed in ſpe: relatiue ſiquidem ad vitam æternam doctrina moralium inſerta eſt doctrinæ fidei.

QVAM REPROMISIT, pro *promiſit*, QVI NON MENTITVR DEVS ANTE TEMPORA SECVLARIA, pro *æterna*. Ne æquiuocatio accideret legentibus, declarat de qua æterna vita loquitur, dicendo *quam promiſit Deus ante tempora æterna*. Et hoc ad differentiam Philoſophorum quorundam qui vitam æternam animarum poſt hanc vitam dicebant: ſed illi de vita æterna naturali loquebantur: Paulus autem de vita æterna ſupernaturali, quam non ex beneficio naturæ, ſed ex beneficio liberalis promiſſionis ſtatuit Deus electis ſuis, non de nouo, ſed ante tempora æterna. Non quæ fuerint, ſed fuiſſent: dicit enim hoc aduerſus philoſophantes, ponentes æterna tempora. Superans hos dicit quòd etiamſi tempora fuiſſent æterna, Deus promiſit hanc vitam æternam ante tempora æterna: quoniam eam promiſit in æternitate, quæ ſupereminet omnibus temporibus quantumcunque æternis: vtpote a qua emanaſſent æterna tempora.

Ante tēpora ſecularia, quid

Cùm autem audis quòd promiſit ab æterno, intellige quòd in ſeipſo Deus hoc definiuit ad ſimilitudinem firmæ & immobilis promiſſionis.

Et dicit *qui non mentitur Deus*, ad ſignificandum immobilitatem decreti.

Verſ. 3. MANIFESTAVIT AVTEM TEMPORIBVS SVIS VERBVM SVVM. Ecce quid ſignificat *promiſit*, ſcilicet verbum ſuum: qui enim promiſit dare, dicit ſe daturum. Ipſum ergo verbum immobilis diſpoſitionis ſuæ de danda vita æterna electis, eſt promiſſio quam manifeſtauit non ab æterno, ſed temporibus propriis: hoc eſt, temporibus definitis congruis ad hoc. Et dicit hoc ne quis quærat quare iſto tempore, & non illo manifeſtauit.

IN PRÆDICATIONE QVÆ CREDITA EST MIHI. Ne intelligeres manifeſtatam diuinam promiſſionem in lege Moyſi, explicat quòd manifeſtata eſt non in libris (Chriſtus enim nullum ſcripſit librum) ſed in prædicatione Euangelica: ideò dicit quòd manifeſtauit verbum ſuum temporibus propriis, & modo proprio: videlicet in prædicatione Euangelica, quæ credita eſt mihi, & aliis Apoſtolis. SECVNDVM PRÆCEPTVM, pro *iniunctionem*, SALVATORIS NOSTRI DEI. Non vſurpaui hoc officium, ſed credita eſt mihi prædicatio ſecundum iniunctionem Dei, quatenus exercet officium ſaluandi nos.

Verſ. 4. TITO. Hactenus non ad extendendos titulos proprios, ſed vt ſimul explicaret materiam Apoſtolatus, & materiam Epiſtolæ huius, accumulauit hæc: modò autem perſonam cui ſcribit, primò ex nomine ſignificat, deinde ex integritate. DILECTO, pro *germano*, FILIO SECVNDVM COMMVNEM FIDEM. Eadem eſt dictio qua vſus eſt tum ad Timotheum, tum ad Philippenſ. cum dixit, *Rogo & te Germane compar*. Perinde ac dixiſſet, Tito vero non adulterino, non degeneri filio, non ſecundùm carnem ſed ſecundum communem fidem: fuerat enim Gentilis, & erat diſcipulus Pauli.

Titus fuerat Gentilis.

GRATIA. Deeſt, *miſericordia*, ET PAX. Quemadmodum Timotheo hæc tria in ſalutatione imprecatur, ita & Tito eâdem ratione: quia vterque erat Epiſcopus, cui opus eſt miſericordia tam actiue, quam paſſiue: oportet enim ipſum imitari Deum præcipue in miſericordia erga ſubditos: & quoniam pro alienis etiam redditurus eſt rationem, eget vt miſericordiam conſequatur. A DEO PATRE ET. Deeſt, *Domino*, IESV CHRISTO SALVATORE NOSTRO. Hæc pluries ſunt habita.

Miſericordia egens Prælatus.

HVIVS REI GRATIA. Demonſtrat huius rei exequutionem Apoſtolatus ad fidem electorum, & agnitionem veritatis, &c. Ad executioni mandandum officium mihi iniunctum cùm non potuiſſem plenè illud exequi in inſula Cretæ. RELIQVI TE CRETÆ, pro *in Creta*. Et in his verbis comprehendit materiam Epiſtolæ huius in genere: explicatam tamen in parte cùm dictum eſt *ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis*, &c. in parte autem explicatur per ſubiuncta. Verſ. 5.

VT EA QVÆ DESVNT CORRIGAS, pro *ſupercorrigas*. Appellat *ea quæ deſunt*, ea quæ ſubterfugerunt correctionem ipſius Pauli. Et dicit *ſupercorrigas*, ad ſignificandum, vel indigentiam iterandæ correctionis, tanquam per Paulum non planè fuerint correcta: vel ad ſignificandum indigentiam authoritatis, tanquam per Paulum leniter fuerint correcta, ſed experientiâ teſte aſperiore egent correctione. Et hoc magis quadrat ſubſequentibus.

ET CONSTITVAS PER CIVITATES, pro *ciuitatem*, PRESBYTEROS. In ſingulari numero Paulus ſcribit per ciuitatem: ſed exponitur per ciuitatem vnamquamque vt ſingulis ciuitatibus ſingulos presbyteros conſtituat. Non aduerſatur tamen ſacris eloquiis plures in vna ciuitate appellari tunc temporis Presbyteros, ſeu Epiſcopos, vt patet Act. 20. SICVT ET EGO DISPOSVI TIBI. Non ſolum vt conſtituas Epiſcopos commiſi tibi: ſed etiam modum explicaui.

Presbyteri conſtituendi.

SI QVIS SINE CRIMINE EST. Ne putet quiſpiam latere ſecretas regulas quas tradidi tibi, explico eas in ſcriptis. Vbi aduerte pro ordine Epiſtolæ, quod hic incipit tractare propoſita, inchoans ab vltimo: videlicet *& conſtituas per ciuitatem Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi*. Verſ. 6.

Quali[illegible]

Cùm autem audis, *ſi quis ſine crimine eſt*, intellige ſi quis eſt ſine culpa imputabili in iudicio. Quod clarius fuiſſet interpretatum ſi quis inculpabilis ſiue inculpatus exiſtit.

VNIVS VXORIS VIR. Non dicit qui fuerit vnius vxoris vir (quemadmodum de vidua dixit ad Timotheum *quæ fuit vnius viri vxor*) ſed abſolutè dicit *vnius vxoris vir*: hoc eſt, non plurium vxorum vir. Signum ſiquidem minoris continentiæ tam in vidua, quam in viro eſſet. Et multò magis indignus Epiſcopatu eſſet, non ſolùm ſi plures concubinas, ſed ſi vnam haberet.

FILIOS HABENS FIDELES. Nec quòd habeat filios, nec quòd habeat aut habuerit vxorem exigitur: ſed quòd ſi habet vxorem habeat vnam, & ſi habet filios habeat fideles. Non vult hominem habentem filios Ethnicos promoueri in Epiſcopum. Appareret enim nonnulla ſpecies turpitudinis, vt is eſſet Chriſtianorum pater qui filios non erudiuit in fide.

NON IN ACCVSATIONE LVXVRIÆ. Secunda filiorum conditio eſt quod non ſint accuſabiles de luxu, de delectatione in ſuperfluis,

ctus, ſiue venereis, ſiue veſtibus, ſiue cibis, & ſimilibus.

AVT NON SVBDITOS. Tertia filiorum conditio requiſita eſt vt ſint ſubditi paternis monitis. Qui enim filios habet non cum his conditionibus, præ ſe fert quòd domum ſuam minus regere ſcit: ac per hoc minus bene reget Eccleſiã Dei. Id quod ad Timotheum Paulus dicit *domum ſuam bene regentem*, modò ad Titum explicat his tribus conditionibus.

Verſ. 7. *Idem gradus & officium ſignificatur hic nomine Presbyteri & Epiſcopi.* OPORTET ENIM EPISCOPVM. Rationem reddit regulæ datæ circa promotionem Preſbyterorum. Vbi aduerte eundem gradum idemque officium ſignificari à Paulo nomine Preſbyteri, & nomine Epiſcopi: nam præmiſit, *idcirco reliqui te in Creta vt conſtituas Presbyteros*: & modò probando regulam, dicit *oportet enim Epiſcopum*: neutrum ſiquidem horum nomen eſt ordinis, ſed potius officij: *Epiſcopus* quidem ſecundum proprietatem: *Presbyter* autem ſecundùm tranſlationem: ſignificat enim ſeniorem, qui communiter conſueuit ſuperintendere aliis. Quomodo autem nomen Presbyteri tranſlatum ſit ad ſignificandum ſacerdotem, non eſt præſentis negotij.

SINE CRIMINE ESSE: hoc eſt, inculpatum eſſe. Ideo diſpoſui tibi vt conſtituas Presbyteros, *ſi quis ſine crimine eſt*, quia oportet Epiſcopum natura officij eius exigente, eſſe ſine crimine. Et hoc probat.

SICVT DEI DISPENSATOREM. Si eſſet diſpẽſator hominis, cùm homo poſſit eſſe culpatus, tolerabile foret, vt etiam ipſe eſſet culpatus: ſed ex eo quòd eſt diſpenſator Dei, ipſa relatio ad Deum exigit vt ſine crimine ſit: vt is qui vice Dei diſpenſat, perſonam Dei quam gerit non inquinet proprio crimine. Vnde & ad Corinthios ſcribit, *Sic nos æſtimet homo, vt diſpenſatores myſteriorum Dei.*

NON SVPERBVM, pro *proteruum*, qui omnia velut pede proterat: ac per hoc omnia ſibi licere exiſtimet.

NON IRACVNDVM. Proteruia in voluntate, iracundia in iraſcibili appetitu eſt.

NON VINOLENTVM, pro *vinoſum*. Delectari multo vino, concupiſcibilis partis eſt.

NON PERCVSSOREM. Turpe eſt Epiſcopo etiam iuſtè percutere manu propria.

NON TVRPIS LVCRI CVPIDVM, pro *turpilucrem*. Sic enim habetur in Paulo, ita quòd non de cupiditate, ſed de actione loquitur. Turpilucris autem eſt, qui ex iis in quibus non decet lucrari, lucratur: vt ſi cui ex ſpiritualibus officiis non ſufficiat habere neceſſaria ad victum, ſed augmentum vult opum, talis turpilucris eſt, vt taceam ſi ex malis artibus lucretur.

Verſ. 8. SED HOSPITALEM. Liberalitatem in hoſpites e regione turpilucris locat.

Prælatus ſit amator bonorum. BENIGNVM, pro *amatorem bonorum*. Magna pars prælati eſt eſſe amatorem bonorum: magna felicitas ſubditorum eſt, bonos amari ab eo qui præſidet: fiunt ſiquidem & quaſi pullulantes germinant boni vbi amantur.

PRVDENTEM, SOBRIVM. Interpres duo poſuit pro vno, forte quia dictio Græca ad prudentem ſcilicet & ſobrium, anceps eſt. Moderatum ſiquidem quid ſonat: quod in prudente & ſobrio inuenitur.

IVSTVM. Ius ſuum vnicuique reddentem. SANCTVM: hoc eſt, mundum in ſeipſo.

CONTINENTEM. Loco cuius moderni ponunt temperantem: vt temperare ſe extendit ad omnia quæ fræno indigent; ad quæ etiam ſe extendit continentia, diffusè tractata à Philoſophis.

AMPLECTENTEM EVM, pro *tenacem eius*, QVI Verſ. 9. SECVNDVM DOCTRINAM EST FIDELEM SERMONEM, pro *fidelis ſermonis*. Declarat oportere Epiſcopum ita fixum eſſe in fideli ſermone doctrinali, vt ſit tenax illius, vt nulla ratione permittat illum dilabi à ſe. Nec dicit tenacem fidelis ſermonis (hæc enim tenacitas exigitur à quolibet Chriſtiano) ſed dicit fidelis ſermonis, qui ſecundùm doctrinam eſt: hæc enim tenacitas propria eſt Epiſcopo. Et quare ſubdit.

VT POTENS SIT. Deeſt, *&*, EXHORTARI. Deeſt, *in*, DOCTRINA SANA, ET EOS QVI CONTRADICVNT ARGVERE. Ad duo officia neceſſariam huiuſmodi tenacitatem explicat: & ad exhortandum bene diſpoſitos, & ad arguendum aduerſarios, & vtrumque in doctrina ſana, abſque vlla labe corruptionis, diminutionis, ſeu ægritudinis.

SVNT ENIM MVLTI INOBEDIENTES, VANILO- Verſ. 10. QVI I. Deeſt, *mentium*, SEDVCTORES. Rationem reddit eius quod dixerat, *& eos qui contradicunt arguere*, ex eo quod multi ſunt contradictores. Quos à tribus deſcribit: ab inobedientia, à vaniloquio, à ſeductione pernicioſiſſima, vtpote mentium, ita quod vſque ad ſummam animæ partem (quæ mens eſt) penetrat eorum ſeductio. MAXIME QVI DE CIRCVMCISIONE SVNT. Supple pſeudochriſtiani. Non dicit eſſe ſolos, ſed *præcipuè*.

QVOS OPORTET REDARGVI, pro *quorum oportet os obturare*, authoritate & doctrinâ. Verſ. 11.

QVI VNIVERSAS DOMOS SVBVERTVNT. Non docent publicè, ſed priuatim per domos, quod eſt proprium hæreticorum, vt facilius ſeducere poſſint. DOCENTES QVÆ NON OPORTET. Vtputa legalia eſſe ſeruanda. TVRPIS LVCRI GRATIA. Nec hoc ipſum quòd vana docent, ſimplici intentione agunt, ſed ob quæſtum, quem turpe lucrum appellat: quoniam ex turpi cauſa quæritur. *Priuatim per domos docere, proprium hæreticorum.*

DIXIT QVIDAM EX ILLIS PROPRIVS IPSO- Verſ. 12. RVM PROPHETA. Dixerat eſſe multos inobedientes, præcipuè qui ex Iudæis conuerſi fuerant, & hos depinxerat: reſtabat vt pingeret inobedientes ex gentibus conuerſos. Et quoniam hi erant Cretenſes, ideo illos deſcribit ex authoritate Epimenidis Cretenſis. Quem appellat non prophetam abſolutè, ſed proprium ipſorum prophetam, tanquam vaticinatus fuerit veritatem eorum, qui tunc temporis erant, Cretenſium. *Epimenidem Poëtam Cretenſem citat Paulus.*

CRETENSES SEMPER MENDACES, quoad vitium linguæ. MALÆ BESTIÆ. Quoad vitium animi, ſimiles feris nouis quoad facta. VENTRES PIGRI. Quoad corpus, ingluuie & pigritia notantur. Et hæc omnia vno heroico carmine ſcribuntur ab illo: ſed interpres ſententiam non metrum tranſtulit.

TESTIMONIVM HOC VERVM EST. Approbat Verſ. 13. dictum illius Poëtæ, vt inde rationem reddat ſubiunctorum. QVAM OB CAVSAM, quia ſunt talium conditionum. INCREPA ILLOS DVRE.

Tractat

Tractat illam particulam, *vt ea quæ deſunt ſupercorrigas*, feralis enim conditionis homines, durè ſunt arguendi.

VT SANI SINT IN FIDE. Ad materiam primò propoſitam refert correctionem: primum enim propoſuit fidem electorum Dei: & propterea primò dicit vt ſani ſint in fide, vt non inſaniant in iis quæ ſunt fidei. Et explicans periculum inſaniæ ſubiungit:

Verſ. 14. NON INTENDENTES IVDAICIS FABVLIS: hoc eſt primum periculum inſaniendi in iis quæ ſunt fidei, eſt intendere Iudaicis non hiſtoriis, non doctrinis, ſed fabulis. Et quoniam nihil aliud explicat, intelligendæ videntur fabulæ Thalmudicæ. ET MANDATIS HOMINVM AVERTENTIVM SE A VERITATE, pro *auerſantium veritatem*. Non dicit ſimpliciter & mandatis hominum, ſed hominum aſpernantium veritatem. Et intendit ad literam quòd non intendant mandatis hominum renicientium licentiam libertatis Euangelicæ: ac per hoc mandatum ſeruari legalia. Vnde & ſubiungit:

Verſ. 15. *Omnia munda mundis.* OMNIA MVNDA MVNDIS. Formaliter loquitur de omnibus cibis, veſtibus, & ſimilibus, quæ in lege Moyſi habebantur immunda. Omnia, inquit, munda ſunt, ex Euangelica libertate, apud mundos, mente & conſcientiâ.

Nec obſtat quòd Apoſtoli mandauerint abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato, & ipſe Paulus mandauerit hoc ſeruari, vt patet in Actibus Apoſtolorum: quoniam hoc non fuit decretum & factum, eo quòd ſanguis, aut ſuffocatum eſſet immundum, ſed ad vitandum abominationem inter conuiuentes Iudæos cum Gentilibus tunc temporis.

COINQVINATIS AVTEM ET INFIDELIBVS NIHIL EST MVNDVM. Formalis eſt ſermo de inquinatis quatenus inquinati, & de infidelibus quatenus infideles ſunt. Quod dicitur ad differentiam eorundem, quatenus exercent naturalia officia, aut multas etiam actiones virtutis. Hæc enim cùm non ex inquinatione mentis, nec ex infidelitate procedant, non ſunt immunda illis: ſed nihil eorum quod inquinationem, aut infidelitatem eorum concernit, eſt illis mundum: eo quòd ex inquinatione conſcientiæ, aut infidelitate vnde procedunt, immunda redduntur illis. Et propterea aduerſatiuè ſubiungit:

SED INQVINATA EST EORVM MENS ET CONSCIENTIA. Mens inquinatur errore circa credenda, ſeu agenda: conſcientia autem inquinatur applicatione ad opus contra regulam rectæ rationis, quæ eſt conformis veritati euangelicæ.

Verſ. 16. CONFITENTVR SE NOSSE DEVM, FACTIS AVTEM NEGANT. Probat inquinationem tam mentis, quàm conſcientiæ ex opere. Licet linguâ fateantur ſe noſſe Deum notitia fidei, factis tamen illum negant: quoniam opera contrariantur præceptis Dei.

CVM SINT ABOMINATI ET INCREDIBILES, pro *abominabiles & increduli*, ET AD OMNE OPVS BONVM REPROBI. De Iudæis conuerſis ſeducentibus Chriſtianos ad obſeruationem legalium hæc omnia dicuntur. quòd ſint abominabiles: vtpote nec Iudæi, nec Chriſtiani. Et ſunt increduli veritati Euangelicæ: & ſunt ad omne opus bonũ, non ſolum inepti, ſed reprobati à Deo, tũ ab Apoſtolis Chriſti, & aliis ſequacibus.

CAPVT II.

Verſ. 1. TV AVTEM LOQVERE. Tractatá illâ particulâ, *fidem electorum Dei*, aggreditur alteram propoſitam: videlicet *& agnitionem veritatis*, quæ ſecundum pietatem eſt in ſpe vitæ æternæ. Ad huius enim veritatis cognitionem propagandam reliquum Epiſtolæ huius ſcribit: docens Titum vt inſtruat omnes hominum conditiones veritatem morum conformium pietati relatiue ad vitam æternam. Vnde & dicit: *Tu autem loquere*. *Titum docet vt omnes hominum conditiones instruat.* QVÆ DECENT SANAM DOCTRINAM. Doctrina Euangelica appellatur doctrina ſana à ſanitate mentis: quoniam continet & quicquid ſpectat ad mentis ſanitatem, & nihil docet contrarium ſanitati mentis. Recti ergo mores ſunt qui decent ſanam doctrinam.

Verſ. 2. SENES VT SOBRII SINT. Per partes diſtinguit doctrinam morum. Primò ſecundum ætates, incipiens à ſenibus. De quibus dicit, *vt ſint ſobrij*, ſeu vigiles. *Senes.* Et vigilantia quidem indicenda eſt ſenibus, propter ætatem reddentem eos negligentes. Sobrietas autem, quoniam vino multum alitur ætas illa. PVDICI, valde enim dedecet illam ætatem impudicitia. PRVDENTES, pro *modeſti*. Sæpe enim modum excedunt ſenes, tanquam ex authoritate. SANI IN FIDE, vt nulla ex parte inſaniant in iis quæ ſunt fidei. IN DILECTIONE, IN PATIENTIA. Non ſolum in fide, ſed in dilectione Chriſtiana (quæ ad omnes extenditur) & ſimiliter in tolerantia iubet ſanitatem animi ſeruari. Senes enim quia vident ſe minus diligi, & multis malis ſubiiciuntur ſenectutis, periclitantur tum in dilectione, tum in patientia.

Verſ. 3. ANVS SIMILITER. In eadem ſenectutis ætate inſtruit mulieres. IN HABITV SANCTO, vel in ſtatu ſancto ſecundùm alios codices Græcos. Et *Anus.* propriè ſignificat non *ſancto*, ſed *ſacridecenti*. Iubet itaque vt habitus, ſeu ſtatus ſit *ſacridecens*: hoc eſt, vt decet religioſas ſacraſque mulieres. Tanquam ſenectus tribuat illis quod aliis tribuit votum factum, addictio ad ſacra. Vt intelligamus quòd in ſtatu, inceſſu, habitu, veſte, & omnibus motibus ſuis agant perſonam addictam ſacris.

NON CRIMINATRICES, pro *calumniatrices*. Pronus eſt enim ſexus ille (& ex ætate ſenili ſuſpicionis plena longè pronior) ad calumniandum. NON MVLTO VINO SERVIENTES, quemadmodum de ſenibus dixit vt ſint ſobrij. BENE DOCENTES, pro *honeſta docentes*. Non publicè (mulieribus enim interdictum eſt docere publicè) ſed domeſticè, vt domeſticam familiam doceant ea quæ honeſta ſunt. Quò contra per Poëtam dicitur:

Hoc docent vetulæ pueris poſcentibus aſſem.

Verſ. 4. VT PRVDENTIAM DOCEANT, pro, *vt modeſtas reddant*, ADOLESCENTVLAS. Hoc debet eſſe vetularum ſtudium, vt adoleſcentulas immoderatio non poſſideat, prona eſt enim adoleſcentia ad immoderantiam. VT VIROS SVOS AMENT. Ad adoleſcentulas hoc refertur: & ſimiliter quæ ſequuntur. FILIOS SVOS DILIGANT. Decet enim puellas diſcere hoc à vetulis.

Verſ. 5. PRVDENTES, quantum ſexus & ætas permittit. CASTAS, moribus. SOBRIAS. Superfluit

ſobriæ

ſobrias. DOMVS CVRAM HABENTES, pro *cuſtodes*. Vult enim vt vetulæ doceant adoleſcentulas vt domi ſe contineant tanquam domus cuſtodes. BENIGNAS, feraces bonorum, & verborum, & factorũ. SVBDITAS VIRIS SVIS: hoc enim ius naturæ exigit. VT NON BLASPHEMETVR VERBVM DEI. Occaſio blaſphemandi Euangelium Chriſti (quod eſt verbum Dei) aſſumeretur à maritis, & aliis, ſi adoleſcentulæ Chriſtianæ non eſſent præditæ bonis moribus, & debitis conditionibus quæ exiguntur ad modeſtas vxores. Crederetur enim quòd Euangelium pareret hæc monſtra, quòd daret libertatem peccandi.

Verſ. 6. *Iuuenes.* IVVENES, pro *iuniores*. Deſcripta doctrina ſenum, & anuum, & adoleſcentularum, ſupererat deſcribere doctrinam iuuenum, & propterea dicit: IVNIORES SIMILITER HORTARE VT SOBRII SINT. Vel ſecundum modernos interpretes vt modeſtè ſentiant. Moderamine eget iuuentus: quod modeſtia & ſobrietas importat.

Verſ. 7. IN OMNIBVS TEIPSVM PRÆBE, pro *præbens*, EXEMPLVM BONORVM OPERVM. Inter inſtruendum iuniores, inſtruit ipſummet Titum: vt hinc intelligamus ipſum eſſe in numero iuniorum, & vt iuniores doceat magis exemplo quàm verbo. Vt videntes alij iuuenes Titum iuuenem, bonorum operum exemplum diſcant & ipſi incumbere bonis operibus. Propter quod dicit *in omnibus*, vt nulla ex parte deſit exemplum.

IN DOCTRINA, IN INTEGRITATE, IN GRAVITATE. Deficit hîc vna dictio, & legenda ſunt poſt *in doctrina*, reliqua quinque in accuſatiuo ſine aliqua præpoſitione. Ita quòd legendum eſt, *In doctrina integritatem, grauitatem, incorruptibilitatem*,

Verſ. 8. VERBVM SANVM IRREPREHENSIBILE. Nec adiicitur verbum aliquod. Et propterea referenda ſunt ad participium *præbens*: vt intelligatur repetitum: Præbens in doctrina integritatem, grauitatem, &c. Quinque tribuenda in doctrina mandat. *Tres doctrinæ conditiones.* Et tria quidem prima conditiones docentis ſignificant: vt ſit integer quoad vitam, etiam ſecundùm intima quæ ab aliis videri poſſunt: vt ſit grauis in actibus, moribus, geſtibus, & vniuerſis quæ ad commendationem authoritatis ſpectant: vt ſit incorruptibilis, ab extrinſecis tam proſperis quam aduerſis, à muneribus, à minis, à tormentis, &c. Reliqua verò duo ad materiam doctrinæ ſpectant: vt non doceatur verbum ſapiens aliquid inſaniæ, ſed verbum ad animi ſanitatem ſpectans. Et cum hoc irreprehenſibile à quibuſcumque ad quos peruenit etiam aduerſarios. Vnde & ſubdit:

VT IS QVI EX ADVERSO EST VEREATVR, pro *pudeſiat*, NIHIL HABENS MALVM DICERE DE NOBIS. Aduerſarij non inuenientes quod reprehendant in nobis, ſuffunduntur pudore: eo quòd nullum habent quod aduerſus nos malum dicant.

Verſ. 9. *Inſtructio ſeruorum.* SERVOS DOMINIS SVBDITOS ESSE. Poſtquam diuerſas ætates inſtruxit, deſcendit ad inſtruendum genus ſeruorum qui conuerſi erant ad fidem Chriſtianam. Fuit autem opus ſpecialiter tradi doctrinam ſeruorum, ne adepti libertatem Euangelicam, exiſtimarent ſe adeptos libertatem à dominis carnalibus, & patefacerent dominos: & ſic Euangelium fuiſſet blaſphematum à dominis. Vnde & primum documentum eſt, ſeruos eſſe ſubditos ſuis dominis. Baptiſmus enim ſoluit crimina, & confert libertatem ſpiritus: non ſoluit autem debita corporis aut rerum, nec confert libertatem corporis. Conſtat autem ſecundùm corpus in hoc mundo eſſe dominos & ſeruos. IN OMNIBVS PLACENTES. Non ſolùm ſubditos, ſed complacentes dominis eſſe iubet. Quod autem dicit *in omnibus*, intellige licitis. NON CONTRADICENTES. Facile genus ſeruorum è regione reſpondet.

NON FRAVDANTES. Quod familiare videtur Verſ. 10.
eſſe ſeruis. SED IN OMNIBVS, pro, *ſed omnem*, FIDEM BONAM OSTENDENTES. Fides pro fidelitate hîc ſumitur, è regione fraudis. Fidelis enim eſt non fraudare, nec fallere. Et dicit *oſtendentes bonam*: vt intelligamus quòd ſerui non ſolum debent oſtendere fidelitatem, ſed fidelitatem bonam: vtpote non coactam, ſed ex bonitate procedentem.

VT DOCTRINAM SALVATORIS NOSTRI DEI ORNENT IN OMNIBVS. Quemadmodum ſerui Chriſtiani malis moribus præditi (ſicut fraudantes, inobedientes, &c.) quantum in ſe eſt vituperant doctrinam Chriſtianam, ita bonis moribus præditi ornant doctrinam ſaluatoris Chriſtianorum Dei.

APPARVIT ENIM GRATIA DEI. Ad manife- Verſ. 11.
ſtandum quòd tam ſerui, quàm cuiuſque ætatis homines rectè ſe gerentes ornant doctrinam ſaluatoris noſtri Dei, affert beneficium diuinum commune tam dominis quàm ſeruis, quàm cuiuſcumque conditionis hominibus. SALVATORIS NOSTRI, pro *ſalutifera*. Nominatiui enim eſt caſus: & refertur ad *gratiam*. Apparuit, inquit, gratia Dei ſalutifera, ſeu ſalutaris. OMNIBVS HOMINIBVS, ſub quibus comprehenduntur & ſerui.

ERVDIENS NOS. Ecce de qua gratia loquitur, Verſ. 12.
de gratia doctrinæ ſalutaris: ad eam enim ſpectat erudire nos. Apparuit autem per Chriſtum. *Gratia doctrinæ ſalutaris.* VT ABNEGANTES. Præteriti temporis eſt in textu Græco: ſed nos caremus participiis actiuis præteriti temporis. Potuiſſet tamen transferri, vt abnegatis impietate & mundanis deſideriis. Sequendo tamen textum interpretis legimus præſens pro præterito. IMPIETATEM ET SECVLARIA, pro *mundana*, DESIDERIA: impietatem in opere, mundana deſideria in animo: impietatem contrariam proximis, mundana deſideria contraria ſanitati animæ. SOBRIE, ET IVSTI, ET PIE VIVAMVS IN HOC SECVLO. Abiectis tanquam termino *a quo* impietate & mundanis deſideriis, viuamus in præſenti ſeculo *ſobrie*, quoad nos: hoc eſt, moderando noſipſos. Et *iuſtè*, quoad proximos, reddendo vnicuique quod ei debetur. Et *piè*, relatiuè ad cœleſtem patriam, patrem & conciues.

EXPECTANTES BEATAM SPEM. Eruditio iſta Verſ. 13.
vere eſt ſalutifera, nec fruſtra erudit, ſed ad hoc vt ſic viuentes expectemus beatam ſpem. Spes pro re ſperata hîc ponitur, vt expectemus beatitudinem ſperatam. ET ADVENTVM, pro, *& apparitionem*, GLORIÆ MAGNI DEI. Non ſolùm expectamus beatitudinem noſtram, ſed expectamus apparitionem gloriæ Dei magni. Non quod inueniatur etiam Deus non magnus, ſed apparitio gloriæ erit magnitudinis diuinæ. *Cur dicit magni Dei.* Apparuit enim gloria Dei ſæpe priſcorum

patrum

patrum tempore: ſed nunquam apparuit gloria Dei quatenus magnus: ſed huiuſmodi gloria apparebit apparente Chriſto in ſuo aduentu glorioſo. Tunc enim verè apparebit gloria Dei magni, cùm apud omnes manifeſta erit gloria Dei magni ſupra omnia. Vſque enim ad illam horam vertetur in dubium apud aliquos gloria Dei, quòd ſit magnus ſupra omnia & in omnibus & per omnia.

Nec tu ſpeculatiue Theologe reſtringas nomen *Dei* ad perſonam aliquam (puta patrem, filium, vel ſpiritum ſanctum) ſed quemadmodum in reliquis locis ſcripturæ vbi nomen *Dei* abſolutè vel cum terminis eſſentialibus (magnitudine, potentiâ, miſericordiâ bonitate, prudentiâ, & ſimilibus) ponitur, appellatione Dei intelligitur indiuiduum deitatis, hoc eſt, Deus: ita & in præſenti loco ſignificatur hic Deus: qui communis eſt Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Et salvatoris nostri Iesv Christi. Simul erit apparitio magnitudinis Dei, & apparitio gloriæ hominis Ieſu Chriſti quatenus ſaluator noſter eſt: nam vſque ad illam ſimiliter apud aliquos vertetur in dubium, quòd Ieſus Chriſtus ſit ſaluator noſter: tunc autem apparebit omnibus gloria ipſius Ieſu Chriſti ſaluatoris.

Verſ. 14. Qvi dedit semetipsvm pro nobis. Merita ſaluatoris Ieſu Chriſti, quibus meruit & corporis gloriam, & manifeſtationem ſuæ gloriæ, quæ tunc conſummabitur, apponit. Et vnico verbo comprehendit paſſionem & mortem eius & charitatem erga nos, dicendo, *qui dedit ſemetipſum pro nobis*. Vt nos redimeret ab omni iniqvitate. vt nos à ſeruitute cuiuſcunque peccati pretio ſui ipſius redimendo liberaret: & non vt liberaret à ſeruitute hominum in præſenti vita.

Et mvndaret sibi popvlvm acceptabilem. pro *peculiarem*. & mundum redderet ab omnibus immunditiis legalibus populum peculiarem ſibi, non populum Iudaicum, non nationem aliquam, ſed populum proprium ſibi: qualis eſt populus Chriſtianus. Sectatorem. pro, *æmulatorem* bonorvm operum. Et ſi Chriſtus redemit ac mundauit ſibi populum, eâ tamen lege illum redemit ac mundauit, vt ſeipſum quoque populus ſeruet ac promoueat, vt ſit æmulator bonorum operum: non vacet otio, non tepeſcat, ſed velut æmulando incumbat bonis operibus. Hoc eſt, commune ſeruis & dominis, hoc ſenibus & vetulis, hoc iuuenibus & adoleſcentulis, &c.

Verſ. 15. Hæc loqvere. Docendo. Ex exhortare. diſpoſitos. Et argve. contradicentes. Cvm omni imperio. Modeſtia Titi mandato egebat ad hoc, vt authoritate ſuâ vteretur aduerſus contradicentes. Nemo te contemnat. Ratio quare cum omni imperio, redditur non ex ſupercilio faſtuoſo, ſed ex vtilitate, quæ non proueniret, ſi prælatus contemneretur non vtendo imperio quando, vbi, & erga quos oportet.

CAPVT III.

Admone illos principibvs. pro, *principatibus*, et potestatibvs svbditos esse. Pronomen *illos* Cretenſes demonſtrat, quos ſuperiùs eodem pronomine demonſtrauit, dicendo *increpa illos durè*. Poſt doctrinam ſiquidem ætatum & ſeruorum, redit ad doctrinam communem omnibus. Et primò monet ſubiectionem magiſtratibus & reliquis poteſtatem habentibus, qui tunc erant Ethnici: ne Chriſtiani putarent ſe liberos per baptiſmum à ſubiectione eorum, propterea quòd erant idololatræ. Dicto obedire. pro, *magiſtratibus parere*. Parum aut nihil eſt eſſe ſubditos niſi ſubſequatur obedientia. Ad omne opvs bonvm paratos esse. Explicat obedientiam debere intelligi in operibus bonis quibuſcunque. Verſ. 1.

Neminem blasphemare. Græca dictio vſurpata iam à Latinis eſt blaſphemare, & quamuis apud Latinos iniuriis aduerſus Deum approprietur, ſuapte tamen naturâ commune eſt maledicentiæ in cuiuſcunque honorem. Vnde ad literam prohibentur Chriſtiani maledica verba proferre aduerſus principatus & poteſtates & alios honore dignos. Verſ. 2.

Verba maledica aduerſus principes & honore dignos Chriſtiani prohibentur.

Non litigiosos. pro, *pugnaces*, esse. tam verbis quàm factis. Sed modestos. vel humanos, vt aliis placet. E regione ad pugnaces locantur modeſti ſeu humani, moderantes tam verba quàm facta. Omnem ostendentes mansvetvdinem ad omnes homines. Optimus Chriſti Apoſtolus præceptum Chriſti propagare nititur, *diſcite a me quia mitis ſum*. Magna Chriſtianorum commendatio eſt, præ ſe ferre manſuetudinem non aliquam ſed omnem, ſecundùm omnes manſuetudinis partes & materias, non erga aliquem ſeu aliquos, ſed erga omnes homines, cuiuſcunque ſectæ fuerint. Et rationem huius vltimæ particulæ (*ad omnes homines*) ſubiungit.

Eramvs enim aliqvando et nos insipientes. pro, *ſtulti*. Intendit ab exemplo docere manſuetudinem erga omnes, quia qui hodie ſunt malis moribus præditi & increduli, cras fortè erunt fideles & boni, ſicut experientia docet de nobiliſpiſs. Ex conſideratione itaque noſtri, quales aliquando fuerimus & quales modò ſimus, docet rationem habendam aliorum qui modò ſunt tales quales nos olim fuimus. Hanc itaque rationem tractat dicendo: *eramus enim aliquando & nos ſtulti*, in aliquibus à vera prudentia deſtituti. Increduli. Euangelio. Errantes. A vera intelligentia ſcripturarum, ab ipſa veritate. Verſ. 3.

Servientes desideriis et volvptatibvs variis. Tria præcedentia ad partem ſpectant intellectiuam: hoc autem ad partem exequutiuam. Seruire ſiquidem concupiſcentiæ, & delectationibus, eſt exequi ea quæ ſunt concupiſcentiæ & delectationis.

In malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Hæc ad partem affectiuam ad malum ſpectant: quemadmodum deſideria & voluptates

voluptates partis ſunt affectiuæ ad bonum vtile, vel delectabile. *Malitia* enim affectum ſonat nociuum alteri: *inuidia* triſtitiam de bono alieno: *odium* quoque aduerſus alienum bonum tendit. Vndique ergo eramus malis moribus pleni.

Et computat ſeipſum Paulus inter iſtos: quoniam talis fuerat antequam conuerteretur. Verùm peccata aduerſus proximum (vt ipſe alibi dicit) fuerunt aduerſus Chriſtianos: quoniam ſine querela conuerſatus eſt in lege Moyſi. Et ſimiliter peccata partis intellectiuæ, aduerſus veritatem Euangelicam intelliguntur.

Verſ. 4. CVM AVTEM BENIGNITAS ET HVMANITAS. Non eſt nomen naturæ humanæ, hoc in loco *humanitas*: ſed eſt nomen affectus amoris erga homines, diſtincti contra vitium inhumanitatis. Et eſt ſenſus: Cùm autem benignitas (quæ eſt feracitas boni) & amór erga homines. Generi adiungitur ſpecies, benignitati amor ad homines. APPARVIT SALVATORIS NOSTRI DEI. Nomen naturæ eſt *Dei*: & ſignificat (vt dictum eſt) hunc Deum.

Verſ. 5. NON EX OPERIBVS IVSTITIÆ, pro *in iuſtitia*, QVÆ FECIMVS NOS: hoc eſt, non ex operibus quæ in iuſtitia legis Moyſi ſeruauimus. Intendit enim excludere merita ſeruatæ legis: & à fortiori reliqua merita. SED SECVNDVM SVAM MISERICORDIAM SALVOS NOS FECIT. Ecce effectus apparentis benignitatis & humanitatis. PER LAVACRVM REGENERATIONIS ET RENOVATIONIS SPIRITVS SANCTI. Ecce modus, quo ſaluos nos fecit, videlicet per Baptiſmum. Ecce tempus, quando apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei: videlicet tempus Baptiſmi, quod incepit in Chriſto. Lauacrum

Bis naſcimur. autem dicit regenerationis. *Oportet*, inquit Chriſtus, *vos naſci denuo*. Primò nati ſumus ſecundum carnem: ſecundò naſcimur ſecundum ſpiritum. *Et renouationis*. Niſi perdidiſſemus priorem nouitatem, non diceret Paulus *renouationis*. Quemadmodum enim regeneratio ſupponit aliam generationem: ita renouatio ſupponit aliam nouationem. Et hæc fuit, cùm primi parentes creati fuerunt in ſtatu innocentiæ. Renouamur igitur per baptiſmum ſecundum ſpiritum, in meliorem nouitatem quàm illa fuerat in qua creatum fuit primùm humanum genus. Vnde ne male intelligeretur tam regeneratiò, quàm renouatio, adiungit *Spiritus ſancti*: vt intelligeremus regenerationem & renouationem ſpiritualem, vtpote conformé ſuæ appropriatæ cauſæ Spiritui ſancto.

Verſ. 6. QVEM EFFVDIT IN NOS ABVNDE, non auarè, ſed copioſè: & tam abundè, vt in alios deriuetur. PER IESVM CHRISTVM SALVATOREM NOSTRVM. Benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei apparuit per hominem Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum. Vbi perſpice, erudite lector, ſaluatorem noſtrum appellari Deum, & ſaluatorem noſtrum appellari hominem Ieſum Chriſtum: vt intelligamus Deum principaliter, hominem verò Ieſum tanquam Dei organum, eſſe ſaluatorem noſtrum.

Verſ. 7.

Hic ſecundũ ſpem, in altera vita ſecundum re hæredes ſumus vitæ æternæ.

VT IVSTIFICATI GRATIA IPSIVS, non noſtris operibus. HÆREDES SIMVS SECVNDVM SPEM VITÆ ÆTERNÆ. In præſenti vita ſecundum ſpem hæredes ſumus vitæ æternæ: in futura autem hæredes erimus ſecundum rem vitæ æternæ. Vtrumque autem dicit: & quod gratia Dei, & quòd hæreditario iure vitam æternam adipiſcimur. Quia gratia Dei iuſtificamur, & ſumus filij Dei, effecti autem filij, hæredes ſumus æternæ vitæ.

FIDELIS SERMO EST. Superfluit *eſt*. More ſuo interponit Paulus veracitatem ſermonis: quæ præcipuè refertur ad præcedentia promittentia æternam vitam. ET DE HIS VOLO TE CONFIRMARE. Iuxta textum Græcum tam actiuè, quàm paſſiuè legi poteſt *confirmatio*: ſubiuncta tamen præ ſe ferunt actiuam ſignificationem. Verſ. 8.

VT CVRENT BONIS OPERIBVS PRÆESSE. Volo, inquit, te confirmare alios, etiam de his antedictis, vt curent præeſſe bonis operibus. Datiui caſus eſt *bonis operibus*. Nec de prælatis, ſed de ſingulis Chriſtianis loquitur: ſubiungendo,

QVI CREDVNT, pro *crediderunt*, DEO. Dicit enim hoc ad differentiam eorum, quorum ſtudium eſt erga ludos, & alia opera minus decentia, aut licita. Vult enim Chriſtianos omnes ad hoc ſtudere, vt tam in propriis, quàm in alienis præſint bonis operibus, non ludicris, aut indecentibus, aut illicitis. Quamuis ſi datiuo pro ablatiuo vtamur, ſenſus ſit, quòd ſinguli Chriſtiani curent præſtare Gentilibus non titulis, aut ſacramentis, ſed operibus bonis.

HÆC SVNT BONA, ſecundum ſe honeſta. ET VTILIA HOMINIBVS. Vere vtilia ad ſalutem æternam.

STVLTAS AVTEM QVÆSTIONES, quæ carent Verſ. 9.
rationabili cauſa quærendi, aut quæſiti. ET GENEALOGIAS, tribuum & familiarum Iudæorum. ET CONTENTIONES, clamoribus plenas. ET PVGNAS LEGIS, eorum ſcilicet quæ videntur in libris Moyſi inter ſe contraria. DEVITA. Et rationem ſubdit:

SVNT ENIM INVTILES ET VANÆ. Non igitur loquitur Paulus de rationabilibus pugnis legis, ſed de inutilibus & vanis. Et dixit hoc: quia tunc temporis Iudæi conuerſi ingerebant has dubitationes, vt monſtrarent ſe doctores in lege. Vnde *vanas* dicit, quia ad vanitatem gloriæ fiebant: *inutiles* autem, quia nec moribus, nec fidei proſunt.

HÆRETICVM HOMINEM. hoc eſt, pertina- Verſ. 10.
cem in propria electione credendorum. POST *Hæreticus vitandus.*
VNAM ET SECVNDAM CORREPTIONEM. pro, *ad-* *Monitiones*
monitionem, DEVITA. pro, *reiice*. Hinc traxit *ante excõmu-*
Eccleſia monitiones ante excommunicationẽ. *nicationem.*

SCIENS QVIA, pro, *quod*, SVBVERSVS EST QVI Verſ. 11.
EIVSMODI EST. Ideo reiiciendum mando, quia non eſt amplius locus monitioni, ſed iam ſubuerſus eſt intus, qui tot monitiones ſpreuit. ET DELINQVIT, CÙM SIT PROPRIO IVDICIO CONDEMNATVS. pro, *& peccat, per ſe damnatus*. Non peccat à te damnatus, ſed peccat per ſeipſum damnatus, propria pertinacia ſeparans ſe a Catholica Eccleſia.

CVM MISERO AD TE ARTEMAM, AVT TYCHI- Verſ. 12.
CVM, FESTINA AD ME VENIRE NICOPOLIM. IBI ENIM STATVI HYEMARE. Non antequã ſurrogauerit alium ſuper Cretenſes, vult Titum ad ſe venire: ne Cretẽſes derelicti viderẽtur a Paulo.

ZENAM LEGISPERITVM. Aiunt hunc ante- Verſ. 13.
quam eſſet Chriſtianus hoc titulo inſignitum: & propterea Paulus appellat eum legiſperitum. Et eſt ſermo de lege Moyſi. ET APOLLO. De quo in Actibus Apoſtolorum,

& ad Corinth. mentio fit. SOLICITE PRÆMITTE, pro *ſtudioſe proſequere*, VT NIHIL ILLIS DESIT. Mandat vt Titus prouideat iſtis viatoribus in neceſſariis in via.

Verſ. 14. DISCANT AVTEM ET VESTRI, pro *noſtri*, ſcilicet Chriſtiani ex Gentibus conuerſi ad imitationem Iudæorum prouidentium ſuis doctoribus. BONIS OPERIBVS PRÆESSE AD VSVS NECESSARIOS. Eleemoſynas bona opera appellat, & vult illos præeſſe eleemoſynis, non ad luxum, ſed ad vſus neceſſarios hoſpitum & viatorum. VT NON SINT INFRVCTVOSI. Infructuoſi eſſent, ſi eleemoſynarios fructus non proferrent in neceſſarios vſus.

SALVTANT TE QVI MECVM SVNT OMNES. Verſ. 15. SALVTA EOS QVI NOS AMANT IN FIDE. Ieſu Chriſti. GRATIA DEI CVM OMNIBVS VOBIS: AMEN. Superfluit *Dei*. Et hæc ſalutatio manu Pauli non ad Titum ſolum, ſed ad omnes in Creta Chriſtianos dirigitur, pro quorum ſalute hanc Tito ſcripſit Epiſtolam.

Et apud Græcos inuenitur ſubſcriptio hæc: *Subſcriptio.* *Ad Titum Eccleſiæ Creterſium primum delectum Epiſcopum, ſcripta Nicopoli Macedoniæ.*

Caietæ die quinta Maij, 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM PAVLI AD PHILEMONEM COMMENTARII.

Verſ. 1. PAVLVS VINCTVS CHRISTI IESV, ET TIMOTHEVS FRATER. Ex præſentia Timothei & vinculis Pauli collatis cum ſcriptis ad Coloſſenſes, & ſecunda ad Timotheum, facile apparet quòd hæc epiſtola ſimul ſcripta eſt, cum Epiſtola ad Coloſſenſes tempore priorum vinculorum Pauli. Vnde & ad Coloſſenſes ſcribit quòd cum Tychico mittit Oneſimum, pro quo ſcribit hanc Epiſtolam, & vtrobique commemoratur Demas preſens cum Paulo: qui in ſecunda ad Timotheum ſcribitur amplexus mundum relicto Paulo.

Hæc Epiſtola cũ ea quæ eſt ad Coloſſ. ſcripta eſt in prioribus vinculis.

Adiungit autem ſibi Timotheum in titulo epiſtolæ huius, quemadmodum & in illa ad Coloſſenſes, vt publicum & priuatum negotium vtriuſque nomine authoretur.

PHILEMONI DILECTO ADIVTORI, pro *& cooperario noſtro. Dilecto* non eſt participium, ſed nomen; & tam à diligi, quàm à cooperari commendatur: vt intelligamus ipſum eſſe cooperarium Euangelij, etſi non prædicatione, tamen facto, & communiter amabilem.

Verſ. 2. ET APPIÆ SORORI CHARISSIMÆ, pro *dilectæ*. Loco *ſorori chariſſimæ* legendum eſt *dilectæ*. Vxor Philemonis ſalutatur & commendatur. ET ARCHIPPO COMMILITONI NOSTRO. Hic erat Epiſcopus Coloſſenſium. ET ECCLESIÆ QVÆ IN DOMO TVA EST. Familiã ipſius Philemonis domeſticam Eccleſiam eius appellat.

Appia vxor Philemonis.

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRI NOSTRO, ET DOMINO IESV CHRISTO. Solita Paulo Verſ. 3. eſt hæc ſalutatio.

GRATIAS AGO DEO MEO SEMPER MEMO- Verſ. 4. RIAM TVI FACIENS IN ORATIONIBVS MEIS. Petiturus veniam Oneſimo incipit a commemoratione, imò a recognitione beneficioru ipſius Philemonis erga Chriſti fideles. Et propterea commemorat ſe & gratias agere Deo, & orare pro ipſo Philemone.

AVDIENS CHARITATEM TVAM ET FI- Verſ. 5. DEM. Dilectionem & fidem ſpecialiter refert: quoniam erga fideles ſpecialiter refulgebat dilectio Philemonis. QVAM HABES IN DOMINO IESV, pro *in Dominum Ieſum*, ET IN OMNES SANCTOS. Diuerſimodè intellige fidem & dilectionem referri in Dominum Ieſum, & in omnes ſanctos. Nam in Ieſum refertur vt rationem credendi & amandi: in omnes verò ſanctos (hoc eſt Chriſtianos) tanquam in amatos & conſortes fidei.

VT COMMVNICATIO FIDEI, TVÆ Verſ. 6. EVIDENS pro, *efficax*, FIAT IN AGNITIONE OMNIS OPERIS BONI. Superfluit

fluit *operis*, & deſunt quatuor dictiones poſt *boni*. *quod eſt in vobis*, IN CHRISTO IESV, pro, *in Chriſtum Ieſum*. Talem ac tantam audio dilectionem tuam & fidem, vt fidei tuæ communicatio nobiſcum in agnitione omnis boni quod in vobis, vel nobis eſt, eſſe debitum Chriſto Ieſu, non ſit otioſa, ſed fiat efficax ad exercendum opera pietatis in ſanctos: vt illud quòd ex fide commune tibi & nobis eſt (videlicet cognóſcere omne bonum quod in vobis, ſeu nobis eſt eſſe in Chriſtum) fiat efficax ad facta: ad differentiam illorum, in quibus hæc notitia otioſa eſt, nempe ſine opere.

Verſ. 7. GAVDIVM ENIM MAGNVM HABVI, pro *gratiam enim habemus multam*, ET CONSOLATIONEM IN DILECTIONE TVA: QVIA VISCERA SANCTORVM REQVIEVERVNT, pro *refocillata ſunt*, PER TE FRATER. Vt commune declaret beneficium collatum aliis Chriſtianis, cùm dixiſſet prius ſingulariter, *gratias ago Deo*, modò pluraliter dicit, *habemus gratiam multam*: hoc eſt, gratuitum beneficium multum habemus noſipſi in dilectione tua, quia aliorum ſanctorum viſcera corporea per te refocillata ſunt cibo corporeo. Et dicendo *refocillata*, monſtrat Chriſtianorum indigentiam.

Verſ. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi quod ad rem pertinet. pro *conueniens*, ſeu *decens*. Ita quòd loco illarum quatuor dictionum (*quod ad rem pertinet*) vnica legatur dictio. Propter tantam fidei ac charitatis communicationem tuam, audere poſſem vt imperarem tibi quod conueniens eſt. Nullus enim poteſt imperare quod dedecet, aut quod inconuenit.

Verſ. 9. PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSECRO. Malo vti dilectione obſecrando, quàm authoritate imperando. CVM SIS, pro *ſim*, TALIS, VT PAVLVS SENEX, NVNC AVTEM ET VINCTVS IESV CHRISTI. Explicat quo in genere dixerat *talis*, quatuor qualitatibus. Primò *Paulus*. Erat enim nominatus imò nominatiſſimus Paulus. Quamuis ad ipſum nomen Pauli alludere videatur: *paulus* enim diminutiuum eſt à *paruum*. Ac ſi apertiùs dixiſſet vt minimus. Decet enim obſecrantem, ea quæ ſunt paruitatis ſuæ proferre.

Se quatuor coloribus pingit Apoſtolus.

Deinde *ſenex*. Ætas defectuum plena faciliùs impetrat. Si miraris Paulum in primis ex Iudæa vinculis ſenem: cùm anno eodem, quo mortuus eſt Dominus Ieſus deſcribatur adoleſcens in lapidatione Stephani: recole quòd à fine adoleſcentiæ (quæ vſque ad vigeſimum octauum ætatis annum extenditur) in qua Paulus vocatus creditur ad prædicandum, vſque ad tempus iſtius Epiſtolæ fluxerunt ferè anni triginta, ſi quinto, vel ſexto Neronis anno ſcripta eſt: vt patet ſupputando annos a decimooctauo Tiberij quo Chriſtus creditur crucifixus. Tranſierat igitur Paulus annos quinquagintaquinque ad minus, quando ſcripſit hanc Epiſtolam. Et propterea meritò potuit appellari ſenex: eo magis quo corpus tot afflictionibus ac laboribus affectum habebat vt iam eſſet ampliſſimè ſenex.

Quo ætatis anno ſcripſerit hanc Epiſtolã D. Paulus.

Tertiò adiungit, *nunc autem & vinctus*. Afflicti enim faciliùs impetrant. Et demum addit *Ieſu Chriſti*, ad conſummandum rationem impetrandi.

Verſ. 10. OBSECRO TE PRO MEO FILIO, obſecro, inquam, te pro meo non miniſtro, ſed filio. QVEM GENVI IN VINCVLIS MEIS ONESIMO, per Euangelium genui ipſum in vinculis. Et hic locus ad impetrandum non eſt minimus. Tanto enim eſt mihi magis charus quanto inter ipſa vincula (quæ adhuc patior) ipſum genui.

Verſ. 11. QVI TIBI ALIQVANDO INVTILIS FVIT, NVNC AVTEM TIBI ET MIHI PERVTILIS. Oneſimus Græcis ſonat vtilis: & propterea Paulus alludendo ad nomen *Oneſimi*, dicit, qui tibi aliquando fuit inutilis, (vtpote fugiens) nunc autem factus Chriſtianus tam mihi, quàm tibi perutilis. In meliorem ergo euaſit.

Oneſimus, id eſt, vtilis.

Verſ. 12. QVEM REMISI TIBI. Superfluit *tibi*. Quamuis mihi ſit perutilis, remiſi tamen. TV AVTEM ILLVM, VT, pro *hoc eſt*, MEA VISCERA SVSCIPE. Exponit illum, hoc eſt *mea viſcera*, vt intelligat Philemon quàm charus ſit Paulo Oneſimus.

Verſ. 13. Quem ego volueram mecum detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis Euangelij. Dicit *vt pro te*, confidens de Philemone quòd ſi affuiſſet Romæ, ipſe miniſtraſſet Paulo in vinculis quibus Euangelij gratia vinctus erat.

Verſ. 14. SINE CONSILIO AVTEM TVO, pro *ſine ſententia autem tua*, NIHIL VOLVI FACERE, nolui vti authoritate, nolui vti fiducia, NE VELVT EX NECESSITATE BONVM TVVM ESSET, SED VOLVNTARIVM. Ne opus tuum bonum, concedendi mihi Oneſimum, eſſet tanquam ex neceſſitate, quã ego retinuiſſem illum, ſed eſſet omnino ſpontaneum.

Verſ. 15. Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam à te, vt æternum illum reciperes. Damnum diſceſſus temporalis nititur penſare lucro æternitatis. Et dicit *forſitan*, quia neſcit perſeuerantiã Oneſimi futuram quà redderetur æternus: vtpote adeptus vitam æternam. Quamuis *æternum* poſſit aduerbialiter intelligi: hoc eſt, æternè reciperes, ſed ſententiã eadem redit.

Verſ. 16. IAM NON VT SERVVM, SED PRO SERVO, pro, *ſed ſupra ſeruum*, æternum illum reciperes: iam non vt ſeruum (non enim erit ſeruitus in illa æterna felicitate) ſed ſupra ſeruum, ſupra conditionem ſeruilem eleuatum. CHARISSIMVM, pro *dilectum*, FRATREM, MAXIME MIHI: QVANTO AVTEM MAGIS TIBI, ET IN CARNE, ET IN DOMINO. Aduerbium *maximè*, non referri ad *dilectum*, aut *fratrem*, manifeſtat argumentum, *quanto magis tibi*: ſed referri ad pronomen *mihi*, idem argumentum teſtatur. Et eſt ſenſus: mihi maximè inter reliquos iunctos dilectum fratrem, quanto magis tibi dilectum fratrem, qui duplicato vinculo illi iungeris: nempe & in carne & in Domino. Mihi iunctus eſt in Domino: tibi iunctus & in carne, hoc eſt, ſecundum ſeruitutem carnalem, & in Domino, ſecundum ſpiritualem communionem ſanctorum.

Oneſimum chariſſimũ ex multis commendat.

Verſ. 17. SI ERGO HABES ME SOCIVM, pro *conſortem*,

ſubaudi Euangelij & æternæ hæreditatis. SVSCIPE ILLVM SICVT ME. Continue auget loca ad impetrandam. Prius dixerat *ſuſcipe illum*, hoc eſt*, viſcera mea. Modo dicit, ſuſcipe illum ſicut meipſum: hoc eſt vt fratrem dilectum, vt conſortem regni cœleſtis.

Verſ. 18. SI AVTEM ALIQVID NOCVIT TIBI AVT DEBET, HOC MIHI IMPVTA, tam nocumentum quàm debitum.

Verſ. 19. EGO PAVLVS SCRIPSI MEÀ MANV. vt plenius credas ex meis intimis hæc procedere. **Ego reddam: vt non dicam tibi quòd & teipſum mihi debes.** cùm poſſim dicere quòd tu es mihi debitor tuipſius (quia te genui in Chriſto) dico tamen quòd ego rependam. Hinc apparet quòd Philemon aut non erat Coloſſenſis, aut alibi à Paulo conuerſus ſeu eruditus eſt. Paulus enim (vt patet ex Epiſtola ad Coloſſenſes) non fuerat Coloſſis, & tamen dicit Philemoni quòd debes teipſum mihi.

Verſ. 20. **Ita frater ego te fruar in Domino; refice.** pro, *refocilla*, **viſcera mea in Chriſto.** pro, *in Domino*. Rurſus ad Oneſimi nomen alludit. Oneſimus enim à fruitione nominatur. Et eſt ſermo blandus imprecantis concupitam dulcedinem præſentiæ fraternæ, concludendo affirmatiuè: Ita frater ego te fruar in Domino, tantum tu recipiendo Oneſimum refocilla viſcera mea: non corporea, ſed *in Domino*, conſolare intima deſideria mea in Domino.

Verſ. 21. **Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi, ſciens quoniam.** pro, *quod*, **& ſupra id quod dico facies.**

Si quis ſupputare velit loca quibus vtitur Paulus in hac epiſtola pro re tam minima obſtupeſcet: & nulli Oratori imparem Paulum putabit. Vnde & demum ſubiungit,

D. Paulus optimus orator.

Simul autem & para mihi hoſpitium. Verſ. 22.
Non eget præparatione tanta hoſpitium Pauli (cui ſat erat habere alimentum & quibus tegeretur) ſed & hic locus ad amplitudinem fiduciæ ſpectat, & maioris familiaritatis ſpem.

Nam ſpero quòd per orationes veſtras donabor vobis. Et hinc apparet epiſtolam hanc ſcriptam in prioribus Pauli vinculis. Eandem enim ſpem in Epiſtola ad Philippenſes habere ſe ſcripſit. Nec fraudatus eſt ſua ſpe: quoniam vt declarauimus in ſecunda ad Timotheum liberatus fuit Paulus ab illis vinculis, & rediit ad partes in quibus prius prædicauerat.

Salutat te Epaphras concaptiuus meus Verſ. 23.
in Chriſto Ieſu. Epaphras hic fuerat doctor Coloſſenſium: vt patet in epiſtola ad Coloſſenſes: & erat Coloſſenſis: vt hîc dicitur, propter Chriſtum Ieſum erat & ipſe captiuus.

Epaphras doctor Coloſſenſium.

MARCVS. conſobrinus Barnabæ: vt expli- Verſ. 24.
catur in epiſtola ad Coloſſenſes. ARISTARCHVS. etiam concaptiuus Pauli, vt ibidem dicitur. DEMAS, qui poſtea complexus hunc mundum apoſtatauit à Paulo: vt in ſecunda ad Timotheum habetur. ET LVCAS. Euangeliſta. ADIVTORES. pro, *cooperatores*, MEI. in opere Euangelico.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti Verſ. 25.
cum ſpiritu veſtro: amen: Hæc eſt ſolita Pauli concluſio. Quia enim vniuerſam congregationem domeſticam, & Archippum nominauerat in principio, ideo in calce dicit *cum ſpiritu veſtro*.

Et apud Græcos ſubſcriptio eſt hæc: *Ad Philemonem, ſcripta Romæ, Miſſa per Oneſimum famulum ſeu ſeruum.*

Subſcriptio.

Caietæ die 7. Maij, 1529.

THOMÆ

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS COMMENTARII.

Verſ. 1 MVLTIFARIAM. Circa hanc Epiſtolam ad Hebræos, duo occurrunt prætractanda. Alterum, an hæc Epiſtola fuerit condita Hebraico ſermone: vt communiter ſupponitur: alterum an certum ſit Paulum fuiſſe authorem huius Epiſtolæ. Et quoad primam quæſtionem, textus ipſe cap. 7. teſtatur non eſſe conditam Hebraicè. Nam ibidem de Melchiſedec dicitur: Primum quidem interpretatur rex iuſtitiæ. Si Hebraicè ſcripta eſt epiſtola, in quo, quæſo, idiomate interpretatur Melchiſedec rex iuſtitiæ? Melchiſedec enim apud Hebræos dictio compoſita eſt, ex rex & iuſtitiæ. Vnde in Hebræo debuiſſet dicere, Melchidec interpretatur Melchiſedec. Et tanto magis quanto ſcribitur apud Hebræos diuiſim: primo *Melchi* & deinde *Sedec*. Et quoniam hæc ratio me conuincit (ſicut conuincit & de Matthæo) ideo hanc epiſtolam non eſſe conditam Hebraico idiomate indubiè credo. In cuius ſignum nec Hebræa inuenitur epiſtola, nec ſcitur certus eius interpres ex Hebræo in Græcum.

An hæc Epiſtola ſcripta fuerit Hebraicè.

De authore verò huius epiſtolæ, certum eſt communem vſum Eccleſię & doctorum nominare Paulum. Hieronymus tamen in epiſtola ad Paulinũ de omnibus diuinæ hiſtoriæ libris, non audet affirmare illam eſſe Pauli: ait enim: *Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, octaua enim ad Hebræos, a pleriſque extra numerum ponitur*. Septem itaque tantum affirmat Hieronymus epiſtolas ad Eccleſias. Et in Epiſtola ad Euagrium de Melchiſedec, explicat qui ſunt iſti plerique à quibus non acceptatur: dicendo de hac epiſtola ad Hebræos.: *quam omnes Græci recipiunt & nonnulli Latinorum*. De qua in lib. de viris illuſt. dicit: *Epiſtola autem quæ fertur ad Hebræos, non eius* (ſcilicet Pauli) *creditur propter ſtyli ſermoniſque diſtantiam: ſed vel Barnabæ iuxta Tertullianum, vel Lucæ Euangeliſtæ iuxta quoſdam, vel Clementis Romanæ Eccleſiæ epiſcopi*, &c. Super Hieremiæ autem 31. cap. (tractando illud: *Ecce dies venient & feriam pactum nouum* (ait: *Hoc teſtimonio Apoſtolus Paulus, ſiue quiſquis alius ſcripſit Epiſtolam, vſus eſt ad Hebræos*. Rurſus in libro de viris illuſt. in Caio, de hac epiſtola loquens dicit: *ſed & apud Romanos vſque hodie quaſi Pauli non habetur*. Et Eſa. 6. exponens textum, *Seraphim ſtabant*, ait: *vnde & Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, quam Latina conſuetudo non recipit*, &c. Item Eſa. 8. exponens textum, *Ego & pueri mei*. &c. *Ceterum, inquit beatus Apoſtolus in epiſtola quæ ad Hebræos ſcribitur* (*licet eam Latina conſuetudo inter Canonicas ſcripturas non recipiat*) *docet*, &c.

An D. Paulus auctor huius Epiſtolæ.

Quæ omnia ideo attulerim, vt ex his & aliis Hieronymi verbis alibi prudens lector aduertat Hieronymum non fuiſſe omnino certum de authore huius epiſtolæ. Et quoniam Hieronymum ſortiti ſumus regulam ne erremus in diſcretione librorum canonicorum (nam quos ille canonicos tradidit, canonicos habemus: & quos ille a canonicis diſcreuit, extra canonem habemus) ideo dubio apud Hieronymum authore huius Epiſtolæ exiſtente, dubia quoque redditur epiſtola: quoniam niſi ſit Pauli, non perſpicuum eſt canonicam eſſe. Quo fit vt ex ſola huius Epiſtolæ authoritate non poſſit, ſi quod dubium in fide accideret, determinari. Ecce quantum parit malum liber ſine authoris titulo.

Quanta S. Hieronymi authoritas circa libros Canonicos.

Coniecturam quoque nonnullam efficiunt duo in hac epiſtola contenta, quòd non ſit Pauli. Alterum eſt in principio Epiſtolæ: vbi ad probandum Chriſtum eſſe ſuperiorem Angelis, cum dixiſſet: *Cui aliquando dixit Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te*: addidit, & rurſus: *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*. Quæ verba ſcripta ſunt 2. Reg. 7. &

Duæ coniecturæ quod hæc Epiſtola non ſit D. Pauli

Prima

& 1. Paralip. 28. ad literam de Salomone. Vnde Dauidi dicit expreſsè, *Salomon filius tuus ædificabit domum meam & atria mea: ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero illi in patrem*, &c. Et in 2. Reg. ſubiungitur: *Quòd ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum*, &c. Minus ſiquidem decet in tanta re tantum Apoſtolum vti tali argumento: cùm potuiſſent Hebræi facile reſpondere quòd non de filio Dei, ſed puro homine, & qui potuit peccare, & de facto poſtea peccauit, dicta ſunt hæc verba à Deo per Nathan ad Dauidem. Vnde ex tali filiatione non probatur ſuperioritas ad Angelos. Vti autem his verbis in ſenſu myſtico, minorem reddit authoritatem probantis: in principio præſertim Epiſtolæ & apud Hebræos.

Secunda. Alterum eſt in cap. 9. vbi de teſtamento propriiſimè loquitur vt diſtinguitur contra pactum: nam pactum eſt inter viuos, teſtamentum autem niſi mors intercedat teſtatoris, nondum valet. Et de teſtamento ſic propriè ſumpto loquens, dicit: *vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris: teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet dum viuit qui teſtatus eſt*. Et ſubiungit: *vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt: lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyſopo, ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti quod mandauit ad vos Deus.* Ex Exo. 24. hæc afferuntur: vbi non eſt ſermo de teſtamento ſed de pacto. Vnde reſponderi poteſt authori huius epiſtolæ quod de teſtamento, propriè ſumpto, migrat ad ad pactum: aut quòd errat, putando in Exodo eſſe ſermonem de teſtamento. Quorum vtrumque dedecet tantum Apoſtolum: ad Hebræos præſertim, verborum textus Hebraici proprietatem ſcientes.

Sed quid per coniecturas vagor: In ſecundo huius Epiſtolæ capitulo author huius Epiſtolæ numerat ſe inter illos, in quos Euangelica ſalus confirmata eſt per illos, qui audierunt a Domino Ieſu. Paulus autem clamat quod non ab homine, neque per hominem didicit: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti: & quòd Apoſtoli nihil ſibi contulerunt, &c. Nos tamen loquentes vt plures, Paulum authorem nominabimus: nam & ſic quoque Hieronymus fecit, vtendo ſcriptis in hac Epiſtola.

MVLTIFARIAM, MVLTISQVE MODIS. Inter *multifariam* & *multos modos* loquendi hæc eſt differentia: quod multitudo modorum ad differentiam ſpectat genericam modorum loquendi, vt intelligibiliter, vel imaginabiliter, vel ſenſibiliter: his enim tribus modis loquitur Deus homini: in quo ſunt tres partes cognoſcitiuæ: videlicet intellectus, æſtimatiua, & ſenſus. *Multifariam* autem ad multitudinem ſpectat ſignorum, quibus vtitur Deus loquendo in quocunque horum trium generum, puta Hieremiæ locutus eſt per ſignum ollæ ſuccenſæ, Eſaiæ per Dominum ſedentem, &c.

Tribus modis homini loquitur Deus.

OLIM DEVS LOQVENS. pro, *locutus*, PATRIBVS IN PROPHETIS. Patres appellat Hebræos veteris teſtamenti: illis enim mediantibus prophetis Deus locutus eſt

NOVISSIME. Lex enim & prophetæ vſque ad Meſſiam. & propterea tempus Meſſiæ appellat nouiſſimum: DIEBVS ISTIS. Ætate ſiquidem Pauli Chriſtus cœpit prædicare. LOCVTVS EST NOBIS. Idem Deus qui olim loquebatur patribus, diebus iſtis locutus eſt nobis. Pronomen *nobis*, Hebræos illius ætatis, & in illa regione monſtrat. IN FILIO. non eſt locutus nobis per prophetas, ſed per filium, qui tot annis prædicauit, & miracula fecit in Galilæa & Iudæa. Aptè nouiſſimum tempus reſeruatum deſcribitur filio: vtpote propter quem fuerunt omnes prophetæ. QVEM CONSTITVIT HÆREDEM VNIVERSORRM. Nomen *filij*, nomen proprium eſt Meſſiæ ſecundum diuinam naturam in veritate: ſed apud Hebræos non penetrantes myſterium Trinitatis, admittebatur nomen filij Dei tanquam proprium epitheton Meſſiæ: vnde & pontifices Iudæorum accuſabant Chriſtum quod filium Dei ſe fecit. Paulus itaque nomen filij Dei quod admittebatur eſſe proprium Meſſiæ, primum ingeſſit: dicendo de Deo, *locutus eſt nobis in filio*: deinde conditiones huius filij adiungit: Quarum prima eſt, *quem conſtituit hæredem vniuerſorum*. Et hæc propriè ſpectat ad filium ſecundùm quod homo, ex ratione tamen diuinæ filiationis. Conſtitui enim hæredem, hominis eſt: conſtitui autem hæredem vniuerſorum, eſt quidem hominis, ſed non puri, ſed hominis filij Dei. Ex eo namque quod eſt filius Dei, conuenit eidem quod ipſemet homo conſtituatur hæres vniuerſorum, ita quod naturale ius filiationis parit in eadem hypoſtaſi homine ius hæreditandi vniuerſa, abſque exceptione aliqua. Duas itaque naturas implicite Paulus ſignificat in filio Dei: alteram quâ eſt filius Dei: alteram ſecundùm quâ conſtituitur hæres vniuerſorum. Et vt clariùs diuinam filij naturã explicaret, ſubiungit. Verſ. 2.

Nomen filij Dei apud Hebræos erat epitheton Meſſiæ.

Chriſtus hæres vniuerſorum.

PER QVEM FECIT ET SECVLA. Deum oportet eſſe illum per quem Deus fecit ſecula, non aliqua ſic & aliqua non, ſed abſque quacunque exceptione: nam ſi creatura eſſet, ſeculum ipſius non eſſet factum per eum. Ex hoc igitur quod per filium Deus fecit etiam ſecula, manifeſtatur quod filius ſupra ſecula eſt: ac per hoc æternus.

Fecit autem Deus per filium ſuum ſecula, quemadmodum artifex per excogitatam in mente formam fecit artificialia: eſt enim filius Verbum Dei.

Deus per filium ſuum quemad. fecit ſecula.

Et ſi librauerís coniunctionem &, idem dicit hîc Paulus quod dixit Ioannes, *omnia per ipſum facta ſunt*: nam difficillimum omnium quod factum fuerit, apud Philoſophos eſt tempus. Et propterea dicendo, *per quem fecit & ſecula*, dicit vſqueadeo per eum fecit omnia quod per eum fecit & ſecula.

QVI CÙM SIT. pro, *exiſtens*, SPLENDOR GLORIÆ. Et hæc conditio conuenit filio Dei ſecundum diuinam naturam. Et aiunt nonnulli clariùs Græca ſonare: videlicet *qui exiſtens refulgentia* ſeu *relucentia gloriæ*. Sol enim ſplendet, ſed non eſt lux refugens ſeu relucens ex alio. Vnde magis propriè explicat originem filij refulgentia ſeu refulgentia gloriæ: vtpote qui gloriam à patre habet, & in quo relucet gloria quam à patre accipit per generationem. Et in hoc intellectualis natura ac intellectualis origo innuatur: non enim gloria ſenſibilis, Verſ. 3.

Filius ſplendor gloriæ.

ſed

ſed gloria intelligibilis, cuius filius eſt relucentia, ſignificatur: nam & ipſe Deus non eſt naturæ ſenſibilis, ſed intelligibilis. Per hoc itaque quod eſt ſplendor gloriæ, declaratur quod in eo relucet diuina claritas, quod de nulla creatura dici fas eſt: cùm diuina claritas in quacunque creatura obumbretur.

Et figura ſubſtantiæ Patris.

ET FIGVRA SVBSTANTIÆ EIVS. pro, *& character hypoſtaſis eius*, referendo Græcum vt iacet, ad tollendas quæſtiones. Et hæc quoque conditio conuenit filio Dei ſecundùm diuinam naturam. Inter filium & creaturas hæc eſt differentia, quod creaturæ procedunt à Deo, etiamſi non eſſet, ſeu ſi non intelligeretur Trinitas perſonarum: filius autem nec eſſe, nec intelligi poteſt filius Dei, niſi ſit & intelligatur pluralitas perſonarum diuinarum. Et hinc fit vt nulla creatura ſit character alicuius diuinæ perſonæ, ſed eſt character Dei, filius autem ſit character hypoſtaſis Dei, vtpote ab hypoſtaſi Dei procedens. Ad declarandum itaque proceſſionem filij eſſe infra terminos deitatis, & non eſſe ad extra, ſubtiliſſimè dixit quod eſt ad ſimilitudinem characteris hypoſtaſis eius, ſcilicet Dei: nam pronomen *eius*, maſculini eſt generis: & Deum refert in principio propoſitum & repetitum per nomen relatiuum. Et dicendo *hypoſtaſis*, differentiam inſinuat inter filium & Spiritum ſanctum. nam Spiritus ſanctus eſt character hypoſtaſium Dei quia procedit à Patre & Filio: Filius autem eſt character hypoſtaſis in numero ſingulari, quia procedit à ſolo Patre. Vtitur autem metaphora characteris (quod propriè ſignificat notam ſeu ſignum impreſſum) ad ſignificandum quod eſt velut propria nota ab hypoſtaſi diuina impreſſa: vt intelligamus realem diſtinctionem inter Filium & hypoſtaſim illam: quemadmodum inter imprimentem characterem & impreſſum characterem, oportet realem intelligere diſtinctionem. Et ne aliquam compoſitionem intelligeres, non dicit, *eſt habens characterem*, ſed *eſt character*: vt ſubſiſtentiam characteris in ſua ſimplicitate ſignificaret.

Nulla Creatura, eſt character alicuius diuinæ perſonæ, ſed Dei.

PORTANSQVE OMNIA VERBO VIRTVTIS. pro, *potentiæ*, SVÆ. Si legitur *portans* ſeu *ferens*, ſignificatur conſeruatio omnium: ad ſimilitudinem ſuſtentantis omnia, ſi verò (vt alij putant) legitur agens, gubernatio omnium ſignificatur. Et vterque ſenſus quadrat adiunctis verbis, videlicet *verbo potentiæ ſuæ*: nam & conſeruat omnia eodem potentiæ ſuæ verbo quo dixit & creata ſunt: & ſimiliter gubernat omnia verbo potentiæ ſuæ quo imperat, & omnia quæcunque vult facit. Et ſpectat etiam hæc conditio ad diuinam filij naturam: nam & conſeruatio & gubernatio vniuerſi, ratione diuinæ naturæ ei competit. Propter quod & dicit *potentiæ ſuæ*, non alienæ: ad ſignificandum eandem eſſe potentiam filij Dei.

PVRGATIONEM PECCATORVM FACIENS. Deficit *noſtrorum*: & deficit *per ſeipſum*: & participium *faciens* deberet eſſe participium actiuum præteriti temporis, quo caremus. Et propterea debuiſſet interpretari, *Cum* (ſeu *poſtquam*) *per ſeipſum purgationem peccatorum noſtrorum fecit*. Et hæc eſt conditio filij ſecundùm humanam naturam, ſecundùm quam paſſus & mortuus pro nobis, purgauit peccata noſtra per ſeipſum, efficaciam ad purgandum præbente diuinâ eius hypoſtaſi.

SEDET. pro, *ſedit*, AD DEXTERAM. pro, *in dextera*, MAIESTATIS IN EXCELSIS. Poſtquam noſtra (non ſua) peccata per mortem ſuam purgauit, merito ſuæ mortis exaltatus eſt ſecundum humanam naturam: & iam ſedit, non poſitione corporis, ſed quiete & authoritate: *in dextera*, hoc eſt, in ſummis bonis, in ſummo honore & gloria, *maieſtatis*, hoc eſt, Dei regnantis: Dei quatenus regnat *in excelſis*, ad differentiam Dei regnantis in omnibus. Chriſtus enim adhuc non ſedit in dextera maieſtatis in omnibus, ſed maieſtatis in excelſis: quia adhuc non accepit poſſeſſionem regni Dei in omnibus, ſed poſſeſſionem regni in excelſis. Sedebit autem cùm tradiderit regnum Deo & patri, & Deus erit omnia in omnibus, in dextera maieſtatis in omnibus: accipiet enim in ſecundo aduentu poſſeſſionem omnium.

Chriſtus ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.

Tanto melior angelis effectus, quanto Verſ. 4.
differentius præ illis nomen hæreditauit.

Et hæc quoque conditio conuenit filio ſecundum humanam naturam, ſecundùm quam conſtitutus eſt hæres vniuerſorum. Nomen *differentius* ſeu *præeminentius* (vtrunque enim ſonare poteſt dictio Græca) eſt nomen filij Dei, eſt nomen Dei, eſt nomen Domini: hæc enim omnia nomina, authoritate ſcripturæ probabit Apoſtolus.

Eſt autem ſecundum quod homo, melior Angelis effectus: pro quanto effectus eſt filius Dei perſonaliter, effectus eſt Deus perſonaliter, & ſimiliter Dominus ac Creator cœlorum perſonaliter.

Cùm autem audis quod homo factus eſt Deus perſonaliter, non aliam intelligas factionem quàm illam de qua dicit Ioannes, *Verbum caro factum eſt*: eadem enim factione quâ Verbum factum eſt caro, homo factus eſt Deus perſonaliter. Et propterea hic dicit, *tanto melior Angelis factus, quanto præeminentius ſeu differentius præ Angelis nomen hæreditauit*.

Prius eſt eſſe quàm nominari, prius eſt factum eſſe præſtantiorem Angelis quam hæreditare nomen. Ex eo enim quod homo factus eſt melior Angelis perſonaliter (vtpote Deus filius Dei) conſequens fuit vt hæreditario iure, vt naturalis filiationis iure: filio enim debetur hæreditas, nomen præeminentius & longè differentius hæreditaret, & ipſum nomen hæreditate acceptum, manifeſtat præſtantiorem Angelis factum eſſe ſecundùm eſſe.

Prius eſt eſſe quàm nominari.

Cui enim dixit aliquando Angelorum· Verſ. 5.

Tractat particulam vltimò propoſitam, *quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*. Et primò quoad nomen filij. FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVI TE. Ex ſecundo Pſalmo affertur hæc authoritas, in qua Propheta introducit Deum loquentem ad Meſſiam, & duo dicentem. Alterum, *filius meus es tu*. Quod Deus etiam de aliis dixit: nam & de populo Iſrael dixit, *primogenitus meus Iſrael*. Exodi. 4. Sed totum conſtans ex his duobus (*filius meus es tu, ego hodie genui te*) incommunicabile eſt. Menſura enim & perfectio generationis ſignificata per *hodie* & *genuit*, æternitatem monſtrat generationis: æternitas ſiquidem ſemper eſt hodie: nec habet heri aut cras.

Æternitas non habet heri aut cras ſed ſemper eſt hodie.

Et ne errares, intelligendo imperfectam generationem, quæ ſemper eſt præſens, dicit verbo præteriti temporis *genui*, vt dicendo *genui*, intelligas perfectam generationem: & dicendo *hodie*, intelligas ita perfectam, quòd ſemper eſt præſens generatio, ita quod ſemper generatur & genitus eſt. Vnde reddendo rationem quare filius meus es tu, dicit *ego hodie genui te*: ideo filius meus es tu, quia ego Deus in æternitatis menſura genui te. Quod nulli creaturæ communicari poteſt, nullius enim creaturæ productio menſuratur æternitate. Prætereo quòd *genui*, eſt actio naturalis, non voluntaria.

Et rvrsvm. ſupple Deus dixit de eodem. 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 28. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filivm. Hæc verba vt prædiximus, ad literam dicta ſunt de Salomone, vt ipſe Dauid teſtatur, & ſubiuncta verba conuincunt: nam vtrobique ſubiungitur conditionalis de eodem, *ſi non peccauerit*, &c. Propter quod author huius Epiſtolæ hanc traxit authoritatem ad ſuum propoſitum in ſenſu myſtico, vt non ſolum ex ſenſu literali, ſed etiam ex myſtico monſtraret propoſitum.

Verſ. 6. Et cvm itervm introdvxit primogenitvm in orbem terræ. Bis ſcriptura introduxit Meſſiam in orbem terræ: hoc eſt, & prædicendo primum aduentum, & prædicendo ſecundum aduentum. Vnde dicendo, *& cùm iterum*: hoc eſt, in iterato aduentu introducit prædicendo primogenitum Dei Meſſiam, non quod ſit alter ſecundò genitus: ſed ideo nominat eum primogenitum (vtpote hæres regni Dei) qui primò venit vt ſeruus. Et propterea ſignificantius dicit *primogenitum in orbem terræ*: quoniam ad literam venit ad accipiendam poſſeſſionem orbis terrarum, qui modò regnat in dextera maieſtatis in excelſis.

Vterque Meſſiæ aduentus.

Dicit, in Pſalmo 90. Et adorent evm omnes Angeli Dei. Tunc enim veniet in maieſtate ſua cum manifeſta omnibus ſubiectione Angelorum: quæ explicatur per adorationem.

Verſ. 7. Et ad Angelos qvidem dicit. Supple, Scriptura ſeu Propheta. De ſcriptura enim dictum eſt, quòd introducit primogenitum. Qvi facit Angelos svos spiritvs. hoc eſt, qui ſpiritus facit Angelos ſuos. Et ministros svos flammam ignis. Ex Pſalmo 103. ſumptum eſt hoc. Et prima eius pars clara eſt, ſignificans, quòd Deus vtitur ſpiritibus ad officium nuntiorum: ac per hoc, quòd illi qui vocantur Angeli, ſpiritualis naturæ ſunt. Altera autem pars metaphorica eſt: aſſimilans eoſdem Angelos, quatenus ſunt miniſtri Dei, flammæ igneæ. In qua ſimilitudine efficacia miniſterij ſignificatur, ad ſimilitudinem efficaciæ ignis in forma flammæ, in qua maximam efficaciam habet ignis.

Verſ. 8. Ad filivm avtem. ſupple dicit Scriptura in Pſalm. 44. Thronvs tvvs Devs in secvlvm secvli. Ad Meſſiam diriguntur ad literam hæc verba. In quibus Meſſias appellatur Deus regnans: & propterea deſcribitur à throno. Sedes ſiquidem regia eius deſcribitur in ſeculum ſeculi: hoc eſt ſine fine: iuxta quod dixit Angelus ad Mariam, *& regni eius non erit finis*. Virga æqvitatis, virga regni tvi. ſedes perpetua, regimen rectitudinis. Et hoc eſt ſingulariſſimum in regno Meſſiæ, quod virga regiminis eius eſt in omnibus & per omnia regimen æqui, recti, iuſti: vtpote nullum bonum immune, & nullum malum impune relinquens, ſed omnia ad rectum reducens.

Meſſias à regia dignitate deſcribitur.

Dilexisti ivstitiam et odisti iniqvitatem. Non ſufficit facere rectum, ſed oportet ex animo illud efficere. Et propterea declarando virgam æquitatis, declarat eam ex primis affectibus: dilectione erga iuſtitiam, & odio erga iniquitatem. Multi enim ſunt qui efficiunt rectum, & diligunt iuſtitiam: ſed non odio habent iniquitatem, impunem relinquendo aliquam iniquitatem. Meſſias autem & exercet regimen rectum, & diligit iuſtitiam, præmiando & honorando iuſtos: & odio habet iniquitatem, puniendo iniquos omnes, imò & omnem iniquitatem. Verſ. 9.

Propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.

Duplex poteſt eſſe ſenſus. Alter *propterea*, hoc eſt, vt diligas iuſtitiam & odio habeas iniquitatem, *vnxit te Deus*, &c. Et ſic eſſet ſermo de vnctione gratiæ, quam ab initio conceptionis ſuæ habuit. Alter eſt, *propterea*, quia dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, *vnxit te Deus*, &c. Et ſic eſt ſermo de vnctione gloriæ, quam Chriſtus meruit diligendo iuſtitiam & odio habendo iniquitatem. Ad morem Hebræorum alludit, quo reges vngebantur: vnde *Meſſiæ* nomen & Græce *Chriſtus* deriuatur.

Vnctio gratiæ.

Vnctio gloriæ.

Vnxit autem *oleo exultationis* (ſiue gratiæ ſiue gloriæ) *præ participibus*, præ omnibus creaturis quas effecit participantes te: nam non ſolũ homines, ſed Angeli participes ſunt Meſſiæ.

Vbi & nota quod eodem contextu nominat Meſſiam Deum, & vnctum à Deo: vtramque in eo naturam manifeſtè ſignificans. Nec abſolutè dixit *vnxit te Deus*, ſed appoſuit *Deus tuus*: ad ſignificandum ſingulariſſimum modum quo Deus eſt Meſſiæ hominis: eſt enim Deus eius perſonaliter: quo modo nullius alterius eſt.

Et tv in principio Domine. Tranſit ad Pſalm. 10 ex illius authoritate monſtrans Meſſiam eſſe Dominum qui creauit cœlum & terram. Meſſiam alloquitur, *& tu in principio*, temporis, *Domine*, non huius aut illius, ſed ſimpliciter. Terram fvndasti. à fundamentis creaſti. Et opera manvvm tvarvm svnt cœli. Iuxta illud, *In principio creauit Deus cælum & terram*. Metaphoricè autem attribuuntur Deo manus operatrices cœlorum, ad ſignificandum quòd per ſeipſum tanquam artifex qui propriis manibus operatur, creauit cœlos. Et hoc contra Philoſophos, qui putant cœlos factos ab Angelis. Verſ. 10.

Ipsi peribvnt. non quoad ſubſtantiam, ſed quoad motum. Tv avtem permanebis. pro, *permanes*. quod eſt proprium æternitatis. Et omnes vt vestimentvm veterascent. non ſubſtantiæ diminutione, ſed temporis, nam continuè minuitur tempus, & appropinquant fini præſentis ſtatus. Verſ. 11.

Cœli peribunt, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad motum.

Et velvt amictvm mvtabis. pro, *volues*, eos. ad ſimilitudinem opertorij vertes eos. In quo facilitas virtutis Meſſiæ ad mutandum ſtatum cælorum monſtratur: ſicut facilè quis conuoluit opertoria. Et mvtabvntvr hoc eſt, obedient mutationi. Verſ. 12.

Tv

Tv avtem idem ipse es. Superfluit altera dictio: *ipſe* aut *idem*. Senſus eſt: tu autem ſine omni mutatione es idem. Et anni tvi non deficient. Indeficientia annorum Meſſiæ ſequitur ad ipſius immortalitatem, imò æternitatem ſecundum diuinam perſonam. Et humano more loquitur de æternitate per annos: cùm in æternitate nulla ſit differentia temporis, nullus annus, nullus menſis, &c.

Verſ. 13. Ad qvem avtem Angelorvm dixit aliqvando. Suppple Deus. Sede a dextris meis. Hoc iam declaratum eſt. Qvovsqve ponam inimicos tvos scabellvm pedvm tvorvm. Ex Pſalmo centeſimonono ſumptum eſt hoc. Et iuxta prædicta ſenſus eſt: regna à dextris meis in excelſis vſque ad diem iudicij vniuerſalis, quo ponam inimicos tuos totaliter tibi ſubiectos regnaturus poſtmodum non ſolum in excelſis, ſed in hominibus.

Verſ. 14 Nonne omnes svnt administratorii spiritvs. E regione ad *ſede a dextris meis*, omnes Angelos dicit eſſe adminiſtratorios: vt clarè pateat differentia inter regnare & adminiſtrare. In ministerivm missi, Non eſt participium præteriti temporis, ſed præſentis, quo caremus, & propterea interpretari debuit, qui in miniſterium mittuntur. Quod (propter quæſtionem quæ contra hanc literam mouetur, à tenentibus ſupremos Angelorum ordines non mitti) intellige mediatè. Supremi namque Angeli non mittuntur venturi immediatè ad nos, ſed per alios medios ſubdelegatos: inferiores autem quinque ordines mittuntur, immediatè per ſeipſos venturi ad nos. Propter eos qvi hæreditatem capivnt. pro, capient, salvtis. propter electos, qui ſoli capient hæreditatem ſalutis æternæ: hic enim eſt finis miniſterij Angelorum

An omnes Angeli mittantur.

CAPVT II.

Verſ. 1. PRopterea abvndantivs oportet observare nos ea qvæ avdivimvs. Propterea, magnitudinem filij declaratam in toto hoc capitulo ſupra Angelos refert. Declarata enim excellentia Chriſti ſupra Angelos, ex illa deducit debitum noſtrum ad ſeruandum doctrinam Euangelicam longe maius quàm debitum ſeruandi doctrinam veteris Teſtamenti: quia Euangelica doctrina ab ipſo Domino: illa autem per Angelos data eſt. Et hoc proponit, adiungendo periculum. Ne forte pereffluamvs. hoc eſt, penitus effluamus, ad ſimilitudinem vaſorum rimas habentium: quæ ſic effluunt quod tandem pereffluunt, nihil aquæ retinentia. Iuxta hanc metaphoram dicit, quod oportet nos ſeruare ea quæ audiuimus, ne audita omnino pereffluant, & nos vacui remaneamus.

Debitum ſeruandi doctrinam Euangelicam longe maius eſt quàm debitum ſeruandi doctrinam veteris Teſtamenti.

Verſ. 2. Si enim qvi per angelos dictvs est sermo. veteris Teſtamenti. Factvs est firmvs. Firmatus eſt enim ſignis in monte Sina: vt patet in Exodo. Et omnis prævaricatio et inobedientia. Præuaricatio fuit adoratio vituli, & crimen Core & Dathan & Abiron: inobedientia autem fuit populi nolentis progredi ad terram promiſſionis. Accepit ivstam mercedis retribvtionem. Puniti enim omnes narrantur in ſcriptura.

Qvomodo nos effvgiemvs si tantam neglexerimvs salvtem? Non dicit, ſi tantum neglexerimus ſermonem, ſed dicit ſi tantam neglexerimus ſalutem: vt intelligamus ſermonem noui Teſtamenti ſalutiferum eſſe. Vnde & Dominus dicit, *vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Salutis enim gloria, propria eſt nouo Teſtamento. Verſ. 3.

Qvæ cvm initivm accepisset enarrandi. pro, enarrari, per Dominvm. Et vtitur infinitiuo nominaliter. Eſt enim ſenſus: quæ cùm initium accepiſſet enarrationis *per Dominum*, proculdubio Ieſum Chriſtum. Et hæc excellentia attenditur ex parte proximi authoris: quia veteris Angelus, noui autem Dominus eſt proximus narrator.

Ab eis qvi avdiervnt in nos confirmata est. hoc eſt, ab illis qui audierunt à Domino Ieſu, Confirmata eſt in nos, qui non audiuimus ab ipſo Ieſu. Ecce textus teſtimonium perhibens quòd author huius Epiſtolæ non fuit Paulus, ſed aliquis qui non audiuit ab ipſo Ieſu ſalutem Euangelicam, nam author numerat ſe inter illos in quos confirmata eſt ſalus Euangelica ab eis qui audierunt à Domino Ieſu. Paulus autem clarè dicit quòd nihil contulerunt ſibi Apoſtoli: & quòd ipſe didicit non ab homine neque per hominem, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

Hinc inſertur authorem huius Epiſtolæ non eſſe Paulum.

Contestante Deo signis et portentis, Verſ. 4.
et variis virtvtibvs. pro, *potentiis*. Et Spiritvs sancti distribvtionibvs secvndvm svam volvntatem. Quatuor genera teſtimoniorum quibus Apoſtoli vſi ſunt, author Epiſtolæ inducit. Primò ſigna, quæ communia miracula ſanitatum ſignificare videntur. Deinde prodigia, maiora miracula: vt reſuſcitare mortuum, & ſimilia, Tertiò varias potentias, expellendo dæmones, & circa inanimata: puta ignem aut aquam & huiuſmodi. Et demum Spiritus ſancti diſtributiones: in dono linguarum, in dono prophetiæ, & cætera.

Quatuor generibus teſtimoniorũ vſi Apoſtoli.

Quod autem dicitur *ſecundùm ſuam voluntatem*, refertur ad *conteſtante Deo*.

Lege Pauli epiſtolas, & inuenies ipſum pluries dicere de ipſo quod per ipſum Deus effecit ſigna & prodigia, & varias potentias, &c. Quo fit vt Paulus ſit de numero eorum quorum author huius Epiſtolæ meminit, qui confirmauerunt veritatem Euangelicam, etiam ad authorem huius Epiſtolæ. Et hinc etiam patet quod Barnabas non fuit author huius Epiſtolæ, ſed aliquis poſteriorum.

Barnabas non fuit author huius Epiſtolæ.

Non enim angelis svbiicit Devs orbem terræ fvtvrvm, de qvo loqvimvr Verſ. 5.
Superfluit *Deus*. Quod Chriſtus ſecundum quod homo ſit Dominus Angelis ſuperior, probat ex ſubiectis Chriſto homini: *non enim Angelis ſubiecit orbem terræ futurum*, poſt vniuerſale iudicium. Futurum autem non ſecundùm nouitatem ſubſtantiæ, ſed ſecundùm nouitatem ſtatus. Et hic futurus orbis terræ eſt de quo loquimur: hic autem non eſt ſubiectus a Deo Angelis, ſed Meſſiæ homini. Quod manifeſtat ſubiungendo.

Testatvs est avtem in qvodam loco qvis dicens. Pſal. 8. Tanquam manifeſtum

locum, appellat *in quodam loco*. QVID EST HOMO QVÒD MEMOR ES EIVS, AVT FILIVS HOMINIS QVONIAM. pro, *quòd*, VISITAS EVM. Inter hominem & filium hominis clara eſt differentia: ex eo quòd Adam fuit homo, & non filius hominis. Viliúſque eſt eſſe filium hominis quàm hominem. Vnde & Iob cùm dixiſſet *homo*, ad cumulum miſeriæ appoſuit, *natus de muliere*. Augendo ergo admirationem Propheta dicit, *quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quod viſitas eum*: Et pariter augendo vilitatem auget beneficium diuinum: nam plus eſt viſitare quàm recordari: cùm recordari ſit in mente, viſitare ſit in executione.

Inter hominẽ & filium hominis quæ differentia?

Verſ.7. MINVISTI EVM PAVLOMINVS AB ANGELIS. Et hinc apparet authorem huius epiſtolæ Græcè ſcripſiſſe: vtpote ſecutum tranſlationem LXX. interpretum, qui ſic tranſtulerunt: nam in Hebræo habetur, *minuiſti eum paulo minus à Deo*. Et ſic tranſtulit Hieronymus in Pſalterio ſecundum Hebraicam veritatem. Et eſt formalior locutio Prophetæ, & vera ſecundum eſſe ſubſtantiale. Paulo minus enim à Deo minutus eſt Chriſtus ſecundùm eſſe ſubſtantiale: quoniam eſt Deus perſonaliter, Deus autem eſt Deus & naturaliter & perſonaliter. Paululum ergo minus eſt imminutus à Deo, quia eſt quidem Deus ſecundùm eſſe perſonale (quod conſtat eſſe ſubſtantiale) non autem eſt Deus ſecundùm naturam ſeu eſſentiam.

Verùm ſecundùm intentionem authoris huius Epiſtolæ loquendo, minutus eſt paulominus ab Angelis: pro quanto ſecundùm id quod eſt paulum, minutus eſt ab Angelis. Ita quod aduerbium non minorationem reſpicit, ſed rem in qua minoratus eſt, Eſt enim minoratus ſecundùm corpus & partem animi inferiorem. Et totum hoc eſt paulum, eſt enim minuta pars Chriſti: vtpote quæ continet tantum corpus & partem animi inferioribus intendentem. Et in hoc paulò imminutus eſt ab Angelis, non paulum, ſed valde multum: imò & minoratus eſt valde ab hominibus: nam factus eſt opprobrium hominum & abiectio plebis: & triſtitiam maximam habuit in animo, cruciatúſque in corpore.

GLORIA ET HONORE CORONASTI EVM. In reſurrectione quidem gloria corporis: in Aſcenſione autem & ſeſſione ad dexteram, honore coronatus tanquam victor eſt. ET CONSTITVISTI EVM SVPER OPERA MANVVM TVARVM. Iam dixerat opera manuum tuarum ſunt cœli: modò ergo explicat *conſtituiſti eum ſuper cœlos*.

Verſ.8. OMNIA SVBIECISTI SVB PEDIBVS EIVS. hoc eſt, plena ſubiectione. Omnia autem præter eum qui ſubiecit ei omnia: vt Paul. 1. ad Cor. 15. explicat. Propter quod & ſubdit, IN EO ENIM QVÒD OMNIA EI SVBIECIT, NIHIL DIMISIT NON SVBIECTVM EI. Incipit explicare authoritatem Pſal. inductam inchoando ab vltima particula, *omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*. NVNC AVTEM. hoc eſt in præſenti tempore vſque ad diem iudicij. NECDVM VIDEMVS OMNIA SVBIECTA EI. Conformis eſt ſententia hæc doctrinæ Pauli in allegato loco: adhuc enim non videmus omnia ſubiecta Chriſto homini quantùm ad executionem, quamuis omnia ſint ei ſubdita quantùm ad poteſtatem: dicente ipſo ſtatim poſt reſurrectionem, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. A die enim iudicij omnia & erunt, & videbuntur ſubiecta Chriſto homini.

EVM AVTEM QVI MODICO QVAM ANGELI MINORATVS EST, VIDEMVS IESVM. Exponit aliam particulam, *minuiſti eum paulominus ab Angelis*. Et quoad perſonam dicit, *videmus Ieſum*. Quoad illud, minoratus eſt paulominus ab Angelis, ſubiungit, PROPTER PASSIONEM MORTIS. Et iungendo aliam particulam ſubdit, GLORIA ET HONORE CORONATVM. Exponit hic author minorationem ab Angelis, fuiſſe meritum coronationis gloriæ & honoris. VT GRATIA DEI PRO OMNIBVS GVSTARET MORTEM. Ne neceſſitate compulſus intelligatur minoratus ab Angelis, explicat quod non per neceſſitatem, ſed per gratiam Dei (*gratiâ* enim ablatiui caſus eſt) effectum eſt vt pro omnibus guſtaret mortem. Ipſa enim gratia manifeſtatur, dicendo *vt pro omnibus*. Et dicit *guſtaret*: quoniam modico tempore mortuus fuit, tertio namque die ſurrexit. Verſ.9.

Chriſtus non neceſſitate, ſed gratiâ guſtauit mortem.

Decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari. Verſ.10.

pro, *conſummare*. Ita aiunt debere legi, & ſcriptorum errore mutatum actiuum in paſſiuum. Et iuxta hunc ſenſum pronomen *eum*, demonſtrat non Meſſiam, ſed Deum. Et ſignificatur quòd decebat Deum, propter quem ſunt omnia, vt finem, & per quem effectiuè ſunt omnia, qui multitudinem filiorum adoptiuorum in gloriam æternam adduxerat prædeſtinando, conſummare, perficere, perfectum reddere, per paſſionem mortis, authorem ſalutis eorum, Meſſiam: qui eſt author ſalutis filiorum adoptiuorum.

Et in idem redit ſi legatur paſſiuè. Decebat enim eum, filium Dei, propter quem omnia, & per quem omnia, & qui multos filios adducebat in ſalutem, conſummari, perfici, & perfectum reddi, per paſſionem (mortis, agendo ſalutem aliorum. Ratio autem huius decentiæ ſubiungitur.

QVI ENIM SANCTIFICAT ET QVI SANCTIFICANTVR, EX VNO OMNES. Quia ex vno patre, ex vno Adam ſunt tam Meſſias ſanctificans adoptionis filios, quàm filij adoptionis qui ſanctificantur, ideo decuit vt humano more (ſcilicet per paſſionem mortis) etiam ipſe qui ſanctificat perficeretur: perfectionem enim immortalitatis ſic adeptus eſt. PROPTER QVAM CAVSAM. ſcilicet quia ex vno omnes. NON CONFVNDITVR FRATRES EOS VOCARE DICENS, in Pſalmo 21. Verſ.11.

NVNTIABO NOMEN TVVM FRATRIBVS MEIS, IN MEDIO ECCLESIÆ LAVDABO TE. Propter identitatem naturæ carnalis, appellat Chriſtus diſcipulos fratres. Verſ. 12

Et iterum, ego ero fidens in eum. Verſ. 13.

Ex Eſaiæ vel octauo (vbi dicitur, *expectabo Dominum*) vel duodecimo (vbi dicitur, *fiducialiter agam & non timebo*) ſumpta apparet hæc authoritas. In qua Meſſias hoc dicit, ego ero fidens in eum, Deum: hoc eſt, patiar & moriar confidens in Deo quòd gloriâ & honore, perficiet me.

ET ITERVM. Eſaiæ 8. ECCE EGO ET PVERI

MEI

MEI QVOS DEDIT MIHI DEVS. Superfluit *mei*. Quos prius appellauerat fratres, eoſdem appellat pueros, non ætate, ſed qualitate ſimiles pueris: nempe ſimplices & puri. De Apoſtolis enim eſt ſermo: quos in Euangelio Ieſus dicit ſibi datos à Deo.

Affertur autem hæc authoritas ad ſignificandum conſortium Ieſu Chriſti & diſcipulorum eius. Vnde & ſubdit,

Verſ. 14. Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem. Carni & ſanguini, vel pueris. Ex hoc quod dixerat vt de conſortibus, *ecce ego & pueri*: argumentatur author Epiſtolæ quod quia pueri habuerunt naturam carnis & ſanguinis, ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm corruptibilitatem, conſequens eſt vt ipſe ſimiliter habuerit naturam carnis & ſanguinis, & ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm mortalitatem. Vnde & ſubdit,

Vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium id eſt, diabolum. Dicitur autem diabolus habere mortis imperium, eo quòd imperium diaboli ex morte homini fuit cauſatum, *in quacunque die* (inquit Deus) *comederis, morte morieris*. Dicitur quoque habere mortis imperium, quoniam regnum eius conſiſtit in morte animæ, & conſiſtebat in morte corporis, pro quanto omnium animæ ad inferos deſcendebant tanquam in locum regni eius.

Diabolus habere mortis imperium dicitur.

Deſtruxit autem eum Ieſus per mortem, & tollendo imperium occaſionatum ex peccato primi parentis, & expoliando eam inferni partem quæ dicebatur limbus patrum.

Verſ. 15. Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Non ſolùm aduerſus diabolum fuit fructuoſa mors Chriſti, ſed humano generi profuit ad liberandum homines à ſeruitute peccati, qui timore mortis per totam vitam erant ſerui. Communiter enim humanum genus ad euadendum mortem corporis, ad fruendum præſenti vita, per totam vitam obnoxij erant ſeruituti peccati. Deſcribit autem amorem præſentis vitæ à timore mortis, quia maximè manifeſtat amorem præſentis vitæ timor mortis.

Verſ. 16. Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Præſentis temporis eſt vtrumque *apprehendit*. Manifeſtat quòd pro liberatione hominum filius Dei deſcendit: ex eo quòd non naturam Angelicam habet ſibi iunctam, ſed naturam humanam ex ſemine Abrahæ.

Verſ. 17. VNDE DEBVIT PER OMNIA FRATRIBVS SIMILARI. & non tantum in carne & ſanguine. *Per omnia* autem intellige quæ conſequuntur carnem & ſanguinem corruptibilem. VT MISERICORS FIERET ET FIDELIS PONTIFEX. Deſunt tres dictiones.

Verſ. 18. IN IIS QVÆ AD DEVM: VT REPROPITIARET DELICTA POPVLI. Ad hoc debuit per omnia fratribus ſimilari, vt experiendo mala pœnæ fieret miſericors, cuius miſericordiæ efficacia eſſet quòd fieret fidelis pontifex in iis quæ ad Deum: efficiendo cuncta quæ ſpectant ad Deum ad expiandum delicta populi. Parum eſſet eſſe miſericordem niſi miſericordiam ipſam opere comprobaret, veraciter exercendo pontificatum relatiuè ad Deum pro expiandis peccatis populi: quod fecit per mortem offerendo ſeipſum. Vnde & ſubiungit.

In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus. Superfluit, *&*. Potens eſt & eis qui tentantur auxiliari. Hic quoque ſuperfluit *&*, hoc eſt, nam in quo paſſus eſt ipſe tentatus, probatus, examinatus. Ita quod hoc ipſum quo paſſus eſt, eſt eſſe ipſum tentatum: hoc eſt, probatum, diſcuſſum, examinatum. Et hinc potens eſt potentia experti, ſuccurrere eis qui tentantur, nobis ſcilicet qui variis tentationibus & probamur & examinamur.

CAPVT III.

VNDE FRATRES SANCTI, VOCATIONIS CŒLESTIS PARTICIPES. Poſtquam Ieſum prætulit Angelis, intendit modò præferre ipſum Moyſi & Aaron: vt omni ex parte nouum Teſtamentum præferat veteri: vnde ex tanta Chriſti dignitate & gratia, fratres ſancti, hoc eſt mundi, participes vocationis cœleſtis, tum quoad fidem (quoniam ad cœleſtem patriam eſtis vocati) tum quoad principium: quia ab eo qui deſcendit de cœlis vocati eſtis. Verſ. 1.

Conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum. Apoſtolum dicit e regione Moyſi: Pontificem verò è regione Aaron. Appellatur autem Apoſtolus & Pontifex confeſſionis noſtræ: quoniam ipſe vt legatus Dei attulit ad nos confeſſionem fidei noſtræ: & ipſe vt Pontifex ſeipſum offerens meruit nobis confeſſionem fidei noſtræ.

Chriſtum vocat Apoſtolum & Pontificem.

Qui fidelis eſt ei qui fecit illum. Incipit comparare Ieſum Moyſi. Et primò quantùm ad id in quo conueniunt, ſcilicet in fidelitate. Ieſus enim homo, fidelis eſt Deo qui fecit ipſum: fidelis, inquam, quærens tum gloriam, tum voluntatem ipſius Dei, ſemper faciens ea quæ Deo placita ſunt. Verſ. 2.

SICVT ET MOYSES IN OMNI. pro, *tota*, DOMO EIVS. Ex Num. 12. ſumpta ſunt verba hæc, vbi dicitur: *At non talis ſeruus meus Moyſes qui in omni domo mea fideliſſimus eſt.* Et domus non ſumitur hîc pro ædificio, ſed pro familia. Vterque igitur fidelis eſt in tota familia Dei.

AMPLIORIS ENIM GLORIÆ. pro, *ampliori enim gloria*, ISTE. ſcilicet Ieſus. PRÆ MOYSE DIGNVS HABITVS EST. Excellentiam Ieſu reſpectu Moyſi explicat. QVANTO AMPLIOREM HONOREM HABET DOMVS. pro, *domo*: hoc eſt quanto ampliorem honorem habet quàm domus. QVI FABRICAVIT ILLAM. Arguit quòd tanto ampliori gloriâ præ Moyſe Ieſus dignus habitus eſt, quantò ampliorem honorem habet fabricator domus quàm ipſa domus. Supputat enim Moyſem inter membra domus: Ieſum autem eſſe fabricatorem domus. Vnde & ſubdit, Verſ. 3.

Chriſti excellentiam reſpectu Moyſis explicat.

Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Quamuis de domo, hoc eſt, familia loquatur: alludens tamen ad nomen *domus*, fabricatione Verſ. 4.

bricatione vtitur. Et quia nulla domus fabricat ſeipſam dicit, *omnis namque domus ab aliquo fabricatur.* Qui autem omnia creauit, Deus eſt. Cùm debuiſſet dicere *Ieſus eſt*, dixit *Deus eſt*: vt intelligamus Ieſum eſſe illum Deum qui omnia creauit: ac per hoc vtramque domum, & illam veteris Teſtamenti & iſtam noui.

Verſ. 5. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius. ſcilicet Dei. TANQVAM FAMVLVS. Nam ibidem dicitur, *ſeruus meus Moyſes.* In teſtimonium eorum quæ dicenda erant. à Deo populo.

Verſ. 6. Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua. Eadem enim eſt domus Dei & ipſius: quia ipſe eſt Deus. Ita quod duæ differentiæ tanguntur hic. Altera, ille tanquam famulus, iſte tanquam filius: altera, ille in domo Domini, iſte in domo ſua.

QVÆ DOMVS. pro, *cuius domus*, SVMVS NOS. Et *cuius* refert filium, id eſt cuius filij domus ſumus nos. Vbi clarè vides quòd per domum familiam intelligit: nos enim ſumus domus viua & viui lapides filij Dei. Vnde ad Timotheum ſcribit Paulus, *in domo Dei quæ eſt Eccleſia.*

SI FIDVCIAM ET GLORIAM. pro, *gloriationem*, ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Nos ſumus viua domus filij Dei, ſi fiduciam in ipſo filio Dei, & gloriationem ſpei, non rerum quas hîc habemus, ſed ſpei futuræ felicitatis, firmam, non fluctuantem, retineamus non ad tempus, ſed vſque in finem.

Verſ. 7. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus in Pſal. 92. Hodie ſi vocem eius audieritis.

Verſ. 8. NOLITE OBDVRARE, pro, *ne obdurate*, CORDA VESTRA: SICVT IN EXACERBATIONE SECVNDVM DIEM, pro, *in die*, TENTATIONIS IN DESERTO:

Verſ. 9. VBI TENTAVERVNT ME PATRES VESTRI, PROBAVERVNT. Deeſt, *me*. ET VIDERVNT OPERA MEA. Et hic fiat punctum: quamuis non apud Græcos: deinde ſubiungitur.

Verſ. 10. Quadraginta annis propter quod. Id eſt, propter quod quadraginta annis. Hunc enim eſſe ſenſum intentum etiam ab authore Epiſtolæ, patet ex ſubiunctis explicando: cùm dicet, quibus autem infenſus eſt quadraginta annis: nonne illis, & cæt. Ibi enim ipſe explicabit quòd *quadraginta annis*, iungitur ſequentibus, non præcedentibus, Infenſus fui generationi huic. pro, *illi*, & dixi ſemper hi errant corde. Superfluit *hi*. Ipſi autem non cognouerunt vias meas.

Verſ. 11. QVIBVS, pro, *ſicut*, IVRAVI IN IRA MEA, SI INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM. Ex hoc quoque textu apparet quòd Græcè ſcripſit author: nã ſi Hebraicè, Hebrçum textum ſecutus fuiſſet, & non attuliſſet ambiguum textum, *ſicut in exacerbatione in diem tentationis*: ſed attuliſſet textum clarum vt eſt in Hebræo: in quo bis habetur *ſicut*, & dicitur, *ſicut in exacerbatione, ſicut in die tentationis*. Vbi clarè explicantur duo crimina.

Hinc apparet quod Græcè ſcripta eſt hæc Epiſtola.

Nec pro nunc fiat vis an propriè habeatur in Hebræo *exacerbatio*, an *irritatio*, an *lis*. Conſtat enim quòd de crimine illo eſt ſermo, quo filij Iſrael auditis exploratoribus renuerunt progredi in terram promiſſionis. Nume. 13. & 14. Et deinde eſt ſermo de peccato tentationis, non ſemel aut bis, ſed (vt dicitur Nume. 14.) decies, dicente Deo: *Et tentauerunt me per decem vices.*

Verſ. 12. VIDETE FRATRES. Incipit tractare inducta Prophetæ verba, applicando ea ad propoſitum: inchoans ab illa particula, *hodie ſi vocem eius*, &c. Ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo. Quale fuit in illis incredulis nolentibus progredi: qua incredulitate defecerunt à Deo viuo.

Verſ. 13. Sed adhortamini voſmetipſos. imitantes Ioſue & Caleb: qui tunc adhortabantur alios. Per ſingulos dies donec hodie cognominatur. pro, *vocatur*. Totum enim tempus gratiæ vocatur *hodie*. Vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. ad ſimilitudinem eorum qui obdurati ſunt, territi ab exploratoribus.

Totum tempus gratiæ vocatur hodie.

Verſ. 14. Participes enim Chriſti effecti ſumus. vt membra capitis. Si tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Superfluit *eius*. Membra Chriſti facti ſumus, ſi tamen hoc initium ſubſtantiæ, id eſt initium ſubſiſtendi in participatione Chriſti (quod conſtat eſſe fidem, proculdubio non mortuam, ſed viuam) firmum vſque ad finem retinuerimus. Quantum autem extenditur iſta retentio, ſubiungit:

Verſ. 15. Dum dicitur, hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare. pro, *ne obdurate*, CORDA VESTRA. hoc eſt, durante tempore huius vitæ & gratiæ. Quemadmodum in illa exacerbatione. Proſequitur aliam particulam pſalmi, *ſicut in exacerbatione*, diſtinguendo.

Verſ. 16. Quidam enim audientes exacerbauerunt: ſed non vniuerſi qui profecti ſunt ab Ægypto per Moyſen. Omnes numerati à viginti annis & ſupra, audientes exploratores exacerbauerunt Deum: exceptis Moyſe & Aaron cum duobus exploratoribus, Ioſue & Chaleb: & propterea dicit, *ſed non vniuerſi*.

Verſ. 17. Quibus autem infenſus eſt. puniendo. Quadraginta annis. Proſequitur aliam Pſalmi particulam, *quadraginta annis*, &c. Hinc apparet quod ſuperiùs diximus de hac particula.

Nonne illis qui peccauerunt, quorum cadauera. pro, *membra*, proſtrata ſunt in deſerto? Non vſquequaque liquet an ſit ſermo de omnibus mortuis in deſerto, an de illis qui occiſi ibidem fuerunt. Si enim legitur *membra*, ad occiſos videtur alludere, tum morſos à ſerpentibus ignitis, tum interfectos gladio. Si autem legitur *cadauera* (aiunt enim & hoc poſſe legi) ad omnes extenditur.

Verſ. 18. Quibus autem iurauit non introire. pro, *non introituros*, in requiem ſuam, niſi illis qui increduli fuerunt? Proſequitur aliam Pſalmi particulam, *ſicut iuraui*, &c. Per vtraque hæc reddit vtriuſque pœnæ rationem fuiſſe culpam peccati & incredulitatis. Et ex

ipſa

ipſa diſtinctione inter peccatũ & incredulitatem inſinuat diuerſitatem criminum.

Verſ. 19. **Et videmus quòd non potuerunt introire in requiem ipſius propter incredulitatem.** Superfluit *in requiem ipſius.* Rem geſtam ac viſam refert, quod nullus illorum incredulorum introiuit in terram promiſſionis.

CAPVT IV.

Verſ. 1. TIMEAMVS ERGO NE FORTE RELICTA POLLICITATIONE INTROEVNDI IN REQVIEM EIVS. Tractat illam particulam *in requiem meam.* EXISTIMETVR ALIQVIS EX VOBIS, pro *ex nobis,* DEESSE, pro *poſtponi,* ne iudicetur poſtergandus & poſthabendus in ingreſſu ad requiem æternam.

Verſ. 2. ETENIM ET NOBIS. Superfluit vltimum *&.* **Nunciatum eſt quemadmodum & illis.** Rationem timendi reddit: quia commune eſt vtriſque (nobis ſcilicet & illis) nunciatum eſſe ſermonem promiſſæ requiei SED NON PROFVIT ILLIS SERMO AVDITVS. Genitiui caſus eſt *auditus,* ac ſi dictum fuiſſet, ſed non profuit illis ſermo auditionis. NON ADMISTVS, pro *non admiſtis,* FIDEI EX IIS QVÆ AVDIERVNT. Superfluit *ex,* & legendum eſt, *Iis qui audierunt.* Vt autem clarus ſit ordo literæ, datiuus *admiſtis* pro ablatiuo ſimul cum pronomine *iis,* accipiendus eſt. Ita quòd ordo literæ eſt, ſed non profuit illis ſermo auditionis, quo audierunt promiſſam requiem, non admiſtis fidei iis qui audierunt. Ratio redditur quare non profuit illis ſermo auditionis, per ablatiua abſolutè poſita, *iis qui audierunt non admiſtis fidei:* hoc eſt, eo quòd illi qui audierunt non erant admiſti fidei. Habuerunt ergo ſermonem auditionis abſque admiſta fide: & ideò non profuit illis. Quo contra ſubiungitur,

Verſ. 3. INGREDIEMVR, pro *ingredimur,* ENIM IN REQVIEM EIVS QVI CREDIMVS, pro *credidimus.* Fides quæ defecit in illis, eſt ea quâ nos ingredimur in requiem eius. QVEMADMODVM DIXIT SICVT IVRAVI IN IRA MEA SI INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM. Repetit particulam Pſalmi propter pronomen *meam.* Propter quod ſubdit: ET QVIDEM OPERIBVS AB INSTITVTIONE MVNDI PERFECTIS. Explicat *requiem meam,* illam inquam *meam,* ſcilicet operibus ab inſtitutione mundi huius perfectis. Et clarius intelligamus quod dicit, ſubiungit:

Verſ. 4. DIXIT ENIM IN QVODAM LOCO. ſcilicet in principio Geneſis. DE DIE SEPTIMA SIC, ET REQVIEVIT DEVS DIE SEPTIMO AB OMNIBVS OPERIBVS SVIS.

Verſ. 5. ET IN ISTO. ſupple loco Pſalmi. RVRSVS, SI INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM. Vbi claire vides quòd ex vtroque textu explicat quòd dum Deus dicit, *ſi introibunt in requiem meam,* intelligitur illa eadem requies, qua requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat. Et eſt non literalis, ſed myſtica expoſitio: quemadmodum & requiem ſcriptam in illo pſalmo myſticè exponit pro requie æterna.

Verſ. 6. **Quoniam ergo ſupereſt quoſdam introire in illam.** Myſticum ſenſum proſequendo, argumentatur ex eo quod quidam adhuc ſunt ingreſſuri in requiem illam. Et ij, quibus prioribus. pro *prius,* **annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem.**

Iterum terminat, pro *definit,* **diem quen-** Verſ. 7.
dam hodie in Dauid: dicendo poſt tantum temporis ſicut dictum eſt: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare, pro *ne obdurate* CORDA VESTRA. Sententia clara eſt. Et hinc habetur quòd Pſalmus ille (*Venite exultemus Domino*) qui eſt ſine titulo, editus eſt a Dauide.

NAM SI EIS IESVS REQVIEM PRÆSTITISSET. Verſ. 8.
De Ioſue eſt ſermo, qui appellatur Ieſus Naue. Et argumentatur quòd ſi Ioſue promiſſam requiẽ præſtitiſſet filiis Iſrael introductis in terrá promiſſionis. NVNQVAM DE ALIA LOQVERETVR POSTHAC, pro *hac,* DIE. Non dicit nunquam de alia requie, ſed nunquam de alia die. Pſalmus enim non loquitur de alia requie, ſed de altero die longè diſtante à tempore Moyſi & Ioſue: dicendo tempore Dauidis *hodie.*

ITAQVE RELINQVITVR SABBATISMVS POPV- Verſ. 9.
LO DEI. Ex diuerſitate diei infert diuerſitatem quietis. Et propterea illatiue dicit, *itaque relinquitur ſabbatiſmus.* Hebraica dictio eſt, ſignificans quietem poſt laborem. Relinquitur autem futura poſt hanc vitam: vnde & ſubdit:

Qui enim ingreſſus eſt in requiẽ eius. Verſ. 10.
ſcilicet Dei. **Etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis.** laborioſis & meritoriis. SICVT ET A SVIS DEVS. Proportionali ſimilitudine vtitur.

Feſtinemus ergo ingredi in illam re- Verſ. 11.
quiem: vt non in idipſum, pro *in idem,* **quis incidat incredulitatis exemplum.** Si non feſtinamus, ſi nõ ſtudemus vt ingrediamur in illam requiem, periculum imminet negligentiæ, ne quis incidat in idem incredulitatis exemplum, ne quis incidat in incredulitaté ſimilem incredulitati priſcorum, ob quam non introierunt in requiem promiſſam.

VIVVS EST ENIM SERMO DEI. Quod apud Verſ. 12.
Ioánnem dicitur, *In principio erat verbum,* id appellatur ſermo Dei. Eadem enim eſt dictio, Ita quòd cùm in hoc textu dicitur *ſermo Dei,* de filio Dei intelligitur. Et ratio redditur quare ſtudendum eſt nobis, vt ingrediamur in illam requiem, ne incidamus in incredulitatem & pœnam incredulorum, ex conditionibus authoris qui eſt filius Dei. Ipſe namque eſt author ſalutis & quietis æternæ.

Viuus eſt ſermo Dei & efficax.

Et de ipſo dicit in primis quòd viuus eſt. Et verè viuus, vitâ diuinâ, intellectuali, æternâ. EFFICAX. Deficit *&.* Legendum eſt, *Et efficax,* ad omnia quæ vult efficienda, ad præmiandum & puniendum, ad pollicitam requiem & comminatas pœnas.

Et penetrabilior omni gladio ancipiti. hoc eſt, vndique acuto, & ideò appellatur anceps. Virtutem eius explicat ſuperare omnem penetrationem ex metaphora penetrantis gladij hinc inde acuti. Et vere eſt penetrabilior, quoniam penetrat intima cuiuſque rei diuina operatio.

Et pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. Magis explicat penetrationem ex rebus penetratis; anima ſcilicet & ſpiritu. Quod poteſt dupliciter intelligi: vel ad diuidendum inter animam & ſpiritum,

vel ad diuidendum animam, & ad diuidendum ſpiritum. Iuxta primum ſenſum diuiditur anima à ſpiritu & ſecundùm rem, dum in brutis inuenitur anima ſine ſpiritu, & ſecundùm potentias, quoniam in homine vnamet res eſt anima & ſpiritus. Secundùm potentias animales quibus corpus viuificat, anima: ſecundùm verò potentias ſpirituales quibus ſupergreditur corpus omne, ſpiritus eſt. Iuxta ſecundum verò ſenſum pertingit ad diuiſionem animæ in multas eius vires: & pertingit ad diuiſionem ſpiritus in eius vires, in intellectum ſcilicet & voluntatem. COMPAGVM QVOQVE AC MEDVLLARVM. Ad corpus vtraque hæc ſpectant. Medullæ enim ſunt intra oſſa, compages verò coniunctiones ſunt partium corporis, quæ per totum corpus diffuſæ ſunt.

ET DISCRETOR. Hactenus de operatione, modò de cognitione eiuſdem diuini verbi loquitur; & quod dicit *diſcretor*, propriè dicitur *iudex*. COGITATIONVM ET INTENTIONVM CORDIS. Maximè occulta ſunt hæc duo. Adeò vt ſcriptum ſit: *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* & ſubiungatur, *ego Dominus*. Intima ergo notitia & perfecta explicatur dicendo, & diſcretor ſeu iudex cogitationum & intentionum cordis. Iudicare enim perfectam exigit notitiam.

Verſ. 13. ET NON EST VLLA CREATVRA INVISIBILIS, pro *latens*, IN CONSPECTV EIVS: SED OMNIA NVDA ET APERTA, pro *detecta*, SV̄T OCVLIS EIVS. Non ſolū ad cogitationes & intētiones volūtatis extēditur eius cognitio, ſed omnis creatura manifeſta eſt in cōſpectu eius tanquā res nudæ & detectæ. Ita quòd nullo experimento, nullo tegmine impeditur oculus eius. AD QVEM NOBIS SERMO, pro *ratio*, hoc eſt, ad quem referre debemus rationem & ſupputationem omnium operum noſtrorum. Dixerat enim quòd eſt iudex.

Verſ. 14. HABENTES ERGO PONTIFICEM MAGNVM QVI PENETRAVIT CŒLOS IESVM FILIVM DEI TENEAMVS CONFESSIONEM NOSTRÆ SPEI. Superfluit *noſtræ ſpei*. Dixerat ſuperiùs, *conſiderate Apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum*: & hactenus tractauit de Ieſu, tanquam legato relatiuè ad Moyſen. Modò tractat de eodem tanquam Pontifice relatiuè ad Aaron. Et incipit eum deſcribere Pontificem magnum ſupra omnes Pontifices, qui penetrauit non terram promiſſionis, ſed cœlos: exhortando ad tenendum confeſſionem fidei.

Verſ. 15. NON ENIM HABEMVS PONTIFICEM QVI NON POSSIT COMPATI INFIRMITATIBVS NOSTRIS, hoc eſt, imbecillitatibus noſtris: TENTATVM AVTEM, pro *ſed tentatum*, PER OMNIA, hoc eſt, probatum, examinatum pœnis per omnia pœnarum genera. PRO SIMILITVDINE ABSQVE PECCATO, hoc eſt, ad ſimilitudinem noſtri, citra tamen peccatum. Eſt enim paſſus quemadmodum & nos patimur, ſed non ob proprium peccatum ſicut nos: quoniam ipſe immunis fuit ab omni peccato.

Verſ. 16. ADEAMVS ERGO CVM FIDVCIA AD THRONVM GRATIÆ EIVS. Superfluit *eius*. Thronum gratiæ quā Chriſtus paſſus eſt pro nobis contra cathedram legis dicit. Ad Pontificem enim legalem cum timore eundum eſt, propter legis ſeueritatem: ad Pontificem autem magnum Ieſum cum fiducia eundum eſt: quia ſedes eius, eſt ſedes gratiæ. VT MISERICORDIAM CONSEQVAMVR ET GRATIAM INVENIAMVS IN AVXILIO OPPORTVNO, pro *in auxilium opportunum*. Vt inueniamus miſericordiam in malis, & gratiam in bonis: & vtrumque ad opportunum auxilium tempore præſentis vitæ quo opus eſt.

CAPVT V.

OMNIS NAMQVE PONTIFEX. Proſequēs tractatum de pontificatu Ieſu, à communibus incipit conditionibus cuiuſque Pontificis. EX HOMINIBVS ASSVMPTVS. Prima itaque conditio eſt communicatio in natura: videlicet quòd non eſt Angelus, ſed homo. PRO HOMINIBVS. Non ſolùm eſt homo, ſed loco hominum. CONSTITVITVR IN IIS QVÆ SVNT AD DEVM. Oblationibus, hoſtiis, precibus, &c. Vnde & explicat. VT OFFERAT DONA ET SACRIFICIA PRO PECCATIS. dona rerum, ſacrificia animalium. Verſ. 1.

Tractatum de Pontificatu Chriſti proſequitur.

QVI CONDOLERE POSSIT IIS QVI IGNORANT ET ERRANT. Dictio interpretata *condolere*, aliqui malūt vt interpretetur *moderatè ferre*. Plus autē ſignificat condolere, quā moderatè ferre. Is enim qui affectu compatitur: moderate fert: ſed non è diuerſo. Ignorantes autem & errantes (qui ſcilicet non ex malitia peccant) deſcribuntur tolerandi. Verſ. 2.

QVONIAM ET IPSE CIRCVNDATVS EST INFIRMITATE, hoc eſt, imbecillitate naturæ carnalis. Verſ. 3.

ET PROPTEREA DEBET QVEMADMODVM PRO POPVLO, ITA ETIAM PRO SEMETIPSO OFFERRE PRO PECCATIS. Ex hoc quòd commune eſt omni Pontifici habere naturam imbecillem, conſequens eſt vt non ſolùm pro peccatis populi (pro quo conſtitutus eſt) ſed etiam pro propriis peccatis offerat. Et hoc ſumit ex lege: in qua conſtitutum eſt ſacrificium, etiam pro peccatis Pontificis.

NEC QVISQVAM SVMIT SIBI HONOREM. Pontificatus. SED QVI VOCATVR A DEO TANQVAM AARON. Deeſt &. Legendum eſt, TANQVAM ET AARON, qui vocatus fuit à Deo iudicio virgæ florentis & incendij inuidorum. Verſ. 4.

SICVT CHRISTVS. Incipit applicare ea quæ in cōmuni de Pontifice dixit ad Chriſtū. Et inchoat à cōditione vltimò dicta, quæ in veritate eſt prima: quoniam ſpectat ad modū quo fit Pōtifex. NON SEIPSVM CLARIFICAVIT, pro *glorificauit*, VT PONTIFEX FIERET. nō ſibi vſurpauit Pontificis gloriam. SED QVI LOCVTVS EST AD EVM FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENVI TE. ſupple glorificauit eū Pōtificatu. Filij enim primogeniti erat iure hæreditario ſacerdotium. Verſ. 5.

QVEMADMODVM ET IN ALIO LOCO DICIT, TV ES SACERDOS IN ÆTERNVM SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC. Hæc verba Pſalmi diffuſè tractabit. Et propterea modò tranſimus. Verſ. 6.

QVI IN DIEBVS CARNIS SVÆ. Alias conditiones Pontificis applicat ad Chriſtum. Et quidem quòd ſit ex hominibus aſſumptus, dicendo *qui in diebus carnis ſuæ*. Quod verò in iis quæ ad Deum ſunt ſubiungendo: PRECES SVPPLICATIONESQVE AD EVM QVI POSSET ILLVM SALVVM FACERE A MORTE. Et in hoc applicat illā conditionem, *quoniā & ipſe circundatus* Verſ. 7.

tus

tus eſt infirmitate. Mortalis ſiquidem Chriſtus preces & ſupplicationes obtulit Deo, vt ſaluũ ſe faceret à morte: non ne moreretur, ſed ne detineretur à morte, ſed ſuſcitaretur.

Lachryma Chriſti in cruce.

CVM CLAMORE VALIDO. In Euangelio legitur in cruce Chriſtum clamaſſe. ET LACHRYMIS OFFERENS. Quanquam in Euangelio non leguntur Chriſti lachrymæ in cruce: ſicut tamen ſitiuit ex natura, ita lachrymatum quoque fuiſſe rationabile eſt ex naturali naturæ curſu. Præſertim cum permiſerit vnicuique virium exercere proprium officium: ac per hoc oculos lachrymari.

Exauditus eſt pro ſua reuerentia. Superfluit *ſua*. Et eſt ſermo de reuerentia actiuè: quà ſcilicet ipſe reueritus eſt patrem. Dictio tamen interpretata *reuerentia*, interpretari poteſt *pietate*. Et magis quadrat legere *pro pietate*: quoniam verè pro pietate erga cœleſtem patrem, erga filios adoptionis, erga ciues cœleſtis patriæ, erga denique cœleſtem patriam Chriſtus & obtulit ſeipsũ, & exaudiri meruit.

Verſ. 8. Et quidem cùm eſſet Filius Dei. Superfluit *Dei*. Proſequitur applicationem conditionum Pontificis, quoad rationem compatiendi aliis. DIDICIT EX IIS QVÆ PASSVS EST OBEDIENTIAM. Quamuis eſſet filius Dei (omnia ſciens, omnem præbens virtutem) tamen experimento didicit, patiendo didicit obedientiam. *Factus eſt* enim *obediens vſque ad mortem.*

Verſ. 9. Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperãtibus ſibi cauſa ſalutis æternę. Non ſolùm patiendo obediuit, ſed etiam patiendo conſummatus (hoc eſt perfectus) eſt: ad perfectionem enim (non habituum, ſed actionum) peruenit patiendo: & per hæc ad perfectionem immortalitatis. Et ſic faciendo factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, offerendo ſeipſum pro æterna ſalute obtemperantium ſibi.

Verſ. 10. Appellatus à Deo Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedec. Ad differentiam ſacerdotij legalis dicit, quòd eſt appellatus Pontifex ſecundùm ordinem non legis, ſed Melchiſedec.

Verſ. 11. DE QVO NOBIS GRANDIS SERMO. Relatiuum *quo*, refert totum quod dixerat, *appellatus à Deo Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedec*. De hoc enim grandis, hoc eſt copioſus eſt ſermo habendus à nobis: vt infra patebit. ET ININTERPRETABILIS AD DICENDVM, pro *& difficilis interpretatu ad dicendum*, erit enim interpretatio ſpiritualis non facilis Hebræis.

QVONIAM IMBECILLES, pro *ſegnes*, FACTI ESTIS AD AVDIENDVM, pro *auditionibus*. Ideò difficilis interpretatu, quoniam effecti eſtis tardi auditionibus ſcripturarum. Aſſueti enim ad audiendum interpretationes ſcripturarũ, faciliùs percipiunt ſpirituales interpretationes.

Verſ. 12. ETENIM CVM DEBERETIS MAGISTRI ESSE PROPTER TEMPVS, quia natio Hebræa priùs quàm aliæ nationes credidit Chriſto. RVRSVS INDIGETIS, VT VOS DOCEAMINI, pro *doceamur*, QVÆ SINT ELEMENTA EXORDII SERMONVM DEI. Elementa in qualibet ſcientia, appellantur principia illius: ſicut elementa grammaticæ literæ, &c. Elementa itaq; ſermonũ Dei ſũt ea principia quæ docentur catechumenis.

Elementa ſermonũ Dei, quænam.

ET FACTI ESTIS QVIBVS LACTE OPVS SIT, NON SOLIDO CIBO. Quod dixerat *elementa exordij*, modò appellat lac metaphoricè: vt ex metaphora ætatis indigentis lacte, agnoſcant ſe eſſe velut infantes.

OMNIS ENIM QVI LACTIS EST PARTICEPS, Verſ. 13.
EXPERS EST SERMONIS IVSTITIÆ. Quid ſit ſolidus cibus declarat, dicendo *ſermonis iuſtitiæ*. Et intendit per ſermonem iuſtitię doctrinam de profectu in operibus iuſtis. Et hoc dicit ad differentiam tam incipientium quàm proficiẽtum: quorum ſtudium eſt declinare à malo, pugnare contra vitia. Hi enim adhuc non ſunt experti ſermonem iuſtitiæ: hoc eſt ſtudium circa operationes iuſtas, alieni iam à vitiis. PARVVLVS ENIM EST. Ad ſimilitudinem infantis qui paſcitur lacte: ratio redditur.

PERFECTORVM AVTEM EST SOLIDVS CIBVS. Verſ. 14.
id eſt, ſtudium iuſtitiæ. Et declarando qui ſunt perfecti, ſubiungit, EORVM QVI PRO CONSVETVDINE, pro *habitu*, EXERCITATOS HABENT SENSVS AD DISCRETIONEM BONI AC MALI. qui iam non qualitercunque, ſed ex habitu habent ſenſus animi (comprehendentes partem & perceptiuam & affectiuam. Oportet enim perfectos habituatos eſſe in omnibus animi viribus) ad diſcretionem boni & mali: ad diſcretionem autem tam in affectu quàm in opere. Qui enim iam ſunt exercitati & habituati in diſcernendo factis bonũ à malo vniuerſaliter in omni materia, ij ſunt perfecti, ij ſolido paſcuntur cibo, ſtudio ſcilicet ſolius iuſtitiæ, ad reddendum tum Deo, tum proximis quod cuique debetur.

CAPVT VI.

QVAPROPTER INTERMITTENTES, Verſ. 1.
pro *omittentes*, INCHOATIONIS, pro *principij*, CHRISTI SERMONEM AD PERFECTIONEM FERAMVR. Dixerat quòd ſermo futurus erat difficilis interpretatu ad dicendum propter eorum tarditatem, quoniam facti ſunt velut infantes egentes lacte: & adiunxerat quòd facti ſunt egentes doctrinâ elementorum. Intendit modò monere eos, vt ſtudeant perfectioni, cauentes à reditu ad præteritum ſtatum pœnitẽtium. Et hoc intendens, dicit ſe omittere doctrinam elementorum. Vbi aduerte prudens lector, quòd medium elegit inter duo extrema, videlicet perfectos & incipientes: neque doctrinam perfectorum, neque doctrinam incipientium tradit, ſed doctrinam proficientium. Hæc eſt enim via, quâ ferimur ad perfectionem. Et anteponit hanc proficientium doctrinam in toto hoc capitulo: tanquam per hoc reddens eos idoneos ad ſermonem promiſſum de pontificatu Chriſti, ſecundùm ordinem Melchiſedec.

Monet vt ſtudeant perfectioni.

Ait itaque: *Quapropter*, quia ſegnes eſtis & copioſus inſtat ſermo de pontificatu Chriſti, ſecũdùm ordinem Melchiſedec, omiſſo ſermone principij Chriſti, hoc eſt ſpectantium ad eos qui initiãtur Chriſto, feramur ad perfectionẽ, feramur factis velut proficientes ad ea quæ ſunt perfectionis. Et dicit in prima perſona *feramur*, vt magis trahat eos vna ſecum.

NÕ RVRSVS IACIENTES FVNDAMENTVM PŒNITENTIÆ,

TENTIÆ AB OPERIBVS MORTVIS. Explicat modū quo proficientes ferimur ad perfectionem. Et conſiſtit modus in hoc, quòd non redeamus ad priorem ſtatum. Prior enim ſtatus fuit ſtatus pœnitentię ab operibus mortuis: hoc eſt a peccatis. Peccata namque ſunt opera mortua relatiuè ad vitam æternam. Nihil ſiquidem participant æternæ vitæ.

Reſipiſcentia a peccatis eſt fundamentū ædificij ſpiritualis.

Et appellat reſipiſcentiam à peccatis, *fundamentum*: quoniam eſt primum quod fit in ædificio ſpirituali. Cùm enim homo incipit ædificium ſpiritualium virtutum, primum occurrit ei reſipiſcere à peccatis, & hoc iacit pro fundamento. Proficientes debent multum cauere, ne ad hoc redeant, vt iterum oporteat eos reſipiſcere à peccatis. ET FIDEI IN DEVM

Verſ. 2. BAPTISMATVM. Ad id quod dixerat fundamentum refertur *fidei*: non rurſus iacientes fundamentum fidei ad Deum. Non dicit *non proſequentes fidem*, ſed *non iterum iacientes* fundamentum fidei in Deum. Hoc enim eſſet eorum qui perdidiſſent fidem Dei, & redirent ad fidem.

Nec dicit *fidei ad Deum* abſolutè, ſed explicat quinque credita. Quorum primum eſt baptiſma. Secundum, doctrina. Tertium, impoſitio manuum. Quartum, reſurrectio mortuorū: & quintum, iudicium æternum. Hæc enim omnia referuntur ad dictionem fidei tanquam credita. Et eſt ſenſus: Non iterum iacientes fundamentum fidei ad Deum horum creditorum: videlicet baptiſmatum, &c. iacere enim fundamentum fidei horum eſt, illorum qui initiantur in fide, qui fiunt Chriſtiani. Et dicit pluraliter *baptiſmatum*, quia triplex eſt baptiſma: fluminis, flaminis, & ſanguinis. Cogimur autem in vero ſenſu ſaluare baptiſmata, ex eo quòd dicit *non rurſus iacientes*. De recta ergo fide baptiſmatū loquitur, cuius ſemel iecimus fundamentum, & prohibemur iterum iacere idem fundamentum. DOCTRINÆ, proculdubio Euangelicæ. Ad primum enim fundamentū fidei ad Deum, ſpectat credere non ſolum baptiſma, ſed Euangelicam doctrinam eſſe à Deo nō ab homine. IMPOSITIONIS QVOQVE MANVVM. Et hæc ad prima fidei fundamenta in primitiua ſpectabat Eccleſia. Vnde & Paulus quæſiuit, *ſi Spiritum ſanctum accepiſtis credentes*. Dabatur enim per illam Spiritus ſanctus in teſtimoniū fidei, & dabatur ſtatim poſt baptiſmum adultis: vt patet in Actis Apoſtolorum, cùm audierunt, quòd Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad illam Petrum & Ioannem. Et Paulus cùm veniſſet Epheſum, ſuper tunc baptizatos in nomine Ieſu, impoſuit manus.

Triplex baptiſma.

Impoſitio manuum.

AC RESVRRECTIONIS MORTVORVM, ET IVDICII ÆTERNI. Ad prima fidei fundamenta ſpectat credere non ſolum prædicta tria præſentis vitæ, ſed etiam hæc duo futuræ vitæ, videlicet reſurrectionem mortuorum & iudicium æternū, quoad præmia & ſupplicia. Hæc enim ſunt prima ab omnibus credenda: & horum omniū fundamētum fidei non homini, ſed Deo iacere oportet in principio cùm Chriſtiani ſimus.

Verſ. 3. ET HOC FACIEMVS, SI QVIDEM PERMISERIT DEVS. Pronomen *hoc*, demonſtrat quod dixerat, *ad perfectionem feramur non rurſus iacientes*, &c. Quod autem adiungit: *ſiquidem permiſerit Deus*, minus dicit & plus ſignificat. Permiſſio enim eſt malorū: ſignificat autem ſi Deus cōceſſerit.

IMPOSSIBILE ENIM EST. Rationem reddit Verſ. 4.
negationis antedictæ, videlicet *non rurſus iacientes fundamentum*. Et dicit *impoſſibile*, quoniā de renouatione ſecundum baptiſma loquitur: quam conſtat eſſe impoſſibilem. EOS QVI SEMEL SVNT ILLVMINATI. Iuxta antedicta reddit ſingula ſingulis, non tamen eodem ordine: vnde fundamento pœnitentię reddit illuminationē. Fundamentum enim pœnitentiæ conſiſtit in hoc, quòd homo reſipiſcat; quod diuinâ illuminatione conſtat fieri. Ad fidem autem ad Deum baptiſmatum reddit quod ſequitur.

GVSTAVERVNT ETIAM DONVM CŒLESTE. Nec refert ſi è diuerſo hoc referatur ad fundamentum pœnitentiæ, & illud ad fidem baptiſmatū: nam vtrobique eſt cœleſte donum & lumen. Et illuminatio quidem directe ſpectat ad intellectū: guſtatio autem ad experientiā ſaporis, quæ in effectu perficitur. ET PARTICIPES FACTI SVNT SPIRITVS SANCTI. Reddit hoc impoſitioni manuum: per quā participabatur Spiritus ſanctus.

GVSTAVERVNT NIHILOMINVS BONVM DEI Verſ. 5.
VERBVM. Reddit hoc doctrinæ. Euāgelica enim doctrina eſt bonum Dei verbum, quod ab illis guſtatum eſt qui cœperunt mente ſentire, quàm bonū eſt, & vtile animæ. VIRTVTESQVE, pro *potentiáſque*, SECVLI VENTVRI. Reddit hoc reſurrectioni mortuorum, & iudicio æterno. Ita quòd guſtare potentias venturi ſeculi, eſt propter venturum ſeculum, propter futuram reſurrectionem & æternum iudicium inchoare hic dominium ſpiritus ſuper corpus, & ſe exercere iudicem ſuiipſius. Hæ enim ſunt potentiæ futuri ſeculi præguſtatæ. Hi quinque effectus explicati, ſunt ſacramentorum & reliquorum prius numeratorum. Et ſunt effectus inuenti in iis qui ex toto corde fiunt Chriſtiani, baptizantur ac confirmantur. Hic igitur de pœnitentibus inſtructis, baptizatis, ac confirmatis (eo quòd ſemel hæc bona perceperunt per hæc ſacramenta) ſubiungit,

ET PROLAPSI SVNT. Quod ſignificat non pu- Verſ. 6.
rum lapſum, ſed lapſum vltra. Magnus enim ſignificatur lapſus. RVRSVS RENOVARI AD POENITENTIAM, RVRSVM CRVCIFIGENTES, pro *recrucifigentes*, SIBIMETIPSIS FILIVM DEI, ET OSTENTVI HABENTES, pro *& diffamantes*. Si diceret, impoſſibile eſt eos rurſus renouari ad pœnitentiam, ſine aliqua additione, difficilis eſſet ſermo: imò ſi non eſſet ſermo authoritatis, cenſeretur hæreticus. Quia tamen authoritatem obtinuit hæc Epiſtola, gloſſaretur quòd nō de quacunque renouatione, ſed de renouatione baptiſmali intelligitur. Quia tamen expreſsè adiungit *recrucifigentes ſibimetipſis filium Dei*, limitat renouari ad pœnitentiam, non qualitercunque, ſed recrucifigendo ſibimetipſis filium Dei. Ita quòd ſenſus eſt: Impoſſibile eſt ſemel baptizatos rurſus renouari ad pœnitentiam, recrucifigendo ſibimetipſis filium Dei. Recrucifixio namque modum renouandi explicat. Perinde ac ſi dixiſſet, impoſſibile eſt rurſus renouari ad pœnitentiam per baptiſmum. Iteratum enim baptiſma recrucifixionem ſibimetipſis filij Dei appellat. Et ſubtiliter ac doctè, ad ſignificandam rationem quare non poteſt iterari renouatio per baptiſmum: quia eſſet recrucifigere filium Dei non in carne propria ipſius filij Dei, ſed in ſemetipſis qui rebaptizarentur: nam baptizamur in morte Chriſti,

Semel baptizatus renouari ad pœnitentiam eſt impoſſibile. Quo ſenſu.

Chriſti, & conſepelimur illi per baptiſmum, & emergimus ex baptiſmo in nouitatem vitæ correſurgentes Chriſto.ac per hoc iterare baptiſma eſt recrucifigere Chriſtum immortalem, non in ſeipſo (vt dictum eſt) ſed in eo qui rebaptizatur. Cùm tamen conforme debeat eſſe ſignum ſignificato, ac per hoc ſicut ſemel Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit non amplius moriturus, ita ſemel debet mihi crucifigi, & ſemel conceſſum eſt ſurgere cum ipſo in nouam vitam.

Quod autem ſubditur *oſtentui habentes*, ſeu *diffamantes*, ſeu (per circumlocutionem *exemplū ignominiæ facientes*, ad idem ſpectat. Imò & explicat huiuſmodi recrucifixionem ſpectare ad publicam ignominiam filij Dei: tanquam filius Dei pluries crucifigatur alicui.

Aliqui tunc temporis iterabant baptiſma. Vbi aduerte quòd niſi aliqui tunc temporis fuiſſent iterantes baptiſma, non tam accuratè author huius epiſtolæ hanc materiam interloquendo tractaſſet.

Verſ. 7. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus, pro *propter quos*, colitur, accipit benedictionem à Deo:

Verſ. 8. Proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. Adiũgit ſimilitudinem ſatis claram ex differentia inter terram fructuoſam & inutilem.

Aduerte prudens lector, quòd coniunctio cauſalis *enim* (dicendo *terra enim*) non refertur ad immediatè præcedentia: ſed cùm dixiſſet quod ſemel baptizati & prolapſi non poſſunt renouari iterando baptiſma: monet eoſdem prolapſos ex differentia terrarum, vt timeant ſibi: vtpote ſæpe moniti à paſtoribus Eccleſiarum, à ſacris literis, ab exemplo ſanctorum, à diuinis inſtigationibus (hæ enim ſunt imber ſæpe veniens ſuper terram) & inde aduertant an germinant herbam opportunam, an ſpinas & tribulos. Hinc enim coniicere poterunt de exitu an erit benedictus à Deo, an in combuſtionem æterni ignis.

Verſ. 9. CONFIDIMVS AVTEM DE VOBIS DILECTISSIMI, pro *dilecti*, MELIORA ET VICINIORA, pro *adhærentia*, SALVTI: TAMETSI ITA LOQVIMVR. Ne promiſſa cõmemoratio pareret in animis Hebræorum opinionem quòd author huius Epiſtolæ male ſentiat de illis, moderamen adiungit quòd quamuis ita loquatur, tamen confidat quòd in eis ſint meliores partes & ſaluti propinquæ, hoc eſt, quòd in eis ſit pars illa melior, ſcilicet *feramur ad perfectionem*. Et ſimiliter pars illa melior, videlicet *terra proferens herbam opportunam*. Ad differentiam partium deteriorum, ſcilicet terræ proferentis ſpinas & tribulos, & eorum qui rurſum iaciunt fundamentum pœnitentiæ, fidei, & cætera.

Verſ. 10. NON ENIM INIVSTVS EST DEVS. Rationem reddit quare meliores partes de eis ſibi perſuadet. VT OBLIVISCATVR OPERIS VESTRI, ET DILECTIONIS. Deeſt *laboris*. Legendum eſt, *Et laboris dilectionis*, QVAM OSTENDITIS, pro *oſtendiſtis*, IN NOMINE, pro *in nomen*, IPSIVS: QVI MINISTRASTIS SANCTIS ET MINISTRATIS. Ecce ratio adhærentium ſaluti ex parte operum miſericordiæ quæ erga nomen Chriſti & fecerant, & faciebant, miniſtrando ſanctis.

Et in hoc commendat exteriùs opus & laborem: vt labor referatur ad exercitium corporis, & opus ad eleemoſynam rerum. Vtrũque enim concurrit ad miniſtrandum ſanctis: Interiùs autem amorem erga nomen Dei. Ex parte verò Dei, affert quòd in eum non cadit iniuſtitia, vt obliuiſcatur præmiare hæc. Et propterea vtrinque concipit meliora de illis.

Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare, pro *oſtendere*, ſolicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem. Dixerat *tametſi ita loquimur*: reddit modò rationem quare ita loquitur, quia *cupimus vnumquemque veſtrum*. Verſ. 11.

Vbi diſcerne quòd prius in genere dixit de operibus bonis, & dilectione, modò acrioris ſermonis rationem reddit, vt ſingillatim ſinguli eandem (hoc eſt ſimilem, parem) monſtrẽt & exhibeant diligentiam, ad expletionem ſpei vſque in finem, ad plenè perficiendam ſpem vſque ad finem vitæ. Et explicando diligentiam ac modum perficiendæ ſpei, ſubiungit.

VT NON SEGNES EFFICIAMINI. Dixerat ſuperiùs quoniam ſegnes facti eſtis auditionibus: modò dicit, vt non ſegnes efficiamini ad opera. VERVM IMITATORES EORVM QVI FIDE ET PATIENTIA, pro *longanimitate*, HÆREDITABVNT, pro *hæreditant*, PROMISSIONES. Non dicit imitatores eorum qui genere & circumciſione hæreditant promiſſiones, ſed qui fide & longanimitate hæreditant promiſſiones factas Abrahæ. Illi enim ſũt Iſraëlitæ ſecundùm carnem, iſti autem ſecundùm ſpiritum. Verſ. 12

ABRAHÆ NAMQVE PROMITTENS DEVS, Geneſis viceſimoſecundo. Dixerat ſe cupere vt ſinguli ſimilem exhiberent diligentiam ad perficiendam ſpem. Et quoniam ſpes ad promiſſa tendit, declarat modò immobilem promiſſionem factam a Deo cui innititur ſpes. QVONIAM NEMINEM HABVIT PER QVEM IVRARET MAIOREM, IVRAVIT PER SEMETIPSVM, Verſ. 13.

DICENS, NISI, pro *etiã*, BENEDICENS BENEDICAM TE, ET MVLTIPLICANS, MVLTIPLICABO TE: Verſ. 14.

ET SIC LONGANIMITER FERENS ADEPTVS EST PROMISSIONEM. Hiſtoria habetur in loco allegato poſt immolationem Iſaac. Verſ. 15.

HOMINES ENIM PER MAIOREM SVI IVRANT. Superfluit *ſui*. Exponere incipit ſcripturam allatam, inchoans ab illa particula, *per memetipſũ iuraui, dicit Dominus*. Ideo enim per memetipſũ, quia careo maiore. Conſueuerunt enim homines iurare per maiores ſe: vt Ioſeph *per ſalutem Pharaonis*: & Dauid, *viuit Dominus*. Verſ. 16. *Per maiores ſe iurare ſolẽt homines.*

Et omnis. Deeſt *illis*. Legendum eſt, Et illis omnis controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum. Rationẽ reddit quare iurauit, inchoans rationem ex hoc quòd inter homines finis omnis controuerſiæ quoad confirmationem (non quoad executionem) eſt iuramentum.

IN QVO ABVNDANTIVS VOLENS DEVS OSTENDERE POLLICITATIONIS HÆREDIBVS IMMOBILITATEM CONSILII SVI INTERPOSVIT IVSIVRANDVM: Verſ. 17.

VT PER DVAS RES IMMOBILES QVIBVS, pro *in quibus*, IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEVM, FORTISSIMVM, pro *validum*, SOLATIVM HABEAMVS. Duas res immutabiles dicit, promiſſionem & iuſiurandum. Vtraque enim res in Deo eſt Verſ. 18.

immutabilis. Et ambæ inueniuntur in hac promiſſione. Effecit autem Deus hæc, vt conſolatio hæredum expectantium promiſſum, eſſet valida. Vnde & ſubdit: QVI CONFVGIMVS AD TENENDAM PROPOSITAM SPEM,

Verſ. 19. *Spes eſt animæ anchora.* QVAM VELVT ANCHORAM HABEMVS ANIMÆ TVTAM AC FIRMAM, ET INCEDENTEM VSQVE AD INTERIORA VELAMINIS. Aſſimilat ſpé anchoræ firmanti nauem, explicans ſpem eſſe tanquam anchoram animæ habentem tres conditiones. Primò quòd eſt tuta ab aduerſantibus. Deinde quòd eſt firma in ſeipſa habens rationem firmitatis. Et demum quòd ingreditur, quòd penetrat vſque ad intima velaminis. Anchora enim tunc eſt tuta & firma quando ad intima profunditatis penetrat. Et ſimiliter ſpes penetrat vſque ad intima cœlorum, vſque ad felicitatem futuram ſanctorum. Quam appellat interiora velaminis, hoc eſt, ſancta ſanctorum, vltimam templi partem quæ velamine ſeparabatur a reliquo templo.

Verſ. 20. VBI PRÆCVRSOR PRO NOBIS INTROIVIT IESVS SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDEC PONTIFEX FACTVS IN ÆTERNVM. Ad interiora velaminis ſoli Pontifici patebat aditus. Et propterea, redeundo ad Pontificatum Ieſu, tractandum, explicat quæ ſunt interiora velaminis: ſcilicet interna cælorum quò pro nobis præcurſor (tum quia ante nos, tum quia ad præparandum nobis ibidem locum) ingreſſus eſt Ieſus, factus Pontifex verus non ad tempus, ſed in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec.

CAPVT VII.

Verſ. 1. HIC ENIM MELCHISEDEC REX SALEM, SACERDOS DEI SVMMI, pro *excelſi*. QVI OBVIAVIT ABRAHÆ REGRESSO, pro *regredienti*, A CÆDE REGVM. Hiſtoriam refert ſcriptam Geneſ. 14. ET BENEDIXIT EI. Melchiſedec benedixit Abrahæ.

Verſ. 2. CVI. Scilicet Melchiſedec. ET DECIMAS OMNIVM DIVISIT ABRAHAM. Hæc omnia ex textu Geneſis ſumpta ſunt. PRIMVM QVIDEM QVI INTERPRETATVR REX IVSTITIÆ. Hic eſt textus ex quo (vt prædiximus) apparet quòd Epiſtola
Melchiſedech quis, & quid ſignificet? hæc non eſt ſcripta Hebraicè. *Melchiſedec* enim dictio compoſita eſt (ſi tamen vnica dictio eſt) ex duobus integris: videlicet rex iuſtitiæ. Vnde ſcribendo Hebraicè nulla erat ratio dicendi quòd interpretatur *rex iuſtitiæ*, ſed quòd interpretatur *Melchiſedec*. In aliquo itaque idiomate dicendo *rex iuſtitiæ*, monſtrat quòd non Hebraicè ſcribebat: ſed Hebraicam hanc dictionē Græcè ſcribens interpretatus eſt Græcè. Et ſcito quòd (vt ſuper Pſalteriũ diximus) *Melchiſedec* non erat nomen proprium illius viri, ſed erat nomen commune regibus illis, ſicut Cæſar eſt nomen commune Romanis Imperatoribus, & Pharao regibus Ægypti, &c. Nomen proprium illius viri ſcriptura tacet vt ſubtra-
Creditur fuiſſe Sem. ctum Melchiſedec. Quod dico, quia creditur ipſum fuiſſe primogenitum Noe, qui vocatur Sem.

DEINDE AVTEM ET REX SALEM. A loco cuius erat deſcribitur. Nec eſt præſentis diſcuſſionis, ſed ſpectantis ad librum Geneſis, diſcutere ſitum Salem: an ſcilicet ſit Hieruſalem, an ſit Salim. QVOD EST REX PACIS. Rurſus in alio idiomate interpretatur Hebræum.

Sine patre, ſine matre, ſine genealogia, Verſ. 3.
neque initium dierum, neque finem vitæ habens: aſſimilatus autem filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. Quæ dicuntur *Quomodo ſine patre, ſine matre, &c.* hîc de Melchiſedec *ſine patre, ſine matre*, & cætera, ſunt intelligenda formaliter quatenus Melchiſedec, Sub tali enim titulo inuenitur in ſcriptura abſque ſcripto patre, abſque ſcripta matre, abſque ſcripta genealogia, abſque initio dierum (non enim ſcribitur quando natus fuit) & abſque fine vitæ: quia nec ſcribitur quanto tempore vixit. Et propterea aſſimilatur filio Dei: qui eſt rex iuſtitiæ, & rex pacis, *ſine patre* ſecundùm quod homo, & *ſine matre* ſecundùm quod Deus, *ſine genealogia*: vtpote carens auis & atauis ſecundùm quod Deus. *Neque initium dierum habens neque finem*, vtpote æternus. Et vere manens Sacerdos in perpetuum poſitiue. Melchiſedec autem manet Sacerdos in perpetuum negatiue: quia deſcribitur Sacerdos, & non deſcribitur terminus illius ſacerdotij. Vndique ergo eſt figura filij Dei.

INTVEMINI AVTEM QVANTVS SIT HIC, CVI Verſ. 4.
ET DECIMAS DEDIT DE PRÆCIPVIS, pro *primitiis*. ABRAHAM PATRIARCHA. Proſequitur declarando rem geſtam, & applicando myſtice ad Ieſum. Prius enim declarauit & applicauit Melchiſedec rex Salem Sacerdos: nunc verò declarat & applicat, *cui & decimas omnium diuiſit Abraham*. Conſiderate, inquit, quantus eſt hic Melchiſedec, cui Abraham Patriarcha tot nationum, pater tot patrum, dedit decimas ex primitiis. Primitias appellat exuuias, ſeu ſpolia detracta hoſtibus.

Et quidem de filijs Leui ſacerdotium Verſ. 5.
accipientes, mandatum habent decimas ſumere à populo ſecundum legem, id eſt à fratribus ſuis: quanquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ.

Cuius autem generatio non annume- Verſ. 6.
ratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham. Dixerat, intuemini quantus ſit iſte. Explicat modò magnitudinem ipſius ex differentia inter ſacerdotium Leuiticum & ſacerdotium Melchiſedec quoad acceptionem decimarum. Nam ſacerdotes legales qui erant ex *Sacerdotes Leuitici decimas accipiebant à populo.* tribu Leui, decimas accipiebant a populo qui etiam deſcenderat ab Abraham: ita quòd tam ſacerdotes quibus debebantur decimæ, quàm populus debens decimas, erant filij Abrahæ. Iſte autē Melchiſedec non ex genere Abrahæ, tantus eſt quòd ipſe Abraham pater Sacerdotum legaliũ & totius populi dedit ei decimas.

Et hunc qui habebat promiſſiones benedixit. Proſequitur declarando aliam particulam, *& benedixit ei*, & librat quòd Melchiſedec benedixerit Abrahæ habenti a Deo promiſſiones: nam ante hæc Geneſ. 12. promiſerat Deus Abrahæ, *faciam te in gentem magnam, & in te benedicentur omnes cognationes terræ*. Et rurſus Geneſ. 13. promiſit illi Deus omnem terram, quam videbat, & multiplicationem ſeminis. &c. Propter quod merito dicitur quod iam habebat promiſſiones in numero plurali.

SINE

Verſ. 7. SINE VLLA. pro, *omni*, AVTEM CONTRADICTIONE QVOD MINVS EST A MELIORE BENEDICITVR. Formalis eſt ſermo quòd quatenus benedicens potior eſt eo qui benedicitur vt ſic: nec hoc habet contradictionem aliquam. Quamuis ſecundum alias conditiones contingat maiorem eſſe eum qui benedicitur, quam is qui benedicit.

Verſ. 8. ET HIC QVIDEM. Hoc eſt in ſtatu legis, Decimas, morientes homines accipiunt. nempe ſacerdotes & leuitæ qui moriuntur IBI AVTEM. Videlicet in Melchiſedec. CONTESTATVR. Supple ſcriptura. QVIA. pro, *quòd*, VIVIT. Scilicet Melchiſedec, nihil dicens de illius morte. Præfert Melchiſedec ſacerdotibus Leuiticis: quia Scriptura loquitur de ſuccedentibus ſacerdotibus & Leuitis, non autem loquitur de ſucceſſore Melchiſedec, ſed de eo tantùm viuo.

Verſ. 9. ET VT ITA DICTVM SIT. pro, *dicam*, PER ABRAHAM ET LEVI. (hoc eſt etiam Leui. QVI DECIMAS ACCIPIT. in ſtatu legis. DECIMATVS EST.) Non ſolum Abraham decimatus eſt, ſed per ipſum Abraham etiam Leui qui ab eo deſcendit, qui eſt pater ſacerdotalis tribus, cui debentur in lege decimæ, decimatus eſt, vt inferior comprobetur ipſo Melchiſedec.

Verſ. 10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedec. Decimato patre decimantur filij qui in lumbis eius ſunt.

An Chriſtus etiam decimatus in lumbis Abrahæ. Sed occurrit hîc quæſtio contra hanc rationem, quoniam ſequeretur etiam Chriſtum decimatum fuiſſe per Abraham, quoniam & ipſe tunc erat in lumbis Abrahæ, ac per hoc concluderetur Chriſtum eſſe minorem Melchiſedec, quemadmodum concluditur ſacerdotium Leuiticũ inferius eſſe ſacerdotio Melchiſedec. Solutio eſt quod ratio valet in iis qui totaliter erant in lumbis Abrahæ. Chriſtus autem non totaliter fuit in lumbis Abrahæ: quia hypoſtaſis Chriſti de cœlo deſcendit. Aliorum autem perſonæ in lumbis erant Abrahæ.

Verſ. 11. SI ERGO CONSVMMATIO PER SACERDOTIVM LEVITICVM ERAT. Intendit iungere allatis ex Geneſi ſcripturam Dauidicam, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Et hinc explicare ſacerdotium Chriſti maius eſſe ſacerdotio legali Et ordinate procedit: nam hactenus monſtrauit ſacerdotium Melchiſedec eſſe maius ſacerdotio Leuitico, & figurare ſacerdotium filij Dei: modò ipſum figuratum Chriſti ſacerdotium monſtrat maius eſſe ſacerdotio Leuitico, vtens illa authoritate pſalmi. Inde enim arguit: Si ergo conſummatio, hoc eſt perfectio (& eſt ſermo de perfectione animarum) per ſacerdotium Leuiticum erat.

Sacerdotium Chriſti oſtenditur maius eſſe Leuitico.

POPVLVS ENIM SVB IPSO. Scilicet ſacerdotio Leuitico: hoc eſt, ſub ipſius regimine efficacia & patrocinio. LEGEM ACCEPIT. Vbi, complectitur legem & ſacerdotium. Et rationem reddendo quare perfectionem exigit à ſacerdotio, dicit quia populus ſub ipſo ſacerdotio legem accepit. Lex enim ad perficiendum homines ordinatur non ſola, ſed ſub patrocinio ſacerdotij. Et quia lex reſpicit homines, ſacerdotium verò Deum, ideo ſi qua eſt perfectio legis per ſacerdotium fit. Et propterea dicit quòd ſi perfectio per ſacerdotium Leuiticum fit, quia ſub ipſius patrocinio populus accepit legem.

Quid adhuc neceſſarium fuit. Ecce argumentatio. Secundum ordinem Melchiſedec alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici? Vtitur ſcripturâ illâ, *tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Hoc enim poſt Aarõ ſacerdotium tempore Dauidis prophetatur. Et quia neceſſe eſt impleri ſcripturam, ideo dicit quid neceſſe fuit ſurgere alium ſacerdotem, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec, ſignificando quòd ſi perfectio erat per ſacerdotium Leuiticum, non erat opus ſurgere alium ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec. Et hoc etiam manifeſtat ex parte legis ſubiungendo.

Translato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. Ac ſi apertiùs dixiſſet, quid neceſſe fuit ſurgere alium ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, & ſurgere aliam legem, cùm tranſlato ſacerdotio neceſſe eſſet transferri legem. Dixerat enim quod ſub ſacerdotio Leuitico data erat lex Moſaica. Igitur tranſlato ſacerdotio transfertur & lex. Verſ. 12.

In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altario præſto fuit. Monſtrat tranſlationẽ ſacerdotij prophetatam & factam (quoad ordinem, quia ſecundum ordinem Melchiſedec, & non ſecundum ordinem Aaron) ex hoc ipſo quod tranſlatum eſt ſacerdotium ex tribu Leui in tribum Iuda. Verſ. 13.

Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua, pro, *de qua*, tribu nihil de ſacerdotibus. pro, *ſacerdotio*, MOYSES LOCVTVS EST. Moyſes enim ſolum in tribu Leuitica ſacerdotium diſpoſuit. Verſ. 14.

Et amplius adhuc manifeſtum eſt. Antequam compleat argumentationem inchoatam ex illa particula *ſecundum ordinem Melchiſedec*, confirmat idem ex adiuncta particula *in æternum*: dum dicitur: *Tu es ſacerdos in æternum*, vt vtraque particula manifeſtata compleat rationem. Si ſecundum ſimilitudinem Melchiſedec exurgat alius ſacerdos. Verſ. 15.

Qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt. Lex Moyſi appellatur lex mandati carnalis, quia mandat ea quæ carnalia ſunt, oblationes pecorum, purificationes carnales & huiuſmodi: & iam dictum eſt quod iſte alius ſacerdos non eſt factus ſecundum legem Moyſi: vtpote in tribu Iuda. Sed ſecundum virtutem. pro, *potentiam.* vitæ inſolubilis. E regione legis mandati carnalis locat potentiam vitæ inſolubilis: potentiam contra legem, *vitæ inſolubilis* contra *mandati carnalis.* Quod intelligitur ad literam quoad efficaciam ſacerdotij, quia habet potentiam conferendi vitam immortalem cum ſacerdotium Leuiticum ad carnalia & terrena hæc in terra promiſſionis ordinatum eſſet. Verſ. 16.

Cur lex Moyſi dicatur lex mandati carnalis?

CONTESTATVR ENIM. in Pſalm. 109. QVO- Verſ. 17.

NIAM. pro, *quod*, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Vtramque particulam ſimul attulit, & ad complendam rationem ſe conuertit.

Verſ. 18. **Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter eius imbecillitatem & inutilitatem.**

Verſ. 19. **Nihil enim ad perfectum adduxit lex.** Inchoauerat rationem: ſi perfectio per ſacerdotium Leuiticum erat, quia ſub ipſo lex data eſt, quid neceſſe fuit ſurgere aliam legem? Reddit modò rationem quare neceſſe fuit ſurgere aliam legem: quia ſcilicet ad perfectionem non ducebat lex cum ſuo ſacerdotio. Eſt itaque ſenſus quod prophetante Scriptura nouum ſacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, fit reprobatio præcedētis

Lex Moyſi non mala, ſed infirma & inutilis inde reprobata.

mandati, legis ſcilicet Moyſi, non quod fuerit mala, ſed quòd fuerit infirma & inutilis Infirma quidem, quia non poteſt iuſtificare, quia non confert remiſſionem peccatorum: inutilis autē, quia non introducit in æternam felicitatem. Vnde & vtriuſque rationem reddens dicit: nam lex nihil adduxit ad perfectum: hoc eſt, nihil adduxit ad perfectionem iuſtitiæ in hac vita, & nihil adduxit ad perfectionem patriæ immediatè poſt hanc vitam,

Introductio verò melioris ſpei. ſupple fit prophetando, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec*: vtpote ſpei non terræ promiſſionis, ſed æternæ patriæ (per ſacerdotium enim Chriſti hæc ſpes introducta eſt) imò melioris ſpei reſurrectionis corporum, quam per Chriſti ſacerdotium ſumus explicitè conſecuti.

PER QVEM PROXIMAMVS AD DEVM. E regione *inutilis* dixit *melioris ſpei*: è regione verò *infirmi* dicit, per quam proximamus Deo. Spes enim iuſtificans, propinquos nos reddit Deo ſecundum ſpiritum in hac vita: & eadem ſpes eſt melioris boni, patriæ ſcilicet cœleſtis.

Verſ. 20. **Et quantum eſt non ſine iureiurando.** Proſequitur verba Dauidica quoad illam particulam, *iurauit Dominus*. **Alij quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt.**

Verſ. 21. **Hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illū: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternū.** Deeſt, *ſecundum ordinem Melchiſedec*: & ſuperfluit *eum*

Verſ. 22. **Tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus.** Sententia eſt clara quod quanto eſt differentia inter Ieſum & ſacerdotes Leuiticos in hoc quod ille ſine iureiurando, Ieſus cum iureiurando factus eſt ſacerdos in æternū, tanto ex ipſo iureiurando adhibito factus eſt promiſſor melioris teſtamenti. Iuſiurandum enim ad firmitatem promiſſionis hæreditatis melioris ſpectat.

Quod autem dicit *per eum qui dixit ad illum*, iuſiurandum ſignificat per Deum. Et *qui dixit ad illum*, refertur ad *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec*.

Verſ. 23. **Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes.** ſucceſſiuè. **Idcirco quòd morte prohiberentur permanere:**

Hic autem Ieſus. Eo quòd maneat in Verſ. 24.
æternum. viuens in æternum. **Sempiternum habet ſacerdotium.** abſque ſucceſſore. Aduerte quòd priùs tractauit Ieſum ſacerdotem in æternum quoad efficaciam ſacerdotij, modò autem tractat eundem ſacerdotem in æternum ſecundum vitam ipſius ſacerdotis. Et hinc deducit.

Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt. Verſ. 25.
Dictio interpretata *in perpetuum*, dicitur magis ſonare ad plenum. **Accedens per ſemetipſum.** pro, *accedentes per ipſum*, **ad Deum: ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.** pro, *ipſis*. Ex hoc quòd manet in æternum, ſequitur quòd poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſaluare plenè: vtpote ſemper viuens ad interpellandum pro ipſis accedentibus.

Formaliter loquitur de Ieſu quatenus Pontifice: cuius officium eſt poſtulare à Deo pro accedentibus ad Deum ipſum. Poſtulat autem pro ſuis membris Ieſus in cœlo exiſtens, tum facto, monſtrando ſigna paſſionis, tum merito, offerendo pietatem qua paſſus eſt pro illis.

Officium Chriſti ut Pontificis eſt poſtulare à Deo pro accedentibus ad Deum ipſum.

Talis enim decebat vt eſſet nobis pon- Verſ. 26.
tifex, ſanctus. pro, pius. erga cœleſtem patrem, patriam, ac ciues. INNOCENS. qui neminem læſerit. IMPOLLVTVS. in ſeipſo. SEGREGATVS A PECCATORIBVS. quatenus peccatores, quod eſt eſſe omnino ſegregatum à peccatis. ET EXCELSIOR CŒLIS FACTVS. aſcendit enim ſupra omnes cœlos.

Qui non habet neceſſitatem quotidie Verſ. 27.
quemadmodum ſacerdotes. Leuitici. **Prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.** Pronomen *hoc*, demonſtrat particulam immediatè præcedentem: videlicet pro delictis populi: hoc enim (ſcilicet *offerre pro delictis populi*) fecit ſemel, offerendo ſeipſum in ara crucis. Iam ſiquidem excluſerat à Ieſu oblationem pro proprio peccato: dum dixit, *tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*.

Lex enim conſtituit homines ſacerdo- Verſ. 28.
tes infirmitatem habentes. Ratio differentiæ inter Ieſum & ſacerdotes Leuiticos eſt: quia lex Moyſi conſtituit ſacerdotes habentes imbecillitatem, & naturæ & peccati. SERMO AVTEM IVRISIVRANDI QVI. pro *quod*, POST LEGEM EST. ſermo propheticus in Pſalmo cum iureiurando quod longè poſt legem eſt. FILIVM IN ÆTERNVM PERFECTVM. conſtituit ſacerdotem. Lex homines, ſermo autem iuriſiurandi filium: illa ſacerdotes imbecilles, iſte perfectum in æternum: hoc eſt ex omnibus ad ſacerdotem requiſitis conſtantem non ad tempus, ſed in æternum.

CAPVT VIII.

CAPITVLVM. pro, *ſumma*, AVTEM SVPER Verſ. 1.
EA QVÆ DICVNTVR. ſupple, eſt. TALEM HABEMVS PONTIFICEM QVI CONSEDIT IN DEXTERA SEDIS MAGNITVDINIS. pro, *maieſtatis*,

IN

IN COELIS. Hoc declarandum eſt ſuperius.

Sanctorum miniſter & tabernaculi veri quod fixit Deus & non homo. Incertum eſt an *ſanctorum* ſit maſculini vel neutri generis: nam vtroque modo verificari poteſt: eſt enim Ieſus pontifex miniſter ſanctorum, hoc eſt ſanctarum rerum, ſpiritualium gratiarum & gloriæ cœleſtis: vtraque enim & ſancta ſunt, & miniſterialiter Ieſus quatenus homo illa confert. Eſt & rurſus miniſter ſanctorum hominum, miniſtrando eos vt pontifex Deo: hic quidem per dona gratiæ: ibi verò per dona gloriæ. Et hic ſenſus magis quadrat miniſterio: quoniam relatiuè ad Deum miniſter ſignificatur; tanquam miniſtrans Deo mundos homines. In primo autem ſenſu ad homines refertur miniſterium gratiæ & gloriæ: pontificis autem miniſterium præcipuè eſt relatiuè ad Deum.

Chriſtus miniſter tabernaculi. Appellatur quoque miniſter tabernaculi, alludendo ad pontificem legalem, qui erat miniſter tabernaculi, tanquam loci in quo miniſtrabat. Verùm ille erat miniſter tabernaculi figuralis: Ieſus autem miniſter tabernaculi veri, quod eſt Eccleſia tam militans quàm triumphans. Vnde & dupliciter Ieſus eſt miniſter hominum electorum: primò tanquam rerum quas offert Deo, ſecundò tanquam tabernaculi in quo miniſtrat. Habitat enim Ieſus in cordibus electorum: & propterea Eccleſia tabernaculum eius dicitur. Et eſt tabernaculum verum, non figurale: & eſt quod fixit Deus & non homo. Deus enim eſt qui figit electos: & nullus homo eſt qui poſſit huiuſmodi tabernaculum efficere, ad differentiam tabernaculi materialis quod fecit Moyſes, in quo miniſtrabat Aaron.

Verſ. 3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur. Ex communi officio omni pontifici, manifeſtat quod dixerat *miniſter ſanctorum.* VNDE NECESSE EST. Superfluit *eſt.* Et hunc habere aliquid quod offerat. Illatio eſt manifeſta, ex eo quod hic (ſcilicet Ieſus) eſt pontifex.

Verſ. 4. SI ERGO. pro *ſi enim*, ESSET SVPER TERRAM. illud quod Ieſus pontifex offert: hoc eſt, ſi eſſet aliquod animal, aut aliquis terræ fructus: hæc enim ſunt ſuper terram, & ſunt ea quæ offerunt ſacerdotes legales. NEC ESSET SACERDOS. Illatio eſt ducens ad contrarium: hoc eſt, ſequeretur quod Ieſus non ſolum non eſſet Pontifex maior legali pontifice, ſed nec eſſet ſacerdos. Et ſequelæ probationem ſubiungit.

Cùm eſſent qui offerrent ſecundum legem munera. hoc eſt, cùm eſſent ſacerdotes legales offerentes munera ex iis quæ ſunt ſuper terram: exiſtentibus enim illis ad offerendum hæc, non oportebat nec oportet nouum ſacerdotem ſurgere ad offerendum eadem.

Verſ. 5. Qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cœleſtium. De exemplato eſt ſermo, quocunque id nomine appelles. Duo dixerat, alterum *ſanctorum miniſter*, alterum eſt *tabernaculi veri quod fixit Deus.* Et quoad primum dixit quòd id quod offert Ieſus non eſt ſuper terram, ad differentiam ſacerdotum legalium. Quod & verificatur tam de eo quod obtulit (hoc eſt, ſemetipſo: nam ipſe de cœlis deſcendit) quàm de iis quæ continuè offert Deo: ſanctis ſcilicet qui non ſunt ſuper terram: ſed cœleſtes: cœleſti enim gratiâ conſtituuntur & cœleſti gloriâ conſummantur.

Modò differentiam tabernaculi proſequitur dicendo de ſacerdotibus legalibus, qui deſeruiunt exemplari & vmbræ cœleſtium. Tabernaculum ſiquidem illud erat exemplatum à tabernaculo cœleſti: & erat velut vmbra illius: erat quædam repræſentatio illius, velut vmbra repræſentat corpus. Et quod hoc ſit verum, affert authoritatem ſcripturæ.

SICVT RESPONSVM EST MOYSI. *Exod.* 25. CVM CONSVMMARET. pro, *conſummaturus eſſet*, tabernaculum, vide inquit omnia facito ſecundum exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte. Dictio interpretata *exemplar*, ſignificat typum ſeu formam. Quod dixerat *cœleſtium*, modò dicit *formam Moyſi* oſtenſam in monte, quoniam cœlitus formata erat ſimilitudo tabernaculi oſtenſa Moyſi cùm eſſet in monte. Hinc enim myſticè intendit exponere author quod tam tabernaculum pontificis Ieſu quàm oblata per eum cœleſtia ſunt: tabernaculum autem & oblata per ſacerdotes legales, terreſtria & exemplata ac vmbræ cœleſtium.

NVNC AVTEM MELIVS, pro, *præſtantius*, SORTITVS EST MINISTERIVM. Verſ. 6.
Probat ex alio capite miniſterium Ieſu pontificis eſſe excellentius miniſterio pontificis legalis: imò cùm prius dixiſſet eſſe præſtantius, modò quantitatem excellētiæ manifeſtat, tanto excellentius dicens miniſterium Ieſu, quantò melius eſt teſtamentum cuius eſt mediator: hoc enim ſubdit: Quanto & melioris teſtamenti mediator eſt. Manifeſtat autem melius eſſe teſtamentum, cuius mediator eſt Chriſtus teſtamento veteri, ſubiungendo: Quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Ex hoc quòd teſtamentum nouum firmatum eſt promiſſis melioribus (vtpote cœleſtibus, promittit enim cœleſtem gratiam & cœleſtem gloriam) melius dicitur antiquo teſtamento, promittente vitam & bona in terra promiſſionis. *Teſtamentū nouum melius veteri.*

NAM SI ILLVD PRIVS. pro, *primum*, CVLPA VACASSET. Verſ. 7.
pro, *fuiſſet irreprehenſibile.* non tanquam malum, ſed tanquam imperfectum. Non vtique ſecundi locus inquireretur. habito enim perfecto quieſcit inquiſitio: ſed ſecundum exquiſitum eſt, ergo. Quod autem illud primum fuerit reprehenſibile & ſecundum quæſitum, monſtrat ſubiungens:

VITVPERANS. pro, *reprehendens*, ENIM EOS. Verſ. 8.
pro, eis, DICIT. Reprehendens enim teſtamentum primum Deus dicit eis, Iſraelitis, Hieremiæ triceſimoprimo: Ecce dies venient dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum:

Non ſecundum teſtamentum quod fe- Verſ. 9.
ci patribus eorum in die quo apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti. Et rationem ſubdit: Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento

mento meo,& ego neglexi eos,dicit Dominus. Quale autem ſit Teſtamentum nouum, ſubiungit:

Verſ. 10. Quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos,dicit Dominus, dans leges meas in mentem eorum,& in corde eorum ſuperſcribam, pro *inſcribam*,EAS. Hinc ſumitur quòd nouum Teſtamentum non eſt lex aliqua ſcripta:ſed eſt lex infuſa mentibus,& ſculpta in cordibus.

Ieremias ſecundū LXX. Interpretum translatione citatur. Vbi & ſcito quòd hunc Hieremiæ textum author huius epiſtolæ attulit iuxta interpretationem LXX.& non iuxta textum Hebræū. Et hoc eſt ſignum quòd Græcè ſcripſit. In eo enim (vt Hieronymus teſtatur) *pactum* non *teſtamentum* habetur. Quorum tanta eſt differentia quòd illud eſt inter viuos, hoc autem non eſt firmum viuente teſtatore. ET ERO ILLIS IN DEVM, ET IPSI ERVNT MIHI IN POPVLVM.Prius dicta ſpectant ad Teſtamentum nouum in hac vita:hæc autem cum ſequentibus (dicta quoque ab Hieremia) ſpectant ad effectum Teſtamenti noui in futura vita, in qua Deus habebitur ex integro à nobis in Deum: & ſimiliter nos habebimur à Deo in populum. Quorum vtrumque hîc etiam verificatur participatiuè & imperfectè. Quod autem ſequitur,cœleſti patriæ eſt proprium.

Verſ. 11. ET NON DOCEBIT VNVSQVISQVE PROXIMVM SVVM, ET VNVSQVISQVE FRATREM SVVM, DICENS;COGNOSCE DOMINVM.Effectus proprius noui Teſtamenti poſt hanc vitam, deſcribitur excluſio doctrinæ humanæ, non ad quodcunque,ſed ad cognoſcendum Dominum.In cœleſti enim patria quamuis vnus inſtruatur ab alio de aliquibus myſteriis, non tamen de notitia Dei.Et ratio ſubditur: QVONIAM OMNES SCIENT ME.Non dicit, *omnes ſcient omnia*. ſed *ſcient me*. A MINORE VSQVE AD MAIOREM, pro *à paruo eorum vſque ad magnum eorum*. Erunt enim ibi magni & parui, beati & magis beati: ſed videre Deum erit commune omnibus.

Verſ. 12. QVIA PROPITIVS ERO INIQVITATIBVS EORVM,hoc eſt,non ob eorum merita,ſed propter meam propitiationem peruenient ad videndum me.ET PECCATORVM EORVM. Deſunt tres dictiones: *Et iniquitatum eorum*, IAM NON MEMORABOR.Talis autem ac tanta erit propitiatio mea quòd dabo obliuioni(quoad punitionem)peccata eorum,& iniquitates eorum. Per quod ſignificatur propitiatio non pendens, non ambigui exitus: qualis eſt propitiatio in præſenti vita,reſpectu eorum qui recidiuant, & in recidiuo moriuntur: illis enim quamuis Deus fuerit propitius, tamen propter recidiuum imputat etiam peccata præterita: iuxta parabolam ingrati ſerui traditi tortoribus donec reddat vniuerſum quadrantem.

Verſ. 13. DICENDO AVTEM NOVVM. Nôn ſunt hæc verba Hieremiæ:ſed authoris Epiſtolæ, applicantis verba Dei per prophetam ad propoſitum. Et arguit ab illa particula *Teſtamentum nouum*,ANTIQVATVR pro *antiquauit*,PRIVS,pro *primum*.Dicens Deus Teſtamentum nouum,antiquauit primum teſtamentum. QVOD AVTEM ANTIQVATVR ET SENESCIT,PROPE INTERITVM EST. Non eget probatione argumentatio illa: quoniam continua experientia comprobatur. Vnde hinc author intelligi vult quòd teſtamentum primum(vtpote antiquationi & ſeneſtuti ſubiectum)ad interitum tendebat, ſicut & iam interit: Teſtamentum autem nouum (vtpote ſemper nouum) manet in æternum: æterna enim eſt gratia, quæ hic inchoatur, & in patria conſummatur,ſemper nouos reddens eos in quibus eſt.

CAPVT VI.

HABVIT QVIDEM Deeſt *igitur*, ET PRIVS. pro, *primum*, ſupple teſtamentum. IVSTIFICATIONES CVLTVRÆ ET SANCTVM SECVLARE. Verſ. 1.
pro, *mundanum*. Appellat iuſtificationes culturæ, cærimonias & conditiones requiſitas ad Dei cultum: ſanctum verò mundanum, appellat munditiam in oculis mundi huius: ad differentiam munditiæ ſpiritualis, quæ eſt in oculis Dei ſolius: nam vetus Teſtamentum exigebat huiuſmodi munditiam mundanam ſecundùm iudicium ſacerdotum: puta munditiam per aquam aſperſionis, & huiuſmodi.Et quoniam tam ad iuſtificationes cultus quàm ad munditiam mundanam magna ex parte (& ferè ex toto) ſpectabat tabernaculum, ideo vt rationem horum ſubiungit.

TABERNACVLVM ENIM FACTVM EST PRI- Verſ. 2.
MVM: IN QVO ERANT CANDELABRA. pro *candelabrum*,ET MENSA ET PROPOSITIO PANVM.Cùm vnicum fuerit tabernaculum, author diſtinguit illud in duo, tabernaculum primum ſcilicet & ſecundum: propterea nominat tabernaculum primum: hoc eſt ſecundùm primam partem in primo ingreſſu. In quo erant hæc tria: candelabrum à ſiniſtris, ex ſeptem conſtans lucernis, &c. & propoſitio panum à dextris: hoc eſt menſa quædam in qua proponebantur panes ſeptem ſingulis ſabbatis: & menſa, hoc eſt altare thymiamatis in medio. Hæc intellige relatiue ad intrantem. QVÆ DICITVR SANCTA. Hæc pars prima appellatur *ſancta*: & eſt pluralis numeri *ſancta*.

POST VELAMENTVM AVTEM.In tabernaculo Verſ. 3.
erant duo velamenta, alterum velamentum *In Tabernaculo erāt duo velamenta.*
erat velut murus tabernaculi in parte anteriori, per quam aditus erat tabernaculi. Et à primo velamento vſque ad ſecundum velamentum erat ſpatium longitudinis 20.cubitorum,& hoc totum appellabatur *ſancta*. Poſt ſecundum autem velamentum, totum reſiduum erat ſpatium longitudinis decem cubitorum, & de hoc velamento loquitur author. Et *ſpatium* poſt appellat, SECVNDVM TABERNACVLVM QVOD DICITVR SANCTA SANCTORVM,

AVREVM HABENS THVRIBVLVM. Neſcitur Verſ. 4.
vnde author huius epiſtolæ hoc acceperit,ſcilicet quòd in ſanctis ſanctorum eſſet aureum thuribulum.ET ARCAM TESTAMENTI CIRCVMTECTAM EX OMNI PARTE AVRO.Hoc ſatis conſtat ex ſacra Scriptura. IN QVA VRNA AVREA HABENS MANNA,ET VIRGA AARON QVÆ FRONDVERAT,ET TABVLÆ TESTAMENTI. Horum triū quæ dicit eſſe in arca,vltimum tantum authoritate ſacræ Scripturæ habetur. Et ita habetur hoc tantum, quòd excluduntur reliqua duo: nam tertij Regum octauo expreſſe dicitur, quòd in arca non erant niſi tabulæ teſtimonij.

Vnde

Vnde iſte textus, vt ſonat: manifeſtè contradicit ſacræ Scripturæ: nam ſonat abſque vlla differentia modi hæc tria eſſe in arca quod perinde eſt ac ſi apertiùs dixiſſet, hæc tria eſſe intus in arca.

Si tamen pro reuerentia, quia iam authoritatem obtinuit, placet gloſſare, quod hęc erant in arca, ſed non eodem modo (quia ſolæ tabulæ intus, virga autem & vrna mannæ exterius erant in ea,) eſto.

Fortè tamen authorem huius epiſtolæ fefellit intelligentia Scripturæ Exodi decimoſexto de phiala mannæ: & Numer. decimoſeptimo de virga quæ fronduerat: mandatur enim vtrobique vt ſeruentur coram teſtimonio Domini, ſeu coram Domino. Ex his enim fortè credidit hæc in arca ſeruari. Neſcio enim literam tertij Regum ad literam ſaluare cum hoc, niſi iuxta gloſſam prædictam.

Verſ. 5. SVPER QVÆ, pro, *ſuper quam*, videlicet arcam. ERANT CHERVBIM GLORIÆ. Intellige Cherubinos ſuper arcam ſecundum alas: arca enim erat inter Cherubinos: & alæ erant ſuperiores arcâ. Appellat autem Cherubinos gloriæ, ad differentiam adorationis, non enim erant vt adorarentur, ſed ad gloriam Dei. OBVMBRANTIA PROPITIATORIVM. Tabella quædam inter duos Cherubinos tanquam geſtata ab ipſis (in qua ſi quis ſediſſet, pedes poſuiſſet ſuper arcam) appellatur *propitiatorium*, erat enim velut ſedes Dei ſine ſedente. De qua ad Deum dicitur, *qui ſedes ſuper Cherubin*. Sic enim Moyſes Deum omnino infigurabilem adorandum depinxit: non figurando ipſum, ſed figurando ſedem eius ſuper Cherubim, & arcam præceptorum ſub pedibus eius. Et dicuntur Cherubini obumbrantes propitiatorium: quia alæ eorum duæ extentæ vmbram faciebant tabellæ illi. Quæ ideo appellatur propitiatorium, quia ex adoratione Dei ibi propitiatio ſperabatur diuina. DE QVIBVS NON EST MODÒ DICENDVM PER SINGVLA, ſed quantum ad propoſitum ſufficit.

Propitiatoriũ quid.

Verſ. 6. HIS VERÒ ITA COMPOSITIS, IN PRIORI, pro *primum*, QVIDEM TABERNACVLVM SEMPER INTROIBANT SACERDOTES, non laici, non Leuitæ, SACRIFICIORVM OFFICIA, pro *cultus*. Paraphraſi vſus eſt interpres, dicendo ſacrificiorum officia.

CONSVMMANTES. Incipiebat quotidie tam manè quam veſperi, cultus in altari holocauſtorum (quod erat ſub dio ante tabernaculum) offerendo agnum in holocauſtum: perficiebatur autem cultus tam manè, quàm veſperi in altari thymiamatis (quod erat in primo tabernaculo) ſacerdote adolente ibi thymiama. Et propterea dicit, quòd ſemper introibant Sacerdotes cultus conſummantes.

Verſ. 7. IN SECVNDO, pro *ſecundũ*, AVTEM SEMEL IN ANNO SOLVS PONTIFEX NON SINE SANGVINE, qui inferiùs explicatur. QVEM OFFERRET, pro *offert*, PRO SVA. Legendum eſt: PRO SE ET POPVLI IGNORANTIA, pro *ignorantiis*. Hactenus retulit & differentiam tabernaculorum, & diuerſitatem officiorum, atque dignitatum miniſtrantium in illis tabernaculis, modò incipit explanare, inchoans ab hoc vltimo: videlicet quòd ſolus Pontifex ingrediebatur ſancta ſanctorum, &c.

Verſ. 8. Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatũ. Hoc facto quòd in ſancta ſanctorum non patebat aditus, ſignificauit Spiritus ſanctus, quòd dum durat primum tabernaculum, dum durat ſtatus veteris Teſtamenti, dum durat ſtatus cærimoniarum legalium, non eſt manifeſtata ſanctorum via: via enim ſanctorum ad cœleſtem patriam per mortem Chriſti aperta eſt: per quam Chriſti mortem ceſſauerunt legalia. Vnde & in morte Chriſti hoc *velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum*.

Via ſanctorũ ad cœleſtem patriam per mortẽ Chriſti aperta eſt.

QVÆ PARABOLA EST TEMPORIS INSTANTIS. Verſ. 9.
pro, *quæ ſimilitudo fuit in tempore quod inſtitit*. Status illius tabernaculi exponitur quòd fuit ſimilitudo illius temporis, quod tunc currebat. Ita quòd habere velamentum repræſentabat diſpoſitionem temporis coæui ſibi, quòd ſcilicet quemamodum velamen claudebat aditum, ita tempus illud erat tempus clauſi aditus ad cœlum. IVXTA QVAM. pro, *quod*, ſupple tẽpus.

Munera & hoſtiæ offeruntur quæ non poſſunt iuxta conſcientiam. hoc eſt, intus in anima. PERFECTVM FACERE SERVIENTEM. cultu latriæ. Et rationem quare non poſſunt huiuſmodi perfectionem donare ſubdit: Solummodo in cibis & potibus.

Et variis baptiſmatibus & iuſtitiis. Verſ. 10.
pro, *iuſtificationibus*, CARNIS VSQVE AD TEMPVS CORRECTIONIS IMPOSITIS. pro, *impoſita*. Refertur enim participium hoc ad *munera & hoſtia*: reddit ſiquidem rationem quare munera & hoſtię non poſſunt perfectum facere, quia impoſita ſunt ſolummodo in cibis & potibus & huiuſmodi exterioribus. Et ne obiiceres, quorſum ergo impoſita hæc ſunt, reſpondendo huic tacitę quæſtioni ſubiungit, quòd non ſunt impoſita ſimpliciter, ſed vſque ad tempus correctionis, vſque ad tempus quo omnia corrigenda erant, non ſolũ mala, ſed imperfecta: hæc enim erant corrigenda non tanquam mala, ſed tanquam imperfecta: impoſita ſiquidem ſunt hæc tanquam ætati puerili: vt ex his imperfectis paulatim ducerentur ad perfecta.

CHRISTVS AVTEM. Explanata ſignificatione velati tabernaculi, conſequenter explanat officium Chriſti, alludendo ad officium legalis pontificis & præferendo. ASSISTENS. pro *adueniens*. PONTIFEX FVTVRORVM BONORVM. Ille erat pontifex præſentium bonorum: Chriſtus autem futurorum in cœleſti patria. PER AMPLIVS. Duæ dictiones ſunt. ET PERFECTIVS TABERNACVLVM. Legalis pontifex pergens ad ſancta ſanctorum, tranſibat per tabernaculum: & propterea de Ieſu pontifice dicit, quod iuit per tabernaculum, tum amplius tum perfectius. Et ſubiungendo differentiam inter tabernaculum Chriſti & tabernaculum legalis pontificis dicit: NON MANVFACTVM, ID EST, NON HVIVS CREATIONIS. Ne errares intelligendo per *non manufactum*, hoc eſt, increatum, explicat ipſemet, quod non intendit increatum, ſed non huius creationis, ſcilicet artificio hominum: huiuſce enim creationis erat tabernaculum legalis ſacerdotis. Tabernaculum verò per quod noſter ingreſſus eſt pontifex, non eſt artis opus. Verſ. 11.

Et potes per tabernaculum iſtud intelligere Eccleſiam: quæ eſt & longe amplior templo Iudæorum

Tabernaculũ pro Eccleſia intellige.

Iudæorum (vtpote comprehendens vniuerſum mundum) & longè perfectior: vtpote conſtans ex perfectione animarum. Hanc enim ſuperius appellauit tabernaculum quod fixit Deus, & non homo. Nihilominus ſi cœlum intelligas, conſtat tabernaculum eſſe, & amplius & perfectius: per quod Ieſus intrauit in ſanctiſſima. Et vtrumque conſtat non eſſe huius creationis.

Verſ. 11. NEQVE PER SANGVINEM HIRCORVM, AVT, pro *&* VITVLORVM. Legalis Pontifex intrabat ſancta ſanctorũ cum ſanguine hircorum & vitulorũ: vt pręcipitur Leuit. decimoſexto. SED PER PROPRIVM SANGVINEM. Vide excellentiam. INTROIVIT SEMEL IN SANCTA. Ille quotannis intrabat, iſte ſemel tantùm: non in ſancta ſanctorum, ſed in ſancta: non in ea quæ relatiue ad minùs ſancta dicuntur ſancta ſanctorum, ſed in ea quæ ſimpliciter & abſolutè ſunt ſancta, omnino munda & eleuata etiam à poſſibilitate contrahendi aliquam immunditiam: talia enim ſunt ea quæ ſunt cœleſtis patriæ, in quæ introiuit Ieſus meritò proprij ſanguinis in cruce fuſi,

ÆTERNA REDEMPTIONE INVENTA, pro *æternam redemptionem inueniens*. Quia caremus participio actiuo pręteriti temporis: dicimus *inueniẽs*: intellige tamen cùm inuenit æternam redemptionem per proprium ſanguinem. Alij Pontifices pro redemptione temporali intercedebant: Chriſtus autem redemptionem inuenit æternam, non ſolum quoad effectum (quia inuenit redemptionem hominum ad vitam æternam) ſed etiam quoad menſuram efficaciæ: quia inuenit redemptionem habentem efficaciam non reſpectu præteritorũ tantùm, ſed reſpectu futurorum, non ad tempus, ſed in æternum, ſi in æternum duraret mundus iſte.

Verſ. 13. SI ENIM SANGVIS HIRCORVM, AVT TAVRORVM. Hic eſt ſanguis, de quo ſuperiùs dixit, *ſolus Pontifex non ſine ſanguine*. de quo etiam paulò ante dixit, *per ſanguinem hircorum & vitulorũ*. Hoc enim ſanguine vtebatur Pontifex in die expiationis: vt dicitur Leuit. decimoſexto. ET CINIS VITVLÆ. Alterum tangit emundationis genus, quod fiebat ex aqua in qua erant cineres vitulæ rufæ: vt dicitur Num. decimoſexto. ASPERSVS. Ad vtrumque refertur, ſanguinem ſcilicet & cinerem: non quòd ipſe cinis aſpergeretur, ſed aqua in qua erat cinis. INQVINATOS SANCTIFICAT AD EMVNDATIONEM CARNIS. hoc eſt, non ad emundationem animæ, ſed ad emundationem irregularitatum.

Sãguine hircorũ & taurorum, & cinere vitulæ vſa vtebatur Pontifex in expiationibus.

Verſ. 14. QVANTO MAGIS SANGVIS CHRISTI, QVI PER SPIRITVM SANCTVM, pro *æternũ*. Sanguis Chriſti contra ſanguinem & cinerem animalium, *qui per ſpiritum æternum*, contra mandatum ad Pontifices. Pontifex enim legalis ex ſtatuto legis, Ieſus autem non ex ſtatuto, ſed ex ſpiritu, non temporali, ſed æterno: Et hoc directè dicit ad reddendam cauſam æternę redemptionis. Ac ſi apertius diceret: non eſt mirum ſi inuenit æternam redemptionem, quoniam in æterno ſpiritu: SEMETIPSVM OBTVLIT IMMACVLATVM DEO. Et eſt ſermo de Spiritu ſãcto qui eſt æternus: vnde redemptio facta per Chriſtum habet efficaciam æternam. Et dicit, *obtulit ſeipſum*, contra oblata à Pontifice legali. EMVNDABIT CONSCIENTIAM NOSTRAM, pro *veſtram*, non corpora veſtra. AB OPERIBVS MORTVIS: hoc eſt, peccatis: quæ verè ſunt opera priuata vitâ æterna. AD SERVIENDVM DEO VIVENTI. Ad idoneos reddendum cultui interno ipſius Dei viuentis.

ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST. Quia obtulit ſeipſum per proprium ſanguinem ad emundationem animarum à peccatis, ideo mediator eſt noui Teſtamenti: vetus enim Teſtamentum externarum erat mundationum: hoc autem quia intus mundat, ideo nouum. Et illud quidem terrenæ hæreditatis erat diſpoſitio: hoc autem cœleſtis hæreditatis diſpoſitio eſt, & ideo nouum Teſtamentum. Verſ. 15.

Chriſtus mediator noui Teſtamenti.

Eſt autem Ieſus mediator noui Teſtamenti ſecundùm quod homo, prout obtulit ſeipſum Deo, medius inter Deum, & nos ad noui Teſtamenti participationem. VT MORTE INTERCEDENTE, ipſius mediatoris. IN REDEMPTIONEM EARVM PRÆVARICATIONVM QVÆ ERANT SVB PRIORI, pro *primo*, TESTAMENTO. Imperfectionem legis explicat, mortem Chriſti ſpecialiter applicans ad redimendum præuaricationes etiam Iſraelitarũ qui erant ſub lege: hoc enim ſonat, quòd per legẽ non fiebat remiſſio peccatorũ. REPROMISSIONEM ACCIPIANT QVI VOCATI SVNT ÆTERNÆ HÆREDITATIS. Hoc eſt, promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis, non terrenæ, non ſolùm Iſraëlitæ, ſed omnes qui vocati ſunt. Et eſt ſermo de vocatione quæ eſt effectus prædeſtinationis: non de illa, quâ *multi ſunt vocati, pauci vero electi*.

VBI ENIM TESTAMENTVM EST. Manifeſtat illam particulam, *vt morte intercedente*. MORS NECESSE EST INTERCEDAT TESTATORIS. Vbi clarè vides quòd de teſtamento propriè vt diſtinguitur contra pactum loquitur. Verſ. 16.

Teſtamentum morte confirmatur.

Teſtamentum enim in mortuis confirmatum, pro *firmum*, eſt: alioquin nondum valet dum viuit qui teſtatus eſt. Verſ. 17. Quod conſtat non habere locum in fœdere, ſeu pacto.

Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Verſ. 18. Quia mors Chriſti cũ effuſione fuit ſanguinis (non enim fuit præfocatus, ſed clauis crucifixus) ideo illam quoque particulam *per proprium ſanguinem*, manifeſtat alludendo ad cærimoniam veteris fœderis. Et quia pactum illud author iſte appellat teſtamentum (ſequens textum Græcum Septuaginta) ideo dicit, *vnde nec primum teſtamentum ſine ſanguine dedicatum eſt*. Et hoc declarans narrat rem geſtam.

Lecto enim omni mandato legis à Verſ. 19. Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cũ aqua & lana coccinea & hyſſopo, ipſum quoque librum, in quo legerat. Et omnem populum aſperſit, dicens,

HIC SANGVIS TESTAMENTI QVOD MANDAVIT AD VOS DEVS. Verſ. 20. In Hebræo tamen habetur *ſanguis fœderis*: vt patet Exodi 24. Et hinc (vt prædiximus) non paruum argumentum ſumitur, & quòd Græcè ſcripta eſt Epiſtola, & quòd Paulus nunquàm viderit illam.

ETIAM AVTEM TABERNACVLVM, ET OMNIA VASA MINISTERII, ſubaudi *ſacri*. SANGVINE SIMILITER ASPERSIT. Verſ. 21.

Et

Verſ. 22. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, et sine sanguinis effusione, quæ ſcilicet fiebat in ſacrificio, offerendo animalia. Non fit remiſsio, irregularitatum, & immunditiarum quas homines incurrebant: ita quòd non ſolum emundatio tabernaculi, vaſorum, &c. ſed etiam mundatio hominum requirebat effuſionem ſanguinis alicuius animalis oblati.

Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.

Verſ. 23. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis. Exemplaria cœleſtia appellat quæ exemplata ſunt ex cœleſtibus, tabernaculũ & ea quæ ſpectabant ad tabernaculum: talia enim (vt ſuprà dixit) exemplata ſunt à cœleſtibus, & neceſſe eſt ipſa mundari his: ſcilicet ſanguine vitulorum & hircorum, &c. Et inde infert quòd cœleſtia ipſa neceſſe eſt mundari melioribus hoſtiis. Cœleſtia appellat homines cœleſtes: hoc eſt, electos ad habitandum in cœlis: hæc enim ſunt vera cœleſtia, figurata per priſca illa exẽplata à cœleſtibus. Et hæc cœleſtia neceſſe eſt mundari: quoniam omnes homines immundi ſumus, mundari autem melioribus hoſtiis quàm hoſtiæ hircorum & vitulorum. Fuit autem hæc longè melior hoſtia ipſe Chriſtus crucifixus: qui dicitur in numero plurali, melioribus hoſtiis: quia virtualiter habet vim omnium hoſtiarum.

Verſ. 24. Non enim in manufacta sancta Iesus introiit exemplaria virorum, sed in ipsum coelum: vt appareat nunc vultui, pro *faciei*, Dei pro nobis. Rationẽ reddit eius quod dixerat, *ipſa autem cœleſtia*, ex hoc quòd Ieſus noſter Pontifex introiuit in ipſum cœlũ ad apparendum Deo pro nobis. Hinc enim apparet nos electos eſſe ciues cœleſtes: vtpote pro quibus introducẽdis in cœlũ, Ieſus introiuit in cœlum. Quæ prius dixerat *exemplaria cœleſtium*, modo appellat *ſancta manufacta exemplaria verorum*. Tabernaculum namque inſtitutum à Moyſe manufactum erat, & ſanctum, & exemplum figurale veri tabernaculi cœleſtis in quo Deus habitat in hominibus.

Verſ. 25. Neque vt ſæpe offerat ſemetipſum: quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Sententia clara eſt.

Verſ. 26. Alioquin oportebat ipsum frequenter pati ab origine mundi. Et hæc ſequela manifeſta eſt. Nunc autem semel. Supple tantùm. In consummatione seculorum. Non in principio mundi, ſed in perfectione ſeculorum definitorum à diuina prouidentia. Ad destitutionem peccati. Quod eſt in anima. Per hostiam suam apparuit. Hoſtiam ſuam appellat immolationem ſui ipſius in ara crucis.

Verſ. 27. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, (*In quacumque die comederis, morte morieris.*) Poſt hoc autem iudicium. Quo iudicatur homo.

Verſ. 28. Sicut Christus semel oblatus est. Moriendo in cruce. Ad multorum exhaurienda, pro *tollenda*, peccata. Electorum ſcilicet. Secunda sine peccato apparebit. Hoc eſt, ſine ſimilitudine carnis peccati apparebit: apparebit enim ſine carne corruptibili, ad differentiam primi aduentus, in quo apparuit in ſimilitudine carnis peccati. Omnibus expectantibus se in salutem. Superfluit *omnibus*. Et eſt ſenſus: apparebit in ſalutem expectantibus ſe: ad differentiam reproborum, non expectantium Ieſum, imò nolentium quòd veniret: quibus & apparebit, ſed non in ſalutem, ſed in iudicium damnationis æternæ.

CAPVT X.

Verſ. 1. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos iisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere. Aduerte quod de lege loquitur. Non enim ait quòd vmbram habent ſacrificia, ſed vmbram habens lex.

Lex ergo Moyſi deſcribitur habens futurorum bonorum in cœleſti patria vmbram, non ipſam imaginem rerum. Non dicit non ipſas res, ſed *non ipſam imaginem rerum*: vt intelligamus differentiam inter legem veterem & nouam: quod illa habet vmbram bonorum cœleſtis patriæ, hæc autem eſt vera imago eorundem. Vmbra ſiquidem imperfectiſſimè repræſentat id cuius eſt vmbra: imago autem propinquè repræſentat id cuius eſt imago: quoniam aſſimilatur illi: & multa per veram imaginem alicuius hominis cognoſcimus de ipſo homine, quæ per vmbram non cognoſcuntur.

Lex vetus eſt vmbra bonorum celeſtis patria noua verò eſt imago eorum.

Lex quidem promittendo bona in terra promiſſionis, vmbram quamdam promittit bonorum cœleſtis patriæ: lex autem noua & verbis ipſam cœleſtem patriam promittit, & in ſua ſubſtantia) quæ eſt gratia ſpiritus ſancti diffuſi per charitatem in cordibus noſtris) eſt ſimilitudo vitæ cœleſtis. Ipſa igitur lex talis exiſtens naturæ quòd vmbram habet futurorum bonorum, proportionaliter etiam præſentia bona ſpiritualia, nec conferre poteſt per ſacrificia ſua: non poteſt enim perfectos facere accedentes ad ſua ſacrificia, quæ per ſingulos annos indeſinenter offerunt. Et loquitur ad literam de ſacrificio expiationis, quod decimâ die menſis ſeptimi à ſummo pontifice offerebatur ſingulis annis. Perfectos autem dicit quoad animam. Et hanc legis impotentiam manifeſtat ſubiungendo.

Verſ. 2. Alioquin cessassent offerri: ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati. Hoc eſt, alioquin lex iuſſiſſet ceſſare oblationem pro mundatis, eo quod cultores ſemel mundati nullam haberent vltra conſcientiam peccati. Intellige formaliter: conſiſtit enim vis rationis in hoc quòd lex ordinauit cultores etiam eoſdem ſingulis annis offerre idem ſacrificium: hinc namque ſequitur quòd ſi ſacrificium illud mundaſſet cultores à peccato, non iuſſiſſet lex cultores ſemel mundatos idem offerre: quoniam tales non indiguiſſent iterato ſacrificio. Et propterea ſequitur quod ceſſaſsẽt offerri à ſemel mũdatis. Nec minuitur efficacia

rationis ex hoc quòd ſemel mundati poterant iterum peccare, ac per hoc indigerent iterata oblatione: quoniam vis rationis conſiſtit in formali ratione cultorum ſemel mundatorum, quos lex non iuberet ſingulis annis offerre ſi fuiſſent mundati. Et proptèrea in principio huius capituli dixi notandum eſſe quòd de lege loquitur. Vnde & mandatum legis ſubiungit aduerſatiuè.

Verſ. 3. SED IN IPSIS. Scilicet hoſtiis. COMMEMORATIO. Non remiſſio. PECCATORVM PER SINGVLOS ANNOS FIT, ſine verbo textus eſt. Ex hoc enim quòd per ſingulos annos exiſtente eodem Pontifice, commemoratio peccatorum fit in illo ſacrificio, & multi de populo ſunt illimet, habetur, quòd nec Pontificis, nec illorum facta eſt remiſſio peccatorum. Quare autem per huiuſmodi ſacrificium non auſertur peccatum, ſubiungit,

Verſ. 4. IMPOSSIBILE ENIM EST SANGVINEM TAVRORVM ET HIRCORVM AVFERRE PECCATA. Non ſic eſt in noua lege, in qua ſanguine Chriſti auferuntur peccata.

Verſ. 5. IDEO INGREDIENS MVNDVM DICIT. Confirmat hęc authoritate Pſalmi 40. Et de Meſſia dicit: *Ideo ingrediens mundum*: eo quòd filius Dei ingreſſus eſt mundum cum Verbum caro factum eſt, prius enim erat ſupra mundum: & factus eſt caro, factus eſt pars mundi. HOSTIAM ET OBLATIONEM NOLVISTI. Deum alloquitur Meſſias. Et per *hoſtiam* intelligit ſacrificia pacifica: per *oblationem* verò inanimatorum oblationem: vt thymiamatis, thuris, &c. CORPVS AVTEM APTASTI MIHI. Et hinc quoque apparet quòd Græcè ſcripſit author huius Epiſtolæ iuxta tranſlationem LXX. nam in Hebræo habetur, *aures fodiſti mihi*. Corpus habile ad obedientiam datum ſibi confitetur.

Filius Dei ingreſſus eſt mundũ, cum caro factus eſt, prius cum erat ſupra mundum.

Verſ. 6. HOLOCAVSTOMATA ET PRO PECCATO NON TIBI PLACVERVNT. Omnia ſacrificiorum genera complexus eſt quæ in lege habentur: dicendo *hoſtiam & oblationem, holocauſtomata & pro peccato*: & cuncta repulſa à Deo dicit.

Verſ. 7. TVNC, cùm hæc tibi non placuerunt. DIXI. Ego filius. ECCE VENIO. In mundum. Hoc enim fuit tempus incarnationis. IN CAPITE LIBRI. In Hebræo habetur in volumine libri. SCRIPTVM EST DE ME. Non venio ex improuiſo, non faciã niſi prout ſcriptum eſt de me, *filius quidem hominis vadit vt ſcriptum eſt de illo*. VT FACIAM DEVS VOLVNTATEM TVAM. Ecce ad quid venio, ecce quid ſcriptum eſt de me.

Verſ. 8. SVPERIVS DICENS. Applicat author ad propoſitum authoritatem inductã. QVIA HOSTIAS ET OBLATIONES, ET HOLOCAVSTOMATA, ET PRO PECCATO NOLVISTI, NEC PLACITA SVNT TIBI QVÆ SECVNDVM LEGEM OFFERVNTVR. Vtpote imperfecta, & nõ habentia vim tollẽdi peccata.

Verſ. 9. TVNC DIXI, pro *dixit*, ſcilicet Meſſias. ECCE VENIO VT FACIAM DEVS VOLVNTATEM TVAM: AVFERT PRIMVM VT SEQVENS, pro *ſecundũ* STATVAT. Ad hoc enim prophetica verba attulit vt oſtenderet Meſſiam ex aduerbio *tunc*, auferre primum teſtamentum vt ſtatueret ſecundum: quia tunc aduenerat tempus vt faceret Dei voluntatem, quam non faciebant ſacrificia veteris Teſtamenti. Vnde & de illa voluntate ſubiungit,

Verſ. 10. IN QVA VOLVNTATE SANCTIFICATI SVMVS PER OBLATIONEM CORPORIS CHRISTI IESV SEMEL. Explicat eſſe voluntatem Dei voluntatem mundationis noſtræ à peccatis, quam non efficiebant antiqua ſacrificia, ſed eam effecit oblatio corporis Chriſti Ieſu in cruce, non iterata, nec iteranda, ſed ſemel.

Et omnis quidem Sacerdos præſto Verſ. 11.
eſt, pro *ſtat*, Quotidie miniſtrans, & eaſdẽ ſæpe offerens hoſtias, quæ non, pro *nunquã*, poſſunt auferre peccata. Hactenus de ſacrificio expiationis, quod ſemel in anno per Pontificem fiebat, proſecutus eſt: modò de iugi ſacrificio (quod tum mane tum veſperi fiebat) idẽ dicit quoad efficaciam remittendi peccata. Et propterea dicit, *& omnis ſacerdos*: offerre enim quotidianum ſacrificium agni, commune erat cuilibet ſacerdoti. Et dicit ac *quotidie miniſtrans* (bis in die) & *eaſdem hoſtias*, quia ſemper offerebat agnum.

HIC AVTEM VNAM PRO PECCATIS OFFERENS, Verſ. 12.
pro *vt obtulit*, HOSTIAM IN SEMPITERNVM. Eſt enim participium præteriti temporis activum, quo caremus. Differentiam explicat inter Ieſum & Sacerdotem hoſtiam quotidianam: ille ſæpe eaſdem hoſtias & quotidie, *hic autem vnam pro peccatis*, vt obtulit hoſtiam ſemetipſum, non quotidianam, ſed in ſempiternum: hoc eſt, ſempiternæ efficaciæ. SEDET; pro *ſedit*, IN DEXTERA DEI. De illo dixit quòd ſtat miniſtrans: de hoc dicit quòd vt vnam obtulit hoſtiam ſedit in dextera, quod ſuperiùs expoſitum eſt.

De cætero expectans donec ponan- Verſ. 13.
tur inimici eius ſcabellum pedum eius. Ne putares quòd ſedit in dextera Dei iterum quandoque ſacrificaturus, dicit quòd expectat ad perfectionem ſui regni, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius: hoc eſt, totaliter ſubiecti illi. Tunc enim regnabit in omnibus, & non ſolum in dextera Dei.

VNA ENIM OBLATIONE CONSVMMAVIT IN Verſ. 14.
SEMPITERNVM SANCTIFICATOS, pro *eos qui ſanctificantur*: eſt enim participium paſſiuum præſentis temporis, quo caremus. Ideo poſt vnam oblationem ſedit in dextera Dei expectans, &c. quia vnicâ oblatione perfecit eos qui mundatur, perfecit autem in ſempiternum. Et propterea non eſt opus vt iterum offerat.

CONTESTATVR AVTEM NOS, pro *teſtatur au-* Verſ. 15.
tem nobis, ET SPIRITVS SANCTVS. Tractat repetendo authoritatem ſuperiùs inductam ex Hierem. 31. c. tractando illud verbum *poſt*. Vnde & ſubiungit, POSTQVAM ENIM DIXIT, pro *poſt enim prædixit*. Teſtatur ſiquidem nobis Spiritus ſanctus, quia prædixit poſt dies illos. Verba ſunt Spiritus ſancti apud Hieremiam.

Hoc enim teſtimonium, quòd teſta- Verſ. 16.
bor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, hoc eſt, dies veteris Teſtamenti. Dabo, pro *dans*, leges meas in corde eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas:

Et peccatorum & iniquitatum eorum Verſ. 17.
iam non recordabor amplius. Superfluit *iam*. Ad hoc attulit hæc verba Spiritus ſancti: videlicet *poſt dies illos*, cum dabo legem nouam, peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Vnde & ſubdit:

VBI AVTEM HORVM REMISSIO, IAM NON EST Verſ. 18.
OBLATIO PRO PECCATO. Hoc eſt, quò tendebat author, quod ex eo quòd in lege noua facta eſt

remiſſio

remiſſio peccatorum per oblationem Chriſti, iam nulla ſupereſt oblatio pro peccato. Fieret enim iniuria oblationi Chriſti, tanquam minus ſufficienti. Nec propterea nouitie mireris quotidie offerri ſacrificium altaris in Chriſti Eccleſia: quoniam non eſt nouum ſacrificium, ſed illud met quod Chriſtus obtulit commemoratur: præcipiente ipſo: *Hoc facite in mei commemorationem*. Sacramenta quoque omnia nihil aliud ſunt quàm applicationes paſſionis Chriſti ad ſuſcipientes. Aliud autem eſt iterare paſſionem Chriſti, & aliud iterare commemorationem & applicationem paſſionis Chriſti.

Sacrificium altaris nõ eſt nouum, ſed illud idem quod obtulit Chriſtus.

Verſ. 19. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu (ſeu introitum) ſanctorum in ſanguine Chriſti, pro *Ieſu*.

Verſ. 20. Quam, pro *quem*, initiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam.

Verſ. 21. Et ſacerdotem magnum ſuper domum Dei. Hortari incipit ex dictis, & eo quòd habemus duo: alterum eſt fiducia in introitum ſanctorum: alterum eſt ſacerdos magnus ſuper domum Dei. Et fiduciam quidem habere nos dicit ad introeundum in ſancta, non ob propria merita, ſed in ſanguine Ieſu. Et dicit hæc alludendo ad ritum veteris Teſtamenti. Tunc enim fiducia ingrediendi in ſancta erat in ſanguine vituli & hirci, & erat propria Pontifici: nunc autem fiducia hæc communis eſt omnibus ingrediendi in ſancta (quæ verè ſunt ſancta) cœleſtia in ſanguine Ieſu. Et de eodem introitu ſubiungit, *quem initiauit nobis*: hoc eſt, quem innouauit nobis. Quia ſoli Pontifici olim conceſſus erat introitus, ideo authorem tantæ nouitatis explicat, *quem initiauit nobis*, proculdubio Ieſus. Et ne introitum corporalem intelligeres, explicauit eundem eſſe viam nouam & viuentem. Viam charitatis & gratiæ (quæ perficitur per gloriam) viam nouam & viuentem appellat. Et *nouam* quidem contra vetuſtatem peccati. *Viuentem* autem quoniam in actibus vitalibus animæ conſiſtit: dilectione ſcilicet & intelligentia Dei. Et vt nihil permittat figuræ, adiungit *per velamen*: explicando, *id eſt, carnem ſuam*. Per velamen enim erat ingreſſus in ſancta ſanctorum: & Ieſus per carnem ſuam, qua velatur eius diuinitas, innouauit nobis introitum in ſancta.

Introitus in ſancta in ſãguine Chriſti.

Velamen eſt caro Chriſti.

De Sacerdote autem dicit quòd eſt magnus: vtpote ſuper omnes Pontifices. Et quòd eſt ſuper domum Dei, comprehendentem vniuerſam Eccleſiam, & non tantum domum Iſraël. Et rurſus dicendo ſuper domum Dei, colligit ſuperioritatem quam dixerat reſpectu Moyſi. Ieſus enim magnus Sacerdos ſuper domum Dei: ille verò famulus in domo Dei.

Verſ. 22. Accedamus, pro *accedimus*, cum vero corde in plenitudine fidei. Explicat qualis eſt acceſſus ad introeundum in ſancta, habentium duo prædicta, & dicit quod habentes hæc duo, accedimus ad ipſa ſancta cum his conditionibus. Prima eſt cum vero corde in plenitudine fidei, in qua comprehenditur plena fides (quæ eſt in intellectu) cum veracitate cordis: hoc eſt voluntatis. Ita quòd non ficto, ſed vero corde, non fides, ſed plena fides habetur ab accedentibus.

ASPERSI CORDA A CONSCIENTIA MALA. Ad ritum veteris Teſtamenti alludit: in quo qui tetigerat morticinum, aſpergebatur aqua cineris vitulæ rufæ. Aſperſi, inquit, non corpora, ſed corda: non à corporali tactu morticini, ſed à conſcientia mala, accedimus. Et hæc eſt ſecunda conditio: addens ad plenam ex vero corde fidem, munditiam à conſcientia mala.

ET ABLVTI CORPVS AQVA MVNDA. Et hoc alludit ad veterem cærimoniam: qua irregularis abluebatur corpus aquâ mundâ, poſtquam aſperſus fuerat aqua ſacra. Et intendit per hoc quòd accedimus intus bene diſpoſiti quoad fidem & quoad conſcientiam, & tertiò abluti corpus per ſacramentum Baptiſmi aquâ mundâ. Talis eſt enim acceſſus ad introeundum in ſancta, & pro his ſeruandis hortatur ad ea quæ ſequuntur.

TENEAMVS SPEI NOSTRÆ CONFESSIONEM
INDECLINABILEM. Superfluit *noſtræ*. Non di- Verſ. 23.
cit teneamus ſpem (quoniam hæc in fiducia claudebatur) ſed dicit *ſpei confeſſionem*: quæ poteſt multipliciter impediri ob varias aduerſitates. Et exigit tenendam confeſſionem ſpei inflexibilem: vt nec proſperis, nec aduerſis nutet, vacillet, aut flectatur. FIDELIS ENIM EST QVI PROMISIT. Optima ratio ad ſeruandam confeſſionem ſpei.

ET CONSIDEREMVS INVICEM IN PROVOCA- Verſ. 24.
TIONEM CHARITATIS ET BONORVM OPERVM. Præter extrinſeca impedimenta confeſſionis ſperatæ felicitatis per Chriſtum, interna tollit impedimenta inuidiæ ac ſuperbiæ: qua qui conſiderat alium meliorem, aut magis acceptum aliis, inuidè prouocat eum, aut alios aduerſus eum. Contra hanc peſtem dicit: Conſiderantes inuicem in prouocationem charitatis, non inuidiæ: & conſequenter in prouocationem bonorum operum, & non in prouocationem offenſionum, ſeu læſionum. Vnde & ſequitur:

NON DESERENTES COLLECTIONEM, pro *con-* Verſ. 25.
gregationem, NOSTRAM: SICVT CONSVETVDINIS EST QVIBVSDAM. Affectus enim ſuperbiæ, aut inuidiæ parit deſertionem ſocietatis. Et vt textus inſinuare videtur, quidam tunc temporis huiuſmodi paſſionibus acti, deſerebant Eccleſiam, videntes alios præferri ſibi, aut ſe minus æſtimari. Quod pluries accidere videmus in collegiis. SED CONSOLANTES. Non ſolùm nõ deſerentes, ſed conſolantes exigit Eccleſiam.

ET TANTO MAGIS QVANTO VIDERITIS, pro *videtis*, APPROPINQVANTEM DIEM. De die retributionis pœnæ, vel præmij eſt ſermo. Et continue magis appropinquare videmus diem talem: eo quòd videmus continuè magis appropinquare diem mortis: nam tunc erit cuiuſque iudicium æternum.

VOLVNTARIE ENIM PECCANTIBVS NOBIS Verſ. 26.
POST ACCEPTAM NOTITIAM VERITATIS, IAM NON RELINQVITVR PRO PECCATIS HOSTIA. Quemadmodum ſuperiùs dixit quòd impoſſibile eſt ſemel baptizatos renouari iterum ad pœnitentiam, crucifigentes, &c. ita modò dicit quòd ſi poſt acceptam notitiam veritatis peccamus, nõ relinquitur pro peccatis hoſtia, quoniam Chriſtus non eſt iterum crucifigendus. Eadem ſiquidẽ ſententia eſt ſub aliis verbis: ibi ſub recrucifixionis nomine, hìc ſub nomine hoſtiæ pro peccatis: ibi renouatio Baptiſmi recrucifixio-

nem,hîc iterata hoſtia , pro peccatis rebaptizationem infert. Peccantes enim ante baptiſmum, manet hoſtia pro peccatis quæ communicatur in baptiſmo: peccantibus autem poſt baptiſmum, non relinquitur hoſtia pro peccatis: quia non poteſt eis communicari per baptiſmum.

Verſ. 27. TERRIBILIS AVTEM QVÆDAM EXPECTATIO IVDICII,ſubaudi relinquitur.ET IGNIS ÆMVLATIO. Ignis inferni appellatur ignis æmulatio, pro quanto à zelo diuino procedit. QVÆ, pro *qui*,CONSVMPTVRA EST ADVERSARIOS. Explicat de quo igne loquitur : de illo ſcilicet qui voraturus eſt inimicos Chriſti.

Ignis Inferni vocatur ignis æmulatio: Cur

Verſ. 28. Irritam quis faciens legem Moyſi , ſine vlla miſeratione duobus,vel tribus teſtibus moritur. Argumentatur ex pœna ſtatuta tranſgreſſoribus legis Moyſi,argumento à minori:vnde & ſubdit:

Verſ. 29. Quanto magis putatis deteriora mereri ,pro *merebitur*,ſupplicia qui filium Dei conculcauerit : hoc eſt , beneficium gratiæ per filium Dei collatum conculcauerit peccato. ET SANGVINEM TESTAMENTI POLLVTVM, pro *communem*(ſeu immundum duxerit)IN QVO SANCTIFICATVS EST. Hebræi immundum appellant commune.Prius dixerat iniuriam irrogatam diuinitati Chriſti , nominando filium Dei. Modò iniuriam irrogatam humanitati eiuſdem explicat,nominando ſanguinem noui Teſtamenti , in quo ſanguine mundificati ſumus. Et demum iniuriam Spiritui ſancto irrogatam ſubiungit, dicendo,

ET SPIRITVI GRATIÆ CONTVMELIAM FECERIT.Et eſt ſermo exaggeratiuus peccati quod committitur à baptizatis.Has enim omnes deformitates aggrauantes illud habet, quantum eſt ex circunſtantia ingratitudinis contra beneficium in baptiſmo ſuſceptum.Et hinc habes quàm grauiùs peccet Chriſtianus eodem peccati genere(puta adulterij,ſeu furti) quàm non Chriſtianus. Et eſt ſermo de peccatis mortalibus : quoniam ſolum peccatum mortale propriè loquendo iniuriam infert ſpiritui gratiæ, filio Dei,&c.

Grauiùs peccat Chriſtianus eodē peccati genere quàm non Chriſtianus.

Verſ. 30. SCIMVS ENIM EVM QVI DIXIT,MIHI VINDICTAM,pro *vindicta* , ſupple reſeruatur. Nullus enim iuſtè vindicat niſi Deus,aut diuina authoritate. ET EGO RETRIBVAM.Superfluit *&*.Ex Cātico Moyſi ſumpta eſt hæc ſententia. ET ITERVM.Aliam affert ex pſalmis authoritatē.QVIA IVDICABIT DOMINVS POPVLVM SVVM. Superfluit *quia*.Ne putares vindictam diuinam in extraneos tantum fore,ſubiunxit quòd etiam iudicabit Dominus populum ſuum, & vindicando & præmiando.

Verſ. 31. HORRENDVM EST INCIDERE IN MANVS DEI VIVENTIS. Non contradicit Dauidi qui elegit incidere potius in manus Dei.Sed iſte loquitur in futura vita : Dauid autem in præſenti. Præſentis enim vitæ tempus eſt tempus miſericordiæ:futuræ autem eſt tempus exacti iudicij. Et propterea horrendum eſt peccatoribus incidere in vita alia in manus Dei viuentis. Quibus optandum eſt in hac vita ſuſcipi in manus Dei viuentis.

Verſ. 32. REMEMORAMINI AVTEM PRISTINOS DIES. Tēperat tot minas,recordatione bonorū operū & paſſionum.IN QVIBVS ILLVMINATI.Explicat quos priſtinos dies ad memoriam reuocat,ſcilicet poſt gratiam baptiſmi habitam:hâc enim gratiam per illuminationem ſignificat: MAGNVM CERTAMEN SVSTINVISTIS PASSIONVM. Illos recolite dies,in quibus poſt baptiſmi gratiam ſuſtinuiſtis magnum certamen afflictionum, dupliciter.

Et in altero quidem opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti. Ecce primus modus quo publicis afflictionibus & contumeliis eſtis facti ſpectaculum proculdubio populi. Verſ. 33.

In altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti. Alter modus eſt quòd eſtis aſſociati Chriſtianis conuerſantibus taliter, vt fierent ſpectaculum & ludibrium populi.Et hoc ſecundum ab experientia declarat.

NAM ET VINCTIS,pro *vinculis meis*,COMPASSI ESTIS. De primo autem ſubiūgit:ET RAPINAM BONORVM VESTRORVM CVM GAVDIO SVSCEPISTIS. Cōfiſcationem bonorum rapinam appellat:quia verè rapina eſt cum ex iniuſta cauſa fit. Vt in propoſito, quia Chriſtiani erant ſic affligebantur.COGNOSCENTES VOS HABERE MELIOREM ET MANENTEM SVBSTANTIAM.Deeſt *in cœlis*.Ideo cū gaudio, quia cognoſcebatis vos habere ſubſtantiam omnium temporalium facultatum,tum meliorem , tum manentem, vtpote in cœlis.Cœleſtes enim diuitiæ lōgè ſunt meliores terreſtribus:& illæ æternæ , iſtæ temporales. Aduerte prudens lector ne ex eo quòd author dicit,*nam & vinculis meis compaſſi eſtis*, arguas Paulum intelligi : quoniam vincula communia fuerunt multis. Et Clemens ipſe cuius dicitur hæc epiſtola,in vinculis fuit. Verſ. 34

Hæc Epiſtola dicitur S. Clementis.

NOLITE ITAQVE AMITTERE. pro *ne itaque abiiciatis* , CONFIDENTIAM VESTRAM , QVÆ MAGNAM HABET REMVNERATIONEM. Sententia clara eſt:& clarè pendet ex dictis. Verſ. 35.

PATIENTIA ENIM VOBIS NECESSARIA EST. Modū perſeuerandi in dicta confidentia,aſtruit pendere ex patientia.ET VOLVNTATEM DEI FACIENTES,tolerando aduerſa.REPORTETIS PROMISSIONEM,remunerationis magnæ. Verſ. 36.

Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt veniet & non tardabit. Ex Abacuc 2.ſūpta eſt hęc ſententia.Et affertur ad prouocandum ad patientiā ex appropinquatione aduentus Ieſu. Facilius enim toleratur quod modico tēpore tolerandum prædicitur. Verſ. 37.

IVSTVS AVTEM MEVS EX FIDE,VIVIT , pro *viuet*.Et ſuperfluit *meus*, Et hoc ex Abacuc ibidē, quod declaratum eſt ad Romanos 1. Eſt enim ſenſus quòd iuſtus ex fide,non iuſtus ex operibus legis,eſt ille qui viuet. QVÒD SI SVBTRAXERIT SE,pro *quòd ſi ſubtrahetur*. NON PLACEBIT ANIMÆ MEÆ , pro *non complacebit anima mea in illo*.Sententia tamē eadem redit,quòd ſi vir iuſtus ex fide,ſubtraxit ſe à iuſtitia fidei , anima mea,inquit Deus,non complacebit in illo. Verſ. 38.

NOS AVTEM NON SVMVS SVBTRACTIONIS FILII IN PERDITIONEM.Superfluit *filij*,quamuis aptiſſimè ſubintelligatur. SED FIDEI IN ACQVISITIONEM ANIMÆ.Si prudēs lector aduerteris citata,quatuor attulerat : videlicet fidem & vitam , ſubtractionem , & non complacentiam diuinam. Et propterea iuxta duo vltima dicit negatiuam,non ſumus ſubtractionis in perditionem. Diſplicentiam enim diuinam Verſ. 39.

perditionem

prædicatores hominis deſcribat. Et loco primorum duorum dicit aſſirmatiue, ſed fidei in acquiſitionem animæ: explicando quòd illud *viuet*, eſt acquiſitio animæ: vt & hinc accendat Hebræos ad perſeuerandum in confidentia cœpta.

CAPVT XI.

Verſ. 1. Eſt autem fides. Dixerat quod *iuſtus ex fide viuet*: & explicauerat nos eſſe fidei ad acquirendam animam: totum ergo pondus rei in fide conſiſtere dixerat. Et propterea tractatum de fide aggreditur. Sperandarum, pro *earum, quæ ſperantur*. Eſt enim participium præſentis temporis paſſiuum, quo caremus. Svbstantia rervm, argvmentvm non apparentivm, hoc eſt, fides eſt ſuſtentatio earū rerū quæ ſperatur.

Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

Hypoſtaſis enim & id quod ſuſtētat, ſignificat. Nec hæc particula eget probatione: quoniam quaſcumque res ſperamus in alia vita, ſuſtentantur in nobis fide. Quod autem dicitur *argumentum non apparentium*, latiorem campum oſtendit eſſe fidei quatenus argumentum quā quatenus ſubſtantia. Nam ſub non apparentibus comprehenduntur & res quæ ſperantur, & res quæ non ſperantur. Pœnas enim inferni, æterna ſupplicia nullus ſperat: & tamen ſunt ſub numero eorum quæ non videntur in præſenti ſtatu. Fides itaque quatenus ſuſtentatio noſtra eſt, eas res reſpicit quæ ſperantur: quatenus autem argumentum (hoc eſt, ratio quædam) eſt, non parit euidentiam, vt parit ratio demonſtratiua, ſed terminatur ad res quæ non videntur dum creduntur, dum earum eſt fides.

Verſ. 2. In hac enim testimonivm consecvti svnt senes, pro *ſeniores*. Dixerat, nos autem ſumus fidei. Et propterea diſcurrendo ab exordio mundi, intendit monſtrare iuſtos omnes fuiſſe fidei. Et propterea dicit primò in genere quòd ſeniores in hac (ſcilicet fide) acceperunt teſtimonium. Nec explicat cuius rei: quoniam diuerſarum rerum teſtimonium diuerſi acceperunt à Deo per fidem.

Verſ. 3. Fide intelligimvs aptata esse secvla verbo Dei, vt ex invisibilibvs visibilia. pro *vt ex non apparentibus apparentia*, fierent. Magnam differentiam eſſe conſtat inter inuiſibilia & non apparentia. Multa enim ſunt ſecundùm ſe viſibilia, quæ tamen ſunt non apparentia. Et ſimiliter inter viſibilia & apparentia. Nā multa viſibilia ſunt quæ non apparent.

Fide aptata ſecula verbo Dei.

Modum deſcriptum à Moyſe in principio Geneſis dicit author à nobis fide intelligi. *Fide*, inquit, *intelligimus*, & nos ſeniores, *aptata eſſe ſecula*. Non dicit creatum eſſe mundum, ſed aptata eſſe ſecula. Opera enim diſtinctionis & ornatus (quibus tempora aptata ſunt) ſignificat: nam in aptatis ſex diebus aptata intelligimus omnia ſecula.

Quod autem dicit *verbo Dei*, ad literam ſignificat verbum Dei expreſſum a Moyſe, *dixit Dominus, fiat lux*. & idem in ſingulis ſex diebus repetendo. *dixit Deus fiat firmamentum, fiant luminaria*, &c. Hoc enim verbo aptauit ſex dies.

Quod autem ſubdit, vt ex non apparentibus apparentia fierent, ſignificat & primo quidem die ex non apparentibus creatis cœlo & terra cooperta aquis, facta apparentia creando lucem. Et ſimiliter in ſingulis diebus non apparentia facta ſunt apparentia. Author enim ad modum quem Moyſes refert ſpectat. Et quia Moyſes poſt creatum cœlum & terram omnia ex præiacenti materia fieri deſcribit, ideò author dicit quòd intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ſic vt ex non apparentibus, quaſi latentibus, fierent apparentia. Si autem perſpicaciorem ſenſum exigis, ſcrutare principium Geneſis. Satis eſt hic ſuperficie tenus tetigiſſe.

Fide plvrimam hostiam Abel qvam Cain obtvlit Deo. Interpres dictionem comparatiuam mutauit in ſuperlatiuam: ne diceret *plurem hoſtiam*, dixit *plurimam hoſtiam*. Et ex hac dictione apparet differentia inter hoſtiam Abel & Cain: quòd ille parum obtulit fructus terræ Deo, iſte autem plus obtulit fructuum omnium. Et propterea ſignificatur auaritia Cain & liberalitas Abel erga religioſam oblationem. Per qvam testimonivm consecvtvs est esse ivstvs. per quam hoſtiam fide oblatam conſecutus eſt teſtimonium quòd eſt iuſtus. Quomodo autem conſecutus ſit hoc teſtimonium, ſubiungit, Testimonivm perhibente. Deficit *de*. Mvneribvs eivs Deo. Dicitur enim in Geneſi quòd *reſpexit Deus ad Abel & munera eius*. Et ſignum ſenſibile quo reſpexit, creditur ignis cœleſtis accendens ſacrificium. Sic enim teſtimonium manifeſtū perhibuit de muneribus eius Deus: ac per hoc, quòd eſſet iuſtus. Et per illam defvnctvs adhvc loqvitvr, hoc eſt, per meritum illius fidei defunctus Abel adhuc loquitur, in Geneſi dicente Deo: *Ecce ſanguis fratris tui Abel ad me clamat de terra*. — Verſ. 4.

In exempla fidei aſſeruntur. Abel.

Auarus Abel, Cain liberalis.

Fide Enoch translatvs est. vt creditur in paradiſum terreſtrem. Ne videret mortem. ſicut alij tunc temporis. Et non inveniebatvr. nec viuus nec mortuus. Qvia transtvlit evm Dominvs. Res geſta narratur ſcripta Geneſ. quinto. Ante translationem enim. Deficit *ſuam*, testimonivm habvit placvisse Deo. Probat quod fide tranſlatus eſt, quia in Geneſi antequam transferretur ſcribitur de ipſo quòd placuit Deo. — Verſ. 5.

Enoch.

Sine fide avtem impossibile est placere Deo. Superfluit *Deo*: quamuis ſubintelligatur. Credere enim oportet accedentem ad Devm qvia est, et inqvirentibvs se remvnerator sit. Duo oportet credi non a quolibet grato Deo, ſed a quolibet accedente ad Deum. Ad differentiam eorum qui iam ſunt coniuncti cum Deo: quos non oportet hæc credere. Alterum eſt quòd *Deus eſt*. Qui enim non credit Deum eſſe, nunquam accedet ad eum. At ſi obieceris, hoc non congruere iis qui euidenter cognoſcunt demonſtratiua ſcientia Deum eſſe. Tales enim cum videant Deum eſſe, impoſſibile eſt, quòd credant Deum eſſe: cum fides ſit argumentum rerum non apparentium. Solutio eſt, quòd doctrina hæc in communi datur & propterea dicitur in communi, quod oportet credere, quia eſt. Lōge autem melius eſſet ſi non crederet, ſed ſciret quia eſt, ſed hoc rarū aut rariſſimū eſt. Alterū eſt *quod inquirentibus ſe remunerator ſit*, proculdubio ſingulis ſingillatim in futura vita. Et hoc oportet — Verſ. 6.

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Deum remuneratorem eſſe credendum.

fide teneri : quoniam nulla ſcientia ſpeculatiua ad hoc attingere poteſt : & ſine huius rei fide nullus accedit ad Deum. Hæc duo credere neceſſarium fuit omni tempore à principio mundi. Alia autem in ſpeciali (vt Deum eſſe trinum & vnum, & myſterium Incarnationis, & alia huiuſmodi) non fuit omni tempore neceſſarium credere : ſed prout Deus ſucceſſiuè reuelauit, creuit explicatio fidei, creuit & extenſio credendorum neceſſario.

Verſ. 7 *Noe.* FIDE NOE RESPONSO ACCEPTO. Tertius ante diluuium iuſtus inducitur Noe : DE IIS QVÆ ADHVC NON VIDEBANTVR, quæ ſcilicet in diluuio euenerunt. Et hinc apparet diuino oraculo edoctum fuiſſe Noë. METVENS APTAVIT ARCAM IN SALVTEM DOMVS SVÆ. id eſt, familiæ ſuæ. PER QVAM. ſcilicet fidem. DAMNAVIT MVNDVM. damnabilem mundum monſtrauit non credentem ſibi. Et IVSTITIÆ QVÆ PER FIDEM EST, HÆRES EST INSTITVTVS. In ipſo enim ſolo (connumerando ſuos cum eo) remanſit iuſtitia quæ per fidem eſt, mortuis omnibus in diluuio. Et propterea ipſe fuit inſtitutus hæres omnium priſcorum iuſtorum, quatenus iuſti iuſtitia fidei.

Verſ. 8. *Abraham.* Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem. Res geſta ſcripta Geneſis duodecimo (*Egredere de terra tua*, &c.) tangitur. vnde & ſubditur, ET EXIIT NESCIENS QVÒ IRET. Dixerat enim Deus, *& veni in terram, quam monſtrauero tibi*.

Verſ. 9. Fide demoratus eſt in terra promiſſionis tanquam aliena, in caſulis pro, *tentoriis*, habitando, cum Iſaac & Iacob cohæredibus promiſſionis eiuſdem. hoc eſt, quòd ſimiliter Iſaac & ſimiliter Iacob habitauit in tentoriis in terra promiſſionis tanquam aliena. Et rationem modi habitandi (videlicet in tentoriis peregrino more) ſubiungit fidem dicendo,

Verſ. 10. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem. Verbis Pſalmiſtæ vtitur, *fundamenta eius in montibus ſanctis*. De hac enim ciuitate loquitur. *expectabat ciuitatem habentem fundamenta*, quę proculdubio eſt Eccleſia triumphans. Cuius artifex & conditor Deus. Deus enim conditor eſt cœleſtis ciuitatis: & miro Spiritus ſancti artificio ipſam diſpoſuit.

Verſ. 11. *Sara.* Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit. Superfluit *ſterilis*. ET PRÆTER TEMPVS ÆTATIS. Deeſt, *peperit*. Rem geſtam narrat ſatis notam. QVONIAM FIDELEM CREDIDIT ESSE EVM QVI PROMISERAT.

Verſ. 12. PROPTER QVOD ET AB VNO ORTI. pro *nata*, SVNT ET HOC. pro, *& ipſa*. Eſt enim nominatiuus pluralis neutri generis. Emortuo tanquam ſydera cœli in multitudinem, & ſicut arena quæ eſt ad oram maris innumerabilis. Senſus eſt, quòd propterea ab vno Abraham nata ſunt multa millia hominum, & ipſa multa millia nata tum ex mortuo : hoc eſt, ex effœto & mortuo corpore quoad vim generatiuam. Et multitudinem iuxta promiſſiones factas Abrahæ, explicat ex multitudine ſyderum & arenæ.

Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti. Verſ. 13. Abraham, Iſaac, & Iacob. NON ACCEPTIS. pro: *non accipientes*, PROMISSIONES. tum poſſeſſionis terræ, tum præcipuè gloriæ Meſſiæ. SED À LONGE EAS ASPICIENTES. Directè pronomen *eas*, demonſtrat ſpectantia ad Meſſiam. ET SALVTANTES. Non ſolum ſpectabant eas à longè, ſed etiam à longè venerabantur, velut ſalutando. ET CONFITENTES QVIA, pro *quòd*, PEREGRINI ET HOSPITES SVNT SVPER TERRAM. Confitebantur enim facto (habitando ſcilicet in tentoriis, & non in domibus) ſe eſſe hoſpites & peregrinos in terra, Et hinc arguit:

Qui enim hæc dicunt, & facto & verbo Verſ. 14. vt patet Geneſis vigeſimotertio de Abraham, & vigeſimoſexto de Iſaac, & quadrageſimoſeptimo de Iacob. Significant ſe patriam inquirere. Non enim homo peregrinatur vt ſemper peregrinetur.

Et ſi quidem illius meminiſſent, de qua Verſ. 15. exierant, habebant vtique tempus reuertendi. Argumentatur quòd ratio quare dicebant ſe & verbo & facto peregrinos, non erat ex eo, quòd intenderent reuerti ad propriam patriam terreſtrem: videlicet Chaldæam ſeu Meſopotamiam : quia habebant opportunitatem reuertendi in illam : ac per hoc non peregrinandi.

Nunc autem meliorem appetunt, id eſt Verſ. 16. cœleſtem. Ideo ſe peregrinos toto tempore dicebant, quia meliorem patriam appetebant, ſcilicet cœleſtem: Et hoc manifeſtat ex diuino teſtimonio. IDEO NON CONFVNDITVR. pro, *erubeſcit*, DEVS VOCARI DEVS EORVM. Magna gratia, & quodam modo demiſſio Dei, vt qui naturâ eſt vniuerſorum Deus, non erubeſcat hanc approbationem, vt vocetur Deus iſtorum trium : Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Parauit enim illis ciuitatem. Ideo non erubeſcit vocari Deus iſtorum: quia eſt Deus iſtorum vt ciuium cœleſtis patriæ quam illis parauit, quo modo non poteſt vocari Deus omnium.

Fide obtulit Abraham Iſaac cùm ten- Verſ. 17. taretur. Hiſtoria clara eſt. Et vnigenitum offerebat. Vnigenitum appellat ex Sara: quæ ſola erat propriè vxor, nam aliæ concubinæ erant. IN QVO. pro, *qui*. De Abraham enim loquitur. PROMISSIONES SVSCEPERAT. Et declarando promiſſiones, ſubiungit.

AD QVEM. ſcilicet Abraham. DICTVM EST QVIA. Verſ. 18. pro, *quòd*, IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN. Ad magnificandum Abrahæ fidem hæc explicat.

ARBITRANS. pro, *arbitratus*. QVIA. pro, *quod*. ET Verſ. 19 A MORTVIS SVSCITARE POTENS EST DEVS. Fidem Abrahæ tãtam explicat quòd arbitrabatur omnino verificandam promiſſionem ſibi factam à Deo (*in Iſaac vocabitur tibi ſemen*) etiam immolando ipſum Iſaac. Et ne hanc fidem impoſſibilem putares, dicit quòd perpẽdebat Deum poſſe reſuſcitare à mortuis ipſum Iſaac immolatũ, ad hoc vt impleretur promiſſio ſeminis.

VNDE EVM ET IN PARABOLAM. pro, *ſimilitudi-* Verſ. 20. *ne*, ACCEPIT, hoc eſt, & propter tantam fidem accepit ipſum Iſaac in ſimilitudine futuri Meſſiæ. Immolatio enim illa, ſaluâ Iſaac vitâ, immolationis Meſſiæ ſimilitudo fuit: in qua caro per

per arietē ſignificata, occiſa eſt, ipſa autē Meſſię perſona viua manſit, vtpote hypoſtaſis diuina.

Verſ. 20. FIDE ET DE FVTVRIS BENEDIXIT ISAAC, IACOB ET ESAV. Exponit vtramque benedictionē ſpectaſſe ad futura. Spectabat enim ad populos naſcituros ex ipſis. Hiſtoriam cum benedictionibus diffusè habes in Geneſi.

Iſaac.

Verſ. 21. Fide Iacob moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit. Et hoc circa finem Geneſis habetur. ET ADORAVIT FASTIGIVM VIRGÆ EIVS. pro *& adorauit in faſtigium virgæ ſuæ.* Sic habetur in Græco. Et eſt ſenſus quod Iacob adorauit, incuruauit ſe adorando, verſus faſtigium virgæ propriæ, in qua ſuſtentabatur, In Hebræo tamen habetur & incuruauit ſe Iſrael ad caput lecti. Ita quòd faſtigium virgæ poſuit loco *caput lecti.*

Iacob.

Verſ. 22. Fide Ioſeph moriens de profectione. pro, *exitu* filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandauit. Geneſis vltimo, Ioſeph mandat oſſa ſua tranſportari quando exibunt de Ægypto filij Iſrael.

Ioſeph.

Verſ. 23. Fide Moyſes natus occultatus eſt menſibus tribus à parentibus ſuis, eo quòd vidiſſent elegantem infantem: & non timuerunt regis edictum. Fides in hoc opere intelligitur quoad opem diuinam ad ſaluandum infantem. In hac enim fide per tres menſes fecerunt contra regis edictum.

Moyſes.

Verſ. 24. Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. pro, *negauit dicere, filius ſum filiæ Pharaonis.* Hoc ex ſcriptura non habetur.

Verſ. 25. Magis eligens affligi cum populo Dei. Hoc dicit ad declarandum, quòd fide Moyſes negauit dicere. QVAM TEMPORALIS. pro, *temporalem*, PECCATI HABERE IVCVNDITATEM. Negando dicere filius ſum filię Pharaonis, cum Hebræis reputatus eſt: ac propterea cum populo Dei afflictus. Et ſi dixiſſet, filius ſum filiæ Pharaonis, temporalem habuiſſet iucunditatem peccati. Fuiſſet enim conſors curiæ regiæ: ac per hoc affligentium Hebræos.

Verſ. 26. Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum. pro, *theſauris in Ægypto*, IMPROPERIVM CHRISTI. Improperium populi Iſraelitici appellat improperium Chriſti: quoniam ad hoc populus ille erat electus è cunctis populis, vt ex eo expectaretur Chriſtus.

Improperium Iſraelitarum vocat improperium Chriſti: Cur?

Aſpiciebat enim in remunerationem. futuram per Chriſtum.

Verſ. 27. FIDE RELIQVIT ÆGYPTVM. transferens populum. NON VERITVS ANIMOSITATEM REGIS. Pharaonis. INVISIBILEM ENIM TANQVAM VIDENS SVSTINVIT. id eſt, Deum inuiſibilem expectauit fide tanquam videns, tam certe quàm ſi videret inuiſibilem.

Verſ. 28. FIDE CELEBRAVIT PASCHA. offerendo agnum paſchalem. ET SANGVINIS EFFVSIONEM. in ſuperliminaribus & poſtibus. NE QVI VASTABAT PRIMITIVA. pro, *primogenita.* Angelus ſcilicet. TANGERET EOS. Res geſta ſcribitur in Exodo.

Verſ. 29. Fide tranſierunt mare rubrum tanquam per aridam terram. Hiſtoria ibidem clara eſt. QVOD. ſcilicet mare. EXPERTI. pro, *experientes*, ÆGYPTII DEVORATI SVNT. ſubmerſione. Et hoc ibidem clarè ſcribitur,

Varij fidei effectus.

Fide muri Hierico corruerunt. tempore Ioſue. CIRCVMITV DIERVM SEPTEM. Res geſta ſcribitur in libro Ioſue. Vbi etiam ſcribitur ſequens. Verſ. 30.

Fide Raab meretrix non periit cum incredulis: excipiēs exploratores cum pace. Verſ. 31. *Excipiens* præteriti temporis participium actiuum eſſe deberet: quo caremus. Ratio redditur: quia excepit exploratores, ideo non periit.

Et quid adhuc dicam? deficiet enim Verſ. 32. me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis. Lege librum Iudicum de primis quatuor: libros autem Regum de Samuele & Dauide & aliquibus prophetis. Et quoniam author non explicat in ſpecie geſta ſingulorū ex fide, ideo intelligendum eſt intantum eos ad propoſitum afferri, inquantum aliquid fide operati ſunt aut receperunt. In genere autem ſubiungit,

Qui per fidem vicerunt regna. Chana- Verſ. 33. næorum, Moabitarum, Idumæorum, &c. OPERATI SVNT IVSTITIAM. Ne putares quòd de vincere regna eo modo loquitur quo mundani principes etiam vicerunt regna (vt Alexander, Nabuchodonoſor, &c.) ſed de illo vincere quod fit per fidem quæ operatur iuſtitiam, quæ nulli facit iniuriam, ſed ius ſuum vnicuique reddit, loquitur, ideo ſtatim ſubiungit, *Operati ſunt iuſtitiam*, non opreſſerunt innocentes, ſed diuinam exercuerunt iuſtitiam. ADEPTI SVNT PROMISSIONEM. Quod negatum fuit primis patribus (Abrahæ, Iſaac, & Iacob) conceſſum eſt poſterioribus: vt poſſiderent ſcilicet terram promiſſionis. OBTVRAVERVNT ORA LEONVM. Samſon enim (vt patet Iud. 14.) & Dauid (vt ipſe refert primi Regum decimoſeptimo) & Daniel (vt in ipſo patet) obturauerunt ora leonum.

EXTINXERVNT IMPETVM. pro, *potentiam* IGNIS. Verſ. 34. Aaron & Moyſes Numer. vndecimo, & decimoſexto. & Danielis tertio, tres pueri in fornace, extinxerunt potentiam ignis. EFFVGAVERVNT ACIEM. pro, *ora.* GLADII. Et hoc frequenter factum eſt a multis, effugantibus gladios hoſtiles. CONVALVERVNT DE INFIRMITATE, hoc eſt, de impotentia. Et eſt ſenſus, ex impotentibus facti ſunt potentes. Quod non ſolum in Machabæis legimus, ſed etiam in libris Iudicum & Regum plures ex impotentibus facti ſunt potentes. FORTES FACTI SVNT IN BELLO: vt patuit tempore Ioſue & etiam Saulis. Caſtra verterunt exterorum. hoc eſt, verterunt in fugam caſtra alienorum. Et hoc quoque pluries fuit: & tempore Saulis, & Dauidis, & Machabæorum.

Acceperunt mulieres de reſurrectio- Verſ. 35. ne mortuos ſuos. Per Eliſeum & Eliam mulieres filios ſuos mortuos, reſuſcitatos receperunt: vt patet in 3. & 4. Reg. ALII AVTEM DISTENTI SVNT. A *diſtendor* accipe *diſtenti.* Qui fuerint iſti extenſi in eculeo aut ſimili tormento, non inuenio ſcriptum. Niſi fortè ad Machabæorum afflictiones referatur. NON SVSCIPIENTES REDEMPTIONEM. Patres prius nominati fide fecerunt: iſti autem fide paſſi ſunt. Inter quos primo loco commemoratur diſtenti non

Fide Sancti quàm multa paſſi.

ſuſcipientes redemptionem à malis in hac vita. VT INVENIRENT MELIOREM RESVRRECTIONEM: in alia vita. Illa enim erit reſurrectio ad vitam immortalem: reſuſcitati autem ab Elia & Eliſeo redierunt ad vitam mortalem.

ALII VERO LVDIBRIA ET VERBERA EXPERTI: vt Iob: quoad ludibria, Elias, & Hieremias: quoad verba verò Michæas. INSVPER ET VINCVLA ET CARCERES. Hieremias enim poſitus eſt in neruo, & Michæas in carcere.

LAPIDATI SVNT. Naboth & Hieremias in Ægypto & Zacharias filius Ioiadæ. SECTI SVNT. De Eſaia accepimus quòd Manaſſes fecit eum ſecari ſerra lignea. TENTATI SVNT: vt Machabæi & ſeptem fratres. IN OCCISIONE GLADII MORTVI SVNT. Innumerabiles hi fuerunt, & ſpecialiter tépore Manaſſe, qui ſanguine prophetarum impleuit Hieruſalem. CIRCVMIERVNT IN MELOTIS. Græcam dictionem interpres reliquit, & ſignificat pellem ab oue detractam cũ lana. Talibus enim pellibus veſtiebantur huiuſmodi eremitæ. IN PELLIBVS CAPRINIS, aliqui in pellibus ouinis, aliqui in caprinis. EGENTES, proculdubio neceſſariis. Et hæc de Elia (& forte aliis nobis ignotis) dicuntur. ANGVSTIATI, vt patet de Elia cùm fugit à facie Iezabel: & de Dauide à facie Saulis. AFFLICTI. Generale nomen eſt: comprehendens afflictiones frigoris, æſtus, accubitus, &c.

Verſ. 38. QVIBVS DIGNVS NON ERAT MVNDVS. Hinc apparet quòd ad literam loquitur de ſanctis, de quibus ſubiungit, IN SOLITVDINIBVS ERRANTES IN MONTIBVS ET SPELVNCIS ET IN CAVERNIS TERRÆ. Qui ad noſtrã notitiã non peruenerũt.

Verſ. 39. ET HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI, hoc eſt, laudati, commẽdati. NON ACCEPERVNT PROMISSIONEM, vitæ æternæ, ſi refertur ad tempus quo probati ſunt; vel promiſſionem reſurrectionis corporalis. Et ſic *non acceperunt*, refert etiam tempus præſens: quia nec hactenus acceperunt illam.

Verſ. 40. DEO PRO NOBIS pro *de nobis*, MELIVS ALIQVID PROVIDENTE. Participium præteriti temporis actiuum debet eſſe. Eſt enim ſenſus, cùm Deus aliquid melius de nobis prouidit. Quod eſt illud melius ſubiungit,

VT NON SINE NOBIS CONSVMMARENTVR, hoc eſt, perficerentur. Et hoc verificatur, tum quoad perfici beatitudine animæ: quia hæc beatitudo dilata eſt vſque ad mortem Chriſti, in qua & nos noui Teſtamenti ſimul beatitudinem animæ aſſequimur. Tum quoad beatitudinem corporis: quia illa differtur vſque ad diem iudicii, in quo omnes ſimul beatificabimur.

Nec ea ratione dicitur quòd Deus melius aliquid nobis prouidit, tanquam dilatio gloriæ priſcorum fuerit aliquid melius nobis. Non eſt hic ſenſus literæ: ſed comparatiuum *melius*, refertur ad ſtatum priſcorum patrum. Et eſt ſẽſus quòd illi non ſunt beatificati tunc cùm mortui ſunt: eò quòd Deus tẽpus beatificationis (quod eſt longe melius quàm tempus mortis priſcorũ) diſpoſuit fore in ſtatu noui Teſtamenti, in quo ſumus nos. Cùm prouidit ergo Deus ſtatũ meliorẽ nobis, diſtulit eorũ beatitudinem. Et hinc ſequitur quòd non ſine nobis perficiuntur.

CAPVT XII.

Verſ. 1. IDEOQVE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM, pro *circumpoſitam*, NVBEM TESTIVM. Ex allatis fidei teſtibus deſcendit ad exhortandum ad tolerantiam malorum, præcipue mortis & multitudinem teſtium allatam, appellat metaphoricè *nubem circumpoſitam teſtium*. Nubem quidem propter celſitudinem: circumpoſitam autem, vt nulla ex parte (hoc eſt in nulla actione, in nulla paſſione) deeſſe nobis teſtes fidei ſignificet. *Nubes teſtium.*

DEPONENTES OMNE PONDVS ET CIRCVNSTANS NOS PECCATVM. Superfluit *nos*. Et dictio interpretata *circunſtans*, plus ſignificat: nam ſignificat *circumſtãs facile*. PER PATIENTIAM CVRRAMVS AD PROPOSITVM NOBIS CERTAMEN. Superfluit *ad*. Metaphorico ſermone vtitur ad ſimilitudinem proſequentium currendo certamen. Talibus enim deponenda ſunt primum pondera: quoniam impedirent curſum. Deponenda quoque ſunt quæcumque circunſtantia ipſos, ſiue ſint veſtes, ſiue ſint in via rami fruticum, aut vepres, & ſimilia quæ hinc & inde impedirent curſum. Sub qua metaphora põdus peccatorum, & quæ facile circundant nos affectiones ad conſanguineos, ad carnem propriam deponi oportere ſignificatur. Huiuſmodi autem affectiones appellantur facilè circunſtans peccatum, quoniam facile emergunt in peccatum: vt intelligamus non præcipi vt deponamus affectiones carnis, niſi pro quanto emergunt in peccatum facile: hoc enim conuenit imperfectis. *Metaphora currentiũ in certamine.*

Nec dicit, ad propoſitum certamen, ſed dicit, curramus ipſum propoſitum certamen: curramus autem per patientiam, tolerando mala. *Militia enim eſt vita hominis ſuper terram.* Directè tamen ad literam de certamine fidei eſt ſermo. Quod tunc inter afflictiones & tormenta vſque ad mortem, currendum imminebat. Vnde & ſubdit,

ASPICIENTES IN AVTHOREM FIDEI, ET CONSVMMATOREM IESVM. Hoc eſt, intuendo ducem noſtrum Ieſum, qui eſt & inchoator & finitor fidei. Ipſe enim inchoat fidem in cordibus per gratiam, & finit per præmium. QVI PROPOSITO SIBI GAVDIO. Immortalitatis ſibi paratæ. SVSTINVIT CRVCEM CONFVSIONE CONTEMPTA. Non ſolum ſuſtinuit tormentum crucis, ſed etiam ignominiam. Erat enim ignominioſum tormentum. Vnde contempſit vitam corporis, & gloriam mundanam propter gloriam ſibi paratam. Vnde & præmium ſtatim ſubdit, Verſ. 2. *Chriſtus inceptor & finitor fidei.*

ATQVE IN DEXTERA SEDIS DEI SEDET, pro *ſedit*. Declaratum eſt in principio epiſtolæ hoc. Meruit enim Chriſtus per paſſionem & mortẽ ſuam vt ſtatim (hoc eſt, poſt triduũ) reſuſcitaretur immortalis, & regnaret in præcipuis bonis regni Dei, qualia ſunt ſpiritualia & cœleſtia.

Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem. Verſ. 3. Dixerat *aſpicientes*: adiungit modò aſpectui meditationem tanti ducis, qui talia ſuſtinuit, &c. VT NON FATIGEMINI, ANIMIS VESTRIS DEFICIENTES. Non ſolum propter propriam gloriam promerendam hæc ſuſtinuit, ſed propter vos, vt non langueatis, languore non corporis, ſed animæ, deficiendo, in certamine fidei paulatim declinando. Quod eſt dicere quòd ideo hæc ſuſtinuit, vt vos animis veſtris conualeſcatis, fortes ſitis.

Nondum enim vſque ad ſanguinẽ reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes. Verſ. 4.

Superfluit

Superfluit *enim*. Initium eſt ſequẽtis particulę, exhortationi adiungendo reprehenſionem. Et iungenda eſt ſequenti literæ.

Verſ. 5. Et obliti eſtis conſolationis. Seu adhortationis. quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens. Integra ſententia reprehenſiua ex ambabus particulis conſtat: videlicet *nondũ ad ſanguinem reſtitiſtis*, & obliti eſtis adhortationis cœleſtis patris. Manifeſtè reprehẽdit eos quòd tam citò obliti ſunt paternæ adhortationis: tam citò, hoc eſt, antequam ſuſtinuerint vſque ad ſanguinem, antequam afflictiones perſonales cum ſanguinis effuſione pertulerint. FILI MI, NOLI NEGLIGERE DISCIPLINAM, pro *caſtigationem*, DOMINI, NEQVE FATIGERIS DVM AB EO ARGVERIS.

Verſ. 6. *Quem diligit Dominus caſtigat.* Quẽ enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnẽ filium quẽ recipit. Superfluit *mi*. Et ex Prou. 3. c. ſententiã hãc attulit: quã pertractando ad propoſitũ ſubiungit,

Verſ. 7. IN DISCIPLINA PERSEVERATE, TANQVAM FILIIS VOBIS SE OFFERT DEVS, pro *ſi caſtigatione ſuſtinetis, tanquam filiis vobis offertur Deus*. Ex eo quòd ſacra Scriptura Deum caſtigantẽ introducit tanquam patrem caſtigantẽ filium in quo ſibi cõplacet, argumẽtatur (& bene) quòd ſi caſtigationẽ Domini ſuſcipitis, habetis hãc prærogatiuam quòd Deus offertur vobis tanquam filiis. Et ne putares filium aliquem Dei abſque caſtigatione trãſire, ſubiũgit, QVIS ENIM FILIVS QVEM NÕ CORRIPIT PATER? Quaſi dicat, nullus.

Verſ. 8. QVÒD SI EXTRA DISCIPLINAM. pro, *caſtigationẽ* eſtis, cuius participes facti ſunt omnes. Supple *filij*. ERGO ADVLTERI. Pro, *adulterini*, ET NON FILII ESTIS. Illatio optima eſt quod non eſtis filij, ſed filij vitiati, maculati quaſi alieno thoro: ex eo quòd nõ habetis conditionẽ communẽ omnibus filiis, videlicet caſtigationem.

Verſ. 9. *Patris ſpiritualis caſtigatio ferẽda.* Deinde patres quidem carnis noſtræ. Hoc eſt patres carnales. ERVDITORES. pro, *correctores*, HABVIMVS, ET REVEREBAMVR EOS. Superfluit *eos*. NON. pro, *nonne*, multo magis obtemperabimus patri ſpirituum & viuemus? Argumento vtitur ab expertis & minoribus. Si ſuſtinuimus patres carnales caſtigatores, & hoc cum timore, multo magis ſuſtinenda eſt caſtigatio patris ſpiritualis, & hoc ad vitam: quanto maior eſt pater ſpiritus patre carnis, & quantò maior eſt fructus vitæ fructu timoris ſeu reuerentiæ. Deus enim eſt pater ſpiritus, tum quia donat animam intellectiuam deforis venientem: tum quia eſt largitor ſpiritualis gratiæ, quã vitam æternam habemus.

Verſ. 10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum ſecundùm volũtatem ſuam erudiebant, pro *corripiebant*, nos: hic autem. videlicet pater ſpirituum. Ad id quod vtile eſt in recipiendo ſanctificationem eius. pro *vt participes fiamus ſanctificationis eius*. E regione ad id quod dixerat de patribus carnalibus quòd corripiebant ſecundùm voluntatem ſuam, dicit de patre ſpirituum quòd hic corripit ad id quod eſt vtile nobis, vt participes fiamus mundificationis eius, qua mundos reddit omnes electos. Tractando verò id quod dixerat, & illi quidem in tempore paucorum dierum, ſubiungit,

Omnis autem diſciplina, pro, *caſtigatio*, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij ſed mœroris. Verſ. 11. Quemadmodum pueris illo pauco tempore quo caſtigantur à patribus carnalibus, caſtigatio ipſa mœſta eſt, ita & omnis diuina caſtigatio in præſenti tempore non eſt ſecundum genus proprium materia gaudij, ſed materia mœroris. Et quemadmodum caſtigatio puerorum relata ad futuros bonos mores fructuoſa eſt, ita & de diuina caſtigatione ſubiungit, Poſtea autem fructum pacatiſſimum. pro, *pacatum*, exercitatis per eam reddit iuſtitiæ. Poſt hanc autem vitam diuina quæ hic fuit caſtigatio, reddit exercitatis per eam pacatum fructum iuſtitiæ. Non dicit quòd reddit caſtigatis, ſed exercitatis per ipſam caſtigationem, exercemur enim per flagella diuina in operibus iuſtitiæ, vt iuſtitia commune nomen eſt omnis virtutis, qua boni diſtinguuntur à malis. His enim in alia vita reddit præſentis iuſtitiæ fructum plenũ pacis, alienum ab omni perturbatione: imò cum tranquillitate omnis ordinis. *Per flagella diuina exercemur in operibus iuſtitiæ.*

Verſ. 12. Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite. Propoſuerat, per patientiã curramus propoſitum nobis certamen: & declarauit patientiam multipliciter: modò proſequitur exhortando ad ipſum curſum. Vnde dicendo *propter quod*, propoſitum certaminis curſum refert: & vtens authoritate Eſa. 35. monet ad erigendum tum manus remiſſas, tum genua ſoluta. Vtrumque enim in corporali certamine oportet fieri. Et ſub metaphora manuũ opera intelliguntur: ſub metaphora autem genuum intelliguntur robora animi: oportet namque & confortare animum, & erigere opera exteriora.

Verſ. 13. Et greſſus rectos facite pedibus veſtris. Non ſufficit fortem animum & opera indefeſſa exhibere niſi affectus omnes animi recti ſint: qui per pedes ſignificantur. Et huius tertij ratio ſubditur. VT NON CLAVDICANS QVIS ERRET, pro *vt non claudum abducat*, MAGIS AVTEM SANETVR. Si enim aliquis affectus obliquus eſſet, in modum claudicationis abducere poſſet à recto: & propterea ſtudendum eſt vt ſanetur.

Verſ. 14. Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam. ſic curſum certaminis fidei currite, vt cum omnibus ſectemini pacẽ. Quod intellige quantùm ex vobis eſt. Et cum pace ſanctimoniam, hoc eſt puritatẽ. SINE QVA. puritate. NEMO VIDEBIT DEVM. iuxta illud, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. *Pax cum omnibus.*

Verſ. 15. Contẽplantes ne quis deſit gratiæ Dei. pro *ne quis deſtituatur à gratia Dei*. Tres negationes conſiderandas docet. Prima eſt ne quis deſtituatur à gratia Dei: deſtitui enim à diuina gratia, peſſima omnium pœnarum eſt. Et hoc eſt primum conſiderandum à quolibet in ſeipſo. Quod poteſt ex effectibus (præcipuè internis) percipere. Deſtituitur ſiquidem aliquis à diuina gratia, cùm ſibiipſi in propriis viribus relinquitur: hinc enim facilè & crebrò ruit.

NE QVA RADIX AMARITVDINIS SVRSVM GERMINANS IMPEDIAT. proculdubio gratiam Dei impediat, tum quoad pacem, tum quoad

parita

puritatem. Ex parte Dei dixerat, ne quis deſtituatur à gratia Dei: ex parte verò hominis dicit, ne qua radix amaritudinis, iræ, odij, inuidiæ, & huiuſmodi. Hæ enim ſunt radices amaritudinis: quæ cum pullulant & germinant ad ſimilitudinem vegetabilium ſurſum, impediũt pacem communem, impediunt puritatem communem. Et propterea ſubdit,

Radices amaritudinis.

Et per illam, ſcilicet radicem amaritudinis germinantem. Inqvinentvr mvlti, & non ſolus ille in quo ortum habuit amaritudo.

Verſ. 16. Ne qvis fornicator avt prophanvs. Tertia conſideranda negatio ad opus ſpectat externum. Et duo explicat opera: fornicationẽ in pollutione carnis conſiſtentem: & prophanam actionem, in pollutione ſacrorum conſiſtentem: vt ex his duobus extremis (carne ſcilicet & ſacris) reliqua media intelligantur. Vt Esaü qvi propter vnam escam vendidit primitiva, pro *primogenita ſua*. Exemplum ſubdit de prophano, afferens rem geſtam ſcriptam in Geneſi ſatis notam. Fuit autem prophana venditio illa: eo quòd primogenituræ ius ſacrum erat: erant enim primogeniti ſacerdotes ante legem.

Primogeniti ante legem erant ſacerdotes.

Verſ. 17. Scitote enim qvoniam, pro *quòd*, et postea cvpiens hæreditare benedictionem, reprobatvs est: non enim invenit pœnitentiæ locvm: qvanqvam cvm lachrymis inqviſiſſet eam. Res geſta ſcribitur Geneſ. 27. Et quod dicit quòd non inuenit locũ pœnitentiæ, ad literam verum eſt ab homine Iſaac patre ſuo, ab ipſo enim cum lachrymis non impetrauit benedictionem primogeniti: quamuis impetrauerit benedictionem minorem. Simile quid accidit pœnitentibus poſt perditam virginitatem, aut aliquod ſimile donum: nunquam enim inueniũt locum pœnitentiæ apud Deum quoad priorem dignitatem, ſicut nec Eſaü quoad primogenituram. Et hæc dicuntur vt caueat quiſque ne cadat: quoniam incerta eſt futura pœnitentia: & multo incertior eſt fructus eius.

Eſaü non inuenit locum pœnitentiæ quoad primogenituram.

Verſ. 18. Non enim accessistis. Superfluit *enim*. Dixerat, contemplantes ne quis deſtituatur à gratia Dei: declarat modò Dei gratiam erga nos noui Teſtamenti relatiuè ad gratiam Dei in veteri Teſtamento. Vnde & primò refert diuinam gratiam quã Deus legem dedit populo Iſraëlitico in monte Sina, afferendo ſcripta Exod. 19. Et inducit illam negatiuè: hoc eſt, non talem datam nobis gratiam, ſed longè diſſimiliter meliorem. Non, inquit, acceſſiſtis, vos Chriſtiani.

Ad tractabilem. Deeſt, *montem*. Montem Sina appellat montem tractabilem: hoc eſt qui corporali tractu poterat tangi. Et accessibilem, pro *accenſum*, ignem. Scribitur enim ibi quòd mons Sina totus fumabat eo quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus de eo quaſi de fornace. Et tvrbinem, et caliginem, et procellam. Nec turbinis nec procellæ fit ibi mentio: niſi fortè author propter tonitrua & micantia fulgura dixerit turbinem & procellam. De caligine autem legitur ibi nubes denſiſſima operuiſſe montem.

Quàm terribilis apparatu data lex antiqua?

Verſ. 19. Et tvbæ sonvm. Hoc clarè ibi narratur. Et vocem verborvm. De hac voce dicitur Exod. 20. *Audiuit autem populus clamantem voce.* Hæ voces erant voces præceptorum. Qvam qvi avdiervnt. ſupple populi. Excvsavervnt ſi, pro *petierunt*, ne eis fieret verbvm, pro *ne ſibi adderetur verbum*.

Verſ. 20. Non enim portabant, pro *ferebant*. Qvod dicebatvr, pro *diſtinguebatur*. In Exodo ſubiungitur quòd perterriti ac pauore concuſſi dixerunt, *non loquatur nobis Dominus*. Hoc eſt enim quod author dicit, *petierunt ne ſibi adderetur verbum*, ſcilicet à Domino, ſed ceſſaret Dominus eis loqui. Ratio autem hîc ſubiuncta (ſcilicet, non enim ferebant quod diſtinguebatur) videtur illa quæ in Exodo ſubiungitur, *ne fortè moriamur*. Eſt enim ſenſus: non enim tanti erant animi, vt ſufferre poſſent Deum diſtinguẽtem præceptá ſigillatim, dubitãtes mori ſi perſeueraſſent audiendo diuinam vocem.

Et si bestia tetigerit montem lapidabitvr. Præceptum hoc habetur Exod. 19. Verùm non integrè affertur, niſi intelligendo & accumulatiuè: quod non ſolum ſi homo, ſed & ſi beſtia tetigerit montem lapidabitur, aut (vt ibi dicitur) iaculis confodietur. Et affertur hoc ad oſtendendum terribilitatem montis tunc. Vnde & ſubditur,

Et ita terribile erat qvod videbatvr, Verſ. 21.
pro *quod videri videbatur*. Ad Dominum loquẽtem refertur quod videri videbatur: quoniam ſimilitudo quædam erat loquentis, & non erat ibi verus loquens quoad veritatem naturalium inſtrumentorum quibus loquimur.

Moyses dixit exterritvs svm et tremebvndvs. Scriptura Exodi non teſtatur quòd Moyſes hæc dixerit: imò potius oppoſitum, pro quanto dicit quòd Moyſes dixit tunc ad populum perterritum, *nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis.* Solutio eſt quòd Moyſes animando populum perterritum, commemorauit ab exemplo ſuo quod olim ei acciderat: prima ſcilicet vice quando apparuit ei Deus in rubo, Ego quoque exterritus ſum intus, & tremebundus, foris: & propterea nolite timere, &c. Quòd autem Moyſes exterritus in apparitione rubi fuerit, colligi poteſt ex eo quòd ibi ſcribitur Exod. 3. *Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum.*

An Moyſes tremefactus fuerit in monte Sina.

Et quòd iſte ſit ſenſus literalis, ex verbis Stephani Act. 7. innuitur, ait enim de Moyſe apud rubum: *Tremefactus autem Moyſes non audebat conſiderare.*

Sed accessistis ad Sion mõtem. Nõ corporeũ, ſed ſpiritualem. Et ad civitatem Dei viventis Hiervsalem cœlestem. Intellige acceſſiſtis fide ac ſpe & dilectione. Et mvltorvm millivm angelorvm freqvẽtiam, pro, *congregationẽ*, qui ſunt ciues cœleſtis Hieruſalẽ. Verſ. 22.

Et ecclesiam primitivorvm. pro, *primogenitorum*. Qvi conscripti svnt in cœlis. Verſ. 23.
Eccleſiam Apoſtolorum & diſcipulorum immediatorum Chriſti appellat *Eccleſiam primogenitorum qui conſcripti ſunt in cœlis*, iuxta verbum Domini ad eos: *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*: hoc eſt, in libro diuinæ prædeſtinationis. Et ivdicem omnivm Devm, qui intuetur corda, & nihil mali relinquit inultum: & ſimiliter nihil boni ſine præmio. Et spiritvm, pro *&* *ad ſpiritus*, ivstorvm perfectorvm. Non ſolum acceſſiſtis ad Eccleſiam primogenitorum, ſed etiam ad ſpiritus aliorum

iuſtorum

ſuſtorum perfectorum imitandos.

Verſ. 24. Et testamenti novi mediatorem iesvm. Hoc ſuperiùs declaratum eſt. Et sangvinis aspersionem. pro, *& ſanguinem aſperſionis*. hoc eſt, ſanguinem qui aſperſus eſt ſeu aſpergitur. De ſanguine Chriſti eſt ſermo: quo intercedente Ieſus fuit mediator noui teſtamenti.

Sãguis Chriſti meliora loquitur quã ſanguis Abel.

Melivs loqventem qvam Abel. hoc eſt, meliorem rem dicentem quàm ſanguis Abel. Sanguis enim Abel loquebatur clamãs vindictam. ſanguis autem Chriſti aſperſus clamat nobis veniam & propterea meliora loquitur, quàm ſanguis Abel.

Verſ. 25. Videte ne recvsetis loqventem. Recenſitâ tam longâ diuerſitate eorum ad quæ acceſſerunt patres Iſraelitæ accipiendo legem, & eorũ ad quæ acceſſimus non ſuſcipiendo Chriſtianitatem, argumentatur ex his monendo, vt audiamus nobis loquentem Ieſum.

Si enim illi non effvgervnt. proculdubio vltionem diuinam. Recvsantes evm qvi svper terram loqvebatvr. pro, *oracula reddebat*. Moyſes demonſtratur per pronomẽ *eum*: ipſe enim reſponſa ſeu oracula diuina reddebat populo: dicente populo, *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus*. Argumentatur itaque quod ſi Iſraelitæ qui recuſarunt obedire Moyſi qui ſuper terram exiſtens reddebat populo diuina oracula, non euaſerunt vltionẽ diuinam, ſed ſæpe puniti leguntur in deſerto. Mvlto magis nos qvi de cœlis loqventem nobis avertimvs, pro *auerſamur*. Superfluunt duæ dictiones: *loquentem nobis*. Itaque textus mutilus apparet: multo magis nos qui de cœlis auerſamur.

Verſ. 26. Cvivs vox movit terram tvnc. Et videtur ſenſus literæ: multo magis nos puniemur qui auerſamur eum qui de cœlis, ſubaudi, reſponſa dat. E regione enim Moyſi (qui ſuper terram diuina reddebat oracula) locat Ieſum de cœlis diuina reddentem oracula. Et appellatur Ieſus *de cœlis*: tum quia non eſt purus homo, ſed homo de cœlis: iuxta verbum Ioannis Baptiſtæ de Ieſu, *qui de cœlo venit ſupra omnes eſt*. & ipſe Ieſus dicit, *deſcendi de cœlo*. Tum quia tempore quo ſcripta eſt hæc Epiſtola, & quo Hebræi iſti venerunt ad fidem Chriſti, Ieſus etiam localiter de cœlis diuina patefaciebat oracula, mittendo Spiritum ſanctum, dando dona linguarum & prophetiæ, &c.

Ieſus de cœlis.

De illo *de cœlis loquitur*, cuius vox mouit terram tunc, ſcilicet tempore Moyſi. In pluribus locis ſacræ Scripturæ ſcribitur de motu terræ poſt egreſſum populi de Ægypto antequam venirent ad Iordanem. Nam in Pſalm. dicitur, *Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium: à facie Domini mota eſt terra*. Et rurſus *Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires per deſertum, terra mota eſt*. Et de hoc motu hic textus loquitur: & aperit eundem eſſe illum cuius vox tunc mouit terram, & hũc qui nobis de cœlo reſpondet. Nvnc avtem repromittit dicens: adhvc semel et ego movebo, pro *concutio*. Superfluit *&*. Non solvm terram sed et cœlvm. Ex Aggæi 2. cap. ſumpta eſt hæc ſententia. Vbi aduerte quòd author huius Epiſtolæ loco ſpeciei poſuit genus. In Aggæo enim habetur, *adhuc vnum modicum*, quod eſt quaſi ſpecies reſpectu *ſemel*: vnum enim modicum non niſi ſemel eſt: quamuis non è conuerſo: ad hoc enim quod plus quàm ſemel modicum eſſet, oporteret plura modica eſſe. Vnde dicendo *adhuc vnum modicum*, dicit *adhuc ſemel*. Quod ideò diligentiùs notandum duxi, quia ſuper hoc author fundat rationem ſuam. Vnde & ſubdit:

Qvod, pro *hoc*, avtem adhvc semel dicit. Verſ. 27.
Superfluit *dicit*. Declarat mobilivm, pro *eorum quæ mouentur*, translationem (tanqvam factorvm) vt maneant ea qvæ svnt immobilia, pro *quæ non mouentur*. Argumentatur ex illa particula, *adhuc ſemel* (& non pluries) quòd illa particula declarat tranſlationem eorũ quę mouentur, vt maneant ea quæ non mouentur. Si pluries concutiendus eſſet orbis, tranſlatio eorum quæ mouentur, fieret in alia quæ etiam mouenda eſſent, eo quòd ſupereſſet adhuc alia concuſſio, & ſic deinceps. Sed ſi ſemel concutiendus eſt orbis, ex hoc ipſo quòd ſemel tantùm concutiendus eſt, ſignificatur quòd tranſlatio eorum quæ mutantur fiet in ea quæ non mutantur: vtpote nullam expectantia concuſſionem. Et hæc eſt ſententia literæ: per quam intelligimus tum quod per myſterium Incarnationis concuſſa ſunt omnia: & facta eſt trãſlatio eorum quæ mouentur, hoc eſt, legalium, in ea quæ non mutantur, Euangelicam legem & dona. Tum quòd per idem myſterium in ſecundo aduentu cùm cœlum & terra mutabuntur, transferentur ea quæ mutantur motu generationis & corruptionis in ea quæ non mutantur: hoc eſt, nec generãtur, nec corrũpuntur.

Per Incarnationem concuſſa ſunt omnia.

Quod autem interponit tanquam factorum, rationem explicat facilis tranſlationis: ex eo enim quòd hæc facta ſunt a Ieſu Chriſto, apparet quòd facilè poteſt transferri illa: vtpote dominus opificij proprij.

Itaqve regnvm immobile svscipientes, Verſ. 28.
habemvs gratiam per qvam serviamvs, pro *ſeruimus*, placentes Deo. Immobile regnum propriiſſime appellatur futurum regnũ Chriſti: participatiue autem Euangelicus ſtatus. Suſcipimus autem fide, & ſpe, ac dilectione futurum immobile regnum.

Quod autem dicitur, *habemus gratiam*, intelligi poteſt & quòd gratias agimus, & quòd habemus internum donum gratiæ. Vtrumque enim eſt verum: & vtrique conſonant ſequentia: nam per gratiam vtroque modo ſumptam, ſeruimus Deo & placemus illi. Cvm metv et reverentia, pro *cum reuerentia & religione*. Et rationem horum ſubdit:

Etenim Devs noster ignis consvmens Verſ. 29.
est. Ex Deuteron. 4. ſumpta eſt hæc ſententia, deſcribens Deum ſub metaphora ignis conſumentis: hoc eſt, ſub ſpecie præcipui ac velociſſimi conſumptiui, vt qui tot in locis ſacræ Scripturæ deſcribitur tam profuſus in largitate bonorum, hìc quoque cognoſcatur quòd habet & ſupremam & velociſſimam efficaciã, non ſolùm ad puniendum, ſed ad conſumendum: vt hinc non ſolùm religio, ſed & reuerentialis timor ei debeatur.

Deus ignis conſumens.

CAPVT XIII.

Charitas fraternitatis maneat in Verſ. 1.
vobis,

Verſ. 2. ET HOSPITALITATEM NOLITE OBLIVISCI. Superfluunt tres dictiones, *in vobis &c.* Fraternitatem appellat illam de qua Dominus dicit Chriſtianos: *omnes vos fratres eſtis.* Hæc omnibus Chriſtianis communis fraternitas mandatur amanda indefeſſe, & exterius exercenda hoſpitalitate. PER HANC ENIM PLACVERVNT, pro, *latuerunt*, QVIDAM ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS. pro, *Angelos hoſpitio excipientes* Vbi aduerte, peritos in lingua Græca dicere quod ſic ad verbum iacet in textu Græco: ſed quadã Græcis propria figura ſignificari per *latuerunt* neſcientes. perinde ac ſi Latinè diceretur: per hanc enim quidam neſcientes hoſpitio Angelos acceperunt. Et iuxta hunc ſenſum intelligendum eſt ad cumulum beneficij dictum quod neſcientes (putando ſe excipere homines) Angelos exceperunt. Si enim ſciuiſſent eos eſſe Angelos, non excepiſſent eos hoſpitio: vt patet de Gedeone & de Moyſe: ac per hoc fuiſſent priuati tanto beneficio familiaris conuerſationis tanquam cum hoſpitibus.

Hoſpitalitas Angelos recipit.

Verſ. 3. MEMENTOTE VINCTORVM TANQVAM SIMVL VINCTI, affectu commiſerationis. ET LABORANTIVM. pro *afflictorum*, TANQVAM ET IPSI IN CORPORE MORANTES, in quo poteſtis & vos affligi.

Verſ. 4. HONORABILE CONNVBIVM IN OMNIBVS. & non in aliquibus ſic, & aliquibus non. ET THORVS IMMACVLATVS. ſimiliter in omnibus. FORNICATORES ENIM, pro *autem*, ET ADVLTEROS IVDICABIT DEVS. Contra honorabile connubium dicit *fornicatores*, qui ſoluti non ſunt cõtinentes: mauult enim eos ſubire honorabile connubium quàm fornicari. Et contra *thorum*
Verſ. 5. *immaculatum* dicit *adulteros*, quorum eſt alienum thorum maculare.

SINT MORES, pro *ſit modus*, SINE AVARITIA. Turpe eſt quòd auaritia imponat modum. CÕTENTI PRÆSENTIBVS. Rarus eſt qui contentus ſit iis quæ adſunt, qui non cupiat craſtina. IPSE ENIM DIXIT. Ioſue 1. cap. NON TE DESERAM, pro *deſero*, NEQVE DERELINQVAM, pro *derelinquo*. Verba Dei ſunt hæc ad Ioſue.

Verſ. 6. ITA VT CONFIDENTER DICAMVS, DOMINVS MIHI ADIVTOR, NON TIMEBO QVID FACIAT MIHI HOMO. Ex Pſal. hoc ſumpſit. Et attulit hæc ad perſuadendum quòd ſimus contenti præſentibus: quoniam habemus Deum prouidentem nobis, non ſolum aduerſus dæmones, ſed etiam aduerſus homines.

Verſ. 7. MEMENTOTE PRÆPOSITORVM VESTRORVM. Præteritorum cùm ſit memoria, de defunctis præpoſitis loquitur. QVI VOBIS LOCVTI SVNT VERBVM DEI. proculdubio Euangelicum. QVORVM INTVENTES EXITVM CONVERSATIONIS. Hîc clarè apparet quòd de mortuis loquitur Apoſtolis & Chriſti diſcipulis: quorum conuerſationis exitus iam viſus fuerat. IMITEMINI FIDEM. Conſiderate exitum felicem illorum, & imitamini eorundem fidem.

Verſ. 8. IESVS CHRISTVS HERI ET HODIE IPSE ET IN SECVLA. Poteſt & hæc clauſula appoſitiuè legi, imitemini fidem hanc, videlicet: *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula.* Æternitas Ieſu Chriſti ſignificatur per tria tempora, præteritum, præſens & futurum. Et in hoc conſiſtit vniuerſa fides noſtra, vt Ieſus Chriſtus credatur verus Deus & verus homo, qui enim hoc credit ſtultus eſt ſi reliqua fidei Chriſtianæ nõ credit: quæ ipſe Ieſus Chriſtus fecit, docuit, mandauit, &c. Poteſt & legi vt ratio exhortationis præmiſſæ: vt ex hoc quòd Ieſus Chriſtus heri, hodie, & in ſecula, intelligant non defuturum ipſis, ſicut nec defuit præpoſitis quorum exitus apparuit.

Aeternitas Ieſu Chriſti ſignificatur per tria tempora.

DOCTRINIS VARIIS ET PEREGRINIS NOLITE Verſ. 9.
ABDVCI, pro *ne circunferamini*. Vt ſequentia teſtantur, ad literam loqui videtur de varietate dogmatum, quæ Hebræi ſeminabant. Huiuſmodi dogmata & varia erant peregrina ab Euangelio. OPTIMVM, pro *bonum*, EST ENIM GRATIA STABILIRE COR, NON ESCIS: QVÆ NON PROFVERVNT AMBVLANTIBVS IN EIS. Differẽtia inter nouum & vetus Teſtamentum, inter Euangelicum ſtatum & ſtatum legis, explicat penès gratiam & eſcas. Euangelio propria eſt gratia, legi propria eſt eſca. hoc eſt, Euangelium conſiſtit in gratia, lex autem in ſacrificiis ciborum, in abſtinentia à cibis immundis, & breuiter in cærimoniis corporalibus. Et propterea dicit: nam bonum eſt ſtabilire cor gratiã Euangelij, & non ſtabilire ipſum eſcis legalibus: hoc eſt, obſeruatione legalium, quæ non profuerunt ambulantibus in eis, quia non contulerunt illis gratiam internam.

Euangelium in gratia, Lex in ſacrificiis ciborum, &c. conſiſtebat.

HABEMVS ALTARE DE QVO EDERE NON HA- Verſ. 10.
BENT POTESTATEM QVI TABERNACVLO DESERVIVNT. Rationem reddit quare non eſcis legalibus ſtabiliendum eſt cor: quia altare Chriſtianum eſt ſimile altari legali, non cuicũque, ſed illi de quo edere non habebant poteſtatem etiam ipſi Pontifices, & quicunque tabernaculo deſeruiebant: ac per hoc altare Chriſtianum habemus, *de quo non habent poteſtatem edere qui tabernaculo deſeruiunt*, hoc eſt, ſeruantes legalia. Alludendo enim ad altare diei expiationis, hæc dicit: de illo namque altari nulli fas erat comedere. Eſt autem altare Chriſtianum, altare corporis & ſanguinis Chriſti: hoc enim tantum habemus altare: & eſt de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo legali deſeruiunt.

Altare Chriſtianum.

Quorum enim animalium infertur Verſ. 11.
ſanguis pro peccato in ſancta, per pontificẽ, horũ corpora cremãtur extra caſtra. Rationem reddit quare de altari illo legali nõ habebant poteſtatem edendi miniſtri tabernaculi: quia illorum animalium (vituli ſcilicet & hirci: vituli quidem, pro peccato ſacerdotis: hirci verò pro peccato populi) corpora cremabantur extra caſtra: eorundem enim animalium ſanguis, non per ſacerdotem ſimplicem, ſed per pontificem inferebatur in ſancta ſanctorum: vt ſuperiùs dictum fuit.

Propter quod & Ieſus, vt ſanctifi- Verſ. 12.
caret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Ecce altare crucis in quo proprio ſanguine Ieſus mundauit populum, non Iudæorum, ſed totius mundi & omnium ſeculorum, extra portam Hieruſalem fuit, ad hoc vt veritas impleret figuram antedictam.

EXEAMVS IGITVR AD EVM EXTRA CASTRA. Verſ. 13.
Exhortationem infert ſpiritualem: vt ad Ieſum imitandum exeamus extra caſtra, deliciarum, commoditatum, ſocietatum, & aliorum huiuſmodi quæ humana ſocietas præſtat. IMPROPERIVM EIVS PORTANTES. Ad ſimilitudinẽ Ieſu, qui

Exeamus extra caſtra deliciarum, &c.

qui ſuſtinuit tot ignominias moriendo in cruce, dicit *improperium eius portantes* : proculdubio imitando ipſum in tolerationc ignominiarum, ludibriorũ, & aliorum huiuſmodi pro eo.

Verſ. 14. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Rationem reddit eius quod dixerat, *exeamus extra caſtra* : manentium enim in propria ciuitate eſt frui commoditatibus illius, & non eſt exire ad quærendum aliam : carentium autem propria ciuitate eſt peregrinari donec perueniant ad ciuitatem ſuam. Non eſt ergo corporalis exitus: ſed eſt exitus animi ab effectibus & impedimentis quibuſlibet ad eundum in cœleſtem ciuitatem, mediante patientia imitatrice paſſionis Chriſti.

Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

Verſ. 15. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius. Hæc eſt ergo hoſtia laudis, quæ in Eccleſia Dei ſemper offertur ſepties in die.

Verſ. 16. BENEFICENTIÆ AVTEM ET COMMVNIONIS NOLITE OBLVISCI. Quoad verba, dixerat *offeramus hoſtiam laudis* : quoad facta verò dicit *ne obliuiſcamini beneficentiæ*, quà vnus alij benefacit : & communionis, qua res proprias aliis communicamus, vt in beneficentia opera, in cõmunione res tribui intelligamus. TALIBVS ENIM HOSTIIS PROMERETVR. pro *conciliatur*, DEVS. non hoſtiis legalibus.

Verſ. 17. OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS ET SVBIACETE EIS. Superfluit *eis*. Præſentibus præpoſitis mandat præpóſtero ordine & ſubiici & obedire. Et rationem ſubdit,

Subditos ad obedientiam hortatur.

IPSI ENIM PERVIGILANT, pro *vigilant*, QVASI RATIONEM PRO ANIMABVS VESTRIS REDDITVRI. Significanter dicit *quaſi* ſeu *tanquam* : eo quòd propoſiti non tenẽtur reddere rationem pro animabus ſubditorum abſolute, ſed quatenus ex eorum admonitione, doctrina, & exemplo pendent. VT CVM GAVDIO HOC FACIANT ET NON GEMENTES. Obedientia ſubditorum, occaſio eſt vt Prælati vigilent cum gaudio : vtpote videntes fructuoſum eſſe officium ſuum : & è conuerſo mali mores ſubditorum quamuis nõ tollant vigilantiam a Prælatis bonis, efficiunt tamen, vt Prælati vigilent gementes perditionem filiorum. HOC ENIM NON EXPEDIT VOBIS, Et ſi gaudio Prælatorum non conſulitis, conſulite tamen vobiſipſis : quia vigilantia eorum cum gemitu inutilis eſt vobis.

Verſ. 18. Orate pro nobis, confidimus enim quòd bonam conſcientiam habemus, in omnibus benè volentes conuerſari. Variant Græci codices : alij habent in prima *habemus*, alij in ſecunda perſona *habetis*. Et hæc ſecunda litera magis quadrat : vt quia dixerat, *orate pro nobis*, ſubiungit rationem confidentiæ in orationibus eorum : quia confidit eos habere bonam conſcientiam ad volendum benè conuerſari in omnibus. Et hoc eſt temperamentum quoddam reprehẽſionis ſuperioris.

Verſ. 19. Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis. Superfluit *vos* : quamuis ſubintelligatur. Et quod dicit *amplius*, ſignificat *plus* : non ſignificat *item*.

Dicendo autem *quo celerius reſtituar vobis*. Hebræum ſe eſſe ſignificat, nec ſonat Paulũ, quem Hebrei ſeruantes legalia non expectabant eum ſibi reſtituendum : cùm Paulus ad euadendum eorum manus Cæſarem appellauerit. Vnde & hinc coniici poteſt, nec Clementem fuiſſe authorem huius epiſtolæ : cùm ipſe eſſet Romanus pontifex, nec expectabatur reſtituendus Iudæis longè poſitis.

Nec Clemens author eſt huius Epiſtolæ.

Deus autem pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Domnum noſtrum Ieſum Chriſtum. Verſ. 20. Dicitur *eductus de mortuis in ſanguine*, quia reſuſcitatus eſt merito effuſi ſanguinis, in ſanctificationem æterni teſtamẽti, hoc eſt : ſanctificationem diſpoſitionis hæreditatis æternæ,

APTET, pro, *perficiat*, VOS IN OMNI. Deeſt Verſ. 21.
vna dictio. Legendum eſt, IN OMNI OPERE BONO, VT FACIATIS EIVS VOLVNTATEM. Petit vt Deus perficiat eos, non in aliquo, ſed in omni opere : erant enim Hebræi iſti ex parte Chriſtiani & ex parte legales, ſimul cum Euangelio ſeruantes legalia. Et propterea petit pro eis vt in omni bono opere perficiantur. FACIENS IN VOBIS. pro, *in nobis*, QVOD PLACEAT CORAM SE PER CHRISTVM : De ſui à vinculis abſolutione dicit hæc. CVI EST GLORIA IN SECVLA SECVLORVM, AMEN. Siue ad Deum, ſiue ad Ieſum Chriſtum referri poteſt relatiuum *cui*.

ROGO AVTEM VOS FRATRES, VT SVFFERA- Verſ. 22.
TIS VERBVM SOLATII. pro *exhortationis*. Quoniam exhortatio fuit reprehenſiua & ablatiua legis ac ſacerdotij legalis, ideo rogat vt ſufferant verbum exhortationis. ETENIM PERPAVCIS SCRIPSI VOBIS. Relatiuè ad materiam tot myſteriorum paucis vſus eſt verbis.

COGNOSCITE FRATREM VESTRVM. pro, *no-* Verſ. 23.
ſtrum. TIMOTHEVM DIMISSVM. Hinc quiſquis argumentum ſumpſerit quod Paulus fuerit author epiſtolæ vtpote mittens Timotheum, recolat quòd Dionyſius Areopagita diſcipulus quoque Pauli à Clemente Romano pontifice directus eſt in Gallias : ſimilique ratione Timotheum à Clemente (ſeu illo qui ſcripſit Epiſtolam) dimiſſum fuiſſe. CVM QVO SI CELERIVS VENERIT, VIDEBO VOS. Non ſonat hæc promiſſio Paulum : alienum enim a ratione videtur vt poſtquam appellauerit ad Cæſarem, iterum in manus Iudæorum ſpondeat ſe dare : cùm vbique in Actis Apoſtolorum legatur perſecutionem paſſus à Iudæis, & oportuiſſe ipſum pluries eos fugere.

SALVTATE OMNES PRÆPOSITOS Verſ. 24.
VESTROS, ET OMNES SANCTOS. SALVTANT VOS DE ITALIA FRATRES. pro, *ſalutant vos Itali*.

GRATIA CVM OMNIBVS VOBIS, Ve 25.
AMEN. Concluſio eſt ſimilis concluſionibus Paulinis.

Et apud Græcos habetur ſubſcriptio hæc: *Subſcriptio.*
Ad Hebræos ſcripta ex Italia, miſſa per Timotheum.

Et ſic ſit finis Commentariorum Epiſtolarum Pauli.

Caietæ die 1. Iunij 1529.

Commentariorum Thome de Vio Caietani Cardinalis ſancti Xyſti, in omnes germanas epiſtolas Pauli & eam quæ ad Hebræos inſcribitur, finis.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN SEPTEM EPISTOLAS, QVAS VOCANT CANONICAS.

Et primùm in eam, quæ D. Iacobo inſcribitur, COMMENTARII.

EPISTOLA SANCTI IACOBI.

CAPVT I.

Verſ. 1.

An hæc Epiſtola ſit S. Iacobi fratris Domini non eſt vſquequaque certum.

IACOBVS DEI ET DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SERVVS, DVODECIM TRIBVBVS QVÆ SVNT IN DISPERSIONE SALVTEM. Non eſt vſquequaque certum an Epiſtola hæc ſit Iacobi fratris Domini: dicente Hieronymo. in lib. de vir. illuſtr. de eo: *Vnam tantùm ſcripſit Epiſtolam quæ de ſeptem canonicis eſt: quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine eius edita aſſeritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.*

Salutatio hîc poſita tam pura eſt, vt nulli ſalutationi cuiuſcunque alterius Apoſtolicæ Epiſtolæ conformis ſit, nam nihil Dei, nihil Ieſu Chriſti, nihil gratiæ, nihilve pacis orat: ſed prophano more *ſalutem.* Nec ipſe ſeipſum nominat Apoſtolum, ſed tantùm ſeruum Ieſu Chriſti. Ex quibus ſimul iunctis minus certus redditur author.

Et mittitur ad duodecim tribus diſperſas: quoniam ex qualibet tribu erant aliqui diſperſi per mundum. Vnde magis libri quàm Epiſtolæ titulum merebatur, ſcripta eſt enim non vt deferretur duodecim tribubus diſperſis (cùm hoc eſſet impoſſibile) ſed ad inſtruendum eos. Et quoniam ſe ſeruum Ieſu Chriſti dicit, & inferius dicet, *nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti,* conſequens eſt, vt ad diſperſos duodecim tribuum iam Chriſtianos intelligamus hanc Epiſtolam ſcriptam.

OMNE GAVDIVM EXISTIMATE, FRATRES MEI, CVM IN TENTATIONES VARIAS INCIDERITIS. Verſ. 2.
Tentationes exploratiuæ ſunt virtutũ animi: & ex ſuo genere triſtitiam natæ ſunt inferre. Et propterea Iacobus materiam triſtitiæ vertit in gaudium, monens vt triſtitiam exiſtimẽt materiam gaudij. Et rationem ſubdit,

SCIENTES QVÒD PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATVR. Verſ. 3.
Materia gaudij eſt, acquirere virtutem patientiæ: & quas nominauit tentationes, modò nominat probationes fidei: examinat enim fidem animi quemadmodum ignis examinat aurum. Et huiuſmodi examinatio quoniam afflictiua eſt, operatur patientiam (materiam patientiæ miniſtrando) quantum eſt ex genere operis. Ex parte verò Dei operatur patientiam, illam infundendo.

Tentationes ſunt probationes animi.

PATIENTIA AVTEM OPVS PERFECTVM HABET, pro *habeat*, VT SITIS PERFECTI ET INTEGRI IN NVLLO DEFICIENTES. Ne fortè quæreres quæ materia gaudij eſt acquirere patientiam Verſ. 4.
explicat

explicat excellentiam ipſius: dicendo, cùm ipſa habeat perfectionem operis ad hoc, vt ſitis perfecti & integri. Quia patientia non in operando, ſed in patiendo conſiſtere videtur, ne hinc errares, attribuit patientiæ opus, non qualecunque ſed perfectum. Et eſt ſermo de opere animi quod intus eſt. Non enim eſt pati & patientiam habere: ſed patientia adiungit pati actionem animi, voluntarie tolerantis quod patitur, imò etiam cum gaudio tolerandi quod patitur. *Ibant* enim *Apoſtoli à conſpectu concilij, gaudentes quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Tantam autem perfectionem operis habet patientia, vt præſtet homini poſſidere proprium animum, quod plus eſt, quàm poſſidere Imperium olim Romanum. Vnde & dicit, & vt ſitis perfecti & integri. Perfectum opponitur imperfecto, & integrum opponitur mutilo. Vtrumque præſtat patientia, & perfectionem vitæ, & integritatem virtutum, & quod plus eſt, præſtat in nulla actione neceſſaria deficere.

Patientia adiungit pati actionem animi voluntariè tolerantis quod patitur.

Verſ. 5. Si qvis avtem veſtrvm indiget sapientia, pro *ſi cui veſtrûm deficit ſapientia*, postvlet a Deo, pro *poſtulet ab eo qui dat Deo.* Dixerat patientiam habere opus perfectum, vt in nullo deficiamus, & quoniam hoc contrariam videtur habere experientiam, dum contingit patientes in aliqua actione deficere, ideò de ea virtute à qua ſæpius contingit deficere, & quæ difficillime impetratur, ſubiungit modum habendi. Specialiter quoque meminit *ſapientiæ*: quoniam quamuis affectus plenus ſit patientiæ, intellectus tamen poteſt carere ſapientia. Ait itaque: Dixi *in nullo deficientes*, quia nec in ſapientia permittit deficere: ſi cui tamen deficit ſapientia (quod poteſt contingere ex minus perfecta patientia) poſtulet à Deo qui dat Omnibvs affluenter, pro *ſimpliciter*: et non improperat, et dabitvr ei. Adminiculo orationis impetrandam docet ſapientiam. Et eſt ſermo de ſapientia circa regulam viuendi & operandi. Quòd autem dicit *& non improperat* ſeu exprobrat, intelligendum eſt quantum ex parte Dei: nam ex parte ingratorum teſtatur ſcriptura quandoque exprobrare beneficia collata.

Sapientia orationibus impetranda.

Verſ. 6. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. pro *diiudicans*. Ex ſententia Domini in Euangelio ſumptum eſt hoc: oportet enim petentem non diſcernere ex parte Dei potentiam ac miſericordiam Dei: qui enim potentiam aut miſericordiam Dei metitur in ſuo affectu aut intellectu, minus confidit. Qvi avtem hæsitat, pro *diiudicat*, similis est flvctvi maris: qvi a vento movetvr et circvmfertvr, pro *iactatur*. Animum diuerſorum iudiciorum circa potentiam aut gratiam Dei aſſimilat mari fluctuanti à ventis agitato & iactato: eſt enim animus hæſitans, & diuerſis iudiciis huc atque illuc impellitur. Et de eo ſubiungit,

Verſ. 7. Nō ergo, pro *non enim*, exiſtimet homo ille quòd accipiat, pro *accipiet*, aliquid à Domino. vtpote indiſpoſitus ad impetrandū.

Verſ. 8. Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Manifeſtat indiſpoſitionem hæſitantis ad impetrandum relatiue ad Deum ex diſpoſitione animi duplicis ad alia opera. Videmus enim quòd homo duplex animo (hoc eſt, tanquam habens duos animos: alterum inclinantem ad hoc, & alterum inclinantem ad contrarium) inconſtans eſt in omnibus viis ſuis; pro quanto modò ad iſtam viam, modò ad aliam tendit. Simile enim quid contingit in animo poſtulantis hæſitando à Deo.

Vir duplex animo inconſtans in omnibus viis ſuis.

At ſi obieceris perpaucos inueniri poſtulantes abſque omni hæſitatione, ſcito donum Dei eſſe poſtulare nihil hæſitando, quod nullus nouit niſi qui accipit.

Quòd autem Iacobus dicit, ſolos non hæſitantes impetrare (dicendo, *non enim exiſtimet homo ille quòd accipiet aliquid à Domino*) intellige quantum eſt ex parte orantis: nam diuinæ miſericordiæ largitas non eſt alligata his regulis: vnde in Euangelio ſupplet homo ante Ieſum, *credo*, inquit, *Domine adiuua incredulitatem meam.*

Glorietur autem frater humilis in Verſ. 9.
exaltatione, pro *ſublimitate*, ſua.

Diues autem in humilitate, pro *humi-* Verſ. 10.
liatione, svi. Declarauerat gaudium in tentationibus ex lucro virtutis patientiæ, &c. modò declarat illud idem gaudium relatiuè ad contrarios ſtatus hominum: paupertatis ſcilicet & diuitiarum. Et cùm debuiſſet dicere, gaudeat autem, plus dicit, dicendo *glorietur autem frater* (Chriſtianum quemlibet appellat fratrem) *humilis*, hoc eſt abiectus propter paupertatem (humilitas non eſt hîc nomen virtutis ſed conditionis) in ſublimitate promiſſa ſibi in cœleſti regno: *diues autem glorietur in humiliatione ſui*, hoc eſt, dum contingit ipſum humiliari, deiici, & cadere à ſtatu diuitiarum ob aliquam tentationem, & non in diuitiis. Quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Hæc omnia quæ ſubiunguntur de caduco ſtatu diuitum tendunt ad hoc quòd diuitiæ non ſunt materia gloriationis, ſed humiliatio propter fidem & virtutem.

Diues flos fœni eſt.

Exortus eſt enim ſol cum ardore, & Verſ. 11.
areſecit fœnum: & flos eius decidit & decor vultus, pro *aſpectus*, ſeu ſpeciei (eſt enim ſermo de aſpectu paſſiuè.) Eius deperiit. Ita & diues in itineribus ſuis marceſcet.

Beatus vir qui ſuffert tentationem. Verſ. 12.
Dixerat quòd diues glorietur in ſui humiliatione, extendit modò ad omnes quòd vir qui ſuffert tentationem, eſt beatus. Dicendo *ſuffert*, fortitudinem ſignificat ad differentiam ſuccumbentis. Et eſt ſenſus: *qui ſuffert tentationem*: hoc eſt qui non ſuccumbit tentationi, ſed fortiter tolerat illam. Et eſt ſermo de beatitudine hic in ſpe, & in futuro in re. Tentationis autem nomine afflictiones quaſcunque comprehendit, tam internas quam externas: ſiue ſenſui ſiue rationi rectæ contrariæ ſint. Qvoniam cvm probatvs fverit. Examinatur homo priuatione rerum, afflictione perſonæ, & afflictione incitantium ad ea quæ ſunt contraria rectæ rationi: affligunt enim & non parum rectum animum, incitantia intus vel extra ad ea quæ ſunt contraria rectæ rationi. Vnde & de Lot Petrus Apoſtolus dicit, habitans apud eos qui animam iuſtam

Tentationis nomine omnes actiones tam interna quàm externa ſignificantur.

iniquis operibus cruciabant. ACCIPIET CORONAM VITÆ, QVAM REPROMISIT DEVS DILIGENTIBVS SE.

Verſ. 13. NEMO CVM TENTATVR, DICAT QVONIAM, pro *quòd*, A DEO TENTETVR, pro *tentor*: DEVS ENIM INTENTATOR, pro *intentabilis*, EST MALIS, hoc eſt, Deus non poteſt tentari malis. IPSE ENIM, pro *autem*, NEMINEM TENTAT. Vtrumque negat Iacobus à Deo, ſcilicet tentari & tentare. Et primum quidem verum eſt, quantùm eſt ex parte Dei: nam ex parte noſtra tentamus quandoque Deum: contra illud præceptum, *non tentabis Dominum Deum tuum*. Alterum autem (videlicet quòd *Deus neminem tentat*) quamuis eâdem ratione verificari poſſit (quia Deus ex parte ſua neminem tentat: non enim indiget tentationis examine ad notitiam animorum & euentuum) proſequendo tamen intentionem authoris, ſenſus eſt quòd ipſe neminem tentat, formaliter loquendo, tentatione ad peccandum. De hac enim è regione ſubiungit,

Deus neminē tentat, quo ſenſu?

Verſ. 14. VNVSQVISQVE VERÒ TENTATVR A CONCVPISCENTIA SVA ABSTRACTVS ET ILLECTVS, pro *ineſcatus*. Deberent tamen eſſe participia paſſiua præteriti temporis, quibus caremus. Vbi clarè patet quòd de tentatione ad peccandùm & de tentatione interna eſt ſermo: nam & *tentauit Deus Abraham*, ſed non ad peccandum: & Ieſus tentatus eſt ad peccandum à diabolo, non intercedente propriâ Ieſu concupiſcentiâ, ſed externâ tantùm tentatione. Appellatur autem concupiſcentia appetitus boni vel apparentis boni: mediante ſiquidem huiuſmodi appetitione tam diabolus, quàm mundus, quàm caro nos internâ pulſat tentatione.

Concupiſcentia eſt appetitus boni vel apparentis boni.

Vbi & recole eiuſdem rationis eſſe appetere bonum & fugere malum: vt intelligas concupiſcentiæ nomine vtramque appetitionem comprehendi: nominatim tamen à bono, ratione cuius diſplicet malum verum, vel apparens. Et duplex officium concupiſcentiæ deſcribitur, abſtrahere & ineſcare: abſtrahere quidem à recto: ineſcare autem ad delectabile ſeu vtile. Et vtrumque vtinam non experiremur.

Verſ. 15. DEINDE CONCVPISCENTIA CVM CONCEPERIT. Præteriti temporis eſt *conceperit*. Ad ſimilitudinem concipientis deſcribitur animus concupiſcentiâ diſtractus & ineſcatus. Si enim concupiſcentiam tanquam ſemen ſuſcipit ex quo velut concipiat prolem intentam à concupiſcentia (quod eſt cùm animus conformis eſt concupiſcentiæ: & hæc proles delectatio eſt ſeu conſenſus.) PARIT PECCATVM. Recto ordine progreditur poſt conceptionem deſcribens partum: mediante enim conceptâ delectatione parit peccatum. PECCATVM VERÒ CVM CONSVMMATVM FVERIT, GENERAT MORTEM. æternam. Generat autem meritoriè.

Partus concupiſcentiæ.

Verſ. 16. NOLITE ITAQVE ERRARE, pro *ne erretis*. FRATRES MEI DILECTISSIMI, pro *dilecti*, attribuendo Deo veſtras tentationes.

Verſ. 17. OMNE DATVM OPTIMVM, pro *omnis donatio bona*, ET OMNE DONVM PERFECTVM DESVRSVM EST, DESCENDENS A PATRE LVMINVM. Non ſuffecit Iacobo declaraſſe vnumquemque tentari à propria concupiſcentia, ad manifeſtandum quòd Deus neminem tentat, ſed adiecit quòd Deus eſt author omnis boni: vt è regione contrariorum effectuum appareret intentum. Effectus tentationis dixerat peccatum & mortem: effectus Dei modò dicit omnem donationem bonam, & omne donum perfectum, vt ex his appareat Deum neminem tentare, neminem incitare ad peccatum & mortem æternam: ſed è conuerſo *omnem donationem bonam* (ad differentiam donationum malarum quas nos facimus) *& omne donum perfectum* (ad differentiam imperfectionum: quales ſunt imperfectiones ſignificatæ nominibus peccatorum) *è ſurſum*, è ſupernis manat, *deſcendens à patre luminum*. Rationem tangit emanationis bonorū à Deo, dicendo *à patre luminum*. Genitor ſiquidem luminum non eſt genitor tenebrarum, ſed luminum: omnia autem dona bonorum, &c. radij quidam ſunt diuini luminis.

Omnia dona bonorum radÿ quidem ſunt diuinī luminis.

APVD QVEM NON EST TRANSMVTATIO, NEC *aut*, VICISSITVDINIS, pro *conuerſionis*, OBVMBRATIO. Dixerat *à patre luminum*, & quoniam pater luminum ſenſibilium ſol, facit tenebras dupliciter (primo ſuo motu diurno: hac enim tranſmutatione locali facit vbi fuit dies noctem, & è conuerſo: deinde conuerſione ex Tropicis Cancri & Capricorni variat obumbrationem æſtiuam & hyemalem) vtramque mutationem Iacobus excludit à Deo patrè luminum: ne putaretur quòd eſſet pater luminum quemadmodum ſol ſenſibilis, & ſuis tranſmutationibus faceret tenebras & varias vmbras. Et propterea dicit, apud quem non eſt tranſmutatio, quoad primum, nec conuerſionis obumbratio, quoad ſecundum. Modum autem quo deſcendunt ab iſto patre luminum donationes bonæ & dona perfecta, ſubiungit,

Sol dupliciter facit tenebras.

VOLVNTARIE ENIM, pro *volens*, PROGENVIT NOS VERBO VERITATIS, VT SIMVS INITIVM ALIQVOD, pro *primitiæ quædam*, CREATVRÆ, pro *creaturarum*, EIVS. Ecce modus quo deſcendūt lumina à ſpirituali patre luminum: non naturâ, ſed voluntate progenuit nos, ſecundùm eſſe gratiæ, *verbo veritatis*, Datiui caſus eſt: explicans ad quid geniti ſumus ſecundùm eſſe gratiæ: videlicet ad verbum veritatis credendum, amandum, ſectandum, opere implendum ac propagandum. Non ſumus progeniti ad fabellas, ſed ad ſermonem veritatis, vt ſimus quædam primitiæ: hoc eſt inter creaturas æſtimati, pretioſi, grati velut primitiæ. Et rurſus quoniam primitiæ offerebantur Deo, vt offeramur Deo tanquam primitiæ omnium creaturarum. Verſ. 18.

SCITIS FRATRES MEI, pro *itaque fratres mei*, DILECTISSIMI, pro *dilecti*, SIT AVTEM OMNIS HOMO VELOX AD AVDIENDVM, TARDVS AD LOQVENDVM, ET TARDVS AD IRAM. Superfluit *autem*. Dixerat quòd genuit nos verbo veritatis, vt ſimus primitiæ creaturarum eius, & propterea inde infert diſpoſitiones ad verbum veritatis. Quarum prima eſt velocitas ad audiendum, ſecunda tarditas ad loquendum, & tertia tarditas ad iram. Verſ. 19.

Tres diſpoſitiones ad verbum veritatis.

IRA ENIM VIRI IVSTITIAM DEI NON OPERATVR. Ab vltima diſpoſitione incipit ſingula tractare. Et quoniam ira appetitus eſt vindictæ quæ actus eſt iuſtitiæ, ideò ne quiſquam putaret quòd ira conformis eſſet verbo veritatis (vtpote executrix iuſtitiæ) clarè dicit quòd Verſ. 20.

ira

ira viri, ad differentiam iræ diuinæ, non operatur, hoc eſt non exequitur, iuſtitiam Dei. Deus enim non ordinauit iram hominis ad exequendam diuinam iuſtitiam: ſed ad hoc ordinauit iudices.

Verſ. 21. Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas veſtras. Ordinate tractat de ira hominis. Prius enim excluſit ab ea bonum executionis diuinæ iuſtitiæ: modò explicat mala illi annexa: videlicet immunditiam ſeu ſordes, proculdubio animi, & exuberantiam ſeu ſuperfluitatem malitiæ. Ira enim vtrumque malum habet annexum: nam & ſordidat animum offuſcando rationem, & accendit voluntatem ad malum proximorum: quod ſignificat malitia abundans ſeu exuberans ad perniciem aliorum. Et quia iræ vt eſt nomen vitij contraria eſt manſuetudo, ideò abiectis iis quæ ſunt vitij iræ, aptiſſimè ſubiungit, *In manſuetudine ſuſcipite verbum inſitum.* Ideo de ira tractat, quia impedit ſuſceptionem verbi veritatis inſiti, ad differentiam verbi cógeniti. Verbum veritatis congenitum nobis eſt quicquid naturali lumine cognoſcere ſufficimus: verbum autem veritatis inſitum eſt quod deforis inſitum eſt verbum fidei, verbum Euangelicum: ad quod non ſufficit naturale lumen, niſi adiutum lumine inſito quod eſt lumen diuinæ gratiæ. Vnde de hoc verbo ſubiungit quòd poteſt ſaluare animas veſtras.

Mala iræ annexa.

Verſ. 22. ESTOTE AVTEM FACTORES VERBI, ET NON AVDITORES TANTVM. Superfluit *tantum*: quamuis ſubintelligatur. Proſequitur aliam diſpoſitionem ad verbum veritatis: illam ſcilicet; *Sit omnis homo velox ad audiendum.* Et explicat de quali auditione loquitur: videlicet de auditione factiua verbi veritatis quod auditur, & non de auditione pura. Et rationem ſubiungit, FALLENTES VOSMETIPSOS. putando quòd ſolus auditus ſufficiat.

Verſ. 23. Quia ſi quis auditor eſt verbi & nó factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo.

Verſ. 24. Conſiderauit enim ſe & abiit: & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.

Verſ. 25. QVI AVTEM PERSPEXERIT IN LEGE PERFECTÆ LIBERTATIS, pro *qui autem proſpexerit in legem perfectam libertatis.* hoc eſt, in legem perfectam quæ eſt libertatis. E regione conſiderationis propriæ faciei in ſpeculo, locat proſpectionem ſui in legem perfectam quæ eſt lex libertatis, quæ eſt lex Euangelica. Eſt enim lex amoris & libertatis ſpiritualis. Et è regione eius quod dixerat *& abiit & ſtatim oblitus eſt,* dicit: ET PERMANSERIT IN EA, pro *& permanſerit ſic,* NON AVDITOR OBLIVIOSVS FACTVS, SED FACTOR OPERIS, HIC BEATVS IN FACTO SVO ERIT. Intellige meritoriè: hoc eſt hic meretur ex facto ſuo beatitudinem futuram.

Auditor verbi & non factor comparatur viro conſideranti ſe in ſpeculo.

Verſ. 26. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe. Deeſt *inter vos*, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.

Verſ. 27. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Tractat tertiam conditionem: videlicet *tardus ad loquendum*: monſtrando quòd religioſitas ſine fræno linguæ vana eſt: quod ſi quis ſecus putat, ſeducit ſeipſum. Et e regione religionis vanæ explicat religionem mundam apud Deum conſtare ex operibus miſericordiæ. Quod intellige imperatiue. Religio enim proprias actiones habet diuini cultus: imperat autem opera miſericordiæ, eo modo quo vna virtus imperat alteri.

ET IMMACVLATVM SE CVSTODIRE AB HOC SECVLO, pro *à mundo.* Viſitationi pupillorum & viduarum annectit Iacobus cuſtodiam hominis ab hoc mundo: eo quòd periculoſum eſt pupillorum curam gerere ſine aliqua lucri macula, nec minus periculoſum viduas viſitare abſque macula carnis.

CAPVT II.

Verſ. 1. FRATRES MEI, NOLITE IN PERSONARVM ACCEPTIONE HABERE, pro *ne in perſonarum acceptione habeatis,* FIDEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI GLORIÆ. Quamuis conſtrui poſſit diuerſimodè genitiuus *gloriæ*, materia tamen, de qua eſt ſermo, inuitat ad conſtruendum cum acceptione perſonarum. Ita vt ordo literæ ſit, ne habeatis in acceptione perſonarum gloriæ (hoc eſt penès gloriam) fidé Domini noſtri Ieſu Chriſti. Acceptio ſiquidem perſonarum habetur penès diuerſa. Nam quandoque penès magiſtratus, quandoque penès opes, quandoque penès honores, &c. habetur. In propoſito autem eſt ſermo de acceptione perſonarum penès gloriam ſeu honorem præſentem. Inhibere autem fidem Ieſu Chriſti habere in acceptione perſonarum, eſt inhibere actionem hanc quæ eſt acceptio perſonarum iungi fidei Ieſu Chriſti. Ac ſi dixiſſet: Nolite in adulterio ſeu fornicatione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Varia eſt perſonarum acceptio.

Verſ. 2. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habés in veſte candida, pro *ſplendida,* introierit autem & pauper in ſordido habitu:

Verſ. 3. Et intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, pro *ſplendida,* & dixeritis ei, tu ſede hîc bene: pauperi autem dicatis, tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedú meorum, pro *aut ſede hîc ſub ſcabellum meum.*

Verſ. 4. NONNE IVDICATIS APVD VOSMETIPSOS? pro *& non iudicati eſtis in vobiſipſis.* Explicat negationem iudicij perſonalis. Et eſt ſenſus, & hæc faciendo non eſtis iudicati in vobiſipſis, ſed eſtis iudicati in veſtibus & diuitiis & paupertate. Nam verè aliud eſt iudicari homines ſecundùm ſeipſos, & aliud iudicari eoſdem ſecundùm veſtes (ſplendidas vel ſordidas) & alia huiuſmodi extrinſeca.

ET FACTI ESTIS IVDICES COGITATIONVM INIQVARVM, pro *malarum.* Malas cogitationes appellat penſare in hominibus veſtes & huiuſmodi. Et facti eſtis malarum cogitationum, tanquam dirigentium, iudices. Ita quòd dupliciter erraſtis: & non iudicando

Penſare in hominibus veſtes ſplendidas, &c. malas cogitationes appellat.

homines ſecundùm ſeipſos, & iudicando ſecundùm malas cogitationes.

Verſ. 5. Audite fratres dilectiſſimi, pro *dilecti*, nonne Deus elegit pauperes in hoc mũdo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe?

Verſ. 6. Vos autem exhonoraſtis, pro *ignominiâ affeciſtis*, pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia, pro *tribunalia*?

Verſ. 7. (Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen quod inuocatum eſt ſuper vos?) hoc eſt nomen Chriſti ſalutiferum. Et hæc mala quæ de diuitibus Iacobus dicit, ideò dicit quia ex diuitiis tumeſcunt & faciunt hæc: quamuis non omnes.

Verſ. 8. Si tamen, pro *ſiquidem*, legem perficitis regalem ſecundùm ſcripturam (diliges proximum tuũ ſicut teipſũ) bene facitis.

Verſ. 9. Si autem perſonam accipitis, peccatũ operamini. Diuitem honorari ex multis cauſis prouenire poteſt, quarũ duas tangit hic Iacobus. Altera eſt ex acceptione perſonarum: hoc eſt præciſe, quia diuites ſunt. Altera eſt ex lege regia: hoc eſt, quia ſunt præfecti à rege, vel quia ſunt nuntij regis, vel quia ſic ſtatuit rex: vt patet de Mardochæo, *ſic honorabitur quẽ rex honorare voluerit*. Et ex prima quidem cauſa honorare diuites, peccatum eſſe definit: ex ſecunda autem dicit eſſe bonum opus. Et ad hoc affert conformitatem ſcripturæ, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Et intendit quòd ſeruare legem regiam circa honores diuitum prouenit in Chriſtianis ex præcepto ſcripturæ, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: vtendo aduerbio *ſicut*, proportionaliter: hoc eſt, Diliges proximum tuum in gradu, in officio, in dignitate, in priuilegio ſuo, ſicut teipſum in gradu, dignitate, & priuilegio.

Duabus de cauſis honorantur diuites.

Redarguti à lege quaſi tranſgreſſores, pro *& redarguimini a lege tanquam tranſgreſſores*. Et eſt ſermo non de lege regia, ſed de lege diuina ſcripta Leuit. 19. & Deuteron. 1. Vtrobique enim prohibetur acceptio perſonarum.

Verſ. 10. Quicunque enim totam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno, factus eſt omnium reus. Quà ratione hoc dixerit, ipſe ſubiungit: videlicet ex identitate legiſlatoris. Hanc enim identitatem clare ſubiungit. Et ex hac parte qui in vno offenderit legiſlatorem, incurrit reatum omnium: quoniam contemnit latorem legis omnium. Hic eſt ſenſus literalis intentus a Iacobo.

Verſ. 11. Qui enim dixit non mœchaberis, dixit & non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occideris autem, factus es tranſgreſſor legis.

Verſ. 12. Sic loquimini & ſic facite tanquam per legem libertatis incipientes iudicari. pro *iudicandi*. Loco duarum dictionum, *incipientes iudicari*, legendum eſt *iudicandi*. Tranſit ad aliam materiam: videlicet bonorum operum. Inhibuit priùs iungi fidei acceptionem perſonarum: monet modò iungi fidei bona opera, incipiens à præmio & pœna futuri iudicij: quod dicit futurum per legem libertatis quoad merita. Et eſt ſenſus: *Sic loquimini*, ſic operemini, vt iudicãdi tandem ſecundùm merita in lege libertatis. Conſonat hoc ſententię Euangelicæ: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*, & reliqua. hæc enim ſunt merita legis libertatis, ſecundùm quæ iudicandi ſumus.

Iudicium enim ſine miſericordia fiet ei qui non facit miſericordiam. Verſ. 13.
Miſericordia ſaluatrix excluditur, non omnis miſericordia: nam nullum diuinum iudicium caret miſericordiâ aliquâ: ſed vltimum iudicium reproborum caret miſericordiâ ſaluatrice eorundem. ET SVPEREXALTAT, pro *gloriatur*, MISERICORDIA IVDICIVM, pro *aduerſus iudicium*: hoc eſt, miſericordia eo quòd vincit iudicium, gloriatur aduerſus illud tanquam victrix. Et è regione iudicij ſine miſericordia, locat miſericordiam victricem iudicij, vt ſignificet quòd immiſericordium iudicium erit ſine miſericordia, miſericordium autem iudicium erit tale quòd miſericordia gloriabitur aduerſùs iudicium. Significans per hoc quòd miſericordia vincet exactam iuſtitiam ſecundùm merita, iuxta illud: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

Nullum Dei iudicium caret miſericordiâ.

Quid proderit fratres mei ſi fidẽ quis Verſ. 14.
dicat ſe habere, opera autem nõ habeat? nunquid poterit fides ſaluare eum? De operibus miſericordiæ eſt ſermo: vnde & ſubdit de egentibus, &c.

Si autem frater &, pro *aut*, ſoror nudi Verſ. 15.
ſint & indigeant victu quotidiano,

Dicat autem aliquis ex vobis illis, ite Verſ. 16.
in pace, calefacimini, pro *calefaciatis*, & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori. proculdubio operimenta. Quid proderit?

Sic & fides ſi non habeat opera, mor- Verſ. 17.
tua eſt in ſemetipſa, pro *per ſe*. hoc eſt ſola.

Sed dicet quis, tu fidem habes, & ego Verſ. 18.
opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, pro *ex operibus*, tuis. Quaſi dicat non potes ex operibus tuis (vtpote carens illis) oſtendere mihi illam. Fides enim intùs latet. ET EGO OSTENDAM TIBI EX OPERIBVS MEIS FIDEM MEAM.

TV CREDIS QVÒD VNVS EST DEVS? BENE FA- Verſ. 19.
CIS, ET DÆMONES CREDVNT. Solam fidem minoris pendendam, multipliciter Iacobus oſtẽdit, inter alia afferens quòd fides communis eſt etiam dæmonibus. Et eſt verum, loquendo de ipſo actu credendi. Dæmones enim coacti ab euidentia miraculorum quæ ipſi cernunt fieri à Ieſu Chriſto, & Apoſtolis, &c. credunt velint nolint verum eſſe quòd Verbum caro factum eſt, &c. Et quoad hoc Iacobus verum dicit quòd fides communis eſt etiam dæmonibus, ſed nos voluntariè credimus, illi autem inuiti. Vnde de ipſis ſubditur: ET CONTREMISCVNT. quod eſt inuiti.

Dæmones credunt.

Vis autem ſcire ô homo inanis quoniã Verſ. 20.
pro *quod*, fides ſine operibus mortua eſt? In calce huius capituli ipſemet declarabit hoc.

ABRAHAM PATER NOSTER NONNE EX OPE- Verſ. 21.
RIBVS IVSTIFICATVS EST, OFFERENS ISAAC FILIVM SVVM SVPER ALTARE?

VIDES

Verſ. 23. Vides quoniam, pro *quòd*, fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?

Et ſuppleta, pro *impleta*, eſt ſcriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: & amicus Dei appellatus eſt. Aduerte hîc prudens lector, quòd Iacobus non ſentit fidem abſque operibus mortuam eſſe, &c. (quoniam conſtat nos iuſtificari per fidem etiam ſine operibus: vt patet in infantibus baptizatis, & in adulto baptizato ſi ſtatim moreretur) ſed ſentit fidem ſine operibus, hoc eſt, renuentem operari, eſſe mortuam, eſſe vanam, & non iuſtificare. Et rectè ſẽtit, quoniam fides quæ non eſt parata operari, mortua eſt. Suapte enim natura operatur per dilectionem: vt Paulus dicit. Quòd ergo Iacobus affert verbum, Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo*, ad hoc affert quòd credidit paratus operari. Et propterea dicit quòd in opere oblationis filij impleta eſt Scriptura: loquens de fide Abrahæ parata operari. Impleta, inquam, eſt quoad executionem maximi operis ad quod parata erat fides Abrahæ. Nec contrariatur ſententia hæc ſententiæ Pauli ad Roman. docentis ex fide non ex factis hominem iuſtificari: quoniam Paulus loquitur de factis ſecundum ſe, e regione diſtinctis à fide: Iacobus autem loquitur de factis, vt ſunt filij Dei. Vterque enim verum docuit: Paulus quidem quòd non factis moralibus cærimonialibus, aut iudicialibus ſecundùm ſe, ſed fidei gratiâ iuſtificamur: Iacobus autem quòd non fide ſterili, ſed fide fœcunda operibus iuſtificamur: vnde patet contrarias non eſſe eorum ſententias.

Fides ſine operibus mortua, quo ſenſu?

Verſ. 24. Videtis igitur quòd ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum.

Verſ. 25. Similiter & Rhaab meretrix nonne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via eiiciens, pro *emittens*?

Verſ. 26. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt. Appellatione *ſpiritus* non ſignificatur anima, ſed halitus, ſeu flatus. Et aptè comparat opera flatui: quemadmodum enim corpus animalis ſi non ſpirat, mortuum eſt, ita fides ſi non parit opus, mortua eſt. Flatus ſiquidem eſt effectus corporis viui: & ſimiliter operatio eſt proprius effectus fidei viuæ. Vnde apparet quo ſenſu ſuperiùs dixerit fidem ſine operibus mortuam eſſe: non quòd ſentiat opera eſſe formam fidei, ſed quòd ſentit opera eſſe concomitantia fidem, ſicut halitus concomitatur vitam corporis.

Opera flatui comparat aptè.

CAPVT III.

Verſ. 1. NOLITE PLVRES, pro *multi*, MAGISTRI FIERI FRATRES MEI. Voluntatem prohibet non magiſterij, ſed multitudinis magiſtrorum, dicendo, *nolite fieri multi magiſtri*. Et rationẽ ſubiungit: SCIENTES QVONIAM, pro *quòd*, MAIVS IVDICIVM SVMITIS, pro *accipiemus*, nos magiſtri. Quod eſt per ſe manifeſtum,

IN MVLTIS ENIM OFFENDIMVS OMNES. Ad excludendam præſumptionem putantium ſe fore magiſtros abſque aliquo lapſu, aſſignat pro ratione maioris iudicij, quia in multis omnes offendimus: vt intelligamus etiam magiſtros labi, & maius expectare iudicium ex affectato magiſterio Eccleſiæ. Verſ. 2.

Etiam magiſtri labũtur

SI QVIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTVS EST VIR. Et vtrobique *offendere* eſt præſentis temporis. Et ſubiungit hoc ad ſignificandum quòd ad minus in ſermone labimur omnes: & ad explicandum quòd non ita dicit omnes, quin aliquis vir perfectus inueniri poſſit qui nec in verbo labitur. POTENS FRÆNO CIRCVMDVCERE TOTVM CORPVS. Non ſolum eſt vir perfectus, ſed etiam potens circumducere totum corpus actionum ſuarum tanquã fræno.

Si quis in verbo non offendit perfectus eſt

Verſ. 3. SI AVTEM, pro *ecce*, FRÆNOS EQVIS IN ORA MITTIMVS AD CONSENTIENDVM NOBIS, pro *vt nobis pareant*, OMNE CORPVS, pro *& omne corpus*, ILLORVM CIRCVNFERIMVS, pro *circumagimus*. Similitudo clara eſt.

Verſ. 4. ET ECCE NAVES CVM MAGNÆ, pro *tantæ*, SINT, ET A VENTIS VALIDIS MINENTVR, pro *à ventis duris vehantur*, CIRCVNFERVNTVR A MODICO GVBERNACVLO, hoc eſt, à temone. QVOCVNQVE IMPETVS DIRIGENTIS VOLVERIT.

Verſ. 5. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat, pro *iactat*, faciẽda, conturbanda, acquirenda, &c. ECCE QVANTVS, pro *exiguus*, IGNIS. Prius aſſimilauit linguam fræno & temoni, modò aſſimilat ipſam exiguo igni. QVAM MAGNAM SYLVAM INCENDIT: Potes legere loco *ſyluam* (& fortè melius) *materiam*. Græca enim dictio ſignificat & ſyluam & materiam.

Verſ. 6. ET LINGVA IGNIS EST. Superfluit *eſt*. VNIVERSITAS INIQVITATIS, pro *mundus iniuſtitiæ*. Sine verbo aliquo in textu Græco habentur hæc. Poteſt nihilominus appoſitiuè dictum intelligi, quòd lingua non ſolùm eſt ignis, ſed mundus iniuſtitiæ: vtpote non vnam, aut plures cõtinens iniuſtitias, ſed mundus iniuſtitiæ, vtpote continens omnes iniuſtitias. Quod eſt verum virtualiter, LINGVA. Deeſt *ſic*. Legendum eſt, *Sic lingua* CONSTITVITVR IN MEMBRIS NOSTRIS, QVÆ MACVLAT TOTVM CORPVS. Duo dixerat de lingua, alterum quòd eſt ignis, alterum quòd eſt mundus iniuſtitiæ. Intendens modò declarare vtrumque, incipit ab vltimo: dicendo quòd ſic, hoc eſt, quemadmodum eſt mundus iniuſtitiæ, ſic eſt lingua conſtituta in membris noſtris: quod hinc apparet quòd maculat totum corpus actionum & paſſionum noſtrarum. Penès hoc ergo aſſimilatur mundo iniuſtitiæ.

Lingua vniuerſitas iniquitatis.

De aſſimilatione verò ad ignem ſubiungit: Et inflammat rotam natiuitatis noſtræ. Superfluit *noſtræ*. Inflãmata à gehenna. pro *& inflammans ſub gehenna*. Vniuerſum vitæ curſum rotam appellat natiuitatis, eâ fortè ratione, quia circulationibus cœleſtibus agitur curſus vitæ noſtræ. Inflammarè autem eſt merita flammæ efficere. Perinde ac dictum fuerit rotam natiuitatis meritoriam flammæ conſtituit. Vnde declarando ſeipſum ſubiungit: & inflammans ſub gehenna: hoc eſt, igne inextinguibili. Lingua ſiquidem ſuis vitiis vniuerſam vitam inflammat non igne huius vitæ, ſed igne gehennæ. Et ſic inflammatio hæc eſt

Vita noſtra curſum vocat rotam natiuitatis.

quidem culpæ quoad merita: eſt autem pœnæ gehennæ quoad futuram executionem.

Verſ. 7. Omnis enim natura & beſtiarum, pro *ferarum*, & volucrum, & ſerpentium, & cetorum, pro *marinorum*, domatur, & domita eſt à natura humana,

Verſ. 8. *Linguã nullus domare poteſt.* Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum, pro *incoercibile*, malum, plena veneno mortifero.

Verſ. 9. In ipſa benedicimus Deum & patrem, & in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei facti ſunt.

Verſ. 10. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri.

Verſ. 11. Nunquid fons de eodem foramine emanat, pro *ſcatebra emittit*, dulcem & amaram aquam?

Verſ. 12. Nunquid poteſt fratres mei ficus vuas, pro *oleas*, facere, aut vitis ficus: ſic nullus fons ſalſam ac dulcem poteſt facere aquam. Similitudines claræ ſunt ad deteſtationem linguæ inductæ.

Verſ. 13. Qvis sapiens et disciplinatvs, pro *& ſcientificus*, inter vos? Hactenus vetuit fieri multos magiſtros Eccleſiæ propter periculum maioris iudicij, & ad hoc attulit vitia linguæ. Modò eandem monitionem proſequitur quoad viros doctos, inſtruendo illos qualiter debeát conuerſari. Et quia rari ſunt viri docti, ideo dicit, *quis ſapiens & ſciens inter vos*? Ostendat ex bona conversatione operationem svam, pro *opera ſua*, in mansvetvdine sapientiæ, ſi quis eſt doctus, non affectet magiſterium, ſed factis conuerſationis ſuæ oſtendat ſapientiam in manſuetudine. Et ſtatim manifeſtat manſuetudinem eſſe comitem ſapientiæ, ad manifeſtandum quod dixerat in manſuetudine ſapientiæ.

Verſ. 14. Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, pro *& contentionem*. Et ibi fiat punctum: deinde ſubiungatur, In corde vestro nolite gloriari. Manſuetudini opponitur intùs æmulatio amara, foris autem contentio. Et ex his contrariis deducit oppoſitum ſapientiæ, excludendo duo vitia. Alterum internum, *Nolite gloriari in corde veſtro*, de ſapientia & ſcientia quam habetis. Alterum externum. Et mendaces esse adversvs veritatem. Inuidia & contentio ad vtrumque ducunt viros doctos: & ad gloriandum intùs, & ad mentiendum foris.

Verſ. 15. *Sapientia terrena.* Non est enim ista sapientia de svrsvm descendens a patre lvminvm. Superfluit *a patre luminum*. Sed terrena, animalis, diabolica, pro *dæmoniaca*, hoc eſt, ſed ab effectu terrenorum, à paſſionibus (quas perturbationes animi vocant) a Dæmone. Iuxta tres partes hominis (corpus videlicet & animam qua ſentimus, & intelllectum quo inflamur: ſcientia enim inflat) triplicem denominationem dedit huic ſapientiæ. Et vltima denominatio a dæmone ſumpta eſt, ne intellectum culpabilem ſignificaret. Intellectus enim in culpa non eſt, ſed abuſus intellectus quo quis de eo inflatur: in quo imitatur dæmonem,

Verſ. 16. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum.

Verſ. 17. *Sapientia cœleſtis.* Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, pro *caſta eſt*, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, pro *ſuaſibilis*, bonis conſentiens. Hæ duæ dictiones ſuperfluunt. Plena misericordia, et frvctibvs bonis, ivdicans sine simvlatione, pro non diiudicans, & non ſimulans. Diiudicare inconſtantiæ eſt: nam eſt contraria iudicia efficere, quod conſtat ſpectare ad inconſtantiam: quæ comes declarata eſt ſapientiæ terrenæ, &c:

Verſ. 18. Frvctvs avtem ivstitiæ in pace seminatvr facientibvs pacem. Dixerat ſapientiã è ſupernis deſcendentem plenam fructibus bonis. Et quoniam fructus boni ad iuſtitiam ſpectant, iunctam eſſe ſapientiam iuſtitiæ ſubiungit: dicendo quòd fructus iuſtitiæ ſeminatur in pace à ſapientia: nam de illa dictum eſt, quòd incipit à caſtitate, & terminatur ad eſſe pacificum: quod eſt eſſe factricem pacis. Idem ergo eſt fructus iuſtitiæ, & fructus ſapientiæ: vtpote ſeminatus in pace.

CAPVT IV.

Verſ. 1. Vnde bella et lites, pro *& pugnæ*, in vobis? nonne ex concvpiscentiis, pro *nonne hinc*: & poſtea appoſitiuè ſubiungendum eſt, Ex volvptatibvs vestris. Delectationem ſiquidem prima principia ſunt & pugnarum & bellorum, &c. Qvæ militant in membris vestris. Imperando membris humanis ad bella & lites & ſimilia, delectationes militant in membris humanis,

Verſ. 2. *Vanitatem paſſionum & actionum humanarũ deſcribit per cõcupiſcentiam, inuidiam, pugnam.* Concvpiscitis et non habetis. Vanitatem paſſionum & actionum humanarum deſcribit per hæc tria: concupiſcentiam, inuidiam, pugnam. Occiditis et zelatis, pro *inuidetis & æmulamini*, vt inuidia referatur ad triſtitiam interiorem: æmulatio autem ad conatum conformem inuidiæ. Litigatis et belligeratis, pro *pugnatis & bellatis*, et non habetis propter qvod non postvlatis, pro *propterea quod non poſtulatis*, Ratio redditur quare hæc omnia vana ſint, quia non innituntur poſtulationi à Deo: hoc eſt, quia innituntur viribus tantùm humanis, & non habetur ratio diuinæ gratiæ. Vnde & Ioſue errauit cum Gabaonitis fœdus feriendo, quia os Domini non conſuluit: vt ibidem dicitur.

Verſ. 3. Petitis et non accipitis, eo qvòd male petatis, vt in concvpiscentiis vestris insvmatis, pro *vt in voluptatibus veſtris inſumatis*: hoc eſt, perficiatis veſtra omnia. Hic enim finis efficit, vt quamuis petamus à Deo, male petamus: vtpote non ad hoc, vt perficiatur voluntas diuina, ſed vt perficiatur voluntas noſtra. Oportet enim ſupplicando præferre voluntatem diuinam noſtræ: alioquin malè petitur.

Verſ. 4. *Amicitia mundi, inimico Deo.* Advlteri. Deeſt *& adulteræ*, nescitis qvia, pro *quòd*, amicitia hvivs mvndi. Superfluit *huius*, Inimica est Deo, pro *inimicitia*

Dei

Dei eſt? Et interrogatiue legendum eſt. Quod autem dicit, *adulteri & adulteræ*, de adulterio animæ quo anima relicta adhæſione ad Deum adhæret mundo, intelligendum teſtantur ſubiuncta de amicitia mundi & inimicitia Dei.

QVICVMQVE ERGO VOLVERIT AMICVS ESSE SECVLI HVIVS, pro *mundi*, INIMICVS DEI CONSTITVITVR.

Verſ. 5. AN PVTATIS QVIA, pro *quòd*, INANITER SCRIPTVRA DICAT, AD INVIDIAM CONCVPISCIT SPIRITVS QVI HABITAT, pro *habitauit*, IN VOBIS? Et Exodi vigeſimo cap. ſumpta eſt hæc ſententia. Vbi Deus primò dicit eſſe Deum qui eduxit de terra Ægypti: quod iſte dicit, *habitat in vobis*. Deinde ſubdit, *Ego ſum Deus zelotes*: quòd iſte dicit *ad inuidiam concupiſcit ſpiritus*. Deus enim ſpiritus eſt: vt dicitur Ioannis quarto. Et directè ad propoſitum contra adulteros & adulteras tendit: ſignificans quòd Deus more zelotypi inuidet mundo trahenti animas ſibi fide deſponſatas ad ipſius mundi amicitiam, & Dei inimicitiam. Non putetis, inquit vanè ſcriptum eſſe hoc, quòd diuinus ſpiritus concupiſcit ad inuidiam zelotypiæ: quoniam hoc eſt ſcriptum ad ſignificandum tum amicitiam mundi eſſe inimicitiam Dei, tum ad ſignificandum vindictam diuinam conſequentem huiuſmodi zelum. Et aptè ſubiungitur,

Deus Zelotes, quomodo?

Verſ. 6. MAIOREM AVTEM DAT GRATIAM: nam & ibidem in Exodo ſubiungitur, *Faciens miſericordiam in millia iis qui diligunt me*. Relatiuè ad adulteros & adulteras dicitur, quòd ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, non qui habitat, ſed qui habitauit olim in vobis: relatiuè autem ad amicos Dei dicitur, *maiorem autem dat gratiam*, maiorem proculdubio quàm mereantur. PROPTER QVOD DICIT. Prouerbiorum tertio: DEVS SVPERBIS RESISTIT, HVMILIBVS AVTEM DAT GRATIAM. Aut Iacobus alia tranſlatione vſus eſt, aut ſenſum attulit. Nam in calce illius capituli dicitur, *ipſe deludet illuſores, & manſuetis* (ſeu humilibus) *dabit gratiam*. Illuſores diuinorum proculdubio ſuperbi ſunt: & plus eſt illudere illis, quàm reſiſtere eiſdem. Et hæc ſententia ad confirmationem affertur allatæ prius doctrinæ de diuino zelo reſpectu amicorum mundi, & diuina gratia reſpectu amicorum Dei. Qui enim prius dicti ſunt amici mundi, modò dicuntur ſuperbi: & qui prius dicti ſunt amici Dei, modò dicuntur humiles.

Amici mũdi, ſuperbi: Amici Dei, humiles.

Verſ. 7. SVBDITI ERGO ESTOTE DEO: RESISTITE AVTEM DIABOLO, ET FVGIET A VOBIS. Magna gratia, vt ſola reſiſtentia ſufficiat ad fugiendum diabolum.

Verſ. 8. APPROPINQVATE DEO, ET APPROPINQVABIT VOBIS. Non quòd noſtra appropinquatio præueniat Dei gratiam ſimpliciter & abſolute: ſed appropinquatio noſtra effectus gratiæ præuenientis, præuenit hanc ſpiritualem gratiam appropinquationis diuinæ, vel per gratiam gratum facientem, vel per augmentum gratiæ.

EMVNDATE MANVS, hoc eſt, omnia organa operandi, à malis operibus. PECCATORES: ET PVRIFICATE CORDA DVPLICES ANIMO.

Verſ. 9. MISERI ESTOTE, pro *affligite vos*. Hæc omnia quæ ſequuntur, deſcribunt ſtatum pœnitentialem. Et lugete & plorate: riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem,

Status pœnitentialis.

Humiliamini in conſpectu Domini; Verſ. 10.
& exaltabit vos.

Nolite detrahere alterutrum, pro *inuicem*, Verſ. 11.
fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, ſed iudex. Directè verificatur hæc ſententia detractione & iudicio, qua bonum opus vituperatur, aut damnatur: quia bonum opus lege probatur: ac per hoc ſi vituperatur aut damnatur, damnatur & vituperatur lex. Et talis detrahens aut iudicans, veriſſimè eſt iudex legis, non executor. Iudex autem facto, non authoritate, aut intentione. Et quoniam facto vſurpat ſibi iudicium legis, exaggeratur eius crimen ex hoc, quòd vnus tantùm eſt legiſlator dicendo:

Detractionem & iudicium inhibet.

VNVS EST ENIM LEGISLATOR ET IVDEX. Su- Verſ. 12.
perfluit *enim*: ſuperfluunt *& iudex*. QVI POTEST PERDERE ET LIBERARE, pro *ſeruare & perdere*.

TV AVTEM QVIS ES QVI IVDICAS PROXIMVM Verſ. 13.
TVVM, pro *tu es qui iudicas alium*? ECCE NVNC, pro *age nunc*.

Qui dicitis, hodie aut craſtino, pro *ho-* Verſ. 14.
die & cras, ibimus in hanc ciuitatem: & faciemus ibi annum vnum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtinum, pro *poſtero die*.

Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad Verſ. 15.
modicum apparens, & deinceps exterminabitur, pro *& deinde euaneſcens*, Pro eo vt dicatis, pro *pro eo quod dicere debuiſtis*, Si Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc aut illud.

Nunc autem exultatis, pro *gloriamini*, in Verſ. 16.
ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio, pro *gloriatio*, talis maligna, pro *mala*, eſt.

Scienti igitur bonum facere, & non Verſ. 17.
facienti, peccatum eſt illi. De bono debito ſententia hæc verificatur: non de bono ſupererogationis.

CAPVT V.

AGite nunc diuites, plorate vlu- Verſ. 1.
lantes in miſeriis veſtris quæ
aduenient vobis.

Diuites acrius monet.

Diuitiæ veſtræ putrefactæ Verſ. 2.
ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt,

Aurum & argentum veſtrum ærugi- Verſ. 3.
nauit: & ærugo, eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. E regione culpæ diuitũ quoad hoc quòd potius rodi faciunt veſtimenta à tineis, & argentum æruginare, quàm communicent proximis, locat pœnam, quòd carnes eorũ comedentur tanquam ab ærugine, & tinea velut ab igne. Et hoc vltimum tanquam ignis expreſſiuè intelli-

intelligendum eſt: hoc eſt, quòd ignis comedet carnes eorum, non tamen conſumendo. THESAVRIZATIS VOBIS IRAM IN NOVISSIMIS DIEBVS. Superfluit *iram*. De theſauro rerum quæ
Diuitum ſcelera. ſunt ad vſum eſt ſermo. Et è regione culpę theſaurizantis pro ſenectute, locatur clamor operariorum quibus non eſt ſoluta merces.

Verſ. 4. Ecce merces operariorium qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata, pro *ablata*, eſt à vobis, clamat: & clamor, pro *clamores*, eorum in aures Domini Sabaoth introiuit, pro *introierunt*.

Verſ. 5. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra, pro *deliciati eſtis in terra, & laſciuiſtis, & enutriſtis corda veſtra*, laſciuiis & deliciis. IN DIE OCCISIONIS, pro *vt in die mactationis*, hoc eſt, vt in die feſtu, in quo mactabatur hoſtia.

Verſ. 6. ADDIXISTIS, pro *condemnaſtis*, ET OCCIDISTIS IVSTVM, ET NON RESTITIT, pro *reſiſtit*, VOBIS. Pręſentis temporis eſt; non *iuſtum*, ſed *Deum* refert. Iuſtus enim occiſus non poteſt reſiſtere: ſed Deus poteſt reſiſtere, & non reſiſtit, ſed permittit abire impunè in hac vita. Vnde & infert,

Verſ. 7. PATIENTES, pro *longanimes*, IGITVR ESTOTE FRATRES VSQVE AD ADVENTVM DOMINI, quo occiſos iuſtos vindicabit, & vobis pręmia ęterna dabit. ECCE AGRICOLA EXPECTAT PRETIOSÆ FRVCTVM TERRÆ, PATIENTER FERENS, pro *longanimis in illum*, proculdubio fructum, vel in illum cœleſtem agricolam. DONEC ACCIPIAT TEMPORANEVM ET SEROTINVM, pro *donec accipiat pluuiam tempeſtiuam & ſerotinam*. Similitudo clara eſt.

Verſ. 8. PATIENTES, pro *longanimes*, IGITVR ESTOTE ET VOS, ET CONFIRMATE CORDA VESTRA: QVONIAM ADVENTVS DOMINI APPROPINQVABIT, pro *appropinquauit*.

Verſ. 9. NOLITE INGEMISCERE FRATRES IN ALTERVTRVM, pro *iuxta inuicem*. Et eſt ſenſus: ne aliquis ingemiſcat relatus ad alium fratrem: puta comparando ſe ad eum qui minus patitur, & tamen æquè, aut magis meretur pati, & ſic de ſimilibus. VT NON IVDICEMINI, vt inde non incurratis iudicium vltionis diuinæ. ECCE IVDEX ANTE IANVAM ASSISTIT.

Verſ. 10. Exemplum accipite fratres exitus mali, pro *afflictionis*, & longanimitatis prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.

Verſ. 11. Ecce beatificamus, pro *beatos dicimus*, eos qui ſuſtinuerunt, pro *ſuſtinent*. Sufferentiam, pro *patientiam*. Iob audiſtis, & finẽ Domini vidiſtis, quoniam, pro *quod*, MISERICORS. Deeſt *valde*. Legendum eſt, *Quod valde miſericors* EST DOMINVS AC MISERATOR. Et eſt ſermo de fine Domini, quo terminauit ea quæ contigerunt Iob. Reſtituit ſiquidem ei filios & filias, & duplicauit facultates: hoc fine vidimus, quòd valde miſericors & miſerator eſt Dominus erga patientes.

Verſ. 12. Ante omnia autem fratres mei nolite
Prohibet iuramenta. iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcũque iuramentũ. Hoc qualiter ſit intelligendum, in Euangeliis declaratum eſt.

SIT AVTEM SERMO VESTER EST EST, NON NON, pro *ſit autem veſtrum etiam etiam, & non non*. Et ſententia eſt clara ſi rectè puncta fiant. Cùm enim dicitur, *ſit veſtrum etiam, etiam*, ordo literæ eſt, veſtrum etiam ſit etiam: & veſtrũm non ſit non. Vnde rationem ſubiungit, VT NON SVB IVDICIO DECIDATIS, pro *vt non in ſimulatione decidatis*. Si meum *etiam* non eſt *etiã*, in ſimulationem incido: & ſimiliter ſi meum *non*, non eſt *non*, in ſimulationem incido.

TRISTATVR, pro *affligitur*, ALIQVIS INTER Verſ. 13.
VOS? ORET. Remedium afflictionis dicit recurſum ad Deum orando. ÆQVO ANIMO EST PSALLAT. Deprauata eſt litera Latina & mutila. Legendum eſt:

ÆQVO ANIMO EST ALIQVIS? PSALLAT. Affli- Verſ. 14.
cto dixit vt oret: æquo animo verò exiſtenti, dicit vt pſallat gratias agendo Deo.

Infirmatur quis in vobis? inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini.

Et oratio fidei ſaluabit infirmum: & Verſ. 15.
alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis *De qua vnctione hic loquatur?*
ſit, remittentur ei. Nec ex verbis, nec ex effectu verba hæc loquuntur de ſacramentali vnctione Extremæ vnctionis: ſed magis de vnctione quam inſtituit Dominus Ieſus in Euangelio, à diſcipulis exercendam in ægrotis, Textus enim non dicit infirmatur quis ad mortem, ſed abſolutè *infirmatur quis*, & effectum dicit infirmi alleuiationem: & de remiſſione peccatorum non niſi conditionaliter loquitur, cùm Extrema vnctio non niſi prope articulum mortis detur, & directè (vt eius forma ſonat) tendit ad remiſſionem peccatorum. Præter hoc quòd Iacobus ad vnum ęgrum multos Presbyteros tum orantes, tum vngentes, mandat vocari: quod ab Extremæ vnctionis ritu alienum eſt.

CONFITEMINI ALTERVTRVM, pro *inuicem*, Verſ. 16.
PECCATA VESTRA. Superfluit *veſtra*. Nec eſt ſer- *De qua confeſſione eſt hic ſermo?*
mo de confeſſione ſacramentali: vt patet ex eo quod dicit, *confitemini inuicem*. Sacramentalis enim confeſſio non fit inuicem, ſed Sacerdotibus tantum: ſed de confeſſione, quâ mutuo fatemur nos peccatores vt oretur pro nobis: & de confeſſione hinc & inde erratorum, pro mutua placatione & reconciliatione.

ET ORATE PRO VOBIS INVICEM, VT SALVEMINI, pro *vt ſanemini*. Ægritudo animi communis eſt omnibus. Et propterea dicendo, *orate pro vobis inuicem vt ſanemini*, de ægritudine animi loquitur. MVLTVM ENIM VALET DEPRECATIO IVSTI ASSIDVA, pro *agens*, ad differentiam deprecationum quæ fiunt non ad hoc vt agatur aliquid, ſed ad propriæ animæ ſalutem, dicitur *deprecatio agens*. Vnde & inducitur oratio Eliæ ad cohibendum & dandum pluuiam.

Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: Verſ. 17.
& oratione orauit vt nõ plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & mẽſes ſex.

Et rurſum orauit: & cœlum dedit plu- Verſ. 18.
uiam, & terra dedit fructum ſuum.

Fratres mei ſi quis ex vobis errauerit Verſ. 19.
à veritate, & conuerterit quis eum,

Sciat quòd qui conuerti fecerit pecca- Verſ. 20.
torem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animã eius à morte & operit, pro *operiet*, MVLTITVDINEM PECCATORVM, ne videantur ab æterno iudice ad pœnam æternam.

Caietæ die 3. Iunij 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM D. PETRI PRIOREM, COMMENTARII.

PRIMA BEATI PETRI APOSTOLI EPISTOLA.

De qua nullus vnquam dubitauit, an ſit Petri.

CAPVT I.

Verſ. 1. PETRVS APOSTOLVS IESV CHRISTI. Nomine quod Chriſtus ei impoſuit, vtitur ſolo. Non enim dicit Simon Petrus, ſed Petrus. Et ne hęſitetur quis Petrus ſit, explicat ſe Apoſtolum Ieſu Chriſti. ELECTIS ADVENIS DISPERSIONIS PONTI, GALATIÆ, CAPPADOCIÆ, ASIÆ, ET BITHYNIÆ. Eſſe aduenam apud has prouincias, ſufficienter indicat eſſe ibidem diſperſos. Et propterea eſſe aduenam hoc in loco peregrinationem ſignificat reſpectu cœleſtis patriæ. Dauid enim ſeipſum ſic appellauit peregrinū cum omnibus patribus ſuis. Et iuxta hoc Petrus dicit electis peregrinis: vt electio beneficium indicet diuinum, peregrinatio autem vſum electionis. Proprium enim eſt electorum viuere in hoc mundo tanquam peregrinos. Electis autem in his prouinciis, quoniam Iudæis habitantibus in his prouinciis prædicauerat, vt Hieronymus dicit in libro de viris illuſtribus. Et ad ſignificandum quòd Iudæis qui crediderunt in Ieſu fidem, ſcribit, dicit *diſperſionis:*

Aduenā eſſe quid hic ſignificet

Verſ. 2. SECVNDVM PRÆSCIENTIAM DEI PATRIS. Rationem tanti beneficij (videlicet quòd ſint electi peregrini) redditurus ex ſingulis Trinitatis perſonis, incipit à perſona Patris. Et ne eorum electio repentina credatur, dicit *electis ſecundum præſcientiam Dei patris.* IN SANCTIFICATIONEM, pro *in ſanctificatione,* SPIRITVS Ecce perſona Spiritus ſancti. Quamuis etiam ſpiritus ſignificare poſſit rem ſanctificatam: vt ſit ſenſus: Electis in ſanctificatione non corporis, ſed ſpiritus: quamdiu enim peregrinamur, licet ſanctificatus ſit ſpiritus noſter, manet tamen caro peccati. IN OBEDIENTIAM ET ASPERSIONEM SANGVINIS IESV CHRISTI. Ecce perſona filij. Et explicat ſanctificationem electorum fieri per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Dómini noſtri Ieſu Chriſti. Obedientiam dicit ex parte animæ. Factus eſt enim obediens vſque ad mortem. Aſperſionem verò ſanguinis dicit ex parte corporis eiuſdem Domini noſtri.

GRATIA VOBIS, ET PAX MVLTIPLICETVR. Gratia initium diuinorum donorum, pax terminus eorundem omnia media comprehendunt. Vbi & vide eàdem vſos ſalutatione Petrum & Paulum in ſuis epiſtolis: vt merito concludere poſſimus ex gratia, & pace conſtare ſalutationem Apoſtolicam.

Gratia initium, Pax, terminus diuinorum donorum.

BENEDICTVS DEVS, ET PATER DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: QVI SECVNDVM MISERICORDIAM SVAM MAGNAM, pro *multam,* proculdubio effectiuè: hoc eſt multorum effectricem. Verſ. 3.
REGENERAVIT NOS IN SPEM VIVAM. Ad ſimilitudinem differentiæ inter aquam viuam, & aquam mortuam dicit in ſpem viuam, ad differentiam ſpei mortuæ. Et eſt ſermo de regeneratione baptiſmali. Per baptiſmum enim renaſcimur ſpe viuâ, ſpe ſemper ſcaturiente. Et vnde oriatur hæc ſpes viua ſubiungit,

PER RESVRRECTIONEM IESV CHRISTI EX MORTVIS. Si enim Chriſtus non reſurrexit (ſicut inquit Paulus) inanis eſt omnis ſpes noſtra.

IN HÆREDITATEM INCORRVPTIBILEM. Res Verſ. 4.
ſperatas explicat in ſpem viuam hæreditatis. Et hoc refertur ad id quod dixerat *regenerauit.* Filiis enim debetur hæreditas: *incorruptibilem* autem dicit ad ſignificandum quòd nunquam eſt finienda. ET INCONTAMINATAM: nihil enim inquinationis compatitur: & propterea nullus coinquinatus accipiet illam. ET IMMARCESCIBILEM, vt intelligamus incorruptibilem ſecundum

dum ſubſtantiam, immarceſcibilem autem ſecundum perfectionem. CONSERVATAM IN COELIS IN VOBIS, pro *in vos*. Hæreditas electorum non in terris, ſed in cœlis ſeruatur, nimirum æterna beatitudo. Seruatur autem in vos electos: hoc eſt, non ſeruatur in cœlis otioſe, aut abſolute, vt theſauri occulti; ſed in vos transferenda. Et ſignificanter dicit *in vos*: non in veſtram poteſtatem: vt intelligamus quòd hæreditas illa intra noſipſos erit.

Verſ. 5. QVI IN VIRTVTE DEI CVSTODIMINI PER FIDEM. Pondera conditionem electorum quòd per fidem in anima cuſtodiuntur a malis animæ, non in virtute propria, ſed in virtute Dei. Cuſtodiuntur autem. IN SALVTEM PARATAM REVELARI IN TEMPORE NOVISSIMO. Plena ſalus tecta quodammodo eſt vſque ad tẽpus vniuerſalis iudicij, ſed tunc detegetur, & ex nunc parata eſt vt tunc detegatur, cum ſalus animarum & corporũ immortalium & glorioſorum manifeſta erit omnibus.

Plena detegetur in die Iudicij.

Verſ. 6. IN QVO EXVLTABITIS, pro *exultatis*, ſeu potius *exultate*. Dictio enim Græca anceps eſt ad *exultatis*, vel *exultate*: ſubiunctis autem magis quadrat *exultate*. Monet enim vt ex nunc exultent in ſpe illius nouiſſimi temporis. MODICVM NVNC SI OPVS EST AFFLIGI VARIIS TENTATIONIBVS. Quadrat monitioni *exultate* in ſpe nouiſſimi temporis, *modicum nunc affligi ſi opus eſt variis tentationibus*. Rationem tangit exultandi ſpe futuræ felicitatis perpetuæ, ex eo quòd modicum nunc (quod comprehendit vniuerſum vitæ præſentis tempus) affligemini variis afflictionibus ſi opus eſt. Et quare opus ſit ſubiungit,

Verſ. 7. VT PROBATIO FIDEI VESTRÆ MVLTO PRETIOSIOR SIT AVRO QVÒD PER IGNEM PROBATVR. Superfluit *ſit*, & deficiunt tres dictiones. Legendum eſt, *quod perditur, & tamen per ignem probatur*. Et quoniam caret verbo, iungendum eſt, INVENIATVR IN LAVDEM ET GLORIAM ET HONOREM. Clara redditur ratio quare variis tentationibus nunc affligimur, vt fides probata inueniatur multò pretioſior auro, digna laude, digna gloria, & digna honore. Et infertur ratio à minori, quòd ſi aurum quod perit examinatur per ignem, fides quæ permanet multo magis probanda eſt. Intellige autem fidem permanere quoad effectum: æternã ſcilicet ſalutẽ.

IN REVELATIONE IESV CHRISTI. Tempus deſcribitur quando fides probata inuenietur in honore & gloria: videlicet quando reuelabitur Ieſus Chriſtus, qui nunc velut interſtitio cœli tegitur nobis.

Verſ. 8. QVEM CVM NON VIDERATIS DILIGITIS? IN QVEM NVNC QVOQVE NON VIDENTES CREDITIS, CREDENTES AVTEM EXVLTABITIS, pro *in quem nunc non videntes, credentes tamen exultatis*. Non ſolùm diligere, ſed & credere & exultare abſque viſione affirmat. Quos actus experientia in viris perfectis teſtatur.

LÆTITIA INENARRABILI ET GLORIFICATA. Internum perfectorum gaudium in Chriſto eſt inenarrabile (quod nemo nouit niſi qui accipit) eſt & glorificatum, tum ex parte materiæ: quia de glorificato Ieſu: tum ex parte formæ, quia eſt participatio quædam glorioſi gaudij.

Perfectorum gaudium in Chriſto eſt.

Verſ. 9. REPORTANTES FINEM FIDEI VESTRÆ SALVTEM ANIMARVM, credendo, diligendo, exultando in Chriſto, reportatis fructum fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.

Verſ. 10. De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ qui de futura in vos gratia prophetauerunt. Superfluit futura, & legendum eſt, QVI DE IN VOS GRATIA PROPHETAVERVNT. Et eſt ſenſus, qui de gratia Dei erga & intra vos prophetauerunt.

Verſ. 11. SCRVTANTES IN QVOD VEL QVALE TEMPVS. Conditiones temporis aduentus Meſſiæ prophetæ quodammodo ſcrutati ſunt, diuerſas ſuſcipiendo reuelationes de conditionibus eiuſdem temporis. Vnde Eſaias tempus pacis, Daniel tempus poſt tot hebdomadas, Iacob tẽpus ſceptri Iudæ, &c. prædixit. SIGNIFICARET IN EIS SPIRITVS CHRISTI. Ordo literę eſt. Chriſti ſpiritus in eis, ſubaudi exiſtens ſignificaret, vel in quod vel quale tempus Chriſti ſpiritus in eis exiſtens ſignificaret. Omnia enim tẽpora Chriſti ſunt: ſed in quod vel quale tẽpus ipſius ſpiritus propheticus in eis exiſtens ſignificaret ſalutem venturam, ſcrutati ſunt. PRÆNVNTIANS EAS QVÆ IN CHRISTO SVNT PASSIONES, ET POSTERIORES GLORIAS. Duo præcipuè prænuntiauit ſpiritus prophetarum: alterũ conſiſtit in afflictionibus Chriſti: alterum in gloriis cõſecutus eſt Chriſtus ex ſuis afflictionibus. Et dicit pluraliter *glorias*: quoniam multas meruit glorias: puta corporis immortalis, aſcenſionis in cœlum, iudicij mundi, &c.

Verſ. 12. QVIBVS REVELATVM EST. Prophetæ referũtur per relatiuum. QVIA. pro, *quod*. NON SIBIMETIPSIS, VOBIS AVTEM. pro, *ſed vobis*, MINISTRABANT EA QVÆ NVNC NVNTIATA SVNT VOBIS. myſteria Verbi incarnati, mortui, ac quòd reſurrexit ex mortuis, &c. hoc eſt: fuit illis reuelatum quod non eorum tempore, ſed veſtro tempore huiuſmodi myſteria implerentur. PER EOS QVI EVANGELIZARVNT VOBIS. Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in die Pentecoſtes. IN QVEM. pro, *in quæ*, DESIDERANT ANGELI PROSPICERE, in quæ myſteria Verbi incarnati, & felicitatis perpetuæ vobis euangelizata deſiderant Angeli proſpicere. Et quidem quoad ea myſteria quæ iam impleta ſunt Angeli proſpicere deſiderant, non eo quod careant viſione eorũ, ſed eo quod ſine faſtidio perſeuerant videndo. Quoad myſteria verò adhuc nõ completa, ſed complenda in reſurrectione generali, Angeli proſpicere deſiderant, eo quod non vident ea, & cupiunt illa impleri & videre.

Verſ. 13. PROPTER QVOD SVCCINCTI LVMBOS MENTIS VESTRÆ. Intellectum & voluntatem lumbos mentis appellat: & ad ſimilitudinem lumborũ corporalium præparari iubet tanquam ſuccinctione. Præparantur autem virtutibus. Vnde ſuccinctionem explicans ſubdit. SOBRII PERFECTI. pro, *perfecte*. SPERATE IN EAM QVÆ OFFERTVR VOBIS GRATIAM IN REVELATIONEM, pro, *in reuelatione*, IESV CHRISTI. Sobrietas intelligẽtię & ſpes cui nihil deſit ex parte ſperantis, ſuccingunt mentem ad adipiſcendum gratiam quæ electis offertur habendam in manifeſtatione Ieſu Chriſti: quæ eſt gratia felicitatis æternæ tam animæ quam corporis.

Verſ. 14. QVASI FILII OBEDIENTIÆ. Nõ ſufficit ſobrietas, atque perfecte ſperare, niſi adſit virtutum omnium parẽs obedientia. Non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis. pro, non accommodantes vos prioribus ignorantiæ

rantiæ veſtræ concupiſcentiis. Peiores concupiſcentiæ ſpectantes ad ſtatū ignorantiæ, ſunt concupiſcentiæ carnales, quas ſtatus legis veteris non plene refrænabat: quæ tempore reuelatæ gratiæ manifeſtatæ ſunt omnibus. Vnde & ſubdit.

Verſ. 15. **Sed ſecundum eum qui vocauit vos ſanctum.** pro, ſed quemadmodum is qui vos vocauit ſanctus eſt, ITA ET IPSI SANCTI IN OMNI CONVERSATIONE SITIS. Hinc apparet quod de immundis concupiſcentiis fuit ſermo: nam ſanctum opponitur immundo.

Verſ. 16. QVONIAM SCRIPTVM EST. Leuit. 19. SANCTI ERITIS, QVONIAM EGO SANCTVS SVM. Hinc apparet Petrum Apoſtolum ſentire quod Ieſus qui vocauit iſtos ad fidem, eſt ille vetus Deus qui dicit in Leuitico: ſancti eritis quoniam ſanctus ſum.

Verſ. 17. **Et ſi patrem inuocatis eum qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus.** Non ſolum à ſanctitate Ieſu, ſed à paternitate eiuſdem rectiſſimi iudicis, monet ad conuerſandum in timore filiali. Vnde litera ſic diſtinguenda eſt. IN TIMORE, INCOLATVS VESTRI TEMPORE CONVERSAMINI. Totum tempus præſentis vitæ, tempus peregrinationis noſtræ appellat: & conuerſandū in timore filiali toto hoc tempore monet, ex eo quòd iudicem noſtrum inuocamus,

Verſ. 18. **Scientes quòd nō corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis:**

Verſ. 19. **Sed pretioſo ſanguine quaſi agni incōtaminati & immaculati Chriſti.** Conuerſationem legalem iuxta legem Moyſi appellat conuerſationem vanam paternæ traditionis: hoc eſt à patribus traditā. Vanam autem ad finem vitæ æternæ: opera ſiquidem legalia tam moralia quàm iudicialia, quam cęrimonalia ſecundū ſe non iuſtificabant animas remittendo peccata. & propterea vana dicuntur ad finem, qui eſt ſalus animarum. De hac enim vana conuerſatione redempti erant Iudæi facti Chriſtiani, non auro vel argēto, ſed pretioſo ſanguine Ieſu Chriſti tanquā agni incontaminati & immaculati: cuius ſanguine redēpti ſunt filij Iſrael de ſeruitute Ægyptiaca in nocte qua Angelus percuſſit Ægyptios.

Opera legalia cur dicuntur vana.

Verſ. 20. **Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem: manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos.**

Verſ. 21. **Qui per ipſum fideles eſtis in Deo.** pro, *credidiſtis in Deū*, QVI SVSCITAVIT EVM A MORTVIS, ET DEDIT EI GLORIAM proculdubio non ſolum corporis, ſed nominis: vt inuocatione nominis Ieſu tot mirabilia fiant. VT FIDE VESTRA AC SPES ESSET IN DEVM. nō purū hominē.

Verſ. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES. pro, *qui animas veſtras caſtificatis*, IN OBEDIENTIA. pro, *obedientiam*, CHARITATIS. pro, *veritatis*. Deſunt duæ dictiones. PER SPIRITVM. Rectè accommodat caſtigationem animarum in obedientiam veritatis: animæ enim eſt verum imitari. Et ad excludendam coactionem humanamque authoritatem, dicit, per ſpiritum. IN FRATERNITATIS AMORE. Ad aliam tranſit monitionem, vt intelligamus non ſufficere ad ſalutem quaſcunque virtutes erga Deum & Chriſtum, niſi adſit proximorum dilectio. Et deſunt hîc duæ dictiones. NON SIMVLATO. Et tunc ſequitur, SIMPLICI. pro, *puro*, EX CORDE INVICEM VOS DILIGITE ATTENTIVS. pro, *intenſe*.

RENATI NON EX SEMINE CORRVPTIBILI, SED Verſ. 23.
INCORRVPTIBILI. Quod in principio huius Epiſtolæ dixerat *qui regenerauit nos*, modò declarat explicando modum quo renati ſumus. Explicat autem penès differentiam ad ea quæ generantur naturaliter. vnde dicit renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili. Quæ natura generat, generat per ſemen, & illud corruptibile: vos quidem renati eſtis per ſemen, ſed incorruptibile. Quod autem ſit hoc ſemen incorruptibile, ſubiungit: PER VERBVM DEI VIVI ET PERMANENTIS IN ÆTERNVM,

QVIA OMNIS CARO VT FOENVM. Vtrúmque Verſ. 24.
declarat, & corruptibile & incorruptibile: corruptibile quidem ex verbis Eſa. 40. ET OMNIS GLORIA EIVS. pro, *hominis*, TANQVAM FLOS FOENI. Sententia eſt clara. EXARVIT FOENVM, ET FLOS EIVS DECIDIT.

SED VERBVM DOMINI MANET IN ÆTERNVM. Verſ. 25.
Et declarando de quo verbo loquitur, ſubiungit: HOC EST AVTEM VERBVM QVOD EVANGELIZATVM EST IN VOS. Verbum non pro ipſa voce, ſed pro re ſignificata accipit. Ieſus Chriſtus Deus & homo, crucifixus, mortuus, ſepultus, qui reſurrexit, &c. eſt verbum euangelizatum quod manet in æternum: & ipſum eſt ſemen incorruptibile ex quo renati ſumus.

CAPVT II.

DE ponentes igitur omnem ma- Verſ. 1.
litiam & omnem dolum, & ſimulationes & inuidias, & omnes detractiones.

Sicut modo geniti infātes rationabiles. Verſ. 2.
pro, *rationabile*, SINE DOLO LAC CONCVPISCITE. Duas lactis conditiones explicat: altera quod ſit rationabile: altera quod ſit doli expers. Et lac quidem appetendum conſonat ſimilitudinis infantiæ: eſſe autem rationabile, ad differentiam non ſolum lactis corporei, ſed etiam lactis indifferentis. Intendit enim quod prima rudimenta quæ ſunt lac, ſint conformia rationi rectæ: & non ſint vana aliqua. *Sine dolo* autē prima rudimenta tunc ſunt, quādo ſub eis non tegitur mali aliquid. Lac itaque rationabile reſpectu intellectus, & expers doli reſpectu voluntatis concupiſcendum mandatur: vt paſcatur mens & non fallatur,

Lactis Euangelici duæ cōditiones.

VT IN EO CRESCATIS IN SALVTEM. Superfluit *in ſalutem*. Ratio appetendi rationabile & expers doli lac, eſt augmentum proculdubio animi in eſſe gratiæ.

SI TAMEN GVSTATIS. pro, *ſiquidem guſtatis*. Verſ. 3.
Affirmantis eſt quod guſtarunt. QVONIAM. pro, *quòd*, DVLCIS. pro, *benignus*, EST DOMINVS. In gratia baptiſmali remiſſiua peccatorum guſtant adulti quod Dominus ſit benignus, abſque vllis meritis baptizati condonans peccata.

AD QVEM ACCEDENTES LAPI- Verſ. 4.
DEM VIVVM. Dixerat vt in eo creſcatis, declarat modò illud augmentum tranſeundo ad aliam metaphoram, ex metaphora enim naturalis

ralis nutrimenti tranſit ad metaphoram artificialis augmenti. Et vtitur metaphora lapidis angularis ex Eſa. 28.c. Ab hominibus quidem reprobatum: à Deo autem electum & honorificatum. pro, *& pretioſum.* De Ieſu Chriſto loquitur qui ab hominibus reprobatus eſt in paſſione ſua, qui eſt lapis: lapis quidem ſtabilitate ſolida, viuus autem in æternum. Quem conſtat à Deo eſſe electum, & in pretio habitum ſupra omnes creaturas.

Verſ. 5. Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales. pro, *domus ſpiritualis.* Nominatiuus eſt ſingularis numeri, appoſitiuè explicás quid ipſi lapides viui ædificantur, videlicet domus ſpiritualis, in qua habitat ſpiritus ſanctus. Hæc eſt domus Dei quæ vocatur Eccleſia. IN SACERDOTIVM SANCTVM. Superfluit *in.* Et eſt etiã nominatiui caſus per appoſitionem adiunctum. Non ſolum ædificamini domus ſpiritualis, ſed etiam ſacerdotium ſanctum.

Male hinc infertur omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes.

Aduerte hîc prudens lector, ne in hæreticorum laqueum incidas, dicentium ex hoc loco Chriſtianos omnes eſſe propriè ſacerdotes. Deprehende cæcitatem iſtorum ex hoc quòd eodem contextu vtrumque dicit, *ædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum.* quemadmodum metaphora eſt *ædificamini domus ſpiritualis;* ita metaphora eſt *ædificamini ſacerdotium ſanctum.* Et ne quis negare hoc poſſit, actio ſacerdotij ſubiuncta conuincit, dum ſubiungitur.

OFFERENTES. pro, *ad offerendum.* SPIRITVALES HOSTIAS, ACCEPTABILES DEO PER IESVM CHRISTVM. Offerre ſiquidem ſpirituales hoſtias orationum ſanctarumque meditationum ac ſpiritualium inſtructionum, commune eſt omnibus, ſicut offerre ſeipſum Deo in hoſtiã ſuauitatis. Nullus eſt itaque hîc ſermo de ſacerdotio quo offertur Euchariſtia.

Verſ. 6. PROPTER QVOD CONTINET SCRIPTVRA. Eſa. 28. ECCE PONAM. pro, *pono.* IN SION LAPIDEM SVMMVM ANGVLAREM. ad hoc vt connectat vtrumque parietem. PROBATVM, ELECTVM, PRETIOSVM. Superfluit *probatum.* ET QVI CREDIDERIT IN EVM, NÕ CONFVNDETVR. pro *non pudefiet.*

Verſ. 7. VOBIS IGITVR CREDENTIBVS. pro, *qui credidiſtis,* HONOR. Exponit Petrus quod lapis iſte ab hominibus reprobatus & à Deo electus, vobis qui credidiſtis, honor: iuxta allatam prophetiã, *Qui credit in eum, non pudefiet.* Eſt autem honor non mundanus, ſed coram Deo & angelis eius. NON CREDENTIBVS AVTEM LAPIS QVEM REPROBAVERVNT ÆDIFICANTES, HIC FACTVS EST IN CAPVT ANGVLI. Verba Pſalmi applicat, prophetam prophetæ iungens.

Verſ. 8. Et lapis offenſionis, & petra ſcandali. Ex Eſa. 8. hoc ſumptum eſt. Quod declarando ſubiũgit: IIS QVI OFFENDVNT VERBO, pro, *iis qui impingunt in verbum,* proculdubio filiũ Dei, verbum Euangelicum: in quo enim deberent ſaluari, in illud impingunt. Et propterea relatiuè ad eos eſt lapis offenſionis & petra ſcandali, qui deberet eis eſſe petra ſalutis. Vnde & ſubditur: NEC CREDVNT IN QVO. pro, *in quod,* ET POSITI SVNT. hoc eſt, in quod inſtituti erãt à lege & prophetis acceſſuri vt ſaluarentur. medicinã ſiquidẽ vertunt in venenũ proprium.

Verſ. 9. VOS AVTEM GENVS ELECTVM. Ex Exod. 19. ſumpta ſunt hæc verba Dei ad populum Iſrael. Et quod Deus olim dando legem populo Iſrael, dixit ſub conditione, *ſi audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum:* Petrus explicat viuificari tempore gratiæ in ſolis credentibus in Ieſum, eo quod non credentes in eum, non cuſtodiunt mandata Dei, neque ſeruant pactum eius.

Genus autem electum, non carnali propagatione, ſed per baptiſmi regenerationem.

REGALE SACERDOTIVM, Sciebat Petrus quod in Exodo dicitur regnum ſacerdotale, vertit tamen ipſe dicendo *regale ſacerdotium:* quia tempore priſco regnum erat præcipuum formatum ſacerdotio ad offerẽdum vni Deo: tempore autem reuelatæ gratiæ ſacerdotium eſt præcipuum quo Chriſtus obtulit ſeipſum, regnum verò ſpirituale eſt.

Vbi & aduerte contra hæreticos fingentes ex ſimilibus authoritatibus ſcripturæ Chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes. Conuincit eos hic textus: quo ad vniuerſum populum dictum eſt, *eritis mihi regnum ſacerdotale.* Conſtat enim amentis eſſe intelligere vniuerſum populum Iſrael fuiſſe reges & ſacerdotes. Sed hęc & tunc dicta ſunt, & nunc dicuntur, vt ſignificetur vtraque dignitas collata populo non vt ſingulis, ſed vt vniuerſis: hoc eſt, quod eſſet in vniuerſitate & dignitas ſacerdotij, & dignitas regalis. Quod tunc verificatum eſt quoad ſacerdotium ratione tribus Leuiticę: quoad regnum verò ratione diuerſarũ tribuum ſucceſſiuè. modò autem verificatur in vniuerſo populo Chriſtiano: ſacerdotium quidem ſecũdum quoſdam cõſecratos, regnum autẽ ſpiritualiter. Quammuis etiam vniuerſus populus Chriſtianus habeat regale ſacerdotiũ in ſummo Pontifice: cui ſuapte natura cõuenit præeſſe regibus omnibus, & relatiuè ad ſpiritualia de eis diſponere.

Nota in hæreticos.

GENS SANCTA, Verè ſancta: hoc eſt, munda ab erroribus quoad intellectum, & à peccatis quoad voluntatem.

POPVLVS ACQVISITIONIS. Verè acquiſitionis, quia acquiſitus eſt per ſanguinem proprium ipſius Dei. Vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Alludit ad figuram acquiſiti, & vocati populi Iſrael de Ægypto. Ægyptus enim à tenebris nomen habet: & vocati ad Chriſtianitatem, de tenebris peccatorum & errorum vocantur in admirabile lumen fidei filij Dei.

Ægyptus à tenebris dicta.

QVI ALIQVANDO NON POPVLVS DEI. Superfluit *Dei.* Ex Oſee 1. cap. ſumpſit hæc Petrus. & ad Iudæos applicat: quoniam cùm eſſent increduli Euangelio, erant non populus. NVNC AVTEM POPVLVS DEI. proculdubio acquiſitus ſanguine Ieſu Chriſti. Et ſimiliter intellige quod ſubiungitur: Qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. Verſ. 10.

Charissimi. pro, *dilecti,* obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos abſtinere à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam. Dixerat in principio Epiſtolæ, *electis aduenis:* ad id modò alludit, monens vt agnoſcant ſtatum peregrinationis ſuæ in hac vita ad cœleſtem patriam, & more peregrinorum abſtineant à concupiſcentiis quæ militant aduerſus animam. Verſ. 11.

Peregrinantium

Peregrinantium ſiquidem eſt non vacarare deliciis,& neceſſariis contentos eſſe : imo abſtinere ab iis quæ impediunt iter ſuum: hæc autẽ conſtat eſſe ea quę militant aduerſus animam: quoniam peregrinatio eſt ſecundum animam non habere hic ciuitatem,ſed tendere ad ſupernam patriam.

Peregrini non debent vacare deliciis.

Verſ. 12. Conuerſationem veſtram habentes bonam. pro, *honeſtam.* inter gentes in eo quòd detractant de vobis, pro, *detrahũt vobis*, TANQVAM DE MALEFACTORIBVS. pro, *maleficis*, ex bonis operibus æſtimantes vos. glorificent Deum in die viſitationis, quo ſcilicet Deus viſitat interna inſpiratione Gentiles. Mãdat Petrus vt honeſtis moribus vincant oblocutiones detrahentium, vt hæc ſit quędam pręparatio incredulorum ad glorificandum Deum cùm Deus viſitauerit illos.

Verſ. 13. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Non dicit *ſubiecti eſtote omni homini*, nec dicit *omni tyranno*, ſed *omni creaturæ humanæ*: officium regiminis humanã creaturam appellat, eo quod humanis ſuffragiis creatur. Et dicit *omni*. non diſtinguendo inter Ethnicos & fideles. Et adiungit *propter Deũ*, vt ſciant hac relatione teneri in foro conſcientiæ ad ſubiectionem: ſunt enim miniſtri Dei.

SIVE REGI QVASI PRÆCELLENTI. Quod dixerat in genere *omni humanæ creaturæ*, explicat per partes, reges & duces &c.

Verſ. 14. SIVE DVCIBVS. pro, *præſidibus*, TANQVAM AB EO. pro, *per eum*, MISSIS. Nec eſt clarũ an *per eum* referat regem, an Deum. AD VINDICTAM MALEFACTORVM, LAVDEM VERÒ BONORVM. pro, benefacientium.

Verſ. 15. Quia ſic eſt voluntas Dei vt benefacientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Verſ. 16. Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem. hoc eſt, tanquam liberi quidem, ſed non habẽtes libertatem pro velamine malitiæ: quod ſub prætextu libertatis ſpiritus ſeu Euangelicæ velemus malitiam carnalium affectuum & ſimilium. SED. ſic liberi. SICVT SERVI DEI. Seruitus namque diuina, libertate ſpiritus non abutitur.

Verſ. 17. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Non ſuffecit Petro præcepiſſe in genere *omnes honorate*, proculdubio vnumquemque ſecundum gradum & meritum eius, ſed adiungit ſpeciale præceptum honoris exhibendi regi: quia ſpecialis ratio vrget ad honorandum regem. Subiectionem itaque & honorem præcipit in ſpecie exhiberi regi, vt nihil detrahatur regi debitum ex Chriſtiana doctrina.

Omnes honorati.

Verſ. 18. Serui ſubiecti eſtote in omni timore Dominis. Hactenus in genere omnes inſtruxit; modò ad ſpecies deſcendit, inchoans à ſeruis. NON TANTÙM BONIS ET MODESTIS. pro, *& æquis*. SED ET DYSCOLIS. pro, *aſperis*. Interpres enim Græcam vocem nec reliquit, nec interpretatus eſt Latinè, ſed Græcè dicendo *dyſcolis*.

Verſ. 19. HÆC EST ENIM GRATIA. Prædicatio eſt cauſalis. Et eſt ſenſus: hic eſt effectus gratiæ, proculdubio diuinæ. SI PROPTER CONSCIENTIAM DEI. hoc eſt, propter applicationem ſcientiæ quam habet de iis quæ ſunt grata Deo. SVSTINET QVIS TRISTITIAS. pro, *moleſtias*, PATIENS INIVSTE. hæc eſt enim virtus patientiæ.

Quæ eſt enim gratia. pro, *laus*, ſi peccan- Verſ. 20.
tes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum.

In hoc enim vocati eſtis. Proprium enim Verſ. 21.
Chriſtianę religionis eſt vocare ad benefaciendum & mala patiendum. Et ad hoc ſubiungit exemplum Chriſti. Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Variant Græci codices: alij *vobis*, alij *nobis relinquens exemplum* habent. Et ſanior lectio eſt ſecunda: quoniam quemadmodum pro nobis paſſus eſt, ita & nobis reliquit exemplũ. Tolerari tamen poteſt *vobis*: ſubaudiendo quòd nobis qui vidimus dedit exemplum, vobis autem qui non vidiſtis, reliquit exemplum.

QVI PECCATVM NON FECIT, NEC INVENTVS Verſ. 22.
EST DOLVS IN ORE EIVS. Vniuerſa hæc vſque ad finem capituli ex Eſa. 53. ſumpta ſunt mutato ordine.

Qui cũ malediceretur, nõ maledicebat. Verſ. 23.
pro, *non remaledicebat*, CÙM PATERETVR, NON COMMINABATVR. Hæc in Eſaia ſub aliis verbis dicuntur: quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum, &c. TRADEBAT AVTEM AFFLIGENTI SE INIVSTÈ. pro, *ſed tradebat iudicanti iuſtè*. Hoc Petrus exponendo addidit. Et eſt ſenſus quòd Ieſus Chriſtus cùm malediceretur & pateretur, non rependebat malum, ſed tradebat cauſam ſuam iudicanti iuſte, proculdubio Deo. Vnde & in textu Græco præponitur articulus dictioni *iudicanti*: ſignificans quod illi iudicanti iuſte (hoc eſt Deo) reſeruabat cauſam ſuam. Et hoc addidit Petrus ad conſolationẽ patientium, vt patienter tolerantes ſciant cauſam ſuã reſeruari iuſto Iudici.

Qui peccata noſtra ipſe pertulit in cor- Verſ. 24.
pore ſuo ſuper lignum: vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. Cuius liuore ſanati eſtis. Appellatione liuoris vniuerſas plagas in Chriſti corpore intellige: quemadmodum enim eius mors eſt vita noſtra, ita eius plagæ ſunt noſtra ſanitas.

Plaga Chriſti ſunt noſtra ſanitas.

ERATIS ENIM SICVT OVES ERRANTES. Et hoc Verſ. 25.
ex Eſaia ſumptũ eſt, vbi dicitur omnes nos quaſi oues errauimus. SED CONVERSI ESTIS NVNC AD PASTOREM ET EPISCOPVM ANIMARVM VESTRARVM. non corporũ, Ieſum Chriſtum: qui & paſcit animas verbo vitæ ac gratia interna, & ſuperintẽdit gubernãdo, tuẽdo, pugnando, &c.

CAPVT III.

SIMILITER ET MVLIERES. pro, *vxores* Verſ. 1.
SVBDITÆ SINT VIRIS SVIS. pro, *ſubditæ ſitis viris propriis*, etiã Ethnicis. Vnde & rationem ſubdit: vt & mariti qui non conuertuntur per verbum Euangelicum, lucrifiãt per facta ſanctę cõuerſationis vxorũ. VT ET QVI NÕ CREDVNT VERBO PER MVLIERVM. pro, *vxorum*

conversationem sine verbo lucrifiant.

Verſ. 2. Conſiderantes in timore sanctam, pro *puram*, *ſeu caſtam*, conversationem veſtram. Tres conditiones exigit Petrus in vxoribus: prima eſt, ſubiectionis propriis viris, ſecunda eſt, vt earum conuerſatio ſit pura, per excluſionem omnis fallaciæ, & omnis contagionis: tertia quòd eadem conuerſatio ſit in timore, proculdubio Dei. Et ex his tribus ſperat conuerti poſſe maritos.

Tres in vxoribus cõditiones exigit D. Petrus.

Verſ. 3. Quarum non ſit, pro *quarum ſit*, non extrinſecus ex innexione capillorum & circumpoſitione auri, aut amictu veſtium ornatus,

Verſ. 4. Sed abſconditus homo cordis in incorruptibili manſueti & quieti ſpiritus qui eſt coram Deo pretioſus. Et ordo literæ eſt: quarum ornatus ſit non extrinſecus, &c. ſed ipſe ornatus ſit occultus homo cordis, &c. Monet Petrus vt ornatus mulierum non conſtituatur in exterioribus (explicando tria exteriora: interſertionem crinium, appoſitionem auri, & demum amictum veſtium, ſed conſtituatur in internis: hoc eſt, vt ſit internus homo cordis in parte incorruptibili, hoc eſt, animus immortalis: hunc enim circumloquitur appellando hominem cordis abſconditum in incorruptibili, latet ſiquidem in corpore. Et dicitur *cordis*: quoniam eſt is in quo eſt cor, non membrum corporeum, ſed voluntas, principium omnium noſtrorum operum; in incorruptibili autem ad ſignificandum naturam eius immortalem.

Ornatus mulierum non ſit in exterioribus.

In hoc itaque interno homine conſtituendus eſt ornatus mulierum: ita quòd ornatus mulierum ſit earum internus homo, non qualiſcunque, ſed manſueti & quieti ſpiritus, qui pretioſus eſt coram Deo. Dicit *manſueti* contra iracundiam, quæ familiaris eſt mulieribus: & dicit *quieti* contra inconſtantiam, longè familiariorem mulieribus. Et ne huiuſmodi animi diſpoſitio paruipendatur à mulieribus, ſubiungit quòd pretioſus eſt coram Deo ſpiritus manſuetus & quietus, & multo pretioſior eſt coram Deo, quàm ſit exterior ornatus coram hominibus.

Vbi aduerte quòd ad literam Petrus nõ prohibet exteriorem mulierum ornatum iuxta ſtatum & conditionem earum: ſed prohibet exteriorem ornatum haberi à mulieribus vt præcipuum ornatum earum: mandat enim præferri ornatum interni hominis, & ornatum internum æſtimari ſimpliciter & abſolute pro ornatu, externum verò non æſtimari pro ornatu, ſed pro ornatu ſecundùm quid. Hic eſt enim literalis ſenſus & veriſſimus abſque vlla exceptione. Vnde & ſubdit exemplum ſanctarum mulierum ornantium ſe.

Exteriorem mulierum ornatum non prohibet D. Petrus.

Verſ. 5. Sic enim aliquando, et sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se subiectæ propriis viris. *Sic*, hoc eſt præferendo ornatum internum externo, mulieres ſanctæ ornabant ſe. Certum eſt enim, quòd auro ornabant ſe: vt patet de Rebecca Gen. 24. De qua dicitur, *Suſpendi inaures ad ornandum faciem eius, & armillas poſui in manibus eius*. Et vtraſque fuiſſe aureas ſuperius ſcriptura dixerat.

Verſ. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius estis filiæ. Relatiuum *cuius*, Saram refert: eſt enim fœminini generis. Filias autem dicit imitatione bonorum operum. Benefacientes, et non pertimentes vllam perturbationem, pro *non territæ vllo pauore*. Imitatrices Saræ explicat & ſecundum benefacere, & ſecundum negationem pauoris, non ſimpliciter, ſed ita quòd non terreantur: legitur ſiquidem Saram non territam aliquo pauore ſequendo virum in tot peregrinationibus. Ita quòd ad ſubiectionem viro ſpectat huiuſmodi excluſio terroris.

Verſ. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam. Maritos inſtruit quoad tria: primò ad regulandum cohabitationem ſecũdum prudentiam. Viri ſiquidem eſt ſcire inſtruere, ac dirigere: vxorum autem eſt dirigi & inſtrui.

Maritos instruit quoad tria.

Quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem. Ecce ſecundum. Paulus monet viros vt diligant vxores: Petrus autem vt impertiantur vxoribus honorem. Vtroque eget vxor, & amari & honorari: honorari autem, hoc eſt, participem fieri honoris. Periculoſum enim eſt, ſi vxor deſpicitur, ſi mariti honoris non eſt particeps. Et rationem reddit, non ex parte eminentiæ, ſed ex parte defectus: dicendo *tanquam infirmiori vaſi muliebri*. Vas enim muliebre ſtatum ſignificat coniugalem, tanquam officium eius ſit officium vaſis ſeminis ac prolis. Infirmitas autem impotentiam ſignificat parandi ſibiipſi honorem, ac per hoc indigentiam, vt maritus impertiatur ei honorẽ.

Tanquam cohæredibus, pro *tanquam & cohæredes*, gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes vestræ. Ecce tertium, vt mariti cohabitent tanquam cohæredes gratiæ æternæ vitæ. Prima duo ad præſentem ſpectant ſtatum, hoc autem tertium directè reſpicit cœleſtem patriam. Et in hoc comprehenditur quicquid eſt fidei, quicquid ſpei, quicquid charitatis, quicquid miſericordiæ ſpectans ad coniuges. Vnde & explicat ab effectu hoc cohabitare tanquam cohæredes gratiæ vitæ: & effectus eſt ne impediantur orationes veſtræ. Impeditur oratio ſolo peccato: nam ſemper orat, qui ſemper bene facit: abſtinentiam a peccato claudi in cohabitatione cohæredum explicauit per hoc.

In fine autem, pro *in ſumma autem*. Inſtructis namque ſigillatim diuerſis conditionibus, nunc omnes ſimul colligendo monet: Verſ. 8.

Omnes vnanimes, compatientes. Plus ſignificat dictio Græca: videlicet non ſolùm qui mutuo commiſerationis affectu, ſed etiam qui mutuo amore, mutua gratulatione, & vniuerſaliter qui mutuo tanguntur affectu. Fraternitatis. pro *fratrum*, amatores. Chriſtianos appellat fratres. Misericordes, modesti, pro *affabiles*, humiles. Superfluit *humiles*.

Non reddentes malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis. Hæreditario iure Chriſtiani à Chriſto habent benedicere. Et ad hoc affertur authoritas Pſalmi ſatis clara. Verſ. 9.

Qui enim vult vitã diligere & videre dies bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum. Verſ. 10.

Declinet autem a malo, et faciat bonum inquirat pacem et persequatur eam: Verſ. 11.

Quia

Verſ. 12. quia oculi Domini ſuper iuſtos & aures
eius in preces eorum:vultus autem Do-
mini ſuper facientes mala.

Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni
Verſ. 13. æmulatores fueritis? Genitiui caſus eſt *boni*,
ſignificans rem æmulando affectatam.

Sed & ſi quid patimini propter iuſti-
Verſ. 14. tiam, beati. Timorem pro, *terrore* autem
eorũ ne timueritis, & non conturbemini.
pro, *neque conturbemini.*

Verſ. 15. DOMINVM AVTEM DEVM SANCTIFICATE IN
CORDIBVS VESTRIS. Non eget Deus vt ſancti-
ficetur in ſeipſo, ſed ſanctificandus præcipitur
in noſtris cordibus in quibus ſãctificatur cùm
creditur abſque immunditia alicuius erroris
& peccati. PARATI SEMPER AD SANCTIFICA-
TIONEM, pro, *ad reſponſionem* OMNI POSCENTI
VOS RATIONEM DE EA QVÆ IN VOBIS EST SPE
ET FIDE Superfluit *& fide*.

Verſ. 16. SED CVM MODESTIA ET TIMORE. pro, *ſed cum
manſuetudine & reuerentia.* Mandat Petrus om-
nibus, vt parati ſint ad reſpondendum de cœ-
leſti patria ſperata à nobis per Ieſum Chriſtũ:
ad reſpondendum autem manſuetè, contra ira-
cundiam; & reuerenter, ad excludendum om-
nem immoderantiam. Et hæc exterius: nam
interius adiungit tertium.

CONSCIENTIAM HABENTES BONAM. in hac
enim conſiſtit internum teſtimonium. Et hinc
ſequitur fructus qui ſubiũgitur. VT IN EO QVÒD
DETRAHVNT DE VOBIS. Superfluit *de*, & deficit,
Tanquam malefactoribus, confundan-
tur. pro, *pudefiant.* qui calumniantur veſtrã
bonam in Chriſto conuerſationem.

Verſ. 17. Melius eſt enim benefacientes (ſi vo-
luntas Dei velit) pati quàm male facien-
tes. Sententia eſt clara.

Verſ. 18. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis
noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis,
vt nos offerret Deo, mortificatos pro, *mor-
tificatus*, QVIDEM CARNE, VIVIFICATOS. pro,
viuificatus, AVTEM SPIRITV. De Chriſto non de
nobis eſt ſermo, Vt ipſe Chriſtus mortificatus
carne, (nam verè mortuus eſt ſecundùm car-
nem) viuificatus autem ſpiritu (nam & tunc
cum mortuus erat carne, viuificatus erat ſpiri-
tu: vtpote & beatus ſecundùm ſpiritũ & trium-
phans de dæmonibus ſecundum ſpiritum: &
hic viuificationis actus acceſſit ei, cùm mor-
tuus eſt carne) offerret nos Deo.

Verſ. 19. IN QVO ET IIS QVI IN CARCERE ERANT SPI-
RITV VENIENS PRÆDICAVIT. Corruptus eſt tex-
tus Latinus. Legendum eſt: *In quo & iis qui in
carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit* Et re-
latiuum *in quo*, manifeſtè refert ſpiritum: præ-
miſerat enim *viuificatus autem ſpiritu*, in quo
proculdubio ſpiritu, veniens prædicauit & iis
ſpiritibus qui in carcere erant. Et ne libera no-
bis vagandi relinqueretur facultas, limitat de
quibus ſpiritibus loquitur, ſubiungendo.

Chriſtus prædicauit ſpiritibus qui in carcere erant.

Verſ. 20. QVI INCREDVLI FVERANT ALIQVANDO. Et
ne hæſitaremus de quo *aliquando*, ſubiungit,
Quando expectabant Dei patientiam in
diebus Noe, cùm fabricaretur arca. pro,
*quando expectabatur Dei longanimitas in diebus
Noe, cum appararetur arca.* Clarè Petrus dicit
quòd Chriſtus deſcendens ad inferos in anima,
prædicauit animabus illorum qui fuerant in-
creduli in diebus Noe. Et ex eo quòd horum
tantum meminit: ſignificat, quòd non loqui-
tur de prædicatione quà manifeſtauit apud in-
feros ſeipſum eſſe Meſſiam, & conuicit tam
dæmones quam incredulos omnes: huiuſmo-
di enim prædicatio communis fuit omnibus
apud inferos: hæc autem de qua Petrus loqui-
tur, peculiaris deſcribitur illis qui fuerãt tem-
pore quo fabricabatur arca. Vnde inſinuatur
quod prædicatio hæc fuit fructuoſa. Et ad hoc
faciunt verba illa, *quando expectabatur Dei lon-
ganimitas*: vt per hoc intelligamus illos non
fuiſſe incredulos, hoc eſt, ſine vera Dei fide, ſed
incredulos Noë dicenti diluuiũ imminere: &
cum hac incredulitate expectaſſe Dei longa-
nimitatem, hoc eſt confuſos fuiſſe in longani-
mitate Dei, quòd non induceret vniuerſale di-
luuium: & propter huius confidentiæ meritũ
placuiſſe Deo vt anima Chriſti prædicaret eis.
Et reuelauit nobis hæc Petrus, vt aperiret quod
Chriſtus vſque adeò ſtuduit ad offerẽdum nos
Deo, quod etiam in ſpiritu deſcendens ad in-
feros prædicauit antiquis qui fuerant tempo-
re Noe, vt etiam illos Deo offerret.

IN QVA PAVCÆ (id eſt octo) ANIMÆ SALVÆ
FACTÆ SVNT PER AQVAM. Sententia eſt clara ex
Geneſi.

Quod & vos nunc ſimilis formæ ſal- Verſ. 21.
uos facit baptiſma. pro, *cui nunc ſimile baptiſ-
ma nos quoque ſaluos facit.* Cui arcæ ſaluatrici
per aquam, baptiſma nunc ſimile nos quoque
ſaluos facit: arca in aqua ſaluatrix, figura fuit
ſaluantis baptiſmi. Non carnis depoſitio
ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interro-
gatio in Deum. Explicat baptiſma: baptiſma
enim ablutionem ſonat. Et dicit quod non eſt
ſermo de ablutione, quæ eſt depoſitio ſordiũ
carnis, hoc eſt, quæ mũdat corpus: ſed de ablu-
tione cuius effectus eſt inquiſitio conſcientiæ
erga Deum bonæ. Cùm debuiſſet Petrus effe-
ctum baptiſmi dicere purgationem ſordiũ ani-
mæ dixit *inquiſitionem conſcientiæ erga Deum bo-
næ*, ad explicandum effectũ quem habet in adul-
to, cooperante ipſo adulto: hoc eſt enim verũ
regenerati ſtudium, vt inquirat applicationem
ſcientiæ erga Deum bonam. Et hanc PER RE-
SVRRECTIONEM IESV CHRISTI A MORTVIS. hoc
eſt, per fidem & ſpẽ reſurrectionis Ieſu Chriſti.

Effectum baptiſmi dicit inquiſitionem conſcientiæ erga Deum bonæ.

QVI EST IN DEXTERA DEI. Hoc pluries expo- Verſ. 22.
ſitũ eſt. Deglutiens mortem, vt vitæ æter-
næ hæredes efficeremur. Omnes hæ ſeptem
dictiones ſuperfluunt. Profectus in cœlum
ſubiectis ſibi angelis & poteſtatibus, &
virtutibus.

CAPVT IV.

CHRISTO IGITVR PASSO IN CARNE. pro, Verſ. 1.
Chriſto igitur paſſo pro nobis carne, ET
VOS EADEM COGITATIONE ARMAMINI.
hoc eſt, ſimilem vos cogitationem aſſumite
velut arma. Et explicando ſimilitudinem co-
gitationis ſubiungit, QVIA QVI PASSVS
EST IN CARNE DESIIT A PECCATIS. Quemad-
modum Chriſtus paſſus ſecundum carnem
deſiit

deſiit à vita mortali, ita quicunque imitando Chriſtum paſſus eſt in carne (affligendo & domando carnem voluntariè ad ſubiiciendum eam ſpiritui) deſiit à priori vita peccatorum. Qui enim adhuc perſeuerat peccando, fruſtra imitatur Chriſtum patiendo in carne: nam talis non armat ſe imitatione Chriſti.

Verſ. 2. VT NON IAM DESIDERIIS HOMINVM, SED VOLVNTATI DEI QVOD RELIQVVM IN CARNE VIVAT TEMPORIS. Ordo literæ eſt, vt quod reliquum eſt temporis in carne non iam deſideriis hominum, ſed voluntati Dei viuat: hoc eſt enim perfectè deſtitiſſe à peccatis, vt reliquum vitæ præſentis fructificet Deo, & non concupiſcentiis humanis.

Verſ. 3. SVFFICIT ENIM PRÆTERITVM TEMPVS AD VOLVNTATEM GENTIVM CONSVMMANDAM. Textus Græcus habet hæc in prima perſona. *Sufficiens eſt enim præteritum vitæ tempus, vt voluntatem gentium perfecerimus.* Vt monitio faciliùs admittatur, connumerat ſe Petrus inter peccatores: non quòd ipſe talis fuerit, ſed quòd generis ſui peccata, vt communia æſtimat. Vnde explicando quid comprehendatur ſub voluntate gentium ſubiungit,

Connumerat ſe D. Petrus inter peccatores.

IIS QVI AMBVLAVERVNT, pro *cùm verſati fuerimus*, IN LVXVRIIS, pro *laſciuiis*, DESIDERIIS, VINOLENTIIS, COMESSATIONIBVS, COMPOTATIONIBVS, EBRIETATIBVS. Superfluit *ebrietatibus*. ET ILLICITIS, pro *nefariis*, IDOLORVM CVLTIBVS, Hinc clarè apparet, quòd peccata ſui generis Iudæorum, ſcilicet quibus ſcribit, vt cõmunia commemorat: nam perſonam Petri conſtat non fuiſſe immerſam huiuſmodi vitiis: ſed hæc ſunt vitia voluntatis gentium, quas Iudæi imitati fuerant.

Verſ. 4. IN QVO ADMIRANTVR, pro *peregrinantur*: hoc eſt, quod peregrinum, ſeu abſurdum cenſent Gentiles. Et quid hoc quod abſurdum cenſent, ſubiungit, NON CONCVRRENTIBVS VOBIS IN EANDEM LVXVRIÆ CONFVSIONEM, pro *refuſionem* BLASPHEMANTES. Gentiles blaſphemando abſurdum reputant quòd non vnà cum eis curratis ad eandem luxus refuſionem, abſurdum reputant veſtræ vitæ emendationem quòd non ſequamini patres veſtros imitatores Gentilium: aſſueti enim luxibus abſurdum reputant vitam continentium: & ſic de ſimilibus.

Verſ. 5. QVI REDDENT RATIONEM EI QVI PARATVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS: hoc eſt, non erunt impunes, ſed hi omnes reddent rationem vniuerſali Iudici.

Verſ. 6. PROPTER, pro *in*, HOC ENIM ET MORTVIS EVANGELIZATVM EST. Dixerat, *qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos*: ſubiungit modò quòd præparatio quædam iudicij mortuorum fuit quòd Ieſus prædicauit mortuis cùm deſcendit ad inferos. Quare autem ſit huiuſmodi præparatorium, explicat ſubiungendo,

VT IVDICENTVR QVIDEM SECVNDVM HOMINES IN CARNE. Superfluit *in*. VIVANT AVTEM SECVNDVM DEVM IN SPIRITV. Superfluit *in*. Et ordo literæ eſt: vt iudicentur quidem carne ſecundùm homines, ita quòd *ſecundùm homines*, determinat *carne*, & non determinat *iudicentur*. Et ſimiliter *viuant autem ſpiritu ſecundùm Deum*, ita quòd *ſecundùm Deum*, determinat *ſpiritu*: & non determinat *viuant*. Et eſt ſenſus, vt iudicentur quidem ratione carnis in qua vixerunt ſecundum homines, hoc eſt, ſecundùm concupiſcentias humanas: viuant autem ratione ſpiritus, quem habuerunt ſecundùm Deum: hoc eſt, conformem diuinæ voluntati. Ad hoc itaque euangelizauit Chriſtus manifeſtando ſeipſum vniuerſorum iudicem apud inferos, vt agnoſcant impij ſe iudicandos ratione carnis quam habuerunt ſecundum homines: & iuſti agnoſcant ſe percepturos vitam æternam ratione ſpiritus quam habuerunt ſecundùm Deum.

Cur Chriſtus euãgelizauit mortuis apud inferos.

Aduerte quòd euangelizatum fuiſſe mortuis apud inferos à Chriſto ſciebamus, ſed cauſam reuelauit Petrus: vt ſcilicet huiuſmodi euangelizatio pararet Chriſto iudicium mortuorum: nam iudicium viuorum poſt eius primum aduentum parat ei euangelizatio quæ fit in mundo per Apoſtolos & ſucceſſores, vt omnes habeant notitiam vnde iudicandi ſunt.

OMNIVM AVTEM FINIS APPROPINQVABIT, Verſ. 7.
pro *appropinquauit*. Ne longa diſtantia pœnam minuere videretur adiũgit quòd appropinquauit finis omnium. ESTOTE ITAQVE PRVDENTES, pro *ſobrij*. Contra huiuſmodi ſupradictos luxus & peccata carnis, mandat ſobrietatem. ET VIGILATE IN ORATIONIBVS, pro *eſtis ſpiritu ſecundum Deum*.

ANTE OMNIA AVTEM MVTVAM IN VOBISMET- Verſ. 8.
IPSIS, pro *erga voſipſos*, CHARITATEM CONTINVAM, pro *vehementem*, HABENTES: QVIA CHARITAS OPERIT, pro *operiet*. Proculdubio in futuro iudicio. MVLTITVDINEM PECCATORVM, ne pateant æternæ vltioni.

HOSPITALES INVICEM SINE MVRMVRA- Verſ. 9.
TIONE.

VNVSQVISQVE SICVT ACCEPIT GRATIAM, Verſ. 10.
pro *donum*, IN ALTERVTRVM, pro *in vos inuicem*, ILLAM, pro *illud*, ADMINISTRANTES: SICVT BONI DISPENSATORES MVLTIFORMIS, pro *variæ*, gratiæ Dei.

SI QVIS LOQVITVR, QVASI SERMONES DEI. SI Verſ. 11.
QVIS MINISTRAT, TANQVAM EX VIRTVTE, pro *potentia*, QVAM ADMINISTRAT, pro *ſuppeditat*, DEVS. Tam in verbis, quàm in factis noſtris, mandat agnoſci Deum vt principalem. VT IN OMNIBVS HONORIFICETVR, pro *glorificetur*, DEVS PER IESVM CHRISTVM: CVI EST GLORIA ET IMPERIVM IN SECVLA SECVLORVM: AMEN.

CHARISSIMI, pro *dilecti*, NOLITE PEREGRI- Verſ. 12.
NARI, pro *ne peregrinamini*, IN FERVORE pro *in veſtri exuſtione*, QVI, pro *qua*, AD TENTATIONEM VOBIS SIT, pro *fit*, QVASI NOVI ALIQVID VOBIS CONTINGAT. Et eſt ſenſus, quòd cùm vos contingit affligi, & quodammodo exuri ad probandum vos tanquam aurum quod probatur igne, non exiſtimetis hoc peregrinum à Chriſtianitate, quaſi nouum aliquid contingat: hoc eſt, quaſi inſolitum aliquid contingat. Et rationem ſubdit,

SED COMMVNICANTES, pro *ſed in hoc quòd* Verſ. 13.
communicatis, CHRISTI PASSIONIBVS GAVDETE. Communicare paternis conditionibus, nec peregrinum, nec inſolitum videri debet: ſed materia gaudij eſt. VT ET IN REVELATIONE GLORIÆ EIVS GAVDEATIS EXVLTANTES.

Si exprobramini in nomine Chriſti, Verſ. 14.
beati eritis. Superfluit *eritis*, abſolutè dicitur *beati*, hîc in ſpe, & in futuro *in re*. Et rationem beatitudinis ſubiungit, Quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui

eſt

eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit. Multa ſunt hic ſuperflua. Legendum eſt: Quoniam quod eſt gloriæ, & ſpiritus Dei ſuper vos requieſcit. Et nominatiui caſus eſt *ſpiritus*. Et eſt ſententia plana: quoniam ſpiritus Dei, & quod eſt meritum gloriæ æternæ requieſcit ſuper vos, communicantes aſſlictionibus Chriſti. Poſt hæc autem verba deſunt Latino textui octo dictiones: *Secundum illos quidem blaſphematur, ſecundum vos autem glorificatur.* Et poteſt referri tam ad nomen Chriſti propter quod probro afficimini, quàm ad ſpiritum Dei requieſcente ſuper vos. De vtroque enim verificatur quòd per illos opprobrantes blaſphematur, per vos autem glorificatur: illorum actio eſt blaſphemia: veſtra paſſio eſt glorificatio. Deinde ſtatim ſubiungitur,

Verſ. 15. NEMO AVTEM, pro *ne quis enim*, VESTRVM PATIATVR QVASI HOMICIDA, AVT FVR, AVT MALEDICVS, pro *maleficus*, AVT ALIENORVM APPETITOR. Senſum optime tranſtulit interpres, quamuis Græcè habeatur alienorum inſpector: ſed quia inſpectio non eſt in culpa, niſi ratione appetitus, ideo culpam optimè tranſtulit dicendo *appetitor*. Et eſt ſenſus quòd nemo patiatur ob patratum aliquod crimen, quamuis obiiciatur, & ſub prætextu criminis, patiebantur namque Chriſtiani ſub titulo maleficorum, ſed reuera non erant malefici.

Verſ. 16. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autẽ Deum in iſto nomine. pro *in parte hac*, qua videlicet patitur vt Chriſtianus.

Verſ. 17. QVONIAM TEMPVS EST VT INCIPIAT IVDICIVM A DOMO DEI. Iudicium appellat afflictiones, tormenta, occiſionéſque, eo quòd iuſto Dei iudicio fiant, quamuis non ſemper propter propria patientis peccata: vt patet de Iob. Quid autem intelligat per *domum Dei*, explicat ſubiungendo, SI AVTEM PRIMVM A NOBIS, QVIS FINIS EORVM QVI NON CREDVNT DEI EVANGELIO? vbi clarè vides appellatam domum Dei Eccleſiam, & è regione illius locatos incredulos. Et eſt ſenſus quòd modò eſt tempus, vt Deus exerceat iudicia afflictionum, & etiam mortis corporalis inchoando à fidelibus: & ſi ſic finit fideles in hac vita, quis finis erit incredulorum? quaſi dicat quòd longè maiora mala reſeruantur incredulis.

Iudicium appellat afflictiones tormenta, &c.

Verſ. 18. ET SI IVSTVS VIX SALVABITVR. Ex Prouerb. 11. cap. ſumpta eſt hæc ſententia, qua monſtratur difficultas vt ſaluetur vir iuſtus. Et eſt ſermo de iuſto ſecundum opera: talis enim vix ſaluabitur, eo quòd non eſt facile habere perſeuerantem Dei gratiam inter multas tribulationes & afflictiones, per quas oportet nos intrare in regnum cœlorum. Et hinc formatur argumentum inferens, IMPIVS ET PECCATOR VBI PAREBVNT, pro *comparebit*? Quaſi dicat, nuſquam comparere poterit.

Verſ. 19. ITAQVE ET II QVI PATIVNTVR SECVNDVM VOLVNTATEM DEI FIDELI CREATORI, pro *tanquam fideli conditori*, COMMENDENT ANIMAS SVAS IN BENEFACTIS. pro *in benefaciendo*. Optimum conſilium patientium, quia Deus vult (hoc eſt, propter fidem, propter virtutem) vt benefaciendo commendent animas ſuas velut iure depoſiti Deo vt fideli conditori: cuius eſt fideliter ſeruare quod condidit cùm apud eum deponitur.

CAPVT V.

SENIORES ERGO, pro *presbyteros*. Et ſuperfluit *ergo*. QVI IN VOBIS SVNT OBSECRO CONSENIOR, pro *compresbyter*, ET TESTIS CHRISTI PASSIONVM, ET GLORIÆ REVELANDÆ CONSORS. Presbyter, gradus, non ætatis eſt hîc nomen: vt patet ex actione ſubiuncta, ſcilicet paſcere gregem. Seipſum autem Petrus non ſolum compresbyterum humiliter appellat, ſed duobus non communibus reliquis presbyteris cognominibus explicat: nam & teſtem ſe paſſionum Chriſti quas vidit, & quibus interfuit, & conſortem gloriæ reuelandæ ſe dicit: eo quòd in monte Tabor fuerit conſors gloriæ Chriſti reuelandæ mundo. Quamuis hoc poſſit, & aliter intelligi: videlicet quòd ipſe explicet ſe definitum à Deo conſortem reuelandæ gloriæ cœleſtis: quod eſt ſcire ſe eſſe prædeſtinatum. Verſ. 1.

Presbyter ſignificat hic gradum non ætatem.

PASCITE QVI IN VOBIS EST GREGEM DEI, pro *Chriſti*. Hoc eſt, quod obſecro vos presbyteros. Et ſcito quod multi legendum eſſe putant non *qui*, ſed *quantum*. Ita quod legatur, *paſcite quantum in vobis eſt gregem Chriſti*. Tanquam explicet, quòd paſcere gregem Chriſti non pendet totaliter à vobis: quoniam nullus inuitus hoc paſtu paſcitur. PROVIDENTES, pro *curam illius agentes*, NON COACTE, SED SPONTANEE SECVNDVM DEVM. Superfluit *ſecundum Deum*. Verſ. 2.

NEQVE TVRPIS LVCRI GRATIA, SED VOLVNTATE, pro *ſed promptè*, NEQVE VT DOMINANTES IN CLERIS, pro *in cleros*, SED IN FORMA, pro *formæ*, FACTI GREGIS EX ANIMO. Superfluit *ex animo*. Tres conditiones Petrus exigit à curam gerentibus gregis Chriſti. Prima eſt quòd non coacti euitatione inopiæ, aut cuiuſcumque alterius temporalis mali, ſed ſponte. Voluntas enim operans non niſi vt euitet malum inopiæ & ſimilium, non eſt ſpõtanea, vt patet. Secunda eſt vt non affectu augendi gloriam, famam, facultates, & ſimilia, ſed promptè, ſed propenſo animo: qui enim lucrum quærit, promptum non habet animum ad gregem, ſed ad lucrum. Tertia eſt quòd non affectu dominatiuo ad ſubiiciendum ſibi populum, ſed ſeipſos formas exemplares exhibendo ad formandum gregem fide & moribus inſtruant. Gubernãs enim tanquam dominans, ſuperbiæ innititur: nec exemplo, ſed verbo tantum, & authoritate gubernat. Nam ſuperbiæ exemplum dat non virtutum: quod eſt aduerſus gregem agere. Et hoc Petrus ſignificauit, dicendo *in cleros*. Ipſum enim dominium eſt contra cleros. Nec intelligo per cleros eos quod appellamus clericos, ſed Chriſtianos omnes ad diuinam ſortem aſcitos. Verſ. 3.

Tres conditiones paſtorum gregis Chriſti.

Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Verſ. 4.

Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus, pro *Presbyteris*: OMNES AVTEM Verſ. 5.

INVICEM. Deeſt *ſubiecti*, HVMILITATEM INSINVATE. Eadem eſt hæc ſententia cum iſta Pauli, ſuperiores inuicem arbitrantes. Quilibet enim habet in ſe defectum aliquem, ratione cuius ritè ſubiicitur alij ratione diuini in illo doni: & hæc eſt ratio mittendi humilitatis virtutem in ſinum cuiuſcunque animi. Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Eandem ex Prouerb. affert authoritatem, quam attulit Iacobus.

Verſ. 6. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei. De humiliatione quæ eſt actus virtutis, eſt ſermo. Vt vos exaltet in tempore viſitationis. Superfluit *viſitationis*. Et eſt ſenſus, vt vos exaltet in tēpore quo opus eſt exaltari.

Verſ. 7. Omnem ſolicitudinem veſtram. proculdubio temporalium. Proiiciētes in eum. Similis eſt hæc ſententia doctrinæ Domini, *ne ſoliciti ſitis de cibo & potu & veſtimento*. Et ratio eadem ſubiungitur, ſcilicet diuina cura noſtri. Quoniam ipſi cura eſt de nobis.

Verſ. 8. Sobrij eſtote & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, pro *quærens aliquem deuorare*.

Verſ. 9. Cui reſiſtite fortes, pro *firmi*, in fide: ſcientes eandem paſſionem, pro *eaſdem paſſiones*, ei quæ in mundo eſt veſtræ fraternitati fieri, pro *perfici*, hoc eſt, ſcientes eaſdem paſſiones tentationum illi veſtræ fraternitati quæ eſt in mundo (hoc eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ) perfici, id eſt, non nocere, ſed ad perfectionem conducere. Pati ſiquidem tentationes diabolicas, non in ſua imperfectione relinqui, ſed perfici fraternæ Eccleſiæ (hoc eſt proficere ad vnitatē fraternæ Eccleſiæ) aperit: ne cùm ſe tentari à diabolo ſentiunt, puſillanimes fiant. Quis perficit huiuſmodi tentationum paſſiones, ſubiungit:

Deus autem omnis gratiæ qui vocauit nos in æternam ſuam gloriā in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet. Verſ. 10

Deeſt, *fulciet*, confirmabit, ſolidabitque. Cùm dixiſſet perficiet requiſita ad perfectionem, ſubiungit quòd fulciet virtutibus moralibus, confirmabit robore fidei, & ſtabiliet tandem aſſiſtentia: donum enim ſtabilitatis non conceditur niſi diuinā aſſiſtentia.

Donum ſtabilitatis non conceditur niſi diuina aſſiſtentia.

Ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum: amen. Verſ. 11.

Per Syluanum fidelem fratrem vobis vt arbitror breuiter ſcripſi. Verſ. 12. Vt arbitror, non refertur ad fidelem, ſed refertur ad, breuiter ſcripſi.

OBSECRANS. pro *adhortans*, ET CONTESTANS HANC ESSE VERAM GRATIAM DEI IN QVA STATIS. de Euangelica gratia loquitur: & hanc eſſe veram Dei gratiam, & conteſtatur vt non expectent aliam, & adhortatur complectendam.

Salutat vos eccleſia quæ eſt in Babylone collecta. Verſ. 13. pro, in Babylone ſimul electa. Et appellatione Babylonis ſignificat Romam, inde enim ſcribebat. Videbat ſiquidem Romam confuſione tum idolorum tum morum preſſam. Et propterea à confuſione eam nominauit.

Babylonis appellatione Romā ſignificat.

Quod autem dicit *ſimul electa*, alias Eccleſias reſpicit. Significatur enim quòd non ſola, ſed ſimul cum aliis Eccleſiis eſt electa, quod eſt pars electorum. ET MARCVS FILIVS MEVS. De Marco Euangeliſta intelligitur.

SALVTATE INVICEM IN OSCVLO SANCTO. pro, *in oſculo charitatis*. GRATIA. pro, *pax* VOBIS OMNIBVS QVI ESTIS IN CHRISTO IESV: AMEN. Verè frater Pauli Petrus inuenitur tam in principio quàm in fine Epiſtolæ: vt taceamus de conformitate doctrinæ.

Caietæ 15. Iulij. 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM D. PETRI POSTERIOREM, COMMENTARII.

Hæc ſecunda Epiſtola à quibuſdã cõtradicitur.

S*Ecunda Petri Apoſtoli Epiſtola.* Hæc ſecunda epiſtola non caret contradictoribus: dicente Hieronymo de vir. illuſtr. de Petro: *Scripſit duas epiſtolas quæ canonicæ nominantur, quarum ſecunda à pleriſque eius eſſe negatur propter ſtyli cum priore diſſonantiam.* Verùm hæc ratio non minùs infert primam quàm ſecundam non eſſe Petri: nam tantum diſſonat prima à ſecunda, quantùm ſecunda à prima. Quo fit vt ex diſſonantia ſtyli neutra reddatur Petri certa, ſi argumentum valet. Infirmum itaque argumentum aſſumitur: cùm vnum atque eundem hominem diuerſo ſtylo quandoque ſcribere experientia teſtetur. Regiſtrum Gregorij tantum diſſonat ab aliis ſcriptis à Gregorio, vt ſi ex ſtylo arguendum eſſet, negaretur Gregorij.

CAPVT I.

Verſ. 1. SIMON PETRVS SERVVS ET APOSTOLVS IESV CHRISTI, IIS QVI COÆQVALEM, pro *æquè pretioſam*, NOBISCVM SORTITI SVNT FIDEM. Niſi ipſe Petrus in principio tertij capituli diceret, *Hanc iam vobis ſecundam ſcribo epiſtolam*, ex perſonis hìc ſalutatis neſcij ad quos epiſtola hæc dirigitur: quoniam omnibus Chriſtianis commune eſt quòd æquè pretioſam ſortiti ſunt fidem. Verùm Petrus explicaturus inferiùs quòd ad eoſdem dirigit hanc ad quos direxit primam epiſtolam, hîc à diuino dono eos deſcribit. Et dicit *ſortiti*, non caſuali ſorte, ſed diuinæ electionis. Nobiſcum autem Apoſtolos demonſtrat. IN IVSTITIA DEI NOSTRI, ET SALVATORIS IESV CHRISTI. Non in iuſtitia noſtra, non in meritis noſtris, ſed in iuſtitia Dei: quæ eſt iuſtitia ſaluatoris Ieſu Chriſti. Satis conformis, imò eadem eſt hæc doctrina doctrinæ Pauli diſtinguentis iuſtitiam Dei (quæ eſt iuſtitia fidei, quæ eſt iuſtitia qua iuſtificamur à peccatis) ab vniuerſis iuſtitiis noſtrorum operum.

GRATIA VOBIS ET PAX ADIMPLEATVR IN Verſ. 2.
COGNITIONEM, pro *agnitione* DEI ET IESV CHRI-
STI DOMINI NOSTRI. Salutatio Apoſtolica eſt, conſtans ex gratia & pace. Imprecatur autem complementum præſentium donorum in vita æterna: quæ conſiſtit in agnitione Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

QVOMODO OMNIA NOBIS DIVINÆ VIRTV- Verſ. 3.
TIS SVÆ, QVÆ AD VITAM ET PIETATEM DONATA SVNT, pro *vt eius diuina potentia omnia nobis largita eſt*, quæ ad vitam, ac pietatem pertinent, PER COGNITIONEM, pro *agnitionem*, EIVS QVI VOCAVIT NOS PROPRIA GLORIA ET VIRTVTE, pro *gloriam & virtutem*. Gratia & pax in agnitione Dei & Ieſu Chriſti adimpleatur ſic, eáque ratione quemadmodum diuina eius potentia largita eſt nobis omnia quæ ad vitam animæ, ad vitam ſpiritualem, ac pietatem erga cœleſtem patrem, patriam, illiúſque ciues pertinent: largita eſt autem hæc per agnitionem Ieſu Chriſti, qui vocauit nos tum gloria, tum virtute,

Conſtat hæc dona largita eſſe nobis per fidem qua cognoſcimus Ieſum Chriſtum. Conſtat quoque quòd Ieſus Chriſtus vocauit nos
tum *virtute*; & eſt ſermo de virtute vt diſtin- *Tota Chriſti vita, virtus fuit.*
guitur contra vitium. Vniuerſa enim vita Chriſti virtus fuit, immunis à quocumque minimo lapſu à virtute, quo fit vt Chriſtiana religio omnem amplectatur virtutem iure ſuæ vocationis. Tum *gloria*, ſiue gloria referatur ad gloriam tot, talium & tantorum miraculorum: ſiue gloria referatur ad gloriam immortalitatis corporis eius. Ita quòd in ſtatu paſſibili vocauit nos virtute: in ſtatu autem immortali vocauit nos gloria.

PER QVAM, pro *per quæ*, MAXIMA ET PRE- Verſ. 4.
TIOSA NOBIS PROMISSA DONAVIT. Relatiuum *quæ*, refertur ad omnia quæ nobis diuina

potentia

potentia largita eſt. Et eſt ſenſus, per quæ, ſpectantia ad vitam & pietatem, maxima & precioſa promiſſa nobis donata. Non ſunt pura dona, ſed deferunt ſecum longè maiora promiſſa, non pollicitatione, ſed donatione iam noſtra. Et quæ ſint hæc promiſſa maiora ſubiungit: VT PER HÆC EFFICIAMINI DIVINÆ CONSORTES NATVRÆ. In cœleſti patria adimplebitur hoc: per hæc enim præſentia dona efficimur in futura vita diuinæ naturæ conſortes: vtpote videntes Deum ſicuti eſt, quod eſt proprium ipſius diuinæ naturæ. Nulla enim creatura fieri poteſt tam excellens, vt ſuapte natura videat Deum ſicuti eſt: ſed hoc oportet ex ſupernaturali conſortio diuinæ naturæ habere.

Aduerte prudens Lector, quàm longo contextu pendulam effecerit ſententiam. Cùm dixiſſet *gratia & pax adimpleatur in agnitione Dei*, &c. adiunxit rationem quâ nobis tot in hac vita largitus eſt Deus, vt efficiamur diuinæ naturæ conſortes, quod eſt redire ad primum imprecatum.

FVGIENTES EIVS QVÆ IN MVNDO EST CONCVPISCENTIÆ, pro *in concupiſcentia*, CORRVPTIONEM. Ne errares intelligendo quòd diuina dona efficerent nos conſortes diuinæ naturæ ſine noſtra cooperatione adiungit quòd ſic efficiemini diuinæ naturæ conſortes, ſi refugeritis corruptionem, non quæ eſt in corpore, ſed quæ eſt in concupiſcentia. Corruptas concupiſcentias vult intelligi concupiſcentias diſſonantes à recta ratione, integritati ſiquidem animi contrariantur.

Verſ. 5. VOS AVTEM CVRAM OMNEM, pro *& in hoc ipſum autem curam omnem*, CONFERENTES. Demõſtrat hoc ipsũ, quod dixerat, *vt hæc per efficiamini diuinæ naturæ conſortes*, in hoc enim oportet omne ſtudium noſtrum conferre. Et quod in genere dixit, *omnem curam veſtram*, explicat diſtinguendo per partes. MINISTRATE IN FIDE VESTRA VIRTVTEM. Et eſt ſermo de virtute, vt diſtinguitur contra vitium. Fides enim ſine operibus mortua eſt. Et propterea oportet fidei ſubminiſtrare virtutem moralem. IN VIRTVTE AVTEM SCIENTIAM. Virtus moralis prudentiæ connexa ſic eſt, vt neutra ſine altera eſſe poſſit.

Verſ. 6. IN SCIENTIA AVTEM ABSTINENTIAM, pro *temperantiam*: non prout eſt ſpecialis virtus circa delectationes venereas, ſed potius prout ſonat generalem modum virtutum: qui conſiſtit in ſingularum actionum temperatione: vt per hæc duo (virtutem videlicet & temperantiam) vterque generalis modus virtutis fuerit ſignificatus: virtute quidem modus impulſiuus: temperantiâ autem modus retractiuus. In his enim duobus modis conſiſtunt omnes virtutes morales. IN ABSTINENTIA, pro *in temperantia*, AVTEM PATIENTIAM. Hæc eſt Chriſtiana virtus, qua amore Dei toleramus mala voluntariè. IN PATIENTIA AVTEM PIETATEM: erga fratres, &c. Vana enim eſſet patientia, ſi non annexam haberet pietatem quando & vbi oportet.

Verſ. 7. IN PIETATE AVTEM AMOREM FRATERNITATIS, pro *amorem fraternum*. Exterior pietas quę cultum officiumque exhibet, vana eſſet niſi eſſet intus amor fraternus. IN AMORE AVTEM FRATERNITATIS, pro *in amore autem fraterno*, CHARITATEM, pro *dilectionem*. Ex eo quòd non determinat cuius, intelligitur abſolute: dilectio enim abſolutè extendit ſe ad omnes. Mandat Petrus vt non ſimus contenti amore fraterno, ſed cum hoc habeamus etiam dilectionem ad omnes. Et eſt dilectio hæc Chriſtianis propria: quibus mãdatur diligere etiã inimicos.

Dilectio ad omnes Chriſtianis propria.

HÆC ENIM SI VOBISCVM ADSINT ET SVPE- Verſ. 8.
RENT, pro *exuberent*, NON VACVOS NEC SINE FRVCTV. Non vacuos quoad recipiendum, nec ſine fructu quoad producendum. VOS CONSTITVENT IN DOMINI IESV CHRISTI COGNITIONE, pro *cognitionem*, quoniam & recipietis, & producetis conferentia ad cognitionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hoc eſt bonum ex his proueniens, malum autem proueniens ex horum abſentia, ſubiungitur:

CVI ENIM NON PRÆSTO SVNT HÆC, CÆCVS Verſ. 9.
EST ET MANV TENTANS. Contraria cognitioni, & illius profectui ſunt cæcitas, & manu viam tentare. Per quæ metaphoricè deſcribitur ſtatus Chriſtianorum ſine virtute quòd ſunt cæci, non videntes propriam damnationem, & quòd procedunt velut manu tentantes, non videntes impedimenta viæ. Et quod tertium eſt: OBLIVIONEM ACCIPIENS PVRGATIONIS VETERVM SVORVM DELICTORVM: hoc eſt, ad ſimilitudinem obliti, ac ſi non fuiſſent ei remiſſa peccata in baptiſmo ſe habet: vtpote non reminiſcens cœpti itineris ad cœleſtem patriam, vtpote ingratiſſimus poſt tantum beneficium ſe habens vt oblitus.

QVAPROPTER FRATRES MAGIS SATAGITE, Verſ. 10.
pro *operam date*. Ad id redit vnde cœperat, *vt efficiamini diuinæ conſortes naturæ*. VT PER BONA OPERA CERTAM VOCATIONEM VESTRAM, ET ELECTIONEM FACIATIS. Superfluit *per bona opera*, nec eſt *certam*, ſed *firmam*. Modus autem quo firma facienda eſt vocatio & electio ſubiungitur, dicendo: HÆC ENIM FACIENTES NON PECCABITIS, pro *non labemini*, ALIQVANDO. Et pronomen *hæc*, demonſtrat ſuperius dicta, *miniſtrate in fide virtutem*, &c. Hæc enim faciendo non labemini, quod eſt contrarium firmitati: non labemini à veſtra vocatione & electione, ſed firmi perſeuerabitis in illa.

Sic enim abundanter miniſtrabitur Verſ. 11.
vobis introitus in æternum regnum Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

PROPTER QVOD INCIPIAM, pro *non negli-* Verſ. 12.
gam, VOS SEMPER COMMONERE DE HIS: ET QVIDEM, pro *quanquam*, SCIENTES ET CONFIRMATOS VOS IN PRÆSENTI VERITATE.

IVSTVM AVTEM ARBITROR QVANDIV SVM IN Verſ. 13.
HOC TABERNACVLO EXCITARE VOS IN COMMONITIONE. Docet Petrus vt quamuis ſubditi ſint docti & firmi in veritate fidei, paſtores tamen non debent negligere officium admonendi eos, imò iuſtum hoc eſſe arbitratur.

Paſtores non debent negligere officium admonendi ſubditos quantumuis doctos.

Certus quòd velox eſt depoſitio taber- Verſ. 14.
naculi mei: ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi.

DABO AVTEM OPERAM ET FREQVENTER, pro Verſ. 15.
& ſemper, hoc eſt indefeſsè, quãdiu vixero. HABERE VOS POST OBITVM, pro *exitum*, MEVM, proculdubio de tabernaculo corporis. VT HORVM OMNIVM MEMORIAM FACIATIS, hoc eſt, vnde

ſeu

ſe iu quo horum omnium memoriam faciatis. Et eſt ſenſus quòd dabo ſemper operam, vt habeatis tractatus,ſeu libros quibus poſſitis ſemper memoriam horum facere. Scriptum eſt enim, *& memores ſunt mandatorum eius ad faciendum ea.*

Verſ.16. Non enim indoctas fabvlas,pro *fallaces fabulas*, secvti, ad differentiam fabularum quæ non ſunt fallaces: quas videlicet communiter omnes agnoſcunt eſſe fabulas. Fallaces enim fabulæ ſunt quæ tanta arte ſunt confictæ, vt videantur veræ. Notam fecimvs vobis Domini nostri Iesv Christi virtvtem et præscientiam,pro *potentiam & aduentum*. Potentia enim refertur ad diuinitatem, aduentus verò ad humanitatem Chriſti. Sed specvlatores facti illivs magnitvdinis. *Illius* maſculini eſt generis:& demonſtrat *Dominum Ieſum*. Eſt enim ordo literæ, ſed ſpeculatores facti magnitudinis illius, Ieſu Chriſti. Viderunt namque magnitudinem illius in monte, qui ſoliti erant videre humilitatem eiuſdem.

Fabulæ fallaces, quænam?

Verſ.17. Accipiens, pro *accepit*, enim à Deo patre honorem & gloriam voce delapſa ad eum huiuſmodi à magnifica gloria. Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi complacui. Sententia eſt clara ex relatis in Euangeliis. Ipsvm avdite. Superfluunt hæ duæ dictiones.

Verſ.18. Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.

Verſ.19. Et habemvs firmiorem propheticvm sermonem. Non dicit *veriorem*, aut *clariorem*, aut *maioris authoritatis*, ſed *firmiorem*: quod conſtat veriſſimum tunc fuiſſe: quoniam propheticus ſermo longe magis firmatus erat in mentibus hominum quàm ſermo iſte, cuius teſtem ſe exhibet Petrus. Tam longo enim æuo & ætatibus multis firmatus iam erat in mentibus hominum ſermo prophetarum: & propterea Petrus firmiorem appellat ſermonem propheticum ſermone nouiter è cœlo delato, & non quòd ſit firmior in ſe.

Cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Vniuerſum præſentis vitæ ſtatum aſſimilat loco caliginoſo egenti lucernæ lumine: quod erat ſacra Scriptura. Futura autem vita aſſimilatur diei claro, quo lucifer Chriſtus oritur non corporaliter, ſed ſpiritualiter in cordibus humanis. Eſt enim lux non corporum, ſed mentium.

Præſens vita loco caliginoſo, futura diei claro aſſimilatur.

Verſ.20. Hic primvm intelligentes qvòd omnis prophetia scriptvræ, ad differentiam prophetiæ quæ non eſt in canone ſacræ Scripturæ. Sic enim & Dominus appellauit vetus Teſtamentum: dicendo *ſcrutamini ſcripturas*. Propria interpretatione non fit. Inter ſcriptas ſcientias, & ſcriptas prophetias differentiam tangit, penes hoc quòd vir doctus ea quæ in lumine intellectus agentis apparent, iuxta propriam interpretationem, & docet & ſcribit: propheta autem ea quæ ſibi ſub lumine diuinæ reuelationis apparent, non ſecundum proprij iudicij interpretationem, & dicit & ſcribit,

Verſ. 21. Non enim volvntate hvmana allata est aliqvando prophetia. Cùm debuiſſet dicere, non enim intellectu humano allata eſt aliquando prophetia, dixit *voluntate*: eo quòd prophetiæ ſunt de ſingularibus contingentibus futuris: ad quorum certitudinem conſtat non ſe extendere intellectum humanum: ſed ad eorundem vaticinia conſtat ſe extendere præſumptionem voluntatis humanæ: & ideo excluſit voluntatem humanam.

Sed Spiritv sancto inspirati, pro *ſed à Spiritu ſancto acti*. Et in hoc tangit differentiam inter veros & falſos prophetas. Veri enim Prophetæ aguntur à Spiritu ſancto ad interpretandum quæ eis reuelantur: & ſic totum quod eſt prophetiæ, Spiritui ſancto tribuitur. Falſi autem prophetæ aguntur à ſpiritibus dæmoniacis, à ſpiritibus melancholicis, &c. Locvti svnt sancti Dei homines.

CAPVT II.

Fvervnt avtem et psevdoprophe- Verſ.1.
tæ in popvlo, proculdubio Iſraelitico. Sicvt et in vobis ervnt magistri mendaces, pro *pſeudomagiſtri*: Qvi introdvcent sectas perditionis, et evm qvi emit eos Devm, pro *Dominum*, negantes. De Chriſto clare loquitur, qui ſanguine proprio homines redemit. Svperindvcentes sibi celerem perditionem. Quò facilior eò celerior ſuapte natura eſt perditio, & propterea iſti qui faciliorem inducunt interitum æternum, dicuntur inducere celerem perditionem. Hæretici namque facillimè damnantur: *Qui* enim *non credit, iam iudicatus eſt*.

Et mvlti seqventvr eorvm lvxvrias, Verſ. 2.
pro *exitia*: per quos via veritatis blaſphemabitur. Tum ſequaces tum pſeudomagiſtri referri poſſunt per relatiuum *quos*: ſequentibus tamen magis quadrat, vt referantur pſeudomagiſtri. De quibus ſubditur,

Et in avaritia fictis verbis de vobis Verſ. 3.
negotiabvntvr. Non longè ab iſtis ſunt prædicatores quæſtus, qui abutuntur populi Chriſtiani deuotione ad quæſtum, qui ignoranter, aut temerè prædicare audent, quòd ſoluentes carolinum, aut ducatum prouocatâ Indulgentiâ plenariâ, ſunt in eo ſtatu ac ſi tunc baptizati fuiſſent: & ſimiliter quòd liberant animam vnam à Purgatorio: hæc enim monſtra ſunt, & negotiationes de Chriſtiano populo. Neſcit Chriſtiana religio hæc figmenta: ſed adinuentiones ſunt eorum qui in auaritia fictis verbis de Chriſtianis negotiantur, abutentes illis ad quæſtum.

Prædicatores quæſtus.

Qvibvs ivdicivm iam olim non cessat, pro *non tardat*, hoc eſt, quibus iam olim iudiciū paratum non tardat. Et de executione iudicij ſubiungitur, Et perditio eorvm non dormitat. Et eſt ſenſus quòd paratum iudicium non differtur vltra tempus proprium: & executio eius nullam patitur impedimentum, ſicut qui dormitat impeditur à ſomno.

Si enim Devs angelis peccantibvs, pro Verſ. 4.
qui peccauerant, non pepercit, sed rvdentibvs, pro *catenis*, inferni, pro *caliginis*, detractos in tartarvm, tradidit crvciandos in ivdicivm reservari, pro *tradidit ſeruandos*

in iudicium. In aliquibus tamen codicibus Græcis legitur *ſeruatos*. Et eſt ſenſus quod ad ſimilitudinem principis detrudentis aliquos criminoſos in carcerem vinctos catenis ad priuandum eos libero vſu membrorum, Deus tradidit dæmones qui peccauerant, in carcerem tartari (hoc eſt, infernalis loci) & catenis caliginis vinxit eos: hoc eſt, virtutem detentiuam eorundem dedit caligini. Quod poteſt referri ad motum localem, vel ad alios motus animi. Et ſi quidem referatur ad motum localem, ſenſus eſt quòd dedit caligini corporeæ officium catenæ ad retinendum virtutem motiuam dæmonum ne poſſint inde exire. Si verò referatur ad alios animæ motus, ſenſus eſt, quòd dedit caligini ſpirituali officium catenæ, ad detinendum intellectũ ne poſſit intelligere particularia omnia quæ ex applicatione proprij ſtudij poſſet intelligere. Conſtat enim ex Euangelio dæmones habere ligatam vim operatiuam. Quòd autem ligatum habeant intellectum ad cognoſcendum aliqua particularia, tentatio Chriſti teſtatur.

Virtus motiua dæmonum detenta.

Seruatos autem, ſeu *ſeruandos in iudicium* dicit: quia adhuc non ſunt extremæ damnationi ſubiecti, ſed hoc extremo iudicio reſeruatur. Vnde & Dominus in Euãgelio dicit de igne æterno, *qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*: & nõ dicit, qui iã datus eſt Diabolo, & Angelis eius.

Verſ. 5. Et originali, pro *antiquo*, mvndo non pepercit. Antiquum mundum vocat mũdum ab Adam vſque ad Noe. Sed octavvm Noe ivstitiæ præcoæm cvstodivit, dilvvivm mvndo impiorvm indvcens. Præconem iuſtitiæ Noe denominauit *octauum*, ad ſignificandum quòd non ſolus, ſed cum ſeptem animabus octauus ſaluatus eſt.

Mundus antiquus, qualis?

Verſ. 6. **Et ciuitates Sodomorum & Gomorræ in cinerẽ redactas, euerſione dãnauit.** Tam res geſta diluuij, quàm res geſta circa ciuitates Sodomorum in Geneſi ſcribitur.

Exemplvm eorvm qvi impie actvri svnt ponens. Ad vtrumque (diluuium videlicet, & ſubuerſionem Sodomorum) refertur exemplũ.

Verſ. 7. **Et iuſtum Loth oppreſſum à nefariis in laſciuia conuerſationis, eripuit.** Et hæc hiſtoria in Geneſi quoque habetur.

Verſ. 8. Aspectv enim et avditv ivstvs erat. Magna laus Lot, quòd inter nefarios viros habitans, nec aſpectu, nec auditu peccaret. Verùm aduerte quòd interpres ſenſum reddidit quò textus tendit, non ipſum textum. Legendum enim eſſet: *Aſpectu enim & auditu iuſtus* inhabitans inter illos, qvotidie animam ivstam iniqvis operibvs excrvciabat. Affectum ipſius Loth deſcribit Petrus, explicans quanto mœrore concipiebat iniqua opera illorum inter quos habitabat, vſqueadeo quòd excruciabat propriam animam viſis, ſeu auditis iniquis operibus illorum.

Verſ. 9. Novit Devs, pro *Dominus*. Hoc vt conſequens accipiendum eſt illius conditionalis ſuperiùs inchoatæ, ſi enim Deus Angelis peccantibus. Ita quòd antecedens illius conditionalis conſtet ex quatuor partibus: videlicet ex Angelis, ex antiquo mundo ex ciuitatibus Sodomorum & ex oppreſſo Lot. Conſequens autem ſic quod modo dicitur, *nouit Dominus*. Et habet tres partes. Prima eſt, Pios de tentatione eripere. Secunda eſt, Iniqvos verò in diem ivdicii reservare crvciandos. Tertia autem quæ ſubiungitur,

Magis autem, pro *maxime autem*, **illos qui** Verſ. 10.
poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationémque contemnunt, audaces, ſibi placentes, pro *contumaces*, **ſectas non metuunt introducere blaſphemantes,** pro *opiniones non tremunt blaſphemantes.* Quinque genera vitiorum familiarium hæreticis ſupputat. Quorum primum eſt vitium carnale. Secundum, contemptus non ſolum dominorum, ſed dominationum. Tertiũ, audacia. Quartum, contumacia: & quintũ, quòd opiniones quantumcunque blaſphemas non metuunt inducere, ſeu ſequi. Et quamuis omnes hæretici valde puniendi ſint, inuolutos tamen his vitiis Petrus maximè puniẽdos dicit.

Quinque vitia hæreticis familiaria.

Vbi angeli qvi svnt fortitvdine et vir- Verſ. 11.
tvte, pro *robore & potentia*, maiores, non portant, pro *non ferunt*, adversvm se. Deſunt duę dictiones: Apvd Dominvm, execrabile, pro *blaſphemum*, ivdicivm. Grauitatem æternæ dãnationis monſtrat: ex eo quòd dæmones robuſtiores natura & potentiores viribus quam ſint homines, non ſufferunt iudicium illud. Quod denominant blaſphemum, ex eo quòd blaſphemando recipitur, imò ex hoc declarat qualiter non ferant. Quod enim blaſphemando toleratur, non ſuffertur.

Hi verò, proculdubio magiſtri erroris, Ve- Verſ. 12.
lvt irrationalia pecora, pro *bruta animantia*, quæ videlicet non loquuntur. Natvraliter, pro *natura genita*, in coptionem et pernidiem. Capiuntur enim & perneccantur animantia quaſi ſuapte natura. In iis qvæ ignorant blasphemantes in corrvptione, pro *pernicie*, sva peribvnt. Ad ſimilitudinem brutorum quæ capiuntur in laqueis quos ignorant, deſcribit iſtos blaſphemantes perire in ſuis ignorantiis pernicioſis. Et rationem ſubdens ſubiungit,

Percipientes mercedem inivstitiæ. Me- Verſ. 13.
rentur enim in ſuis erroribus capi & perire ex propria iniuſtitia qua Deo iniuriantur. Volvptatem existimantes diei delicias, coinqvinationis, pro *coinquinationes*, et macvlæ. Nominatim pluralis ſunt ambæ. Et eſt ſenſus, quòd iſti hæretici non coinquinati & maculati, ſed coinquinationes & maculæ (ad ſignificandum tum quòd eminentiſſimè ſunt coinquinati & maculati, tum quòd ſunt aliorũ coinquinationes & maculæ) iſti inquam ſunt exiſtimantes voluptatem delicias diei. Homines qui ſapiunt, putant delectationes carnales eſſe delicias noctis, hoc eſt, occulte percipiendas. Vnde & Paulus opera tenebrarum definiuit impudicitias, comeſſationes, ebrietates, & huiuſmodi: iſti verò hæretici carnales delectationes computant inter delicias diurnas: quod eſt dicere eas eſſe licitas, honeſtas, tanquam ea quæ fiunt in die.

Hæretici ſunt coinquinationes & maculæ.

Delectationes carnales diurnas, id eſt, licitas putant hæretici.

Deliciis afflventes, in conviviis svis lvxvriantes vobiscvm, pro *deliciantes in deceptionibus ſuis coepulantes vobis*, hoc eſt, non ſolum exiſtimant delectationes eſſe licitas, ſed facto attractiuo veſtri id monſtrant: nam inter ſuos errores vacant deliciis, & coëpulantur ad hoc, vt vos alliciant ad ſimilia.

Verſ. 14. OCVLOS HABENTES PLENOS ADVLTERII. pro, *adultera*. Delectationibus gulæ adiungit delectationes venereas: & eas quas leges deteſtãtur, Vnde & oculos eorum dicit plenos adulteræ, tanquam nihil aliud ſpectent niſi ad adulteria. ET INCESSABILIS DELICTI. pro, *& qui non ceſſant à peccato*, vt perſeuerantia ſignificetur. PELLICIENTES. pro, *ineſcantes*, ANIMAS INSTABILES. Effectus deſcribitur horũ hæreticorum. COR EXERCITATVM IN AVARITIA HABENTES. Poſt crimina carnalia ad crimen auaritiæ eorundem tranſit. MALEDICTIONIS FILII. Et ſubiungendo radicem mali ait,

Verſ. 15. DERELINQVENTES VIAM RECTAM. proculdubio Chriſtianæ fidei quã profeſſi erant. ERRAVERVNT, errant omnes qui operantur malum. Et exemplum erroris ſubiungit, SECVTI VIAM BALAAM EX BOSOR. pro *filij Boſor*: QVI MERCEDEM INIQVITATIS AMAVIT. Hiſtoria longa eſt: & habetur Num. 22.

Verſ. 16. CORREPTIONEM VERÒ HABVIT SVÆ VESANIÆ. pro, *propriæ iniquitatis*, ſubiugale mutum in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam

Verſ. 17. Hi ſunt fontes ſine aqua & nebulæ turbinibus exagitatæ: quibus caligo tenebrarum reſeruatur pro, *in æternum ſeruata eſt*. Aſſimilantur huiuſmodi hæretici fontibus ſine aqua, quoad bonũ, & nebulis turbine agitatis quoad malum: pro quanto ſeruant obſcuritatem tam fidei tam morum in æuum iſtius mundi. Quomodo autẽ ſeruent caliginem morum ac fidei, ſubiungit.

Hæretici fontibus ſine aqua ſimiles & nebulis &c.

Verſ. 18. SVPERBIA. pro, *ſuperba*, ENIM VANITATIS LOQVENTES. proculdubio verba. PELLICIVNT. pro, *ineſcant*. IN DESIDERIIS CARNIS LVXVRIÆ, pro, *laſciuiis*. ineſcant laſciuiis in concupiſcentiis carnis. EOS QVI PAVLVLVM EFFVGIVNT. pro, *aufugerant*, proculdubio à recto. Vbi conſidera periculum etiam parum declinandi à recto. Tales enim facilè ineſcantur. Et hoc eſt primũ genus eorum qui facile trahũtur ab hæreticis. Alterum vero genus ſubiungitur, QVI IN ERRORE CONVERSANTES. Errantes in intellectu fidei, facile trahuntur ab hæreticis ad hæreſes & laſciuiam morum. Vel conuerſantes cum hæreticis appellat eos qui in errore cõuerſantur. Ipſa enim conuerſatio via quædam eſt ad hoc, vt ſeducantur.

Verſ. 19. LIBERTATEM ILLIS PROMITTENTES. proculdubio carnis tanquam licitam. Cùm IPSI SERVI SINT CORRVPTIONIS. proculdubio animi. Et hanc ſeruitutem probat: & probatio & ſententia eſt clara. A QVO ENIM QVIS SVPERATVS EST, HVIVS ET SERVVS EST. pro, *huic etiam ſeruus factus eſt*.

Verſ. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facti ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. pro, *poſtrema deteriora primis*. Et hoc probat ſubiungendo:

Verſ. 21. MELIVS ENIM ERAT ILLIS NON COGNOSCERE. pro, nõ cognouiſſe. VIAM IVSTITIÆ, QVAM POST COGNITIONEM RETRORSVM CONVERTI AB EO QVOD ILLI TRADITVM EST SANCTO MANDATO. Sententia eſt clara.

Verſ. 22. Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro. pro, *ad volutabrum*, LAVTI. ſubintelligitur, reuerſa.

CAPVT III.

Verſ. 1. HANC ECCE. pro, *iam*; CHARISSIMI. pro, *dilecti*, ſecundam vobis ſcribo epiſtolam, in quibus veſtrã excito in commonitione ſynceram mentem.

Verſ. 2. Vt memores ſitis eorum quæ prædixi verborum. pro, *prædictorum verborum*, à ſanctis prophetis & apoſtolorum veſtrorum præceptorum Domini & ſaluatoris. pro, *& Apoſtolorum noſtrorum mandati Domini & ſaluatoris*. Et ordo literæ & mandati noſtrũ, appoſitiuè Apoſtolorum Domini & ſaluatoris. Et eſt ſenſus: vt memores ſitis, non ſolum prædictorum à prophetis, ſed etiã mandatorũ quę à nobis Apoſtolis Domini & ſaluatoris accepiſtis.

Verſ. 3. Hoc primũ ſcientes, quòd veniẽt in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores. Superfluit *in deceptione*. IVXTA PROPRIAS CONCVPISCENTIAS AMBVLANTES.

Illuſores in nouiſſimis temporibus venient.

Verſ. 4. DICENTES, VBI EST PROMISSIO. proculdubio vniuerſalis reſurrectionis, ſeu (quod idem eſt) regni Chriſti. AVT ADVENTVS EIVS; proculdubio glorioſi ad iudicium. Et ratio inſultandi ſubiungitur, EX QVO ENIM PATRES DORMIERVNT, OMNIA SIC PERSEVERANT AB INITIO CREATVRÆ. pro, *conditionis*. Augmento ſolito vtuntur quòd ſemper mundus vno modo fuit: & conſequenter ſic perſeuerabit diuerſis varietatibus ſubiectus, nunquam terminandus aduentu Chriſti.

Verſ. 5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES. Aduerſus ſolitum argumentum dicit Petrus, quòd ipſi ſponte ignorant hoc, ſubiungendum: ita quod eſt eorum ignorantia affectata. Res autem ſpõte ignorata ſubiungitur, QVÒD CŒLI ERANT PRIVS. pro, *iam olim*: ET TERRA DE AQVA ET PER AQVAM CÕSISTENS. pro, *conſiſtentes*, DEI VERBO,

Verſ. 6. PER QVÆ ILLE TVNC MVNDVS AQVA INVNDATVS PERIIT. Et eſt ſenſus quòd aër & terra beneficio aquæ conſiſtentes, ipſum qui tunc erat mundum inundatione aquæ deſtruxerunt. Et hoc directè dicit contra dicentes quòd mundus ſemper eodem modo perſeuerauit. Vide ſingula. Dicit quod cœli & terra erant de aqua & per aquam conſiſtentes. Non eſt hic ſermo de cœlis, id eſt corporibus cœleſtibus, ſed de cœlis, id eſt aëre: iuxta illud, *volucres cæli*. Pluraliter autem ſignificatur, propter diuerſas partes aëris.

Cœlos hic intellige aërem.

Quod autem dicit tam aërem quam terram conſiſtere ex aqua, dupliciter poteſt intelligi. Vel de ipſo aëre & de ipſa terra, & ſic ſignificaretur illud in principio Geneſis ſcriptum: *Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida*. Per huiuſmodi enim congregationem aquarum & terra quatenus arida conſiſtit ex aqua ſegregata: & ſimiliter aër qui ſucceſſit loco aquarum ſegregatarum, conſiſtit ex aqua ſegregata. Si vero (quod potius complectendum videtur) non de ipſa terra & aëre ſecundum ſe, ſed ſe-

Volucres producta ſunt ex aquis. cundum plenitudinem eorum intelligitur : ſic eſt ſenſus clarus : quod aër & terra ſecundum ſuas plenitudines conſiſtunt ex aqua & per aquam. Nam volucres cœli implentes aërem, ex aquis fuiſſe productas conſtat in principio Geneſis. Et breuiter (vt Philoſophi tradunt) omnium viuentium mater eſt aqua : vt teſtatur omnium animantium ſemina naturæ liquidæ: Et per hanc rationem animantia tam implentia terram, quàm aërem, ex aqua, & per aquam conſiſtunt : vtpote quæ aluntur humido. Et hæc quoad cauſas naturales. Cauſa verò prima, tam efficiens, quàm conſeruans tangitur dicendo *Dei verbo*. Cùm ſubiungitur *per quæ*, referuntur Dei verbum, cœli, terra, aqua : nam per verbum Dei principaliter, & per apertas cataractas cœli, & proruptos in terra fontes abyſſi : inundatione aquarum mundus ille periit qui fuit ante Noë, quoad plenitudinem animantium, tam in aëre, quàm in terra.

Verſ. 7. COELI AVTEM QVI NVNC SVNT ET TERRA, EIVSDEM VERBO REPOSITI SVNT, IGNI RESERVATI IN DIEM IVDICII ET PERDITIONIS IMPIORVM HOMINVM. Non eſt alia terra, neque alij cœli ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum plenitudinem animalium. Et propterea Petrus tanquam de alijs cœlis, & alia terra loquitur. Et arguit ex præterito interitu cœlorum, & terræ quoad plenitudinem animantium, eodem verbo Dei reſeruari vt conſumantur per ignem in die iudicij: neque enim minoris poteſtatis eſt verbum Dei ad perdendum per ignem quàm fuerit ad perdendum per aquam.

Verſ. 8. ∴ **Vnum verò hoc non lateat vos chariſſimi**, pro *dilecti*, **quòd vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus.**

Verſ. 9. **Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant.** Duo dixerant illuſores. Alterum quòd omnia ſic perſeuerant, & contra hæc attulit diluuium. Alterum vbi eſt promiſſio, quaſi dixerint quòd tanta tarditas atteſtatur nullitati. Et aduersùs hoc dicit Petrus, quòd apud Deum vnus dies ſupputatur pro mille annis, & è diuerſo. Et dixit hoc quoniam relatiuè ad æternitatem etiam centum millia annorum ſupputantur vnus dies. Et hinc deducit quòd non tardat Dominus adimplere promiſſionem ſuam.

Rectè dicit *non tardat* : quia nec per vnam horam vltra tempus definitum differt. SED PATIENTER AGIT, pro, *ſed longanimis eſt*, PROPTER VOS, pro *erga nos*. Non eſt tarditas, ſed longanimitas, nobis vtilis : vtpote, NOLENS ALIQVOS PERIRE, SED OMNES AD POENITENTIAM REVERTI, pro *recipere*. Verba hæc vt ſonant exponenda ſunt ſicut illa Pauli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*. Poſſunt enim intelligi de voluntate antecedente : hoc eſt, de velleitate. Poſſunt & intelligi non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum. Poſſunt & limitari ad electos : quòd non vult aliquos electorum perire, qui perirent niſi expectarentur. Verbi gratia, ſi Petrus fuiſſet mortuus ſtatim poſtquam negauit Chriſtum, ſi Paulus fuiſſet mortuus ante ſuam conuerſionem, & ſic de alijs peccatoribus electis.

ADVENIET AVTEM DIES DOMINI SICVT FVR. Verſ. 10. Deeſt *in nocte*. Diſtinxerant illuſores irriſionem in duas partes, vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius: Contra dilatam promiſſionẽ, poſtquam dixit Petrus quòd non eſt tarditas, ſed longanimitas, ad id quod dicitur de aduentu modo reſpondet, quod dies Domini non adueniet præcognitus, ſed quemadmodum fur in nocte. Et propterea ceſſat inſultatio vbi eſt aduentus? *Dies Domini ſicut fur in nocte.*

IN QVO COELI MAGNO IMPETV TRANSIENT. De corporibus ipſis cœleſtibus poteſt intelligi quòd ad ſimilitudinem impulſorum magno impetu tranſibunt, non à ſubſtantia, ſed à motu. ELEMENTA VERÒ CALORE SOLVENTVR. Aërẽ & aquam ſolui, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad miſtionem quam habent adiunctam intellige: remanebunt enim elementa pura. TERRA AVTEM ET OMNIA QVÆ IN IPSA SVNT OPERA EXVRENTVR. Similiter intellige de terra ſicut de aëre & aqua diximus, de miſtis autem quæ in terra ſunt nulla eſt ambiguitas.

CVM IGITVR HÆC OMNIA DISSOLVENDA Verſ. 11. SINT, QVALES OPORTET VOS ESSE IN SANCTIS CONVERSATIONIBVS ET PIETATIBVS,

EXPECTANTES ET PROPERANTES pro *& accelerantes*, Verſ. 12. IN ADVENTVM, pro *aduentum*, DIEI DOMINI, pro *Dei*. Accelerantes intellige non tempus minuentes, ſed affectu vrgente. Et appellatur dies Dei, dies iudicij vniuerſalis: quoniam tunc manifeſtabitur Deus omnibus, vt nullus poſſit dubitare amplius de ipſo Deo. PER QVEM, diem Dei, qui eſt dies iudicij. COELI ARDENTES SOLVENTVR. De inferioribus cœlis (hoc eſt, de partibus aëris) intellige. ET ELEMENTA IGNIS ARDORE TABESCENT, pro *& elementa æſtuantia liqueſcunt*. Præſentis eſt temporis : repetit monendo prius dicta narrando.

NOVOS VERÒ COELOS ET NOVAM TERRAM ET Verſ. 13. PROMISSA, pro *iuxta promiſſum*, ILLIVS EXPECTAMVS IN QVIBVS IVSTITIA HABITAT. Non dicit alios cœlos & aliam terram, ſed cœlos nouos & nouam terram, nouis modis eſſendi. Erunt enim cœli abſque motu & terra abſque miſtura, &c. *Cœli noui & terra noua.*

Relatiuum autem *in quibus*, poteſt referri tũ ad nouos cœlos, & nouam terram : vt explicetur nouitas ex habitatione iuſtitiæ, excluſo omni peccato : vel potius ad nos qui expectamus. Et eſt ſenſus quòd non omnes expectamus, ſed ij tantùm in quibus iuſtitia inhabitat: alij enim non expectant, ſed timent.

PROPTER QVOD CHARISSIMI, pro *dilecti*, HÆC Verſ. 14. EXPECTANTES SATAGITE, pro *date operam*, IMMACVLATI ET INVIOLATI, pro *irreprehenſibiles*, EI: hoc eſt, ad honorem & gloriam eius INVENIRI IN PACE.

ET DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI LONGA- Verſ. 15. NIMITATEM. Superſunt *Ieſu Chriſti*. SALVTEM ARBITRAMINI. Hortatur ad id quod ſuperiùs dixerat de diuina longanimitate. Hortatur autem vt longanimitatem Domini noſtri arbitrentur ſalutem, non dilationem, nec pro malo, ſed pro optimo: puta pro ſalute noſtra.

SICVT ET CHARISSIMVS, pro *dilectus*, FRA- Verſ. 16. TER NOSTER PAVLVS SECVNDVM DATAM SIBI SAPIENTIAM SCRIPSIT VOBIS, SICVT ET IN OMNIBVS EPISTOLIS LOQVENS IN EIS DE HIS. Extendit ſapientiam Pauli monſtratam in Epiſtola ad illos, ad reliquas epiſtolas Pauli

Pauli de iis quæ ſpectant ad Euangelicam doctrinam: ad differentiam priuatarum Epiſtolarum quas forte ſcripſit, aut ſcribere potuit Paulus de aliis rebus.

Si quæris vbi eſt Epiſtola Pauli ad iſtos: in promptu eſt reſponſio quòd Epiſtola ad Epheſios, & ad Coloſſenſes, & ad Laodicenſes, cùm ad ciuitates Aſiæ directæ ſint, ſupputantur inter directas ad ipſos. Epiſtola quoque ad Galatas ſub eadem venit appellatione: nam vt patet in principio primæ Epiſtolæ Petri, Aſia & Galatia comprehenduntur.

IN QVIBVS SVNT QVÆDAM DIFFICILIA INTELLECTV: QVÆ INDOCTI ET INSTABILES DEPRAVANT. pro *detorquent* (SICVT ET CÆTERAS SCRIPTVRAS) AD SVAM IPSORVM PERNICIEM.

VOS IGITVR FRATRES PRÆ- Verſ.17.
SCIENTES CVSTODITE, pro *obſeruate*
(ſeu cauete) NE INSIPIENTIVM, pro
neſariorum, ERRORE TRADVCTI, pro
abducti, EXCIDATIS A PROPRIA FIR-
MITATE. Sententia eſt clara vſque in fi-
nem.

CRESCITE VERÒ IN GRATIA ET Verſ.18.
COGNITIONE DOMINI NOSTRI ET
SALVATORIS IESV CHRISTI. IPSI
GLORIA ET NVNC ET IN DIEM ÆTER-
NITATIS: AMEN.

Caietæ die 20. Iulij, 1529.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM S. IOANNIS APOSTOLI, COMMENTARII.

PRIMA IOANNIS APOSTOLI EPISTOLA.

CAPVT I.

Verſ. 1. QVOD FVIT, pro *erat*, AB INITIO. Verbum Dei Deũ refert: de quo in princi-pio ſui Euágelij dicit, *In principio erat Verbum*: de hoc enim ſolo verificatur quòd erat ab initio: vt ibidem declaratum eſt.

QVOD AVDIVIMVS. A tractanda materia incipit. Et propterea poſtquam propoſuit æternitatem à parte antè rei tractandæ, ſtatim proponit quaſi imitando non eſſe tractandum quòd erat ab initio ſecundum illius comprehenſibilitatem, ſed ſecundùm id quod notum eſt Ioãni & comparibus Apoſtolis. Et propterea ſubiungit modum notitiæ, tum ex auditu: *quod audiuimus*, ab ipſo verbo Dei. Ieſus enim docuit etiam ore tenus ea quæ diuinitatis ſunt: vt patet in Euangelio Ioannis.

QVOD VIDIMVS OCVLIS NOSTRIS. De corporeis oculis eſt ſermo. Neque tantum id quod audierunt, ſed etiam id quod viderunt corporeis oculis de Verbo Dei, tractandum promittitur. Viderunt enim ipſum patientem crucis ſupplicium, mortuum, & poſtea viuentem: præter opera mirabilia innumera teſtificantia illius Deitatem.

QVOD PERSPEXIMVS, mentis oculis. Aperuit enim illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, aduenit Spiritus ſanctus: & fecit eos perſpicere mente id quod auribus & oculis teſtificatur. Vnde Thomas deitatem perſpexit Chriſti, cùm dixit, *Dominus meus, & Deus meus*.

ET MANVS NOSTRÆ CONTRECTAVERVNT. Non ſolùm auditu & viſu ac mente, ſed etiam palpando ſenſu tactus cognouiſſe teſtantur. *Palpate*, inquit Dominus, *& videte quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet.* DE VERBO VITÆ. Ad *vidimus*, *audiuimus*, *perſpeximus & contrectauerunt*, refertur *de verbo vitæ*. In Euangelio dixit *in ipſo vita erat*, hic verò dicit *Verbũ vitæ*: vt intelligamus ipſum non ſolũ eſſe vitam, ſed rationem omnis alterius vitæ.

ET VITA MANIFESTATA EST. Ne putares Ver- Verſ. 2.
bum quidem in ſe eſſe Verbum vitæ, ſed non vitæ manifeſtatæ Apoſtolis (ita quòd quod audiuimus, quod vidimus, quod perſpeximus, quod palpauimus eſt quidem ſpectans ad Verbum vitæ, ſed non manifeſtat vitam ipſius Verbi) ad hoc excludendum ſubiungit quòd etiam vita manifeſtata eſt. Modus autem quo manifeſtata eſt, ſimilis ſubiungitur,

ET VIDIMVS ET TESTAMVR, ET ANNVNTIAMVS VOBIS VITAM ÆTERNAM. Quod dicit vidimus vitam ęternam, intellige participatiuè. Vidimus autem corporeis oculis dupliciter, primò in transfiguratione Chriſti: in qua æternam Chriſti vitam participatam in illa gloria corporeis oculis viderunt Ioannes, Petrus, & Iacobus: ſecundò viderunt Chriſtum poſt mortem viuum, vita proculdubio æterna. Et propterea meritò Ioannes dicit, & vidimus (corporeis oculis) vitam æternam. *Apoſtoli quomodo viderunt vitam æternam.*

Si autem referatur ad viſionem mentis, ſic Apoſtoli viderunt vitam æternam in ſeipſis. Viderunt enim intellectuali viſu ſeipſos viuere vita gratiæ, quæ nihil aliud eſt quàm inchoatio vitæ æternæ. Et propterea de oculis mentis loquendo verum dicunt, & vidimus vitam æternam. Et quia quod vidimus teſtamur, meritò ſubiunxit, & teſtamur & annuntiamus.

QVÆ ERAT APVD PATREM: ET APPARVIT,

pro

pro *& manifeſtata eſt*, NOBIS. Antequam Verbum incarnaretur, æterna vita tam animæ, quàm corporis erat apud patrem, non erat communicata omnibus: incarnato autem Verbo, æterna animæ vita communicata eſt homini in anima Chriſti. Æterna autem vita corporis communicata eſt homini in reſurrectione Chriſti, & ſic manifeſtata eſt nobis per Chriſtum.

Verſ. 3. QVOD VIDIMVS ET AVDIVIMVS ANNVNTIAMVS VOBIS, VT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBISCVM. Pedetentim deſcendit proponendo. Primum propoſuit quod erat ab initio, deinde quod manifeſtatum eſt viſu, &c. poſtea explicauit vitam Verbi eſſe id, quod manifeſtatum eſt: denique eandem vitam declarauit eſſe vitam æternam, annuntiandam, &c. Modò explicat quorſum annuntianda ſit: & dicit quòd ad vtilitatem noſtram, explicátque illam vtilitatem eſſe vt ſimus conſocij Apoſtolorum. Ac ſi apertiùs dixiſſet, vt ſitis pares nobis.

ET SOCIETAS, Deeſt *verò*, NOSTRA SIT CVM PATRE, ET FILIO EIVS IESV CHRISTO. Superfluit *ſit*, ſine verbo loquitur Ioannes. Et eſt explicatio ſocietatis antedictæ: explicat enim quòd non qualiſcumquè ſocietas eſt hæc noſtra, ad quam inuitamus alios, ſed eſt ſocietas cum patre & filio eius Ieſu Chriſto. Quod Petrus appellauit conſortium diuinæ naturæ (dicendo *vt ſimus diuinæ naturæ conſortes*) Ioannes appellat noſtram cum Patre & Filio ſocietatem: tam ineffabile enim eſt donum gratiæ gratum facientis perſeuerans vt oporteat ipſum diuerſis rationibus explicare, modò conſortium diuinæ naturæ, modò ſocietatem, modò manere in Deo & Deum in nobis. Et dicit *cum patre* quantum ad diuinitatem; & filio eius Ieſu Chriſto quantum ad humanitatem.

Verſ. 4. ET HÆC SCRIBIMVS VOBIS VT GAVDEATIS, ET GAVDIVM VESTRVM SIT PLENVM. Superfluunt duæ dictiones: *gaudeatis, &*. Quò tendat hæc ſocietas deſcribit: videlicet ad plenitudinem gaudij: quæ in ſola cœleſti patria eſt: quoniam gaudia præſentis vitæ quantumcunque ſpiritualia, plena non ſunt: nam ſemper reſtat gemitus, *Infelix ego homo quis me liberabit de carcere mortis huius?*

Verſ. 5. ET HÆC EST ANNVNTIATIO QVAM AVDIVIMVS EX IPSO. Hactenus propoſuit Ioannes tractanda in hac epiſtola: modò incipit tractare propoſita. Et inchoat à propoſita ſocietate cum patre & filio eius Ieſu Chriſto. Et quoniam dixerat quod audiuimus, quod vidimus, &c. inchoat ab eo quod audiuimus. Audiuimus autem ab ipſo, Ieſu Chriſto.

ET ANNVNTIAMVS VOBIS, exequendo. QVONIAM, pro *quòd*, DEVS LVX EST, ET TENEBRÆ IN EO NON SVNT VLLÆ. In Euangelio Ioannis Chriſtus hoc docuit. Et eſt ſermo de luce non ſenſibilis, ſed intelligibilis ordinis. Ipſe ſiquidem ſolus eſt lux inter omnes ſubſtantias intellectualis ordinis, reliquæ namque intellectuales ſubſtantiæ ſunt participationes quædam illius lucis. Et ad hanc differentiam ſignificandam adiunxit, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. In reliquis enim intellectualibus ſubſtantiis tenebræ aliquæ ſunt, ſaltem potentialitatis, vt etiam Philoſophi confitentur, nos autem præter has tenebras dicimus in eis eſſe tenebras peccatorum, aut ſaltem potentiæ peccandi. In Deo autem nec peccatorum, nec potentiæ peccandi, nec potentialitatis alicuius tam in intellectu, quàm in natura tenebræ aliquæ ſunt.

SI DIXERIMVS QVONIAM, pro *quòd* SOCIETATEM HABEMVS CVM EO. Ecce materia quæ tractatur. ET IN TENEBRIS AMBVLAMVS. De tenebris tam intellectus, quam voluntatis eſt ſermo. Et tenebræ quidem intellectus conſiſtũt in ignorantia eius quod quis tenetur ſcire: tenebræ autem voluntatis ſunt ipſa peccata. Vnde ambulare in tenebris quamuis commune quid ſonet, ſecundum tamen rem eſt peccare. Nec dicit *ambulauimus*, ſed *ambulamus*: vt intelligamus quòd non de iis qui peccauerunt, ſed de iis qui peccant loquitur. Verſ. 6.

Tenebræ intellectus & voluntatis.

MENTIMVR ET VERITATEM NON FACIMVS. Cùm debuiſſet dicere, & veritatem non dicimus, dixit & veritatem non facimus, ad ſignificandum quòd de mendacio facti eſt ſermo. ipſo enim facto quo ambulamus in tenebris, alieni à ſocietate Dei (qui lux eſt & in quo nullæ ſunt tenebræ) nos conſtituimur: ac per hoc factum contrariatur verbis, & conſtituit mendacium in verbo quo profitemur nos ſocietatem habere cum Deo.

SI AVTEM IN LVCE AMBVLAMVS, SICVT ET IPSE EST IN LVCE, SOCIETATEM HABEMVS AD INVICEM. Nota differentiã. De nobis dicit, *in luce ambulamus*: de Deo autem *in luce eſt*: noſtrum ſiquidem eſt proficere in luce: Dei autem non eſt proficere, ſed eſſe in luce. Verſ. 7.

Et dicit *ambulamus* in præſenti, vt intelligamus quòd de iis qui in ſpirituali luce progrediuntur eſt ſermo: non de illis qui olim in luce ambulauerunt, & modò in tenebris ambulant. Quòd autẽ dicit *ſocietatem habemus ad inuicem*, à contextu literæ cogor intelligere *ſocietatem habemus ad inuicem*, hoc eſt, cum Deo, & Deus nobiſcum: nam de hac ſocietate conſtat eſſe ſermonem. Vnde & ſtatim ſubiungit ſocietatem eius nobiſcum, dicendo,

ET SANGVIS IESV CHRISTI FILII EIVS EMVNDAT NOS AB OMNI PECCATO. Ac ſi apertiùs dixiſſet: noſtra in luce ambulatio facit nos habere ſocietatem cum eo Deo patre, & è conuerſo, & facit nos habere ſocietatem cum filio eius pro quanto ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato. Propoſuerat enim ſuperiùs, & ſocietas verò noſtra cum patre & filio eius Ieſu Chriſto.

Sãguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.

Non mireris ſpeculatiue Theologe quod emundatio à peccato ponatur conſequens ad ſocietatem cum Deo, & ambulationem in luce. Recole quòd hæc ſimul tẽpore fiunt: quemadmodum aeris illuminatio & remotio tenebrarum, ſed ordine naturæ tam formalis, quàm finalis illuminatio præcedit remotionem tenebrarum, & ſic eſt in propoſito.

Et dixit hoc præoccupando obiectionẽ, quo pacto poſſumus in luce ambulare qui inuoluimur tenebris peccatorum: Excluditur enim obiectio ex hoc quòd dum fit iſta noſtra cum Deo ſocietas, mundantur non per noſtra merita, ſed per meritum ſanguinis Chriſti omnia noſtra peccata. Vnde & verbo præſentis temporis vtitur dicendo *emundat*. Et dicit *ab omni peccato*: quia impiũ eſt dimidiam a Deo ſperare veniã.

Verſ. 8. SI DIXERIMVS QVONIAM, pro *quod*, PECCATVM NON HABEMVS, IPSI NOS SEDVCIMVS, ET VERITAS IN NOBIS NON EST. Non dicit, ſi dixerimus quòd non peccamus (implicat enim duo contraria, *in luce ambulamus* & *peccamus*) ſed dicit *quòd peccatum non habemus*: ſtat enim quòd non peccamus, & tamen peccatum habemus commiſſum, vel contractum. Dixerat quòd *ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*: ne quis erraret intelligendo hoc de aliquibus hominibus, & non de omnibus, ideo ſubiungit omnes habere peccatum ad monſtrandũ, quòd omnes indigent mundatione per ſanguinem Chriſti. Hanc enim indigentiam teſtatur hæc ſententia, comprehendens omnes ſub habere peccatum:

Verſ. 9. SI CONFITEAMVR PECCATA NOSTRA. E regione negantium ſe habere peccatum locat nos confitentes peccata noſtra. Et eſt ſermo de confeſſione ſiue interna, ſiue externa, qua homo cognoſcit ſe habere peccatum. FIDELIS EST ET IVSTVS, VT REMITTAT NOBIS PECCATA NOSTRA, ET EMVNDET NOS AB OMNI INIQVITATE. Ne vanam (vt multi garrulant) exiſtimes confeſſionem peccatorum ad conſequendam eorum remiſſionem, apud Deum præſertim, qui omnia nouit abſque noſtra confeſſione: Ioannes fidelitati diuinæ eam tribuit: ad ſignificandum quod ideo noſtra peccatorum confeſſio valet ad remiſſionem peccatorum, quia fidelis eſt Deus: hoc eſt, quia Deus promiſit veniam confitentibus, & fidelis eſt in ſeruandis promiſſis. Et propterea conditionali vtitur, *ſi confiteamur fidelis eſt Deus*. Et ne quiſquam obiicere poſſit, quòd promiſſa diuina intelliguntur ſalua iuſtitia, ac per hoc remiſſio peccatorum non niſi iuſtitia comite promiſſa eſt, adiungit quod eſt etiam iuſtus: ad ſignificandum quod remiſſio quam promiſit confitentibus, non ſtultè, non poſtergando iuſtitiam, ſed ſeruando iuſtitiam adimplet. Sed iuſtitia eſt, non hominum, ſed Dei: eſt enim illa qua ſanguis Ieſu Chriſti emundat nos. Vnde & duos effectus ſubiungit. Alter eſt vt remittat nobis peccata noſtra, & hic reſpondet fidelitati. Alter vt emundet nos ab omni iniquitate, & hic reſpondet iuſtitiæ: quoniam hic ſanguini Chriſti paulò antè attributus eſt.

Remiſſio peccatorum non excludit Iuſtitiam.

Verſ. 10. SI DIXERIMVS QVONIAM, pro *quod*, NON PECCAVIMVS, MENDACEM FACIMVS EVM, ET VERBVM EIVS NON EST IN NOBIS. Priùs dixerat verbo præſenti, *quòd peccatum non habemus*: modò dicit verbo præterito, *quòd non peccauimus*, procedit enim reſolutoriè. Ideo mentiuntur dicentes, *peccatum non habemus*, quia mentiuntur dicẽtes *non peccauimus*. Quod autem dicit, *mendacem facimus eum* (proculdubio Deum) ſignificat Deum dixiſſe, quòd omnes peccauimus. Quod ex multis ſacræ Scripturæ locis habetur: nam & in Pſalmis ſcriptum eſt: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: & Eccleſ. 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quas authoritates Paulus ad Rom. 3. ad hoc affert, ac per hoc verbum Dei ſcriptum non eſt in nobis, contrarium dicentibus.

Omnes peccauimus.

CAPVT II.

Verſ. 1. FILIOLI MEI HÆC SCRIBO VOBIS VT NON PECCETIS. Ne quiſquam obiiceret inculpabile eſſe noſtrum peccatum, tanquam ineuitabile à quocumque, occurrit Ioannes dicens, quòd *hæc ſcribo vobis* non ad monſtrandum ineuitabilitatem peccati, ſed ad oppoſitum: videlicet *vt non peccetis*. Quamuis enim peccaſſe commune ſit omnibus, euitabile tamen eſt in futurum. Intellige ineuitabilia eſſe ſingula & omnia ad tempus, quamuis non omnia toto tempore vitæ, & propterea ſubiungit,

Peccata quomodo ineuitabilia?

ET SI QVIS PECCAVERIT, ADVOCATVM HABEMVS APVD PATREM, IESVM CHRISTVM IVSTVM. Non ſolum remedium docuit cõtra præterita peccata confeſſionem, ſed etiam ſi rurſus poſt baptiſma peccamus, remedium docet recurſum ad aduocatum Ieſum Chriſtum quatenus hominem, ipſe enim eſt aduocatus noſter apud patrem. Aduocatus autem non patrocinium ferens cauſæ iniuſtæ, ſed aduocatus iuſtus. Cuius iuſtitia explicatur ſubiungendo:

Chriſtus aduocatus apud Patrem.

Verſ. 2. ET IPSE EST PROPITIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS. Ecce iuſtitia Ieſu Chriſti, ecce iuſtitia aduocati noſtri, quòd ipſe eſt propitiatio ſatisfaciens pro peccatis noſtris. NON PRO NOSTRIS AVTEM TANTVM, SED ETIAM PRO TOTIVS MVNDI. Magnus exceſſus iuſtitiæ, vt ſatiſfecerit non pro peccatis electorum tantùm, ſed etiam pro peccatis totius mundi: quamuis non omnibus profuerit quoad vltimum effectum qui eſt æterna felicitas.

Verſ. 3. ET IN HOC SCIMVS QVONIAM, pro *quòd*, COGNOVIMVS EVM SI MANDATA EIVS OBSERVAMVS. Non ſaltat Ioannes, ſed tractans de ſocietate noſtra cum Deo per hoc quòd ambulamus in luce, cùm monſtraſſet indigentiam remiſſionis peccatorum quæ ſunt tenebræ primò contrariæ ambulationi in luce, modò proſequitur ipſam ambulationem in luce: declarando quòd exigit duo: videlicet ſeruationẽ mandatorum Dei exterius, & dilectionem interius. Et quod ſuperiùs appellauit ambulare in luce, modò appellat cognoſcere Deum: nam qui ambulat in luce, videndo vtitur luce: ac per hoc qui nouit Deum lucem, vtitur Deo vt luce operum ſuorum tam intùs, quàm extrà. Et eſt ſermo de notitia effectiua, quam efficit fides infuſa, quæ per dilectionem operatur. Dicendo itaque *in hoc ſcimus quod cognouimus eum*, proculdubio Deum lucem) perinde ac ſi dixiſſet, & in hoc ſcimus quòd ambulamus in luce, ſi mandata eius obſeruamus. Si verò legatur in præterito, perinde eſt, & in hoc ſcimus quòd cognouimus eum ſi mandata eius obſeruauerimus, in præterito. Quamuis poſſit difformitas temporum ad ſignificandum notitiam præcedere, & ſeruationem mandatorum ſubſequi, dicta intelligi: intendit ſiquidem Ioannes ad literam monſtrare ſignum infallibile internæ lucis diuinæ in nobis eſſe ſi mandata eius ſeruauerimus. Et propterea dicit, *& in hoc ſcimus*, ſcientiã experimentali. Vnde & ex oppoſito inferri oppoſitum manifeſtat, ſubiungendo,

Scimus quod Deum cognouimus ſi mandata eius obſeruamus.

QVI

Verſ. 4. QVI DICIT SE NOSSE DEVM ET MANDATA EIVS NON CVSTODIT, MENDAX EST ET IN EO VERITAS NON EST. Eodem ſenſu vtitur noſſe Deum. ergo ex cuſtodia vel non cuſtodia mandatorum diuinorum pendet noſtra notitia de interna in nobis luce.

Verſ. 5. QVI AVTEM SERVAT VERBVM EIVS, VERE IN HOC CHARITAS DEI PERFECTA EST. Cùm debuiſſet dicere, *in hoc notitia Dei*, ſeu *lux Dei perfecta eſt*, dixit *charitas Dei*, vt oſtendat connexionem inſeparabilem horum duorum, videlicet ſeruare mandata Dei & charitatis Dei: pedetentim enim repit ab exterioribus ad intima: tendens ad hoc vt dictum eſt, quòd ambulatio in luce conſtituens ſocios Dei integratur ex charitate & ſeruatione mandatorum.

Perfecta autem dicitur charitas Dei ſeruans mandata, quia extendit ſe non ſolum ad Deum; ſed ad omnia diligenda propter Deum. Extendit autem ſe non ſolum habitu, ſed exercitatione: & ideo perfecta conſtans ex omnibus. IN HOC SCIMVS QVONIAM. pro, *quòd*, IN IPSO SVMVS. Redit ad primò propoſitum de ſocietate cum Deo in hoc, ſcilicet in charitate ſeruante mandata, ſcimus quod ſumus in ipſo, ſocialiter. Perpende prudens lector progreſſum literæ, quod ſummariè declarauit in quo conſiſtit ſocietas noſtra cum Deo.

Verſ. 6. QVI DICIT SE IN EO MANERE, DEBET SICVT ILLE AMBVLAVIT ET IPSE AMBVLARE. Hinc apparet quod pronomen *in ipſo ſumus* & *in ipſo manere*, Ieſum Chriſtum demonſtrat, ita quod iungit perfectæ charitatis Dei eſſe in Chriſto: vt intelligamus quod per eandem ſumus in Chriſto. Sumus autem tanquam membra in capite, ſumus tãquam membra ipſius: quemadmodum manus mea eſt in me: de ipſo namque Ieſu Chriſto conſtat dici ſicut ille ambulauit. Monuerat docendo quod debemus ambulare in luce ſicut ipſe Deus eſt in luce: vt autem hoc altius documentum ab exemplo inſinuaret, attulit exemplum Ieſu Chriſti hominis quod debemus imitari illum: hoc eſt enim ambulare ſicut ille ambulauit.

Sumus in Chriſto vt membra in capite.

Verſ. 7. CHARISSIMI. pro, *dilecti*. Poſtquam ſummariè declarauit noſtram ſocietatem cum Deo ex ambulatione in luce (in qua purgantur peccata, ſeruantur mandata) ex dilectione Dei & incorporatione Chriſti, modò exactius incipit idem declarare, inchoans à dilectione Dei.

NON MANDATVM NOVVM SCRIBO VOBIS, SED MANDATVM VETVS QVOD HABVISTIS AB INITIO. Inferius in cap. 3. dicet *hæc eſt annuntiatio quam audiſtis ab initio, vt diligatis inuicem*: igitur mandatum non nouum, ſed vetus quod audiuiſtis ab initio, eſt mandatum dilectionis, quod fideles quique audiuerunt ab initio conuerſionis ſuæ. Et ideo Ioannes dicit quod non ingerit nouum mandatum, ſed illud idem quod habuerunt ab initio. Vnde & ſubdit:

MANDATVM VETVS EST VERBVM QVOD AVDISTIS AB INITIO, fidei veſtræ.

Verſ. 8. ITERVM MANDATVM NOVVM SCRIBO VOBIS QVOD VERVM EST ET IN IPSO. Superfluit *&*. ET IN VOBIS. Deficiunt tres dictiones. Legendum eſt: *Idem verum eſt &* IN VOBIS. Præceptum de dilectione Dei & proximi, non eſt nouum, ſed antiquum: præceptum autem de modo diligendi (videlicet illo modo quo Chriſtus dilexit nos) eſt præceptum nouum. Vnde & Dominus in Euangelio de hoc loquens ait; *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* Vnde & Ioannes hîc dicit de mandato nouo, quod eſt verum in Ieſu Chriſto, & idem eſt verum in vobis, imitatoribus Chriſti. Vtrumque ergo mandatum Ioannes ſe ſcribere fatetur: primò vetus, quod etiam in veteri teſtamento traditum eſt: ſecundò nouum, quod tradidit Chriſtus, iuxta duo quæ præmiſerat: videlicet charitatem Dei & eſſe in Chriſto.

Præceptum charitatis quomodo nouum.

QVIA TENEBRÆ TRANSIERVNT. pro, *tranſeunt*. ET VERVM LVMEN IAM LVCET. Rationem reddit vltimò dicti, idem verum eſt & in vobis. Ratio enim quare verificatur & in vobis id quod eſt verum in Chriſto, eſt quia tenebræ peccatorum tranſeunt, & ratio quare tranſeunt, ſubiungitur præſentia veri luminis. Iam ſuperiùs dictum eſt, quod ambulantibus nobis in luce mundantur peccata, ideo in vobis verum eſt, quia in vobis iam verum lumen lucet & peccatorum tenebræ fugantur.

Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc. Verſ. 9.
Declaraturus dilectionem Dei qua ambulamus in luce, inchoat à contrario, imò à contrariis actibus circa proximum: ſunt autem hi contrarij actus amor & odium. Ex differentia ergo inter odio habentem & diligentem fratrem ſuum, manifeſtat dilectionem eſſe in luce. Odio ſiquidem habens fratrem ſuum, eſt in tenebris vſque adhuc: hoc eſt, non obſtante baptiſmo & quibuſcunque ſacramentis.

QVI DILIGIT FRATREM SVVM, IN LVMINE Verſ. 10.
MANET. quod eſt contrariũ ad eſſe in tenebris. ET SCANDALVM IN EO NON EST. tam actiuè quã paſſiuè. Directè tamen intendit paſſiuè: intendit enim dicere quod non ſolum manet in luce, ſed ambulat in luce abſque offendiculo videns quò vadit. Vnde vt oppoſitum explicet de oſore fratris, repetit:

Qui autem odit fratrem ſuum in te- Verſ. 11.
nebris eſt. vt adiungat, Et in tenebris ambulat & neſcit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Perpende prudẽs lector differentiã inter oſorem & dilectorem fratris, deſcribi penès lucem & tenebras: vt intelligamus totum hoc dici ad declarandum quod ſuperius fuit propoſitum, quod ambulans in luce ſocietatem habet cum Deo. Non vagatur Ioannes, ſed propoſitũ directè tractat.

SCRIBO VOBIS FILIOLI. Ne quiſquam tam Verſ. 12.
ardua putet ſcribi à Ioanne, vt rari ſint in quibus hæc inueniantur, explicat Ioannes multas hominum differentias quibus ſe ſcribere dicit tanquam ambulantibus in luce. Tria autem genera hominum ſummat: videlicet filiolos, patres, & adoleſcentes. Et quantum ipſa nomina innuunt ſummat incipientes, proficientes, & perfectos: incipientes appellando filiolos, proficiẽtes adoleſcentes, & perfectos patres. Et ſingulis ſtatibus bis ſcribit, vt ipſa repetitio non careat myſterio.

Sub nominibus filiolorũ adoleſcentiũ patrum, incipientes, proficientes, perfectos innuit.

QVONIAM REMITTVNTVR VOBIS PECCATA PROPTER NOMEN EIVS. proculdubio Ieſu Chriſti. Aptè incipientibus remiſſio peccatorum accommodatur: quoniam ſic ambulant in luce, vt eorum ſtudium ad remiſſionem conſequendam peccatorum annitatur.

Verſ. 13. Scribo vobis patres, quoniam cognouiſtis eum qui ab initio eſt. De Ieſu Chriſto eſt ſermo, ad cuius diuinitatis notitiam aſcendunt perfecti, aſcendunt autem tranſeundo per contemplationem ea quæ humanitatis Chriſti ſunt ad ipſum qui eſt ab initio.

Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum. pro, *malum*. maſculini tamen generis & cũ articulo, ad ſignificandum diabolum: qui verè eſt malus humano generi. Quem viciſſe, proficientibus attributum, qui iam conſequuti peccatorum veniam aduerſus diabolum pugnam ſuſceperunt, & illum vicerunt, & cum hac victoria ambulant in luce.

Verſ. 14. Scribo vobis infantes. pro, *pueri*. Iterum ſcribere ſe ait filiolis alia ratione. Qvoniam cognovistis patrem. Prius dixerat *quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius*: modò dicit: *quoniam cognouiſtis*, notitia fidei, *patrem* Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt fidem incipientium intelligamus non ſiſtere in Chriſto homine, ſed extendere ſe ad myſterium Trinitatis. vtrumque enim oportet quantumcunque incipientes credere.

Scribo pro, *ſcripſi*, vobis patres; qvoniam cognovistis evm qvi ab initio est. Ex integro repetit ad *patres*, nullà additione aut diminutione facta, niſi mutato *ſcribo* in *ſcripſi*: quia quo altius tendat contemplatio perfectorum non habet, quam ad eum qui ab initio eſt. in cæteris enim repetit aliquid altius. Repetit autem ad patres, vt ipſa repetitio fomentum quoddam ſit ad ſeruandam celſitudinem eorum.

Scribo vobis ivvenes. pro, *ſcripſi vobis adoleſcentes*, Qvoniam fortes estis, et verbvm Dei manet in vobis, et vicistis malignvm. pro, *malum*: maſculini generis vt ſupra. Et hic quoque mutat *ſcribo* in *ſcripſi*: quoniam ſecundum rem repetitio eſt, ſecundum explicationem autem victoria per partes explicatur: videlicet per verbum Dei dirigens, & per fortitudinem exequentem: poſtremo autem loco reſeruauit victoriam aduerſus diabolum, ad continuandum cum victoria aduerſus mundum.

Verſ. 15. Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo ſunt. Dilectioni Dei non ſolum contrariatur odium proximi, ſed etiam dilectio mundi & propterea poſtquam Ioannes à diligente Deum excluſit odium fraternum, modò excludit dilectionem mundi & eorũ quæ in mundo ſunt. Appellatione mundi non intelligitur vniuerſitas rerum, ſed vniuerſitas rerum deordinatarum: non à regula naturæ, ſed à regula rectę rationis: nam & ipſe Ioannes talia explicabit eſſe ea quæ ſunt in mundo, quæ prohibet diligi.

Si qvis diligit mvndvm, non est charitas patris in eo. Rationem reddit primi dicti, ne diligatis mundum: ex eo quod ſi quis diligit mundum non eſt charitas patris in eo. Hinc clarè patet quod de dilectione mundi quatenus à recta ratione exorbitat, eſt ſermo: nam diuina dilectio, ad mundum (hoc eſt, vniuerſitatem rerum creatarum) ſe extendit: iuxta id, quod ſcriptum eſt: miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Charitas ergo patris imitanda nobis præcipitur, nõ abiicienda: vt intelligamus quòd illa prohibetur dilectio mundi quę contrariatur dilectioni qua Deus diligit nos: hanc autem conſtat eſſe cum mundus diligitur in præiudicium diuinorum mandatorum.

Verſ. 16. Qvoniam omne qvod est in mvndo concvpiscentia carnis est et concvpiscentia oculorvm et svperbia vitæ: qvæ non est ex parte. Non iacet ita in textu: ſed legendum eſt abſque copula verbali in medio, legendo ſic: *Quoniam omne eſt in mundo, videlicet concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ, non eſt ex parte ſed ex mundo eſt*. Ratio redditur quare charitas patris cœleſtis non eſt in diligente mundum, quia omne quod eſt in mundo, &c. non eſt ex ipſo cœleſti patre, ſed ex mundo: vt intelligamus, quòd cœleſtis pater diligit ſua & non mundi, mundus autem diligit ſua & non cœleſtis patris. Et ne ſit quæſtio de quibus exiſtentibus in mundo Ioannes loquitur, ipſemet explicat: dicendo videlicet *concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Res appetibiles deordinatas, vt facilior eſſet intelligentia, denominauit à noſtris deordinatis paſſionibus: vt ſic non ambigeres, quòd de appetibilibus deordinatis loquitur: mutuò enim ſibi correſpondent appetitiones deordinatæ & appetibilia deordinata.

Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ quid contineant.

Sub concupiſcentia itaque carnis inordinata delectabilia ſecundum ſenſum comprehenduntur, ſub concupiſcentia autem oculorum inordinata vtilia, ſub ſuperbia verò vitæ inordinata gloria, honor, fama, & huiuſmodi.

Et hæc dicuntur non eſſe ex patre cœleſti, hoc eſt non conſtare ex diſpoſitione cœleſtis patris: non enim Deus diſpoſuit hæc quatenus inordinata: melius dicam, non enim hæc quatenus inordinata conſtant ex diuina diſpoſitione: quoniam diuina diſpoſitio participata in rebus, non diſſonat à recta ratione morali, ſed ſunt ex mundo, hoc eſt, conſtant ex mundo, id eſt, ex mundi diſpoſitione, vt mundus exorbitat à Deo, quod eſt dicere, conſtant ex mundo relato ad peruerſam rationem: hinc enim omnis deordinatio delectabilium ac vtilium prouenit.

Verſ. 17. Et mvndvs transit, et concvpiscentia eivs: qvi avtem facit volvntatem Dei, manet in æternvm. Non ſufficit Ioanni probaſſe mandatum non diligendi mundum ex parte Dei, ſed addit alteram rationem ex parte noſtri diligentium Deum. & conſiſtit ratio in hoc quod mundi, & noſtræ, contrariæ ſunt cõditiones: nam mundus cum ſua concupiſcentia tranſitorius eſt: nos autẽ diligentes Deum ſumus æterni: non debemus ergo nos æterni degenerare diligendo mundum tranſitorium. Vt dictũ eſt, nõ de ſubſtantia mundi eſt ſermo ſed de ipſo quatenus exorbitat à recta ratione. Conſtat autem huiuſmodi exorbitationem tranſitoriam eſſe: terminabitur enim in iudicio. Diligentes autem Deum eſſe æternos, conſtat ex eo quod ipſa dilectio Dei perſeuerabit in eis in æternum.

Verſ. 18. Filioli mei. Superfluit *mei*. Novissima hora est. Declarata dilectione Dei ex contrariis (odio ſcilicet fraterno & dilectione mundi) conſequenter declarat ipſum ambulare in luce, ex contrario: videlicet falſitate ſeu mendacio in iis quæ ſunt fidei: eſſe enim in

luce

luce eſt noſſe veritatem lucis diuinæ: ac per hoc falſitas contraria diuinæ veritati, manifeſtat eſſe in luce. Procedit autem a ſeductoribus ad ipſam falſitatem. Vnde quod dicit nouiſſima hora eſt, ſignificat quòd eſt tempus ſeductionis: nam ſeductio appropriatur vltimo tempori, quod erit tempus Antichriſti, qui antonomaſtice eſt ſeductor. Et propter hunc ſenſum ſubiungit.

ET SICVT AVDISTIS QVIA. pro, *quòd*. ANTICHRISTVS VENIT, Præſentis temporis eſt *venit*, propter certitudinem enim prophetiæ futurum ſignificat in præſenti. Ac ſi dixiſſet: nouiſſimam horam appello horam Antichriſti quoad officium ſeductionis. ET NVNC ANTICHRISTI MVLTI FACTI SVNT, VNDE SCIMVS QVIA. pro, *quod*. NOVISSIMA HORA EST. Manifeſtat quo ſenſu loquatur, quemadmodum multi ſunt Antichriſti præuenientes illum Antichriſtum, ita nouiſſima hora eſt: ſicut præſentes Antichriſti officium exercent Antichriſti, ita præſens hora exercet officium nouiſſimæ horæ.

Verſ. 19. EX NOBIS EXIERVNT, SED NON ERANT EX NOBIS. Præſentes ſeductores Chriſtiani fuerunt, & ex nobis (Chriſtianis) exierunt, veruntamen non erant ex nobis: hoc eſt, nõ conſtabant ex nobis. Pluries Ioannes vtitur hoc loquendi modo vnde & in Euangelio, *vos de mundo non eſtis*. hoc eſt non conſtatis ex mundo. Ita hic ex nobis non erant. hoc eſt conſtabant ſecundum animum ex aliis affectibus, ex aliis cogitationibus, quam conſtemus nos, quàm habuerint à nobis.

Vnde & ſubiungit, NAM SI FVISSENT EX NOBIS. hoc eſt habẽtes affectus & cogitatusq́ uos acceperunt à nobis. PERMANSISSENT VTIQVE NOBISCVM. Sequela manifeſta eſt, manſiſſent vtique in vnitate Eccleſiaſtica nobiſcum.

SED VT MANIFESTI SINT QVONIAM. pro, *quòd* NON SVNT OMNES EX NOBIS. Directè eſt ſermo de Chriſtianis, quòd non omnes qui ſunt quandoque inter nos, ſunt ex nobis: hi enim fuerunt quandoque inter nos & tamen non ſunt ex nobis.

Verſ. 20. SED VOS VNCTIONEM HABETIS A SANCTO, ET NOSTIS OMNIA. Iam dixerat quibus ſcribit: & propterea ad illos vtpote in gratia conſtitutos dicit, *ſed vos vnctionem habetis à ſancto*. An ſignificetur perſona Spiritus ſancti (cui attribuitur interna vnctio) an ſignificetur perſona Chriſti (qui nomen habet ab vnctione, à quo Chriſtiani omnes vnctionem habemus) parui refert: quoniam eandem vnctionem in anima noſtra vterque efficit.

Duo remedia aduerſus ſeductiones hæreticorum. Quod autem dicit *& noſtis omnia*, intellige neceſſaria ad ſalutem. Aduerſus ſeductiones hæreticorum duo ſunt remedia. Alterum externæ doctrinæ: alterum internæ vnctionis. Ignorantibus opus eſt externa doctrina ne ſeducantur: ſcientibus autem ſola vnctio interna ſufficit: quoniam illa docet eos refutare quicquid contrarium eſt veritati fidei. Et hanc ſententiam Ioannes modò diffusè proſequitur, dicendo.

Verſ. 21. NON SCRIPSI VOBIS QVASI IGNORANTIBVS VERITATEM, SED QVASI SCIENTIBVS EAM. Et propterea dixi, quòd vnctionem habetis & noſtis omnia. ET QVONIAM OMNE MENDACIVM EX VERITATE NON EST, ex veris enim non niſi verum proficiſcitur.

Verſ. 22. QVIS EST MENDAX, NISI IS QVI NEGAT QVONIAM. pro, *quod*. IESVS EST CHRISTVS? Vniuerſam fidem complectitur affirmatio, quòd Ieſus eſt Chriſtus: & per oppoſitum vniuerſam fidem deſtruit negans quòd Ieſus eſt Chriſtus: & propterea is ſolus dicitur mendax in iis quæ ſunt fidei, tanquam omnia cica fidem mendacia in hoc vno comprehendantur: quod eſt verum virtualiter. *Quis Antichriſtus.* Et dixit hoc ſcientibus non ad docendum aliquid quod neſciant, ſed ſummariè ante oculos proponendo vniuerſam doctrinam hæreticorum.

HIC EST ANTICHRISTVS. officio. QVI NEGAT PATREM ET FILIVM. Ecce Antichriſti officium negare myſteriũ & Trinitatis & Incarnationis.

Verſ. 23. OMNIS QVI NEGAT FILIVM, NEC PATREM HABET. Manifeſtat quod dixerat: videlicet quod negans Ieſum eſſe Chriſtum negat totũ: ex eo namque quod negat Filium Dei, neceſſario ſequitur, quod neget Patrem: imò plus infertur quod non habet patrem, tanquam in quo manet nec tanquam manentem in ſe. QVI CONFITETVR FILIVM, ET PATREM HABET. Superfluunt hæ ſex dictiones.

Verſ. 24. VOS QVOD AVDISTIS AB INITIO. IN VOBIS PERMANEAT. Supplenda eſt litera: vos ſic eſtote, vt quod audiſtis ab initio in vobis permaneat, tam de myſterio Trinitatis quàm Incarnationis. Et ratio ſubiũgitur. QVI SI IN VOBIS PERMANSERIT QVOD AVDISTIS AB INITIO ET VOS IN FILIO ET PATRE MANEBITIS. Ecce fructus, qui poteſt & in præſenti & in futura vita intelligi. Et ſi de futura vita eſt ſermo, manere nos in Patre & Filio, intelligitur tanquam videntes in viſis, tanquam amantes in amatis, tanquam fruentes in rebus ſumme delectabilibus. Si verò de hac vita eſt ſermo, intelligitur inchoatiuè, per amorem infuſum: ſic enim hic ſumus in patre & filio non ſolũ tanquã in contemplatis, ſed tanquam in amicis.

Verſ. 25. ET HÆC EST REPROMISSIO QVAM IPSE POLLICITVS EST NOBIS VITAM ÆTERNAM. De vtroque modo manere in Patre & Filio, verificatur vita æterna. Et propterea vtramuis intelligas, verificatur quod hoc (ſcilicet in Patre & Filio) eſt repromiſſio quam pollicitus eſt Ieſus: & eſt appoſitiuè vita æterna: hic quidem inchoatiue, ibi verò perfectè.

Verſ. 26. HÆC SCRIPSI VOBIS DE IIS QVI SEDVCVNT VOS.

Verſ. 27. ET VNCTIO QVAM VOS ACCEPISTIS AB EO MANEAT. pro, *manet*. IN VOBIS. Vtrunque habetis. nam à me eſtis in ſcriptis commoniti de ſeductoribus, & intus manet in vobis vnctio quam accepiſtis ab eo Ieſu Chriſto. ET NON NECESSE HABETIS, VT ALIQVIS DOCEAT VOS. Recole quòd ad ſcientes loquitur.

SED SICVT VNCTIO EIVS. pro, *ipſa*. DOCET VOS DE OMNIBVS. Proprium eſt gratiæ Spiritus ſancti quæ appellatur vnctio, inclinare intellectũ ad aſſentiendum omnibus quæ ſunt fidei, & ad diſſentiendum contrariis fidei, dummodo proponantur vt nota. *Gratia Spiritus S. vocatur vnctio.* Et propterea de ſcientibus (qui ignorantia non falluntur) plenè verificatur quòd vnctio docet illos de omnibus quæ ſunt fidei, tam acceptandis quàm reſpuendis. Vnde & ſubdit, ET VERVM EST, ET NON EST MENDACIVM. quod ipſa vnctio docet verum & alienum a mendacio: ipſa enim vnctio vtpote Spiritus ſancti actio, verax eſt, & mentiri nequit. ET SICVT DOCVIT VOS, MANETE IN EO:

Ieſu

Ieſu Chriſto, monet Ioannes ſcientes ea quæ ſunt fidei, vt non recedant ab interna vnctione, vtpote omnino veraci: ſic ſentiant de Chriſto Ieſu quoad intellectum, & ſic maneant in ipſo quoad effectum, quemadmodum vnctio docuit illos. Et ſignificanter dicit *docuit* in præterito, ne fallantur ſub aliqua ſpecie ſpiritualis affectus ad aſſentiendum alicui nouitati: vult enim vt ſequantur id quod iam docuit eos vnctio, nec noui aliquid admittant ſub ſpecie nouæ inſpirationis.

Verſ. 28. ET NVNC FILIOLI MANETE IN EO. tanquam propria membra eius. VT CÙM APPARVERIT, HABEAMVS FIDVCIAM ET NON CONFVNDAMVR. pro, *pudefiamus*, AB EO IN ADVENTV EIVS. Magna gratia habere fiduciam in aduentu Ieſu, cùm apparuerit tam terribilis: ad differentiam eorum qui pudefient ab eodem tunc, eo quod nunc non ſunt membra eius.

CAPVT III.

Verſ. 29. SI SCITIS QVONIAM. pro, *quod*, IVSTVS EST. Hic debet incipere tertium capitulum: quoniam hinc inchoat Ioannes materiam tertij capituli. SCITOTE QVONIAM. pro, *quod*. ET OMNIS QVI FACIT IVSTITIAM EX IPSO NATVS EST. Poſtquam dixit, quòd ſocietas noſtra ad Deum & Ieſum Chriſtum ambulando in luce exigit tum ſeruationem præceptorum, tum charitatem, & charitatem declarauit ex contrariis & corruptiuis: modò ipſam ſocietatem noſtrã cum Deo & Chriſto qualis ſit aperit ex connexione cum iuſtitia operum & charitate interna, vt nec in minimo recedat ab intento, iuſtitia enim eſt ipſa obſeruatio præceptorum. Societatem itaque noſtram ad Deum & Chriſtum non qualitercunque, ſed natiuitate ex Deo contrahi declarat. Et propterea dicit, quòd ſi ſcitis Chriſtum eſſe iuſtum, ſcitote conſequenter quòd omnis iuſtus natus eſt ex Chriſto, ita quòd nullus eſt iuſtus niſi natus ex Chriſto. Et eſt ſermo de Chriſto quatenus eſt Deus, ab ipſo enim ſecundum quod Deus, vniuerſorũ iuſtitia prouenit. Significanter autem dicit *natus eſt*: vt intelligamus nullũ propriis viribus adipiſci iuſtitiam, ſed natiuitate ex Chriſto illam conſequimur, conſtat enim nullum naſci ex ſeipſo.

Societatem noſtram cum Deo & Chriſto declarat.

Significanter quoque dicit *omnis qui facit iuſtitiam*: ne putes quòd de aliqua ficta interius iuſtitia loquatur, ſed intelligas quòd loquitur de iuſtitia quam facimus opere & veritate.

Fundatur autem ſequela (ſi ſcitis quòd iuſtus eſt, ſcitote quoque, quòd omnis qui facit iuſtitiam ex illo natus eſt) ſuper hoc, quod omne quod eſt tale per participationem naſcitur à tali per eſſentiam: ac per hoc ab illo iuſto per eſſentiam oportet naſci omnem qui iuſtus eſt participatiuè. Ecce ſocietas noſtra cum Chriſto & Deo, ſocietas filialis ſecundum facere iuſtitiam.

CAP. III. Verſ. 1. VIDETE QVALEM CHARITATEM DEDIT NOBIS PATER VT FILIJ DEI NOMINEMVR ET SIMVS. Superfluit *& ſimus*. Patui refert an appellatione patris intelligas perſonam patris, an Deum ipſam Trinitatem quam adoramus dicendo *Pater noſter*. De charitate autem actiua eſt ſermo: quoniam cauſa explicatur huius effectus qui eſt nos nominari filios Dei. Deus enim diligit omnia quæ fecit, ſed non dilectione tali, vt communicet omnibus eſſe filios Dei, ſed dilectione tali proſequitur tantummodo electos: imò per hoc ſunt electi, quia ſunt dilecti dilectione tali. Ex natiuitate igitur ſecundum iuſtitiam monet conſiderandam qualitatem diuinæ dilectionis erga nos iuſtos: vt videlicet nominentur filij Dei.

Iam dixerat iuſtos natos ex ipſo, & propterea non oportuit repetere *& ſimus*: ſed ſat fuit explicare dignitatem nominis poſt explicatam natiuitatem. Nec dixit *vt filij Chriſti*, ſed *filij Dei nominemur*: non quod maior ſit Deus Chriſto, ſed vt à ſupremo naturæ nomine noſtram filiationem dignificaret. Perpende ſocietatem ex vnã & eadẽ re cum Chriſto & Deo. Nati ſumus ſiquidem ex Chriſto iuſto iuſti, & hinc nominamur filij Dei, proculdubio veri, ſed adoptiui: non enim falsò talem filiationem diuina nobis conceſſit charitas. PROPTER HOC MVNDVS NON NOVIT NOS. pro, *vos*, QVIA NON NOVIT EVM. Quamuis contextui quadret legere in prima perſona *nos*: Ioannes tamen in modo loquendi vitans iactantiam ſcripſit in ſecunda perſona *vos*. Mirum apparet apud Philoſophos & ſapientes mundi huius quòd tantã dignitate membra Chriſti donata ſint, & tamen ignota maneant: rationem reddit Ioannes quare mundus modò non nouit vos in tanta celſitudine conſtitutos. Et reddit rationẽ ex hoc quia non nouit eum: videlicet Deum ſeu Chriſtum. Quod vt facilè intelligas, pone ante mentis oculos ſtatum mundi à iudicio & deinceps futurum: tunc enim quia mundus cognoſcet Deum & Chriſtum, cognoſcet conſequenter celſitudinem electorũ: & per oppoſitum, quia nunc non nouit mundus Deum & Chriſtum dilectorem & electorem iuſtorum, ideo non nouit celſitudinem electorum. Vnde ad hoc explanandum ſubiungit.

Dignitas Chriſtianorum mira apparet apud ſapientes mundi.

Verſ. 2. CHARISSIMI. pro, *dilecti*, NVNC FILIJ DEI SVMVS, NONDVM APPARVIT QVID ERIMVS. Ac ſi apertius dixiſſet: non ex defectu filiationis diuinæ in nobis prouenit hæc mundi ignorantia: quia nunc in hoc mundi ſtatu in quo deſpecti à mundo habemur, ſumus filij Dei, ſed quoad apparentiam eſt differentia, quia nondum apparuit quid erimus.

Non dicit nondum apparuit quid ſumus, ſed *quid erimus*: ad ſignificandum futuram conſummationem ſeu perfectionem eius quod modò ſumus. Sumus enim filij Dei, ſed imperfectè, propter cognitionem ænigmaticam: tunc autem erimus perfecte filij, propter claram viſionem. Propter quod ſubiungit, SCIMVS QVONIAM. pro, *quod*, CVM APPARVERIT, SIMILES EI ERIMVS: QVONIAM VIDEBIMVS EVM SICVTI EST. Quod dicit *cùm apparuerit*, ſimplex contextus ſubintelligendum exigit illud idem de quo dixit quod nondum apparuit: vt ſit ſenſus: ſcimus quod cùm apparuerit id quod erimus (hoc eſt cùm venerit ſtatus ille in quo non latebit ſed apparebit quid erimus, ſicut modò latet quid ſumus & quid erimus) tunc ſimiles ei erimus, &c. At ſi propter pronomen *ei*, ſubintellexeris Chriſtum (vt ſit ſenſus

ſus, cùm autem apparuerit Chriſtus ſecundum vtramque naturam) non errasti. Proſequendo tamen ſimpliciter contextum, ſignificatur quod in ſtatu illo ſimiles erimus ei, proculdubio Deo, cuius ſumus filij & ratio ſimilitudinis redditur, *quoniam videbimus eum ſicuti eſt*, & non ſicuti repræſentatur per creaturas. *Videbimus Deum ſicuti eſt.*

Profunda valde eſt doctrina hęc, ex viſione Dei ſicuti eſt, rationem reddens ſimilitudinis noſtræ ad Deum. Nec fundatur ratio hæc ſuper hoc quòd viſio fit per ſimilitudinem rei quæ videtur: communiter enim à Theologis ſpeculatiuis negatur ibidem huiuſmodi ſimilitudo, vſque adeo vt dicant quod videre Deum per ſimilitudinem creatam non eſt videre ipſum, Et verè non eſt videre ipſum ſicuti eſt, ſed ſicut repræſentatum per illam ſimilitudinem. Sed fundatur hæc ratio ſuper hoc quod oportet diuini ordinis eſſe omnem qui videt eum ſicuti eſt: incómunicabilis enim eſt viſio Dei cuicunque creaturæ tam factæ quàm factibili, in ſuis naturalibus quantumcunque excellétibus: & propterea oportet videnté Deum aſſumptum eſſe ad communionem diuini ordinis, & ſimilem Deo effectum lumine gloriæ: & ſic diuinæ naturæ facti conſortes (quod eſt eſſe ſimiles Deo ſimilitudine diuini ordinis) vident Deum ſicuti eſt.

Si hæc non penetras lege Theologiam ſpeculatiuam: & bene aduerte cùm dicitur *videbimus eum ſicuti eſt*, aduerbium *ſicuti* non determinare modum rei viſæ in ſeipſa: quoniam etiam modò quælibet verax cognitio de Deo cognoſcit eum ſicuti eſt quoniam non cognoſcit falſum, non cognoſcit ſicuti non eſt: ſed hic non eſt ſenſus intentus in litera. Aduerbium itaque *ſicuti*, adiungitur ad ſignificandum modum rei viſæ quatenus viſæ: ad excludendum omnem viſionem modificatam per repræſentans. Ita quod germanus ſenſus eſt, videbimus eũ non ſicut repræſentatur, non arctata non modificata viſione par aliquod repræſentans, ſed *ſicuti eſt*, ſicut ipſe offert ſeipſum.

Verſ. 3. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat. pro, *purificat*, se, sicut et ille sanctus, pro, *purus*, est. Declaratis extremis (videlicet quòd modò ſumus filij Dei, & quid erimus) inſerit medium per quod ab hoc extremo itur ad illud. Omnis inquit qui habet ſpem hanc perueniendi ad ſimilitudinem Dei, & videndi eum ſicuti eſt, purificat ſe, ſtudet tollere à ſe omnium paſſionum, affectionum, & reliquorum huiuſmodi impuritates, vt accedat ad ſimilitudinem illius qui omnino purus eſt: nihil enim impurum intrabit in illum ordinem diuinum.

Verſ. 4. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit. Declaratá ſocietate noſtra cum Chriſto & Deo quoad qualitatem quod eſt filialis, & quoad opus quòd eſt ſecundum facere iuſtitiam & purificare ſe declarat conſequenter nexum huiuſmodi ſocietatis cum facere iuſtitiam: & deinde cum charitate. Declarando autem connexionem huius ſocietatis cum facere iuſtitiam, declarat illam a contrario: hoc eſt, a facere peccatum. Et quoniam facere peccatum non ſonat contrarium eius quod eſt facere iuſtitiam, ideo prædeclarat quòd facere peccatum eſt facere iniuſtitiam, & peccatum eſt iniuſtitia: vt ſic poſtea liberè procedat. Et propterea dicit quò domnis qui facit peccatum, ipſe idem facit iniquitatem, & ſubiungit,

Et peccatum est iniquitas. vt obiectum obiecto & ationé actioni adæquet. Quamuis peccatum latius ſe extendat quàm iniquitas (quia peccatum etiam in naturalibus & in artificialibus inuenitur: monſtra enim ſunt peccata naturæ: & errores artificum ſunt peccata in arte) peccatum tamen relictum ad materiam moralem æquale eſt iniquitati, in omni enim pecato rectitudo aliqua violatur: & propterea viſus Ioannes peccati nomine vt contrario iuſtitiæ, prius adæquauit ipſum iniquitati & è conuerſo. *Peccatum latius patet quam iniquitas.*

Et scitis quod ille apparuit. proculdubio Ieſus Chriſtus in carne. Vt peccata tolleret. crucifixus vere agnus Dei tollens peccata mundi. Et peccatum in eo non est. Monſtratá contrarietate peccati quemadmodum & iniquitatis, incipit procedere: ad inferendum quod qui natus eſt ex Chriſto peccatum non facit, & inchoat ab hoc quod Chriſtus apparuit in carne ſine peccato ad tollendum pecata, tanquam ſibi contraria. Et propterea optimè infert, Verſ. 5.

Omnis qui in eo manet, non peccat. hoc eſt, omnis qui eſt membrum eius, qui manet in eo vt membrum in corpore, vt ſic non peccat, eſt enim ſermo formalis, ſignificans quod membrum Chriſti quatenus membrum Chriſti non peccat. Et per oppoſitum ſubiungit. Verſ. 6.

Et omnis qui peccat, non vidit eum nec cognovit eum. Et hic quoque eſt ſermo formalis, quicunque enim peccat, quatenus peccat non eſt in Chriſto. Et cùm debuiſſet dicere non eſt in eo, dixit *non vidit eum, nec cognouit eum*: vt intelligamus quod hominem eſſe in Chriſto eſt videre eum & cognoſcere eum: non enim ſumus in Chriſto per eſſe ſubſtantiale, ſed ſecundùm mentem quâ cognoſcitur & videtur: & eſt ſermo de cognitione ac viſione affectiuâ. Dicit autem nec vidit nec cognouit, ad ſignificandum quòd nec notitiam euidentem nec notitiam veræ fidei habuit de Chriſto quoniam ex vera Chriſti notitia non prouenit peccare. Membra autem Chriſti & cognoſcunt eum notitiâ fidei, & vident eum notitiâ euidentiæ ſub ratione credibilis: & hinc regulantur ad non pecandum. Vtitur autem præterito ad ſignificandũ cauſalitaté notitię & viſionis reſpectu actus peccandi vel non peccandi.

Filioli, nemo vos seducat. Nititur Ioannes inſinuare fidelibus quòd non ſolum Chriſtus ſine peccato, ſed tantæ eſt efficaciæ quod natus ex ipſo, ſeu exiſtens in ipſo non peccát, ſed facit iuſtitiam, hoc eſt ſeruat mandata. Et niſi fuiſſent aliqui hæretici docentes Chriſtũ & peccata ſimul, non dixiſſet Ioannes, *filioli, nemo vos ſeducat.* Dixit enim hæc propter Nicolaitas, qui Chriſtum cum communitate vxorum prædicabant: & alios qui Chriſtum ſimul cum aliquo illicito prædicant tanquam licito. Verſ. 7. *Nicolaitæ Chriſtũ cum communitate vxorum prædicabant*

Qui facit iustitiam iustus est, sicut et ille. proculdubio Ieſus Chriſtus, ſeu Deus. Iustus est. Facere iuſtitiam quod contraponit ad facere peccatum, iungit. cum ſimilitudine Dei iuſti. Ita quòd ſenſus eſt: qui facit iuſtitiam, aſſimilatur ſecundum eſſe iuſtum Deo iuſto. Et per oppoſitum,

Qui

Verſ. 8. QVI FACIT PECCATVM, EX DIABOLO EST. non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum affectum & opus. Perpende lector e regione poſita hæc duo, qui facit iuſtitiam ex Deo iuſto eſt, qui facit peccatum ex diabolo eſt. Et ne in hoc membro ſimilitudo deſit, ſubiũgitur, QVONIAM AB INITIO DIABOLVS PECCAT. Quemadmodum de Deo dixerat *ſicut & ille iuſtus eſt*, ita proportionaliter modo dicit, *quia ab initio diabolus peccat*. Et intellige ab initio peccati: ab initio ſiquidem quo fuit peccatum, diabolus perſeuerat peccando: ante ſiquidem quàm diabolus peccaret, nullus peccauerat. Et quia peccauit perſeuerando, ideo dicit quòd ab initio peccat indeſinenter, & propterea omnis homo peccans ex illo eſt imitatiuè. IN HOC APPARVIT FILIVS DEI, VT DISSOLVAT OPERA DIABOLI. Peccatum vt iam monſtratum eſt, eſt opus diaboli: filius autem Dei ad hoc apparuit in carne, vt diſſoluat opera diaboli: ergo vt diſſoluat peccata quibus ligatur homo. Vnde & amplius ſequitur.

Ab initio Diabolus peccat

Verſ. 9. OMNIS QVI NATVS EST EX DEO, PECCATVM NON FACIT. Intellige formaliter: hoc eſt quatenus natus eſt ex Deo, Natiuitas enim ex Deo, non dat peccare. QVONIAM SEMEN IPSIVS. proculdubio Dei. IN EO. proculdubio nato ex Deo. MANET. Ex hoc quod ſemen oliuæ manet in terra, non naſcitur vitis: & ex hoc quòd ſemen humanum eſt in vtero mulieris non naſcitur inde aliud quàm homo: multo magis ex eo quòd ſemen Dei eſt in nato ex ipſo, non proficiſcitur ab eo peccatum: quod iam declaratum eſt eſſe contrarium Deo. Et cùm debuiſſet dicere quoniam natura ipſius manet in eo, dixit *quoniam ſemen*: ad ſignificandum quod in nobis viatoribus natis ex Deo diuina natura participata potius habet rationem ac vim ſeminis diuini quàm naturæ diuinæ: quia communicat nobis potius virtutem qua poſſimus viuere vitâ diuinâ (credendo, ſperando, amando, operãdo) quam ipſum viuere diuina vita, quod futuræ felicitatis ſtatui reſeruatur.

Semen diuinum.

ET NON POTEST PECCARE, QVONIAM EX DEO NATVS EST. Non ſolum peccare, ſed etiam poſſe peccare negat Ioannes in natis ex Deo. Et vtrunque veriſſimum eſt formaliter: quoniam nec peccare, nec poſſe peccare prouenit à diuino ſemine, & diuina natiuitate: ſed vtrunque prouenit ex nobis. Et non eſt opus gloſſa ſed attentione quorſum hæc dicat Ioannes: dicit enim hæc aduerſus hæreticos, qui ex eo quod a Deo ſe habere prædicabant, & peccabant & poterant peccare. Aduerſus hos docet Ioannes quod id gratiæ quod habemus ex Deo, quo ſimus & ſumus filij Dei, nec fert ſecum peccare, nec poſſe peccare. Et hunc eſſe germanum ſenſum, manifeſtant ſubiuncta.

Verſ. 10. IN HOC MANIFESTI SVNT FILIJ DEI ET FILIJ DIABOLI. Diſcerne hinc hæreticos & hypocritas quoſcunque: nam quicunque diuinum dicunt quod fert peccare aut poſſe peccare, filij ſunt diaboli: quoniam filij Dei conſtant ex eo quod nec dat peccare, nec poſſe peccare, quamuis ex mea fragilitate peccem, & ex mea conditione poſſim peccare. Quicunque ergo vt licita habent peccata (vtpote conſona eorum dogmatibus) ij filij diaboli ſunt, non Dei. Et in hoc eſt differentia manifeſta imitatorum Dei & diaboli: quòd filij Dei omne peccatum ex filiatione Dei reſpuunt, filij autem diaboli peccatum admittunt: vtpote ſimiles patri, vtpote cõformes paternæ imitationi. OMNIS QVI NON EST IVSTVS, NON EST EX DEO: ET QVI NON DILIGIT FRATREM SVVM. Continuando iuſtitiam charitati, cõtinuat non iuſtitiam non dilectioni: vt ex negatiuis manifeſtentur affirmatiua. Iungit ergo non iuſtum cum non diligente, vtrumque dicẽs non eſſe ex Deo: vt ſimul concludat ſolum iuſtum eſſe ex Deo, & inchoet ſolum diligentem eſſe ex Deo, eundémque intelligamus eſſe iuſtum & diligentem ac è diuerſo, vt ex non ſeruatione mandatorum cognoſcamus & inferamus hominem talem non eſſe ex Deo ſecundum affectum: & ſimiliter ex non dilectione fratris idem ſciamus.

QVONIAM HÆC EST ANNVNTIATIO QVAM AVDISTIS AB INITIO, VT DILIGATIS ALTERVTRVM. pro, *inuicem*. Expedito tractatu iuſtitiæ, inchoatum tractatum de dilectione proſequitur ab authoritate quam ab initio fidei ſuſceperunt: hinc enim probat quod qui non diligit fratrem ſuum non eſt ex Deo. Authoritati autem adiungit exemplum. Verſ. 11.

NON SICVT CAIN, QVI EX MALIGNO. pro, *malo*, ERAT, ET OCCIDIT FRATREM SVVM. Vt prius diximus, *malo* maſculini eſt generis cum articulo: vt intelligamus diabolum ſignificari. Hiſtoria patet in principio Gen. ET PROPTER QVID OCCIDIT EVM? Interrogatiuè legendũ eſt. QVONIAM OPERA EIVS MALIGNA. pro, *mala*, ERANT. FRATRIS AVTEM EIVS BONA. pro, *iuſta*. In Geneſ. non legitur quæ fuerint hæc mala opera Cain, ſed ex diuina reprehenſione apparet ipſum malè feciſſe. Iuſta autem opera Abel non niſi in oblatione ſcribuntur: videlicet, quod de primogenitis pecudum, & adipes carnium offerebat. Veruntamen quamuis neſciamus quæ eorum fuerint opera mala & iuſta, ſufficiat Ioannis authoritas ad credendum quod Cain fuerunt opera mala, Abel autem iuſta. Et hoc innuitur in Geneſ. dum præmittuntur nomina perſonarum, dicendo: *Ad Abel & munera eius reſpexit, ad Cain autem & munera eius non reſpexit*, perſonalia enim merita ſignificantur rationes quòd Deus reſpexerit ad munera vnius, & nõ alterius perſonalia autem merita ex operibus conſtant. Verſ. 12.

NOLITE MIRARI. pro, *ne miremini*. FRATRES. Verſ. 13.
Deeſt, *mei*, SI ODIT VOS MVNDVS. Declaratâ mutua dilectione à contrario, odio fraterno, eandem declarat etiam à contrario odio, ſcilicet mundi. Et inducit hoc excludendo admirationem: vt intelligamus ſimili ratione à mũdo nos odio haberi, qua Abel odio habitus eſt à fratre: videlicet quia opera mundi ſunt mala, opera autem electorum ſunt bona: hæc enim ratio excludit admirationem.

NOS SCIMVS QVONIAM. pro, *quod*, TRANSLATI SVMVS DE MORTE AD VITAM, QVONIAM DILIGIMVS FRATRES. Propoſuerat præceptum de mutua dilectione: & declarauit iam ex contrario dilectionem. modò declarat eandem quoad terminum, videlicet *fratres*. Declarat autem ex fructu, qui eſt tranſlatos nos eſſe de morte ad vitam: ex hoc quod diligimus fratres. ita quod dilectio fraterna tantæ eſt vis, vt transferat de morte æterna ad vitam æternam. Et quod hoc ſit verum, manifeſtat primò ex contradictorio. QVI NON DILIGIT, MANET IN MORTE. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio eſt Verſ. 14.
cauſa

cauſa negationis: diligere confert vitam, non diligere, mortem.

Verſ. 15. OMNIS QVI ODIT FRATREM SVVM, HOMICIDA EST. De contradictorio (videlicet non diligere) affirmauit manere in morte: de contrario autem (videlicet odio) affirmat homicidium, quod eſt longè peius. Ille enim non ſurgit à ſtatu mortis in quo eſt: ille autem adiungit crimen homicidij. Homicidam autem intellige affectu, quamuis non actu. Et eſt indubiè verum de eo qui odit hominem. Quod dictum ſit ad differentiam eius qui odit diuitem ſeu principem & huiuſmodi: homo enim conſtat ex ſua vita: diues autem ex diuitiis, princeps ex principatu, & ſic de aliis. Et propterea odio habens hominem, appetit illum priuari vita: odio autem habens diuitem, appetit illum priuari diuitiis, & ſic de aliis. ET SCITIS QVONIAM. pro, *quod*, OMNIS HOMICIDA NON HABET VITAM ÆTERNAM IN SE MANENTEM. ergo de primo ad vltimum qui odit fratrem ſuum, non eſt tranſlatus de morte ad vitam. Appellatur autem (vt ſæpe diximus) vita æterna in nobis ipſum viuere ſecundum diuinã gratiam.

Qui odit fratrem ſuum homicida eſt: quo ſenſu?

Verſ. 16. IN HOC COGNOVIMVS CHARITATEM DEI. Superfluit *Dei*. QVONIAM. pro, *quòd*, ILLE ANIMAM SVAM PRO NOBIS POSVIT. De Ieſu Chriſto manifeſtè loquitur: & animæ nomine iuxta ſcripturæ conſuetudinem, vitam ſignificat corporalem. Ab exemplo Ieſu Chriſti manifeſtat dilectionem fratrum: in hoc enim opere veriſſimè cognouimus dilectionem ipſius, quòd ipſe pro nobis vitam ſuam poſuit. ET NOS DEBEMVS PRO FRATRIBVS ANIMAS PONERE. Non ſufficit, inquit Ioannes, quòd diligamus fratres, ſed oportet dilectionem comprobare opere: vt exemplo Chriſti ponamus & nos vitas noſtras pro fratribus.

Verſ. 17. QVI HABVERIT SVBSTANTIAM HVIVS MVNDI, ET VIDERIT FRATREM SVVM NECESSITATEM PATIENTEM, ET CLAVSERIT VISCERA SVA AB EO, QVOMODO CHARITAS DEI MANET IN EO? Dixerat quòd non ſufficit diligere fratrem, ſed debitum eſt vt etiam vitam ponat quis pro fratre, quod erat dicere quòd non ſufficit dilectio interna, ſed oportet dilectionem opere comprobare vſque ad extremum opus, quod eſt ponere vitam. Et quoniam hoc valde arduum videtur, ideo ſimul probat neceſſitatem operis & tempus neceſſitatis manifeſtat. Et neceſſitatem quidem operis adiungendi dilectioni, probat ex opere eleemoſynario ſatis clarè: tempus autem quo oportet opus exterius adhibere (ſiue eleemoſynæ, ſiue etiam propriæ vitæ) manifeſtat eſſe tempus neceſſitatis, dicendo: & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem.

Eſt itaque Ioannis doctrina quod in articulo neceſſitatis quo proximus eget eleemoſyna, debet qui poteſt & ſciuerit, conferre illi eleemoſynam: & ſimiliter in articulo neceſſitatis quo frater eſt in periculo mortis animæ, debet qui ſcit & poteſt, illi ſubuenire, etiam ponendo vitam propriam, ſi opus eſt, ad illius liberationem ab æterna morte: alioquin interna charitas Dei non manet in eo. Et propterea concludit.

Eleemoſyna in articulo neceſſitatis quàm ſtrictè obliget?

Verſ. 18. FILIOLI MEI, NON DILIGAMVS VERBO NEQVE LINGVA, SED OPERE ET VERITATE. Ex his duobus (opere & veritate) inſinuatur quo ſenſu dixerit, non verbo neque lingua: nam contra linguam fallacem dicit *& veritate*: & contra verba vana, dicit *ſed opere*. Et alterum eſt expoſitiuum alterius: hoc eſt enim diligere in veritate, diligere opere. falſa enim eſt dilectio quæ opere non comprobatur.

IN HOC COGNOSCIMVS QVONIAM. pro, *quod*, EX VERITATE SVMVS. Pronomen *hoc*, dilectionem opere & veritate demonſtrat. Dominus Ieſus coram Pilato dixit, omnis qui eſt ex veritate audit vocem meam. Ioannes hoc in loco dicit quod in hoc (ſcilicet in dilectione exhibente opus) cognoſcimus quod ſumus ex veritate. Ecce teſtimonium internæ noſtræ natiuitatis, manifeſtum ab ipſo Ioanne quo quiſque poteſt ſeipſum ſcrutari. ET IN CONSPECTV EIVS SVADEBIMVS CORDA NOSTRA. pro, *cordibus noſtris*. Ex eo quòd non dicit quid ſuadebimus, ſubintelligenda eſt res cognita. Et eſt ſenſus, quod diligendo opere non ſolum cognoſcimus nos eſſe ex veritate: ſed hoc ipſum quod eſt nos eſſe ex veritate, ſuadebimus cordibus noſtris, non fictè, non blandiendo, ſed in conſpectu Dei. Vnde apparet quod non de notitia euidentiæ, ſed de notitia fidei dixit, in hoc cognoſcimus: ex illa enim oritur vt ſuadeamus intimis noſtris coram Deo quod ſumus ex veritate, quod accendantur ad opera cumulanda, ad confidendum in Deo. Verſ. 19.

QVONIAM. pro, *quod*, SI REPREHENDERIT. pro, condemnet, NOS COR NOSTRVM, MAIOR EST DEVS CORDE NOSTRO ET NOVIT OMNIA. Dixerat *diligamus opere & veritate*: & oſtenderat duo bona interna quæ in nobis inde ſequuntur. Monſtrat modò idem ex oppoſito quod quamuis lingua aut exteriora reliqua nos non accuſent, ſi tamen cor noſtrum condemnet nos: vt contingit in illis qui non habent animum promptum, ſi articulus neceſſitatis accideret operandi quod debent ex dilectione fraterna. Hoc enim condemnari non poteſt ab iis quæ extra ſunt: & propterea iudicium hoc reſeruatur cordi proprio. Et dicitur quod ſi cor noſtrum condemnet nos de huiuſmodi minus vero aut tepido amore, multò magis Deus condemnabit nos: cùm ipſe & nouerit omnia intima, & ſit longè maior corde noſtro. Verſ. 20.

CHARISSIMI. pro, *dilecti*, SI COR NOSTRVM NON REPREHENDERIT. pro, *condemnet*, NOS, FIDVCIAM HABEMVS AD DEVM. Verſ. 21.

ET QVICQVID PETIERIMVS ACCIPIEMVS AB EO: QVONIAM MANDATA EIVS CVSTODIMVS, ET EA QVÆ SVNT PLACITA CORAM EO FACIMVS. In hac clara ſententia aduerte quòd pro ratione quare cor noſtrum non condemnet nos, reddit quoniam mandata eius cuſtodimus, &c. vt intelligas fundamentum interni iudicij cordis eſſe opera. Vanum eſt enim cordis teſtimonium niſi fundetur ſuper opera, tum præcepta à Deo, tum grata Deo: etiam ſi præcepta non ſint. Verſ. 22.

ET HOC MANDATVM EIVS. Pronomen *hoc* demonſtrat præceptum fidei quod ſubiungitur: pronomen verò *eius* demonſtrat Deum. VT CREDAMVS IN NOMINE FILIJ EIVS IESV CHRISTI. Vniuerſum Trinitatis & Incarnationis myſterium, credendum in hoc comprehenditur præcepto. ET DILIGAMVS ALTERVTRVM. pro, *inuicem*, SICVT DEDIT MANDATVM NOBIS. Superfluit *nobis*. Mandato fidei adiungit mandatum charitatis fraternæ, Verſ. 23.

modificatum ſicut Ieſus dedit nobis: dicendo, *hoc eſt mandatum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* Hoc mandatum hoc modo non tantum Ieſus Chriſtus homo, ſed Deus dedit.

Verſ. 24. ET QVI SERVAT MANDATA EIVS, IN ILLO MANET, ET IPSE IN EO. Redit concludendo ad primò propoſitam ſocietatem noſtram cum Deo: concludens quod ſeruando mandata Dei, manemus in Deo & Deus in nobis manet: in quo conſiſtit ſocietas noſtra cum Deo. Et ſeruans quidem mandata manet in Deo tanquam credens in eo cui credit, tanquam confidens in eo in quo confidit, tanquam amicus in amico, ſtudens & operans propter illum. Deus autem manet in eo, non ſolum tanquam amicus in amico, ſed etiam tanquam cuſtodiens ab imminentibus periculis, in eo cuius curam ac protectionem ſpecialem ſuſcepit, gubernando, inſpirando, &c. ET IN HOC SCIMVS QVONIAM. pro, *quod*, MANET IN NOBIS, DE SPIRITV. pro, *ex ſpiritu*, QVEM DEDIT NOBIS. Reſoluendo procedit Ioannes: cùm enim ſocietatem noſtram cum Deo in operibus & dilectione ſtatuiſſet, & hæc reduxiſſet in natiuitatem ex Deo, modò ipſam ex Deo natiuitatem reſoluit in ſpiritum: iuxta verbum Domini; *Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt videre regnum Dei.* Ad tractatum itaque de ſpiritu progreſſurus, iungit ſpiritum ſocietati noſtræ cum Deo, & dicit quòd in hoc cognoſcimus quòd ipſe Deus manet in nobis. Et illud hoc explicando dicit, *ex ſpiritu quem dedit nobis.* Vniuerſa igitur tum ſocietas tractata, tum notitia ſocietatis pendet ex ſpiritu quem dedit nobis.

Seruant præcepta Dei manet in Deo & Deus in eo.

CAPVT IV.

Verſ. 1. CHARISSIMI. pro, *dilecti*, NOLITE CREDERE. pro, *ne credatis*, OMNI SPIRITVI, SED PROBATE SPIRITVS SI EX DEO SINT: QVONIAM MVLTI PSEVDO PROPHETÆ EXIERVNT IN MVNDVM. Dixerat ſpiritum Dei datum nobis manere in nobis: monet modò ad diſcernendum ſpiritus in hominibus manentes an ex Deo ſint. Et neceſſitatem explicat: quia multi pſeuprophetæ exierunt in mundum, dicentes ſe habere ſpiritum Dei.

Verſ. 2. IN HOC COGNOSCITVR. pro, *cognoſcite*, SPIRITVS. pro, *ſpiritum*, DEI. Docet ſigna diſcernendi ſpiritum Dei in hominibus à non ſpiritu Dei. Et pronomen *hoc*, demonſtrat ſubiuncta ſigna. Primum itaque ſignum ſpiritus Dei ſpectat ad partem intellectiuam. OMNIS SPIRITVS QVI CONFITETVR IESVM CHRISTVM IN CARNE VENISSE, EX DEO EST. Confeſſio myſterij Incarnationis impleti in Ieſu Galilæo quod ipſe venerit Meſſias in carne, ſignum eſt diuini ſpiritus in homine.

Signa ſpiritus Dei in homine.

Verſ. 3. ET OMNIS SPIRITVS QVI SOLVIT IESVM. pro: *qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe,* EX DEO NON EST. Sicut confeſſio atteſtatur ſpiritui diuino, ita non confeſſio atteſtatur ſpiritui non diuino. Et eſt ſermo tam de confeſſione quam de non confeſſione ab intimis procedente. Hoc enim ſignificat ſpiritus nomen, excludens tum fictam tum coactam confeſſionem. Simile quid dixit Paulus, quod *nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in ſpiritu ſancto.* ET HIC EST ANTICHRISTVS. pro, *& hic eſt ille Antichriſti*: ſubauditur enim ſpiritus. Hic qui dicit Ieſum non eſſe Chriſtum, eſt ille ſpiritus Antichriſti; hoc eſt, eſt ille ſpiritus qui mouebit Antichriſtum. Quem conſtat fore ſpiritum diabolicum. DE QVO AVDISTIS QVONIAM. pro, *quod*, VENIT. Præſenti vtitur pro futuro propter certitudinem prophetiæ. ET NVNC IAM IN MVNDO EST. non ſecundùm perſonam, ſed ſecundùm ſimilitudinem ſpiritus.

VOS EX DEO ESTIS FILIOLI. Dixerat *ſpiritum manentem in nobis quem dedit nobis*: explicauit ſpiritum Dei à confeſſione, & ſpiritum diabolicum à non confeſſione Ieſu Chriſti. Applicat modò ſpiritum Dei ad ſupra deſcriptos quibus ſcribit: hoc eſt, ad membra Chriſti. Dicendo, *vos ex Deo eſtis.* ET VICISTIS EVM. pro, *eos.* Ad pſeudoprophetas antedictos refertur. QVONIAM MAIOR EST QVI IN VOBIS EST QVAM QVI IN MVNDO. Ratio victoriæ redditur non ex parte noſtri, ſed ex parte ſpiritus habitantis in nobis, quia maior eſt ſpiritus exiſtens in membris Chriſti, quàm ſpiritus qui exiſtit in mundo. Verſ. 4.

IPSI DE MVNDO. pro, *ex mundo* SVNT. IDEO DE. pro, *ex*, MVNDO LOQVVNTVR, ET MVNDVS EOS AVDIT. Appellatione *mundi* quemadmodum ſuperiùs, non vniuerſitas creaturæ abſolutè, ſed quatenus deordinata eſt moraliter, intelligitur. Et de Pſeudoprophetis dicitur quod ipſi ſunt ex mundo: hoc eſt, ex huiuſmodi deordinatione quoad effectum, & ideo ex affectu mundano loquuntur, & mundani homines eos audient. Verſ. 5.

Mundus hic quid.

NOS EX DEO SVMVS. Contra pſeudoprophetas opponit *nos*, veros doctores & Apoſtolos Chriſti. QVI NOVIT DEVM AVDIT NOS. Quemadmodum contra prophetas qui ex mundo ſunt, oppoſuit *nos ex Deo ſumus*, ita contra mundanos illos audientes opponit *qui nouit Deum audit nos*: vt intelligamus mundum, non ſolum deordinatum affectu, ſed etiam deſtitutum in intellectu, pro quanto priuatur notitia Dei. Et penetra quod Ioannes iungit confitentem Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, cum noſcente Deum: vt eundem intelligamus eſſe qui confitetur myſterium Incarnationis Ieſu Chriſti, & cognoſcentem myſterium Dei, nec ſeparari notitiam Dei à fide Ieſu Chriſti. Vnde eadem de noſcente Deum ſubiungit quæ de confidente Chriſtum dixit. Verſ. 6.

QVI NON EST EX DEO, NON AVDIT NOS. Non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum intelligentiam & affectum, intellige differre eos qui ſunt ex Deo, & qui ſunt ex mundo: & eoſdem intellige eſſe ex Deo qui nouerunt Deum, notitiâ veræ fidei.

IN HOC COGNOSCIMVS SPIRITVM VERITATIS ET SPIRITVM ERRORIS. Primum ſignum ad diſcernendum ſpiritus docuit eſſe confeſſionem Ieſu Chriſti: ſecundum autem docet eſſe ex mundo conſtare & loqui. Et primum quidem refertur ad fidem: ſecundum autem ad affectum ſeu mores. Qui enim ex ſpiritu Dei ſunt, omnia mundana tranſcendunt, ita quod nullo trium ſupradictorum quæ ſunt in mundo

Spiritus veritatis in quo diſcernitur ab à ſpiritu erroris.

mundo deprimuntur nihil rectitudinis diuinorum præceptorum prætereunt. Et in hoc diſcernimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris. Pſeudoprophetæ enim in aliquo horum trium errant: aut minus ſentiendo de Deo, aut de myſterio Incarnationis, aut circa mores malè affecti.

Verſ. 7. CHARISSIMI. pro, *dilecti*, DILIGAMVS NOS INVICEM: QVIA CHARITAS EX DEO EST, ET OMNIS QVI DILIGIT FRATREM SVVM, EX DEO NATVS EST, ET COGNOSCIT DEVM. Non ſaltat nec digreditur Ioannes, ſed è regione affectum omnium mundanorum locat charitatem mutuam: vt hinc aperiat qui ſunt ex Deo, & qui ſunt ex mundo, à propriis nobis operibus.

Mutuam itaque dilectionem definit eſſe illam qua filij Dei diſcernuntur à filiis mundi. Et hoc probat, quia dilectio ex Deo eſt. Et eſt ſermo de dilectione, quâ homines diligimus relatiuè ad eum & patriam cœleſtem: nam hæc eſt ſola vera dilectio qua & nobiſipſis & aliis volumus ſummum bonum, quod eſt vita æterna: reliquæ autem dilectiones non malæ (puta qua volumus alicui ſanitaté & reliqua huiuſmodi bona temporalia) ſunt dilectiones ſecundum quid.

De dilectione itaque ſimpliciter eſt ſermo, ne oporteat idem ſæpe repetere. Et de hac ſpecialiter dicitur quod ex Deo eſt: quoniam verè infuſa per gratiam (non congenita) à Deo in nobis. Nec ſolùm ipſa dilectio à Deo proficiſcitur, ſed etiam omnis diligens fratrem ſuum natus dicitur ex Deo: ac per hoc filius eſt Dei. Et in hoc ſignificatur quod dilectio non qualitercunque eſt ex Deo, ſed tanquam forma conſtitutiua filiorum Dei, tanquam forma aſſimilatiua hominum Deo vt filiorum patri. Et in hoc Ioannes confutat Philoſophorum dogmata, tradentium quod penes ſcire maximè attenditur ſimilitudo hominum ad Deum. Dilectio, inquit, Ioannes, eſt ex Deo: ſic quod omnis qui diligit fratrem ſuum, natus eſt ex Deo. Non potes hæc verificare de aliis quæ ſunt à Deo, non potes vere dicere, ſcientia eſt ex Deo, ſic quod omnis qui ſcit natus eſt ex Deo: & ſic de aliis quæ ſunt ex Deo. Sed de ſola dilectione verificatur: & propterea ſola dilectio diuidit inter filios Dei & filios perditionis.

Sola dilectio diſcernit filios Dei, & filios perditionis.

Et ne putares natum ex Deo expertem eſſe notitiæ Dei, dilectioni Dei comitem iungit notitiam, dicendo & cognoſcit Deum, ſed non eſt ſermo de notitia ſcientifica, ſed de notitia fidei qua nouit credendum eſſe myſterium Trinitatis, &c.

Verſ. 8. QVI NON DILIGIT, NON NOVIT DEVM: QVONIAM DEVS CHARITAS EST. De notitia imitatoria eſt ſermo, cùm dicitur, *qui non diligit, non nouit Deum*: adiuncta ratione *quoniam Deus charitas eſt*: nam ſeclusâ imitatione etiam qui non diligit nouit Deum: ſed quia Deus eſt charitas, nullus eum nouit imitando niſi qui diligit: ipſa enim dilectio eſt imitatio diuinæ charitatis. Sed cur ſingulariter de dilectione hoc dicitur, cùm ſimiliter dici poſſit, qui non ſcit, non nouit Deum, quoniam Deus ſcientia eſt, & ſimiliter qui non ſapit, non nouit Deum, quoniam Deus ſapientia eſt: & ſimiliter qui non poteſt, non nouit Deum, quoniam Deus potentia eſt. Solutio eſt quod non eſt hîc ſermo de Deo abſolutè, ſed de Deo relato ad nos. Et eſt ſenſus: qui non diligit, non nouit imitatoriè Deum, quoniam Deus relatus ad nos eſt dilectio. Non ſic autem eſt de ſcientia, ſapientia, & potentia. Primus enim & præcipuus diuinus erga nos actus eſt dilectio, quâ in charitate perpetua dilexit nos. Et ſingulariter dicitur quod qui non diligit, non nouit Deum imitando ipſum relatum ad nos, quia ipſe relatus ad nos eſt dilectio. Vnde & effectum tantæ dilectionis ſubiungit.

Primus & præcipuus Dei erga nos actus eſt dilectio.

IN HOC APPARVIT CHARITAS DEI IN NOBIS, Verſ. 9.
QVONIAM. pro *quod*, FILIVM SVVM VNIGENITVM MISIT DEVS IN MVNDVM, VT VIVAMVS PER EVM. Eadem ſententia habetur à Domino Ioannis 3. vnde ſententia vt iam manifeſtata relinquatur.

IN HOC EST CHARITAS. Exaggerat dilectionem Verſ. 10.
Dei erga nos, ex hoc quòd non eſt præuentus à noſtra dilectione. NON QVASI NOS DILEXERIMVS DEVM. ad hoc vt mitteret filium ſuum. SED QVONIAM. pro, *quod*, IPSE PRIOR DILEXIT NOS. Superfluit *prior*. Et ex hac dilectione. ET MISIT FILIVM SVVM PROPITIATIONEM PRO PECCATIS NOSTRIS. Quod prius dixerat *vt viuamus per eum*, modò explicat indigentiam noſtram: dicendo *propitiationem pro peccatis noſtris*. Et dilectionem exaggerat ex cruce, in qua fuit propitiatio pro peccatis noſtris.

CHARISSIMI. pro, *dilecti*, SI DEVS. Deeſt vna Verſ. 11.
dictio: Legendum eſt: *Si ſic Deus* DILEXIT NOS. Videlicet præueniendo quoad dilectionem, & dando filium ſuum in crucis patibulo pro peccatis noſtris, vt per eum viuamus in æternum, conſequens eſt quòd ET NOS DEBEMVS ALTERVTRVM. pro, *inuicem*, DILIGERE. Et tenet ſequela: quia nos ſumus inuicem ſimiles, à Deo autem longè differimus.

DEVM NEMO VIDIT VNQVAM. Cùm debuiſſet Verſ. 12.
inferre, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus Deum diligere, tamen intulit, & nos debemus inuicem diligere. Intendens declarare quòd in hac mutua dilectione perficitur Dei dilectio, tanquam excuſando declinationem (quod videlicet à Deo declinauit ad nos) dicit *Deum nemo vidit vnquam*. Ac ſi apertiùs dixiſſet: ideo non intuli & nos debemus Deum diligere, quia Deum nemo vidit vnquam: Ipſe quidem videt nos, nos autem non videmus eum: & propterea dilectionem Dei non viſi tanquam rem valde arduam, non inutili in ſeipſa, ſed in noſtra mutua dilectione. Ioannes dicit, *Deum nemo vidit vnquam*: tu ſectator doctorum credentium quod Moyſes & Paulus viderunt Deum, vtere his verbis tanquam regula patiente exceptionem.

Deum nemo vidit vnquã.

SI DILIGIMVS INVICEM, DEVS IN NOBIS MANET, ET CHARITAS EIVS IN NOBIS PERFECTA EST. Conſequenter reddit rationem quare intulit, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere. Et tangit duo puncta, alterum eſt, quod mutua dilectio confert Deum manere in nobis: alterum eſt, quòd mutua dilectio confert charitatem Dei perfectam eſſe in nobis. Et vtrumque declarat, inchoando à primo.

IN HOC. pro, *ex hoc*, COGNOSCIMVS Verſ. 13.
QVONIAM. pro, *quòd*, IN EO MANEMVS ET IPSE IN NOBIS. Ecce primum, cuius ratio ſubiungitur, QVONIAM DE SPIRITV SANCTO SVO DEDIT NOBIS. Superfluit *ſancto*. Ioannes cum reliquis

reliquis Apoſtolis verè poterant affirmare ſe ex hoc clarè cognoſcere quòd in Deo manebant & Deus in eis, qui de ſpiritu Dei dederat eis, tum in die Reſurrectionis, *Accipite Spiritum ſanctum*, tum in die Pentecoſtes. Vnde & de ſeipſis ſubdit.

Verſ. 14. ET NOS VIDIMVS ET TESTIFICAMVR QVONIAM. pro, *quòd*. PATER MISIT FILIVM SVVM SALVATOREM MVNDI. Vidimus in effectibus, viderunt enim Apoſtoli mentis oculis in effectibus Ieſum Chriſtum eſſe ſaluatorem mundi miſſum à Patre: videndo reſuſcitari mortuos: & tot miracula ad teſtificandum hoc, ſuſcipiendo intus diuinum lumen. Teſtificamur autem & verbo & ſcripto: & cùm oportet etiam ſanguine proprio.

Verſ. 15. QVISQVIS CONFESSVS FVERIT QVONIAM. pro, *quòd*, IESVS EST FILIVS DEI, DEVS IN EO MANET ET IPSE IN DEO. Dixerat de ſeipſis quoad notitiam: dicit modò vniuerſaliter quoad eſſe, quòd quicunque habet integram fidem filij Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. In principio huius capituli dixerat, quòd habens integram fidem filij Dei, ex Deo eſt: hîc autem dicit, quòd manet in Deo & Deus in eo. Quod ſignificatur per præpoſitionem *ex*, inter Deum & nos non eſt mutuum: nos enim ſumus ex Deo, ſed Deus non eſt ex nobis. Quod autem ſignificatur per præpoſitionem *in*, mutuum eſt: Deus enim manet in nobis & nos manemus in Deo.

Aliud itaque ibi, aliud hîc ſignificatur de credente myſterium filij Dei. Hic enim aperitur proprius dilectionis effectus: qui eſt conſtituere amantem in amato, & ſi eſt dilectio amicitiæ, vtrumque in altero conſtituit. Et quoniam de amore amicitiæ eſt ſermo, ideo dicitur quod Deus eſt in eo, & ipſe in Deo: vt ſuperiùs declarauimus. Vnde & Ioannes ne hoc tanquam obſcurum remaneret, ex ratione ipſius charitatis declarat, ſubiungendo:

Verſ. 16. ET NOS COGNOVIMVS ET CREDIDIMVS CHARITATI. pro, *charitatem*, QVAM HABET DEVS IN NOBIS. Dicit *cognouimus & credidimus*: eo quòd (vt pluries declarauimus) cognoſcimus euidenter, quod credenda ſunt, & credimus: hinc *enim* in perſona membrorum Chriſti Ioannes dicit: *& nos cognouimus*, ſubaudi credendam, & credidimus ipſam charitatem diuinam qua Deus proſequitur nos. Et ex hac cognitione ac fide dicimus.

DEVS CHARITAS EST, ET QVI MANET IN CHARITATE, IN DEO MANET ET DEVS IN EO. Iam expoſitum eſt cur ſingulariter dicitur *Deus charitas eſt*: de Deo enim relato ad nos eſt ſermo. Ac ſi apertiùs dixiſſet: Deus erga nos conſiſtit in dilectione, & propterea qui manet in dilectione, in Deo manet & Deus in eo: vt expoſitum iam eſt. Et ſic concluſit primum quod erat declarandum: videlicet quod dilectio facit Deum manere in nobis: hoc enim apertè concluſit dicendo, *qui manet in dilectione, in Deo manet & Deus in eo*.

Deus charitas eſt.

Verſ. 17. IN HOC PERFECTA EST CHARITAS NOBISCVM. Alterum declarandum fuerat, quod dilectio mutua facit charitatem eius in nobis eſſe perfectam: & hoc eſt, quod modò incipit declarare. Vbi aduerte quòd proponendo dixit *charitatem eius*, proculdubio Dei obiectiuè: hoc eſt tanquam amati: modò autem declarando dicit abſolutè *charitas*, ad ſignificandum quòd charitas tam Dei quàm aliorum perfecta nobiſcum eſt in hoc quod ſubiunget.

Nec prætereas *nobiſcum*. Non enim dicit quod charitas eſt perfecta, ſed quòd eſt perfecta nobiſcum: ad ſignificandum, quòd perfectè nobiſcum agitur quoad charitatem, ſi hoc quod ſubiungitur adeſt.

VT FIDVCIAM HABEAMVS IN DIE IVDICII QVIA. pro, *quod*, SICVT ILLE EST ET NOS SVMVS IN MVNDO HOC. Relatiuè ad Deum perfectionem charitatis definit: vtpote primum & præcipuè diligendum. Definit autem relatiuè ad Deum iudicem, vt non timeamus diem iudicij, ſed tanquam ſecuri fiduciam habeamus fundatam ſuper hoc, quod ſicut ille eſt dilectio erga nos, ita & nos in hoc mundo ſumus dilectio erga ipſum. Rurſus ſicut ille eſt faciens oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluens ſuper iuſtos & iniuſtos, ita & nos in hoc mundo ſumus diligentes & amicos & inimicos, benefacientes etiam iis qui perſequuntur nos. Hæc itaque fiducia fundata ſuper iſtam ſimilitudinem inter nos & Deum, perfectæ eſt charitatis viatorum. Perfectam autem non ſic intellige quin poſſit augeri: quoniam ſemper charitas viæ augeri poteſt: & perfecta charitas latitudinem intenſiuam magnam habet.

TIMOR NON EST IN CHARITATE. ſubaudi Verſ. 18.
perfecta, vt patet ex aduerſatiua ſubiuncta. SED PERFECTA CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. Probat ad perfectam charitatem exigi antedictam fiduciam erga Deum iudicem, ex hoc quòd perfecta charitas eiicit timorem iudicis, Et hoc probat.

QVONIAM TIMOR PŒNAM HABET. Timor ſiquidem cruciat animum: dilectio autem perfecta lætificat animum. Nec per hoc contradicit prophetæ dicenti, *Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi*: quoniam Ioannes de actu timendi loquitur, qui ſicut non erit in patria, ita non eſt in perfecta charitate viæ, Propheta autem de effectu timoris filialis: qui eſt reuerenter ſe habere ad Deum & huiuſmodi. Et hic effectus eſt & in patria (in qua tremunt poteſtates) & multo magis in via, in iis qui perfectæ ſunt charitatis. Vnde & de actu timendi ſubiungit, QVI AVTEM TIMET, NON EST PERFECTVS IN CHARITATE. ſed magis tendit ad perfectionem charitatis.

Timor pœnam habet.

NOS ERGO DILIGAMVS DEVM. Superflut *ergo*: Verſ. 19.
& legendum eſt in tempore præſenti ſic: NOS DILIGIMVS EVM, QVONIAM DEVS. pro, *ipſe*, PRIOR DILEXIT NOS. Qualitatem amoris noſtri erga Deum definit, & quemadmodum excluſit à perfecta charitate timorem mali, ita modò excludit amorem boni vtilis. Perfecta enim charitas ſicut non timet puniri à Deo, ita non mouet ad amandum Deum, vt det nobis bona, quod eſſet amare Deum amore concupiſcentiæ, quod non eſſet amare Deum, ſed noſipſos. Excludit autem hoc aſſignando rationem amoris, & dicendo quod nos diligimus eum quia ipſe prior dilexit nos: hoc eſt, nos diligimus Deum ad hoc, vt rependamus amorem amori, quod eſt diligere Deum amore amicitiæ. Ecce perfecta charitas erga Deum iam definita eſt. Quòd autem hæc iuncta neceſſariò ſit dilectioni fratrum (quod ſuperius propoſitum fuerat) manifeſtat ſubiungendo:

Verſ. 20. Si qvis dixerit qvoniam. pro, *quòd*, diligo Devm, et fratrem svvm oderit, mendax est. Et hoc ſtatim probat. Qvi enim non diligit fratrem svvm qvem videt. pro, *vidit*, Devm qvem non videt. pro, *vidit*. Qvomodo potest diligere? Argumentum clarum & efficax eſt, ex cauſa dilectionis procedens. Et nihilominus aliam adiungit ad idem rationem.

Verſ. 21. Et hoc mandatvm habemvs a Deo. pro, *ab eo*, vt qvi diligit Devm diligat et fratrem svvm. propter Deum. Fundatur ratio ſuper hoc, quòd qui ſpernit mandatum Dei, mendax eſt dicendo, quod diligit Deum. Et ſententia clara eſt.

CAPVT V.

Verſ. 1. Omnis qvi credit qvoniam. pro, *quòd*, Iesvs est Christvs, ex Deo natvs est. Tertiam adiungit rationem ad idem: primò proponens minorem, & deinde maiorem. Et omnis qvi diligit evm qvi genvit, diligit et evm qvi natvs est ex Deo. pro, *eo*. Sub hac enim ſubſumitur, ſed omnis qui credit, quòd Ieſus eſt Chriſtus, eſt natus ex Deo: igitur omnis qui diligit Deum, diligit credentem, quòd Ieſus eſt Chriſtus, quod erat intentum: nam huiuſmodi credentes appellantur fratres.

Verſ. 2. In hoc cognoscimvs qvoniam. pro, *quòd*, diligimvs natos Dei. Non ſufficit Ioanni reſoluenti natum ex Deo in ſpiritum, monſtrare hoc ex dilectione Dei & dilectione fratrum, niſi ſimul his iungat ſeruationem mandatorum Dei: nam & diſcernendo ſpiritus in præcedenti capitulo inſeruit differentiam inter mundanos & eos qui ſunt ex Deo. Vnde illud tractans modò dicit quòd in hoc cognoſcimus: quòd diligimus natos ex Deo, quod eſt medium inter dilectionem Dei & opera. Cùm Devm diligamvs. pro, *diligimus & mandata eius facimus*. Ex his duobus extremis aſſerit cognoſci medium. Et iungendo extrema ſubiungit.

Verſ. 3. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eivs cvstodiamvs. Eadem eſt ſententia Chriſti. *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*. Charitas ſiquidem erga Deum, ratio eſt ſeruandi mandata eius. Et mandata eivs gravia non svnt. Ne ſarcinam operum horreres, tollit ab eis, quod ſint oneroſa. Et rationem ſubiungit.

Verſ. 4. Qvoniam omne qvod natvm est ex Deo, vincit mvndvm. Non eſt graue quod à quolibet nato ex Deo ſuperatur. Plus dicit videlicet quòd vniuerſus mundus vincitur à quolibet nato ex Deo.

Vniuerſus mundus vincitur à quolibet nato ex Deo.

Et hæc est victoria qvæ vincit mvndvm, fides nostra. Intellige de fide viua quæ ſpirat opera: non de fide ſine operibus, quæ mortua eſt. Et cùm debuiſſet dicere, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum iuſtitia noſtra, dixit *fides noſtra*: vt iuſta opera intelligantur vincere quaſi executiue, fides autem imperatiue: hoc ſignificatur enim attribuendo victoriam fidei, tanquam imperatori militantium virium & actionum.

Verſ. 5. Qvis est avtem qvi vincit mvndvm, nisi qvi credit qvoniam. pro, *quod*, Iesvs est filivs Dei? Ne quemlibet in fide ſua ſaluari putares & vincere mundum, explicauit fidem, quæ vincit mundum, eſſe fidem qua credimus quòd Ieſus eſt filius Dei. Et hoc tam contra Iudæos quàm contra hæreticos.

Verſ. 6. Hic est qvi venit per aqvam et sangvinem Iesvs Christvs. Manifeſtata diſcretione ſpirituum ex fide Ieſu Chriſti & dilectione Dei ac fratrum, & ſeruatione mandatorum Dei, ipſum officium ſpiritus manifeſtare intendit: inchoans à Ieſu Chriſto credito, & aſſerens de eo tres teſtes: videlicet aquam, ſanguinem, & ſpiritum. Et explanans quod dicit, ſubdit:

Non in aqva solvm, sed in aqva et sangvine. Ioannes Baptiſta venit in aqua ſolum: vt ipſemet dixit: *Ego baptizo vos aqua*. & Dominus, *quia Ioannes quidem baptizauit aqua*. Ieſus autem venit ad conuertendum mundum in aqua baptiſmali: ſed non in aqua ſolum (hoc eſt non in aqua pura) *ſed in aqua & ſanguine*: hoc eſt, in aqua habente virtutẽ ſanctificatiuam ex eius ſanguine, oblata Deo in ara crucis: quicunque enim (inquit Apoſtolus) baptizati ſumus, in morte Chriſti baptizati ſumus.

Et spiritvs est qvi testificatvr. Ecce tertius eſtis, imò ecce ille qui eſt ſolus ſufficiens teſtis, ecce ille qui verè teſtificatur: aqua enim non loquitur neque ſanguis, ſed ſpiritus eſt quia & intelligit & omnia nouit & teſtificatur. Et propterea ſingulariter de ſolo ſpiritu dixit, & ſpiritus eſt qui teſtificatur.

Verſ. 7. Qvoniam Christvs. pro, *ſpiritus*, est veritatis. Ecce ratio teſtificationis appropriatæ ſpiritui, quia ſpiritus eſt ipſa veritas. Ex hoc enim quod eſt ipſa veritas, ſufficiens eſt ad teſtificandum: nec fallere poteſt nec falli. Quid autem teſtificetur, inferiùs explicabit.

Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Si hæc verba ſunt de textu, aſſeruntur ad manifeſtandum quod dictum eſt quod ſpiritus eſt veritas. Dixi autem ſi ſunt de textu: quoniam non inueniuntur in omnibus codicibus Græcis, ſed in aliquibus. Vnde autem iſta diuerſitas proceſſerit neſcimus.

Verſ. 8. Et tres ſunt qui teſtimoniũ dant in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt. Nõ ſic Græcè habetur, ſed ſic Qvoniam tres svnt qvi testificantvr: spiritvs, aqva et sangvis, et hi tres in vnvm svnt. Ita quòd poſtquam dictum eſt quoniam *ſpiritus eſt veritas*, ſubiungitur, quoniam tres ſunt qui teſtificantur, ſpiritus, aqua & ſanguis. Directè reddendo rationem propoſitorum: videlicet quod Ieſus venit in aqua & ſanguine, & ſpiritus eſt qui teſtificatur. Horum enim dictorum ratio redditur ex hoc quoniam hi tres (ſanguis, aqua, & ſpiritus) teſtificantur quidem, ſed in vnum coëunt: videlicet teſtimonium ſpiritus. Spiritus enim eſt qui teſtificatur: ſanguis autem & aqua ſub ſpiritu teſtificantur; imò ipſe ſpiritus teſtificatur & de ſanguine Chriſti oblato in cruce & de aqua baptiſmali. Ecce officium ſpiritus, quod (vt diximus) intendit manifeſtare.

Verſ. 9. Si testimonivm hominvm accipimvs

TESTIMONIVM DEI MAIVS EST. Acceptabilitatem teſtimonij ſpiritus manifeſtat ex comparatione authoritatis humanæ ad authoritatem diuinam. Si teſtimonium hominum tantæ eſt authoritatis apud homines quòd illud acceptamus, multo maioris authoritatis eſt teſtimonium Dei. Et in hoc manifeſtè ſubintelligitur Spiritum ſanctum eſſe Deum: alioquin non de teſtimonio ſpiritus dixiſſet, *teſtimonium Dei maius eſt*.

QVONIAM HOC EST TESTIMONIVM DEI QVOD MAIVS EST. Superfluit *quod maius eſt*. QVONIAM. pro, *quod* TESTIFICATVS EST DE FILIO SVO. Et non eſt coniunctio, ſed relatiuum *quod*. Ex materia itaque teſtimonij diuini reddit rationem dictorum de Chriſto. Ita quod pronomen *hoc* demonſtrat dictum, *hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem*, &c. Et eſt ſenſus, hæc ita ſe habere quia hoc quod dictum eſt, eſt illud teſtimonium Dei, quo teſtificatus eſt de filio ſuo.

Spiritus teſtificatio, quandonam:

Si quæris quando aut quomodo fuerit huiuſmodi teſtificatio, lege actus Apoſtolorum & inuenies quod in die Pentecoſtes Spiritus ſanctus qui eſt ipſa veritas, teſtificatus eſt de Chriſto, vt verba Apoſtolorum teſtantur, & illud idem teſtimonium eſt, quod Deus pater perhibuit de filio ſuo. Indiuiſa enim ſunt opera Trinitatis ad extra. Præter teſtimonia quæ in Euangeliis leguntur, in baptiſmo, & in transfiguratione & in Hieruſalem prope paſſionem cùm vox paterna intonuit: & clarificaui & clarificabo.

Verſ. 10. QVI CREDIT IN FILIVM DEI, HABET TESTIMONIVM DEI IN SE. Superfluit *Dei*. Protinus teſtimonij effectus ad quem directè tendit, eſt fides, eſt vt credatur: teſtimonij enim non eſt facere euidentia, ſed credulitatem. Et propterea Ioannes explicatâ materia diuini teſtimonij, ſubiungit primum eius effectum dicendo quòd qui credit in filium Dei teſtificatũ à Deo habet teſtimonium ſecundum proprium illius effectum in ſeipſo credente.

QVI VERÒ NON CREDIT IN FILIVM. pro, *qui non credit Deo*. Expectandum ſiquidem conſequenter videbatur vt ſubderet (vt Latinus textus habet) qui verò non credit in filium: verùm Ioannes non hoc ſubiunxit, ſed qui non credit Deo, vt intelligamus eiuſdem eſſe rationis non credere Deo, & non credere in filium Dei: & vt ex hoc magis abſurdo (videlicet qui non credit Deo) oſtendat neceſſitatem credendi in filium Dei. Vnde & ſubdit.

MENDACEM FACIT, pro, *fecit*, EVM. proculdubio Deum. Et ratio mendacij ſubiungitur, QVIA NON CREDIT. pro, *credidit*, IN TESTIMONIO. pro, *teſtimonium*, QVOD TESTIFICATVS EST DEVS DE FILIO SVO. Ex natura facti ipſum non credere teſtimonio, redundat in teſtem mendacem actu vel potentia. Niſi enim putaretur teſtem poſſe mentiri, crederetur proculdubio teſtimonio eius. Et hinc fit quòd non credens teſtimonio Dei de Chriſto, quantũ eſt ex natura facti facit Deum mendacẽ actu vel potẽtia.

Verſ. 11. ET HOC EST TESTIMONIVM QVONIAM. pro, *quòd*, VITAM ÆTERNAM DEDIT NOBIS DEVS: ET HÆC VITA IN FILIO EIVS EST. Duplicem diuini teſtimonij materiam Ioannes explicat: Alteram filium Dei, & de hac dixit qui credit, &c. Alteram in nobis, vitam ſcilicet æternam. Et prima quidem materia ſpectat ad intellectũ cuius eſt credere in quo eſt fides: hæc autem ſpectat ad effectum, ad charitatem, ad voluntatem: cuius eſt diligere. Et propter alietatem materiæ repetit, & hoc eſt teſtimonium. Ac ſi apertius dixiſſet: diuinum teſtimonium non ſolum eſt hoc quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo, ſed eſt etiam illud quod teſtificatus eſt de dono nobis collato: videlicet quod Deus dedit nobis vitam æternam. Pluries expoſitũ eſt quod vita æterna hìc habetur à nobis participatiuè in eo quòd diligimus Deum amore amicitiæ. Et ſubiungit quod hæc vita in filio eius eſt: ne errares tanquam diſparata dona intelligendo hæc duo dona (videlicet quod Deus dedit nobis filium ſuũ, & quod Deus dedit nobis vitam æternam), ſed penetrares quod vnum eſt ratio alterius, quòd dando filium dedit vitam æternam: quia vita æterna eſt in ipſo filio. Vnde ad hoc apertè manifeſtandum ſubiungit.

QVI HABET FILIVM DEI, HABET VITAM, QVI NÕ HABET FILIVM DEI, VITAM NÕ HABET. Habere filiũ Dei complectitur id quod eſt virium omnium: intellectus videlicet, voluntatis, & operatiuæ potentię: nam & ſuperius hæc tria (fidem, dilectionem & opera) coëxigi ad natum ex Deo, ad manendum in Deo, ad habentem ſpiritum Dei definitum eſt. De habente itaque filium Dei fide, dilectione & opere, dicitur quod habet vitam, proculdubio æternam participatiuè. Et verè ſic eſt: quoniam viuit vita diuina, eius conuerſatio in cœlis eſt: & viuit ipſe iam non ipſe, viuit autem in eo Chriſtus. Verſ. 12.

Habere filiũ Dei, quid:

HÆC SCRIBO. pro, *ſcripſi*, VOBIS. Deſunt hic multæ dictiones. Græcè enim ſubiungitur, *Qui creditis in nomine filij Dei*, VT SCIATIS QVÒD VITAM ÆTERNAM HABETIS. Et hæc eadem habentur in textu Latino: tranſpoſita tamen: ſed ſubiuncta non inueniuntur in Latino, videlicet. ET VT CREDATIS IN NOMINE FILII DEI. Et hæc particula niſi referatur ad perſeuerantiam, adiectitia apparet: quoniam iis qui credunt in nomine filij Dei non quadrat *ſcripſi vt credatis in nomine filij Dei*, niſi vt dictum eſt hortando ad perſeuerantiam: quod in Euangelio Dominus dicit, Ioannes hìc explicat. Verſ. 13.

ET HÆC EST FIDVCIA QVAM HABEMVS AD DEVM, pro, *cum*, QVIA. pro, *quod*, QVODCVNQVE PETIERIMVS SECVNDVM VOLVNTATEM EIVS AVDIT NOS. Tractato officio ſpiritus, quod eſt teſtificari tam de filio Dei quàm de vita æterna nobis data in ipſo in præſenti, tractat demum aliud Spiritus ſancti officium: quod eſt parere in nobis fiduciã obtinendi à Deo quicquid petierimus ſecundum voluntatem Dei: hæc enim fiducia naturali ſequela comitatur amicitiam inter Deum & nos. A veris namque amicis confidimus obtinere quicquid petimus ſalua ratione honeſti, quæ relatiuè ad Deum non potuit melius explicari, quam dicendo ſecundum eius voluntatem. Voluntas enim Dei lex eſt omnis honeſti, omnis rationabilis, omnis iuſti, &c. Verſ. 14.

Fiducia obtinendi à Deo quicquid petierimus ſecundum eius voluntatem à Spiritu S.

ET SCIMVS. pro, *& ſi ſcimus*, QVIA. pro, *quod* AVDIT NOS QVICQVID PETIERIMVS, SCIMVS QVONIAM. pro, *quod*, HABEMVS PETITIONES QVAS POSTVLAMVS. pro, *poſtulauimus*, AB EO. Conſequenter infert ex prædicta fiducia, aſſumpta conditionali quod ſi Verſ. 15.

ſi ſcimus nos audiri à Deo in quacunque petitione (ſiquidem ſecundum eius voluntatem) conſequenter ſcimus quod habemus petitiones quas poſtulauimus ab eo: hoc eſt conſequenter ſcimus quod ſumus exauditi in iis quæ poſtulauimus.

Recole quod docuit Paulus, *hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*: & perſpicies quod petitiones noſtræ quas indubiè fecimus ſecundum voluntatem Dei, ſunt petitiones ſpectantes ad ea quæ ſunt vitæ æternæ. Et de his dicit Ioannes quòd Spiritus ſanctus parit fiduciam obtinendi quicquid petierimus: & quòd hæc fiducia parit ſcientiam præteritarum petitionum quod habemus eas reſeruatas vt ſuo tempore adimpleantur.

Nec ſis ſolicitus de verbo *ſcire*: quoniam de ſcientia fidei eſſe ſermonem, fiducia patens teſtatur.

Verſ. 16. QVI SCIT. pro, *ſi quis ſcit*, FRATREM SVVM PECCARE NON AD MORTEM, PETAT ET DABITVR EI VITA PECCANTI NON AD MORTEM. pro, *petet & dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem*. Dixerat fiduciam in nobis eſſe impetrandi quicquid petierimus, & quoad noſipſos quidem petentes pro nobiſipſis explicauerat: modò eandem fiduciam explicat relatiue ad petitionem pro aliis: & temperat fiduciam penes differentiam peccati ad mortem, vel non ad mortem. Docet enim quod fiducia hæc ſe extendit ad petitiones quas pro aliorum vita (proculdubio ſpirituali) facimus, dummodo illorum peccata non ſint ad mortem.

Et aduerte quod textus ſonat gratiam concedi petenti, effectum verò gratiæ (videlicet vitam petitam) dari peccantibus quorum peccata non erant ad mortem ait enim: petet non ipſe peccator, ſed ille qui viderit fratrem peccare, & Deus dabit ei, petenti vitam, non ei, ſed peccantibus non ad mortem pro quibus petet.

EST PECCATVM AD MORTEM: NON PRO ILLO *Peccatum ad mortem.* DICO VT ROGET QVIS. pro, *vt roges*. Ecce moderatio fiduciæ, non audet Ioannes extendere fiduciam impetrandi vitam aliis peccantibus ad mortem. Nec tamen prohibet orari pro eis: nam non dicit affirmatiuè pro illo dico vt non roges: ſed à negatione incipit, *non pro illo dico vt* *S. Bernard.* *roges*. Memini Bernardi adiungentis, *ſed gemas, ſi forte gemitus penetret quò oratio non præſumit tendere.*

Verſ. 17. OMNIS INIQVITAS PECCATVM EST: ET EST PECCATVM AD MORTEM. Corruptus eſt textus, Legendum eſt negatione interiecta. ET EST PECCATVM NON AD MORTEM. Et eſt ſenſus quod omnis iniquitas ex proprio genere eſt pecca*Peccatum non ad mortem.*tum, peccatum autem non ad mortem. Et ex hoc innuit quod peccatum ad mortem non eſt ſpecies peccati, ſed aliunde habet quod ſit ad mortem. Habet autem ex parte peccantis, ſi tam affectus ſit ad peccatum aliquod (puta fornicationem, vſuram, tyrannidem, &c.) vt velit in eo perſeuerare vſque ad mortem. Ac ſi apertius dixiſſet quod pro eo qui propoſitum habet perſeuerandi in peccato vſque ad mortem non dico vt roges: hæc eſt enim peſſima peccatoris conditio: & directè contrariatur tam veniæ quam petitioni alienæ pro illius venia.

Verſ. 18. SCIMVS QVONIAM. pro, *quòd*, OMNIS QVI NATVS EST EX DEO NON PECCAT. Epilogat Ioannes. Et verè dicit *ſcimus*: quoniam euidentiſſimam notitiam habemus quòd omnis qui natus eſt ex Deo, vt ſic non peccat. Contra hæreticos, hypocritas & deceptores vt prædictum eſt dicit hæc Ioannes. Vtinam noſtra ætate aduertiſſent hoc rectores mulierculatum religioſarum: nam neque purpura aut ſerico veſtitas, neque annulum geſtantes, neque cum viris dormientes in eodem lecto toleraſſent: quoniam nullum peccatum tam ex ſuo genere quàm ex circunſtantia perſonæ prouenit ex eo quod natum eſt ex Deo: hoc enim eſt quod Ioannes toties clamat quòd omnis qui natus eſt ex Deo non peccat. Non ſunt hæc ex reuelatione aut inſpiratione diuina quæcunque ſunt ex ſuo genere, aut ex conditione perſonæ peccata. imò quod plus eſt nullum indecens prouenit ex Deo quod datum eſt ex Deo.

SED GENERATIO DEI CONSERVAT EVM. pro, *ſed genitus ex Deo ſeruat ſeipſum*: ET MALIGNVS. pro, *& malus*, NON TANGET. pro, *tangit*, EVM. Vide vſum ſpiritus ſuſcepti per natiuitatem ex Deo: quòd homo qui genitus eſt, vtitur illo ſic quod malus ille diabolus non tangit eum, tactu qualitatiuo, non alterat eum, non corrumpit eum. Et vere ſic eſt quòd genitus ex Deo vt ſic vtitur ſpiritu quem ſuſcepit: & diabolus non maculat eum quandiu illo vtitur ſpiritu. Vnde vtendo illo ſpiritu, nunquam peccat etiam venialiter.

SCIMVS QVONIAM, pro, *quòd*, EX DEO SV- Verſ. 19.
MVS. ſcientia experimentali cognoſcimus quòd ſumus ex Deo. In perſona nõ ſolum Apoſtolorum (qui virtute Dei vtentes miracula faciebant) ſed etiam in perſona omnium electorum, verificatur *ſcimus*, diuerſimodè tamen: quoniam illi certa experientia, reliqui autem electi communiter certa fide. Et dicit hoc, ne natiuitatem Chriſtianorum in baptiſmo humanam adinuentionem aliqui putent: ad hoc enim excludendum dicit ſcimus quod ex Deo ſumus.

ET MVNDVS TOTVS IN MALIGNO, pro, *in malo*, POSITVS EST. E regione Chriſtianorum natorum ex Deo, locat mundum: epilogando ſuperius dicta, Chriſtiani ex Deo conſtant: mundus autem totus è regione Chriſtianorum conſtitutus eſt in malo, triplici ſuperius explicato.

ET SCIMVS QVONIAM. pro, *quòd*, FILIVS Verſ. 20.
DEI VENIT, proculdubio in carne in mundum. ET DEDIT NOBIS SENSVM. pro, *mentem*, VT COGNOSCAMVS VERVM DEVM. Superfluit *Deum*. ET SIMVS IN VERO FILIO EIVS. pro, *& ſimus in vero, in filio eius Ieſu Chriſto*. Ex his ef- *Mens ſiue*
fectibus liquet quòd *mentis* nomine non intel- *ſenſus quid*
ligitur ſubſtantia mentis, ſed perfectio illius: *hic ſignificet.*
quam non male antiquus interpres appellauit *ſenſum*, vnde & Lucas dicit quod Ieſus in die reſurrectionis aperuit diſcipulis ſenſum vt intelligerent ſcripturas.

Dedit ergo per Spiritum ſanctum nobis mentis lumen ad Deum. Alterum eſt *vt cognoſcamus verum*. Et præponitur dictioni *verum* articulus: ne intelligamus vt cognoſcamus verum in communi, ſed vt cognoſcamus illum verum, illum qui ſummè verus eſt: Deum ſcilicet. Alterum eſt: *& vt ſimus in illo*, eodem vero Deo, vt amantes in amato, vt participes naturæ diuinæ: quod eſt eſſe vt amatos in amante Deo, nec ſolum ſimus in illo vero

Deo,ſed etiam ſimus in filio eius Ieſu Chriſto, vt membra eius. Ad hæc enim duo dedit nobis Dei filius intelligentiam.

In quibus aduerte epilogari ſuperius dicta de fide,notitia & ſocietate noſtra cum Deo & Ieſu Chriſto.

Hic est verus Devs et vita æterna. Hic eſt ſecundus locus apud Ioannem,in quo Ieſus Chriſtus affirmatur Deus,cum articulo præpoſito in textu Græco ante illas dictiones *verus Deus*: vt Arrianis non pateat locus fugæ. Et ipſe eſt vita æterna eſſentialiter , & eſt vita æterna noſtra obiectiuè.

Filioli cvstodite vos a simvlacris, Verſ. 21.
Amen. Apertiſſimæ affirmationi quòd Ieſus Chriſtus eſt verus Deus adiungit excluſionem ſimulachrorum : vtpote non verorum Deorum. Ac ſi apertiùs dixiſſet : nos colendo Ieſum Chriſtum colimus verum Deum, non hominem : & propterea cauete à cultu ſimulacrorum. Amen.

Caietæ die 13. Auguſt. 1519.

THOMÆ DE VIO CAIETANI

CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM S. IOANNIS SENIORIS, POSTERIOR.

COMMENTARII.

An idem ſit Ioannes Euangeliſta, & Ioannes ſenior?

SEcunda beati Ioannis Epiſtola. Circa authorẽ tam huius quàm ſequentis epiſtolæ,ſcito quòd Hieronymus de viris illuſtr. partim in Ioanne,partim in Papia,manifeſtat authoritate ipſius Papiæ alium eſſe Ioannem Euangeliſtam,& alium Ioannem ſeniorem , qui ſcripſit has duas epiſtolas. Et propterea ambæ minoris authoritatis ſunt. Et primæ quidem doctrina extracta eſt ex epiſtola beati Ioannis Apoſtoli. Nec tam eget expoſitione quàm correctione : quoniam in multis differt à textu Græco. Multa enim Latinus textus habet in ſecunda perſona quę Græcus habet in prima, vt patebit.

Verſ. 1. SENIOR electæ Dominæ & natis eius,quos ego diligo in veritate(& non ego ſolus, ſed & omnes qui cognouerunt veritatem.)

Verſ. 2. Propter veritatem quæ permanet in vobis,& vobiſcum erit in æternum,

Verſ. 3. Sit vobiscvm, pro *quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum, erit nobiſcum.* Et totum ſub vna conſtructione comprehenditur. Gratia, miſericordia , pax a Deo patre , et a Domino Iesv Christo filio patris in veritate et charitate. Hæc particula, in veritate & charitate , poteſt referri ad immediatè præcedentia. Et eſt ſenſus,& à Ieſu Chriſto patris filio in veritate, vt ſignificetur filiatio vera,& charitate , vt ſignificetur filius dilectus à patre: iuxta illud, *Hic eſt filius meus dilectus.* Poteſt & referri ad gratiam,miſericordiam,& pacem. Et eſt ſenſus, propter veritatem quæ permanet in nobis , erit nobiſcum gratia , miſericordia & pax in veritate & charitate.

Gauiſus ſum valde , quòd inueni de fi- Verſ. 4.
liis tuis ambulantes in veritate ſicut mandatum accepimus à patre.

Et nunc rogo te Domina(non tanquam Verſ. 5.
mandatum nouum ſcribẽs tibi, ſed quod habuimus ab initio) vt diligamus alterutrum, pro *inuicem.*

Et hæc eſt charitas , vt ambulemus ſe- Verſ. 6.
cundum præceptum eius. Hoc eſt, mandatum , vt quemadmodum audiuiſtis ab initio, in eo ambuletis:

Qvoniam mvlti sedvctores exiervnt, Verſ. 7.
pro *introierunt*, in mvndvm, qvi non confitentvr Iesvm Christvm venisse, pro *venturum*, in carne. Eſt enim ſermo de ſecundo aduentu Hic est sedvctor et antichristvs.

Videte voſipſos ne perdatis quæ ope- Verſ. 8.
rati eſtis,ſed vt mercedẽ plenã accipiatis, pro *ne perdamus quæ operati ſumus , ſed vt mercedem plenam accipiamus.*

Omnis qvi credit, et non permanet , pro Verſ. 9.
omnis qui tranſgreditur, & non manet, in doctrina Christi , Devm non habet : Qvi manet in doctrina , hic et patrem et filivm habet.

Verſ. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctri-
nam non affert, ne recipiatis eum in do-
mum, nec aue ei dixeritis,
Verſ. 11. Qui enim dicit ei aue, communicat
operibus eius malignis, pro *malis*. Non cō-
trariatur doctrina hæc doctrinæ Pauli, conce-
dentis cœnare cum infidelibus, imò præcipien-
tis, vt benefaciamus infidelibus. Nam hic eſt
ſermo non de infidelibus abſolutè, ſed de infi-
delibus doctoribus: qui videlicet veniunt ad
docendum, imò ad ſeducendum. De his enim
ad literam loquitur hic textus: vt antecedentia
teſtantur. Et huiuſmodi Doctores, ſeu potius
ſeductores prohibet hoſpitio recipi à Chriſtia-
nis, prohibet ſalutari à Chriſtianis. Et ſubiun-
cta ratio quoad hos optimè quadrat: nam qui-
cumque ſeductoribus dicit *aue* (proculdubio
gratioſè) communicat ſeductoribus: quod eſt
communicare operibus eorum malis: opera
enim ſeductorum exercentium officium ſedu-
ctorum mala ſunt. Apparet autem quòd de ſo-
lis huiuſmodi Doctoribus loquitur, ex hoc ipſo
quod dicit, *& hanc doctrinam non affert*. Non di-
cit & hanc fidem non habet, ſed *hanc doctrinam
non affert*: vt intelligas quòd de afferente do-
ctrinam, quòd de ſeductore loquitur. Et hæc
ſufficient etiam pro ſequenti epiſtola. ECCE
PRÆDIXI VOBIS, VT IN DIE DOMINI NON CON-
FVNDAMINI. Superfluunt hæ nouem dictiones.

Seductoribus nec dicendum Aue.

Plura habens vobis ſcribere nolui per Verſ. 12.
chartam & atramentum. Spero enim me
venturum ad vos, & ore ad os loqui: vt
gaudium noſtrum ſit plenum.
Salutant te filij ſororis tuæ Electæ. Verſ. 13.

TERTIA B. IOANNIS EPISTOLA, PER THOMAM DE VIO CAIETANVM, CARDINALEM S. XYSTI CORRECTA.

Verſ. 1. SENIOR Gaio chariſſimo,
quem ego diligo in veritate.
Verſ. 2. Chariſsime de omnibus
orationem facio proſperè
te ingredi & valere ſicut proſperè agit
anima tua.
Verſ. 3. Gauiſus ſum enim valde, venientibus
fratribus & teſtimonium perhibentibus
veritati tuæ ſicut tu in veritate ambulas.
Verſ. 4. Maiorem horum non habeo gratiam,
pro, maius his non habeo gaudium, quàm vt
audiam filios meos in veritate ambulare.
Verſ. 5. Chariſsime fideliter facis, quicquid
operaris in fratres: & hoc in peregrinos,
Verſ. 6. Qui teſtimonium reddiderunt chari-
tati tuæ in conſpectu Eccleſiæ. Quos be-
nefacies deducens dignè Deo
Verſ. 7. Pro nomine enim eius profecti ſunt,
nihil accipientes à Gentilibus.
Verſ. 8. Nos ergo debemus ſuſcipere huiuſ-
modi, vt cooperatores ſimus veritatis.
Verſ. 9. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ. pro, ſcripſi
Eccleſiæ. Quoniam ignotæ ſunt iſtæ perſonæ
tres (Gaius, Diotrephes, & Demetrius) ignora-
mus conſequenter quæ ſit Eccleſia cui dicit ſe
ſcripſiſſe. Sed is qui amat primatum gere-
re in eis Diotrephes, non recipit nos.
Propter hoc ſi venero commoneam, Verſ. 10.
pro *iudicabo*, eius opera quæ facit, verbis
malignis garriens in nos. Et quaſi ei iſta
non ſufficiant, neque ipſe ſuſcipit fratres,
& eos qui ſuſcipiunt prohibet, & de Ec-
cleſia eiicit.
Chariſsime noli æmulari malum, ſed Verſ. 11.
quod bonum eſt. Qui benefacit ex Deo
eſt: qui autem malefacit, nō videt Deum.
Demetrio teſtimonium redditur ab Verſ. 12.
omnibus, & ab ipſa veritate: ſed & nos
teſtimonium perhibemus, & noſti quòd
teſtimonium noſtrum verum eſt.
Multa habui ad te ſcribere: ſed nolui Verſ. 13.
per atramentum & chartam ſcribere tibi.
Spero autem protinus te videre, & ore Verſ. 14.
ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te
amici, ſaluta amicos nominatim.

THOMÆ DE VIO CAIETANI CARDINALIS S. XYSTI, IN EPISTOLAM IVDÆ APOSTOLI, COMMENTARII.

DIVI IVDAE APOSTOLI EPISTOLA.

Verſ. 1. IVDAS IESV CHRISTI SERVVS, FRATER AVTEM IACOBI. Hieronymus in libr. de viris illuſtr. ait: Iudas frater Iacobi paruam quidem quæ de ſeptem canonicis eſt Epiſtolam reliquit: & quia de libro Enoch (qui apocryphus eſt) in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſque reiicitur: tamen authoritatem vetuſtate iam & vſu meruit, & inter ſanctas Scripturas computatur. Hæc ille. Ex quibus apparet minoris eſſe authoritatis hanc Epiſtolam iis quæ ſunt certæ ſcripturæ ſacræ. Et de Iacobo Alphæi qui frater Domini appellatur, eſt hîc ſermo. IIS QVI SVNT IN DEO PATRE DILECTI, pro *ſanctificati*, hoc eſt mundati. ET CHRISTO IESV CONSERVATIS ET VOCATIS. Superfluit *&*. Nec eſt participium, ſed nomen *vocatis*. Et eſt ſenſus: & vocatis (hoc eſt aſſcititiis) ſeruatis in Chriſto Ieſu. Meminit tum beneficij Dei, tum beneficij hominis Chriſti: nam in fide Dei ac Ieſu Chriſti vocatio, mundatio, & ſaluatio noſtra eſt. Vniuerſis igitur Chriſtianis ſcribit.

Auctoritas huius Epiſtolæ.

Verſ. 2. MISERICORDIA VOBIS ET PAX ET CHARITAS ADIMPLEATVR. pro, *multiplicetur*. Hæc eſt ſalutatio cóformis ſalutationi aliorũ Apoſtolorũ.

Verſ. 3. CHARISSIMI. pro, *dilecti*, OMNEM SOLICITVDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS DE COMMVNI VESTRA SALVTE. hoc eſt, adhibendo omne ſtudium ad ſcribendum vobis de veſtra communi ſalute. NECESSE HABVI SCRIBERE VOBIS, DEPRECANS SVPERCERTARE SEMEL TRADITÆ SANCTIS FIDEI. Ex ſtudio ſcribendi de communi ſalutę neceſſitatem natam explicat ſcribendi in ſpecie de certamine aſſumendo pro fide ſemel tradita ſanctis. Et in hoc comprehendit materiam totius Epiſtolæ.

Et appellat Chriſtianam fidem traditam ſemel ſanctis. *Sanctis* quidem, quoniam ad ſanctitatem datur: *ſemel* autem quoniam ſemel à Chriſto tradita eſt, nec eſt repetenda traditio, ſed ſucceſſiuè ſeruanda. Et rationem neceſſitatis ſubiungit,

SVBINTROIERVNT ENIM QVIDAM HOMINES Verſ. 4.
QVI OLIM PRÆSCRIPTI ERANT IN HOC IVDICIVM IMPII, DOMINI NOSTRI, pro *Dei noſtri*, GRATIAM TRANSFERENTES IN LVXVRIAM, ET SOLVM DOMINATOREM DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM NEGANTES. Ratio concertationis ex iſtis ſeductoribus redditur. Qui deſcribuntur tum impij, tum præſcripti in hanc condemnationem, tum transferentes gratiam libertatis diuinæ in libertatem carnis, tum negantes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſolum Dominum. Recole quòd dictio excluſiua in myſterio Trinitatis adiuncta tam eſſentialibus quàm communibus relatiuis ad extra non excludit aliam perſonam: & propterea dicendo de Ieſu Chriſto quòd eſt ſolus Dominus, non excluditur Pater aut Spiritus ſanctus.

COMMONERE AVTEM VOS VOLO. Propoſitis Verſ. 5.
tractandis incipit tractare propoſita: inchoans ab illa particula, *qui olim præſcripti erant in hoc iudicium*. SCIENTES SEMEL OMNIA, pro *hoc*, QVONIAM IESVS, pro *quòd*, DOMINVS. Non eſt hîc ſermo de aliquo homine, ſed de Deo. POPVLVM DE TERRA ÆGYPTI SALVANS, SECVNDO EOS QVI NON CREDIDERVNT PERDIDIT. Hiſtoria veraque clara eſt in libris Moſi, in quibus narratur & quòd Deus eduxit populum de terra Ægypti, ſaluando ipſum ab impetu Pharaonis, quẽ ſubmerſit in mari rubro: & rurſus narratur quòd populum eundem murmurantẽ, & toties non credentem Deo, puniuit ſæpe in deſerto.

ANGELOS VERÒ QVI NON SERVAVERVNT SVVM Verſ. 6.
PRINCIPATVM, pro *ſuam originem*, hoc eſt, qui non ſeruauerunt ſeipſos in illo decore in quo conditi ſunt: vtpote maculantes ſeipſos peccato. SED DERELIQVERVNT SVVM DOMICILIVM. In cœlo ſiquidem erat eorum domiciliũ ſimul cum Angelis qui ibi remanſerunt: dereliquerunt autem meritoriè propria culpa: executione autem electi. IN IVDICIVM MAGNI DEI, pro

diei,

diei. Et præponitur articulus *diei*, ad ſignificandum illum terribilem diem vniuerſalis iudicij. Et dicitur *dies magnus*, quoniam comprehendit merita vniuerſorum diſcutienda. VINCVLIS ÆTERNIS SVB CALIGINE RESERVAVIT. Datiui caſus eſt *vinculis*: & poteſt iungi cum antecedentibus, vel cum ſequentibus. Et ſi quidem præcedentibus iūgitur, ſenſus eſt quòd reſeruauit Angelos in iudicium magni diei ad æterna vincula. Si vero iungitur ſequentibus, ſenſus eſt quòd reſeruauit eos ſub caligine ad vincula æterna ducendos in iudicium magni diei. Et appellantur vincula ſub caligine æterna, eo quòd adueniente iudicio magni diei pœna vinculorum non ceſſabit. Nec intelligas corporeos laqueos: ſed vim diuinæ virtutis detinentem vires Angelorū tum intellectiuas, tum operatiuas: aufert enim ab eis libertatem tum motus, tum faciendi, tum etiam intelligendi quædam. Appellatione autem caliginis, aër intelligitur communi ſenſu.

Vincula Dæmonum quæ.

Verſ. 7. SICVT SODOMA ET GOMORRA, ET FINITIMÆ CIVITATES SIMILI MODO EXFORNICATÆ, ET ABEVNTES POST CARNEM ALTERAM FACTI SVNT EXEMPLVM, pro *propoſiti ſunt exemplum*, IGNIS ÆTERNI POENAM SVSTINENTES. Quæcumque hactenus dixit de populo, de Angelis, & de Sodomitis, ad hoc dixit vt ab exemplo horum præſcriptos in iudicium iſtos impios ſuaderet. Hiſtoria ſubuerſionis Sodomæ & Gomorræ in Geneſi habetur. Quod autem dicitur, *& abeūtes poſt carnem alteram*, ſeu alienam, caro aliena à concubitu ſignificatur: qualis eſt caro maſculina, prius enim ipſas ciuitates, deinde viros earum commemorat ſpecificando crimen, dicendo, & abeuntes poſt carnem alteram, & de his ſubiungit quòd propoſiti ſunt in exemplum.

Quod verò adiungitur *ignis æterni*, poteſt conſtrui cum præcedentibus. Et eſt ſenſus: propoſiti ſunt exemplum ignis æterni, qui eſt paratus diabolo, & angelis eius. Poteſt & conſtrui cum ſequentibus, Et eſt ſenſus: ſuſtinentes pœnam ignis æterni. Appellatur enim combuſtio illorum pœna ignis æterni: eo quòd irreparabilis eſt, & perſeuerabit vſque in finem mundi patria illa combuſta.

Verſ. 8. SIMILITER ET HI. Deficit, SOMNIANTES. Demōſtrat impios homines de quibus dixit, *ſubintroierunt*, &c. tractādo propoſita ſuperiùs eorum crimina. CARNEM QVIDEM MACVLANT, iuxta id quod ſuperiùs dixerat, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam. Maculant autem peccato. DOMINATIONEM AVTEM SPERNVNT, iuxta id quod ſuperiùs dixerat, & ſolum dominatorem negantes. MAIESTATEM, pro *glorias*, AVTEM BLASPHEMANT, iuxta id quod ſuperiùs dixerat & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes. Dicit autem pluraliter *glorias*, propter duas Ieſu Chriſti glorias: diuinam videlicet & humanam. Quamuis etiam gloriæ poſſint referri ad diuerſas rationes gloriæ Chriſti, puta ratione miraculorum, ratione miſſi Spiritus ſancti, ratione doctrinæ, &c.

Verſ. 9. CVM MICHAEL, pro *Michael autem*, ARCHANGELVS QVANDO CVM DIABOLO DISPVTANS ALTERCABATVR DE CORPORE MOYSI, NON EST AVSVS IVDICIVM INFERRE BLASPHEMIÆ, SED DIXIT, IMPERET, pro *increpet*, TIBI, pro *te*, DEVS. Vltimò propoſitam particulam (*glorias blaſphemant*) proſequens arguit eos ex verbo Michaëlis. Vnde autem Iudas hanc altercationem nouerit, neſcitur. Non deſunt tamen qui ex apocryphis Hebræorū ſumptam dicant. Altercatio autem de corpore Moyſi intelligitur facto potius quàm verbo. Michael enim princeps populi Iſraëlis occultauit corpus Moyſi ne populus idololatriam cōmitteret adorando Moyſen: diabolus autem niſus eſt educere corpus Moyſi in publicum, & hæc fuit altercatio ſecundum facta. Et quoniam Michaëlis opus præualuit arguendo diabolum non maledica verba dixit, ſed increpet te Deus, quæ ſunt verba iuſtitiæ.

Altercatio hæc de corpore Moyſis quænam.

HI AVTEM QVÆCVNQVE QVIDEM IGNORANT Verſ. 10.
BLASPHEMANT, QVÆCVNQVE AVTEM NATVRALITER TANQVAM MVTA ANIMALIA NORVNT, IN HIS CORRVMPVNTVR. Exaggerat crimen horum, extendendo eorum blaſphemias ad quæcunque ignorāt, proculdubio diuina. Et vt omni ex parte animo corruptos hos demonſtret, adiungit qualiter ſe habeant ad ea quæ norunt: vt tam erga ignota, quam erga nota eos male ſe habere aperiat. Deprimit quoque eorum cognitionem dicendo *tanquam muta animalia*. Significat enim eorum cognitionem expertem eſſe rationis: quemadmodum notitia animalium brutorum, quæ muta appellat, quia non loquuntur. In ſenſibilibus itaque rebus, quas, vt animalia bruta nouerunt, dicit ipſos corrumpi, proculdubio ſecundum animū, affectu corrupto illis inhærētes.

VÆ ILLIS. Tractat illam particulam, olim præ- Verſ. 11.
ſcripti, referendo figuras eorum. QVI, pro *quia*, IN VIA CAIN ABIERVNT. De eiſdem ſeductoribus loquitur quòd figurati ſunt à Cain, imitantes irreligioſitatem eius, erga ea quæ Dei ſunt. ET ERRORE BALAAM MERCEDE, pro *mercedis*, EFFVSI SVNT, hoc eſt, & effuſi in libertate peccandi, errore, ſeu deceptione mercedis Balaam. Auaritiam iſtorum deſcribit, imitantium Balaam mercedis cauſa errantem ad maledicendum populo Dei. ET IN CONTRADICTIONE CORE PERIERVNT. Ambitionem eorundem notat, imitantium Core & ſocios ambientes principatum ſacerdotij. Omnes hæ hiſtoriæ in libris Moyſi habentur: de Cain circa principium Geneſis: de Balaam Num. 20. & 23. de Core Num. 17.

HI SVNT IN EPVLIS SVIS, pro *in dilectionibus* Verſ. 12.
veſtris, MACVLÆ CONVIVANTES. De eiſdem dicit, hi ſunt maculę conuiuantes in dilectionibus veſtris. Appellat illos *maculas*, quia non ſolum ipſi erant maculati, ſed erant etiam maculæ aliorum. Et dicit *conuiuantes in dilectionibus veſtris*: hoc eſt in beneficiis à vobis ſuſceptis conuiuia facientes ad maculandum alios: abuſum enim beneficiorum, eorum maculis ac conuiuiis inſerit.

SINE TIMORE, pro *intrepide*, SEMETIPSOS PASCENTES. Veſtrarum ſiquidem dilectionum beneficiis, ſed non veſtri ſancti timoris, participes intrepidè vacant ad hoc, vt ſeipſos paſcant.

NVBES SINE AQVA QVÆ A VENTIS CIRCVNFERVNTVR. Aſſimilat iſtos nubibus inutilibus, & facile motis à variis ventis: vt vanitatem eorum agitatam variis appetitibus gloriæ, adulationibus, & huiuſmodi, deſcribat circa excelſa verſari.

ARBORES AVTVMNALES: hoc eſt, in autumno florentes: quod eſt contra naturam arborum: & propterea ſubiūgit, INFRVCTVOSÆ, arbores enim florentes in autumno infructuoſæ ſunt. BIS MORTVÆ. Semel ante baptiſmum, & iterum poſt baptiſmum. ERADICATÆ, à fide. Quoad metaphoram verò arborum dicuntur arbores bis mortuę, eo quòd moriuntur quoad fructum, & deinde quoad ipſam arborem. Et hoc conuenire dicitur arboribus florentibus in extremo Autumno aiunt,

Arbores bis mortuæ quænam.

alunt enim ſubſequi arboris mortem. Vnde & meritò ſubditur *eradicata*: quia ſubſequitur eradicatio eorum.

Verſ. 13. FLVCTVS FERI MARIS, DESPVMANTES SVAS CONFVSIONES. Pluralis numeri eſt *feri*: & determinat, *fluctus*, Aſſimilat ſiquidem eoſdem fluctibus feris deſpumantibus ſua dedecora. Apparet enim fluctuoſas maris vndas feras, propter terrorem, ſpumantes, cum ſpuma proferentes ea quæ minus decora ſunt, quæ ſunt etiam fœda ad videndum: vtpote immunditiæ. Et in hoc peccatum linguæ illorum tangit, proferunt enim dedecora ſui cordis.

Sydera errantia, quæ? SYDERA ERRANTIA. Non intelligo ſtellas erraticas, quas planetas dicimus: (quoniam regulares ſunt eorũ motus) ſed impreſſiones igneas in aere, quarum aliquas ſydera volantia appellamus vt poſt aſſimilatos nubibus, arboribus, ac fluctibus, etiam ignibus errantibus aſſimilauerit eos.

Et apte ſtellis errantibus etiã aſſimilantur, vt momentanea, & non ſolũ inſtabilis eorum gloria ſignificetur. Huiuſmodi enim ſtellæ, ſtatim cùm fiunt deſinunt. QVIBVS PROCELLA. pro, *caligo*, TENEBRARVM SERVATA EST IN ÆTERNVM. Ipſos homines refert relatiuum *quibus*: his enim caligo tenebrarum infernalium ſeruatur pro domo in æternum.

Verſ. 14. PROPHETAVIT AVTEM DE HIS SEPTIMVS AB ADAM ENOCH, DICENS. Hic eſt locus vnde Hieronymus refutari dicit à multis hanc epiſtolam, nec ab re: quoniam etſi citare apocrypha multo magis licet quàm poëtas, authoritati tamẽ ſacræ ſcripturæ derogat, vt apocrypha prophetia vt ſimpliciter & abſolutè prophetia inducatur. Quod hîc fieri clarè apparet: dum abſolutè dicitur, *prophetauit autem*, &c. ECCE VENIET. pro, *venit* præſentis temporis. DOMINVS IN SANCTIS MILLIBVS SVIS. Angeli ſignificantur.

Verſ. 15. Facere iudicium contra omnes. ſubaudi iniquos. Et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum quibus impiè egerunt: & de omnibus duris quæ locuti ſunt cõtra Deum peccatores impij.

Verſ. 16. Hi ſunt murmurantes querulosi ſecundum deſideria ſua ambulantes. Sẽtentia eſt clara, ET OS ILLORVM LOQVITVR SVPERBIAM, pro, *ſuperba*, MIRANTES PERSONAS QVÆSTVS GRATIA. Adulatores ſignificat, per modũ admirationis cõmendantes perſonas vtilitatis cauſa.

Verſ. 17. VOS AVTEM CHARISSIMI, pro, *dilecti*, MEMORES ESTOTE VERBORVM QVÆ PRÆDICTA SVNT AB APOSTOLIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Non ſolũ figuris & prophetiis antiquis, ſed etiã prophetiis Apoſtolicis confirmat hos eſſe præſcriptos.

Verſ. 18. Qui dicebant vobis quoniam. pro, *quod*, in nouiſſimis temporibus venient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Nouiſſima tempora appellantur tempora Euangelij.

Verſ. 19. HI SVNT QVI SEGREGANT SEMETIPSOS. Superfluit *ſemetipſos*. Eoſdem deſcribit ab officio ſegregandi contrario officio Apoſtolico, cuius eſt congregare & adunare: hi enim ſegregant ab vnitate Eccleſiæ homines. Et de eiſdem ſubdit: ANIMALES SPIRITVM NON HABENTES. Vt intelligamus quòd animales contra ſpirituales diſtinguuntur, adiunxit *ſpiritum non habentes*, Animales ſiquidem dicuntur quorum ſtudium eſt ad ea, quæ ſunt vegetatiuæ & ſenſitiuæ partis, ſpirituales verò quorum ſtudium eſt ad ea quæ ſunt conformia rationi ac menti, ad ea quæ ſunt ſpiritus ſancti. Vnde è regione ſubiungit.

Verſ. 20. VOS AVTEM CHARISSIMI. pro, *dilecti*, SVPERÆDIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMÆ NOSTRÆ. pro, *veſtræ*, FIDEI. hoc eſt, ſtatum veſtrum & opera veſtra erigite ſuper fundamentum ſanctiſſimæ veſtræ fidei. IN SPIRITV SANCTO ORANTES. Operibus adiungit orationem: hoc eſt, mentis eleuationem in Deum.

Verſ. 21. VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. His enim duobus ſeruatur dilectio erga Deum. EXPECTANTES MISERICORDIAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, IN VITAM ÆTERNAM. Ecce ſpes futuræ felicitatis, adiuncta fidei & charitati.

Verſ. 22. ET HOS QVIDEM ARGVITE IVDICATOS:

Verſ. 23. ILLOS VERÒ SALVATE, DE IGNE RAPIENTES: ALIIS AVTEM MISEREMINI IN TIMORE. Trimembrem hanc diſtinctionem textus non habet, ſed bimembrem tantum, & eſt legendum: ET HOS QVIDEM COMMISERAMINI DVM DIIVDICAMINI; ILLOS VERÒ IN TIMORE SERVATE EX INCENDIO RAPIENTES. Vbi clare patet, quòd poſtquam inſtruxit illos quibus ſcribit, de propria ipſorũ ſalute, inſtruit eoſdem de aliorum ſalute procurãda dupliciter relatiuè ad diuerſos. Quibuſdam enim commiſerandum eſſe docet, conſiderando propriam fragilitatem: propria enim fragilitas imò propria ſubiectio ſignificatur dicendo *dum diiudicamini*: hoc eſt, dum vos quoque iudicio ſubiecti eſtis, vtimini miſericordia erga illos qui fragilitate peccant. Erga illos verò qui liberiùs peccant, vtimini authoritate, ſeruantes eos in timore: vt ſic eos eripiatis de igne æterno.

ODIENTES EAM QVÆ CARNALIS EST. pro, *quæ ex carne*, MACVLATAM TVNICAM. vtrumque autẽ officium efficite non cum odio perſonarum, ſed odio habentes maculatam tunicam quæ eſt ex carne. Sub metaphora maculatæ tunicæ ſordidatam vitiis conuerſationem, ſordida opera quæ ſunt tanquam indumenta animi ſignificat, & dicit maculatam ex carne tunicam, quoniam ex carnali affectu maculantur opera.

Verſ. 24. EI AVTEM QVI POTENS EST VOS. pro, *illos*, CONSERVARE SINE PECCATO, ET CONSTITVERE ANTE CONSPECTVM GLORIÆ SVÆ IMMACVLATOS IN EXVLTATIONE, IN ADVENTV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI. Superfluũt hę ſex vltimę dictiones.

Solus Deus bonus, ſolus ſapiens. SOLI DEO. Deeſt vna dictio. Legendum eſt: *Soli ſapienti Deo*. Sicut ſolus Deus eſt bonus (quia reliqua mendicant bonitatem) ita ſolus Deus eſt ſapiens, quia reliqua mẽdicant ſapientiam, ſicut & eſſe. SALVATORI NOSTRO PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM. Superfluit, *per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Saluatio noſtra non nobis, ſed Deo attribuitur, quoniam verè ab ipſo non à nobis eſt iuxta illud Oſee, Saluatio tua ex me, perditio autem tua ex te. GLORIA ET MAGNIFICENTIA, factiua magnorum operum. ET IMPERIVM. præcipiendi omnibus. ET POTESTAS, faciendi omnia. ANTE OMNIA SECVLA ET NVNC. Superfluunt quatuor dictiones: *ante omnia ſecula &c*. Legendum eſt: *Nunc & in omnia ſecula*: AMEN.

Et ſic finitur Epiſtola Iudæ: & eſt finis Commẽtariorum noſtrorũ ſuper nouum Teſtamentum.

Caietæ die 17. Auguſti. Anno Domini M.D. XXIX. ætatis autem propriæ ſexageſimoprimo. Apocalypſim enim fateor me neſcire exponere iuxta ſenſu literalẽ: exponat cui Deus cõceſſerit.

THOMÆ DE VIO
CAIETANI,
CARDINALIS
SANCTI XISTI,
IENTACVLA:

HOC EST,

PRÆCLARISSIMA PLVRIMARVM
NOTABILIVM SENTENTIARVM
Noui Teſtamenti literalis expoſitio,

IN XII. CAPITA DISTINCTA,

QVÆ TOTIDEM IENTACVLA
NOVI TESTAMENTI, RATIONE OPERIS
initio redditâ, inſcribuntur.

SERIES IENTACVLORVM, ET QVÆSTIONVM.

IENTAC. I. *De verbis Domini circa ipſius ex hoc mundo tranſitum.*

Quæſt. 1. De verbis Domini in excuſatione Magdalenæ: *Quid moleſti eſtis huic mulieri,* &c.

2. De verbis Domini ad diſcipulos pro emẽdo gladio: *Quomodo miſi vos ſine ſacculo, & pera,* &c.

3. De reſponſionibus Domini ad ſuos quatuor iudices, Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum.

4. Cur Pilatus hanc Domini cauſam ſuper crucem ſcripſerit: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

IENTAC. II. *De diuerſis documentis de filijs Dei.*

Quæſt. 1. De verbis Pauli Apoſtoli *ad Rom.* 1. de vnigenito Filio Dei, quibus dicit: *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

2. De verbis Ioannis Euangeliſtæ *Ioan.* 1. de filiis Dei adoptiuis: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

3. De verbis Pauli Apoſtoli 1. *ad Cor.* 15. de Baptiſmo quo generantur Filij Dei, quum dicitur: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis?*

4. De verbis eiuſdem Apoſtoli *ad Galat.* 3. de hæreditate filiorum Dei per fidem repromiſſa, non per legem, quum dicitur: *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris. mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt.*

IENTAC. III. *De diuerſis Scripturæ dictis de Sacerdotio.*

Quæſt. 1. De verbis Apoc. cap. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.* & cap. 1. *Feciſti nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.*

2. De verbis Petri Apoſtoli in cap. 2. primæ ſuæ epiſtolæ: *Vos autem genus electum regale Sacerdotium, gens ſancta,* &c.

3. De verbis eiuſdem Petri Apoſtoli in eod. cap. *Ad quem accedentes & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpiritales in Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.*

IENTAC. IV. *De nouem beatitudinibus Euangelicis.*

Quæſt. 1. Cur Dominus in principio has beatitudines propoſuit.

2. Cur multas.

3. Cur tot, id eſt, nouem.

4. Cur pluraliter.

5. An gradatim enumerentur.

IENTAC. V. *De quinque apud Euangelium ſententijs.*

Quæſt. 1. Matth. 15. *Munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit.*

2. Ibidem: *Omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur.*

3. Luc. 16. *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui iniquus eſt in modico, iniquus eſt & in maiori.*

4. Ibidem: *Si Moyſen & Prophetas non audient, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

5. Ioan. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

IENTAC. VI. *De verbis Domini circa illius paſſionem.*

Quæſt. 1. Verba Domini in Cœna: *Non bibam de hoc genimine vitis vſque in diem illum, quum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.*

2. Verbum Domini ad Iudam in eadem Cœna: *Quod facis, fac citiùs.*

3. Verbum Domini ad Petrum quum percuſſit Malchum: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

4. Apud Marcum Euangeliſtam: *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum,* &c.

5. *Erat autem Paraſceue Paſcha.*
6. Apud Ioannem, *Accipite eum vos, & crucifigite.*

IENTAC. VII. *De ſolennitate Paſchali.*

Quæſt. 1. eſt apud Lucam, de duobus diſcipulis euntibus in Emaus: *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.*
2. Vnde ſcitur quòd Thomas tetigit manus & latus Chriſti, vt Doctores affirmant.
3. Apoc. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere diuinitatem.*

IENTAC. VIII. *De peccatis.*

Quæſt. 1. Matth. 12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur.*
2. 1. ad Cor. 6. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.*
3. 1. Ioan. vlt. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.*
4. Apoc. 3. *Vtinam eſſes calidus, aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, Diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*
5. Apoc. vlt. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.*

IENTAC. IX. *De quatuor Scripturæ locis.*

Quæſt. Matth 19. *Erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.*
2. Matth. 21. & Luc. 20. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.*
3. Luc. 13. *Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eÿcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor: veruntamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.*
4. 1. ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt omnia mihi licent: ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.* & c. 10. *Omnia mihi licent: ſed non omnia ædificant.*

IENTAC. X. *De quatuor Domini dictis apud Ioannem.*

Quæſt. 1. Ioan. 5. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* quum tamen Ioan. 8. dicat: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.*
2. Ibidem: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?*
3. Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum.*
4. Ioan. 17. *Et nunc clarifica tu me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret apud te.*

IENTAC. XI. *Circa tria occultiora.*

Quæſt. 1. *Ioan.* 10. quum Dominus poſtquam dixerat ſe eſſe verum Deum, Iudæis ipſum propterea lapidare volentibus reſpondit ſcriptum eſſe: *Ego dixi, dÿ eſtis*, &c. Vbi videtur Dominus diuertere ſermonem à Deitate per eſſentiam, ad Deitatem per participationem.
2. ad Philipp. 2. *Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.*
3. Apoc. 4. *Tu creaſti omnia: & per voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

IENTAC. XII. & vlt. *De rebus geſtis.*

Quæſt. 1. *Luca* 7. quo pacto mulier peccatrix ſtans lauerit pedes Domini lachrymis.
2. Vnde conſtet ex Euangelio hanc mulierem peccatricem eſſe Mariam Magdalenam, & ſororem Lazari.
3. Cur *Marci* 8. Dominus cæcum illuminauit paulatim: ita quòd primò imperfectè, dum dixit: *Video homines ambulantes ſicut arbores.* & ſecundò impoſitione manuum perfectè vt clarè videret omnia.
4. Cur Paulus Apoſtolus tam 1. *ad Timoth.* 3. quàm *ad Tit.* 1. tradens conditiones requiſitas ad Epiſcopum, tradit tantummodo conditiones poſitiuas (puta ſobrium, prudentem, &c.) & nunquam meminit conditionis comparatiuæ, ſcilicet quòd ſit dignior aliis.
5. Cur tentator Chriſti in prima & ſecunda tentatione dixit: *Si filius Dei es.* in tertia autem non hoc dixit: ſed ad maximum ſcelus auſus eſt Chriſtum prouocare.

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS SANCTI XISTI,

IENTACVLVM PRIMVM.

De verbis Domini circa ipſius ex hoc mundo tranſitum.

OCCVRRVNT in primis circa verba Domini noſtri Ieſu Chriſti, circiter ipſius ex hoc mundo tranſitum, quæſtiones quatuor.

Prima eſt de verbis Domini in excuſatione Mag-
Matth. 26. 10. dalenæ: *Quid moleſti eſtis huic mulieri*, &c.

Secunda eſt de verbis Domini ad diſcipulos
Luc 22.35. pro emendo gladio: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera*, &c.

Tertia eſt de reſponſionibus Domini ad ſuos quatuor iudices, Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum.

Quarta eſt cauſa ipſius Domini ſcripta: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

QVÆSTIO I.

De verbis Domini in excuſatione Magdalenæ: Quid moleſti eſtis huic mulieri, *&c.*

Triplex admiratio.
1. Cur Chriſtus reprehenderit ſuos diſcipulos, dicentes, Vt quid perditio hæc, &c.

CIrca verba Domini pro Magdalena, admiramur primò, cur reprehenſi ſint diſcipuli ægrè ferentes effundi pretioſum vnguentum in vnctionem pedum vnius pauperrimi prædicatoris tantam ſanctitatem profitentis. Videntur ſiquidem rationabiliter indignati. Tum quia talis vnctio ad delitias non qualeſcunque, ſed pretioſas, ſpectare videtur magnorum nobilium. Et fortè nullus erat tam celſus, vt vteretur tam pretioſo vnguento pro pedibus, ſed pro capite: Chriſtus autem ignobilis ſecundùm mundum (vtpote filius fabri & faber) & pedes eius vngebantur tam delicata vnctione. Tum quia hodie ſcandalizaremur ſi videremus aliquem prædicatorem ſanctæ famæ, permittere ſe deliniri huiuſmodi deliciis pretioſis. multum enim indecens iudicaremus. Tum quia diſcipulis, quibus eſt mandatum vt æmulentur chariſmata meliora, incumbebat diuertere Mariam ab hac effuſione vnguenti, propter opus euidenter melius, ſcilicet vt venderetur, & pretium daretur in pauperum eleemoſynam.

2. Quantum valeat excuſatio Domini.

Admiramur ſecundò quantum valeat excuſatio Domini. *Opus enim bonum operata eſt in me. nam pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Ex differentia nanque temporis habendi pauperes, & ipſum (quia illos ſemper, ipſum verò non ſemper eſſent habituri) non apparet vnde inferatur, ſeu vnde reddatur ratio quòd illa bonum opus operata ſit. Etenim ex iſta differentia non tollitur quin vnctio illa fuerit exceſſiua, vtpote delitioſa nimis & impeditiua melioris boni, ſcilicet tantæ eleemoſynæ in pauperes: pro quibus tanto magis ſolicitum oportet hominem eſſe, quanto nunquam deficiunt, ſed ſemper durant.

3. Quorſum tria dicta à Domino excuſationi Magdalenæ vngentis ipſum adiecta.

Admiramur tertiò de aliis tribus verbis Domini adiectis, tanquam impertinentibus ad excuſationem Magdalenæ vngentis ipſum, quorſum hæc? Appoſuit ſepulturæ ſuæ præuentionem; appoſuit perpetuam memoriam huius vnctionis in laudem Magdalenæ futuram, appoſuit quòd fecit hoc quod habuit. Nihil autem horum excuſat vnctionem Magdalenæ. Non primum: tum quia præter intentionem Mariæ vngentis erat quòd ad ſepulturam referretur: opus autem iudicatur bonum ſecundùm intentionem operantis. non enim intendebat illa præuenire ſepulturam, ſed vngere viuentem Chriſtum: tum quia etiam pro ſepultura, exceſſiua erat vnctio tam pretioſa: in cuius ſignum, Nicodemus pro ſepulturæ Chriſti officio mixturam aloes & myrrhæ, & non vnguentum nardi pretioſi attulit. Non ſecundum: quia ad euentum ſpectat ſubſecuta laus, non ad intentionem operantis. Non tertium: quia omnino impertinens videtur illa appoſitio, quum nullus calumniaretur eam quaſi feciſſet vnctionem de

5. *Erat autem Paraſceue Paſcha.*
6. Apud Ioannem, *Accipite eum vos, & crucifigite.*

IENTAC. VII. *De ſolennitate Paſchali.*

Quæſt. 1. eſt apud Lucam, de duobus diſcipulis euntibus in Emaus: *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.*
2. Vnde ſcitur quòd Thomas tetigit manus & latus Chriſti, vt Doctores affirmant.
3. Apoc. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere diuinitatem.*

IENTAC. VIII. *De peccatis.*

Quæſt. 1. Matth. 12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.*
2. 1. ad Cor. 6. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.*
3. 1. Ioan. vlt. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.*
4. Apoc. 3. *Vtinam eſſes calidus, aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, Diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*
5. Apoc. vlt. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.*

IENTAC. IX. *De quatuor Scripturæ locis.*

Quæſt. Matth. 19. *Erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.*
2. Matth. 21. & Luc. 20. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.*
3. Luc. 13. *Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eÿcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor: veruntamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.*
4. 1. ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt omnia mihi licent: ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.* & c. 10. *Omnia mihi licent: ſed non omnia ædificant.*

IENTAC. X. *De quatuor Domini dictis apud Ioannem.*

Quæſt. 1. Ioan. 5. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* quum tamen Ioan. 8. dicat: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.*
2. Ibidem: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?*
3. Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum.*
4. Ioan. 17. *Et nunc clarifica tu me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret apud te.*

IENTAC. XI. *Circa tria occultiora.*

Quæſt. 1. *Ioan.* 10. quum Dominus poſtquam dixerat ſe eſſe verum Deum, Iudæis ipſum propterea lapidare volentibus reſpondit ſcriptum eſſe: *Ego dixi, dÿ eſtis*, &c. Vbi videtur Dominus diuertere ſermonem à Deitate per eſſentiam, ad Deitatem per participationem.
2. ad Philipp. 2. *Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.*
3. Apoc. 4. *Tu creaſti omnia: & per voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

IENTAC. XII. & vlt. *De rebus geſtis.*

Quæſt. 1. *Luca* 7. quo pacto mulier peccatrix ſtans lauerit pedes Domini lachrymis.
2. Vnde conſtet ex Euangelio hanc mulierem peccatricem eſſe Mariam Magdalenam, & ſororem Lazari.
3. Cur *Marci* 8. Dominus cæcum illuminauit paulatim: ita quòd primò imperfectè, dum dixit: *Video homines ambulantes ſicut arbores.* & ſecundò impoſitione manuum perfectè vt clarè videret omnia.
4. Cur Paulus Apoſtolus tam 1. *ad Timoth.* 3. quàm *ad Tit.* 1. tradens conditiones requiſitas ad Epiſcopum, tradit tantummodo conditiones poſitiuas (puta ſobrium, prudentem, &c) & nunquam meminit conditionis comparatiuæ, ſcilicet quòd ſit dignior alijs.
5. Cur tentator Chriſti in prima & ſecunda tentatione dixit: *Si filius Dei es.* in tertia autem non hoc dixit: ſed ad maximum ſcelus auſus eſt Chriſtum prouocare.

THOMÆ

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS SANCTI XISTI,

IENTACVLVM PRIMVM.

De verbis Domini circa ipſius ex hoc mundo tranſitum.

OCCVRRVNT in primis circa verba Domini noſtri Ieſu Chriſti, circiter ipſius ex hoc mundo tranſitum, quæſtiones quatuor.

Prima eſt de verbis Domini in excuſatione Magdalenæ: *Quid moleſti eſtis huic mulieri*, &c. (Math. 26. 10.)

Secunda eſt de verbis Domini ad diſcipulos pro emendo gladio: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera*, &c. (Luc 22. 35.)

Tertia eſt de reſponſionibus Domini ad ſuos quatuor iudices, Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum.

Quarta eſt cauſa ipſius Domini ſcripta: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

QVÆSTIO I.

De verbis Domini in excuſatione Magdalenæ: Quid moleſti eſtis huic mulieri, *&c.*

Triplex admiratio.

1. Cur Chriſtus reprehenderit ſuos diſcipulos, dicentes, Vt quid perditio hæc, &c.

CIrca verba Domini pro Magdalena, admiramur primò, cur reprehenſi ſint diſcipuli ægrè ferentes effundi pretioſum vnguentum in vnctionem pedum vnius pauperrimi prædicatoris tantam ſanctitatem profitentis. Videntur ſiquidem rationabiliter indignati. Tum quia talis vnctio ad delitias non qualeſcunque, ſed pretioſas, ſpectare videtur magnorum nobilium. Et fortè nullus erat tam celſus, vt vteretur tam pretioſo vnguento pro pedibus, ſed pro capite: Chriſtus autem ignobilis ſecundùm mundum (vtpote filius fabri & faber) & pedes eius vngebantur tam delicata vnctione. Tum quia hodie ſcandalizaremur ſi videremus aliquem prædicatorem ſanctæ famæ, permittere ſe deliniri huiuſmodi delicijs pretioſis. multum enim indecens iudicaremus. Tum quia diſcipulis, quibus eſt mandatum vt æmulentur chariſmata meliora, incumbebat diuertere Mariam ab hac effuſione vnguenti, propter opus euidenter melius, ſcilicet vt venderetur, & pretium daretur in pauperum eleemoſynam.

2. Quantum valeat excuſatio Domini.

Admiramur ſecundò quantum valeat excuſatio Domini. *Opus enim bonum operata eſt in me. nam pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Ex differentia nanque temporis habendi pauperes, & ipſum (quia illos ſemper, ipſum verò non ſemper eſſent habituri) non apparet vnde inferatur, ſeu vnde reddatur ratio quòd illa bonum opus operata ſit. Etenim ex iſta differentia non tollitur quin vnctio illa fuerit exceſſiua, vtpote delitioſa nimis & impeditiua melioris boni, ſcilicet tantæ eleemoſynæ in pauperes: pro quibus tanto magis ſolicitum oportet hominem eſſe, quanto nunquam deficiunt, ſed ſemper durant.

3. Quorſum tria dicta à Domino excuſationi Magdalenæ vngentis ipſum adiecta.

Admiramur tertiò de alijs tribus verbis Domini adiectis, tanquam impertinentibus ad excuſationem Magdalenæ vngentis ipſum, quorſum hæc? Appoſuit ſepulturæ ſuæ præuentionem; appoſuit perpetuam memoriam huius vnctionis in laudem Magdalenæ futuram, appoſuit quòd fecit hoc quod habuit. Nihil autem horum excuſat vnctionem Magdalenæ. Non primum: tum quia præter intentionem Mariæ vngentis erat quod ad ſepulturam referretur: opus autem iudicatur bonum ſecundùm intentionem operantis. non enim intendebat illa præuenire ſepulturam, ſed vngere viuentem Chriſtum: tum quia etiam pro ſepultura, exceſſiua erat vnctio tam pretioſa: in cuius ſignum, Nicodemus pro ſepulturæ Chriſti officio mixturam aloes & myrrhæ, & non vnguentum nardi pretioſi attulit. Non ſecundum: quia ad euentum ſpectat ſubſecuta laus, non ad intentionem operantis. Non tertium: quia omnino impertinens videtur illa appoſitio, quum nullus calumniaretur eam quaſi feciſſet vnctionem

de alieno, aut de neceſſario ſibi, quorum vtrunque excluditur per hoc quòd fecit quod habuit, vt facere bene poſſet.

Ad clariorem intellectum Dominicæ ſententiæ prænotanda eſt diſpoſitio mulieris vngentis in animo ſuo, vt percipiatur quale fuerit illius hoc opus ex parte ſua. Ipſa ſiquidem credebat Ieſum eſſe verum Meſſiam, quum ſoror eius Martha dixerit Domino, *Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei.* multo enim magis ipſa Maria hoc credidit, quæ optimam partem elegerat. Credidit quoque eundem habere poteſtatem dimittendi peccata, iuxta verbum Domini ad eam, *Remittuntur tibi peccata tua: fides tua te ſaluam fecit.* Amabat quoque multum Saluatorem, vt dictum ſit de ea, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Ex tam ſancta igitur mentis diſpoſitione erga Chriſtum, videri facile poteſt Mariam ad vnctionem iſtam proceſſiſſe vt multa ſimul exequeretur officia, ſcilicet humanitatis, gratiæ, ac religionis. Humanitatis quidem, quoniam mos erat in regione illa vnctionem exhibere. Vnde & Simon Phariſæus quaſi reprehenſus eſt à Domino quòd caput eius non vnxiſſet. Et ſicut conſonum erat inuitato Chriſto ad cœnam præparare epulas lautiores (quæ ſcilicet magnatibus ſolent parari) quando ſic decebat inuitantem: ita arbitrata eſt Magdalena decere ſe exhibere in vnctionem tanti viri inuitati delicatum ac pretioſum vnguentum. Gratiæ verò, quoniam memor recepti beneficij, remiſſionis ſcilicet peccatorum vnguendo aliàs Chriſtum, debitricem ſe arbitrata eſt vt iterum quàm melius poſſet vngeret Ieſum. Vnde primùm pedes, ex quorum priore vnctione veniam hauſerat, deinde caput, à cuius ore verbum & veniæ & vitæ toties perceperat, non ſolùm vnxit, ſed quodammodo abluit, pro quanto verſando vas vnguenti, effudit illud ſuper caput, vt Euangeliſtæ teſtantur. Nec putauit pretioſum aliquid reputandum ad referendam gratiam de tanto beneficio. Religionis autem, quoniam Meſſiæ Dei filio offerebat vnctionem illam in ipſius Meſſiæ ſecundùm aſſumptam carnem corporale refrigerium: & propterea putauit, & bene, oportere eſſe optimam ac pretioſiſſimam huiuſmodi vnctionem.

Ex quibus omnibus ſimul collectis, manifeſtè apparet Mariam ſecundùm rectæ rationis iudicium elegiſſe in huiuſmodi delicata & pretioſa vnctione bonum ac laudabile opus deuotionis, piique obſequij in Dominum Ieſum Chriſtum: & propterea diſcipulos indignatos de hoc, meritò à Domino reprehenſos quòd moleſti eſſent mulieri illi, dicendo: *Vt quid perditio iſta?* Non enim eſt vnguenti perditio, vſus ille vnguenti ad quē tot virtutes incitabant, qui pro gratia referenda, pro pietate, próque religione opportunus erat. Quod verò ad excuſandos diſcipulos primò affertur (quia nimis delicata ac pretioſa vnctio erat reſpectu tam pauperis, & pedum præſertim) excluditur per hoc quòd Ieſus erat, & credebatur verus Meſſias, ac per hoc dignior omnibus hominibus. Et neque hoc, neque quodcunque aliud vnguentum erat exceſſiuum reſpectu illius, & pedum eius. Quicquid enim cuicunque excellentiſſimo homini poteſt exhiberi, minus eſt vt condignum ſit ad vſum corporis ipſius Meſſiæ, & pedum eius. Extabat nihilominus ſpiritalis ratio vngendi pedes, quæ dicta eſt.

Quod deinde ſubiungitur de rationabili diſcipulorum ſcandalo, excluditur per idem: quia ſi hodie videremus verum Meſſiam teſtibus tot miraculis, teſte tunc Lazaro præſente, qui ex mortuis veniens teſtabatur illum eſſe verum Meſſiam, hoc eſt, Regem regum, & Dominum dominantium (vnde multi ex Iudæis credebant in Chriſtum) non ſcandalizaremur rationabiliter: ſed rationabiliter admiraremur & ſtuperemus quòd dignatur ſeipſum ſic exinanire vt iſtis noſtris vnctionibus deliniatur, vt à muliere vngatur, vt iſtiuſmodi refrigeriis egeat: irrationabiles autem homines ſumerent cum Iuda occaſionem ſcandali. Quod denique ſubditur de melioris boni æmulatione (quia melius fuiſſet vnguenti pretium in pauperes erogatum) à Domino excluditur: vt patebit declarata reſponſione Domini. Sed & ex dictis excluditur, quoniam opus tantæ gratiæ, pietatis, & religionis non eſt minus bonum, quam eleemoſyna illa fuiſſet in pauperes: imò tanto maius bonum fuit, quanto Chriſtus præſtat omnibus pauperibus, quanto caput membris, quanto dominus ſeruis. Arguendi igitur diſcipuli erant.

Ad admirationem de ratione reddita à Domino, quare opus vnctionis huius non fuerit prætermittendum propter pauperes: dicitur quòd quia diſcipuli non ſolùm prætulerant eleemoſynam, ſed vituperauerant illam vnctionem, dicendo, *vt quid perditio iſta?* ideo Dominus vtrunque confutando, primùm aſſerit Mariam feciſſe opus bonum, & hoc contra illud, *Vt quid perditio iſta:* Deinde non fuiſſe hoc prætermittendum propter eleemoſynam faciendam: quia pauperes ſemper haberent, &c. & hoc contra illud, *Potuit enim vnguentum iſtud venundari, & dari pauperibus.* Et quidem quòd opus illud fuerit bonum, Dominica reſponſio in ſingulis clauſulis probat. Primum, ex illa Præpoſitione *in*, dicendo, *in me.* Vbi recolito aliud eſſe credere Deum, & aliud credere in Deum. Primum ſiquidem commune eſt bonis & malis. Secundum autem proprium eſt bonorum: quia eſt actus fidei formatæ. Et ſimiliter operari aliquod bonum opus, commune poteſt eſſe bonis & malis. ſed bonum opus operari in Chriſtum, proprium eſt bonorum: quia ſignificatur quòd operando quis tendit in Chriſtum, quod eſt charitatis progreſſus. Dicendo ergo quòd Maria operabatur bonum opus in me, monſtrauit opus illud eſſe meritorium, & à charitate procedens. Deinde ex ratione comparationis ad eleemoſynam: ex qua vtrumque ſimul manifeſtatur.

Credere Deū, & credere in Deum differunt.

Et ſi ſubtiliùs fuerit conſiderata, apparebit quòd aliud primo occurſu ſenſus offert, & aliud interiùs portat. Nam prima fronte ratio Dominica ex duplici differentia inter eleemoſynam & hoc humanitatis officium ſibi exhibitum, docet non fuiſſe vnctionem iſtam prætermittendam. Vna differentia eſt inter tempus inſtans, & expectans: quia ſcilicet tempus faciendi eleemoſynam non vrget nunc, ſed expectat, quoniam ſemper eſt: tempus autem exhibendi mihi huiuſmodi humanitatis officia, nunc inſtat: quia non ſemper me habebitis in præſentia corporali carnis paſſibilis, in qua ſum modò vobiſcum, & non ſolùm non ſemper, ſed pauciſ-

ſimis

ſimis diebus ſic me habebitis. fuit enim hoc ante ſex dies Paſchæ, hoc eſt, ſabbato ante Ramos palmarum. Altera differentia eſt inter certam perſonam, & indeterminatos pauperes: quia ſcilicet obſequium hoc debitum eſt certæ perſonæ, mihi ſcilicet: eleemoſyna autem debita eſt non alicui certo pauperi, ſed pauperibus indeterminatè. Vtranque ſiquidem differentiam Dominica ratio manifeſtè affert, dicens: Nam pauperes (non hunc, vel illum) habitis vobiſcum ſemper, & non inſtat nunc neceſſitatis articulus, me autem (ecce certa perſonæ) non ſemper. Quaſi diceret, nunc tantùm habebitis, ſcilicet vobiſcum in carne paſſibili & indigente his obſequiis conuerſantem. Ex ambabus autem differentiis ſimul iunctis relucet & communis doctrina, quòd humanitatis officia quæ alicui certæ perſonæ exhibere poſtulat certum tempus, non ſunt prætermittenda propter communia debita quæ indeterminatè debemus proximis. Non vult cœleſtis Magiſter vt homo prætermittat conuiuium nuptiale, officium ſepulturæ, politicum conuictum cum ciue, & ſimilia, vt fiant eleemoſynæ. Ipſe enim qui eſt autor gratiæ, non venit deſtruere, ſed perficere rationem naturalem. Relucet & ſpecialis ratio facti. Nam ex hoc ipſo quòd tempus illud quo talis tantúſque hoſpes officioſè tractari poſſet, præteribat, poſthabendi erant pauperes non tunc inſtantes, quibus aliunde & tunc & aliàs poterat bene fieri. Vnde liquet redditam eſſe rationem, & quod opus fuit, bonum & quod præponendum fuit eleemoſynæ pauperum quæ ex illo pretio potuiſſet fieri.

Eleemoſyna non pauperi, ſed pauperibus debita.

Continet autem interiùs penetrata hæc ratio ratione perſonæ demonſtratæ per illud Pronomen *me*, ſupereffluentem cauſam non ſolùm bonitatis, ſed excellentis proiectionis huius vnctionis. Tempus namque illud quo Verbum caro factum, inter homines homo paſſibilis, humaníſque officiis ſubditus, dignatum eſt conuerſari: articulum conſtituebat vrgentis neceſſitatis ad exhibendum illi quæcunque poſſibilia officia ſi obſequia, nullius pretij, nullarúmque deliriarum finibus limitanda quantum eſt ex parte ipſius meriti, & humani debiti. Vnde nulla ex parte vnctio iſta minus bona fuit, ſed præferenda vndique curæ pauperum. quæ cura quanuis debeat ſemper hominem ſolicitare, non tamen ex alio debito officio auellere, & multo minus tollere debet hoc opus longè excellentius.

Ad admirationem tertiam de appoſitis tribus à Domino ſententiis in hac cauſa, reſpondetur. Et circa ea quæ de ſepultura dicuntur, notandum eſt vnctionem iſtam relatam eſſe ad Chriſti ſepulturam ex Dominicis verbis, triplici relatione, hoc eſt, per ſignificationem, per præuentionem, per durationem. Significauit enim vnctio illa Chriſtum Dominum ſepeliendum eſſe, teſtante Domino apud Matth. *Mittens hæc mulier hoc vnguentum in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* hoc eſt, ſepelibilem me indicauit. corpora enim ſepelienda tunc temporis vngebantur. Præuenit quoque officium vnctionis pro ſepultura vnctio illa, teſtante Domino apud Marc. *Præuenit vngere corpus meum in ſepulturam.* Quanuis enim Maria ipſa neſciret, Dominus tamen ſciebat quòd impedienda erat ab vnctione ipſius Chriſti defuncti, quia prius reſurrexit quàm potuerit ab illa vngi: & propterea nunc præueniſſe dicitur officium ſepulturæ. Durauit quoque vnctio illa vſque ad ſepulturam (dicente Domino apud Ioan. *Sinite illam vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud*) pro quanto vnctio illa vltima fuit quantum ad Mariæ vnctionem, & ſic per negationem ſuccedentis, ſeruata vſque in diem ſepulturæ. Tanquam ſi apertè diceret: Sinite illam, quia iſta computatur pro tota vita mea vſque ad ſepulchrum, ita quòd nec viuo, nec mortuo mihi exhibebit ampliùs officium vnctionis. Totus autem huiuſmodi ſermo referens vnctionem hanc ad ſepulturæ officium, à clementiſſimo Magiſtro dictus eſt, vt intelligerent diſcipuli non quare Magdalena vngebat: ſed quare ipſe Dominus ſuſciperet vnctionem illam. Magdalena enim intendebat officium humanæ pietatis, gratiæ & religionis impendere Chriſto, ſed Chriſtus opus illud ſuſcipiebat, vt ſepeliendus. tanquam ſi apertè diceret: Non putetis quòd vt delicioſus vngor. nam vngor vt ſepeliendus, vngor vt quàm citiùs moriturus. non eſt tempus hoc deliciarum, ſed mortis & ſepulturæ. Et licet Mariæ animus ad hoc non tenderet ex ſe: vt motus tamen & directus à Spiritu ſancto ad hoc tendebat ſignificandum, præueniendum, ac ſeruandum, neſciens tunc quo ad hoc quid faceret. Quia igitur hæc verba non ſunt appoſita ad alteram excuſationem Magdalenæ, ſed ad rationem ex parte Domini quare permiſerit ſe vngi, non oportet mirari quorſum hæc. Poteſt nihilominus hæc ſententia referri ad Magdalenæ excuſationem, intelligendo illam vt ſint pars prioris ſententiæ, vtpote declaratio illius dicti, *Me autem non ſemper habebitis.* tanquam expreſſerit quid intenderit per ly *non ſemper*, modicum valde tempus, quia proximus ſum ſepulturæ: ita quòd per hanc adiectionem declaratus eſt articulus inſtantis proximæ ſepulturæ, & ſoliciti timoris fouentis animum Mariæ ad hanc vnctionem. Doctrina ſiquidem Domini de ipſius morte ac reſurrectione, erat adeò publica, vt etiam ad Iudæorum Pontifices peruenerit, quum dixerint Pilato: *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille adhuc viuens dixit, Poſt tres dies reſurgam.* & quòd tunc proxima eſſet Domini mors, Magdalena cum aliis mulieribus audierat: vt patet ex eo quòd quum dixiſſet paulo antè Dominus, *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradet*, &c. *& tertia die reſurget*: mater filiorum Zebedæi petiit vt filij ſui ſederent ad dexteram & ſiniſtram ipſius in regno reſurrectionis eius. Ex eo igitur quòd Maria quæ multum diligebat Chriſtum, tempus mortis Chriſti proximum meditabatur, ſolicitaque erat ne fortè ampliùs ſimilem commoditatem officioſè obſequendi Chriſto non haberet, oblata tunc occaſione conuiuij Lazaro reſuſcitato, vtendum duxit. Et ſic etiam ex parte ſoliciti timoris adhibentis quaſi calcaria Mariæ, vnctio iſta nonnullum reſpectum ad ſepulturam Chriſti habuit: & quia tempus vrgens ad vnctionem conſtituebat, ad opus illud bonum reddendum pertinebat.

Nec obſtat ſi non tam pretioſa vnguenta ad vſum eſſent ſepulturæ, ſed myrrha & aloe: quoniam ad ſepulchra regum pretioſiora adhiberi credibile eſt: & dignitas Meſſiæ ſupra

omnes Reges & ſummos Sacerdotes erat & eſt, ita vt nihil quantuncunque aliis pretioſum, ipſi poterat condignè exhiberi. De appoſita autem futura memoria huius vnctionis, facilè patet quod ad commendationem operis Magdalenæ ſpectatum. Tum quia licèt laudari præter intentionem Mariæ fuerit, eſſe tamen opus tale vt ſit laude dignum, non eſt præter intentionem rectè operantis: quoniam intendit opus virtutis, ac per hoc laude dignum. Tum quia laudandum eſſe ab Euangelicæ perfectionis viris, maximum eſt teſtimonium boni operis peracti. Monſtrauit ergo Dominus vnctionem illam non ſolùm eſſe irreprehenſibilem, & præponendam tunc curæ pauperum, ſed optimum fuiſſe opus, vtpote & dignum perpetua laude, & quòd perpetua eſſet proſequendum commendatione in Dei Eccleſia. Quorſum autem verba quæ ſolus Marcus interſerit (ſcilicet, *quod habuit, hoc fecit*) tendant, non eſt difficilè videre: ad occultam ſiquidem ſpectant tam Mariæ mentem, quàm ipſius Domini dignitatem. Murmurabant diſcipuli de pretioſitate vnguenti, reſpondet Dominus apud mulieris illius animum non eſſe vnguentum hoc pretioſum, ſed ſi pretioſius habuiſſet, pretioſius effudiſſet. tanti me facit. ſed quia non habuit pretioſius, quod habuit, hoc fecit. Acſi apertè diceret, Vos arguendam putatis de exceſſu, & tamen ſecundum veritatem dignitatis meæ, & rectam fidem ac deuotionem huius mulieris, excuſanda eſt quòd non plus fecit: ſed hoc quod habuit, fecit. Eſt igitur hæc Domini ſententia & ad Mariæ opus commendandum, & ad diſcipulos confutandum non impertinens, ſed opportuna. Hæc de prima quæſtione.

QVÆSTIO II.

De verbis Domini ad diſcipulos pro emendo gladio: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, *&c.*

Circa ſecundam quæſtionem de verbis Domini ad diſcipulos tempore paſſionis imminentis, *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, nunquid aliquid vobis defuit? Dicunt ei, Nihil: Ait illis, Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium. oportet enim impleri de me: Et cum ſceleratis reputatus eſt*, quæſtio non ſpernenda conſurgit, quo pacto hæc verificentur ad literam, quandoquidem oportet ea ad literam verificare: quoniam & Dominus ad literam loquitur de ſacculo & pera, vt patet: ergo & de gladio: & diſcipulis de gladio ad literam intelligentibus & reſpondentibus, Ecce duo gladij hic: annuit Dominus, dicens, *Satis eſt.*

Quo pacto verba Domini ad diſcipulos pro emendo gladio ad literā verificentur.

Ad quid Apoſtoli dixerint Ecce duo gladij hic.

Literalem igitur ſenſum intuendo admiramur hanc Domini doctrinam. Primùm, quia videtur inſtruxiſſe diſcipulos vt ſumerent arma defenſiua pro ſui defenſione in imminente ſibi perſecutione Iudæorum: dum vendendam etiam tunicam pro emendo gladio conſulit, & paſſionem propriam pro ratione aſſignat, quia ipſe vt iniquus tractandus eſt, ſicut & fuit tanquam latro quæſitus & captus, & demum cum latronibus crucifixus.

Cur Dominus meminerit perſecutionis ſua, nō loquens de ſui defenſione.

Deinde, quia videtur docuiſſe diſcipulos vt tempore perſecutionis arma ſimiliter caperent defenſiua. hoc enim ſequitur ex exemplo ſui. Si enim contra perſecutionem ipſius capitis ſumenda ſunt arma, conſequens eſt vt contra perſecutionem membrorum armati progrediamur. *Exemplum*, inquit, *meum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Neutrum autem horum bene ſonat, ſed Chriſtianorum pias aures offendit: & vtrunque à geſtis Chriſti & Sanctorum in ſuis perſecutionibus diſſonat, vt patet. Videtur denique doctrina hæc reuocare præcepta priùs ab ipſomet diſcipulis data, ſcilicet, *Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe illi & alteram*, & ſimilia. Et confirmatur: quia ſicut mutauit hìc Dominus præceptum de non portandis ſacculo & perá, olim prohibendo, nunc concedendo: ita conſequenter dicendum eſt quòd mutauit præcepta olim data de omittenda defenſione armata, concedendo diſcipulis vt ſi contra eos inſurgerent homines, reſiſterent armata manu. conſtat autem hoc prædicatoribus Euangelicis, quales erant Apoſtoli, quibus loquebatur Dominus, non conuenire: quamuis imperfectioris vitæ Chriſtianis licitum ſit.

Ad hanc quæſtionem reſpondendo, dicitur quòd hæc Domini verba ad literam non dirigebantur ad defendendum Dominum Ieſum in imminente ſibi perſecutione: nec diſcipuli intellexerunt ſumenda ſibi fore arma pro defenſione Chriſti. Manifeſto vtrunque: & primò primum, ex tribus. Primò ex eo quòd ſimul eandem protulit ſententiam de rebus tribus, ſcilicet ſacculo, in quo portantur pecuniæ, & pera, in qua portantur victualia, & gladio, quo protegimur ab inuaſoribus. Conſtat autem quòd ad perſecutionem illam non erat opus ſacculo, neque pera, quum ipſi non eſſent perſecutionem paſſuri, ſed ſeruandi ab ipſo Domino erant ſolo verbo, *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* & ipſe dixerat, *Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam*, vt Ioannes teſtatur. Sicut igitur non dicebat, vt tunc ſumerent ſacculum & peram, ita nec dicebat vt ſumerent tunc gladios.

Reſponſio ad quæſtionem prima.

Secundò ex eo quod dicentibus diſcipulis, *Ecce duo gladij hic*, reſpondit, *Satis eſt.* Si enim intendiſſet quòd tunc ſumerent arma, non dixiſſet ſatis eſſe ad defenſionem ſui. Conſtat nanque non ſatis eſſe quòd duos habere gladios dixerint, ad defenſiue armandum viros vndecim contra cohortem Pilati, & miniſtros Iudæorum cum gladiis & fuſtibus. Et ſimiliter conſtat non ſatis eſſe neceſſitati tantæ vt vendenda eſſet tunica ad emendum gladium, habere duos gladios inter tot perſonas, ſi propter imminentem tunc perſecutionem debuiſſent tunc ſinguli non habentes gladium vendere tunicam vt emerent gladium. Quia igitur dixit ſatis eſſe, monſtrauit ſe non requirere gladios defenſiuos ſui contra perſecutionem imminentem. *Reſp. 2.*

Tertiò ex eo quòd Petrum, qui non expectata Domini reſponſione gladium pro Magiſtri defenſione eduxit, compeſcuit: *Conuerte*, inquit, *gladium tuum in vaginam.* Si enim intendiſſet inſtruere vt pro eo gladio pugnarent, non retraxiſſet diſcipulum gladio pugnantem. Clariſſimè quoque hoc idem patere poteſt ex voluntaria *Reſp. 3.*

luntaria paſſione (vnde tunc etiam dixit, *An non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?*) & multis locis Scripturæ. Sed hæc ſint allata ex illo proprio loco in illa materia, & in illa ſententia. Secundum autem (ſcilicet quod diſcipuli non intellexerint de gladio ſumendo pro defenſione Chriſti) habetur ex eo quòd venientibus ſatellitibus ad capiendum Chriſtum, diſcipuli videntes quod futurum erat, interrogauerunt Dominum: *Domine ſi percutimus in gladio?* Si enim intellexiſſent inſtructos ſe fuiſſe vt gladio pugnarent pro defenſione Chriſti, non dubitaſſent, non petiſſent, *Domine, ſi percutimus in gladio.* Non igitur intellexerunt Domini verba Apoſtoli ad hunc ſenſum vt pugnaturi gladio eſſent pro defenſione Chriſti. Ad quid autem prædixerint, *Ecce duo gladij hic*, pòſt dicetur, ſicut etiam manifeſtabitur cur Dominus meminerit perſecutionis ſuæ, non loquens de ſui defenſione.

Quia igitur Dominica hæc verba ad ipſius Domini defenſionem non dirigit, manifeſtum ex litera eſt, conſequens eſt vt ex ipſo Euangelij textu literalis ſenſus ſumatur. Prænota ergo in hac litera quatuor.

Primum eſt diuerſitas temporis præteriti & præſentis, denotata per ly *quando*, & ly *ſed nunc.* ait enim Saluator, *quando miſi vos:* & ſubdit, *ſed nunc.*

Secundum eſt officium prædicationis, de quo fit mentio ſecundùm præteritum tempus: & nulla fit de eo mentio in præſenti tempore. ait enim Saluator: *Quando miſi vos.* proculdubio ad prædicandum, vt patet in Euangelij hiſtoria Matth. Ioan. & Marc. 6. Et quum dicit, ſed nunc qui habet ſacculum, nihil dicit de miſſione ad prædicandum.

Tertium eſt pro ratione huius doctrinæ aſſignari, quòd ipſe Dominus cum iniquis deputandus tunc erat.

Quartum eſt modus dicendi, quia ſcilicet non dirigitur nouus ſermo ad Apoſtolos in ſecunda perſona, vt olim dixerat. non enim dicit, ſed nunc tollite ſacculum, & peram, & emite gladios, vt olim dixerat, *nihil tuleritis in via, non ſacculum,* &c. ſed ad tertiam perſonam conuertendo ſermonem dicit: *ſed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium.*

Ex his habentur primò duo tempora, ſcilicet prædicationis, & perſecutionis, non cuiuſcunque, ſed illius qua Chriſti diſcipuli cum iniquis reputandi eſſent. Ad deſignandum ſiquidem talis perſecutionis tempus propoſuit talem perſonam in perſona ſua: propter quod non meminit crucis, aut mortis, ſed deputationis cum iniquis.

Habentur ſecundò duo genera Chriſtianorum, ſcilicet Prædicatorum in Apoſtolis, & aliorum minus perfectorum in tertia perſona ſignificatorum. Intendit igitur ad literam Dominus docere, quòd mandata data olim de non vehendo ſacculum & peram, ad tempus prædicationis ſpectant: tempore autem perſecutionis, & præcipuè quando reputabuntur vt iniqui, licitum erit cuicunque volenti munire ſe & ſacculo & pera & gladio defenſiuo. Et diuerſitatis ratio in promptu eſt: quia quum licitum eſt ad prædicandum ire, prædicationiſque officio incumbere, inuenientur neceſſaria, retribuentibus auditoribus temporalia pro ſpiritualibus, & ſicut de neceſſariis, ita nec de vita debetis eſſe ſoliciti. tempore verò quo Chriſtiani vt iniqui reputabuntur, non inuenientur qui retribuant pro ſpiritualibus temporalia: & ſicut de pecunia & victu licitum erit curam habere, ita etiam de vitæ conſeruatione, quæ per gladium aduersùs inuaſores conſeruari quandoque poteſt. Eſt ergo ſermo Dominicus de tempore perſecutionis indeterminatè, & ſimiliter de diſcipulis indeterminatè: ita quòd illud Aduerbium temporis *nunc*, non demonſtrat determinatè illud tempus paſſionis Chriſti, ſed indeterminatè tempus perſecutionis, præcipuè quando reputabuntur iniqui: & ſimiliter illud relatiuum *qui*, non refert determinatè Apoſtolos, ſed indeterminatè Chriſtianum: & docet quòd tempore perſecutionis licitum eſt curam vitæ, victus & pecuniæ opportunæ ſuis diſcipulis habere. Et bene nota quàm optimè reſpondeant noua hæc Chriſti documenta priſcis. Etenim ſicut documenta priora (ſcilicet *nihil tuleritis in via*) non ſunt mandata, ſed libertates edendi & bibendi quæ apud auditores verbi Dei ſunt: ita documenta hæc non ſunt mandata, ſed libertates curam gerendi vitæ & opportunorum. Docuit enim pius Magiſter licita ambo eſſe: conſuluit autem vt facerent ſicut ipſum videbant facere. Et Apoſtoli quidem ac Sancti perfectioris vitæ imitati ſunt geſta Domini: imperfectiores autem vtuntur libertate ſibi à Domino declarata.

Ad obiecta autem quantum oportet reſpondendo, dicitur quòd Dominus deputationem ſuam cum iniquis, pro ratione attulit duorum. Primò temporis perſecutionis, & non ſuæ defenſionis. Ac ſi apertè diceret. Ex quo ego cum iniquis deputabor, tempus erit vt & mea membra cum iniquis deputentur. Secundò neceſſitatis. quaſi dicat: Tempus erit quo indigebitis his auxiliis, quia ego ipſe relinquar deputatus cum iniquis. Si enim ego deſtitutus ero ita vt cum iniquis deputer ad mortem, mei quoque diſcipuli deſerentur ſimiliter: & ideo concedo volentibus recurrere ad huiuſmodi humana adminicula vti poſſe illis. Apoſtoli autem tanquam non plenè penetrantes verba Domini (quoniam adhuc non erat eis apertus ſenſus vt intelligerent Scripturas, & pari ratione verba Dominica) dixerunt: *Ecce duo gladij hic*, tanquam aliquid pertinens ad propoſitum ſermonem de neceſſitate gladij: quum tamen impertinens eſſet reſponſio ad intentionem Chriſti. Vnde & Dominus non reſpondit, Tollite illos gladios vobiſcum, quos non ſecum, ſed ibi eſſe dixerant: nec reſpondit, *Satis ſunt*, ſcilicet duo gladij. ſed impersonaliter dixit, *Satis eſt*, & doctrinæ huic meæ, & ſolicitudini veſtræ. ac ſi iuxta vſitatum loquendi morem diceret: Sufficit hæc locutio. deponite hanc ſolicitudinem. Et verè ſic erat agendum: quoniam verba Dominica dicebantur ad hoc vt poſt paſſionem Domini imperfectiores, & in caſu quando expediret, etiam perfectiores libertate hac vterentur. Clariſſimè itaque patet, quòd non eſt Dominus hortatus diſcipulos ad ſumendum gladios pro ipſius Domini defenſione. Sed quòd nec conſuluerit diſcipulis ſuis vt ſumerent defenſiua arma contra ſuos inuaſores, patet

Obiectionibus ab initio propoſitis recurritur.

patet ex dictis: quoniam aliud eſt conſilium dare, aliud eſt docere quid licite facere poſſent. Conſuluit ſiquidem ipſe diſcipulis facto ſui exempli vt arma non ſumerent defenſiua: tum retrahendo Petrum à percuſſione: tum aperiendo quòd plus quàm duodecim legiones Angelorum haberet in promptu, ſi vellet illis vti: tum voluntariè patiendo ſe tanquam latronem capi, & cum iniquis deputari ad mortem vſque crucis. Et hoc imitandum intellexerunt Apoſtoli, iuxta illud Petri, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Docuit verò dictis verbis licere & imperfectioribus adminiculis ſe humanis tempore perſecutionis fulcire, non ſolum ſacculi & peræ, ſed gladij defenſiui: & perfectioribus in caſu quo expediret ad humana confugere ſubſidia. Hac nanque doctrina fretus Apoſtolus Paulus, ad adminiculum humanæ appellationis ad Cæſarem confugit, quando hoc expedire iudicauit. Et rurſus à parata contra ipſius vitam conſpiratione Iudæorum, tribuni ope ſe eripi procurauit: quia ſimiliter caſus erat in quo expediebat ſic ſuam corporalem vitam adiuuare. Nihil ergo diſſonans Sanctorum geſtis docuit Dominus noſter: ſed id quod in caſu etiam à perfectioribus fieri inculpabiliter poſſet, dignatus eſt per ſeipſum manifeſtare. Patet quoque ex dictis non eſſe priora Domini præcepta per hanc doctrinam reuocata: ſed declaratum eſt quòd priſca illa de voluntariæ patientiæ operibus, non ſic ſint intelligenda quin pro loco & tempore liceat Chriſti diſcipulis moderata requirere humana adminicula. Ex hac nanque doctrina Domini, iuncta priori, didicimus conſideranda eſſe loca, tempora, ac occurrentia, & quando expedit præbere percutienti alteram maxillam, & quando expedit tueri ac adiuuare noſipſos. Nec eſt verum quòd reuocata ſint hinc documenta priora de non portandis ſaccylo & pera: ſed documentis illis adiuncta ſunt alia concernentia aliam temporis diſpoſitionem, itá quòd hæc iuncta illis docent nos quòd quando expedit, ſine ſacculo & pera, & quando expedit, cum ſacculo & pera procedamus; & quò illud præcipuè tempore prædicationis ſeruandum intelligamus, hòc autem tempore neceſſitatis. Et hæc de ſecunda quæſtione.

QVÆSTIO III.

De reſponſione Domini ad ſuos quatuor iudices, Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum.

Duplex admiratio ex verbis Domini coram Anna.

CIrca tertiam quæſtionem de reſponſionibus Domini noſtri Ieſu Chriſti coram quatuor iudicibus, occurrit primò duplex admiratio coram Anna.

Altera eſt de illa reſponſione, *Quid me interrogas?* nam apparet & ſuperflua, & non decens perſonam illam tunc. ſuperflua quidem, quia interroganti Pontifici Ieſum de doctrina & de diſcipulis eius, ſufficiebat dixiſſe doctrinam ſuam eſſe publicam, & propterea examinandos eſſe publicos teſtes qui audierant docentem; & non oportebat apponere, *Quid me interrogas?* Indecens autem, quia Dominus Ieſus tunc ſe gerebat vt ſubditum. Non eſt autem ſubditi arguere iudicem, præſertim de defectu tam paruo, ſcilicet quòd non debebat ipſum interrogare de doctrina tam publica. Et hæc indecentia tanta viſa tunc eſt, vt propterea vnus miniſtrorum percuſſerit Domini maxillam, dicens: *Sic reſpondes Pontifici?*

Altera eſt de iſta reſponſione data percuſſori: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis?* Videtur Dominus non ſeruaſſe conſilium quod diſcipulis dederat, *Si quis te percuſſerit in vnam maxillam, præbe ei & alteram.* non ſolum nanque non præbuit alteram, ſed contra percutientem argumento rationis inſurrexit. debebat enim ipſe ſeruare quod ſeruari ab alijs voluit.

Admiratio de verbis Domini coram Caipha.

Occurrit ſecundò admiratio ſimilis coram Caipha, pro quanto adiuratus Dominus vt diceret ſi ipſe eſſet Meſſias, non ſolùm reſpondit ſe eſſe Chriſtum, ſed adiunxit, *Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris Dei, &c.* Apparet ſiquidem ſuperflua hæc appoſitio. Nam ſi opportuna fuit, aut propter ipſos Pontifices & ſeniores. Et hoc non: tum, quia Dominus dixit tunc quòd ipſi audientes ſe eſſe Chriſtum, nec crederent, nec ipſum dimitterent: tum, quia ex hoc facti ſunt peiores, dicentes, *Blaſphemauit: reus eſt mortis, &c.* Aut propter alios, & hoc non: tum, quia alij iam alias hanc doctrinam de aduentu Chriſti ad iudicium audierant: tum quia ibi non erant alij, niſi fortè miniſtri, qui etiam perſequebantur Dominum: vt patet de miniſtris & ancillis infeſtis Petro.

Quadruplex admiratio iuxta quatuor Domini verba ad Pilatum.

Occurrit tertiò admiratio coram Pilato quadruplex, iuxta quatuor Domini verba ad Pilatum.

Prima eſt circa illam reſponſionem, *A temetipſo hoc dicis: an alij tibi dixerunt de me:* apparet ſiquidem impertinens vt interroganti Pilato Ieſum, *Tu es rex Iudæorum?* reſpondeatur, ſi à temetipſo hoc dicas. Non enim videtur quomodo hoc ſpectet ad propoſitam interrogationem, aut quorſum tendat.

Secunda eſt circa reſponſionem ſubiunctam: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* videtur enim quòd Dominus voluerit ſe iuſtificare coram Pilato: tanquam diceret, Ego non me impedio de regno huius mundi, de quo accuſor. Hoc autem non apparet conſentaneum eſſe ſpontaneæ oblationi ſuipſius ad patiendum, & ſubeundam ſententiam mortis & crucem. Qui enim ſtudet coram iudice iuſtificare ſuam cauſam, non quærit condemnari, ſed potiùs euadere.

Tertia eſt circa appoſita verba, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati, &c.* Nam appoſitio iſta ad aliquod trium ordinata eſt. Vel ad iuſtitiam ſuam aperiendam & hoc (vt dictum eſt) videtur inconueniens, quia non conſonat tam voluntariæ paſſioni. Vel ad inſtruendum Pilatum. & hoc erat ſuperfluum, quia ille Gentilis erat, & principium conuertendi ipſum non erat hinc ſumendum. Vel ad propoſitam materiam, de qua erat ſermo, ſcilicet de regno ſuo. & hoc non apparet quomodo veniat ad propoſitum, & qua fuerit prudentia dictum.

Quarta eſt circa vltimam Domini reſponſionem ad Pilatum: *Non haberes aduerſus me poteſtatem vllam, niſi tibi deſuper datum eſſet, &c.* Apparent enim minus decentia verba: tum,

quia

quia ſatis generalia pro reſponſione darentur Pilato, dicenti, *Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Tum quia nihil nouum, aut ignotum, aut neceſſarium ſonantia, vt propter ipſa dicenda Dominus ſilentium cœptum rumpere deberet. Quis enim ignorabat Pilatum habere poteſtatem à ſuperiori, quum conſtaret quòd non erat Princeps, ſed Præſes deputatus à Romanis? Tum quia incompactè iuncta cum ſequentibus, ſcilicet, *Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* in quo nanque communicet hæc ſententia de maioritate peccati, cum præcedente de poteſtate Pilati, non apparet. Et multominus apparet quomodo hæc ex illa inferatur cum nota cauſalitatis, vt in litera fit, inferendo, *Propterea qui me tradidit*, &c.

Admiratio de verbis Domini coram Herode. Occurrit quartò admiratio coram Herode, cur interrogatus Dominus ab Herode in multis ſermonibus, nullum verbum protulit, quum tamen ſpes eſſet boni aliquid efficiendi apud Herodem, qui fidem Iudæorum profitebatur: & de ipſo ſcriptum eſt quòd libenter Ioannem Baptiſtam audiebat, & audito eo multa faciebat. & Euangeliſta dicit quòd tunc gauiſus eſt viſo Ieſu, & quòd multo tempore deſiderauerat ipſum videre, &c. Ex his enim videtur quòd rationabilius fuiſſet, quæ dixit Pilato Gentili, dicere Herodi fideli, vtpote qui de Meſſia fidem habebat, &c.

Reſponſio ad quæſtionem prima. Ad quæſtionem hanc de reſponſionibus Domini, reſpondendum eſt ordine quo proceſſit ambiguitatum ſeries. Vnde à verbis Dominicis coram Anna Pontifice inchoando, dicitur illa Domini verba ad Annam, *Quid me interrogas*, non ſuperflua, nec indecentia, ſed opportuna decentiaque illum tunc fuiſſe. Quæ vt clare intelligas, perſpice Dominum vidiſſe in interrogatione à Pontifice facta duo implicari, ſcilicet rem, & perſonam. Res de qua interrogatio fiebat, erat doctrina cum diſcipulis: perſona autem interrogata, erat ipſe Ieſus. Et quo ad vtrunque oportuit Dominum ſua reſponſione ſatisfacere. vnde de doctrina reſpondit primò quòd erat in publico poſita: tum ex loco publico, Synagoga ſcilicet, & templo: ita quòd locus non ſolùm erat publicus, ſed publicus ad officium docendi. doctrinæ ſiquidem publicæ locus erat templum, aut Synagoga. Tum ex frequentia communi: quia illuc omnes Iudæi conueniebant. Tum ex qualitate temporis: quia ſemper, quando ſcilicet tempus docendi expoſtulauit, quando in templo, in templo, & quando in Synagoga, in Synagoga. Tum ex qualitate dictorum: *quia in occulto locutus ſum nihil.* Deinde dixit qui eſſent de ſua doctrina interrogandi, dicens, *Interroga eos qui audierunt.* Et protulit vniuerſos vt publicos teſtes, non mortuos, non abſentes, non neſcios, aut immemores, ſed præſentes & ſcientes: *Ecce*, inquit, *ipſi ſciunt quid dixerim.* Quo ad perſonam verò interrogatam reſpondit, *Quid me interrogas?* Quod dupliciter exponit. vel quid hoc eſt cur me interrogas? Et ſic petit cauſam non quare Pontifex interrogat, ſed quare interrogat ipſum Ieſum de doctrina, quum non appareat cauſa quare ipſe Ieſus debeat interrogari de ſua doctrina, quæ eſt in publico poſita: ac per hoc interrogandi ſunt illi, qui audierunt, & ſciunt illam: ſicut ſi doctrina fuiſſet poſita in libro, non eſſet autor interrogandus de doctrina qualis eſt, ſed liber examinandus. Nec hæc petitio dedecebat ſubditum, quum Iob petitionem ſimilem Deo porrexerit, *Indica mihi cur me ita iudices?* Et iuxta hunc ſenſum, quia Annas interrogauerat de doctrina publica Dominum, qui non debebat ante examinatam ab aliis doctrinæ qualitatem examinari: ideo humiliter ſubditus Dominus petit cauſam quare ipſe examinatur: vt ſi fortè ex cauſæ manifeſtatione oporteret aliquid reſpondere, poſſet parere. Et ſic verba hæc decentia & opportuna inueniuntur.

Vel *quid me interrogas?* hoc eſt, quid eſt quod à me interrogando ſcire quæris? Et ſic petit rem interrogatam: ſicut Saulus petiit à Chriſto rem præceptam, dicens, *Domine quid me vis facere?* Et iuxta hunc ſenſum ſupponebat humilis ſubditus Pontificem interrogare ipſum de aliquo quod oporteret ab ipſo Ieſu noſſe, & non de iis, quæ oportet aliunde cognoſci: ac per hoc, quia interrogatio de doctrina, pro quanto quærebat qualitatem doctrinæ, ad alios ſpectabat qui audierant, & non apparebat pro quo alio articulo ſpectaret ad ipſum Ieſum: ideo humiliter petit, *Quid me interrogas?* Ac ſi apertè diceret: Quia non apparet quid eſt illud quod ego interrogatus reſpondere debeam, aperi quid eſt quod à me ſcire vis. Fortè enim aliquem particularem articulum Pontifex maniſtaſſet ſe quærere, ad quem reſpondiſſet. Et ſic percipere clarè potes non ſolùm opportunam ac decentem, ſed humilem reuerentémque fuiſſe hanc Dominicam reſponſionem: quamuis Pontificis miniſter ſimilis ſuo Pontifici arguerit illam ſuperbiæ, nec dignum arbitrans Dominum Ieſum vt etiam peteret quod ad ſeipſum ſpectabat noſſe, vt poſſet Pontifici ſatisfacere.

Ad alteram autem admirationem de reſponſione data percuſſori, reſpondetur quòd Dominus Ieſus ita exhibebat ſe ſubditum, & patientiæ exemplum, vt meminiſſet ſe eſſe Doctorem mundi. Docuerat diſcipulos vt percutienti vnam maxillam, præberent alteram: & niſi ipſe dignatus fuiſſet interpretari ſua documenta (quòd ſcilicet intelliguntur pro loco & tempore, & non in omni tempore, loco, euentu, negotio, &c.) quis crederet interpreti alteri? Si ipſe Dominus præbuiſſet alteram maxillam, quis ſe vnquam verum Chriſti diſcipulum credere potuiſſet, niſi ſemper & vbique ſimile quid feciſſet? & ſimiliter niſi tollenti tunicam, dediſſet & pallium? & ſic de ſimilibus. Modò autem vbi Dominus facto ſuo non præbuit alteram maxillam, interpretatus eſt documenta ſua huiuſmodi non ſemper & vbique debere exequi, ſed pro loco & tempore, &c. Oportuit ergo Dominum reſpondere, & non præbere alteram maxillam, propter noſtram doctrinam. Reſpondendo quoque autoritatem iuſtorum ſupra ſuos perſecutores in ſe monſtrandam ſuſcepit, arguendo percuſſorem quòd nec in modo loquendi exceſſerit, dicens, *Si malè locutus ſum.* non dixit, ſi malum locutus ſum, ſed *ſi malè*: quia etiam ille reprehenderat ipſum de modo loquendi, dicens, *Sic reſpondes?* Vndique ergo docemur in hac Dominica reſponſione: dum & documenta interpretata, & autoritatem iuſtorum inſinuatam ab ipſo noſtro

capite

capite habemus. Et ſi quæratur cur non reſponderit Dominus aliquid ad interrogationem de diſcipulis, dici poteſt, vel quòd reſponſio de doctrina, erat quoque reſponſio de diſcipulis: quoniam ex qualitate doctrinæ pendet qualitas diſcipulorum. Vel quòd percuſſio maxillæ interruperit reſponſionem Domini interrogantis, *Quia me interrogas?*

Reſp. 2. Ad admirationem de verbis Domini coram Caipha, ***Amodo videbitis filium hominis***, &c. dicitur quòd ſummè neceſſaria tunc fuerunt, & propter totum mundum, & propter ipſos Pontifices ac ſeniores, vt inexcuſabiles ſe noſſe poſſent.

Ad cuius clariorem intelligentiam ſciendum ſummariè eſt fuiſſe à Prophetis de Meſſia prædicta ſex.

Primum, de vita ſancta: propter quod miſerunt ad Ioannem Baptiſtam, quærendo ſi ipſe erat Chriſtus.

Secundum, de doctrina diuina: propter quod etiam Samaritana dicebat quòd Meſſias docturus eſſet omnia.

Tertium, de miraculorum multitudine & excellentia: propter quod Iudæi dicebant, Chriſtus quum venerit, nunquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit?

Quartum, quòd ipſe eſſet redempturus & ſaluaturus populum Iſrael: propter quod vſque hodie Iudæi expectant Meſſiam, vt educat eos de captiuitate, & magnificet eos.

Quintum, quòd ipſe eſſet Rex potentiſſimus, imò Rex regum, & Dominus dominantium. Vnde Magi quæſierunt, ***Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?*** & Nathanael & turba in die palmarum Chriſtum Regem appellarunt.

Sextum, quòd ipſe pauper humiliſque conuerſaturus eſſet cum hominibus, & morte turpiſſima cum ſceleratis puniendus. Vnde Dominus diſcipulis Ioannis reſpondens de ſeipſo, poſt enumerata potentiæ ſuæ miracula, æſtimationem pauperum, & mortis ſuæ ignominiam ſubiunxit, dicens: ***Pauperes euangelizantur: & beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me***, ſcilicet ob mortem meam.

Quia igitur hæc de Chriſto prædicta fuerant, & in ipſo Domino conſpiciebantur impleta tria prima, & ſextum pro parte executum: pro reliqua parte, ſcilicet paſſione & morte tunc inceperat & finiebat: reſtabat vt de aliis duobus (ſcilicet quarto & quinto) Dominus manifeſtaret Pontificibus quòd in ipſo erant implenda. Et quia erant implenda poſt reſurrectionem ſuam, & non tunc: ideo Dominus & hæc implenda, & ordinem ſimul monſtrare dignatus eſt, dicens quòd ipſe venturus eſt iterum cum gloria & poteſtate à dextris Dei, &c. vbi ſe Saluatorem & Regem omnium aperuit. Et dicens, ***Ex hoc autem erit filius hominis***, &c. monſtrauit quòd intercedente paſſione & morte exaltandus eſſet ad dexteram Dei, & venturus cum gloria. Fuit igitur valde neceſſarium vt Dominus myſterium duorum aduentuum ſuorum apertè diſtingueret, & ad primum ſpectare vitæ ſanctæ, pauperis, humilis, &c. conuerſationem cum hominibus, cum diuinæ doctrinæ & miraculorum excellentia, & paſſione ac morte ignominioſa: ad ſecundum verò reſurrectionem, ſaluationem manifeſtam, non ſolùm animarum, ſed corporum, regiam dignitatem, dominium vniuerſale, &c. inſinuaret. Tum propter omnes qui audituri erant ſaltem per Euangelium, quia myſterium duorum aduentuum occultum valde erat, intantum vt etiam Dæmones videatur latuiſſe. nam ſi cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Tum propter ipſos ſenes, quia tunc Dominus conſpiciebatur ita abiectus, ſubditus, derelictus, vt nec cogitabile videretur quòd ipſe eſſet futurus Rex potentiſſimus ſaluaturus populum. Et ideo præmonuit tunc eos quòd per hanc abiectionem ac ſubiectionem tranſiturus erat ad dexteram Dei, & iudicaturus orbem cum poteſtate, &c. vt ſic quantum in ſe erat inſtrueret Pontifices & ſeniores, vt, ſi vellent, poſſent reſipiſcere, nullámque excuſationem ignorantiæ prætenderent, quare non aperuit nobis myſterium duorum aduentuum Meſſiæ, quum interrogauerimus & adiurauerimus eum? Erátque tunc opportunum tempus manifeſtandi myſterium hoc, quando interrogatio & adiuratio facta à Pontificibus & optimatibus, reſponſionem non habuiſſet completam & claram, niſi duorum aduentuum myſterium fuiſſet apertum: & quando opus quod tunc exercebatur, vt verbo manifeſtaretur expoſcebat. Tunc enim quia cauſa Ieſu quaſi impij iudicabatur, meruit vt cauſam & iudicium vniuerſi orbis acciperet.

Ad admirationem coram Pilato quadruplicem iuxta quatuor Domini verba, dicitur ordinatè. Et ad primam de illis verbis, ***A temetipſo hoc dicis?*** reſpondetur quod ratio verborum fuit vt Pilatus Gentilis capax fieret reſponſionis dandæ ad quæſitionem propoſitam, ***Tu es Rex Iudæorum?*** Oblataque Ieſu nihilominus rationabilis eſt occaſio interponendi hæc verba antequam reſponderet ad quæſitum. Occaſio ſiquidem fuit, quia Ieſu Domino introducto in prætorium, Pontifices manſerint extrà, ne contaminarentur ingrediendo domum viri Gentilis durante ſolemnitate paſchali: & Pilatus cerimoniis eorum condeſcendens, exiuit ad eos, auditurus quam accuſationem afferrent aduerſùs Ieſum. Pontifices autem accuſauerunt eum quòd ſe Chriſtum Regem feciſſet. Pilatus autem ingreſſus in prætorium ſine Iudæis, interrogauit Ieſum, ***Tu es Rex Iudæorum?*** Quia igitur Dominus Ieſus abſens fuerat quum fuerat accuſatus à Iudæis, occaſionem rationabilem habuit quærendi à Pilato, an ex ſe, an ex Iudæorum ore interrogationem hanc faceret. Ratio verò verborum talium fuit, ne Pilatus falleretur à ſeniorum Iudæorum callida accuſatione vſurpati tituli regij. Si enim Pilatus ex ſeipſo de regio titulo inquireret, quum Pilatus eſſet Gentilis, & nullum reputaret hominis regnum niſi de hoc mundo, interrogando, ***Tu es Rex Iudæorum?*** planè interrogaret de regno mundano & Rege, quales ſunt alij Reges, & non oportuiſſet Dominum reſpondendo loqui de regno quod non eſt de hoc mundo, ſed aliter reſpondere. Sed vbi Pilatus interrogat ex accuſatione Iudæorum, qui ipſum ideo Regem dicebant ſe feciſſe, quia dicebat ſe Chriſtum, & regnum Meſſiæ non erat de hoc mundo, ideo prudentiſſimè Dominus antequam reſpondeat, interpoſuit an loqueretur ex ſe, an ex ore Iudæorum: vt confitens Pilatus ſe Reſp. 3.

loqui

loqui ex ore Iudæorum, intelligeret propriam vocem, audiendo à Domino æquiuocationem regni inter regnum Meſſiæ, de quo loquebatur Pilatus ex ore Iudæorum, neſciens propriam vocem, & regnum mundanum, de quo putabat Pilatus accuſationem fieri, & ſic capax fieret reſponſionis futuræ, tanquam audiſſet: Tu putas facere officium tuum inquirendo de vſurpato titulo regio ſecundùm regna huius mundi: ſcito quòd regnum Meſſiæ, de quo accuſant me Iudæi, non eſt tale.

Ad ſecundum autem de verbis illis, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, dicitur quòd aliud eſt iuſtificationi cauſæ ſuæ ſtudere vt euadatur ſententia, & aliud eſt iuſtificare cauſam ſuam quantum ſufficit ad tollendam apparentem occaſionem ſcandali. Dominus Ieſus coram Pilato non ſtudebat iuſtificationi cauſæ ſuæ vt non damnaretur, qui ad hoc venerat vt morte turpiſſima afficeretur: ſed quoniam ex hoc ipſo quòd ſeipſum affirmauerat Chriſtum, ac per hoc Regem, nunnulla occaſio poterat apparere Pilato Gentili cogitandi quòd Dominus Ieſus aſpiraret ad regnum Iudæorum, & ideo prædicaret populo: ideo Dominus Ieſus hanc quæ apparere poterat ſcandali occaſionem tollere curauit, diſtinguendo regnum Meſſiæ, ſeu ſuum à regno aliorum Regum penes cauſam & effectum. Penes cauſam quidem, quia regnum eius non de hoc mundo. non dixit, non eſt in hoc mundo, ſed *non eſt de hoc mundo.* Regnum enim aliorum eſt de hoc mundo. Nam eſt aut à natura. Et hoc vel vt regnum patrisfamilias, qui naturaliter eſt rex in domo ſua, vt in principio mundi erat: vel vt regnum eorum, qui naſcuntur Reges hæreditario iure, vt filij & hæredes Regum. Aut ab intellectu adiuto arte, vel induſtria: vt ſunt ij qui vigentes ingenio, induſtria multa ſe ad regnum prouehunt. Aut à potentia: vt tyranni. Aut à voluntate: vt ſunt ij, qui per dilectionem ad regnum perueniunt. Regnum omnium horum eſt de hoc mundo, quia ab iis, quæ huius mundi ſunt, cauſatur. Sed regnum Chriſti non eſt ex hoc mundo, vtpote nulla huiuſmodi cauſarum veniens. Sed vt Apoſtolus promulgauit, *factus eſt obediens vſque ad mortem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et propterea Dominus dixit Pilato, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et manifeſtauit hoc ex affectu, quia ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis. Si quærerem regnare, feciſſem vt miniſtri, ſequaces mei, decertaſſent, & adhuc decertarent, vt non traderet voluntati Iudæorum, quod tam longè fuit, vt nullus vnquam nec Ioſeph ab Arimathia, nec Nicodemus, nec Lazarus, nec quiſpiam vnico etiam verbo certauerit pro Ieſu, pendente eius cauſa coram Pilato. Itaque ex hoc affectu percipere facilè potes Pilate quòd regnum meum non eſt de hoc mundo. quòd non quæro populum auertere vt Regem me habeant. Et ex hac Domini ſententia in tantum apparentia ſcandali in mente Pilati ſublata eſt, vt exierit ad Iudæos, dicens, ſe nullam cauſam mortis inueniſſe in eo.

Ad tertiam admirationem de ſubiunctis verbis, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*, &c. reſpondetur quòd hæc verba ordinantur ad propoſitam materiam de regno Chriſti, & ad idem tendunt quò priora verba. Et ſunt conuenientiſſimè inducta & ex parte materiæ, de qua erat ſermo, & ex parte perſonæ, ad quam ſermo dirigebatur. Ex parte ſiquidem materiæ: nam ſermo erat de regno non ex hoc mundo, & quòd Ieſus erat Rex non ex hoc mundo. Hæc autem figmenta reputantur à ſapientibus huius mundi, & tanquam conficta ab iis, qui religionis curam gerunt propter populos, &c. & ideo Dominus veritatem proponit ſe adeò tueri, vt venerit in mundum, non vt adinuentiones humanas prædicet, ſed vt veritati teſtimonium perhibeat. Ex parte verò Pilati, quia oportet eruditorem ex communibus ſibi & auditori, & quantum poteſt ex gratis auditori procedere, vt ſic capax fiat doctrinæ. Chriſto autem & Pilato non erat communis ratio Scripturarum, nec religionis cultus: ſed ſolummodo naturalis mens, ac per hoc veritatis amor. nihil enim communius ac amabilius eſt hominibus ſecundum mentem, quam ſit veritas. Meritò ergo à veritatis ſtudio proceſſit, ſuaſurus viro Gentili quòd non erat figmentum id, quod de regno ſuo, non de hoc mundo dixerat. Duplicauit autem ſignificationem ingreſſus ſui in mundum, per natiuitatem, & aduentum, dicens, *Ego natus ſum, & veni in mundum*, propter duas in ſe naturas, vt homo enim natus eſt: vt Deus verò venit in mundum, Deus homo factus. Et quoniam teſtimonium Chriſti de veritate, non erat ab hominibus ſuſcipiendum fide debita, ſubiungit diſcernendo ſuſcepturos à non ſuſcepturis, ex diuerſa habitudine ad veritatem, dicens, *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* hoc eſt, quicunque amator, inquiſitor, ſuſceptor, tutórque eſt veritatis, non in hac, vel illa materia, puta geometria, phyſica, &c. ſed veritatis ſimpliciter, ita quòd nulli vero repugnet, *audit vocem meam.* omnis ſiquidem talis eſt ex veritate, hoc eſt, ex parte ſe tenet veritatis, & ex veritate venit tanquam exemplatum ab exemplari. Oportuit autem Dominum apponere hæc verba de auditoribus ſuis, vt hinc poſſet intelligere Pilatus duo, ſcilicet & qualitatem eorum, qui audiebant ipſius Domini doctrinam, & ſequaces illius erant, quòd ſcilicet erant homines non vana ſectantes, ſed veritatem amantes ac ſectantes, & qualitatem regni ſui, ſcilicet quòd eſt regnum veritatis: ita vt dignatus ſit Dominus dicere de regno ſuo non ſolùm negatiuam, ſcilicet, *non eſt ex hoc mundo*; ſed inſinuare affirmatiuam, ſcilicet quòd eſt regnum veritatis: & ſimul articulum alium à Iudæis obiectum, ſcilicet quòd ſubuertebat, ac ſeducebat populum, tacitè elidere eadem ratione, qua articulum de vſurpato regio titulo, excluſit: & ad innocentiam diſcipulorum tuendam. Ex hoc enim quòd ipſe ſoli veritati operam dabat, & ex veritate erant qui eum audiebant, manifeſtè ſequitur quòd nulla erat ſeductio, nulla ſubuerſio, nullus ad malum, nullus ad vana prouocabatur: ſed tota Chriſti prædicatio, totum Chriſti regnum, ex veritate, & in veritate, & ad veritatem erat. Poterat ex hac Domini ſententia Pilatus occaſio

Duplex ſignificatio ingreſſus Ieſu in mundum.

occaſionem diſcendi à tantæ famæ magiſtro accipere : ſed quum interrogaſſet, *Quid eſt veritas?* non expectata reſponſione exiit ad Iudæos, vtpote qui non curabat diſcere à Chriſto.

Ad admirationem demum quartam coram eodem Pilato de reſponſione illa, *Non haberes aduerſus me poteſtatem vllam niſi tibi deſuper datum eſſet*; dicitur quòd hæc verba Domini non ſunt verba generalia, ſed ſingulariſſima, ac valde nouam, occultam, ſingularémque Chriſti innocentiam ſignificantia. Inter Chriſtum enim & reliquos homines hæc erat differentia, quòd reliqui homines habebant ſuperiorem iudicem ex duobus capitibus, ſcilicet, & ex parte ſuperiore : quia ſic a Deo ordinatum eſt, iuxta illud
Rom.13.1. Apoſtoli, *Omnis poteſtas a Deo eſt*, quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. & ex parte inferiore, hoc eſt, ex proprio peccato, ſaltem originali, ex quo incidit homo vt ab homine punibilis eſſet. Chriſtus autem, quia nullius omnino peccati particeps erat, nihil ex parte ſua habebat vnde poteſtas quæcunque humana haberet aliquid contra eum : & propterea Pilatus ex ſola parte ſuperiore poteſtatem habebat aduersùs eum. Singulariſſimam ergo ſuam innocentiam Dominus ſignificauit per hanc reſponſionem, dicens quòd nullam aduerſus ipſum haberet Pilatus poteſtatem, niſi ei Pilato datum eſſet deſuper. Dixit *deſuper*, & non dixit, ex Romano Imperio, aut Cæſarea autoritate : vt comprehenderetur prima cauſa, diuina ſcilicet diſpoſitio, cum ſecundaria, quæ erat poteſtas Romani Imperij. Ac ſi apertè diceret, Quòd habeas contra me poteſtatem, non eſt ex demerito meo, ſed quia es Præſes Et hinc optimè cum nota cauſalitatis inferuntur ſequentia verba, *Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* propterea, quia ſcilicet innocens ego ſum, qui me innocentem tradidit tibi tanquam malefactorem, maius peccatum habet. Tu quidem peccas ſciens quòd per inuidiam tradiderunt me tibi Sacerdotes, & non reſipiſcens: ſed illi qui cauſa principaliter ſunt, maius peccatum habent. Et quòd iuxta hunc ſenſum intellexerit Pilatus Domini verba, teſtatur Euangeliſta, dicens quòd exinde Pilatus volebat dimittere Ieſum. ex audita quippe Ieſu innocentia cum proprio peccato, mouebatur Pilati animus ad dimittendum Ieſum.

Reſp.4. Ad admirationem coram Herode, quare Dominus non reſponderit, dicitur quòd Euangeliſta nullam explicans ſpecialem interrogationem ab Herode factam, ſed per verba generalia narrans Herodem interrogaſſe Dominum in multis ſermonibus, ſimúlque narrans quòd ſperabat videre miraculum aliquod à Domino Ieſu fieri, inſinuauit interrogationes Herodis non fuiſſe iudiciales, ſed curioſas, eadem etenim curioſitate qua mouebatur ad miraculum aliquod videndum, inducebatur ad proponendum Domino quæſtiones curioſas : & propterea Dominus ſicut noluit vti potentia ſua ad facienda miracula, ita noluit vti ſcientia ſua ad ſatisfaciendum curioſitati Herodis. inſtruens per hoc nos, vt & poteſtate & ſcientia vtamur ad ædificationem, & non ad curioſitates, aut quaſcumque alias vanitates. Non ſuberat ergo cauſa reſpondendi Herodi curioſo, ſicut affuit cauſa reſpondendi Pilato iudicialiter inquirenti, qui neſcius de vero regno Meſſiæ, poterat ſcandalizari, vt dictum eſt. Tacuit ergo Dominus coram Herode, vt haberetur & tractaretur ab Herode vt fatuus : quod & ſubſecutum eſt. Herodes quippe vir ſecundùm mundum prudens, conferens audita de Ieſu ex fama, & obiecta à Pontificibus, præcipuè quòd faciebat ſe Meſſiam, cum tanto Ieſu ſilentio coram ſe interrogante in multis ſermonibus, quibus vſus potuiſſet ipſius Herodis beneuolentiam acquirere, & tueri ſe contra perſecutores ſuos, cauſam habuit cogitandi quòd Ieſus eſſet vanus (vtpote non loquens coram magnis viris, ſed coram vulgaribus) & eo amplius quòd viderat Ioannem Baptiſtam prudenter ſecum loquentem, Ieſum autem nec ad interrogata ſua reſpondentem cernebat : cenſuitque quòd eſſet vt fatuus tractandus, & ſic illuſit veſte alba. Sed Saluator altiſſimo conſilio ſe illudi voluit, vt mundus hinc videret quòd non ſapientibus huius mundi viis, non aſtutiis, non induſtriis humanis traxit ad ſuam fidem mundum: ſed viæ eius ad conuertendum ad ſuum regnum mundum, fuerunt tales vt ſit habitus fatuus à Principibus & ſapientibus huius mundi. Propter quod ab omnibus iudicibus voluit reputari, imò tractari vt fatuus, non verbo, ſed multiplici facto illuſionis. nam à Pontificibus & Herode & Pilato iudicatus & punitus eſt vt fatuus. Sciebat enim quòd ſapientiæ, ſeu aſtutiæ maximè attribuitur facere ſe caput nouæ legis populorum : & ideo hanc de ſe opinionem auferre ſtuduit tot propriis deriſionibus, vt vel ſic crederemus diuinum opus eſſe fidem Chriſti. Hoc de tertia quæſtione.

QVÆSTIO IV.

Cur Pilatus hanc Domini cauſam ſuper crucem ſcripſerit : Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.

CIrca quartam quæſtionem de ſcripta Domini Ieſu cauſa, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, nonnulla dubitatio oritur. Tum quia in *Dubium.* multis, quattuor ſcilicet cauſis, fuerat Dominus accuſatus, ſcilicet de tributis non dandis Cæſari, de ſeductione populi, de blaſphemia, ſcilicet quòd filium Dei ſe fecit, & de læſa maieſtate, quòd ſe Regem facere curabat. Tum, quia de nulla cauſa legitur Dominum ſe iuſtificaſſe niſi de iſta, ſcilicet de regno (vt patet in Euangelio) ac per hoc minus videtur quòd iſta debuiſſet ſcribi ſuper crucem, vtpote purgata. Et confirmatur : quia Pilatus qui ſcripſit cauſam, poſtquam diſcuſſit hanc cauſam, pronuntiauit Ieſum non eſſe reum mortis, ac per hoc non eſſe reum læſæ maieſtatis. Mirum eſt igitur quod ſcripſit hanc cauſam.

Ad hæc dicitur quòd ex quattuor capitibus oportuit cauſam hanc ſcribi. *Soluitur.* Tum ex parte Pontificum, tum ex parte cauſarum, tum ex parte Pilati, tum ex diuina diſpoſitione. Ex parte quidem Pontificum alia fuit cauſa impellens eos ad mortem Domini Ieſu, & alia fuit cauſa quam propoſuerunt Pilato, vt Dominum Ieſum damnaret. *Cauſa Domini Ieſu ſcripta ex parte Pontificum.* Nam cauſa mouens Pontificum animos ad Domini Ieſu mortem, fuit amor propriæ dignitatis & autoritatis, ne Romani tollerent locum eorum. Quum enim

enim temporibus illis multi quaſi Prophetæ inſurgerent, & populos ad ſe conuerterent (vt *Act.* 5. Gamaliel refert primò de Theodate, & deinde de Iuda Galilæo: & de Ioanne Baptiſta Ioſephus dicit Herodem ipſum cepiſſe, quia timebat concurſum populi. quod non ſolùm potuit ſimul eſſe verum cum cauſa inceſtus relata ab Euangelio, ſed conſonat Euangelio: tum quia Dominus audito caſu Ioannis ſeceſſit, quaſi cauſa communis ei & Ioanni fuerit, ſcilicet concurſus populorum ad eorum prædicationem: tum quia Dominus Herodem vulpem appellauit, quaſi aſtutè perſequentem Ioannem prædicatorem ſub ſpecie complacendi Herodiadi.) Quia, inquam, tot concurſus populorum erant, timebant Pontifices ne tantus populorum concurſus ad Dominum Ieſum pareret aliquam nouitatem, ob quam ſimul cum tot aliis præcedentibus conſideratam Romani tollerent Pontificatum à Iudæis, & transferrent gentem Iudæorum in alia loca. Ob hanc cauſam dixit Caiphas quòd expediret potiùs hominem mori, ne tota gens ſic periret. Hac igitur cauſa in animo retenta, Pontifices excogitauerunt cauſam aliquam qua poſſent inducere Pilatum ad interficiendum Dominum Ieſum, & adinuenerunt dictas quatuor cauſas, ſcilicet de prohibito cenſu Cæſaris, de auerſione populi, de blaſphemia, de vſurpata maieſtate. Et quoniam in prima non habebant fundamenta, & ſecunda niſi coloraretur vt via ad quartam, non ſufficeret ad pœnam mortis; de tertia autem Pilatus non ſe intromitteret (vtpote de pertinentibus ad quæſtiones legis Iudæorum) deliberarunt aſtuto conſilio crimen læſæ maieſtatis imponere Domino Ieſu: vt ex eo Pilatus, vtpote contra Cæſarem, moueretur ad condemnandum Dominum Ieſum. Putauerunt enim ſe poſſe in hoc præualere, fundantes huius criminis cauſam ſuper confeſſione ipſius Domini, qua confeſſus eſt ſe eſſe Chriſtum, ac per hoc Regem; & ſuper commotione populi ad ſe vt Chriſtum, ac per hoc vt Regem: ita quòd Pontifices licèt accuſauerint Dominum Ieſum quattuor criminum: principaliter tamen tendebant ad crimen læſæ maieſtatis, quia ſe Regem quærebat facere, ſperantes ex hoc obtinere à Pilato damnationem Domini Ieſu ad mortem.

Ex parte cauſarum ſcripta

Ex parte quoque cauſarum ipſarum quæ allatæ ſunt, oportuit cauſam regni præualere: quia maiorem habebat apparentiam, ex eo quòd Dominus Ieſus fatebatur ſe Chriſtum: & ante quinque dies clamantes ei turbas quòd eſſet Rex, admiſerat, veniens Hieruſalem ſuper aſellum. Hæc enim cauſa multipliciter probata videtur. Primò, ex ipſius Domini Ieſu verbis, quibus dixit ſe Chriſtum. Secundò, ex commotione populi à Galilæa vſque huc. Et in hac probatione clauditur non ſolùm ſeductio populi, ſed commotio quæ fuerat ante quinque dies illic, hoc eſt, in Hieruſalē, quum turba cum palmis, cum veſtimentis ſtratis in via, cum clamore dignitatis ac nominis regij concurrit ad honorandum Dominum Ieſum. Tertiò, ex ipſius Domini verbis coram Pilato, *Regnum meum*, &c. Vnde & Pilatus dixit, *Ergo Rex es* quod Dominus Ieſus non negauit. Fuit quoque aggrauata, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.*

Scripta ex parte Pilati

Ex parte deinde Pilati cauſam regni oportuit præualere. Pilatus enim quum eſſet Gentilis, & de eo quòd filium Dei ſe fecit, nihil, aut parum curaret (præſertim ſciens quòd per inuidiam mouebantur Pontifices) & de cenſu prohibito nulla probatio haberetur: commotionem populi cum tali ingreſſu in Hieruſalem conſiderauit, ſimul cum confeſſione ipſius Domini de regno ſuo non ex hoc mundo. Et viſum eſt tam ei, quàm Herodi quòd Dominus Ieſus eſſet non vt criminoſus, ſed vt fatuus puniendus. Conſideratis enim dictis de regno alterius mundi, & geſtis (ſcilicet quòd ſuper aſellum, non equum: cum palmis, nōn armis vilis turba, non magnates: repentè, non ex condicto, practica, inductione, aut vocatione: tranſitoriè, & quaſi in momento, non retinendo ſecum turbam, nec procedendo poſtea cum turba, ſed veniebat quotidie pòſt more ſolito in templum ad docendum) iudicauerunt vias has aſpirandi ad regnum, non eſſe ſani capitis. Et benè iudicabant de mundano regno loquendo. fatuum quippe eſſet per has vias quærere regnum terrenum. Vnde vterque (ſcilicet Herodes, & Pilatus) tractauit Dominum Ieſum vt fatuum. Inſtantibus nihilominus Iudæis quòd non eſſet fatuus, ſed malignus, vtpote qui filium Dei ſe fecit, & quod aſtute inuertit cauſam regni in regnum alterius mundi, quum non poſſet negare quòd ſe Regem fecerit, commouendo populum ad ſe Regem clamandum: Pilatus corripiendum flagellis Dominum Ieſum cenſuit, vt vtriuſque, fatuitatis ſcilicet, & malitiæ ratione habita, punitus Dominus dimitteretur. Sed inualeſcentibus Iudæis vſque ad tumultum, elegit conſideratis omnibus damnare Dominum Ieſum læſæ maieſtatis, eo quòd cauſa hæc ad ſe directè ſpectans apud ſuum tribunal probata ac euidens ita erat, vt niſi fatuitate excuſaretur, iuſtè damnationem expoſceret. De regno quippe, non de hoc mundo, ipſe ſtultitiam putabat. Et quia Iudæi qui Dominum Ieſum magis nouerant, non admittebant excuſationem ſtultitiæ, quam ipſe Pilatus admittendam putabat: ideo tanquam relinquens Iudæis criminis curam, ſe innocentem proteſtatus eſt in prolatione ſententiæ qua Dominum damnauit ad mortem crucis. Hæc videntur ad literam coëgiſſe Pilatum ad hanc cauſam ſcribendam.

Cauſa ſcripta ex diuina prouidentia.

Sed hæc omnia ex quarto loco propoſita cauſa (diuina ſcilicet prouidentia) diſpoſita ſunt, vt Dominus Ieſus damnatus & crucifixus verum ſuum titulum ſupra ſuam crucem ſcriptum haberet. erat enim & eſt in veritate, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Vſa quippe eſt diuina prouidentia iniquitate perſequentium & damnantium Dominum Ieſum, ad perpetuam veritatem regij tituli de Chriſto prophetati teſtificandam coram toto mundo. vnde & Pilato prohibuit ne mutaret illum, ſed dixit: *Quod ſcripſi ſcripſi.* & tribus præcipuis linguis omnium linguarum vices gerentibus; ex ipſius etiam trinarij omnia complectentis perfectione, ſcribi diſpoſuit. Hæc de quarta quæſtione. Deo gratias. Poſonij in die ſancti Damaſi. M. D. X X I I I.

IENTACVLVM II.

De diuerſis documentis de filijs Dei.

OCcvrrvnt ſecundò circa diuerſa ſacræ Scripturæ documenta de filiis Dei quæſtiones item quattuor.

Prima eſt de verbis Pauli Apoſtoli *ad Romanos* 1. de vnigenito Filio Dei, quibus dicit: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Secunda eſt de verbis Ioannis Euangeliſtæ *Ioannis* 1. de filiis Dei adoptiuis: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

Tertia eſt de verbis Apoſtoli Pauli 1. *ad Corinth.* 15. de Baptiſmo, quo generantur filij Dei, quum dicitur: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt: Vt quid & baptizantur pro illis?*

Quarta eſt de verbis eiuſdem Apoſtoli *ad Gal.* 3. de hæreditate filiorum Dei per fidem repromiſſa, non per legem, quum dicitur, *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris. mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt.*

Qvæstio I.

De verbis Apoſtoli ad Rom. 1. de vnigenito Filio Dei, quibus dicit: Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Difficultas. CIrca primæ quæſtionis verba difficultas eſt, tum propter proprietatem ſenſus. non enim proprie dictum videtur de filio Dei quòd prædeſtinatus eſt filius Dei, quantumcunque ratione humanæ naturæ verum ſit prædeſtinatum eſſe vt humana natura ſit vnita filio Dei in perſona, & homo ille, ſcilicet Ieſus filius beatæ Virginis, ſit prædeſtinatus filius Dei: quia ſignificatur ſuppoſitum illud quatenus eſt humanum ſuppoſitum. In propoſitis autem verbis illud relatiuum *qui*, refert filium Dei: ſicut primo loco ante poſitum idem relatiuum refert etiam filium Dei, quum dicitur, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* ſtatim enim ſubditur, *Qui prædeſtinatus eſt.* Tum propter varietatem textus apud Latinos & Græcos, & Græcos inter ſe, dum Latini codices communiter habent, *Qui prædeſtinatus.* Græci autem aliqui ſimiliter habent. Aliqui habent, *Qui deſtinatus.* Tum propter pluralitatem expoſitionum, dum vel prædeſtinatus eſt, exponitur prædeſtinatum eſt, vel declaratus eſt. vel quòd relatiuum *qui*, refert filium Dauid, ſeu hominis. Hæc enim ambiguitati atteſtari videntur.

Reſp. ad quæſtionem. Ad hanc quæſtionem abſque quo-cum præiudicio cuiuſuis expoſitionis reſpondendo (quod ſubintelligi volo tam in præcedentibus, quàm in ſequentibus totius huius operis) dicitur quòd ſenſus proprius literæ ex intentione Apoſtoli & contextu ſumendus eſt. Intentio Apoſtoli clarè apparet. Intendit enim materiam Euangelij ſummarie explicare. Quum enim propoſuiſſet ſe Apoſtolum & ſegregatum in Euangelium Dei de filio ſuo, explanandam duxit propoſitam Euangelij materiam, ſcilicet de filio ſuo, quæ ſcilicet Euangelium aperiret de filio Dei. Et ſubiunxit tria comprehendentia totam Euangelicam materiam. Primum eſt, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Secundum eſt, *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Tertium eſt, *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Oportebat enim vt qui ſe Euangelij nuntium dicebat, explicaret quid Euangelium contineret: vt ſic ad Euangelicam epiſtolam præpararet legentium animos. Contextus verò ſuadet ſpecialiter duo. Alterum eſt, vt relatiuum ter repetitum (ſcilicet, *qui factus*, *qui prædeſtinatus*, *per quem accepimus*) referat ſemper illud primò propoſitum, ſcilicet filio ſuo, id eſt, filio Dei. Alterum eſt, vt ſimiliter diſtinguatur & intelligatur ly *ſecundùm carnem*, & ly *ſecundum ſpiritum*, ita quòd ſicut primò explicatur filius Dei ſecundùm carnem: ita deinde explicetur filius Dei ſecundùm Spiritum: vt ſit plana conſtructio, & planus ſenſus, nec minus altus. Et vt pleniùs intelligantur hæc, inchoemus à primo. declarat itaque myſterium Incarnationis quantum ad quinque. Primò, quantum ad perſonam incarnatam, quod eſt ipſe Dei filius, per relatiuum *qui*: ita quòd nec Pater, nec Spiritus ſanctus, ſed filius Dei refertur per ly *qui*: vt patet in textu.

Euãgelij vniuerſa materia tribus comprehenſa.

Relatiuum primum.

Incarnationis myſterij quintupliciter declaratum.

Primò.

Secundò.

Secundò, quantum ad modum Incarnationis, quòd non ex virili ſemine, ſeu naturali more genitus eſt ſecundùm carnem: ſed ex virtute Spiritus ſancti formatus ſecundùm carnem. & hoc ſignificat illud participium, *factus.* Ac ſi diceret: Qui non naturali virtute ſecundùm carnem genitus in materno vtero, ſed ab extrinſeca Spiritus ſancti virtute factus eſt. Simile habes ad Gal. 4. *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.*

Tertiò. Tertiò, quantum ad coniunctionem humanitatis cum deitate, quòd ſcilicet iuncta eſt Deo vt organum coniunctum. Duplex ſiquidem inuenitur organi genus. Quoddam coniunctum perſonaliter illi cuius eſt inſtrumentum: vt manus eſt organum quo operatur homo. Quoddam verò ſeparatum ſecundum eſſe ab illo cuius eſt inſtrumentum: vt ſerra qua homo ſecat. ſerra enim nihil eſt hominis ſecantis, ſed aliud eſſe habet: alia hypoſtaſis eſt. Inter humanitatem itaque Chriſti & cæteras creaturas ſecundùm coniunctionem ad Deum hæc eſt differentia, quòd reliquæ creaturæ ſe habent ad Deum vt inſtrumenta ſeparata, ita quòd Deus vtitur illis inſtrumentis ſeparatis. Et propter hoc omnia tam naturalia, quam voluntaria creaturarum opera Deo attribuuntur in ſacra Scriptura. *Omnia*, inquit Iſaias, *opera noſtra operatus es Domine.* & Iob, *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me*, &c. Humanitas autem Chriſti iuncta eſt Deo vt organum coniunctum ſecundùm eſſe perſonale, ita quòd Deus per humanitatem aſſumptam operatur ſicut ego per

Duplex genus organi.

Humanitas diuina, & cætera creatura differunt.

per linguam meam, per manum meam, &c. Et hoc ſignificatur in textu per Pronomen *ei*, dum dicitur: *Quia factus eſt ei*, proculdubio Deo. Filius quippe Dei ſecundùm carnem factus eſt Deo organum coniunctum: quia Deitas per humanitatem Chriſti operatur ſicut per ſibi coniunctum proprium organum, iuxta illud, *Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.* Ad quod vt verè nouum & mirabile inuitauerat decantandum, præmittens: *Cantate Domino canticum nouum; quia mirabilia fecit.* ſtatim enim ſubdit, *ſaluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.* Ac ſi dixiſſet: Quum Deus ſalutem multipliciter potuiſſet operari, hunc tamen modum elegit vt per propriam dexteram & proprium brachium (hoc eſt, per organum coniunctum) operaretur ſalutem in myſterio Incarnationis. vnde & ſubdit: *Votum fecit Dominus ſalutare ſuum*, &c.

Quartò. Quartò, quantum ad humanam genealogiam, quòd ſcilicet ex ſemine Dauid, pro quanto beata Virgo ex qua carnem habuit, filia fuit Dauid per tot generationes intermedias. Vbi clauditur veritas Scripturarum, Meſſiam ex ſemine Dauid promittentium, & regia progenies, & quòd peccator Dauid tanta gloria donatus eſt à Deo, vt de ipſius ſemine Chriſtus prodiret, & ipſi fieret talis tantaque promiſſio.

Quintò. Quintò, quantum ad humilitatem, dum explicat quòd ſecundùm carnem, quæ eſt infima pars humanæ naturæ. Minus quippe mirum eſſet, ſi animam tantùm humanam aſſumpſiſſet, quum ſit naturæ intellectualis & immortalis. ſed vbi conſtat carnem quoque aſſumpſiſſe, mirabile valde eſt: & longè magis exinaniuit ſemetipſum, carnem aſſumens. Factus ergo ſecundùm carnem dum dicitur, nihil humanæ naturæ ſpretum monſtratur. Simile quid legis apud Ioannem, dum dicit: *Verbum caro factum eſt*, propter dictam rationem. Eſt igitur literæ ſenſus ac ordo: Qui filius Dei ſecundùm carnem factus ſupernaturaliter eſt ei Deo vt coniunctum organum ex ſemine Dauid, pro quanto mater deſcendit ex progenie Dauid. Et aduerte quòd prædictarum quinque conditionum duæ locantur ex parte ſubiecti, ſcilicet per *ſecundùm carnem*: & tres ex parte prædicati, ſcilicet, *factus eſt ei ex ſemine Dauid.*

Euangelica materia relatiuum ſecundum. Venio nunc ad ſecundum de quo præſens eſt quæſtio. Vbi aduerte, quòd ex parte ſubiecti locantur quoque duo, ſcilicet qui ſecundùm ſpiritum: & ex parte prædicati locantur reliqua, ſcilicet prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri. ita quòd ſicut priùs locutus eſt de filio Dei ſecundùm infimam naturæ humanæ partem, ſcilicet carnem: ſic nunc loquitur de eodem filio Dei ſecundùm ſupremam naturæ humanæ partem, ſcilicet ſpiritum. Et intendit quòd ſecundùm ſpiritum præordinatus eſt ſanctificatiuus propria autoritate ex tempore & cauſa propriæ reſurrectionis qua ſurrexit à mortuis, non qualiſcunque, ſed Saluator Chriſtus ac Dominus noſter. Quamuis enim infiniti fuerint modi apud Deum quibus ſanctificare mundum potuiſſet, elegit tamen & ſtatuit ab æterno vt virtus ſanctificatiua reſideret in ſpiritu qui eſt anima Ieſu Chriſti: pro quanto voluit vt omnis gratiæ plenitudo non ſolùm vt in ſingulari, ſed vt vniuerſali capite etiam cœleſtis Eccleſiæ in illa anima habitaret: ita tamen quòd ſanctificator per eam non ſanctificaret quaſi mendicato ſuffragio, ſed propria autoritate vt filius Dei ex vna parte, & ex alia parte concauſa & tempus ſanctificationis eſſet reſurrectio ipſius. De huiuſmodi enim cauſalitate ſcriptum eſt ad Romanos 4. *Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* De tempore verò Ioan. 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Et ſecundùm hoc, vt dictum eſt, ex parte ſubiecti locantur duæ conditiones (perſona ſcilicet filij Dei, & ſpiritus aſſumptus) dum dicitur, *qui ſecundùm ſpiritum.* Poteſt & altiùs exponi *ſpiritus*, hoc eſt, ſpirituale eſſe & operari, non determinando ad eſſe & operari diuinum, aut aſſumptum, ſed communiter ſignificando per ſpiritum eſſe & operari ſpirituale quod in Chriſto fuit, quodcunque fuerit illud. Et ſic ex parte ſubiecti duæ ſimiliter conditiones locantur, ſcilicet perſona filij Dei, & eſſe ac operari ſpirituale quodcunque in ipſo quomodolibet eſt, ita quòd ſicut primò locutus eſt de filio Dei ſecundùm eſſe carnale, dicendo *qui ſecundùm carnem*, ſic nunc loquitur de eodem filio Dei ſecundùm eſſe ſpirituale, dicens, *qui ſecundùm ſpiritum.* Et licèt ex parte ſubiecti ſit ita diuerſitas expoſitionis, ex parte tamen prædicati non variatur ſenſus: ſed ponitur primò res ad quam prædeſtinatus eſt, ſcilicet filius Dei in virtute ſanctificationis: ita quòd non intelligitur hoc ſimplex, ſcilicet filius Dei, ſed totum compoſitum, ſcilicet filius Dei in virtute ſanctificationis, vt res ad quam prædeſtinatus dicitur filius Dei ſecundùm ſpiritum: ſicut ſi diceretur quòd homo ſecundùm intellectum præordinatus eſt: vt ſit homo ſtudioſus, vt ſit homo beatus, & ſimilia.

Myſteria eiuſmodi verborum tredecim. Primum & ſecundum. Numerantur autem in huiuſmodi verbis myſteria tredecim. Duo ex hoc quòd ly *prædeſtinatus* apponitur ad ly *qui ſecundùm ſpiritum.* Ex ipſa ſiquidem diuerſitate verborum dum qui ſecundùm carnem dicitur factus eſt, &c. & qui ſecundùm ſpiritum prædeſtinatus, &c. dicitur, intelligimus quòd præcipuum & primum in myſterio Incarnationis eſt eſſe ſpirituale. ex hoc enim quòd apponitur prædeſtinatio ad ly *ſecundùm ſpiritum*, denotatur quòd ordinatio diuina principaliter tendebat ad ſpiritum. hoc enim ipſum prædeſtinationis nomen ſecum fert. Et meritò: tum quia ſpiritus longè præſtantior eſt carne, & eſſe ſpirituale longè excellentius eſſe carnali. Tum, quia caro aſſumpta à verbo Dei eſt mediante ſpiritu, pro quanto ratio quòd caro aſſumpta fuerit, fuit ſpiritus: hoc eſt, ideo caro aſſumpta eſt, quia erat materia ſpiritualis animæ, & non è conuerſo. Rurſus ex hoc quòd qui ſecundùm ſpiritum prædeſtinatus dicitur ad totum aggregatum, ſcilicet, vt ſit filius Dei in virtute ſanctificationis, intelligimus ad partem ſpiritus ſpectare principaliter ſanctificare, non quòd caro Chriſti expers eſſet ſanctificatiuæ virtutis (quum tactu carnis ſuæ ſanctificauerit aquas pro Baptiſmo, & tactu manus reddiderit ſanitatem) ſed quoniam caro Chriſti hoc ipſum ſecundariò & ex ſpirituali virtute habebat: ſpiritus autem principaliter & ex proprio genere, ſcilicet eſſe ſpirituali ſortitus eſt.

Myſterium tertium.

Tertium myſterium (ſcilicet quòd propria autoritate ſanctificaret) apertè monſtratur per primam partem aggregati prædicati, ſcilicet filius Dei: ex hoc enim quòd prædeſtinatus eſt filius Dei, in virtute ſanctificandi, clarè patet quòd prædeſtinatus eſt, vt ſanctificet propria autoritate. Filius quippe Dei propria autoritate, quæ eſt ſua deitas, ſanctificat non minus, quàm Pater, quum ſit vnius & eiuſdem naturæ & poteſtatis cum Patre.

Myſterium quartum.

Quartum myſterium eſt plenitudo ſanctitatis. Ex hoc enim quòd non dicitur ſanctus, ſed in virtute ſanctificationis, aperitur talis tantaque ſanctitas quæ non ſolùm ipſum repleat in ſe, ſed virtutem in eo ponat efficiendi ſanctitatem in aliis. fuit enim Chriſtus plenus gratiæ, & veritatis, non ſolùm in ſeipſo, ſed de plenitudine eius omnes accepimus.

Myſterium quintum.

Quintum myſterium eſt vniuerſalitas ſanctificationis. Ex hoc namque quòd non dicit ſanctificationis horum, vel illorum, nec animarum tantùm, aut corporum, nec rationalium tantùm, aut irrationalium, monſtratur quòd in eo eſt virtus ſanctificationis omnium. Et verè ſic eſt: quoniam, vt dicitur *ad Epheſ.* 1. Deus propoſuit in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo. Rurſus in eo quod non dicitur ſanctificationis talis (puta ſecundùm gratiam prophetiæ, aut ſecundum qualemcunque aliam ſpecialem gratiam) ſed ſimpliciter & abſolutè dicitur, *in virtute ſanctificationis*, aperitur quòd in eo eſt virtus ſanctificatiua ſecundùm omnem ſpeciem ſanctitatis: ita quòd huiuſmodi virtus ſanctificatiua eſt vniuerſalis, & ſecundùm omnes ſanctificationis ſpecies, & ſecundùm omnia ſanctificabilia. eſt ſiquidem caput ſuper omnem Eccleſiam tam terreſtrem, quàm cœleſtem, & hominem Angelorum: vt dicitur *ad Epheſ.* 1. & *Coloſſ.* 1.

Myſterium ſextum.

Sextum myſteriũ eſt tempus quo incepit ſanctificatio hæc, dum dicitur, *ex reſurrectione mortuorum.* hoc eſt, ex reſurrectione non qualicunque, ſed à mortuis (genitiuus enim pro ablatiuo à Græcis ponitur) iuxta ſuprà inductum verbum Ioan. *Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* In cuius ſignum, primo die reſurrectionis dedit Spiritum ſanctum diſcipulis, inſufflando in eos, dicens, *Accipite Spiritum ſanctum.* & dedit poteſtatem remittendi peccata. Nec propterea intelligas ante reſurrectionem Chriſti defuiſſe virtutem ſanctificandi, aut ſanctificationem ipſam (quoniam prius ſanctificationis opera multa Dominus effecerat) ſed quia principaliter, manifeſtè & vniuerſaliter præordinata eſt ſanctificatio exercenda à tempore reſurrectionis. Principaliter quidem, quiá ſanctificationes priores erant quaſi diſpoſitiones, ſeu viæ ad ſanctificationem vniuerſalem futuram poſt reſurrectionem. In cuius ſignum, etiam ipſi Apoſtoli quamuis mundi ex ſermone Chriſti, adhuc cæci erant, non intelligentes Scripturas: ſed in die reſurrectionis aperuit illis Dominus ſenſum vt intelligerent Scripturas. Manifeſtè verò, quia tunc manifeſtata eſt virtus Chriſti ex gloria reſurrectionis. Vniuerſaliter autem, quia in omnes gentes extunc ſalus prædicanda, & conferenda ordinata eſt: vt patet in Euangelio.

Myſterium ſeptimum.

Septimum myſterium eſt concauſa ſanctificationis, quòd ſcilicet reſurrectio ipſius ordinata eſt concauſa ſanctificationis: vt ſcilicet filius Dei, & propria autoritate, & miniſterio propriæ reſurrectionis ſanctificaret. nam ſicut mortem noſtram moriendo deſtruxit, ita vitam reſurgendo reparauit. Eſt ſiquidem ipſius reſurrectio cauſa vitæ noſtræ, tum animæ, quia ſurrexit propter iuſtificationem noſtram: tum corporis, quia Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Dum ergo dixit, *ex reſurrectione mortuorum*, duo notauit myſteria, temporis ſcilicet, quo ſanctificatio quaſi maturus fructus haberetur: & concauſæ, qua reſurrectio in dignitatem concauſandi ſanctificationem eleuata eſt.

Myſterium octauum.

Octauum myſterium eſt integritas ſpiritalis eſſe: quandoquidem ex reſurrectione effectum eſt corpus Chriſti ſpirituale, iuxta Apoſtoli ſententiam *ad Corinth.* 15. habuítque extunc Saluator eſſe ſpirituale integrum, hoc eſt, ſecundùm omnes naturæ aſſumptæ partes. Manifeſtatúrque hinc, quòd filius Dei ſecundùm ſpiritum redundantem iam ex reſurrectione in corpus ſecundùm eſſe ſpirituale conſummatum ex reſurrectione, præordinatus ſit ſanctificator. Dicens itaque, *ex reſurrectione mortuorum*, tria dixit myſteria, temporis, quo quaſi fructus maturus ſanctificatio haberetur: cauſalitatis, qua in dignitatem concauſandi ſanctificationem reſurrectio eleuata eſt: & integritatis, qua conſummatum eſt eſſe ſecundum ſpiritum per redundantiam ad corpus. Et his tribus iunctis prioribus conſurgit

Myſterium nonum.

Myſterium nonum, quòd ſanctificare conuenit Chriſto ex diuina ab æterno prædeſtinatione ſecundùm vtranque naturam, diuinam ſcilicet, & humanam, non qualemcunque, ſed glorioſam: vt verè impletam cognoſcamus cauſam ab Euangeliſta aſſignatam quare nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. hoc eſt ſiquidem quod hìc docet Apoſtolus, dicens, prædeſtinatus eſt filius Dei ſanctificator ex reſurrectione à mortuis, qua proculdubio glorificatus eſt. Spectant reliqua quatuor myſteria & qualitatem reſurgentis ad ſanctificandum. Non enim poſita ſunt hæc verba, *Ieſu Chriſti Domini noſtri*, ad quaſi circumloquendum reuerenter illum qui reſurrexit: ſed quum facilè per Pronomen ſubſtantiæ potuiſſent dicere, ex reſurrectione eius, ſi tantùm ſignificare voluiſſet de cuius reſurrectione loquitur. ſicut per verbum *mortuorum* ſignificauit de qua reſurrectione loquebatur: elegit Apoſtolus tot titulos apponere, vt & quis & qualis ex reſurrectione præparatus ſit ſanctificator, monſtraret.

Myſterium decimum.

Decimum igitur myſterium monſtratur per nomen *Ieſu*, quo non ſolùm quis monſtratur, pro quanto eſt nomen proprium: ſed qualis, pro quanto à ſaluatione impoſitum illi eſt: vt dixit Angelus ad Ioſeph. Surrexit quippe ad ſanctificandum Ieſus, hoc eſt, Saluator, quum deuicta morte vniuerſum genus humanum ſaluauit, vitam illius inchoando in propria vita corporali, immortali, impaſſibili, &c. Verè etenim impletum tunc eſt illud Pſalm. *Saluauit* Pſal. 97. 1.
ſibi dextera eius. quoniam ipſe Dei filius per ſuam animam quaſi iunctam dexteram ſaluauit ſibiipſi corpus proprium viuificando, & dotibus quatuor ab Apoſtolo explicatis 1. *ad Cor.* 15.

glorifi

glorificando. Et verè ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus: vt *ibidem* dicitur.

Myſterium vndecimum.

Vndecimum myſterium regiæ dignitatis monſtratur per nomen *Chriſti*. Verè ſiquidem peruenit in regionem valde diſtantem (vtpote in regionem gloriæ æternæ) accipere ſibi regnum, quum vnctus eſt vnctione gloriæ ſuper omnes Reges. Oportuit ſiquidem Chriſtum pati hæc (ſcilicet iniurias, & mortem) & ita intrare reſurgendo in gloriam ſuam. Incœpiſſe ergo regnum Chriſti ex ſua reſurrectione monſtrat Apoſtolus, quum prædeſtinatum ipſum dicit ſanctificatorem ex reſurrectione qua ſurrexit Chriſtus, ſicut etiam ex tunc incœpit executio conſummatæ ſaluationis quum ſurrexit Ieſus. Tunc quoque incœpiſſe dominium eius,

Myſterium duodecimum.

Duodecimum myſterium aperit, dicendo, *Domini*. Qui enim priùs venerat miniſtrare, ſubiici & mori, ſurrexit Dominus, dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Non quòd priùs non fuerit Dominus (quum verè dixerit: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim.*) ſed quia priùs ſecundùm humani corporis officia non venerat dominium exercere, ſed ſubiectionem, ſurrexit omni ex parte Dominus: quum impletur illud, *Dominus regnauit, decorem* (gloriæ corporalis) *indutus eſt.*

Myſterium decimumtertium.

Noſter demum myſterio vltimo dicitur, non quòd aliquis, aut aliquid eximatur ab illius dominio (de quo ſcriptum eſt, *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.*) ſed quia peculiari modo Dominus noſter, hoc eſt, fidelium, eſt: tum quia dominatur in nobis, qui voluntates noſtras ſubiicimus illius mandatis: tum quia cultu fidei, ſpei ac charitatis gaudemus atque gloriamur in & de ipſius dominio. Fructus ergo reſurrectionis Dominicæ per ly *noſter* notatur, vt non quaſi inanis, aut in tempus longinquum fructificaturus ſurrexerit, ſed ſurrexit Dominus noſter, vt ſtatim nos habuerit, vt nunquam nos omnino deſeruerit. Prædeſtinatus eſt ergo filius Dei ſecundùm ſpiritum: vt ſit filius Dei in virtute ſanctificationis ex reſurrectione qua à mortuis ſurrexit Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

Reſurrectionis Dominicæ fructus.

Perſpice Lector in duabus explanatis ſententiis collectam ab Apoſtolo materiam Euangelij de filio Dei: dum & Trinitatis & Incarnationis ac incarnati Verbi tam ſecundùm humilitatis, quàm gloriæ ſtatum & ſanctificatiuæ virtutis, ac per hoc Sacramentorum myſteria propoſuit. Et ne quid remaneret intactum, ſubiungendo tertium relatiuum, totam complexus eſt Euangelij materiam. Nam vbi de capite collegerat, ad Eccleſiam ipſius Chriſti corpus deſcendit. oportet enim euangelizare quoque vnam ſanctam in Chriſto Eccleſiam: vt patet in Symbolo.

Euangelica materia relatiuum tertium.

Quinque autem (vt breuiter perſtringamus) de Chriſti Eccleſia proponit.

Quinque de Eccleſia Chriſti propoſita.

Primò, coniunctionem cum Chriſto, non qualitercunque, ſed dependendo ab ipſo, dicens, *per quem*. iungitur enim Eccleſia Chriſto vt capiti, & ab ipſo pendet, vt à capite pendet corporis vita.

Secundò dona Chriſti in Eccleſia, & communia toti Eccleſiæ, dicens, *accepimus gratiam*. & dona quibus diuerſa membra, ſeu gradus diuerſi ſunt in Eccleſia, dicens, *& Apoſtolatum*. in hoc enim primo gradu reliqui ſubintelliguntur.

Tertiò, finem intrinſecum, propter quem diſtribuuntur gradus ac dona in Eccleſia, dicens, *ad obediendum fidei.* Vbi fides non quæ ſine operibus mortua eſt, ſed formata, quæ per dilectionem operatur, poſita eſt finis. nam obedientia fidei non eſt, vbi fides mortua eſt. voluntate enim renuente obedire fidei, quæ diligendum Deum ſuper omnia monſtrat, non mouetur homo ad obediendum fidei. Rurſus vnitas fidei monſtratur ex ſingulari numero, & non vt vnuſquiſque in ſua fide ſaluetur, ſed obediatur fidei vni.

Quartò, indiuiſionem vniuerſalis Eccleſiæ aperit, ex eo nanque quòd non in vna tantum natione, ſed in omnibus gentibus, ad hoc vnum, vt ſcilicet obediant fidei vni, gratiam vnam, & Apoſtolatum vnum accepimus, conſequens eſt vt vna atque indiuidua ſit vniuerſalis Eccleſia Chriſti in omnibus gentibus, iuxta verbum Domini, *Fiet vnum ouile, & vnus paſtor.*

Quintò, finem extrinſecum, Pro nomine *eius*. tota enim Eccleſia ordinatur ad gloriam Domini Ieſu Chriſti: nec ſunt Apoſtoli doctores, protectores, &c. pro gloria propria, ſed pro gloria filij Dei. Habes ergo ſummariè ex verbis Apoſtoli totam Euangelij materiam, quam intendebat Romanis proponere.

Ad ea quæ tanquam difficultantia materiam inducta in principio ſunt, non eſt confutando, ſed explanando ſummariè dicendum, quòd licèt non admittatur quòd qui refert filium Dei abſolutè, vt prædeſtinatus ſit filius Dei abſolutè, admittitur tamen vt qui referat filium Dei factum ſecundùm carnem ex ſemine Dauid, hoc eſt, filium Dei vt eſt filius hominis. Nec eſt inconueniens vt illa triplicitas relatiui ſic ordinetur vt ſemper creſcat, referendo immediatè antecedens, in quo etiam prius antecedens clauditur, hoc eſt, vt primum *qui*, referat filium Dei: ſecundum *qui*, referat eundem factum ſecundùm carnem: tertium verò *per quem*, referat eundem non ſolùm factum ſecundùm carnem, ſed prædeſtinatum, &c. Nec inconuenit diuerſas eundem textum habere expoſitiones etiam ſecundùm ſenſum literalem: quoniam autor ſacræ Scripturæ eſt Spiritus ſanctus, qui plures ſimul ſenſus intendere poteſt. Vnde autem varietas ipſius textus emerſerit, non apparet. Quod enim ex tranſlatione non contigerit, manifeſtat diuerſitas textus etiam apud Græcos. nam apud Vulgarium legitur *prædeſtinatus*, & apud Origenem, *deſtinatus*. Vtcunque ſit, textus verificatur vtroque modo, vt patet ex dictis. Hæc de prima quæſtione.

Difficultatibus in principio inductis occurritur.

QVÆSTIO II.

De verbis Ioannis Euangeliſtæ Ioan. 1. *de filijs Dei adoptiuis*: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.

Circa ſecundam quæſtionem de verbis Ioan. *Qui non ex ſanguinibus*, &c. ambiguitas

Ambiguitas

tas occurrit primò, an vna, & eadem generatio negetur per tres negationes, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, an ſingulis negationibus reſpōdeant ſingulæ generationes. Nam ſi vna eadémque generatio per omnes negatur, inutilis videtur multiplicatio tot cauſarum. Ad quid enim opus eſt miſcere in Euangelio naturalem hominum natiuitatem prouenire non ſolum ex ſanguinibus, ſed etiam ex voluntate carnis, & ex voluntate viri? Si verò tres generationis ſpecies deſcriptæ dicuntur, falſum apparet, ex eo quòd generatio ex voluntate carnis, non eſt diuerſa a generatione ex ſanguinibus. Concupiſcentia quippe carnis non aliter generat filios, quàm per commixtionem carnalem maris & fœminæ

Alia ambiguitas.

Secundò, an vna eadémque voluntas ſit voluntas carnis, & voluntas viri. Nam ſi locutio iſta propria eſt, oportet ex vna parte vnam fateri voluntatem, quum non inueniantur in toto genere humano diuerſæ ſpecies voluntatum (quamuis enim animalis appetitus multiplicetur in plures ſpecies, voluntas tamen non multiplicatur.) & ex altera parte nullam dicere voluntatem carnis: quia voluntas in ſola ratione eſt, & appetitus eſt rationalis, & non carnalis, ſeu ſenſibilis. Si verò non curandum creditur de proprietate nominum, & duæ voluntates quaſi duo appetitus diſtincte dicuntur (rationalis ſcilicet, qui propriè vocatur voluntas, & ſenſibilis, qui appellatus eſt voluntas carnis) tunc ſententia teneri potuit, ſed lingua cohibenda erat, quod procul ab Euangeliſta eſſe debet.

Ambiguitas tertia.

Tertiò, an filij Dei per adoptionem, dicantur propriè nati ex Deo, an ſecundùm communem tantùm vſum quo in humanis adoptatus in filium, dicitur genitus ab illo per adoptionem, qui etiam in hac litera dicitur genitus ex voluntate viri. Quòd enim propriè intelligi debeat, ex eo videtur quòd niſi propriè eſſent ex Deo nati, non eſſent propriè filij Dei. Quòd verò communiter accipiendum ſit, ex eo apparet quòd voluntariè genuit nos, dando nobis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.

Triplex modus generationis in humanis.

Ad hanc quæſtionem, dicitur quòd Ioannes Euangeliſta triplicem ac per hoc omnem in humanis generationis modum complexus eſt. Primum, quo vita naturalis acquiritur, & naſcuntur filij hominum ex ſanguinibus viri & mulieris. Secundum, quo vita moralis conſona carni, in bonis fit ex voluntate carnis, hoc eſt, ex electione eorum quæ conſonant carni. Et hinc naſcuntur filij huius ſeculi: quorum vita eſt circa aut neceſſaria, aut vtilia, aut delectabilia ſecundùm carnem. Tertium, quo vita excellens conſona rationi, in nobis fit ex voluntate viri, hoc eſt, ex electione eorum quæ ſola ratio, ſeu virilis animus æmulanda dictat. Et hinc naſcuntur filij huius quoque ſeculi qui excellentes ſunt: inter quos quidam heroes vocantur. Ita quòd intendit Euangeliſta filios Dei neque ex natura ſimpliciter, neque ex natura adiuncta voluntate carnis (hoc eſt, ſtudio ad quæcunque, ſpectant ad carnalia) neque ex natura adiuncta voluntate viri (hoc eſt, ſtudio officioſo, vel quæcunque ſunt & eſſe poſſunt virilis perfectionis, delectationis, aut gloriæ) naſci, aut fieri. Et quoniam ad aliquod horum trium ſpectat omnis generatio hominum, ſecundùm quodcunque eſſe poſſibile, ſiue ex cœlo, ſiue ex quacunque cauſa naturali, aut voluntaria (vt patet diſcurrendo & applicando) ideo hanc triplicem generationem negando, aperuit Euangeliſta aliunde quærendam eſſe generationem filiorum Dei, quàm ex naturalibus, aut voluntariis cauſis creatis; & ſtatim manifeſtauit quartum generationis modum, dicens, ſed ex Deo nati ſunt. Nec dixit, ſed a Deo facti ſunt (vt cæteræ creaturæ, quas dixit & factæ ſunt) ſed dixit, ſed ex Deo nati ſunt, docens filios Dei tali modo procedere à Deo vt mereantur dici nati ex Deo: tum propter naturalitatem in módo producendi: tum propter connaturalitatem rei productæ.

Quartus generationis modus ex Deo.

Filij Dei non facti, ſed ex Deo nati.

Quæ quoniam altioris ſpeculationis ſunt (vtpote à Ioanne Euangeliſta dicta) oportet altius inchoando aduertere bona creata diſtingui in duos ordines. Vnus eſt ordo naturæ, alter eſt ordo gratiæ. In primo ordine ſunt omnes ſubſtantiæ creatæ, & proprietates, actiones, paſſiones, & quæcunque quomodolibet eis naturaliter conueniunt. In ſecundo autem quantum ad propoſitum ſpectat, inueniuntur quædam res quæ ita ſunt de ordine gratiæ vt ſint de genere Dei, vt charitas, & lumen gloriæ. Bona creata primi ordinis ſe habent ad Deum vt artificiata ad artificem, quæ ſunt aliena à natura artificis, vt domus, arca, nauis, & alia huiuſmodi teſtantur relata ad ſuos artifices. Charitas autem & lumen gloriæ quæ ſupremum tenent locum in ſecundo ordine, ſe habent ad Deum vt connaturalia ad id cui ſunt connaturalia, vt ea quæ ſunt ſecundùm naturam ad naturam, ſicut calere ad ignem, ſicut moueri deorſum ad graue. Quod ex eo cognoſcere potes, quia nihil horum poteſt eſſe naturâ aut connaturale alicuius creaturæ creatæ, aut creabilis. Non poſt ſiquidem fieri aliqua creatura quæ ſit ſuapte natura beata beatitudine illa, quæ conſiſtit in fruitione promiſſa nobis in cœleſti patria, vt ſit ſuapte natura amans Deum amore charitatis, quo diſtinguuntur filij Dei à filiis perditionis: quoniam ſi aliquid horum poſſet fieri, poſſet eſſe aliqua creatura non indigens gratia Dei, ſed ex propriis ſuæ naturæ haberet quod non poſſet peccare, & ſeipſam ſaluaret: ſcriptum eſt enim 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* & rurſus cap. 5. *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum.* Quia igitur proprium eſt Deo eſſe naturaliter beatum dicta beatitudine, & amare naturaliter ipſum Deum ſic, ſcilicet dicta charitate, conſequens eſt vt intelligamus bona creata quibus conſtituuntur filij Dei, hîc quidem inchoatiuè per gratiam charitatis, in patria verò complete per conſummatam gratiam luminis gloriæ, eſſe de genere diuino, & Deum ſe habere ad illa vt ad cognata, vt ad connaturalia, vt ad ſecundùm naturam ipſius Dei. & propterea reliquæ creaturæ factæ dicuntur, filij autem Dei nati dicuntur. Iure ſiquidem naſci dicuntur, qui ad connaturalia producuntur, qui ad ea quæ ſunt ſecundùm Dei naturam eleuantur. Natiuitatis ſiquidem tam ratio, quam nomen ad naturam ſpectat. Si itaque ex termino conſideres productionem filiorum Dei, natos ex Deo intelliges,

Bonorũ creatorum duplex ordo.

Dupliciter aliquid à voluntate effici.

liges, qui fiunt cognati ipſi ſummo Deo. Si modum quoque inſpicias, idem inuenies. Dupliciter ſiquidem aliquid à voluntate efficitur. Vno modo abſolutè, vt quum eligimus aliquid exterius operari: vt mederi, ædificare, &c. Alio modo ex affectione, vt quum ex odio, vel amore mouemur ad aliquid. Quod procedit exteriùs voluntariè, dicitur fieri à voluntate. Quod procedit in nobiſipſis à voluntate affecta, dicitur naſci ex voluntate, quaſi naturaliter illud proueniat, quia voluntas affecta per modum naturæ operatur. habitus enim inclinat per modum naturæ, & quaſi intrinſeci principij rationem induit voluntas affecta quando ex affecta voluntate ſimus tales: puta mites, aut iuſti, aut auari, &c. Vnde Ioannes Euangeliſta eadem Præpoſitione, ſcilicet *ex*, & eodem Participio, ſcilicet *nati*, vſus eſt in ſingulis particulis, dicens, *non ex ſanguinibus, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* nam ly *nati*, ſubintelligitur in præcedentibus. Acſi replicaſſet, qui non ex ſanguinibus nati ſunt, neque ex voluntate carnis nati, neque ex voluntate viri nat[illegible]x Deo nati ſunt. Filij ſiquidem hominum nati ſunt in eſſe naturæ ex ſanguinibus, & filij huius ſeculi communiter nati ſunt in eſſe morali ex voluntate carnis, hoc eſt, ex voluntate affecta carni, & ſimiliter filij huius ſeculi egregiæ vitæ, nati ſunt ex voluntate viri, hoc eſt, ex voluntate affecta virilitati. Quorſum hæc? Vt percipias filios Dei ſimiliter ex Deo natos. Voluntas ſiquidem Dei, omnium quomodolibet creatorum cauſa eſt, ſed reliquas creaturas producit quaſi voluntate artificis: filios verò adoptionis producit quaſi voluntate affecta, vtpote ad cognatos naturæ diuinæ, ad ea quæ ſunt ſecundùm naturam ipſius Dei. Naturaliter enim afficimur ad connaturalia nobis. Et ex eadem radice profertur quòd quaſi principij intrinſeci rationem induit in producendo filios Dei, pro quanto tantum ſapit principij naturalis. Ex vtraque igitur parte (hoc eſt, ex parte termini, & ex parte principij) quantum ad modum producendi tantum naturalitatis diuinæ inuenitur in productione filiorum Dei, vt Ioannes Euangeliſta ad hæc aperienda dixerit, *ex Deo nati ſunt*, vt ly *ex*, & ly *nati*, vtranque naturalitatem indicarent. Et ne hæc ficta putes, audi Petrum Apoſtolum primo can. 2. epiſtolæ, *Maxima & pretioſa promiſſa donauit nobis, vt per hoc efficiamini diuinæ naturæ conſortes.* Audi Paulum ad Rom. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Vbi vides filios Dei in conſortium diuinæ naturæ eleuatos, & ad cognationem tantam cum Deo ſuos filios prædeſtinatos, vt fratres ſint primogeniti filij omnino naturalis verique Dei. Illum ſiquidem Deus natura genuit verum Deum, nos autem voluntariè genuit vt ſimus primitiæ creaturarum, vt dicitur *Iac.* 1. Vide demum quòd Ioannes Euangeliſta tanti fecit myſterium per hæc verba prolatum de filiis Dei, vt ne hoc impoſſibile crederetur, attulerit pro teſtimonio id quod eſt maximè ſupermirabile, ſcilicet myſterium Incarnationis. ſubdit enim, *& Verbum caro factum eſt.* Tanquam diceret: Vt credas homines naſci filios Dei, ſcito Deum eſſe factum carnem, vt habes in gloſſa. Sunt igitur in ſupremo totius Vniuerſi gradu locati filij Dei, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate affecta carni, neque ex voluntate affecta virilitati, ſed ex Deo nati ſunt.

Ambiguitatibus in principio poſitis reſpondetur.

Ad quæſita autem dubitando, ordinatè reſpondendo dicitur, & ad primum quidem quòd tres generationes excluduntur per hanc triplicem negationem, & quòd generatio ex voluntate carnis non appellatur hîc generatio qua fiunt homines ſecundùm eſſe naturæ, ſed qua fiunt ſecundùm eſſe morale ex voluntate affecta huiuſmodi carnalibus, quales communiter emergunt filij huius ſæculi ex huiuſmodi affectibus, alij prudentes rectores, alij negotiatores, & id genus reliqui. Ad ſecundum verò quòd hic eſt ſermo de voluntate propriè, & vna ponitur voluntas ſecundùm ſubſtantiam, duæ autem ſecundùm affectum. Voluntas ſiquidem vna & eadem ſecundùm ſe eſt quæ eſt carnis & viri, ſed geminatur propter diuerſas affectiones. altera ad ea quæ virilis excellentiæ ſunt, & vocatur voluntas viri. altera ad ea quæ carnalis neceſſitatis, vtilitatis, aut declarationis ſunt, & vocatur voluntas carnis. Ad tertium autem, quòd ſermo Euangeliſtæ eſt de natiuitate propriè, quantum tamen ſuffert ſubiecta materia. Vt enim ex dictis aliqualis coniectura haberi poteſt, non fiunt & ſunt filij Dei adoptiui, vt ſunt & fiunt filij adoptiui hominum, ſed eleuantur in conſortium & cognationem diuinæ naturæ. Et propterea Ioannes Euangeliſta quum dixiſſet, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, curauit tanto ſtudio aperire modum quo fiunt filij Dei. Et poſt tot negatiuas manifeſtauit modum, ſcilicet quòd ex Deo nati ſunt. Dixit autem notanter poſſe coniecturam nunc haberi, quia idem Ioannes dicit, *Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. quum apparuerit, ſimiles Deo erimus.* Hæc de ſecunda quæſtione.

QVÆSTIO III.

De verbis Apoſtoli Pauli 1. ad Corinth. 15. de Baptiſmo, quo generantur filij Dei, quum dicitur: Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? vt quid & baptizantur pro illis.

Difficultas.

CIrca tertiam quæſtionem de verbis Apoſtoli, *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt, vt quid & baptizantur pro illis.* difficultas occurrit, ex eo quòd ſermo iſte eſt vel de reprehenſibili, vel de laudabili Baptiſmo. Nam ſi de vituperabili Baptiſmo, quo quidam fortè baptizabantur pro conſanguineis defunctis ſine Baptiſmo, ita quòd ſemel baptizabantur pro ſalute propria, & iterum baptizabantur pro proximis ſuis defunctis ſine Baptiſmo erroneè putantes baptizari poſſe vnum pro alio, ſi de hoc, inquam, erroneo Baptiſmo loquitur Apoſtolus, infirmum valde argumentum ad perſuadendam reſurrectionem mortuorum aſſumit: dum ex fide & ſpe quam habent de reſurrectione mortuorum iſti qui baptizantur pro proximis defunctis, arguit quòd mortui reſurgent. Nam facillima & in promptu eſt confutatio huius argumenti, reſpondendo quòd quemadmodum factum iſtorum

tum

tum eſt vanum, ita & fides ac ſpes eorum: ita quòd argumentum hoc ſumi ex hominum fide ac ſpe vana non oportet aliunde monſtrare, quàm ex proprio facto quo baptizantur pro aliis. Ex hoc enim quòd inutiliter & vanè baptizantur pro aliis, argumentum habetur quòd vana eſt fides & ſpes, quam habent de reſurrectione mortuorum.

Si verò eſt ſermo de laudabili Baptiſmo, apparet quòd oportet incurrere alterum duorum inconuenientium, ſcilicet vel æquiuocationem, vel improprietatem. Nam ſi exponitur pro mortuis, id eſt, operibus mortuis, quæ ſunt peccata, iuxta illud ad Hebr.9. *Sanguis Chriſti emundabit ab operibus mortuis*, incurritur æquiuocatio. Nam in alia ſignificatione ſumitur quum primò dicitur, *qui baptizantur pro mortuis*. & in alia ſumitur ſtatim ſubdendo, *Si mortui non reſurgunt*, vt patet. Et nihilominus quale argumentum hinc ſumpſit Apoſtolus? quaſi penes ſimilitudinem nominis ex operibus mortuis ad homines mortuos, ex reſurrectione per Baptiſmum ab operibus mortuis ad reſurrectionem à naturali morte procedens. Si autem exponitur *pro mortuis*, hoc eſt, profitendo fidem ac ſpem de reſurrectione mortuorum. pro quanto ij, qui baptizabantur, profitebantur, integrum fidei ſymbolum, in quo manifeſtè dicitur, *Credo carnis reſurrectionem*, &c. ita quòd pro tanto dictum eſt quòd baptizantur pro mortuis, pro quanto baptizantur profitendo reſurrectionem mortuorum. Si ſic, inquam, exponitur, incurritur improprietas ſermonis. Nam impropriè dicuntur baptizari pro mortuis, quia baptizantur profitendo reſurrectionem mortuorum. Similiter poſſet dici, baptizantur pro Trinitate, quia baptizantur profitendo Trinitatem.

Reſponſio ad quæſtionẽ. Ad hanc quæſtione reſpondetur quòd quum Apoſtolus non arguat ex fide, aut ſpe, aut ex verbis, ſed ex facto. nam dicit, *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?* & exponens illud factum eſſe baptizari pro mortuis, ſubdit: *Si mortui non reſurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* ſcilicet mortuis: oportet ſenſum horum verborum ſumere ex facto, ex quo argumentum ſumit Apoſtolus. Neſcio autem melius factum hoc interpretari, quàm ex doctrina eiuſdem Apoſtoli, qui ad *Col.2.* docet eos qui baptizantur baptizari in perſona mortuorum; & non ſolùm mortuorum, ſed etiam reſurgentium cum Chriſto. *Conſepulti*, inquit, *eſtis per Baptiſmum Chriſto: in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis.* Et rurſus cap.3. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita*

Baptiſmi ritus. *eſt cum Chriſto.* Ritus Baptiſmi habet, vt qui baptizantur, mergantur ſub aqua, & per hoc repræſentent duas mortes, ſcilicet propriam mortem moralem, & mortem Chriſti corporalem. Repræſentant enim ſe mortuos vitæ veteri, ſicut Chriſtus mortuus eſt vitæ huius mundi. Merſio enim repræſentans ſepulturam Chriſti mortui, ponens hominem qui baptizatur ſub aqua, ſicut corpus Chriſti poſitum eſt ſub terra, repræſentat quoque hominem illum ita recedere à præterita vita, vt ſit illi mortuus & ſepultus. Similiter ſurgendo ex aqua, repræſentatur duplex reſurrectio, & Chriſti corporalis, & hominis ſpiritualis, ita quòd ex hoc quòd homo ſurgens ex aqua, repræſentat Chriſtum à mortuis reſurgentem, repræſentat quoque ſeipſum ſurgere in nouam vitam ſpiritualem. nunc quidem quantum ad animam ſecundùm rem: in futurum autem etiam quantum ad corpus in ſpe. Hoc eſt factum ex quo arguit Apoſtolus, dicens: *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?* hoc eſt, in perſona mortuorum, *ſi mortui non reſurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* hoc eſt, perſonam illorum agunt qui ſic baptizantur pro mortuis: ſicut in repræſentationibus quidam agunt fortes, quidam modeſtos, quidam mortuos, quidam claudos, quidam cæcos, &c.& hi dicuntur operari pro cæcis, pro claudis, qui agunt perſonas illorum. Ex tali itaque Baptiſmi ritu quo qui baptizantur, perſonam mortuorum agunt ad ſimilitudinem Chriſti mortui, & conſequenter perſonam reſurgentium ad ſimilitudinem Chriſti reſurgentis. argumentum ſumpſiſſe Apoſtolum intelligendum eſt. tum quia ſecundùm hunc ſenſum inuenitur argumentum efficax. Vanum ſiquidem eſſet tale factum repræſentatiuum mortis & reſurrectionis, ſi mortui non reſurgunt. Tum quia exponitur litera ſumendo argumentum à facto, iuxta verba Apoſtoli. Tum quia ſeruatur proprietas ſermonis,& nulla interuenit æquiuocatio. Tum quia conſonat aliis documentis Apoſtoli. Tum, quia nihil incerti, aut noui in Eccleſia Chriſti per hanc expoſitionem ponitur.

Et aduerte quòd quia ex modo facti ſolus ritus Baptiſmi per immerſionem repræſentat mortem & reſurrectionem, ideo Apoſtolus quaſi particulariter loquitur de facto illorum qui baptizantur in perſona mortuorum. Et rurſus ideo appoſuit Coniunctionem &, dicendo, *Vt quid & baptizantur?* quaſi diceret, vt quid non ſolùm baptizantur, ſed baptizantur pro illis, id eſt, in perſona mortuorum? Tanquam diceret: Vt quid tali ritu perſonam mortuorum & reſurgentium aſſumunt quum baptizantur? Notanter autem dixi *ex modo facti*, quia ex efficacia ſacramenti ſemper Baptiſmus quomodocunque fiat commori & conſepeliri hominem facit, & reſurgere cum Chriſto in nouitatem vitæ.

Ad obiecta autem in principio, non eſt aliter reſpondendum niſi quòd expoſitio illa de opinato illo erroneo Baptiſmo, minus conſona videtur ſenſui Apoſtoli, qui ex facto manifeſtè arguit, & non ex ſpe facti. Hæc de tertia quæſtione. *Obiecta in principio reſpondetur.*

QVÆSTIO IV.

De verbis Apoſtoli ad Gal 3.de hæreditate filiorum Dei per fidem repromiſſa, non per legem, quum dicitur: Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris. mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt.

Circa quartam quæſtionem difficultas occurrit, quia non apparet literalis ſenſus ſecundùm planum literæ contextum. Non enim apparet ad quod propoſitum dicantur illa verba: *Mediator autem vnius non eſt, Deus autem vnus eſt.* Conſtat nanque ibi ſermonem fieri *Difficultas.*

fieri de differentia inter legem Moſaicam, & promiſſionem factam Abrahæ in Chriſto. Et, quantum apparet, extra propoſitum, extra contextum interpoſitum eſt quòd officium mediatoris eſt inter duos, & ſimiliter quòd Deus eſt vnus. quorſum enim hæc hîc, quamuis in ſe veriſſima ſint? Hæc eſt tota quæſtionis ratio ac ſumma.

Mediatoris officiū quod.

Reſponſio ad quæſtionem.

Ad hanc quæſtionem dicitur quòd referendo clauſulam illam, *in manu mediatoris*, ad legem Moſaicam, de qua eſt ſermo, ſoluitur facilè quæſtio. Ad cuius clariorem & pleniorem intelligentiam colligenda antedicta ſummariè ſunt. Poſuit ibi Apoſtolus ex vna parte Abrahæ promiſſionem (quam etiam teſtamentum à Deo confirmatum vocat) & ex altera parte Moyſi legem. Et ex parte Abrahæ poſuit quinque, ſcilicet fidem, benedictionem, vitam, hæreditatem, & iuſtitiam. Ex parte verò legis contrà poſuit quoque quinque, ſcilicet opera legis, maledictionem, viuere in operibus legis, tranſgreſſionem, & peccatum. Et demum concludit legem fuiſſe in cuſtodiam & pædagogum ad fidem Ieſu Chriſti: in quo omnes homines vniuntur per fidem, & fidei ſacramentum Baptiſma. Quum igitur ex parte promiſſionis Abrahæ tot diuina bona poſuiſſet Apoſtolus, & ita appropriaſſet Abrahæ, vt negaſſet illa à lege, quæſtionem interpoſuit, *Quid igitur lex?* Et ſtatim reſpondet, propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Vbi quatuor conditiones legis manifeſtat. Prima eſt, quòd propter malum poſita eſt, hoc eſt, lex non eſt poſita vt faciat bonos & iuſtos, ſed vt puniat malum. Et hoc ſignificant illa verba; *Propter tranſgreſſionem poſita eſt.* Quum enim duæ ſint partes iuſtitiæ, ſcilicet declinare à malo, & facere bonum: lex ſcripta in hoc differt à fide Abrahæ, quòd lex ad malum poteſtatem habet, culpæ quidem puniendum, pœnæ verò infligendum. Fides verò efficit bonum, quia ex fide viuitur vita iuſtitiæ & dilectionis, &c. At ſi contra hoc obiiciatur, non eſſe deterioris conditionis legem Moyſi legibus humanis, quas conſtat poſitas eſſe non ſolùm propter tranſgreſſionem arcendam & puniendam, ſed etiam propter bonum virtutis. nam ad hoc ordinantur leges, vt fiant homines virtuoſi, vt patet 2. & 5. *Ethic.* Maximè ergo lex per Moyſen à Deo data ordinatur ad reddendos homines virtuoſos. Et confirmatur, quia legis præcepta ſunt non ſolùm de declinando à malo, puta, Non occides, non mœchaberis, non adorabis deos alienos, &c. ſed etiam de faciendo bonum: puta, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Honora patrem tuum. Ad hoc dicitur quòd aliud eſt loqui de fine legis, aliud de effectu legis. Nam finis legis ad intentionem ſpectat: effectus verò ad poteſtatem & efficaciam legis. Si de fine eſt ſermo, finis legis eſt bonum virtutis, ad quod intendit per præcepta, &c. ducere. Sed nulla lex ſcripta habet vt hanc poteſtatem, hancque efficaciam efficiat aliquem bonum, præcipere ſiquidem poteſt bonum, ſed non facere; ſed reſpectu tranſgreſſionis, ſeu mali habet lex poteſtatem & efficaciam puniendi. punit enim malos, & puniendos arcet conſequenter, vt experientia teſtatur: Apoſtolus autem non de fine, ſed de effectu legis & fidei loquitur, & docet quòd fides Abrahæ facit hominem iuſtum ac viuum, &c. lex autem non poteſt iuſtificare, aut viuificare aliquem, ſed poteſt punire. Et ideo propter tranſgreſſionem tanquam materiam proprij effectus, qui eſt punitio, poſita eſt, & non propter iuſtitiam, ſeu vitam, in quam non poteſt vires ſuas exercere, niſi pro quanto dilabuntur in malorum ordinem in ſuis omiſſionibus. Lex enim præcipiens religionis, ſeu pietatis opera, non poteſt efficere in ſubditis religionis, aut pietatis officium: exercet vires ſuas puniendo, vt lapidatus eſt qui non ſanctificauit ſabbatum, &c.

Promiſſio, pro teſtamento confirmato à Domino.

Legis quadruplex conditio.

Lex propter quid poſita.

Conditio prima.

Lex ſcripta qua differat à fide Abrahæ.

Legis finis & effectus differunt.

Secunda eſt, quòd eſt temporalis, ſcilicet ad Chriſtum. Et hoc ſignificant ſubiuncta verba, donec veniret ſemen cui promiſerat, ita quòd hîc habes quòd lex Moyſi non eſt perpetua, ſed temporalis. Nec obſtat quòd plurics dicitur in lege Moyſi, legitimum ſempiternum erit, aut aliquid ſimile: quoniam huiuſmodi ſempiternitas accipitur pro duratione coæua populo Iudæorum. Et eſt ſenſus, quòd eſt ſempiternum ſecundùm perpetuitatem populi, ſcilicet vſque ad Meſſiam, qui pater futuri ſeculi prædictus eſt, & vnum populum ex omnibus facturus nouo nomine Chriſtianum, & iuxta verbum Eſaiæ, *Et vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit.* Scito tamen quòd lex cum ſuis præceptis poteſt dici perpetua quantum eſt ex parte autoritatis humanæ, pro quanto poſita eſt non reuocabilis niſi per ipſum Deum verum. Et dicitur temporalis, pro quanto Deus verus caro factus adimpleuit illam, & ſic conſummauit, non conſumpſit illam, iuxta illud, *non veni ſoluere legem, ſed adimplere legem.* ita quòd finiuit legem, non conſumendo vt cibus finitur, ſed perficiendo vt officium ducis exercitus finitur parta victoria, iuxta aliud verbum Domini in cruce, *Conſummatum eſt.*

Conditio ſecunda.

Lex Moyſi nō perpetua, ſed temporalis.

Sēpiternitas, pro duratione.

Lex quando dicitur perpetua.

Temporalis quando.

Tertia conditio eſt, quòd lex eſt ex cœleſti autoritate poſita, vtpote ordinata per Angelos. Quod etiam Stephanus protomartyr priùs dixerat, Actuum 7. *Accepiſtis* (inquit ad Iudæos) *legem in diſpoſitione Angelorum.* Decuit vt inter tot quaſi ignobiles conditiones quas de lege referebat Apoſtolus, interponeret aliquam nobilem & glorioſam, ſcilicet quòd ordinata fuit per Angelos. in quo omnes humanas leges excellit, & autoritatem diuinam habere monſtratur. Poteſt nihilominus vltra commendationem legis hæc particula ad ſecundam conditionem pertinere, vt ſcilicet ſignificetur à quibus, & ad quos lex erat vſque ad ſemen promiſſum, intendens quòd ordinata erat per Angelos temporalis, ſcilicet donec veniret ſemen. Acſi apertè diceret: Lex eſt temporalis ſecundùm quod eſt ordinata per Angelos, qui cognoſcebant huiuſmodi temporalitatem, quamuis ſecundùm quod eſt accepta ab hominibus, videatur ſempiterna.

Conditio tertia.

Quarta conditio eſt quòd eſt mediatrix, & hoc ſignificant verba illa, *In manu mediatoris,* hoc eſt, in opere dimidiatoris. Et intendit quòd lex fuit dimidiatoria, pro quanto fuit data non toti generi humano, ſed vni parti, ſcilicet filiis Iſrael, & diſtinctiua fuit illius populi à reliquo mundo. vnde etiam in veſtibus ſigna diſcretiua ab aliis mandauit lex. Et quid hîc ſit ſenſus literalis, apparet ex eo quòd huic ſenſui

Conditio quarta.

omnia

omnia ſequentia conſonat, ita vt currant abſque ceſpitatione aliqua, vt patet in ſequentibus. Habuit ergo lex hanc conditionem quòd fuit dimidiatiua generis humani. quo contra fides Abrahæ, ſemen eius Chriſtum vnitatem mundi facit. Vnde ſtatim Apoſtolus ſubiungit, quòd *poſtquam reuelata eſt fides Chriſti, non eſt Iudæus, neque Græcus, &c. ſed omnes ſumus vnum in Chriſto.* vt per hoc intelligas quòd ceſſauit dimidiatio legis vbi venit vnitas Chriſti. Vnde ſtatim ex hac legis conditione Apoſtolus materiam obiectionis aſſumit, dicens, *Mediator autem vnius non eſt, Deus autem vnus eſt.* Non dixit, Mediator duorum, aut plurium eſt, quoniam non loquitur de officio mediandi, hoc eſt, coniungendi, vel concordandi duos, vel plures; ſed dixit negatiuam, ſcilicet *vnius non eſt*, quia dimidiare non eſt facere vnum, ſed ſcindere vnum. Et per oppoſitum Deus eſt vnus in ſua promiſſione, quia vni ſemini promiſit benedictionem omnium gentium. Præmiſerat enim quòd Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, *& ſemini tuo*, qui eſt Chriſtus. Ad huius quippe vnitatis promiſſionem, per quam conſtituitur totus mundus in vnitate, ſpectat quod dicitur, *Deus autem vnus eſt, in ſua promiſſione.* Itaque ex hac legis conditione quod eſt dimidiatoria generis humani, naſcitur ſtatim quæſtio, aſſumpta propoſitione vniuerſali quòd dimidiator vt ſic non eſt factiuus vnius, & e regione contrapoſito quòd Deus eſt vnus in ſua promiſſione. Nam hinc ſtatim infertur, Lex ergo aduerſùs promiſſa Dei, pro quanto promiſſa Dei ſunt in vnitate generis humani in vno ſemine Abrahæ, & lex non eſt ad vnitatem, ſed ad diuiſionem generis humani. Vbi videre potes quàm ad propoſitum materiæ, de qua tractat Apoſtolus, ſecundùm hunc ſenſum dicta ſint hæc verba. Sunt enim adeò ad propoſitum, vt fuerint valde etiam neceſſaria ad plenius commendandam promiſſionem & fidem Abrahæ ſupra legem. Vnitas nanque, vel diuiſio generis humani maximam facit differentiam. Et vt pleniùs appareat veritas dicti ſenſus, transeunda ſummariè eſt reſponſio Apoſtoli ad exortam obiectionem, prænotando duo.

Duo notanda. Alterum eſt, quòd licet hæc obiectio ſit explicitè deducta ex vltima conditione legis, pro quanto quaſi ſyllogizata eſt inde: inſinuatur tamen in litera quòd ex aliis quoque legis conditionibus naſcitur dicta obiectio, dum in numero plurali dicitur, *lex ergo aduerſùs promiſſa Dei.* Ex hoc enim intelligimus concludi legem eſſe aduerſùs multa promiſſa Dei, & non ſolùm aduerſùs vnitatem promiſſam. Et verè apparet hinc quòd ſit & aduerſùs iuſtitiam promiſſam, pro quanto lex propter tranſgreſſionem poſita eſt, & aduerſùs hæreditarium ſemen promiſſum, pro quanto durat donec veniat ſemen. duratio ſiquidem legis quamdiu eſt, tollit ſeminis illius aduentum, & econtrario. lex ergo aduerſùs promiſſa Dei apparet. Alterum eſt quòd communis radix omnium infirmitatum legis, quibus differt ac deficit à fide Abrahæ, eſt penes viuificare, ſeu iuſtificare animam. Etenim ſi lex poſſet iuſtificare, non propter trangreſſionem poſita eſſet, ſed propter vitam iuſtitiæ, & ſimiliter non duraret donec veniret ſemen, ſed ſemper, vtpote ipſam vitam ſemini promiſſam conferens. & ſimiliter non dimidiaret genus humanum, ſed vniret ipſum in vita ſpiritus. Et propterea Apoſtolus ad radicem ſecurim ponit, ſoluendo obiectionem, dum communem omnium infirmitatum legis rationem reddit. poſtquam reſpondit *abſit*, & dicit, *Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia.* intellige Apoſtolum ſubtiliter impotentiam legis tanquam ex neceſſitate materiæ ſe tenentem aſſerere. Acſi latiùs diceret: lex data eſt ſuapte natura impotens viuificare, ita quòd non ex accidente infirmitate, aut ex aliquo defectu priuatiuo lex hanc infirmitatem, & conſequenter cæteras concomitantes habet, ſed ex hoc ipſo quòd eſt lex, ſequitur quòd lex eſt diuerſa res à fide & promiſſione Abrahæ. In cuius ſignum lex diſtinguitur contra gratiam, Ioan. 1. *Lex per Moyſem data eſt, gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt.* fides ſiquidem pars eſt gratiæ. Et quòd hoc ſit verum, manifeſtatur, quia ſi data eſſet lex quæ poſſet viuificare, ex lege verè eſſet iuſtitia, quòd eſſet contra promiſſionem Dei, quia ſi ex lege, iam non per repromiſſionem, vt ſuperiùs dictum eſt. Igitur quòd lex ſit habens tot conditiones, ex naturali eius impotentia, ſeu infirmitate eſt. Deinde ſubiungit quòd non aduerſùs promiſſa Dei has conditiones habet lex, ſed pro promiſſis Dei, pro quanto ex eis conditionibus tranſmittit ſubditos ad promiſſionem factam Abrahæ, dicens, *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Ideo, inquit, lex ſcripta clauſit omnia præcepta tam de malis vitandis, quàm de bonis proſequendis ſub peccato, cognoſcendo, concupiſcendo, permanſuro ac puniendo, vt ſic tranſmittat ad deſiderandum & quærendum medicum redemptorem ac ſaluatorem. Nulla enim ex parte infirmi via quò d velit & quærat medicum, melior eſt, quàm morbum proprium augeri & durare cognoſcere, ac puniri, ſine liberatione tamen. Sic lex tranſmiſit ad Chriſtum. nam lex cognitionem peccati dabat. ad Rom. 7. *Peccatum non cognoui niſi per legem.* & puniebat, vt patet, & concupiſcentiam augebat occaſione accepta, vt patet *ibidem*, & durationem peccati operabatur, pro quanto non poterat interiùs ſanare, aut adiuuare. In hoc autem quòd Scriptura concluſit omnia ſub peccato, cointelliguntur omnes antedictæ legis infirmitates, quia omnes ſunt in via colligatæ communi ratione, ſcilicet quòd lex non poteſt iuſtificare, ſed ſub peccato ponere, vt facile eſt diſcurrendo deducere. Soluta autem obiectione ex hoc quòd lex infirmitates quidem has neceſſariò habet, ſed habet eas, & vtitur eis tranſmittendo ad hoc vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus, ex tribus ſimilitudinibus iuxta antedictas tres infirmitates, ſeu conditiones legis, manifeſtat Apoſtolus miniſterium legis quo ſeruiebat promiſſo ſemini cuſtodiendo, ducendo, fouendo.

Prima ſimilitudo eſt ad cuſtodem expectantium in tenebris claritatem: ibi, *priuſquam veniret fides.* Et hæc reſpondet infirmitati legis quo poſita eſt propter tranſgreſſionem, qua concluſit omnia ſub peccato. Secunda eſt ad pædagogum, ibi, *itaque lex pædagogus.* Et hæc reſpicit illam infirmitatem in manu mediatoris. datus ſiquidem pædagogus eſt populo Iſrael *Triplex ſimilitudo.*

tanquam

tanquam puero electo præ aliis, ſegregando ipſum ab aliis, iuxta illud Deuter. 32. *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius.* Vnde huic ſimilitudini annectit Apoſtolus vnitatem omnium hominum in Chriſto. Tertia ſimilitudo eſt ad actores & tutores paruuli hæredis, ibi, *Quanto tempore hæres paruulus eſt.* Et hæc reſpicit illam infirmitatem, donec veniret ſemen. Et eſt in his tribus ſimilitudinibus perſpicere ſtatum eorum, qui ſub lege erant, differentem à ſtatu regeneratorum in Chriſto penes tria. In tertia quidem penes ſeruitutem & libertatem; in ſecunda verò penes imperfectionem & perfectionem: prima autem penes iniuſtitiam & iuſtitiam, vt facilè patet inſpicienti textum Apoſtoli & applicanti. Et hæc de quarta quæſtione. In feſto circuncisionis Domini, anno M. D. XXIII. Poſonij.

IENTACVLVM III.

De diuerſis Scripturæ dictis de ſacerdotio.

OCCVRRVNT tertiò circa diuerſa in nouo Teſtamento dicta de ſacerdotio, quæſtiones tres.

Prima, de verbis Apoc. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes.* & cap. 1. *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.*

Secunda, de verbis Petri Apoſtoli in cap. 2. primæ ſuæ epiſtolæ: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta,* &c.

Tertia de verbis eiuſdem Petri Apoſtoli in eodem cap. *Ad quem accedentes & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo, per Ieſum Chriſtum.*

QVÆSTIO I.

De verbis Apoc. 5. Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes. *& cap.* 1. fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.

Quæſt. 1. CIrca verba Apocalypſis occurrit quæſtio, an ſermo ſit de ſacerdotio propriè, an non? nam ad vtranque partem ratio vrget. Quòd enim de Sacerdotibus propriè loquatur, habetur tum ex eo quòd ſermo improprius dedecet diuinam reuelationem. Tum ex eo quòd cõiunctum ſibi regni nomen ſumitur propriè, quum dicitur, *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes,* qua enim ratione non impropriatur regni nomen, eadem ratione abducendum à proprietate non eſt Sacerdotis nomen, quum ſimul ponantur.

Quòd verò non propriè Sacerdotis nomen hoc in loco poſitum intelligatur, habetur ex eo quòd ſi propriè dictum eſt, ſequitur Chriſtianos omnes, aut ſaltem iuſtos omnes ſaltem prædeſtinatos eſſe propriè Sacerdotes, quod ſanctæ matris Eccleſiæ pias aures offendit, vtpote multorum hæreticorum dogma.

Quæſt. 2. Circa verba quoque Petri Apoſtoli primò inducta occurrit primò ſimilis quæſtio, an ſcilicet ſit primò de ſacerdotio propriè. Nam quòd ſit ſermo proprius, habetur ex duobus. Primò, quia de dignitate populi Chriſtiani loquitur: conſtat autem ad dignitatem ſpectare ſacerdotium propriè dictum, & non per ſimilitudinem. Secundò, quia ſermo iſte ſumptus eſt ex verbis Domini ſcriptis à Moyſe *Exod.* 19. vbi conſtat de ſacerdotio propriè dicto ſermonem eſſe.

Quòd autem non ſit ſermo de ſacerdotio propriè, ex eo arguitur, quia ſequeretur quemlibet Chriſtianum donatum eſſe ſacerdotio propriè dicto, & ſic quilibet Chriſtianus eſſet propriè Sacerdos. Quod hinc tanto clariùs ſequitur, quanto manifeſtum eſt ad populum Chriſtianum hunc ſermonem dirigi, & non ad maiores in Eccleſia: ad quos fortè referri dicuntur ſermones allati ex Apocalypſi. Occurrit deinde ſpecialis quæſtio, cur Petrus Apoſtolus referens hæc Domini verba, mutauerit illa. Nam in Exod. Dominus dixit: *Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale.* Petrus verò dixit: *Vos autem ſacerdotium regale.* Inter quæ quanta ſit diſtantia, monſtrat diuerſa ſignificatio ſubſtantiui & adiectiui.

Circa demum verba eiuſdem Petri Apoſtoli vltimo allata, ſimilis primo, occurrit quæſtio de proprietate ſermonis: quia ex vna parte loqui impropriè dedecet ſacram Scripturam: & ex alia parte ſequitur omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes ſi ſermo eſt proprius, quum ad omnes dirigatur ſermo iſte. Quæritur deinde, an hoſtias dixerit ſpirituales diminutionis, an excellentiæ cauſa: vt ſcilicet hortetur ad offerendum ſpirituales hoſtias tanquam meliores hoſtiis corporalibus, vel tanquam ad quales poſſunt. *Quæſt. 3.*

Antequam reſpondeatur, prædeclarandi ſunt ex ſacra Scriptura termini cum differentiis eorum. In duplici ſiquidem ſignificatione inuenitur ſacerdotium in ſacra Scriptura, ſcilicet, vel propriè, vel ſecundùm ſimilitudinem, ſeu participationem quandam. Et propriè quidem frequentiſſimum eſt Sacerdotis nomen in ſacris literis. Secundùm verò ſimilitudinem rarum quidem eſt ipſum ſacerdotij nomen, ſæpe tamen ſacerdotalium operum nominibus Scriptura vtitur ſic, ſcilicet ſecundùm ſimilidinem, ſeu participationem quandam, vt nunc apparebit. Sacerdos igitur propriè, diffinitur ab Apoſtolo ad Hebræos quinto, *Omnis,* inquit, *Pontifex, ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ad Deum ſunt, vt offerat Deo dona & ſacrificia pro peccatis.* Nec mireris nouitie, ſi de Sacerdote loquendo, ad Pontificis diffinitionem tranſire videamur: quam quidem Apoſtolus vt ſynonymis vtitur Pontificis & Sacerdotis nominibus, vt patet ibi in multis capitulis. Iuxta hanc ſignificationem conſtat appellari Sacerdotes eos, qui officium habebant offerendi Deo ſacrificia & oblationes, & ſæpiſſimè in Scriptura nominari. Sacerdotij verò nomine ſecundùm quandam ſimilitudinem Petrus Apoſtolus vtitur in verbis in tertia quæſtione inductis, vt infrà clarè patebit. *Sacerdotij duplex acceptio in Scriptura.* *Sacerdos propriè.* *Pontifex & Sacerdos ſynonyma.*

Opera autem Sacerdotis pluries inuenimus ſecundùm ſimilitudinem applicata ad actus diuerſarum virtutum. Et de interiore actu pœnitentiæ patet in Pſalmiſta, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* De actu abſtinentiæ, ad Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctã,* &c. *Sacerdotis opera applicata ad actus virtutum.*

De actu diuinæ laudis, ad Heb. 13. *Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. De actu beneficẽtiæ, ibidem, *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci*; talibus enim hoſtiis promeretur Deus. De actu martyrij, Sapientiæ 3. *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos*. Et vniuerſaliter de actibus iuſtitiæ in Pſal. dicitur, *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*. Hæc enim & aliæ huiuſmodi per quandam ſimilitudinem hoſtiæ & ſacrificij dicuntur, pro quanto induunt rationem oblatorum Deo ad eius honorem. Et ſimiliter ſecundùm ſimilitudinem Sacerdos dicitur qui hæc ad honorem Dei facit, pro quanto offert huiuſmodi virtutum actus Deo, ordinando illos in honorem Dei. Ex quibus habes primò quòd Sacerdos propriè eſt nomen gradus, ordinis, ſeu officij publici, ad offerendum Deo ſacrificium, non curando nunc differentiam inter ordinem, gradum, & officium. Sacerdos verò ſimilitudinariè, nomen eſt virtutis, ſcilicet religionis, ſeu ſanctitatis afficientis animam ad diuinũ cultum. Habes ſecundò conditiones tres requiſitas ad propriè Sacerdotem.

Sacerdos ſimilitudinariè.

Sacerdotis propriè conditiones tres.

Prima eſt, quòd ſit ex hominibus aſſumptus. Et hinc gradus, ſeu dignitas monſtratur, vt interlin. gloſſa notauit.

Secunda eſt, quòd ſit pro hominibus conſtitutus, & hic publica vtilitas monſtratur, ita vt ſit mediator inter Deum & homines conſtitutus pro hominibus in iis, quæ ſunt ad Deum.

Tertia eſt, quòd offerat ſacrificia. Et hinc facultas ad ſupremum oblatorum Deo, monſtratur, ad differentiam minorum etiam officiorum publicorum ad offerendũ Deo laudes. Nunquam itaque intelligas ſacerdotium, aut Sacerdotem propriè, niſi has in eo inueneris conditiones. Offerentes ſiquidem quæcunque virtutum opera Deo, aſſimilãtur Sacerdotibus, & participant ſacerdotium, pro quanto actum oblationis exercent, ſed à ſacerdotio & Sacerdote propriè deficiunt, pro quanto non ex publico ſacerdotij officio offerunt. Et ſimiliter oblata deficiũt à ſacrificiis proportionabiliter, vt infrà clarè patebit.

Obiectio.

Et ſi obiiciatur contra hæc, quòd qua ratione Chriſtus offerendo ſeipſum in ara crucis, fuit verè & propriè Sacerdos: eadem ratione ſancti Martyres offerendo ſeipſos in ara ignis, & aliorum tormentorum, fuerunt verè & propriè Sacerdotes: ac per hoc ruunt omnia dicta, quoniam ex ſola virtute martyrij voluntarij ſacerdotium propriè dictum inuenitur. Et ſi hoc admittitur, non erit difficile deducere ſacerdotium propriè dictum ad offerentes mortificationem carnis, & alia huiuſmodi.

Soluitur.

Ad hoc dicitur quòd inter Chriſtum & alios maxima eſt in hoc differentia. & pro nunc dicemus triplicem.

Prima eſt, ex parte principij: quia Chriſtus ex publico ſacerdotij officio obtulit ſeipſum, ita quòd fuit conſtitutus Sacerdos ad ſacrificandum ſeipſum, quod de nullo alio etiam ſuſpicari fas eſt: quia nullus fit Sacerdos ad offerendum ſeipſum in ſacrificium, ſed ad offerendum in lege veteri vitulum, aut ouem, &c. & in lege noua corpus & ſanguinem Domini. Chriſtus autem Dominus ex omnibus aſſumptus à Deo Patre, & pro hominibus conſtitutus eſt ad offerendum ſeipſum per mortem propriam in ara crucis, vt patet per Apoſtoli proceſſum longum ad Hebræos.

Secunda eſt, ex parte oblationis. Oblatio ſiquidem Chriſti fuit ſecundùm ſubſtantiam oblationis voluntaria, hoc eſt, mortuus eſt quia ipſe voluit, non ſolùm voluntate diuina, ſed etiam voluntate humana, non ſolùm per modum acceptantis, ſed per modum cauſantis, pro quanto in poteſtate animæ ſuæ erat prohibere mortem ſuam corporalem, quia erat anima glorificata, & noluit fieri huiuſmodi prohibitionem. Vnde ſingulariſſimè ſcriptum eſt de hoc voluntario Eſa. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Et ipſe Dominus dicit, *Nemo tollit animã meam a me, ſed ego ponam eam à meipſo*, Ioan. 10. & de ſua quo ad hoc poteſtate ſubdit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*. Reliquorum autem ſanctorum Martyrum oblatio non fuit voluntaria quo ad ſubſtantiam, quia non erat in poteſtate eorum mori, vel non mori, quamuis in poteſtate eorum quandoque fuerint circunſtantiæ moriendi, puta locus, tempus, modus. Non fuit, inquam, voluntaria niſi per modum acceptantis, pro quanto acceptauerunt mori pro honore Dei, quaſi facientes de neceſſitate virtutem.

Tertia, ex parte rei oblatæ. Nam ſanguis Chriſti fuit ſuapte natura reconciliatiuus, ſatisfactiuus, &c. pro aliis, imò pro toto mundo, vt dicitur 1. *Ioan.* 2. ſanguis verò aliorũ Martyrum ipſis ſolis meritorius eſt. Non eſt ergo ſimilis ratio de ſacrificio mortis Chriſti, & de ſacrificiis mortis aliorum Martyrum. Vnde manifeſtum fit Chriſtum offerendo ſeipſum fuiſſe verè & propriè Sacerdotem: ſanctos autem Martyres fuiſſe Sacerdotes per quandam ſimilitudinem, vt Sacerdos eſt nomen virtutis.

Reſponſio ad quæſt. primã.

His præmiſſis reſpondetur ad primam quæſtionem de verbis Apoc. quòd ſermo eſt in vtroque textu de Sacerdote propriè. Recognoſcuntur ſiquidem duo beneficia exhibita Chriſtiano populo, ſcilicet regni, & ſacerdotij.

Vbi pro claritate aduerte magnam eſſe dignitatem populi ſi erigatur in regnum, & ſi concedatur vt ſint ex eis Sacerdotes, vt teſtatur priuatio eorundem. ſi enim regnum redigeretur in prouinciam, valde degeneraret, & ſimiliter ſi populus aliquis priuaretur vt ex eis nõ poſſint fieri Sacerdotes, aut (quod plus eſt) quòd in eis nõ eſſent Sacerdotes, valde denigraretur. Ad magnum ergo beneficium populi ſpectat conceſſio vtriuſque dignitatis, vt ſcilicet populus erigatur in regnum, & ſuos habeat ex ſuis Sacerdotes.

Vtranque itaque dignitatem collatam Chriſtiano populo eſſe Apocalypſis teſtatur. *Et regnum quidem Dei eſt* (vt dicitur ad Rom. 14.) *iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto*, quod in præſenti incipit, iuxta illud Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt*. In futuro autem perficietur: tum quia nec iuſtitia, nec pax, nec gaudium in Spiritu ſancto hic conſummatur: tum quia Chriſtus ipſe expectauit regnare vſquequo tranſiret ex hac vita. Fit ergo Chriſtianus populus regnum Deo, quum fit iuſtus, pacificus, & gaudens Spiritu ſancto.

Chriſtianus populus quomodo fiat regnum Dei.

Explicatur regalis dignitas.

Siſte parumper hîc, & nota primò dignitatem regalem explicari per regnum, non per Reges. ait enim, *feciſti nos regnum*. & non dicit, feciſti nos Reges: quia regnũ directè ſonat dignitatem vniuerſitatis, Rex autem dignitatem perſonalem: vt hinc intelligas Chriſtianos erectos propriè in regnum, & non in Reges. vnus enim ſolus eſt in Dei regno Rex, propriè loquendo.

Nota

Nota ſecundò eandem excellentiam notari, quòd hîc incipiat, & in futuro conſummabitur, dum verbo præteriti temporis dicitur, *feciſti nos regnum*, & verbo futuri temporis ſubditur, *regnabimus ſuper terram.* quod tunc verificabitur, quum Chriſtiani corregnabunt Chriſto in terra viuentium.

Nota tertiò dignitatem regalem ita explicatam in præſenti & in futuro per dicta verba, vt intelligeretur excellentiam hanc ita eſſe vniuerſitatis, vt ad perſonales quoque actus in futuro ſe extendat. Et propterea explicata eſt quo ad futurum per actus regnandi, dum dictum eſt, *& regnabimus ſuper terram.* quo contrà ſacerdotalis dignitas explicata eſt per nomen perſonale, & nihil ad Sacerdotes ſpectans dicitur de futuro, vt intelligeremus aliter communicatam dignitatem ſacerdotalem, & aliter dignitatem regni, & ſimiliter aliter & aliter ſe habere ad futurum vtranque dignitatem. *Dignitas ſacerdotalis.* Dignitas namque ſacerdotalis non ſic eſt populi vt quilibet ſit pars ſacerdotij, ſicut dignitas regni ſic eſt populi, vt quilibet ſit pars regni; ſed ſacerdotalis dignitas ſic eſt populi, vt habeat ex ſuis aliquos Sacerdotes. Et propterea textus vtitur Sacerdotis nomine, quod non eſt nomen collectiuum, ſed ſingularis perſonæ. Et vt contentioſi ac proterui conuincantur, & videant ſuauem diſpoſitionem regni & ſacerdotij populo conceſſi, exigere dictum intellectum, perſpice & clarè intuere alium ſenſum, ſcilicet quòd quilibet de populo ſit Sacerdos, deſtruere ſeipſum. Nam ſi ſic Chriſtianus populus habet dignitatem ſacerdotij, vt quilibet ſit Sacerdos, propriè loquendo ſequeretur de neceſſitate quòd nullus Chriſtianus eſt Sacerdos, quia Sacerdos ex hominibus eſt aſſumptus, & pro hominibus conſtitutus in iis, quæ ſunt ad Deum, &c. ac per hoc ſi quilibet eſt aſſumptus & conſtitutus, nulli ſunt ex quibus aſſumitur, & pro quibus conſtituitur: niſi fortè diceretur, quòd remanent infideles ex quibus aſſumitur, & pro quibus conſtituitur. Quod primò eſt ridiculum, Sacerdotes noſtros fieri pro infidelibus. Deinde non effugit vim argumenti: quia ſi totus mundus eſſet Chriſtianus, nullus Chriſtianus eſſet Sacerdos, quum nulli homines remanerent ex quibus Sacerdos aſſumeretur, & pro quibus conſtitueretur: ſicut ſi quilibet homo eſſet Rex, nullus homo eſſet Rex, quia nullus haberet ſuper quos regnaret. Sapientia ergo diuina diſponens omnia ſuauiter, reuelauit Chriſtiano populo vtráque dignitatem collatam, ita vt intelligatur vtraque ſuauiter collata illa regia ſecundùm ſuauitatem regni; ſacerdotalis verò ſecundùm ſuauitatem ſacerdotij, vt ſcilicet ex Chriſtianis aliqui ſint aſſumpti & conſtituti pro aliis Sacerdotes. Et ſicut verè & propriè dicitur, *feciſti nos Deo noſtro regnum*, colligendo omnes Chriſtianos in regnum Dei: ita veriſſimè etiam dicitur, *feciſti nos Sacerdotes Deo*, aſſumẽdo ex nobis, & conſtituendo pro nobis aliquos noſtrûm Sacerdotes: quoniã ſic & veriſſimè & propriiſſimè verus eſt ſermo iuxta ſubiectam materiam, & totus populus recognoſcit beneficiũ vtrumque eſſe ſuum, quãuis diuerſimodè: quia primum in ſingulis, ſecundum in quibuſdam, ex ſingulis tamen & pro ſigulis. Et quia in patria non erunt ſacrificia, ſicut nec templum (iuxta illud Apoc. 21. *Templum non vidi in ea*) ideo nihil in futurum de actu Sacerdotis dicitur: quamuis ſacerdotalis dignitas maneat in æternum. Et ſic patet ſolutio primæ quæſtionis, admittendo dicta Apoc. verba ad vniuerſum Chriſtianum populum referri: quod tamen multi fortè non admitterent. Et verba quidem allata ex 5. c. non ſunt populi Chriſtiani, ſed animalium, & ſeniorum, à quibus diſtingui reliquum Chriſtianum populum apparet intuenti textum: exprimentem vltra animalia & ſeniores Angelos & omnem creaturam, in cœlo, ſuper terram, &c. Verba autem primi capituli Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ ſunt, *Qui erat Sacerdos.* & in perſona ipſius, & ei ſimilium gloſſari poſſunt. Hæc de prima quæſtione.

QVÆSTIO II.

De verbis Petri Apoſtoli in cap. 2. primæ ſuæ epiſtolæ: Vos autem genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta, &c.

AD ſecundam quæſtionem de verbis Petri Apoſtoli, pro quanto ſimilem petit difficultatem, patere poteſt ex dictis reſponſio. Et breuiter dicitur quòd eſt ibi ſermo de ſacerdotio propriè dicto, & quòd ſecundùm rem ſignificatur ibi vtraque dignitas, regni ſcilicet, & ſacerdotij, collata Chriſtiano populo. Quo ad modum verò explicandi, aliter explicata eſt à Petro Apoſtolo, quàm fuit à Ioanne Euangeliſta. nam Petrus non explicauit illam per nomen perſonale (non enim dixit, vos eſtis ſacerdotes) ſed per nomen ipſius dignitatis ſacerdotalis, dicendo, *Vos eſtis ſacerdotium.* vt per hoc eruditus quiſque facilè poſſet intelligere quid ſignificatur, ſcilicet quòd in illis eſſet dignitas ſacerdotij, ſcilicet, in vobis eſt dignitas ſacerdotij. Quod ſufficientiſſimè verificatur habendo ex ſeipſis quoſdam Sacerdotes. & non oportet verificari ſic vt ſinguli ſint Sacerdotes: quia, vt deductum eſt, ſi ſinguli eſſent Sacerdotes, nullus eſſet Sacerdos.

Quum verò ſecundò quæritur cur Petrus mutauerit verba Domini in Exod. dum ibi dicitur, *Regnum ſacerdotale:* Petrus autem ait, *ſacerdotium regale.* Reſpondetur ea ratione factam eſſe mutationem, quia illud regnum, vtpote temporale, decorabatur dignitate ſacerdotali tanquam illuſtriore: ſacerdotium verò noſtrum, quamuis ſpiritalius, decoratur tamen regno Dei æterno, vtpote clariore & meliore. hinc enim factum eſt vt ibi regnum ſignificaretur decoratum ſacerdotali dignitate, dicendo, *Regnum ſacerdotale.* hic verò ſacerdotium ſignificaretur decoratum regno, dicendo, *ſacerdotium regale.* Declaro ſingula.

Promiſit populo Iſraël Deus ſi ſeruaret mandata ſua, quatuor, vt dicitur Exod. 19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gẽs ſancta.* Vbi primò promittit Deus habiturum ſe populũ Iſraël in ſpecialiter propriam rem ad ſimilitudinem peculij, quod ſpecialiore quodam iure poſſidetur, quàm id quod communiter habetur, vnde & dicitur peculium caſtrenſe, vel quaſi, &c. Propterea ſiquidem interponit, *mea eſt enim omnis terra.* tanquam diceret, licèt ego ſim vniuerſalis Dominus totius orbis communi iure creationis, gubernationis, &c. vos tamen eritis mei quaſi ſpeciali quodam iure, propter ſpecialem curam quam habebo de vobis quaſi de peculio. Et huic ſuo peculio adiecit tres dignitates

tates, ſcilicet regni, ſacerdotij, & ſanctitatis. Regni quidem temporalis, quoniam erigebat populum illum in temporale regnum ipſius Dei, ita quòd Deus eſſet illis Rex, & ipſi eſſent eius regnum. Nec hoc ego fingo, ſed Scriptura teſtatur multipliciter. Tum 1. *Regum* 8. vbi populo petente conſtitui ſibi hominem in regem, Dominus dixit ad Samuëlem, *Non enim te, ſed me abiecerunt, ne regnem ſuper eos.* Tum, quia *ibidem* 12. Samuël dixit populo ad idem propoſitum. *Dixiſtis, Rex imperabit nobis quum Dominus Deus veſter regnaret in vobis.* Tum quia in præfato 8. c. reprehenditur populus de hac ſua petitione quæ non eſſet reprehenſione digna, niſi ratione iniuriæ quam faciebant Deo, refutantes illum pro Rege, & volentes habere hominem in Regem ſicut cæteræ gentes habent. Vnde populus Iſraël paruo tempore dignitatem regni Dei retinuit, ſcilicet à Moyſe vſque ad Samuelem. poſtea autem in regnum hominis degenerando tranſiit. Et hoc etiam parum retinuit, ſub tribus ſcilicet Regibus tantùm, Saule, Dauid, & Salomone. Nam poſtea non fuit ampliùs regnum hominis, ſed ſciſſum eſt in regna hominum. Temporalem ergo dignitatem regni Dei vt ſpecialis Regis eorum promiſſam à Deo ſi ſeruarent mandata eius, quia laſens erat, quia Rex inuiſibilis erat, oportuit decorare & illuſtrare claritate dignitatis ſacerdotalis, quæ in manifeſto poſita fuit. & propterea dicitur *regnum ſacerdotale.* In cuius ſignum ſuprema iudicia ſummo Sacerdoti reſeruata ſic erant, vt morte puniendus eſſet qui non pareret iudicato: vt habes *Deut.* 17. Et reuocatio profugorum vſque ad mortem ſummi Sacerdotis decreta fuit *Ioſue* 20. Tertia demum dignitas (ſcilicet vt eſſent gens non prophana, non ſuperſtitioſa, non ſacrilega, vt gentes ignorantes Deum, & colentes idola: ſed ſancta, hoc eſt, dicata Deo vero per verum cultum) manifeſta eſt. Petrus autem Apoſtolus mutauit peculium in genus electum, explicans & ſpecialitatem electorum, & originem per æternam electionem, & modum exequendi electionem per viam generationis. generantur ſiquidem Chriſtiani per Baptiſmum. Dignitatem verò regni altiorem inſinuauit ſacerdotali. Et verè ſic eſt, quia ſacerdotium Chriſtianum, eſt ſacerdotium regni: ſicut Euangelium eſt Euangelium regni, proculdubio æterni: vt explicat etiam Apoſtolus ad Heb. 9. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum*, hoc eſt, eorum quæ in futuro ſeculo expectamus. Conſtat autem longè melius & illuſtrius eſſe æternum Dei Regnum, quàm præſens ſacerdotium, quoniam hoc ſacerdotium eſt propter illud regnum, & non econtrario. Rationabiliter itaque mutauit Petrus, dicens, *ſacerdotium regale*, propter excellentiam æterni regni, cuius eſt ſacerdotium noſtrum, & hoc ita accipito ſecundùm literalem ſenſum Scripturæ, vt non reſpuas etiam poſſe dici noſtrum ſacerdotium regale, quia eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui Rex & Sacerdos fuit. Et hæc de ſecunda quæſtione.

QVÆSTIO IV.

***De verbis Petri,* Ad quem accedentes, &c.**

AD tertiam quæſtionem de verbis eiuſdem Petri, Apoſt. *Ad quem accedentes*, &c. reſpõdetur quòd ſermo eſt hîc de ſacerdotio non propriè, ſed metaphoricè. Quod ex contextu apparet. tum ex præcedentibus. nam metaphorico ſermone præponit lapides viuos, & ſuperædificari, & domos ſpiritales. Tum ex ſequentibus: nam metaphorico quoque ſermone ſubiungit ſpiritales hoſtias. Ex his enim manifeſtum fit quòd metaphoricè quoque loquitur de ſacerdotio, exhortans fideles vt accedentes ad Chriſtum ſpiritalibus pedibus, tanquam viui lapides ſuperædificentur in ſpiritales domos, & in ſpiritale ſacerdotium, ad offerendum ſpiritales hoſtias: vbi clarè patere poteſt totum ſermonem eſſe metaphoricum; & ſignificari per hoc ſacerdotium virtutis, quo aliquis offert opera virtutis Deo, vt ſuprà diximus. In cuius ſignum appellatum eſt ſacerdotium ſanctum, à ſanctitatis virtute: cuius eſt afficere animum ad diuinum cultum, ſanctitas enim licèt credatur illamet virtus, quæ eſt religio, hoc tamen ab ea differt, quòd ipſa primò reſpicit animum, religio verò opera. Vnde vacantes exteriori cultui diuino, Religioſi appellantur, Sancti autem minimè, niſi animo mundo ad diuinum ſe habeant cultum. Ad mundo igitur animo offerendum virtutis opera Deo, hortatus eſt, dum in ſanctum ſacerdotium prouehere Chriſtianos ſtuduit. Nec hinc ſequitur aliquod inconueniens, aut dedecens ſacram Scripturam: quoniam aliud eſt impropriè loqui, & aliud eſt metaphoricè loqui, vt patet, & metaphorica locutio frequens eſt in ſacra Scriptura.

Ad id verò quod deinde quæritur de ſpiritualibus hoſtiis, an meliores ſunt, &c. reſpondetur dicendo tria, præmiſſa tamen priùs ratione nominis. Actus virtutum interiùs eliciti, & exteriùs imperati, ſi ad honorem Dei fiunt, dicuntur ſpirituales hoſtiæ, ea communi ratione, quia hoſtiæ ſunt ſecundùm ſpiritum, ſicut domus ſpiritualis dicitur, quia domus eſt apud ſpiritum. Interior autem virtutis actus ad Deum relatus, dicitur ſpeciali etiam ratione hoſtia ſpiritalis, ſcilicet ratione materiæ: ita quòd eſt vtroque modo ſpiritalis, & vocatur ſacrificium inuiſibile à ſanctis Doctoribus. *Sacrificium inuiſibile, de hoſtia ſpiritali.*

Primum itaque eſt, quòd ſpiritales hoſtiæ ſecundùm rationem hoſtiæ ſunt diminutiuè hoſtiæ, hoc eſt, ſunt hoſtiæ ſecundùm quid, & non ſimpliciter, ita quòd ly *ſpiritalis* eſt conditio quaſi diminuens rationem hoſtiæ, ſeu dicens hoſtiam ſecundùm quid. Hoſtia enim ſimpliciter & abſolutè nomen eſt corporalis ſacrificij. Exemplum: Domus eſt nomen rei corporalis, & propterea domus ſpiritalis non eſt domus ſimpliciter, ſed metaphoricè, ſeu ſecundùm quid.

Secundum eſt, quòd comparando hoſtias ſpiritales hoſtiis abſolutè, quæ ſunt ſacrificia corporalia, meliores ſunt ſimpliciter hoſtiæ ſpiritales. Et ratio eſt, quia hoſtia ſpiritalis eſt virtutis reddentis hominem Deo gratum, & qua nemo poteſt malè vti: ſacrificia autem ſtant cum immundo animo. & illæ ſunt propriæ bonis; iſtæ autem communes ſunt bonis & malis. vnde *Eſa.* 1. Dominus dicit, *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? incenſum abominatio eſt mihi* Et tandem rationem reddẽs ſubdit, *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Et Dominus in

Euangelio Matth. 9. *Euntes diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* quod ſcriptum eſt *Oſee 6.* vbi adiungitur, *& ſcientiam Dei pluſquam holocauſtum.* Miſericordia enim & ſcientia Dei ſpiritales ſunt hoſtiæ.

Tertium eſt, quòd hoſtia noui Teſtamenti in ſeipſa quidem melior eſt omnibus. quum ſit ipſe Chriſtus Deus noſter. Sed oblatio eius ex parte offerentium non eſt melior hoſtiis ſpiritalibus, ſed quandoque eſt peſſima, vt patet. Quum Petrus ergo Apoſtolus ad offerendas ſpiritales hoſtias inducit, ad meliores offerentibus inducit, quamuis ad diminutiones in ratione hoſtiæ. Et hæc de tertia quæſtione. Poſonij in feſto Pauli primi Eremitæ. M.D. XXXIV.

IENTACVLVM IV.

De nouem beatitudinibus Euangelicis.

OCCVRRVNT quartò Euangelicæ beatitudines tractandæ, poſitæ *Matth.* 5. Circa quas antequam ſingulæ tractentur, quinque occurrunt quæſita.

Primum, cur Dominus in principio has beatitudines propoſuit.

Secundò, cur multas.

Tertiò, cur tot, ideſt, nouem.

Quartò, cur pluraliter.

Quintò, an gradatim enumerentur.

QVÆSTIO I.

Cur Dominus in principio has beatitudines propoſuit.

AD primum quidem quæſitum reſpondetur, Dominum in principio legis Euangelicæ beatitudines propoſuiſſe duplici ratione. Altera eſt, quia ſunt fines: quia perfectiones iſtæ quæ vt beatitudines proponuntur, ſunt in præſenti vita vt fines. Quod ex eo patet, quòd quælibet earum proponitur vt veſtita beatitudinem ex ratione finis vltimi in patria. In qualibet ſiquidem beatitudine ponuntur quatuor. Primò, perfectio aliqua, puta eſſe pauperem ſpiritu, eſſe mitem, &c. ſecundò, ratio beatitudinis in verbo, *beati.* tertiò deriuatio beatitudinis in verbo, *quoniam.* quartò, finis vltimus in patria, puta regnum cœlorum, poſſidere terram, &c. Quia ergo in qualibet beatitudine ponitur finis vltimus futurus in alia vita, puta regnum cœlorum, &c. & hic finis ponitur vt ratio beans actum propinquum tali fini, puta eſſe pauperem ſpiritu, eſſe mitem, &c. conſequens eſt vt quælibet ſit finis. beatitudo enim habet rationem finis. Et meritò, nam huiuſmodi actus propinqui futuræ vitæ ſunt ſupremæ perfectiones huius vitæ, & ideo habent rationem finis. Et propterea Saluator ſapientiſſimè in principio Euangelicæ legis propoſuit vtrunque finem, & eum ſcilicet, ad quem tandem tendimus aſſequendum in patria: & eum, ſeu eos, quibus mediantibus in hac vita appropinquamus ad finem

cœleſtis patriæ, finis enim habet rationem principij in operabilibus, quia ex fine ſumitur ratio operandi. Et hinc habes quàm differenter à Philoſophis Saluator docuerit felicitatem huius vitæ. Illi namque quæſierunt huius vitæ felicitatem abſolutè, hoc eſt, in ſeipſa. Saluator autem docuit huius vitæ felicitatem relatiuè ad æternum patriæ gaudium: & ideo, vt dictum eſt, proponens beatos, apponit, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum,* aut aliquid ſimile. Et propterea illi poſuerunt noſtram hîc beatitudinem quaſi præmium vltimum. Saluator autem ponit noſtram hîc beatitudinem vt meritum propinque pariens æternum in futuro præmium. Altera ratio eſt, quia huiuſmodi perfectionis rationem habet exemplaris, ad quod in hac via inſpiciendo, menſurare poſſimus quantum proficiamus, & quantum deficiamus à perfectionis apice: vt quum aliquis circa ea, quæ ſunt manſuetudinis, curat proficere, menſuret ſe aſpiciendo ad beatitudinem, qua dicitur, *Beati mites.* & ſic de aliis.

QVÆSTIO II.

Cur multas.

AD ſecundum quæſitum, cur non vnam, ſed multas poſuit beatitudines, reſpondetur, quòd quemadmodum in domo cœleſtis Patris manſiones multas eſſe docuit: ita multas beatitudines eſſe in hac vita reuelauit, quaſi vias multas perducentes ad cœleſtem patriam, vt hinc diſceremus non eſſe felicitatem Euangelicam in hac vita, ſicut felicitas quam ſtuduerunt ponere diuerſæ Philoſophorum ſectæ, quarum vna excludebat aliam: ita quòd non erat felix, verbi gratia, apud peripateticos, niſi perueniens ad contemplationem ſapientiæ, &c. Chriſtus enim poſuit ſic beatos in hac vita pauperes ſpiritu, vt poneret etiam beatos mites, & rurſus poneret etiam beatos miſericordes, &c. ita vt qui miſericordiæ perfectione eſſet beatus, non excluderet eum, qui munditia cordis beatus eſſet, & ſic de aliis. monſtratúrque hinc communes eſſe toti humano generi beatitudines vitæ huius, dum alius ſic, & alius ſic ire poteſt.

QVÆSTIO III.

Cur tot, id eſt, nouem.

AD tertium quæſitum de certo numero reſpondetur nouem apud Matthæum à Domino propoſitas beatitudines conſiſtentes in nouem aſſecutionibus perfectionum: verùm ſeptem primæ (quæ ſolæ conſueuerunt à multis dici beatitudines) conſiſtunt in ſeptem ſtudiis agendi: vltimæ verò duæ conſiſtunt in perfectione non agendi, ſed patiendi. Quæ inter ſe diſtinguuntur ex diuerſa patiendi ratione: dum ratio patiendi in octaua eſt deitatis confeſſio ſecundùm quamcunque virtutem abſolutè: in nona verò ratio patiendi eſt confeſſio Verbi incarnati. quod ſpecialem ingerere difficultatem immenſitas myſterij monſtrat. Sed ad hoc quæſitum plenior reſponſio poſt diſcuſſas omnes beatitudines apparebit,

non prætereundo quòd ideo ſolæ primæ ſeptem computantur beatitudines, quia ſolæ ipſæ ſunt in poteſtate ſtudij noſtri poſitæ, vtpote in actionibus noſtris conſiſtentes. Nam reliquæ duæ non ſunt in poteſtate noſtra. perſecutiones enim in iniquorum poteſtate ſunt: & ſi nemo nos perſequitur, nullus eſt qui patiatur perſecutionem propter iuſtitiam, aut propter Chriſtum.

Septem igitur ſunt beatitudines abſolutæ: nouem autem, ſuppoſitis perſecutionibus contra iuſtitiam, & contra Chriſtum.

QVÆSTIO IV.

Cur pluraliter.

AD quartum autem quæſitum (cur quælibet beatitudo pluraliter propoſita ſit, dicendo, *beati*) reſpondetur hoc ideo factum eſſe, vt in qualibet beatitudine multitudo comprehenderetur infinita hominum qui poſſent, ſi vellent, eſſe ſecundùm illam beati: ita vt non ſolùm multitudo beatitudinum multitudinem monſtret beatorum, ſed quælibet beatitudo multos comprehendat in hac vita beatos: dum non ſingulariter dicitur beatus, ſed pluraliter dicitur *beati*.

QVÆSTIO V.

An gradatim enumerentur.

AD quintum quæſitum, ne idem pluries repetatur, ſeruanda eſt reſponſio poſt declaratas ſingulas beatitudines. tunc enim præintellectis ipſis beatitudinibus, gradus earum apparebit.

Beatitudo prima. Senſus primus. Circa primam beatitudinem, ſcilicet, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, ſcito duplicem inueniri expoſitionem. Primò, vt declaretur perfectio hominis in ordine ad bona temporalia: quales ſunt diuitiæ, agri, domus, & cætera huiuſmodi. Secundò, vt declaretur perfectio hominis in ordine ad quæcunque magnificantia hominem: vt ſunt gloria, fama, dignitas, ſcientia, ſanitas, pulchritudo, &c. Et iuxta primum ſenſum, paupertatis nomen propriè ſumitur: *Spiritus, pro volũtate ſpiritali.* ſpiritus verò ſumitur pro voluntate, non quacunque, ſed ſpiritali, non quomodolibet, ſed per modum impulſus, ſeu *Pauper ſpiritu quis.* affectus: ita quòd eſſe pauperem ſpiritu, eſt velle ſpiritali ratione & impulſu, ſeu affectu paupertatem, ſiue ſecundùm exteriorem poſſeſſionem ſit pauper, ſiue non. Quod vt pleniùs intelligas, recole apud philoſophiam moralem duas inueniri virtutes circa diſpoſitionem hominis in huiuſmodi rebus, liberalitatem ſcilicet, & magnificentiam. ſatis enim bene diſpoſitus eſt moraliter homo in vſu huiuſmodi exteriorum bonorum; ſi eſt liberalis in mediocribus, & magnificus in magnis. Lex autem diuina in veteri Teſtamento altiorem videtur ingerere perfectionem, auertendo interiorem affectum ab huiuſmodi bonis. *Diuitiæ*, inquit, *ſi affluant, nolite cor apponere.* Et rurſus, *Beatus vir qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia theſauris. quis eſt hic, & laudabimus eum*: Euangelica autem doctrina perfectiorem animum format, ad contrarium (paupertatem ſcilicet) cor vertẽs. Et hoc dupliciter. hoc eſt vel ſtatum paupertatis, iuxta illud, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. Vel ad internum meritum paupertatis, iuxta hanc beatitudinem, *Beati pauperes ſpiritu.* Vbi videre potes ad quantum perfectionis apicem aſcendit pauper ſpiritu, ſuperato tam liberali, quàm magnifico rectè vtente temporalibus bonis, ſuperato quoque tollente affectum ſuum ab huiuſmodi bonis, dum affectum ſuum ad contrarium (paupertatem ſcilicet) habet. Et quia paupertas non eſt laudabilis ſecundùm ſe, ideo non eſt dictum, *Beati pauperes* voluntate, ſed *ſpiritu*, hoc eſt, voluntate ſpiritali: qualis eſt voluntas paupertatis propter bonum ſpiritale. Et quoniam huiuſmodi ſpiritalis voluntas inueniri poteſt vel per modum acceptantis (cuiuſmodi eſt voluntas hominis parati ſuſtinere propter bonum ſpiritale paupertatem ſi illata fuerit vel per modum affectus, ſeu impulſus (cuiuſmodi eſt voluntas deſiderantis propter bonum ſpiritale paupertatem, & hic modus longè præſtantior eſt, & ſignificatur per nomen *ſpiritus*) ideo deſcripti hoc in loco pauperes ſpiritu, ad ſummum perfectionis apicem ſecundùm internum meritum peruenerunt. Nec minores ſunt merito eſſentiali iis, qui ob perfectionis ſtudium exteriora relinquunt vt ſequantur Chriſtum: facerent ſiquidem & hoc pauperes ſpiritu, ſi viderent expedire.

Aduerte hîc tam pro hac, quàm pro aliis beatitudibus, conſtitui beatitudinem in perfectionis apice, ſic vt progreſſus & diſtinctio incipientium, proficientium, & perfectorum, admittatur in qualibet. *Beatitudo in quo conſiſtenta.* Et perfecti quidem beati abſolutè dicuntur, alij verò quantum ſapiunt illius perfectionem, tantum ſapiunt & beatitudinis. Verbi gratia, iuxta hanc beatitudinem perfecti ſunt qui voluntate ſpiritali per modum impulſus afficiuntur ad paupertatem, & ſimpliciter dicuntur beati pauperes ſpiritu. Vt proficientes verò ſunt, qui ſpiritali voluntate parati ſunt paupertatem, ſi venerit, ſuſtinere. Et quaſi incipientes ſunt, qui affluentibus diuitiis cor non apponunt. Vnde & vtrique à beatis pauperibus ſpiritu non omnino excluduntur: ſed inter ipſos quodammodo computantur. & ſic de ſimilibus. Hæc de primo ſenſu.

Senſus ſecundus. Iuxta ſecundum autem ſenſum, quo optima diſpoſitio hominis ad quæcunque ipſum magnificantia deſcribitur, paupertatis nomen metaphoricè ſumitur: & ſignificat inſufficientiam hominis ex ſeipſo. Et bene nota quòd non ſignificat inſufficientiam hominis, ſed inſufficientiam hominis ex ſeipſo.

Quod vt pleniùs intelligas, recolito hominem, ſicut & quamlibet rationalem creaturam duo habere. Alterum ex ſeipſo, & hoc eſt inſufficientia & vniuerſaliter defectus. Alterum, ex diuina largitate, & hoc eſt ſufficientia, & vniuerſaliter bonum. Docuit hanc diſtinctionem Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 3. ſcribens, *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vnde manifeſtè cernis Apoſtolum diſtinguere id quod conuenit nobis quaſi ex nobis, & hoc eſſe inſufficientiam, & id quod conuenit nobis ex Deo, & hoc eſſe ſufficientiam.

Quod

Quod vt pleniùs adhuc intelligas, accipe exemplum ab aëre illuminato ſiue à ſole, ſiue à lucerna: eſt enim ibi diſtinguere id quod conuenit aëri ex ſe, & id quod conuenit aëri ex illuminante. aër nanque ex ſe nullum habet lumen. ſed quantum eſt ex ſe, ſemper eſt tenebroſus: quicquid autem luminis habet, & quicquid poteſt ex lumine quod habet, ab illuminante habet. Sic quoque in nobis inuenitur, quòd nos ex nobis nullum habemus bonum, ſed defectus & inſufficientiæ pleni ſumus: ex Deo autem habemus quicquid boni habemus. Et ſicut in aëre quantuncunque illuminato ſemper durat tenebroſitas quantum eſt ex parte aëris (quia ſemper aër quantum eſt ex ſe, tenebroſus eſt) ita in homine ſemper perſeuerat ſecum inſufficientia huiuſmodi, quia quantumcunque perfectus non ſolùm in hac via, ſed in patria homo ſit, ſemper hanc conditionem retinet, quòd quantum eſt ex ſe, eſt inſufficiens ac defectiuus, propter quod de beatis Angelis ſcriptum eſt, *tremunt poteſtates.* Bona ſiquidem à Deo nobis collata, non ad hoc conferuntur vt tollant huiuſmodi inſufficientiam, ſed vt faciant nos vt Dei miniſtros, idoneos ac bonos, ſufficientes, &c. ita quòd nos tanquam ex nobis ſemper inſufficientes inuenimur, & noſmet tanquam Dei cooperatores & miniſtri, potentes, ſcientes, boni, & vniuerſaliter ſufficientes inuenimur. Habes ergo ex his omnibus quid metaphoricè *paupertatis* nomine in propoſito intelligamus, ſcilicet inſufficientiam hominis ex ſeipſo. Spiritus nomine interiorem affectum per modum impulſus intellige.

Paupertas quid. Spiritus quid.

Reſtat vt explanetur quid ſignificat hoc coniunctum, ſcilicet, *pauperes ſpiritu.* Non enim ſignificat propriè, loquendo, habentes pauperem ſpiritum. vnde & Dominus non dixit, *Beati pauperes ſpiritu*, quod ſignificaret habentes pauperem ſpiritum. Et in promptuario eſt, quia ſpiritus non debet eſſe pauper, ſed magnus & diues: puſillus enim ſpiritus vitium eſt, ſicut & paupertas ſpiritalis. Sed ſignificat vtentes in ſuo ſpiritu (id eſt, affectu) paupertate dicta, hoc eſt, inſufficientia propria.

Quod vt pleniùs intelligas, conſidera huiuſmodi paupertatem, ſeu inſufficientiam non eſſe de genere bonorum, ſeu laudabilium, neque de genere peccatorum, ſeu vituperabilium, ſed conditionem neceſſariò concomitantem rationalem creaturam. Et licet ipſa inſufficientia non ſit in ſe laudabilis, vſus tamen eius ſecundum rectam rationem valde commendabilis eſt.

Dictat autem recta ratio vt huiuſmodi inſufficientia vtamur dupliciter in ſtudiis, & affectibus noſtris. Primò, vt remouente prohibens, hoc eſt, vt tollente impedimentum optimi progreſſus ſpiritus noſtri. Impeditur ſiquidem plurimum ſpiritus noſter ſi vtamur illo tanquam ſufficientes. vſurpamus namque tunc ſufficientiam noſtram tanquam miniſtrorum Dei: & facimus noſtram abſolutè, dum ad ſtudia noſtra & opera noſtra procedimus tanquam ſufficientes, quum tamen in veritate aut ſufficientiam ad id habemus tanquam Dei miniſtri, vel totaliter non habemus. Si enim vteremur inſufficientia noſtra, applicando illam ad remouendum impedimentum ſtudiorum noſtrorum (hoc eſt, ad remouendum hoc impedimentum, quo ſcilicet procedimus in operibus noſtris tanquam nos- ipſi ſufficientes ſimus) ſic paupertas huiuſmodi redundaret in ſpiritum per laudabilem ipſius vſum. Et ſic quum dicitur *beati pauperes ſpiritu*, ſignificantur beati in ſuo ſpiritu, vtentes ſeipſis tanquam inſufficientibus. Ac ſi apertè diceretur: Beati qui in affectibus & ſtudiis ſuis ſe habent tanquam inſufficientes in ſeipſis. Vtimur ſecundò laudabiliter huiuſmodi paupertate, ſeu inſufficientia per redundantiam in noſtrum ſpiritum ſecundùm conformes ipſi paupertati, ſeu inſufficientiæ affectus: conformis namque affectus huiuſmodi paupertati eſt affectus ſubiectionis, recurſúſque ad eum, à quo eſt ſufficientia. Sicut enim extrinſecus pauper cum obſecrationibus loquitur, non confidens in ſeipſo, ſed recurrens ad alium, & ſubiiciens ſe, ita interna hæc inſufficientia, ſeu paupertas parit affectum in ſe non confidentis, ſed recurrentis ad Deum, & ſubiicientis ſe illi, & reuerentis, &c. ſic complectendo totum, beati pauperes ſpiritu dicuntur, qui in operibus ſuis & ſeipſis vtuntur vt inſufficientibus, & affectus habent conformes huiuſmodi paupertati. Et hoc a multis Doctoribus appellatur *paupertas ſpiritus.* Summa autem perfectio in huiuſmodi paupertatis vſu conſiſtere videtur in hoc quòd homo quum deliberatè operatur intus, vel extrà, non ſolùm ex electione deliberata, & ex humilitatis habitu inclinante, ſed per modum impulſus, ſeu impulſiui affectus vtatur ſeipſo tanquam inſufficiente, & rurſus quòd homo in affectibus ſuis quos quaſi non deliberando habet, vtatur ſeipſo tanquam inſufficiente, tanquam is qui ſpiritu Dei agitur. Et ad tam eminentem perfectionem deſignandam nomine ſpiritus Saluator vſus eſt, dicens, *Beati pauperes ſpiritu.*

Beati pauperes ſpiritu qui.

Paupertas ſpiritus quæ.

Quo fit vt pauper ſpiritu excedat non ſolùm communem apud morales Philoſophos, qui contra moralem ſuperbiam rectè diſpoſitus ponitur, ſed etiam humilem apud ſacram doctrinam, qui contra reuelatam ſuperbiam bene diſpoſitus eſt, quanto ſpiritus reuerentialis timoris Dei præſtantior eſt vtroque.

Et humilitatis quidem exemplum atque magiſtrum ſe Dominus exhibuit, dicens, *Diſcite à me, quia humilis ſum corde.* Reuerentialis autem ſpiritus efficaciam in ipſo Domino ſcripſit Apoſtolus, quòd in omnibus exauditus eſt pro ſua reuerentia. Extenditur autem hæc beatitudo ad quæcunque magnificentia hominem (ſiue ſint exteriora bona, ſiue corporis, ſiue animæ, tam naturalia, quàm gratuita) magnificamur enim ex diuitiis, gloria, honore, laude, ſanitate, pulchritudine, ingenio, ſcientia, prudentia, & demum infuſis diuinis donis, ex quibus periclitamur ne ſufficientiam quam in nobis tanquam Dei miniſtris ponunt, vſurpemus nobiſipſis, vnde & Paulus dicebat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me*, &c. Et propterea qui ad hanc beatitudinem perueniunt, ii ſunt qui implent præceptum Petri Apoſtoli, ad omnia ſe habentes vt cooperatores & miniſtri Dei. Ait enim, *vnuſquiſque ſicut recepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratia Dei.* ſiquis loquitur, quaſi ſermones Dei. ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus. vt in omnibus honorificetur Deus. Et ſimile eſt de aliis operationibus præceptum intelligendum, quoniam eadem eſt ratio omnium. Et quoniam internas

Humilitatis exemplum in Domino.

ternas noſtras diſpoſitiones ex delectatione & triſtitia cognoſcimus & menſuramus, ſi quis ſeipſum noſſe vult quantum vtatur, vel non vtatur ſeipſo vt inſufficiente in operibus ſuis, aduertat quantum tangitur delectatione quum magnificatur, honoratur, laudatur, &c. ab aliis, aut etiam quum ſibi occurrit ſe æſtimari, magnificari, laudari, &c. ſimiliter quantum tangitur triſtitia, quum contraria horum de ſeipſo occurrunt in animo, vel ab aliis inferuntur. Qui enim huiuſmodi delectationibus, vel triſtitiis tangitur, pauper ſpiritu non eſt, quoniam pauperi ſpiritu nihil eſt admirabilius propria laude, nec gaudet, aut triſtatur de huiuſmodi, niſi pro quanto Deus in ſuo miniſtro honoratur, vel dehonoratur.

Huius beatitudinis præmium. De præmio autem huius beatitudinis, ſcilicet, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, duo dicenda eſſent. Primum, cur regnum cœlorum reſpondet huic beatitudini.

Secundum, cur hoc præmium ſignificatur per verbum præſentis temporis, quum in aliis beatitudinibus ponatur verbum futuri temporis. Et hæc ſecunda dubitatio communis eſt etiam octauæ & nonæ beatitudini: quoniam in his tribus ſignificatur præmium per verbum præſentis temporis, in reliquis verò ſex per verbum temporis futuri. Et rurſus in his tribus ſignificatur verbum ſubſtantiuum, ſcilicet *eſt*, in aliis verò per alia verba, *videbunt, conſolabuntur*, &c. Sed hæc communia in fine omnium beatitudinum dicentur.

Ad primum autem in promptu eſt reſponſio ex illa diuina regula, *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Rationis ſiquidem ordo poſcit, vt qui voluntario ſpiritu paupertatem amplexus eſt, aut ſeipſum abiecit, vtendo ſeipſo vt inſufficiente, exaltetur in regni cœleſtis diuitias, celſitudinem, dignitatem, gloriam, &c. quæ regni nomine importantur. Et hæc de prima beatitudine.

Beatitudo ſecunda. Circa ſecundam beatitudinem, *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, aduertendum eſt mitem reſpicere duas materias, quarum principalis eſt vindicta, ſecundaria autem exterior mos. Et quantum ad vindicabilium materiam *Mites qui.* ſpectat, *mites* dicuntur qui non vincuntur à malo, ſed vincunt in bono malum. Non enim vincuntur vindicabilis iniuriarum, iræ, perturbationis & triſtitiæ, ſed imperturbati & immutati acceſſibiles & tractabiles permanent, ſicut prius erant ante quàm huiuſmodi vindicabilia occurrent. vincunt autem in bono malum dum affabiles, vtiles, ac ſuaues ſeipſos exhibent iis, qui puniendi, ſeu obiurgandi occurrunt. Et hoc proprium videtur eſſe mitis, vnde apparet quòd mitis, ſuperat lenem, manſuetum, ac clementem, dum placida ſuauitate ſeipſum impugnantibus exhibet etiam vtilem.

Mititatis perfectio quãta. Eſt autem perfectio hæc tanta, vt Saluator ipſe Magiſtrum ac exemplum eius ſpecialiter ſe exhibuerit, dicens, *Diſcite à me, quia mitis ſum.* & Deum mereatur habere pro interno doctore, iuxta illud, *Docebit mites vias ſuas.* Et Moyſes, de quo *Num.* 12. ſcriptum eſt quòd erat mitiſſimus ſuper omnes homines qui morarentur in terra, creditur à Dionyſ. ob hanc virtutem habuiſſe tantam cum Deo familiaritatem. Apparet quoque excellentia eius ex eo quòd religionem ipſam reddit Deo acceptabilem, teſtante hoc Dauid, qui vt ſua in Deum religio memorabilis apud Deum eſſet, propriam interponit manſuetudinem, quæ minus quid eſt, quàm mititas, dicens, *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius: Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus meæ*, &c. *donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob*, &c. Votum ſiquidem & iuramentum de inueniendo tam ſolicitè locum Domino, quod fecerat manſuetudine interpoſita, memorabile apud Deum proponit. Vnde multo magis acceptabilis foret ſi mititas fuiſſet allegata. In ſecundaria verò materia, hoc eſt, in moribus, ſuperat mitis modeſtum & affabilem: dum ſicut in animo, ita & in ſuis moribus exterioribus placita ſuauitate omnibus ſe exhibet, & ſicut fructus arborum mitis ad ſe allicit. Quocirca totaliter, hoc eſt, in vtraque materia, mites meritò beati ſunt, vtpotè ſuorum motuum intus & extra poſſeſſores.

Et iure aſſignatur eis præmium poſſeſſio terræ, vt qui in hac vita iura ſua proſequi noluerunt ad ſuperandos occupatores, fiant poſſeſſores terræ, non inſtabilis aëris, aut fluentis aquæ bonorum temporalium, ſed ſolidæ ac firmæ terræ viuentium. *Mitium præmium.*

Circa tertiam beatitudinem, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* occurrit ſtatim quæſtio cur lugere ſine bonificante aliquo poſitum eſt inter beatitudines, quum lugere non ſit de genere bonorum, ſed computetur potiùs inter mala, quum triſtitia ſit mala naturæ, iuxta illud Eccli. 30. *Multos occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa*, & non ſit bona moraliter, imò, vt dicitur 7 *Eth.* Prudens non intendit triſtari. Et augetur quæſtio ex eo quòd paupertas poſita in prima beatitudine, quia non erat de genere bonorum, poſita eſt cum adiuncto bonificante, dicendo, *beati pauperes ſpiritu*, & non abſolutè, *beati pauperes.* hîc autem ſine adiuncto bonificante dicitur, *beati qui lugent.* Occurrit quoque quæſtio altera, cur inter beatitudines annumeratus eſt luctus, & non gaudium. In nulla enim harum beatitudinum dicitur, beati qui gaudent: quum tamen gaudium magis pertineat ad regnum Dei, quàm luctus. ſcriptum eſt enim, *Regnum Dei eſt iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto.* *Beatitudo tertia. Quæſtio.* *Alia quæſtio.*

Reſp. ad quæſtionẽ primã. Ad primam quæſtionem reſpondent de triſtitia poſſe loqui dupliciter, vel abſolutè, vel ex ſuppoſitione præſentium malorum. Et abſolutè quidem neque eſt bona naturaliter, neque moraliter, quoniam & nocet naturæ (vtpote inquietudo eius) & nullam habet rationem moralis boni, & ſic à prudentibus refugitur. Suppoſitis autem præſentibus malis, triſtitia bona eſt, vtpote conſequens & ad naturaliter & ad moraliter bonos actus. ponit enim triſtitia præſuppoſiti præſentis mali in parte cognoſcitiua, ſenſationem, ſeu perceptionem; in parte verò appetitiua refutationem. Et ambo bona eſſe ex eo patet, quòd malè diſpoſitus eſt qui præſentia mala aut non percipit, aut non refutat, vtpote inſenſibilis, ſeu ſtupidus ſi non percipit, & corruptus ſi non refutat, ex his enim duobus bonis fit triſtitia. Et quia in dubium non vertitur, ſed conſtat mala eſſe in hac vita, ideo triſtitia ſi alias habet circunſtantias, inter bona computari poteſt in ſtatu præſentis vitæ. Nec eſt poſita à Domino inter beatitudines ſine aliquo

aliquo bonificante, ſed bonificatio eius ex parte materiæ ſignificata eſt ex hoc ipſo quod dictum eſt, *Beati qui lugent*, non hoc, vel illud, ſed qui lugent abſolutè. Ex hoc enim ſignificantur qui lugent non ob malum ſecundùm quid (quale eſt omne malum temporale) ſed ob malum abſolutè, quod ſolum eſt id quod eſt contrarium abſolutè bono, quod eſt vita æterna: ita quòd dicendo, *beati qui lugent*, dixit, beati qui lugent ob mala præſentia contraria vitæ æternæ. & ſic bonificauit luctum ex parte materiæ. Rurſus bonificatus eſt luctus ex parte agentis, ſeu lugentis, ex hoc ipſo quòd ſignificatus eſt per modum actionis, proculdubio humanæ, ac per hoc voluntariæ. ex hoc ipſo enim quòd ponitur non quaſi illa paſſio, ſed quaſi aſſumpta voluntariè actio, ad ordinem moralium & meritoriorum actuum transfertur. lugere ſiquidem non eſt tam triſtitia, quàm triſtitiæ effectus, ſicut flere. Vnde & lugere dicuntur tam viri, quàm mulieres, quamdiu lugubres ſe exhibent ob mortem charorum, vel aliquid huiuſmodi. & Dominus ad Samuelem 1. *Reg.* 16. ait, *Vſquequo tu luges Saul, quum ego abiecerim eum?* tanquam in poteſtate Samuelis eſſet lugere. eſt igitur actio quædam. Et ſi his iunxeris quod lugere eſt ſecundùm ſe triſte & amarum quid, reſultabit hinc quòd lugere importat voluntariam actionem triſtem, ſeu amaram, ac per hoc vt medicinalem actionem aſſumptam. Voluntas ſiquidem recta non aſſumit huiuſmodi amara, niſi ſicut Medicus vtitur medicinis: quoniam ex ſe non habent rationem appetibilis, ſed propter aliud. Vnde lugere ex hoc ipſo quod ſignificatur vt triſtis actio voluntaria, ſeu humana, bonificatum eſt menſura rectæ rationis ac voluntatis. Et dicendo, *beati qui lugent*, ſignificati ſunt qui officioſè lugent. & ex integro ſignificationem adunando, quum dicitur, *beati qui lugent*, ſignificantur beati qui officioſè lugent ob præſentia mala contraria vitæ æternæ. Et propterea non opus fuit aliquod adiunctum bonificans explicitè apponere, ſicut in prima beatitudine appoſitum eſt. Paupertas enim non habet rationem actionis, ſed ſignificatur vt defectus, & propterea indiguit adiuncto bonificante. Secus autem eſt de luctu ſignificato abſolutè per modum actionis humanæ, vt declaratum eſt.

Reſp. ad quæſtionem ſecundam. Ad ſecundam verò quæſtionem dicitur quòd quia beatitudines perfectionis ſummæ ponuntur, & gaudium præſentis vitæ inchoationis magis, quàm perfectionis rationem habet (quoniam exiguum quoddam initium eſt æterni gaudij, vtpote carens præſentia boni æterni de quo eſt) ideo inter beatitudines non eſt computatum ſecundùm ſeipſum. Sed nec omnino prætermiſſum eſt, quoniam poſitum eſt in ſuis radicibus in ſexta & ſeptima beatitudine: quoniam munditia cordis iuge conuiuium eſt, & pax gaudium magnum parit. Explicauit nihilominus Dominus in nona beatitudine gaudium, non vt ipſam beatitudinem, ſed vt annexum, dicens, *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra*, &c. Luctus autem meritò inter beatitudines locatus eſt, quoniam maximam ponit perfectionem in viatoribus inter tot & tanta mala præſentis peregrinationis conſtitutis. Quod ſi non percipis, circunſpice præſentia mala à vita æterna abducentia, puta quòd quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, & à patria cœleſti, quòd caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, quòd tot mala peccatorum propriorum & alienorum continuè emergunt, quòd creaturæ factæ ſunt in odium, in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium, quòd cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ, & alia huiuſmodi, & videbis quàm inſenſati ſumus qui hæc præſentia nobis mala non ſentimus. & ſi percipimus, quòd alieni à ſpiritali natura & vita ſumus ſi non diſplicent, & ſi diſplicere videntur, ſi non propterea triſtamur, ſeu lugemus, ſed pertranſimus quaſi noſtra non interſit, quaſi in ſomnis huiuſmodi mala videamus, quaſi non verè diſpliceant. Et inde poteritis ſuſpicere in celſam illorum perfectionem qui hæc ſentientes & abominantes, vtpote habentes pro conſuetudine exercitatos ſenſus ad diſcretionem boni & mali lugent, aut cum Dauid, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* aut Paulo, *Infelix ego homo, quis me liberabit de carcere mortis huius?* aut cum Ezechia, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, aut cum Propheta, *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt*, & ſimilibus. Et ſic videbis quàm neceſſarium fuerit in catalogo Beatorum in hac vita adſcribere etiam beatos qui lugent. Et meritò: quum enim delectabilia mundi huius plurimum à virtute abducant, multæ quæ ſint propterea bonæ animi diſpoſitiones, ſeu virtutes poſitæ circa delectationes & triſtitias, vt continentia, abſtinentia, ſobrietas, temperantia, & pœnitentia, longè excellentior perfectio lugentium inuenitur, qui non ſolùm à delectationibus ſe alienant, ſed ad contraria ſe exerunt aſſumendo voluntarium luctum: ſortiti à cœleſti Patre in hac peregrinatione irriguum inferius, & irriguum ſuperius, non vano, aut ſterili luctui vacantes, ſed ſeminantes in lachrymis, hoc eſt, ſementinam virtutem lachrymis luctus tribuentes in vitam æternam fructificantem.

Sub hac beatitudine comprehenduntur qui in hac vita ſtatum voluntarij luctus ſumunt pro cœleſti patria, vt ſunt Religioſi, & aliæ perſonæ abrenuntiantes delitiis & delectationibus carnis ac mundi, & Dei ſeruitio in puritate ſe mancipantes in veritate, quibus præmium ſuapte natura debitum reſeruatur, quoniam ipſi conſolabuntur in cœleſti patria. Hæc de tertia beatitudine.

Circa quartam beatitudinem, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*, dubium ſtatim occurrit, an iuſtitia in propoſito ſumatur generaliter pro rectitudine, ſeu bonitate, qua recti, ſeu boni dicimur, iuxta quod ſcriptum eſt, *Iuſtus ex fide viuit.* Vel ſpecialiter vt ſpecialis virtus eſt, reddens vnicuique quod ſuum eſt, de qua ſcribitur, *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* vtrinque enim ambiguitatis ratio eſt. Nam ſi ſumitur generaliter iuſtitia, ſequetur quòd beatitudo hæc communis eſt reliquis beatitudinibus, quia quælibet alia beatitudo aliquam ſpecialem bonitatem, ſeu rectitudinem ponit. etſi reliquæ beatitudines comprehenderentur ſub iſta tanquam ſpecies ſub genere, quod eſt abſurdum. Si autem ſumitur iuſtitia ſpecialiter, ſequitur primò quòd ad hanc beatitudinem ponatur ſpectare deſiderium pu- *Beatitudo quarta. Difficultas.*

nitionis

nitionis malorum, puta quòd homicida occidatur, quòd latro ſuſpendatur, &c. quoniam punitiones huiuſmodi iuſtitiæ ſunt. Sequetur ſecundò ad hanc beatitudinem ſpectare deſiderium punitionis propriæ, hoc eſt, quòd ipſemet puniatur iuxta propria demerita, quoniam hoc iuſtitia eſt. Vtrunque autem horum apparet inconueniens. Et primum quidem repugnat ſecundæ beatitudini, qua mites non ſolùm elongant ſe à punitionibus, ſed puniendis vtiles ſe exhibent. Secundum autem contrariatur communi viatorum deſiderio, in quorum perſona Propheta dicit, ***Non intres in iudicium cum ſeruo tuo***; quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Qui enim hoc petit, proculdubio deſiderat ſe non ſubiici iudicio punitiuo.

Difficultati reſpondetur.

Ad hanc dubitationem dicitur quòd vtroque modo intelligi poteſt hoc in loco ***iuſtitia***. Et ſi intelligitur iuſtitia ſpecialis, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, ſiſtendum eſt in hoc quòd eſt ſermo de iuſtitia abſolutè, & non de iuſtitia tali (puta punitiua, ſeu vindicatiua) & ſimiliter eſt ſermo de iuſtitia abſolutè, & non de iuſtitia in hoc. Iuſtitia autem abſolutè, bonum iuſtitiæ importat. ac per hoc ad beatitudinem hanc directè ſpectat deſiderare iuſtitiam abſolutè, hoc eſt, bonum iuſtitiæ. ex conſequenti autem, ſeu in caſu neceſſitatis ad eandem ſpectat non refugere iuſtitiam talem, & ſimiliter non refugere iuſtitiam in hoc. Et hinc ſoluuntur obiectiones: vtraque nanque obiectio de deſiderio iuſtitiæ punitiuæ ſoluitur per hoc quòd non eſt hîc ſermo de iuſtitia tali, ſed de iuſtitia. Huius contrarium non petit peccator dum refugit iudicium, quoniam fugiendo vnum modum iuſtitiæ, petit alium iuſtitiæ modum. Fugit enim iudicari ſecundùm propria merita, appetendo iudicari ſecundùm merita Chriſti, iuxta verbum Pauli ad Phil. 3. ***Vt inueniar habens iuſtitiam quæ eſt ex fide Ieſu Chriſti.*** Vnde & ibidem Propheta petit, ***Exaudi me in tua iuſtitia.*** manifeſtans per hoc, appetere ſe iuſtitiam Dei: fugere autem iuſtitiam propriam. Si autem intelligitur iuſtitia generaliter pro bonitate, ſeu rectitudine, optimè quadrat: nec ſequitur aliquod abſurdum. Tum, quia aliæ beatitudines non attendunt ad formalem rationem generalis iuſtitiæ, ſed ad quaſdam rationes ſpeciales, vt patet diſcurrendo per ſingulas. Et propterea formaliter loquendo non ſe habent aliæ beatitudines ad iſtam vt ſpecies ad genus. Tum quia beatitudo iſta attenditur penes perfectionem humani deſiderij, quod in nulla alia beatitudine attenditur, vt patet diſcurrendo per ſingulas. Conſurgit ſiquidem beatitudo hæc ex inopia bonorum, ſeu bonitatis inuentæ in præſenti vita, ſicut præcedens beatitudo, ſcilicet, ***Beati qui lugent***, conſurgit ex copia malorum præſentis vitæ: ita quòd ſicut ibi ex abundantia malorum quæ in hac peregrinatione inueniuntur, perfecti lugent, ſic ex inopia bonitatis inuentæ in hoc exilio, perfecti eſuriunt & ſitiunt bonitatem. Et propterea magis conſonat literali ſenſui ſumere iuſtitiam generaliter, quàm ſpecialiter. Eſt autem deſiderium hoc non appellatum deſiderium, ſed fames & ſitis, multiplici ratione. Tum vt oſtendatur vehementia deſiderij. tam enim fames, quàm ſitis vehementem appetitum importat. Tum vt oſtendatur quaſi naturalitas, quemadmodum tam fames, quàm ſitis ex natura prouenit: ita deſiderium vehemens iuſtitiæ vt naturale ineſt perfectis ſecundùm naturam ſpiritalem, ſecundùm quam ex Deo nati ſunt, iuxta illud, ***Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.*** Tum ad oſtendendam qualitatem indigentiæ, quòd ſcilicet perfecti deſiderant iuſtitiam, ſeu bonitatem tanquam cibum & potum, quo indigent eſurientes & ſitientes. Tum ad oſtendendam integritatem deſiderij, & ex parte deſiderantis, quia ſcilicet vtrunque deſiderium habet famis & ſitis, hoc eſt, animæ & carnis, iuxta illud, ***Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter & tibi caro mea.*** Et ex parte iuſtitiæ deſideratæ vt completi alimenti reſpondentis fami & ſiti: quoniam perfecti deſiderant bonitatem omnifariam.

Locata eſt igitur in hac beatitudine perfectio eorum, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, hoc eſt, iuſtitiæ bonum, vſque adeò inueniri, & ſic vnicuique dari quod ſuum eſt, quoaduſque ad hoc perueniatur vt Deus ſit omnia in omnibus. in hoc enim conſummabitur omnis iuſtitia, quum Deus erit in omnibus ratio omnium. & eſuriunt ac ſitiunt iuſtitiam, hoc eſt, rectitudinem bonitatémque inueniri ac augeri quoaduſque Deus ſit omnia in omnibus; in hoc enim conſiſtit conſummatio omnis bonitatis. Et meritò perfecti ſemper in hac vita eſurire & ſitire reputant iuſtitiam, quia tanta eſt hic penuria iuſtitiæ, vt ſemper eſurientes & ſitientes relinquat, iuxta illud, ***Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.*** Quo fit vt horum perfectio iuſtos ſuperet. ſunt enim pluſquam iuſti, quibus non ſufficit quòd ipſi ſint iuſti, ſed eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam magnificari. Et ſunt pluſquam boni, quibus non ſufficit quòd ipſi ſint boni, ſed ipſi eſuriunt & ſitiunt bonitatem multiplicari, magnificari, &c. Iſtis meritò ſaturitas quæ in hac vita haberi nequit, in cœleſti patria in præmium reſeruatur, iuxta illud, ***Satiabor quum apparuerit gloria tua.*** Hæc de quarta beatitudine.

Beatitudo quinta.

Circa quintam beatitudinem, ***Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur***, recole miſericordiam virtutem eſſe ſubleuatiuam alienæ miſeriæ, hoc eſt, defectus. Miſericordia enim directè reſpicit defectum vt tollendum. Et poſſunt in ea conſiderari tria, ſcilicet operatio exterior, qui ſubuenit indigenti: affectus interior, quo appetit ſubuenire indigentibus, & interior vtriuſque ratio, qua alienas miſerias proprias facit: ideo & appetit tollere illas, & tollit illas ſi poteſt. Vnde miſericors excedit beneficum quàm munificum. communicat ſiquidem cum eis in primis duobus, hoc eſt, in actu benefaciendi, & in appetitu benefaciendi, ſed ſuperior eſt eis in modo, dum miſericors intantum afficitur vt alienos defectus proprios faciat, dum ſic ad eos tollendos ſe habet, & afficitur, quaſi proprij eſſent. Eſt autem tantæ eminentiæ miſericordiæ virtus, vt ſola inter virtutes Deo propria dicatur, iuxta illud, ***Deus cui proprium eſt miſereri.*** Et omnibus ſuperemineat, iuxta illud Pſal 144. ***Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.*** Solus ſiquidem Deus naturaliter eſt miſeriæ, ſeu defectus expers: ac per hoc ſolus poteſt in miſeriam abſolute, quæ omnem comprehendit. Et miſeratio eius, quæ miſericordiæ actio formalis eſt, quaſi ſupernatans

tans in ſingulis & omnibus operibus Dei inuenitur, non ſolùm materialiter tollendo aliquem defectum, ſed formaliter, quia ex intentione Deus ad hoc tendit vt tollat in ſingulis & omnibus aliquem defectum. Propter quod meritò appropriatur ei non ſolùm quod eſt miſericors, ſed quòd eſt miſerator, iuxta illud, *Miſericors & miſerator Dominus.*

Miſericordes inter Beatos computati.

Quo fit vt miſericordes tanquam diuinam proprietatem participantes, inter Beatos computentur. Et verè ad ſummum perfectionis apicem in materia miſeriarum tollendarum aſcenderunt qui miſericordes ſunt ſimpliciter & abſolutè, hoc eſt, qui non ſolùm iunctis ſanguine, amicitia, ciuilitate, & cæteris huiuſmodi neceſſitudinibus, ſed miſeris, quicunque ſint illi, miſericordes ſe exhibent, affectu quidem indefeſsè, opere autem iuxta vires, vt ſemper ſint miſericordes: miſeratores autem quum poſſunt, aut occaſio miſerationis ſe offert. Et licèt proprias miſericordis miſerias miſericordia humana non tradat obliuioni, iuxta illud, *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* perfectio tamen miſericordiæ ad alienas tollendas miſerias tendit, proprias eodem meritorio miſericordiæ actu tollendas reddens.

Miſericordiũ præmium.

Et propterea reponitur miſericordibus in præmium quòd ipſi miſericordiam in cœlo conſequentur, hoc eſt, à miſeriis omnibus leuabuntur. Iure enim ab omni debet exui miſeria in patria qui in hac peregrinatione aliorum miſerias quaſi ſuas curauit. Hæc de quinta beatitudine.

Beatitudo ſexta & quæſtio.

Circa ſextam beatitudinem, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, duplex quæſtio occurrit. Prima eſt, cur beatitudo hæc non ſignificat aliquam perfectionem. Munditia enim nullam perfectionem ſignificat, ſed imperfectionem immunditiæ excludit, ſicut non peccare, nullam perfectionem ſonat, ſed imperfectionem peccati excludit. Omnes ſiquidem beatitudines non ſolùm perfectionem, ſed perfectionem ſummam ponere debent. Secunda eſt, cur beatitudo hæc nullam operationem ſonat, quum omnis beatitudo ſecundùm operationem aliquam attendatur. Nam neque munditia, neque cor operationem ſignificat, vt patet.

Alia quæſtio.

Soluitur quæſtio prima.

Ad primam quæſtionem dicitur quòd licèt munditia ſimpliciter & abſolutè non ſignificet perfectionem, munditia tamen tale ſubiectum afficiens magnam ponit perfectionem, ſicut non peccare abſolutè, nullam perfectionem ponit, ſed non peccare poſitum in vtente libero arbitrio, magnam perfectionem ponit. maxima ſiquidem perfectio eſt quòd homo vtatur libero arbitrio ſine peccato. Ita in propoſito licèt munditia ſonet negationem immunditiæ, ac per hoc nullam perfectionem ſignificet: munditia tamen afficiens cor, magnam perfectionem ponit quam Dauid petebat, *Cor mundum*, inquit, *crea in me Deus.*

Soluitur ſecunda.

Ad ſecundam verò reſpondetur dupliciter. Primò, quòd operatio poteſt ſignificari dupliciter. Vel in ſeipſa, vt dictum eſt, *Beati qui lugent.* Vel in ſua radice, & ſic ſignificatur in propoſito viuere in ſuo naturali ac coæuo principio, quòd eſt cor, hoc eſt, interior pars noſtra, iuxta illud Mat. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ: homicidia, adulteria, furta*, &c. Et dicuntur beati mundo corde, habentes principium operum ſuorum mundum: quoniam non poteſt arbor bona malos fructus facere. Secundò dicitur quòd cor pro quanto eſt naturale principium ſemper in actu, non ſolùm ſignificat illam rem quæ eſt principium, ſed etiam operationem, quia ſignificat principium vitæ in actu, ſicut ædificans ſignificat eum qui actu ædificat. Et ſecundùm hoc beatitudo iſta ſignificat operationem in ſeipſa, quoniam ſignificat beatos qui mundè viuunt ab interno principio. Totaliter ſiquidem mundam vitam ducere non permittit peregrinatio præſens: quoniam nonnullo ſaltem puluere greſſus humani inquinantur. Et propterea Dominus mundam vitam in hoc mundo ex parte cordis deſignauit, dicens, *Beati mundo corde.* Et quamuis hæc vita ex mundo corde non ſit totaliter (vt dictum eſt) munda, tantæ tamen excellentiæ eſt vt reddat homines pluſquam perfectos. Si enim apud Iacobum Apoſtolum, ſi quis in verbo non offendit, perfectus eſt; quanto pluſquam perfectus eſt qui corde non offendit? Erudierat tam bene Iob filios ſuos, vt ſecurus de mundis eorum operibus, ac de munda lingua, veritus ne fortè peccaſſent in cordibus ſuis, offerebat holocauſta per ſingulos, *Iob.* 1. Et *Prouerb.* 20. ſapiens clamat, *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato?* Meritò ergo beati ſunt mundo corde, qui ſummam munditiam obtinentes, vitam mundam ex corde mundo ducunt.

Beatorum mundo corde præmium.

Iſtis promittitur in præmium videre Deum, duplici ratione. Primò, vt præſenti vitæ reſpondeat vita æterna, tanquam qui hîc talem vitam duxerit, ſcilicet mundam, mereatur tranſire ad vitam æternam, quæ conſiſtit in viſione Dei, iuxta illud, *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum.* Secundò, vt diſcamus præparationem humanæ mentis ad videndum Deum, non conſiſtere in perficiendo partem ſpeculatiuam (vt Philoſophi tradunt ponentes ſapientes maximè appropinquare Deo) ſed in perfectione partis affectiuæ quæ cor vocatur: ita quòd ex hoc quòd non doctis & ſapientibus, ſed mundis corde promittitur viſio Dei, & ſcimus viam, præparationem ac meritum perueniendi ad videndum Deum, conſiſtere non in ſcientia & ſapientia, ſed in cordis munditia. ſcimus conſequenter quòd communis eſt præparatio viaque iſta omnibus hominibus quantumcunque idiotis & ineruditis: quoniam munditiam cordis minima vetula habere poteſt. Hæc de ſexta.

Beatitudo ſeptima.

Circa ſeptimam beatitudinem, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, vide primò gradus perfectorum ſecundùm pacem. In primo ſiquidem gradu ſunt qui in ſeipſis pacem habent, hoc eſt, tranquillitatem ordinis: ita vt lex carnis non repugnet legi mentis, ſed ita ſpiritus imperat carni vt totus homo inhæreat cum tranquillitate Deo. De iſtis ſcriptum eſt, *Pax multa diligentibus legem tuam.* In ſecundo verò gradu ſunt, qui etiam cum omnibus hominibus pacem habent. iuxta Apoſtoli mandatum, *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* In ſupremo autem gradu ſunt, quibus non ſufficit quòd in ſeipſis & cum aliis ſint pacati, ſed ſtudent ad faciendam pacem: vnde & *pacifici* vocantur. Faciunt autem pacem non hanc, vel illam, neque omnem pacem, quum ſcriptum ſit, *Non veni pacem mittere in terram, ſed*

ſed gladium. ſed faciunt pacem abſolutè, hoc eſt, cœleſtem, ſeu diuinam, quam Saluator ſibi propriam dixit, *pacem*, inquit, *meam do vobis.* quæ inimicitiam tollit inter hominem & Deum: quæ cunctis in homine repugnantibus tranquillitati cœleſti contrariatur. Et rurſus faciunt pacem non inter hos, & illos, ſed ſimpliciter inter omnes, etiam pacis inimicos, iuxta illud, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Et propterea dicitur abſolute, *Beati pacifici.* Hanc perfectionis beatitudinem inſinuauit Saluator in Apoſtolis, mandans illis vt pacem ſecum ferant in quamcunque domum intrantes. & dicant non ſolo verbo, ſed ſtudio efficiendi Deo cooperante, *Pax huic domui.* Vnde & *Matth.*10. dicitur: *Et ſiquidem domus illa fuerit digna, veniet pax veſtra ſuper eam.*

Pacificationis eminentia.

Quantæ autem eminentiæ ſit pacificatio, ex eo perpendi poteſt quòd pax tranquillitas ordinis eſt, ac per hoc pacem facere, eſt tranquillitatem ordinis efficere. Et ſi his adiungas, quod ordo ſummum bonum intrinſecum vniuerſi eſt, conſequens erit vt pacem facere ſit efficere perfectionem ſummi boni, ac per hoc ſupremum locum teneat inter opera gubernationis. Aſſimilat igitur maximè Deo hominem pacificatio, & in excelſo valde loco conſtituit. Vnde & in Pſal. altitudini montium ſpiritalium hæc perfectio tribuitur. *Suſcipiant*, inquit, *montes pacem populo.* Et meritò in ſupremo actionum beatarum in hac vita hîc dicitur, *Beati pacifici.*

Pacificorum præmium.

Et his iure reſeruatur in præmium, *quoniam filij Dei vocabuntur.* Simillimi quippe Deo eius filij ſunt, vtpote ex Deo nati, & diuinæ facti conſortes naturæ. Signanter autem dicit, *vocabuntur*, & non dicit, *erunt*. Tum quia in præſenti iam ſunt filij Dei, & non expectant quòd fiant, ſed quòd manifeſtentur, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Et nunc ſumus filij Dei, & nondum apparuit quid erimus.* Dicendo ergo, *quoniam filij Dei vocabuntur*, promittitur quòd manifeſtabuntur filij Dei. Tum quia inter homines multi ſunt filij, qui non tractantur vt filij, ſed quaſi extranei, aut ſerui, aut mercenarij habentur. Et propterea pacificis qui iam filij Dei ſunt promittitur quòd habendi ſunt in cœleſti patria vt filij, dum promittitur quòd filij Dei vocabuntur, quandoquidem vocatio conſona eſt ad id quod vocatur. Hæc de ſeptima beatitudine.

Beatitudo octaua.

Circa octauam autem beatitudinem, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, duplex ſtatim occurrit quæſtio. Prima, an ſit ſermo de iis, qui quomodolibet patiuntur, id eſt, opprimuntur, vexantur, affliguntur, &c. propter iuſtitiam. an de iis qui voluntariè patiuntur propter iuſtitiam.

Quæſtio prima.

Nam ſi primo modo intelligeretur, ſequeretur hoc abſurdum: quòd quicunque quantumcunque inuiti & impatienter affligerentur propter iuſtitiam, eſſent beati. Si verò ſecundo modo intelligitur, ſequeretur quòd aliquis pateretur iniuſtum volens, quod à Philoſophis reputatur impoſſibile. Et patet ſequela, quia ex eo quòd patitur propter iuſtitiam, patitur iniuſtum, & ex eo quòd voluntariè, patitur volens.

Quæſtio ſecunda.

Altera quæſtio eſt, quomodo ſumitur hîc iuſtitia, in ſua ſcilicet communitate, an reſtringatur. Nam ſi iuſtitia ſecundùm ſuam communitatem ſumitur, non relinquitur locus nonæ beatitudini: quoniam ſub iuſtitia comprehenditur etiam illa. Si verò reſtringitur, oportet aut voluntariè reſtringere, aut rationem reſtrictionis aſſignare: quoniam in litera nulla reſtrictionis nota ponitur.

Soluitur quæſtio prima.

Ad primam quæſtionem dicitur quòd proculdubio hîc eſt ſermo de pati non ſimpliciter & abſolute (quoniam pati nullum bonum eſt) ſed de pati virtuoſè, hoc eſt, patienter, & ex charitate, quod eſt pati voluntariè, ſaltem faciendo de neceſſitate virtutem. Nec ex hoc ſequitur quòd aliquis patiatur iniuſtum, volens ipſum iniuſtum, quamuis patiatur volens ipſum pati. Vir enim bonus non vult iniuſtum quod ſibi infertur, ſed vult illatum ſibi ſuſtinere.

Soluitur ſecunda.

Ad ſecundam quæſtionem dicitur quòd hîc eſt ſermo de iuſtitia generaliter quidem ſumpta, vt tamen diſtinguitur à myſterio Verbi incarnati. Et quòd ratio reſtringendi iuſtitiam, imò reſtrictiuum ipſum habetur ex litera ex hoc ipſo quòd apponitur nona beatitudo circa myſterium Verbi incarnati. ipſa nanque diſtinctio harum duarum beatitudinum cogit fateri earum diuerſitatem, ac per hoc iuſtitiam in octaua ſumi pro iuſtitia abſolutè, ſecluſo incarnationis myſterio. Et videtur directe iuſtitia conſiderari abſolutè in ordine ad Deum etiam ſi myſterium incarnationis non eſſet. Quocirca illi in octaua locantur beatitudine, qui tantæ perfectionis ſunt, vt pro quocunque virtutis actu eligant tolerare quaſcunque eis illatas paſſiones, ſiue ille actus virtutis ſit ſecundùm legem diuinam, ſiue naturalem, ſiue canonicam, &c. Iuxta hanc enim beatitudinem Machabæi vt non comederent carnes porcinas contra diuinam legem, Ioannes Baptiſta ne omitteret correctionem Herodis, Thomas Canthuarienſis pro libertate Eccleſiaſtica, beati fuerunt: nullus enim horum paſſus eſt propter Chriſtum, propriè loquendo, ſed propter iuſtitiam, in fide tamen Chriſti, ſine qua nunquam fuit ſalus. Et quia contingit dupliciter pati perſecutionem propter iuſtitiam (vel ita quòd & paſſio ſit propter iuſtitiam, & perſecutio tendat contra iuſtitiam, vt in exemplis allatis inuenitur. vel quòd paſſio quidem ſit propter iuſtitiam, perſecutio autem non tendat contra iuſtitiam, quamuis materialiter ſit iniuſta, vt contingit iis, qui à ſuperioribus credentibus iuſtè ſe facere affliguntur, vt de multis Sanctis legitur inter Religioſos verſatis) ſcito textu principaliter de primo modo patientibus propter iuſtitiam ita intelligi, vt qui ſecundo modo patiuntur propter iuſtitiam, non excludantur à numero beatorum qui patiuntur perſecutionem propter iuſtitiam.

Iſtis regnum cœlorum iure datur, quoniam qui in hac vita amplexus eſt pati propter Deum, iuſtum eſt vt in futura vita ſublimetur in agere, & qui hîc non renuit aliis ſubiici, ſublimetur vt aliis præſit: quæ in regno cœlorum includuntur. regnantes enim & præcellunt, & imperant.

Quæſtio.

Sed non caret quæſtione, cur in octaua hac beatitudine repetitur præmium primæ beatitudinis, & non eſt appoſitum octauum præmium.

Soluitur.

Ad quod reſpondetur, duplici ratione hoc factum eſſe. Primò, vt quia duo ordines beatitudinum ponuntur (ſcilicet primus penes agere, & ſecundus penes pati) factum eſt vt prima vtriuſque ordinis velut baſis & fundamentum

mentum, reſpiceret præmium, quod inter præmia eſt velut baſis & fundamentum, ſcilicet regnum cœlorum. Secundò, vt neque agens patienti, neque patiens agenti præferatur, ſed Confeſſores Martyribus, & Martyres Confeſſoribus æquales in eſſentiali gaudio mõſtrarentur.

Beatitudo nona. Circa nonam beatitudinem, *Beati eſtis quum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos, mentiẽtes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* multa occurrunt quærenda.

Quæſitum primum. Primò, cur cæteris beatitudinibus deſcriptis in tertia perſona, hæc deſcribitur in ſecunda perſona, dicendo, *beati eſtis.*

Secundum. Secundò, cur multiplicentur in hac beatitudine tot vexationum genera, ſcilicet maledictionis, perſecutionis, &c.

Tertium. Tertiò, cur huic beatitudini ſoli adiungitur, *gaudete, & exultate.*

Quartum. Quartò, cur præmium huius beatitudinis ſolius deſcribatur ſub ratione mercedis.

Quintum. Quintò, cur in hac ſola beatitudine indeterminatè ponitur præmium. non enim determinatur aliquid certum pro præmio, ſicut in aliis beatitudinibus, puta regnum cœlorum, poſſidere terram, &c. ſed indeterminatè dicitur, *merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Ad euidentiam horum aduertendum eſt hanc nonam beatitudinem conſiſtere in patiendo ob confeſſionem Verbi incarnati. Singulariſſima ſiquidem tanti myſterij nouitas ſpecialem habet difficultatem in noſtra confeſſione, & propterea ſpecialis perfectio poſita eſt in perſiſtendo patienter, & tolerando varias tribulationes ob huiuſmodi confeſſionem. Quocirca beatitudo hæc licèt conueniat cum præcedente in hoc quòd vtraque conſiſtit in pati propter bonum: differunt tamen in hoc, quòd illa habet cauſam quaſi naturalem patienter tolerandi iniurias, quoniam virtuoſorum eſt imperturbatum perſiſtere, & immobilem in iniuriis: iſta verò cauſam habet omnino ſupernaturalem: quandoquidem fateri vnum & eundem, hominem, Deumque verum eſſe, &c. omnem excedit facultátem intellectus: & propterea beatitudo hæc tam diſſimiliter ab aliis deſcripta eſt. nouiter ſiquidem inſerta generi humano tam ſupernaturalis perfectio, decuit vt multis quaſi priuilegiis decoraretur.

Soluitur primum. Vnde ad primum quæſitum dicitur, quòd ideo in ſecunda perſona deſcripta eſt hæc beatitudo, quia noua perfectio hæc eſt inchoans in ipſis Chriſti diſcipulis, reliquæ autem tanquam communes & antiquæ quæ priùs erant, in tertia perſona deſcriptæ ſunt.

Secundum. Ad ſecundum verò quæſitum dicitur quòd multiplicatio vexationum ad hoc ſpectat, quòd Chriſtus in Chriſtianis & corde & ore & opere refutandus eſſet: habent enim Chriſti perſecutores in corde Chriſtum, odio & ore blaſphemant, & tormentis perſequuntur. Non ſic autem contingit in octaua beatitudine, quoniam etſi propter iuſtitiam aliqui vexantur, iuſtitia tamen communiter & corde amatur, & ore laudatur, & illimet qui iniuſtè vexati ſunt, laudabiliter recenſentur inter virtuoſos. nos autem prædicantes Chriſtum crucifixum, quia Iudæis eſt ſcandalum, & gentibus ſtultitia: & apud ſapientes huius mundi ſuperſtitio omne genus mali inſequitur dum & odio habemur; quod ſecundùm antiquam tranſlationem hæc litera primo loco ponit, dicens: *Beati eſtis quum oderint vos.* (vbi nũc legitur, *quum maledixerint vobis*) *& facto perſequuntur vos, & verbo dicunt omne malum aduerſus vos propter Chriſtum.* Omne igitur genus mali explicatur in hac beatitudine, quoniam totum imminet patiendum ob Chriſti confeſſionem, quod communiter in aliis patiendi cauſis non eſt. Et ſcito quòd contextui & materiæ conſonat antiqua tranſlatio, ſcilicet, *quum vos oderint homines.* Tum, quia ſic explicatur omnis gradus perſecutionis, ſcilicet corde, ore, & opere. Tum quia ſic non bis ponitur perſecutio oris, vt in noua fit tranſlatione: dum primò dicitur *maledixerint*, & ſecundò dixerint, *omne malum*, vnde corrupta videtur hæc tranſlatio.

Ad tertium quæſitum dicitur, quòd huic beatitudini annectitur gaudium & exultatio duplici ratione. *Tertium.* Primò, vt quemadmodum explicitè commemorantur in ea tot mala, ita accumulentur bona, iuxta illud, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Secundò, ad monſtrandum abundantiam gratiæ Spiritus ſancti, quæ conferenda erat ſanctis Martyribus noui Teſtamenti, iuxta illa Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Quia ergo Confeſſores Chriſti ſolum virtutem patiendi, ſed gaudendi & exultandi in tribulationibus accepturi erant, ideo perfectis patientibus propter Chriſtum dicitur, *gaudete, & exultate.* Quod impleſſe Apoſtolos ex eo patet, quòd ibant gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Impleſſe quoque ſanctos Martyres ex geſtis eorum patet. vnde Laurentius inquit, *Gaudeo plane, quia hoſtia Chriſti effici merui*, &c.

Ad quartum quæſitum dicitur, quòd ratio mercedis ad excellentiam pertinet patientium propter Chriſtum, quia etſi non ſunt condignæ ſecundùm ſe paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, ex eo tamen quòd Chriſti Confeſſores Chriſti membra ſunt, & vt caput ſuum tueantur libenter patiuntur, iis ſibi vendicant futuræ gloriæ tanquam mercedis debitæ pro ſuis laboribus. *Quartum.* vnde & Paulus dicebat, *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* In reliquis itaque beatitudinibus nulla facta eſt mentio de mercede, ſed hoc vltimæ beatitudini reſeruatum eſt: quia in aliis nulla facta eſt mentio de Chriſto, cui in ſuis membris iure debetur æterna gloria, ſed in hac ſola.

Ad quintum quæſitum dicitur, quòd indeterminatio mercedis ad immenſitatem ſpectat præmij. *Quintum.* ex hoc enim quòd indeterminatè relinquitur copioſa merces, infinitum inſinuatur præmium: & hoc ad commendationem huius beatitudinis præ cæteris ſpectat. Et meritò, quoniam ſi iuxta teſtimonium Saluatoris, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: nemo maiorem habet perfectionem, quàm qui pro Chriſto amico ſuo animam ſuam ponit, quod ad hanc ſpectare beatitudinem conſtat. Poſtquam igitur octo beatorum genera in hac vita Saluator deſcripſerat, ad ſuos dirigens ſermonem diſcipulos, nouum beatitudinis genus in ipſis inchoandum hac nona beatitudine deſcripſit, ſimulque

monſtrauit ad felicitatem eſſe ipſos euectos, eo ipſo quòd ad cognitionem & confeſſionem ipſius Chriſti aſciti ſunt, vt penetrarent beatos ſe eſſe in vtraque ſorte, ſcilicet & quum bona à Chriſto acciperent, & quum mala propter Chriſtum paterentur. Quantæ autem excellentiæ ſit beatitudo, hæc non ſolùm ex allato Domini teſtimonio patet, ſed ex eo quòd Principes Chriſtianæ religionis (ſancti Martyres ſcilicet) in ea locati ſunt.

Principes Chriſtianæ religionis, pro Martyribus.

Reſp. ad quæſtionem primam in principio huius capitis propoſitam.

Supereſt nunc vt ad tres reſeruatas in fine huius capitis quæſtiones ſoluendas reſpondeatur.

Ad primam igitur in principio huius capitis propoſitam quinto loco, an ſcilicet beatitudines iſtæ gradatim enumerentur, reſpondetur affirmatiuè, ita quòd gradatim enumerentur, & ſecundùm merita, & ſecundùm præmia: ſemper namque aſcenditur vtrobique. Et quidem quòd merita ſemper aſcendant, declaratur ſummariè dupliciter. Primò, ex parte materiarum. Nam ſupra exteriora bona quæ ſunt materia primæ beatitudinis, ſunt vindicabilia quæ ſunt materia ſecundæ, & ſupra vindicabilia, delectabilia quæ ſunt materia tertiæ, & ſupra hæc ſunt debita cuilibet quæ ſpectant ad quartam, & ſupra hæc gratuita quæ ſunt quintæ, ſupra quæ eſt immunditia omnis, quam tollit ſexta: ſupra quam eſt perturbatio, quam tollit ſeptima, & ſuper hæc perſecutiones, quas ſuperat octaua, & ſupra omnes eſt omne perſecutionum genus contra Chriſtum, quæ ſuperantur in nona. Secundò, ex parte interioris diſpoſitionis animi. Nam etſi bene diſpoſitus eſt qui nouit ſeipſum, & externa bona deſpicit: iuxta primam beatitudinem melius tamen diſpoſitus eſt qui etiam quum deſpicitur & paruifit, vincit in bono malum. & hoc melior eſt qui vndique ſe in miſeriis circunſpiciens, luget hanc peregrinationem. & hunc præſtat cui proprium non ſufficit bonum, ſed cuique debitum ſitit: húncque excellit, qui non ſolùm debita cuique, ſed gratuita vt ſubleuentur appetit & efficit. qui autem ad vniuerſam vitæ munditiam aſcendit, altior eſt, & hunc ſuperat cui non ſufficiunt munda, ſed ſtudet ad tranquillitatem ordinis efficiendam. ſuper hos quoque omnes meritò locatur qui propter hæc patitur, & vincit perſecutiones: ſed in ſupremo iure ponitur, qui incarnati Verbi luce perfuſus, pro illo omnia patiendo ſuperat. Si verò ad præmia ſpectetur, primum præmium inuenitur quod beatorum eſt regnum cœlorum. ſed quia noſtrum poteſt eſſe aliquid quod non poſſidemus, ſecundò ponitur poſſeſſio eiuſdem. & quia multa poſſidemus cum triſtitia, tertiò ponitur conſolatio. & quia conſolati quandoque non vſque ad ſatietatem conſolamur, ideo quartò ſaturitas ponitur: ita quòd ponitur regnum cœlorum noſtrum, poſſeſſum conſolatè vſque ad ſatietatem: & quoniam ſatiati regno defectiui remanemus, quintò ſecuritas à periculis omnium defectiuarum noſtrarum conditionum per miſericordiæ conſecutionem ponitur. & quoniam parum eſt corregnare niſi conuerſatio cum Rege habeatur, ideo ſextò ponitur viſio Dei. & quoniam videre regem etiam ſeruitoribus conceditur, dignitas filialis ſupperadditur ſeptimo loco, vt beati regnent conſolati, ſatiati, ſecuri, videntes Deum vt filij Dei. his autem præſtat regnum cœlorum duplici iure debitum, ſcilicet merito actionis, & merito paſſionis, quod octauo loco ponitur. & omnia demum excellit merces immenſa, quæ ob ſui infinitatem non ſpecificatur, quæ nono loco ponitur.

Reſp. ad ſecundā & tertiā.

Ad duas reliquas quæſtiones in præmio primæ beatitudinis propoſitas (ſcilicet cur in beatitudine prima & octaua ac nona proponitur præmium per verbum præſentis temporis, in aliis verò per verbum futurum, & rurſus cur in illis tribus per verbum ſubſtantiuum, in aliis verò per verba adiectiua) reſpondetur quòd differentia præſentis & futuri temporis monſtrat aliquid præmij eſſe præſens in hac vita, & aliquid in futura reſeruari vita. Differentia autem verbi ſubſtantiui & adiectiui monſtrat differentiam inter ſubſtantiuum ius æternæ felicitatis, & ipſam æternam felicitatem in executione, ita quòd ex hoc quòd verbo ſubſtantiuo præſentis temporis (ſcilicet *eſt*) definitur præmium æternum, ſignificatur quòd in præſenti vita beati habent ſubſtantiuum ius æterni præmij. Et verè ſic eſt, quoniam (vt Ioannes teſtatur) iam ſumus filij Dei, quòd ſi filij, & hæredes, vt Paulus inquit. Et quanuis quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo: eſt tamen dominus omnium. Quia igitur in præſenti vita adhuc poſitorum beatorum verè eſt regnum cœlorum, ideo præſentis temporis verbo ſubſtantiuo dicitur, *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quia autem executio poſſeſſorij & fructus in alia ſeruantur vita, ideo per verba futuri temporis adiectiua idem præmium deſcribitur. Et quia ſubſtantiuum ius æterni præmij vnum eſt, & commune omnibus beatis, ideo in prima beatitudine vtriuſque ordinis (hoc eſt, in prima ordinis agentium, & in prima ordinis patientium) ponitur huiuſmodi ſubſtantiuum præſens, in reliquis autem ordinis agentium multiplicitas fructuum qui in executione percipiuntur, explicatur. Nona autē beatitudo multipliciter priuilegiata etiam hoc habet. Tum quia licèt ſecunda ſit in numero patientium, caput tamen conſtituit nouum patiendi: quoniam ſicut Verbum incarnatum paſſum inſtaurat omnia, ita paſſio pro Chriſto inſtauratiuum eſt paſſionum. & propterea tanquam prima habet verbum ſubſtantiuum præſens. Tum, & meliùs, ad denotandum quòd ſola hæc beatitudo ex propria ratione habet præſentiam præmij cœleſtis ſtatim. nam cæteræ beatitudines nihil habent in ſe vnde ſtatim ponant beatos in cœleſti patria: quia non claudunt in ſe Chriſtum mortuum, qui aperuit cœlos (vnde Ioannes Baptiſta & alij priores, quamuis beati hîc, non tamen cœlos ſtatim ingreſſi ſunt.) nona autem beatitudo Chriſtum mortuum in ſeipſa continet. Propter quod in futuro Saluator ponit in illa vexationes, dicens, *quum oderint, perſecuti fuerint, & dixerint omne malum*; tanquam deſignans tempus poſt ſuam mortem ac reſurrectionem. & propterea ſola nona beatitudo ſtatim hinc transfert in cœlos ex propria ratione. Et ad hoc deſignandum priuilegium, propoſuit Saluator illius præmium per verbum ſubſtantiuum præſentis temporis: tanquam diceret, quòd vos propter me patientes non expectaturi eſtis, ſed iam habetis mercedem copioſam ſtatim, vt hinc migratis, præſentem. Et hæc de Euangelicis beatitudinibus. In monaſterio ſancti Martini de ſacro monte

Pan

Pannoniæ, Dominica Quinquageſimæ. Anno Domini M.D.X X I V.

IENTACVLVM V.

De quinque apud Euangelium ſententijs.

OCcvrrvnt quintò, tractandæ quinque apud Euangelium ſententiæ.

Prima habetur Mat. 15. *Munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit.*

Secunda habetur ibidem: *Omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur.*

Tertia habetur Luc. 16. *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui iniquus eſt in modico, iniquus eſt & in maiori.*

Quarta habetur ibidem, *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit credent.*

Quinta habetur Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

Circa Scribarum & Phariſæorum ſententiam, qua ſub ſpecie religionis tollebant pietatem, *Ambiguitas.* ambiguitas occurrit, quid ſignificat traditio hæc: *Qui dixerit patri, vel matri, munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit.* Nam aliquod horum trium videtur ſignificare. Aut quod abſolutè religio qua aliquid offertur Deo, præferenda eſt pietati qua honoramus parentes. Et in hoc ſenſu traditio iſta irreprehenſibilis eſſet: quoniam ſanctam contineret doctrinam, cuius oppoſitum Dominus teſtatur.

Aut quòd in articulo neceſſitatis iam conſtitutis parentibus, filij religionis prætextu vacarent muneribus offerendis Deo, omittendo pietatis officia debita parentibus. Et iuxta hunc ſenſum traditio hæc iniquam contineret doctrinam, vt patet. Sed ex Euangelico textu non videtur haberi hic ſenſus, quoniam nulla fit ibi mentio de neceſſitatis articulo in quo conſtituti præſupponuntur parentes. non enim dicitur: Si dixerit homo patri, vel matri in neceſſitate conſtitutis; ſed abſolutè *ſi dixerit patri, vel matri.* Aut quòd Deo iam licitè dicata voto à filiis, propter ſuperuenientem articulum neceſſitatis parentum, non eſſent in ſubſidium, ſeu vſum parentum conuertenda. Et iuxta hunc ſenſum vſque in hodiernum diem approbatur traditio iſta à multis Doctoribus ſacris.

Quæſtio. Et emergit hinc literalis quæſtio, an de munere dicando Deo, an de munere per votum dicato Deo ſit ſermo, quum dicitur, *Munus quodcunque ex me*, &c. Magni ſiquidem refert vtro modo intelligatur. Nam ſi de munere iam dicato Deo per votum eſt ſermo, traditio Phariſæorum diuinam videtur habere traditionem pro fundamento. Si autem de offerendo munere eſt ſermo, ſimplex religio in quæſtionem venit.

Soluitur. Ad euidentiam ſententiæ huius ſciendum eſt dupliciter exponi poſſe traditionem Scribarum & Phariſæorum. Primò, vt verba illa, *munus quodcunque*, &c. intelligantur vt excuſantia. Secundò, vt intelligantur tanquam obligantia. Et ſiquidem ſumantur vt excuſantia, traditio iſta conſiſtit in duobus documẽtis. Primum eſt, quòd filij vacarent diuinis oblationibus non curando de ſubuentione parentum. Secundum eſt, quòd filij excuſarent ſe cum parẽtibus de huiuſmodi commiſſione & omiſſione, his verbis, *Munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit.* hoc eſt, non credatis me poſtponere curam veſtri, quoniam offerendo Deo, curam veſtri habeo: quoniam quod offero Deo, vobis proderit. Si verò verba hæc vt obligantia intelligantur, ſenſus Phariſaicæ traditionis eſt, quòd ſi filius dixiſſet parentibus, totum quod eſt ex me, volo offerre Deo: ex tunc obligatus erat filius ad diuina Deo, ita vt non liceret ei quicquam facere pro parentibus. Et hunc ſenſum magis ſonat textus Euangelicus, quoniam *Marc.* 7. poſtquam dictum eſt, *Si dixerit homo patri, aut matri, Corban* (quod eſt donum) *quodcunque ex me tibi profuerit*, ſubiungitur, *& vltrà non dimittis eum quicquam facere patri, aut matri.* vbi apparet quòd poſtquam filius dixerat illa verba patri, aut matri, vetabatur filius facere quicquam patri, aut matri: ac per hoc obligationem incurrerat ex verbis dictis patri, aut matri. Et iuxta hunc ſenſum collige quinque. Primò, obligationem filij ad diuina, quæ ex allatis Marci verbis habetur. Secundò, authoritatem qua habebatur iſta obligatio. & hæc erat traditio Scribarum & Phariſæorum, vt in litera patet. Tertiò, modum quo contrahebatur hæc obligatio. Et ex textu habetur quòd ex hoc ipſo quòd filius dicebat hæc verba patri, conſurgebat in filio hæc obligatio, ſic docentibus Scribis & Phariſæis, *ſi dixerit homo patri, aut matri*, &c. Quartò, efficaciam huius obligationis, quòd erat adeò efficax vt redundaret in impietatem erga parentes. Et hoc expreſsè Dominus dixit, Quintò, materiam obligationis. Et hæc erat totum quod erat ex filio. Et hoc inſinuat textus, dicens, *Et vltra non ſinitis eum facere quicquam patri, aut matri.* vnde videtur quòd iſta obligatio erat quædam mancipatio filij ad diuinum obſequium, & tam arctè exigebatur à Scribis & Phariſæis, vt non permitteretur filius facere quidquam patri, aut matri. Vbi patet multipliciter erraſſe Scribas & Phariſæos. Primò, quòd vbi nulla erat obligatio, obligationem inducebant: non enim ex verbis ad patrem, aut matrem oritur mancipatio ad diuina, ſed ex voto quod fit non homini, ſed Deo. Secundò, in extendendo huiuſmodi obligationem ad negandum omne obſequium patri, quum tamen nulla ſit tanta mancipatio etiam profitentium tria vota religionis, quæ non permittat multa facere patri, aut matri.

QVÆSTIO I.

Matth. 15. Munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit.

AD quæſita autem retrogrado ordine reſpondendo dicitur, quòd non eſt hîc ſermo de munere dicato per votum: tum quia nulla fit in textu mentio de voto: tum quia materia non exigit vt admiſceatur obligatio votiua huic textui, qui traditione humana, & non de voto quod ſpectat ad traditionem diuinam, loquitur: tum, quia expreſsè Marcus Euangeliſta interpretatur *Corban*, hoc eſt, donum. conſtat enim quòd donum eſt datio liberalis, ac per hoc non ex neceſſitate votiua offerendum. Eſt ergo ſermo de munere dicando Deo, ſiue illud munus intelligatur conſiſtere in rebus exterioribus, iuxta primam expoſitionem: ſiue intelligatur

ligatur conſiſtere in toto quod poterat filius, iuxta ſecundam expoſitionem.

Ad primò verò quæſita reſpondetur, quòd ſenſus traditionis huius nullus illorum trium eſt determinatè: ſed doctrina Phariſæorum & Scribarum conſiſtebat in hoc quòd religio tanti facienda eſt, vt propter eam non ſit curandum quid filius debeat patri, aut matri, neque ſit curandum de diſtinctione, an pater egeat, aut non egeat. Et hoc teſtantur verba Domini, primò, dicendo quòd traditio iſta contrariatur præcepto de honore parentum, quod nihil aliud eſt dicere quàm quòd non curat de debitis pietatis officiis erga parentes, ſiue debeat ex articulo neceſſitatis, ſiue quomodolibet aliter. Secundò dicendo, *& vltrà non dimittitis eum quicquam facere patri ſuo, aut matri.* Hinc enim manifeſte apparet quòd religionem adeò exigebant, vt pietas erga parentes ob religionem tolleretur: quod conſtat eſſe iniquiſſimum. Hæc de prima quæſtione.

QVÆSTIO II.

Matth. 15. Omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur.

Obiectio. Circa ſecundam dubitationem de verbo Domini, *Omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur*; Phyſicorum obiectio occurrit, falſam eſſe hanc ſententiam ſic dicentium, quoniam aliquid alimenti quod per os ſumimus, conuertitur in ſubſtantiam ſumentium: ac per hoc non totum quod per os intrat, in ſeceſſum emittitur. *Diluitur.* Ad hoc dicitur, quòd licèt multipliciter gloſſari poſſit verbum Domini ſcriptum apud Matthæum: quia tamen Marcus Euangeliſta ſuppleuit quod Matthæus tacuit de verbis Domini, ideo expoſitiones omnes ſuperfluè apparent infra ſenſum literalem manendo. Marcus enim *cap.* 7. afferendo hanc Domini ſententiam dicit: *Omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum coinquinare; quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit purgans omnes eſcas.* Vbi manifeſtè patet Dominum non dixiſſe, omne intrans in os exire in ſeceſſum: ſed dixiſſe omne intrans in os exire in ſeceſſum purgans omnes eſcas, hoc eſt, exire in ſeceſſum ſecundùm partes purgatiuas eſcarum, ac propterea nullam eſſe ambiguitatem in Domini ſententia, patet ſi integra referatur: ſed quæſtioni locus eſt vbi non integra ſententia affertur, vt à Matthæo recitatur. Hæc de ſecunda.

QVÆSTIO III.

Luc. 16. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui iniquus eſt in modico, iniquus eſt & in maiori.

Circa tertiam quæſtionem, de verbis Domini, *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui iniquus eſt in modico, & in maiori iniquus eſt*, ambiguitas occurrit quo ad primam ſententiam. *Ambiguitas quoad primã ſententiam.* Tum ex experientia, quia multi fideles inueniuntur in rebus paruis: qui tamen in rebus magnis, ſeu maximis fidem violant. Regnandi namque gratia iuſiurandum etiam violant, qui militarem ſemper fidem ſeruauerunt, & ſic de ſimilibus. Tum ex ratione, quia maius attractiuum, maiorem ingerit tentationem: ac per hoc qui non ſuperatus eſt à paruo attractiuo, ſuperatur deinde à magno attractiuo vt fidem violet. Vnde non eſt ſecundùm rationem conſequens, vt qui fidem ſeruat in minimo, fidem ſeruat in magno. Similiter quo ad ſecundam ſententiam experientia teſtatur quòd multi peccant in paruis, qui tamen non peccarent in magnis. *Ambiguitas quoad ſecundam.* Multi enim ſunt peccantes venialiter, & mentientes officiosè, qui non peccarent mortaliter, qui non mentirentur perniciosè. Habet quoque ratio vt ſicut non omnis infirmitas corporalis ducit ad mortem: ita non omnis lapſus ſpiritalis ducat ad mortem animæ. ac per hoc non eſt conſequens vt qui iniquus eſt in modico, iniquus etiam ſit in magno.

Ad horum euidentiam recolendum eſt dupliciter ad aliquid operandum nos poſſe comparari, vel ſecundùm rationem habitualis virtutis, ſeu vitij reſpicientis illud opus, vel quomolibet contingat. verbi gratia ad operandum quod iuſtum eſt poteſt homo ſe habere vel ſecundùm habitum iuſtitiæ, hoc eſt, ſecundùm quòd inclinat virtus iuſtitiæ habituata, vel quomodolibet aliter: puta ex aliqua paſſione, aut ex aliqua amicitia, vel odio, &c. ſicut etiam in artificialibus ædificator poteſt ſe habere ad conſtruendam domum vel ſecundùm artem ædificandi, vel quomodolibet aliter ædificãdo, prout vult. Quum autem fides de qua Saluator loquitur, virtus quædam ſit qua fiunt dicta, dupliciter de homine fideli loqui poſſumus. Primò, per ſe & formaliter, hoc eſt, quatenus fidelis, & quatenus ex fide operatur. Et ſic proculdubio qui fidelis eſt in paruo, fidelis eſt in magno, aut maximo: quoniam virtutis obiectum quum non ſit minimum quod, ſed magnum aliquid ac difficile, virtus illa quæ ad minima ſe extendit, multomagis ad magnum tendit tanquam ad proprium obiectum. Si verò loquamur de homine fideli per accidens, hoc eſt, ſecundùm coniuncta, aut aduentitia accidentia ſic nulla eſt certa regula niſi quòd faciat prout volet. Et ex hoc capite contingit vt multi fideles ſint in paruis, qui fideles non ſunt in magnis: non enim hoc prouenit ex defectu fidei, ſed ex defectu non vtentis fide. Nam quantum eſt ex parte fidei, qui ex fide bene ſe habet in paruis, multo magis ex eadem bene ſe haberet in magnis. ſed tales in magnis ideo infideles inueniuntur, quia aliunde mouentur, quàm ex fide. Nulla enim virtus adeò firmat animum hominis ad ſeipſam quin relinquat libertatem non vtendi ipſa. Et per hoc patet reſponſio ad primam obiectionem.

Ad ſecundam verò dicitur quòd virtus quum ſit habitus de difficili mobilis, & circa difficile: aut non eſt, ſi à magno ſui generis attractiuo vincitur: aut ſi eſt, ſuperat ſui generis quæcunque impedimenta. Non enim temperantia ſuperatur à ſuperfluis delectationibus tactus, ſed omnes eas moderando domuit. De attractiuo ergo tentante hominem ad perfidiam, dupliciter loqui poſſumus, ſcilicet per ſe, vel per accidens. Nam ſi loquimur de attractiuo ſpectante per ſe ad genus fidei, non eſt ratio maior corrumpendi fidem in maiori attractiuo, quàm in minori: quin potiùs facilius eſt delinquere fidelem circa minima, quam circa magna, quoniam circa magna tanquam circa proprium obiectum magis vigilat virtus. Si verò de attractiuo

extra

extraneo ſermo eſt, nihil officit propoſito: quoniam ſermo Domini per ſe, & formalis eſt. Et per hoc facilè patere poteſt quid dicendum ſit ad obiecta contra ſecundam ſententiam. Nam proportionaliter dicendum eſt de vitio iniquitatis, ſicut dictum eſt de fidei virtute. Eſt enim ſermo Domini de iniquitate per ſe & formaliter: & intendit quòd ſi quis ex iniquitate malè ſe habet in modico, ex eadem iniquitate malè quoque ſe haberet in magno, ſi magna materia præſentaretur: quoniam iniquitatis obiectum non eſt paruum quid (quum modicum pro nihilo reputetur) ſed magnum aliquid, ac per hoc ſi iniquitas eſt tanta vt etiam ad minima deiiciat animum, multo magis ad magna flectet tanquam ad propriam materiam. Vnde & prouerbialiter dicitur, *Cani lingenti cinerem ne credas farinam.* Obiecta autem in oppoſitum ſimiliter ſoluuntur, quòd ſcilicet militant ſecundùm ea, quæ ſunt per accidens. Ex fragilitate ſiquidem humana, & non ex iniquitate peccant venialiter qui non peccarent mortaliter. & ſimiliter non ex mentiendi conſummato vitio mentiuntur iocosè, aut officiosè, qui non mentirentur perniciosè, ſed ex aliis accidentibus. Non obſtat quoque adducta ſimilitudinis ratio de infirmitate, quoniam non dicit Dominus omnem infirmitatem ducere ad mortem: ſed quòd tam virtus, quàm vitium ſi ducit ad modicum ſui generis, ducit etiam ad magnum illius generis. Obiectio autem de genere in genus migrat, de infirmitate ſcilicet non mortali, ad infirmitatem mortalem. Stat itaque Domini ſententia per ſe & formaliter intellecta, firmiſſima veritate ſolida. Hæc de tertia.

QVÆSTIO IV.

Luc. 16. Si Moyſen & Prophetas non audient, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.

CIrca quarto loco propoſitam ſententiam Abrahæ, *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent,* ambiguitas occurrit. Tum quia experientia teſtatur quòd multi Gentiles ex miraculis viſi conuerſi ſunt ad fidem, qui nec Moyſen, nec Prophetas audiſſent. Tum, quia ratio ad hoc ducit vt plus moueantur à Moyſe & Prophetis ſi adiuncta fuerit reſurrectio alicuius mortui, quam ex Moyſe & Prophetis ſolis. Vnde vſque hodie non deſunt Chriſtiani dicentes, Si videremus vnum mortuum reſurgere, faceremus, & diceremus, &c.

Ambiguitas.

Ad hoc dicitur quòd ſententia hæc Abrahæ duplicem inſtructionem continet. Docet namque primò gratiam fidei, quòd ſcilicet fides donum Dei eſt: & non eſt opus ſolius hominis, quantumcunque moti à miraculis multis viſis. Et hoc apertè ſignificant verba hæc Abrahæ, dicentia quòd quantumcunque mortuus aliquis reſurgens teſtetur hominibus de pœnis inferni, non propterea credent. Hinc enim habemus quòd miracula viſa non ſunt ſufficientia ad inducendum nos in virtutem. Dico autem notabiliter *in fidei virtutem*, ad excludendum fidem coactam (qua ex euidentia miraculorum & operum etiam Dæmones velint, nolint credunt & contremiſcunt) & quoniam ad literam Abraham loquitur de fide formata, qua carebant fratres diuitis, qui ex eo quòd Abraham vocat patrem, teſtatur ſe & fratres ſuos fideles fuiſſe. Et infra hanc doctrinam manendo, nullam habet quæſtionem Abrahæ ſententia. Sed vltra hoc docet ſecundò ſtatutam pœnam fidelibus paruipendentibus ſacras Scripturas, ita quòd ſententia hæc intelligenda videtur vt reuelatiua diuini iudicij, vt hinc intelligamus diuina diſpoſitione deſertum iri eos qui Moyſen & Prophetas non audiunt, & ita induratos relinqui, vt etiam ſi viderent miracula, non mouerentur propterea ad veram charitatem. Et meritò, quia ex eo quòd diuinam largitatem qua prouidit nobis de Moyſe & Prophetis (hoc eſt, de ſacra Scriptura) deſpiciunt, merentur vt nec per miracula viſa conuerſionis gratiam conſequantur. Nam tales ſe habent ad veram conuerſionem in Deum tanquam non diuinæ gratiæ, ſed humanum tantummodo opus ſit vera ad Deum conuerſio: inde ſiquidem aſſueuerant quòd ſi viderent mortuum reſurgere, facerent, & dicerent, &c. Quo fit vt adeò ſibiipſis relinquantur etiam quum miracula vident, qui in ſeipſis confidunt, quòd ſi miracula viderent, non conuerterentur. Et quòd ita ſit vt Abraham dixit, teſtatur Ioan. Euangeliſta *cap.* 11. diſtinguens inter Iudæos præſentes reſurrectioni Lazari, quòd quidam crediderunt, quidam autem abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Et inde Pontifices & Phariſæi concilium collegerunt vt interficerent Ieſum. Ex hoc enim quòd præſentium in reſurrectione Lazari quidam crediderunt in Chriſtum, & quidam non, manifeſta fit veritas ſententiæ Abrahæ, quòd non ex hoc quòd aliquis ex mortuis reſurgit, credunt homines, ſed eo dono Dei. eſt ſiquidem credere donum Dei, vt Apoſtolus dixit.

Reſponſio.

Ad obiecta autem in oppoſitum dicitur, quòd licet commune ſit tam fidelibus, quam infidelibus, hoc (ſcilicet quòd credere eſt donum Dei, & non ex ſolis nobis quantumcunque videamus miracula) diuina tamen prouidentia, differentia ordinata videtur inter fideles & Gentiles, quòd fideles qui habent Moyſen & Prophetas, ſi non audiunt illos, relinquantur ſibiipſis, vt nec ex miraculis conuertantur: Gentiles autem, qui hoc ſacrilegio diuina non contempſerunt, miraculis adiuuandi ad conuerſionem ſint. vnde Marcus Euangeliſta de conuerſione infidelium dicit, *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et ad hanc denotandum differentiam Abraham damnato diuiti dixit, *Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos*; ſignificatur enim per hoc quòd fratres illius diuitis erant de numero fidelium, qui habebant Moyſen & Prophetas. Vnde obiectio de Gentilium conuerſione ob miracula, non militat contra hanc ſententiam.

Obiectis in oppoſitũ occurritur.

Ad alteram verò obiectionem dicitur quòd licèt multiplicato motiuo ad conuerſionem, facilior ſit, cæteris paribus, hominis conuerſio: in pœnam tamen datur fidelibus contemnentibus traditiones ſacrarum Scripturarum, vt nec ex multiplicatis motiuis extrinſecis conuertantur. Arrogantibus enim ſibiipſis conuerſionem ſi viderent miracula, reſiſtit Deus ſubtrahendo conuerſionis gratiam. ſcriptum eſt enim

enim, *Superbis Deus reſiſtit.* Et eſt ſententia hæc Abrahæ intelligenda regulariter. nam non eſt propterea alligata manus Dei, vt non poſſit ex ſpeciali gratia conuertere aliquem huiuſmodi contemptorem, excitando ſimul illum ex aliquo viſo miraculo. Hæc de quarta.

QVÆSTIO V.

Ioann. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

CIrca verba Ioannis Euangeliſtæ quinto loco propoſita, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, triplex ambiguitas occurrit.

Ambiguitas prima. Prima eſt, quid ſit huiuſmodi poteſtas.

Secunda. Secunda eſt, quomodo ſtant iſta duo ſimul, quòd receperint Deum, & quòd non ſint filij Dei, ſed habent poteſtatem vt fiant filij Dei. Nam ſi receperunt eum, iam ſunt filij Dei: & ſi ſunt filij, non opus habent vt fiant filij. quod enim iam eſt, non poteſt amplius fieri. Et econtra ſi poſſunt fieri filij, ergo non ſunt filij, & ſi non ſunt filij, non receperunt eum.

Tertia. Tertia eſt quomodo conſonant ſibi inuicem hæc duo, ſcilicet *poteſtas*, & *fieri*. Nam poteſtas actiuum ſignificat principium, ac per hoc actionis eſt: fieri verò paſſionem ſignificat. Diſſonant ergo abinuicem quòd ſit poteſtas fieri, tanquam ſi diceretur poteſtas patiendi: quod videtur implicare contraria ſimul. poteſtas enim eſt poteſtas faciendi, & non patiendi.

Duo prænotanda. Ad horum euidentiam duo ſunt prænotanda.

Primum eſt, diſcretio eiùs quod eſt Dei, ab eo quod ex nobis eſt in receptione qua Deum recipimus per fidem. Interueniunt ſiquidem in huiuſmodi receptione duo, hoc eſt, donum Dei, & voluntarium opus noſtrum. Nec ſeparantur hæc duo ſecundùm tempus, vt vel prius tempore ſit opus noſtrum, quàm donum Dei, vel prius tempore ſit donum Dei, quàm opus noſtrum. ſed ſimul tempore afficiente nos dono Dei, recipimus ipſum credendo.

Secundum eſt, diſcernere inter id quod de facto diuina prouidentia diſpoſuit, & id quod potuiſſet ſi voluiſſet aliter diſponere. Nam de facto diſpoſuit diuina largitas, vt donum fidei annexum haberet donum diuinæ filiationis per adoptionem. Ordinauit ſiquidem immobiliter vt credentes in eum, diuinæ eſſent naturæ conſortes. Potuiſſet autem, ſi voluiſſet, ordinare vt donum fidei non haberet filialis adoptionis donum annexum, ſed aliquod aliud præmium apponere fidelibus ſuis dandum, quum nulla appareat ratio neceſſariæ connexionis inter fidem & cœleſtem filiationem.

Quibus prælibatis, dicitur verba Ioan. Euangeliſtæ dupliciter poſſe exponi. Primò, de receptione per fidem vt ſic, hoc eſt, abſtrahendo à fide formata charitate. Et iuxta hunc ſenſum poteſtas eſt ipſa fides, quæ vt eſt qua credimus, vocatur fides: vt autem eſt qua poſſumus operari ad diuinum conſortium nobis promiſſum, eſt poteſtas qua poſſumus filij Dei fieri. Et ſic recipiendo Deum per fidem, non ſumus adhuc, ſeu ex hoc filij Dei, ſed poſſumus filij Dei fieri per charitatem: quæ ſola diſtinguit inter filios Dei, & filios perditionis. Et licet huiuſmodi poteſtas ſit poteſtas agendi, quia eſt poteſtas operandi, referendo illam ad opera noſtra: eſt tamen cum hoc & per hoc poteſtas patiendi, referendo illam ad fieri & eſſe filium Dei. Nam per opera fidei præparamur ad hoc vt fiamus filij Dei ab ipſo Deo, & non ad hoc vt faciamus noſipſos filios Dei. Et propterea Euangeliſta non dixit, *Dedit eis poteſtatem filios Dei* ſe facere, ſed dixit, filios Dei *fieri*: vt poteſtas relata ad vltimum terminum, ſcilicet eſſe filium Dei, demonſtraretur poteſtas non agendi, ſed patiendi, relata verò ad opus propinquum quo præparamur ad hoc vt fiamus filij Dei, intelligatur actiua in libertate noſtra poſita. Et ſic ſapientiſſimè & conuenientiſſimè vtrunque ſimul dixit, ſcilicet poteſtatem, denotando per libertatem noſtram ad cooperandum & fieri filios Dei, denotando per hoc quòd non facimus noſipſos Dei filios, ſed à Deo ſimus filij Dei. Et per hoc patet ſolutio omnium obiectorum iuxta primum ſenſum.

Si verò exponantur verba Euangeliſtæ, de receptione Dei per fidem formatam charitate, idem eſt ſenſus, & eadem eſſent repetenda: excepto quòd hîc non eſſet niſi ordo naturæ inter fidem & charitatem, & inter fieri & eſſe filium Dei. Vnde qui ſunt perſpicacis ingenij, & intelligunt quid interſit inter ordinem temporis, & ordinem naturæ, applicare facilè poſſunt prædicta ordini naturæ. Nam, vt ſummariè dicatur, poteſtas eſt ipſa fides, & quotquot per fidem charitate formatam receperunt eum, ſimul tempore receperunt tria, ſcilicet poſſe fieri filios Dei, fieri filios Dei, & eſſe filios Dei. Primum per fidem, ſecundum per charitatis ſuſceptionem, tertium per ipſam charitatem. Sed primum prius natura quàm ſecundum, & ſecundum prius natura, quam tertium. Et ſecundùm vtrumque ſenſum ſignificauit Euangeliſta liberalitatem diuinam quum recipimus eum: quoniam hinc didicimus quòd receptionem ſuam opus quodammodo noſtrum donat diuina bonitas gratia fidei & poteſtatis diuinæ filiationis, & ipſa etiam diuina filiatione quandoque, hoc eſt, ſi perfecta eſt receptio, hoc eſt, ſi ex toto corde eum recepimus. Hæc de quinta, & omnibus propoſitis. Budæ in die ſancti Gregorij M. D. XXIV.

IENTACVLVM VI.

De verbis Domini circa illius paſſionem.

OCCVRRVNT ſextò in his diebus Dominicæ paſſionis tractanda ſex.

Primum, verba Domini in Cœna, *Non bibam de hoc genimine vitis vſque in diem illum, quum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.*

Secundum, verbum Domini ad Iudam in eadem Cœna, *Quod facis, fac citius.*

Tertium, verbum Domini ad Petrum, quum percuſſit Malchum, *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

Quartum, apud Marcum Euangeliſtam: *Adoleſcens*

Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum, &c.

Quintum, apud Ioannem Euangeliſtam: *Erat autem paraſceue Paſcha.*

Sextum apud eundem, *Accipite eum vos, & crucifigite.*

QVÆSTIO I.

Verba Domini in Cœna: Non bibam de hoc genimine vitis vſque in diem illum, quum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.

Difficultas. CIrca primum difficultas nonnulla eſt, quia non apparet quòd nouum vinum biberit, ſeu bibiturus ſit Chriſtus cum Apoſtolis in regno Patris ſui.

Enodatur. Ad hoc dicitur quòd quum Dominus dixit, *quum bibam illud vobiſcum nouum*, ly *nouum* poteſt eſſe nomen, & poteſt eſſe Aduerbium. Et ſi eſt nomen, eſt ſermo de ſpiritali vino, hoc eſt, gaudio nouo quod Chriſtus in reſurrectione ſua ob nouam corporis immortalitatem aſſecutus eſt, ita quòd intendit ſe non amplius bibiturum corporale vinum donec tranſeat ad ſpiritale vinum, ideſt, gaudium immortalitatis quod bibiturus erat cum Apoſtolis: quoniam participes eos erat facturus illius gaudij, iuxta illud: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.* Et hic ſenſus conſonat verbis relatis a Luca Euangeliſta, dum refert Dominum non ſolùm de potu, ſed de cibo dixiſſe, *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* manifeſtans quòd donec impleretur Paſcha (hoc eſt, donec figura tranſiret in veritatem, hoc eſt, Chriſtus immolatus in cruce, expoliato inferno, demerſóque Diabolo, liberato mundo à tenebrarum ſeruitute, transiret ad immortalem vitam etiam corporis) non eſſet ampliùs comeſturus & bibiturus. Si autem ly *nouum* Aduerbij vim habeat, verificatur de potu corporali. prædixit enim iuxta hunc ſenſum Dominus, quòd non eſſet ampliùs bibiturus vinum vſquequò reſurgeret à mortuis, & quòd tunc eſſet bibiturus cum ipſis Apoſtolis vinum nouum, id eſt, nouiter, hoc eſt, impaſſibiliter, & non ex indigentia, aut ſiti, vt ante paſſionem indigebat potu, & cibo, ſed ex poteſtate. Et iuxta vtrunque ſenſum duo prædixit Dominus diſcipulis. Alterum triſtitiæ, ſcilicet quòd non eſſet ampliùs in hac paſſibili vita comeſturus & bibiturus. Alterum lætitiæ celeriter futuræ, ſcilicet quòd tunc tranſibat ad regnum Patris ſui, hoc eſt, ad immortalitatem corporis per reſurrectionem quam intra triduum à morte ſua futuram prædixerat. in qua immortali vita participes eos eſſet facturus ſui gaudij, non ſolùm videndo iuxta primam expoſitionem, ſed etiam ſimul comedendo & bibendo, iuxta ſecundam expoſitionem.

QVÆSTIO II.

Verbum Domini ad Iudam in eadem Cœna: Quod facis, fac citiùs.

Admiratio. CIrca ſecundum, ſcilicet, *Quod facis, fac citiùs*, admirationem infert impulſio hæc: quoniam impellere Iudam ad accelerandum negotium proditionis, alienum cenſetur non ſolùm à Domino, ſed à quocunque viro iuſto. verba autem hæc impulſum ſonant ad negatiuum proditionis ad exequendum.

Ad hoc dicitur quòd in negotio proditionis Chriſti a Iuda inuenitur aliquid boni, & aliquid mali. Et bonum quidem inuenitur triplex.

Primum, ſecundùm effectum, qui eſt paſſio Chriſti. Et quantum ad hoc verba Chriſti optantis ſunt, quum dicit, *Quod facis, fac citiùs*; optat enim citò pati, ita quòd iuxta hunc ſenſum non impellit Iudam ad accelerandum actionem, ſed optat celeritatem paſſionis. Et hoc ſuum deſiderium aperiebat per hæc verba Iudæ; tanquam diceret, Quod tu facis, deſidero celeriùs pati.

Secundum bonum eſt bonum naturæ ipſarum actionum Iudæ. Omnis enim actio quantumcunque mala moraliter quum ſit res aliqua, bona eſt bonitate naturæ, & vt ſic, eſt à Deo. Et quantum ad hoc, verba hæc Domini ſunt præceptiua, & ſignificant ordinèm diuinæ prouidentiæ ad accelerandum actiones Iudæ, vt tempore ſtatuto à diuina prædeſtinatione adimpleretur paſſio Chriſti. Sicut enim malum non eſt Deum cooperari actionibus peccatorum quantum ad bonitatem naturæ: ita malum non eſt illas præcipere.

Tertium bonum eſt, ordo mali culpæ, hoc eſt, peccati ipſius Iudæ. Deus enim omnipotens qui mala ordinat in bonum, peccatum Iudæ ordinauit in bonum paſſionis Chriſti, & redemptionis humanæ. Et quantum ad hoc bonum ordinis, verba Domini ſunt verba ordinantis, & volentis adimpleri ordinem illum, vtendo iniquitate ipſius Iudæ ad bonum. Malum autem in opere Iudæ manifeſtũ eſt, ſcilicet ipſum peccatum. Et quo ad hoc verba Domini dupliciter exponi poſſunt. Primò permiſſiuè, & hoc eſt verum quantum ad hoc quòd Iudas peccauit. Secundò ſignificatiuè, hoc eſt, quòd Dominus aperiebat ipſi Iudæ clarè & apertè quòd ſciebat iniquum propoſitum eius, vt vel ſic occaſionem habere poſſet reſipiſcendi, dum conſpiceret Magiſtrum ſuum tantæ ſanctitatis eſſe, vt cognoſceret ſecretiſſimum cor eius. & ad quid tunc ipſe ire volebat, & non ſolùm quod ſciebat in genere, *Vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Debebat enim hinc pœnitentia duci, qua poſtea ductus eſt inutiliter, dicens: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Vnde quum in actione Iudæ relata ad Dominum Ieſum, multiplex bonum deſiderabile adeſſet, rationabiliter à Domino impulſus eſt Iudas ad faciendum celeriter vnde tot bona conſurgerent, relinquendo ſibiipſi curam ſuæ culpæ.

QVÆSTIO III.

Verbum Domini ad Petrum quum percuſſit Malchum: Conuerte gladium tuum in locum ſuum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

CIrca tertium. *Omnes enim qui gladium acceperint, &c.* ex duplici capite obſcura videntur hæc Domini verba. Primò, quantum ad veritatem ſententiæ, quia non videmus verificari *Difficultas prima.*

 cari

cari quòd gladio pereant omnes qui gladium accipiunt, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè accipiant.

Secunda. Secundò, ex applicatione iſtorum verborum ad factum Petri. nam Petrus non videtur peccaſſe vtendo gladio percuſſiuo contra aggreſſores Chriſti, quum haberet iuſtum bellum, & manifeſta eſſet iniquitas volentium capere Chriſtum.

Et ſi Petrus iuſtè vſus eſt gladio, quare pro ratione retrahendi gladium dicitur ei, *omnis enim qui gladium acceperit*, &c. aut enim hæc ratio non eſt ratio ad propoſitum factum Petri, aut ſi eſt ratio ad propoſitum, Petrus peccauit, quod eſt abſurdum.

Enodatur. Ad hoc dicitur quòd non eſt ſenſus Dominicæ huius ſententiæ, gladio materiali perituros eos, qui gladium acceperint, ſed ſenſus eſt quòd merebuntur gladio perire, vel quòd patientur contrapaſſum. hoc eſt, tantum patientur, quantum offenderunt, vt per correſpondentiam pœnæ gladij ad actionem gladij, intelligamus contrapaſſum. Et hoc proculdubio verificatur, licet non ſecundùm ſpeciem, ſecundum quantitatem tamen pœnæ, iuxta illud, *Quantum ſe exaltauit in delitijs, tantum illi date tormentum.* Et hic ſenſus videtur magis conſonus literæ, pro quanto non loquitur litera de merito, ſed futura pœna. non enim dicit, merentur gladio perire, ſed *peribunt gladio.* Et per accipere gladium intelligitur propria autoritate & voluntate vti gladio. Principes enim & iudices non accipiunt quaſi a ſeipſis, ſed conceſſo ſibi gladio a Deo vtuntur, quoniam ſunt miniſtri Dei ad vindictam malorum, vt Petrus *prima ſua epiſtola cap.2.* dicit, & Paul. *ad Rom.13.* Priuatæ autem perſonæ defendentes ſe gladio abſque culpa, non accipiunt gladium propria voluntate, ſed coguntur ab inuaſorum aggreſſione vti gladio ad ſui defenſionem. Stat ergo ſolida Dominica ſententia, quòd omnes qui tanquam à ſeipſis acceperint gladium, gladio peribunt. hoc eſt, non erunt impuniti, ſed tantum patientur, quantum offenderint.

Ad alteram verò obiectionem dicitur, quòd licèt factum Petri ex parte intentionis ſuæ & iuſtiſſimæ ac piiſſimæ cauſæ fuerit laudabile, &c. dupliciter tamen mali ſpeciem habuit. Primò, quia præceps apparet, dum ſciens ſpontaneam Magiſtri voluntatem ad patiendum, non debuit præſente Magiſtro & requiſito, *Domine ſi percutimus in gladio?* ante reſponſionem percutere. Secundò (quod magis vrget) quia ad vindictam magis, quàm ad defenſionem percuſſio illa ſpectabat. Nam præſente cohorte Præſidis, & miniſtris Iudæorum, adeò quod erat turba multa cum armis, &c. prudens ratio non debebat mouere Petrum ad defenſionem, quum vana proſpiceretur huiuſmodi defenſio, & potius nocitura eſſet, quàm profutura. Prodeſſe ſiquidem non poterat contra tot & tales. Nocere autem multum poterat, vtpote qui miniſtros curiæ percuſſiſſent, & Domino imputaretur quòd armis conatus fuerit ſe defendere. Propter hæc enim euitanda ſcandala Dominus ſtatim Malchum ſanauit. Quo fit vt percuſſio illa quaſi ad vindictam tenderet, vt faciunt ij, qui etſi non poſſunt euadere, volunt tamen vindictam qualemcunque poſſunt facere antequam capiantur. Et ſic percuſſio Petri habuit ſpeciem vindictæ, quæ priuatis perſonis illicita eſt. Verba ergo Domini non extra propoſitum allata ſunt pro ratione retrahendi gladium à Petro extractum, quoniam factum Petri reprehenſibile erat, tanquam habens ſpeciem mali, hoc eſt, vindictæ. Et Petrus erat tanquam accipiens gladium, hoc eſt, quaſi propria poteſtate vtens gladio ad quaſi vindictam. Vtor autem iſtis *quaſi*, & *tanquam*, quoniam de ipſo opere loquor, & non de intentione Petri, quia neſciens quid faceret, ad defenſionem Magiſtri tendebat. Vnde Dominus ex duobus capitibus Petrum arguit. Primò, ex parte facti habentis ſpeciem mali. Secundò, ex parte impedimenti quod præſtabat Petrus diuinæ ordinationi, neſciens quid faceret.

QVÆSTIO IV.

Apud Marcum Euangeliſtam: Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum, *&c.*

Circa quartum de adoleſcente ſequente Chriſtum, incertum eſt quis fuerit, certum tamen videtur quòd nullus Apoſtolus fuit. Et quidem quòd non fuerit Ioannes Euangeliſta, conſtat ex ætate: nam tunc temporis Ioannes non erat adoleſcens, quoniam tranſierat trigeſimum ætatis ſuæ annum, vt patet computando annos quibus poſtea vixit vſque ad nonageſimum nonum ætatis ſuæ annum. Obiit ſiquidem anno à paſſione Domini 67. vel 8. imperante Traiano, quibus annis ſi addatur quod ſupereſt vſque ad nonageſimum nonum ſuæ ætatis annum, manifeſtè apparet quòd iam erat 30. annorum ad minus tempore paſſionis Chriſti, ac per hoc non erat adoleſcens. Et quum dicatur iunior Ioannes reliquis Apoſtolis, conſequens eſt quòd nullus alius Apoſtolorum fuerit ille adoleſcens. Siquis etiam verba Marci Euangeliſtæ diligenter perſpiciat, idem inueniet. nam quum dixiſſet quòd diſcipuli omnes fugerunt, tanquam è regione commemorans adoleſcentem, ſubdit, *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum.* Hinc enim inſinuat omnibus Apoſtolis fugientibus adoleſcentem ſequutum eſſe Chriſtum, ac per hoc non eſſe illum de numero Apoſtolorum.

Suadetur quoque tertiò hoc idem ex modo quo opertus erat, ſcilicet ſindone ſuper nudo corpore. Non videtur ſiquidem veriſimile quòd Apoſtolus aliquis ſic coopertus cœnaſſet cum Chriſto, quum huiuſmodi operimentum (ſcilicet quaſi circunuolui vno linteamine) non ſit ordinarius modus veſtiendi, ſed accidentalis iis qui ſurgunt ex lecto. Et hinc æſtimari poteſt quòd adoleſcens ille in lecto erat ibi in horto, & ſurrexerat vel fortè ad rumorem, vel ad aperiendum ianuam horti, vel, &c. & amans Chriſtum, vtpote frequenter conuerſatum in illo horto, ſequebatur eum.

QVÆSTIO V.

Apud Ioannem Euangeliſtam, Erat autem Paraſceue Paſchæ.

Circa quintum de Paraſceue Paſchæ, ſcrupulus nonnullus occurrit ex eo quòd dies ille, *Difficultas.*

ille, quo paſſus eſt Chriſtus, erat primus dies Paſchæ, vtpote in cuius principio veſpertino immolatus erat paſchalis agnus. primus autem dies Paſchæ erat ſanctus, & nullum opus ſeruile in eo erat licitum, vt patet *Leuit.*23. Quomodo ergo erat dies præparationis, ac per hoc operis ſeruilis, vt Euangeliſtæ dicunt. Et confirmatur ex eo quod Lucas Euangeliſta dicit quòd mulieres quæ cum Ieſu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & ſabbato quidem ſiluerunt ſecundùm mandatum. vbi apparet quòd ipſa die paraſceues mulieres parauerunt aromata & vnguenta.

Enucleatur. Ad hoc dicitur quòd feſtiuitas diei ſeptimi qui ſanctificabatur in memoriam quòd Deus requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat, excedebat cæteras feſtiuitates, ita quòd non ſolùm arctiùs ſanctificanda erat dies ſeptima, ſed etiam violari (ſine crimine tamen) poterat alia feſtiuitas veniens in feria ſexta ob reuerentiam diei ſeptimæ. Nec hoc ego ſomnio, ſed ex Exodo *cap.*16. accepi. Ibi enim expreſsè mandatur abſque exceptione cuiuſcunque feſtiuitatis, vt feria ſexta colligant cibaria duplicia, & parent paranda, & coquant coquenda propter diem ſeptimam. Quum enim ſciret lex multas feſtiuitates poſſe contingere in feria ſexta, & nullam exemptam fecerit ab huiuſmodi præparatione propter diem ſeptimam, conceſſiſſe videtur vt talis feſtiuitas in ſexta feria eueniens minus ſanctificaretur: alioquin oportuiſſet legem diſponere, & ordinare quòd quandoque (ſcilicet adueniente feſto in feria ſexta) colligenda fuiſſent cibaria triplicia in feria quinta, & præparanda & coquenda, quod nunquam ſancitum inuenitur. Et hinc licita erat paraſceue, hoc eſt, præparatio pro ſolemnitate ſabbati, & licitum erat & coquere, & emere, &c. Et ſic ceſſant obiectiones.

QVÆSTIO VI.

Apud Ioannem, Accipite eum vos, & crucifigite.

Quæſtiũcula. CIrca ſextum de verbis Pilati ad Pontifices Iudæorum, quæſtiçuncula occurrit cur Pontifices Iudæorum recuſarunt iudicare & crucifigere per ſeipſos Chriſtum, Pilato bis remittente Chriſtum ad eorum iudicium, vt Ioannes Euangeliſta teſtatur. Mirum enim hoc videtur, quum tam vehementer deſiderarent & procurarent occiſionem Chriſti.

Soluitur. Ad hoc dicitur quòd reuera ſemel tantùm Pontifices Iudæorum recuſarunt iudicare Chriſtum, ſcilicet prima vice, quia non permittebatur eis damnare ipſum ad mortem vt volebant, ſed tantummodo iudicare ad leniorem pœnam. Quod vt clarè percipiatur, notanda eſt ſeries & verborum & geſtorum: quoniam ex ea clarè apparet ſic eſſe. Pontifices enim quum intuliſſent Chriſtum vinctum in prætorium Pilati vt mandante Pilato interficeretur, tentarunt primò ſi ſine expreſſione ſpecialis criminis, & diſcuſſione cauſæ, ſolo eorum teſtimonio quaſi ex autoritate poſſent inducere Pilatum ad conſentiendum morti Chriſti tanquam perſonæ abiectæ. & propterea Pilato interroganti eos, *Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc?* reſponderunt per iocum ab autoritate propria, *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Et tunc Pilatus ſciens quòd per inuidiam tradidiſſent eum, & videns eos ſtare in ſua dignitate & autoritate, quæſiuit repellere à ſe hanc cauſam, & dixit eis, *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.* Vbi duo faciebat, quia & reſpondebat conſequenter Pontificibus, & ſaluabat vitam Chriſti. Reſpondebat quidem conſequenter, tanquam dicens: Ex quo vos non vultis vt ego cognoſcam de cauſa, ſed vultis quòd cognitio veſtra ſufficiat, accipite eum vos, & iudicate. Saluabat verò vitam Chriſti, quia dixit, *iudicate ſecundùm legem veſtram.* Signanter enim dixit *veſtram*, & non dixit *legem Moyſi*, vt per ly *veſtram*, intelligerent legem ſibi permiſſam, ſeu conceſſam à Romanis, ſiue illa lex eſſet ipſa lex Moyſi limitata, ſeu moderata à Romanis quantum ad iuriſdictionem mortis, ſiue eſſent ſtatuta aliqua à Romanis illis data.

Et quòd iſte fuerit verus ſenſus verborum Pilati, teſtatur reſponſio Pontificum quum dixerunt, *Nobis non licet interficere quenquam.* Tanquam dicerent: Iſte malefactor meretur pœnam mortis, quæ excedit facultatem noſtram. nobis enim non licet interficere quenquam. Hæc enim reſponſio quum conſtet quòd non eſt vera ſecundùm legem Moyſi abſolutè (quia ſecundùm Moyſi legem licitum eſt eis interficere malefactores multos) opus eſt vt intelligatur ſecundùm legem à Romanis permiſſam, ſeu datam. Vnde patet ratio, quare à principio Pontifices recuſarunt iudicare Chriſtum, quia ſcilicet volebant ipſum damnari ad mortem, quod eis non permittebatur ex illa Pilati remiſſione. Vnde non valentes inducere quaſi ex autoritate Pilatum ad damnationem Chriſti, deſcenderunt ad ſpiritalia crimina, accuſantes ipſum in quatuor quæ Lucas narrat, &c.

De ſecunda autem vice quum Pilatus dixit, *Accipite eum vos, & crucifigite*, alia eſt ratio, & alius ſenſus. Dixit ſiquidem hæc verba. Pilatus poſtquam examinata fuerat cauſa Ieſu Chriſti & ab Herode & ab ipſo, & adduxerat iam ipſum foras portantem ſpineam coronam, &c. Et non dixit eo ſenſu, nec ea ratione vt Pontificibus permitteret poteſtatem crucifigendi Chriſtum (hanc enim libenter acceptaſſent) ſed eo ſenſu & ratione vt crimen tanti facinoris (ſcilicet interficiendi Chriſtum innocentem) in Pontifices retruderet: iuxta conſuetum loquendi morem, quo nos impulſi ab aliquibus vt faciamus aliquid quod nobis videtur iniquum, reſpondere ſolemus: Ego non poſſum hoc facere, faciatis vos. non per hoc probantes, aut concedentes quòd ipſi faciant, ſed retorquentes crimen in eos.

Et quòd iſte ſit verus ſenſus, & intentus à Pilato, & intellectus à Pontificibus, patet ex parte quidem Pilati, quia addidit, *Ego enim non inuenio in eo cauſam*, ſcilicet mortis. Ex parte verò Pontificum, quia directè reſponderunt ad retorſionem criminis, dicentes ſe in hac petitione nullum peccatum incurrere, ſed diuinam legem ſeruare. reſponderunt enim: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Vbi petitionem ſuam ex lege diuina iuſtifi

iuſtificarunt, & Dominum Ieſum reum vſurpatæ deitatis dixerunt; tanquam ſi dicerent: Si de peccato agitur, non putes non cauſam procurare iniquam, quoniam ſecundum legem procedimus. Vnde & Pilatus audito hoc ſermone magis timuit diſplicere Iudæis, abſoluendo illum quem lex eorum dignum morte facit. Nunquam ergo Pontifices recuſarunt iudicare Chriſtum ad mortem, ſed prima vice recuſarunt iudicium ſine facultate damnandi ad mortem. Secunda autem vice non recuſarunt facultatem crucifigendi Chriſtum, quia non eis oblata fuit à Pilato per illa verba, ſed refellerunt crimen à ſe, quod Pilatus in eos retorquebat, proſequentes cauſam contra Chriſtum. Et ſic ceſſat quæſtio & obiectio. Budæ in Paraſceue. M.D.XXIV.

IENTACVLVM VII.

De ſolennitate Paſchali.

OCCVRRVNT ſeptimò in hac ſolennitate Paſchali tria.

Primum eſt apud Lucam Euangeliſtam de duobus diſcipulis euntibus in Emaus: *Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoſcerent.*

Secundum eſt, vnde ſcitur quòd Thomas tetigit manus & latus Chriſti, vt Doctores affirmant.

Tertium, quod in his diebus legitur ex Apoc. cap. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere diuinitatem.*

QVÆSTIO I.

Apud Lucam, de duobus diſcipulis euntibus in Emaus: Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.

Dubium. CIrca primum, *Oculi autem eorum tenebantur*, &c. dubium occurrit, an ſit ſermo de oculis corporis, an de oculis animæ. Quòd enim ſit ſermo de oculis corporeis, ex eo apparet quòd ſi corporalibus oculis intuiti fuiſſet ipſum Chriſtum, quum haberent ex priſtina conuerſatione ſenſitiuam notitiam eius, videndo cognouiſſent eum non minus tunc, quàm ante reſurrectionem. Vnde ex hoc ipſo quòd videntes ipſum non cognouerunt eum, habetur quòd aliquod impedimentum in eorum corporali viſione erat, quo fiebat vt videndo non cognoſcerent ipſum, ſicut priùs videndo cognouerant. Quòd verò ſit ſermo de oculis mentis, ex duobus apparet. Primò, quia illimet oculi detenti ſunt ne eum agnoſcerent, qui poſtea aperti ſunt in fractione panis; ſed in fractione panis ſunt aperti oculi interiores: ergo de illiſmet dixerat Euangeliſta quòd oculi eorum tenebantur. Secundò, ex eo quòd non ſufficiens impedimentum cognitionis Chriſti allatum fuiſſet ex impedimento viſionis corporalis. Nam per ſenſum auditus reſtabat ſufficiens via ad cognoſcendum Chriſtum. Audiendo ſiquidem propriam ipſius vocem dum loqueretur in via, & aperiret illis Scripturas, cognoſcere poterant, imò debebant ipſum eſſe Chriſtum, ſicut ante paſſionem cognouiſſent ipſum voce, ſi audiſſent ipſum loquentem in nocte abſque hoc quòd viderent ipſum. Vnde ex hoc quòd neque audiendo ipſius vocem cognouerunt ipſum eſſe Magiſtrum ſuum, inſinuatur quòd interiores erant illi oculi qui tenebantur ne agnoſcerent eum. Nihil enim ſpectat ad oculos corporeos cognoſcere perſonam aliquam per auditum propriæ vocis.

Ad hoc dicitur quòd ſine dubio de vtriuſque oculis verificantur verba Euangeliſtæ. principalis tamen Euangeliſtæ intentio ad interiores oculos referri videtur. Declaro ſingula. Quòd enim oculi corporei diſcipulorum tenerentur ne agnoſcerent eum, ex verbis Marci Euangeliſtæ clariùs percipitur. Nam Marcus explicat quòd Chriſtus duobus diſcipulis euntibus in villam oſtenſus eſt in alia effigie. vbi manifeſtatur quòd in oculis corporeis ambulantium diſcipulorum oſtendebatur non propria Chriſti effigies, ſed alia, quam Lucas inſinuat ex verbis diſcipulorum fuiſſe effigiem peregrini, dum dixerunt, *Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem.* Aliam autem effigiem intellige, non quòd aliquam figuram aëream vnius peregrini formauerit Dominus coram oculis illorum (quoniam Dominus ſeipſum eis monſtrauit) neque quòd in oculis diſcipulorum aliqua ægritudinis, ſeu illuſionis ſpecies facta fuerit, qua impedita fuerit viſio colorum & figuræ ipſius Chriſti (quoniam nulla ad hoc ratio ducit) ſed quòd facies Chriſti immutabat tam diaphanum medium, quàm oculos diſcipulorum, non ſecundùm omnem diſpoſitionem quam habebat, ſed ſecundùm aliquid ſic, & ſecundùm aliquid non. Verbi gratia, immutabat ſecundùm aliquid ſuorum lineamentorum, oculorum, naſi, frontis, &c. & ſecundùm aliquid non, aut ſecundùm aliquid coloris ſui, & ſecundùm aliquid non. Et ſic apparebat in alia effigie, & ſic apparebat peregrinus non per formam, ſeu figuram alteram, ſed per ſubtractionem immutationis ſecundùm omne quod ſuæ figuræ, ſeu coloris erat. hinc enim apparentia fit alterius. Et parua huiuſmodi varietas in immutando, ſufficit ad alienam effigiem apparendam, & ad non apparendam propriam: quoniam ſpecies viſibilis ſic deficiens ab integritate obiecti, repræſentat non talem faciem, non tales oculos, &c. ac per hoc repræſentat alienam effigiem. Conſtat autem hoc fuiſſe in poteſtate ipſius Chriſti, in cuius poteſtate erat efficere vt etiam præſens non videretur. Et ſicut non miramur corpus Chriſti glorioſum non immutaſſe oculos corporeos diſcipulorum quatenus erat lucidum, ita non eſt mirandum quòd non immutauit oculos iſtorum duorum ſecundùm omnem diſpoſitionem ſui vultus. Ex hac ergo ſubtractione immutationis immutabantur oculi diſcipulorum ad videndum Chriſtum non ſub propria effigie, & ad iudicandum ipſum peregrinum. Et in hoc conſiſtit impedimentum quo oculi eorum corporei tenebantur ne eum agnoſcerent. Et hæc quo ad impedimentum iudicij ſecundùm corporalem viſionem ſufficere videntur. *Diſcutitur.*

Sed quomodo auditus iudicium impeditum fuerit vt non diſcreuerint vocem Chriſti, non videtur ſimilis ratio. Nam fictioni ſimile videtur, quòd vox Chriſti aliter immutauerit auditum eorum, quam formata ab ipſo Chriſto fuerit,

fuerit, aut quòd ſecundùm aliquid immutauerit, & ſecundùm aliquid non. Vnde rationabiliter intelligimus quòd ſicut homines (qui ſciunt variis loqui linguis, diuerſimode loquuntur dum diuerſis vtuntur linguis, & ſicut qui perſonam alienam fingunt, loquendo, ita quandoque loquuntur vt à non videntibus eos putentur illi eſſe quorum perſonam fingunt in loquendo, ita multo magis Dominus Ieſus diuerſis modis loquebatur, & non ſemper loquebatur modo quo conſuetus erat loqui ante paſſionem, ſeruato tamen eodem idiomate. Et ſic iſtis duobus diſcipulis aliter locutus eſt, quàm conſueuerat ante paſſionem, ita quòd vox nõ ſonabat ipſum Chriſtum, ex hoc ipſo quòd non erat illo modo formata quo conſueuerat formari ante paſſionem.

Et quòd hoc ita ſit, ex Euangelio Ioannis accipere poſſumus, dum eodem reſurrectionis die Chriſtus Dominus à Maria Magdalena non eſt primò cognitus in voce, dum ei dixit, *Mulier, quid ploras? quem quæris?* & quaſi ſtatim eſt ab eadem cognitus in voce, dum dixit ei, *Maria.* Ex hoc enim quòd in ſecunda voce tam breui cognouit eum, & in prima prolixiore non cognouerat eum, accipimus quòd primam vocem Chriſtus formauit quaſi alienam: ſecundam autem more ſolito ante paſſionem, & propterea ſtatim Maria cognouit eum. Ex hac enim ſolita & cognita Chriſti voce, à Maria cognitus eſt, & non ſufficienter ex hoc quòd nominauit eam proprio nomine. Nam ſi ſecundùm priorem vocem qua æſtimabatur hortulanus, dixiſſet nomen proprium, Maria non habuiſſet rationem cognoſcendi eum, ſed interrogandi; vnde me noſti? ex quo æſtimabat illum hortulanum eſſe. Sed dum audiuit ſuauiſſima illa voce Magiſtri ſui, quam ſolita erat audire, vocari ſe nominatim, habuit ſufficientiſſimam rationem cognoſcendi eum. Sic ergo duobus iſtis diſcipulis Dominus nec propriam effigiem ſubtrahendo, aliquid immutationis corporalibus oculis monſtrauit, nec ſolitam vocem auribus eorum propoſuit, & propterea interiores oculi eorum tenebantur ne agnoſcerent eum, ita quòd pars interior cognoſcitiua non habebat ex parte ſenſuum vnde iudicaret illum hominem eſſe Chriſtum, quoniam nec per ſenſum auditus, nec per ſenſum viſus offerebantur ſenſibilia offerentia indiuiduum Chriſti. Præter hanc autem cauſam alia extabat cauſa impediens oculos internos, ſcilicet minus bona diſpoſitio mentis eorum, quam ipſimet confeſſi ſunt, dicendo, *Nos autem ſperabamus.* quámque Chriſtus reprehendit, dicens, *O ſtulti, & tardi corde*, &c. Hinc enim merebantur vt Dominus nec per viſum, nec per auditum ſe eis aperiret. Hinc etiam merebantur, vt dum aperiret eis Scripturas, adhuc non cognoſcerent eum.

Et per hoc patet ſecundum, ſcilicet quòd principalis intentio Euangeliſtæ eſt loqui de oculis interioribus, qui ex tot partibus tenebantur ne agnoſcerent eum. nam, vt dictum eſt, tenebantur ex parte viſus corporei, & ex parte auditus corporei, & ex parte deſperationis, ſtultitiæ, & tarditatis. Et ij ſunt, quos fateri oportet apertos in fractione panis, ſi pro quia fractio panis non concomitanter, ſed cauſaliter concurrit ad hoc quòd illi cognoſcerẽt Chriſtum. Concurreret ſiquidem fractio panis concomitanter, ſi non ex ipſa fractione panis, ſed dum frangeret Chriſtus panem, diſcipuli cognouiſſent ipſum. hoc eſt, ſi dum frangeret panem, figura Chriſti immutaſſet oculos illorum ſecundùm ſe totam, & ſic aperti dicerentur oculi eorum corporei. Sed hæc expoſitio diſſonat à plano Euangelij ſenſu. non enim replicatum eſſet quòd narrauerunt Apoſtolis quòd cognouerunt eum in fractione panis, ſi fractio panis concomitanter ſolùm concurriſſet. ita enim potuiſſent dicere quòd cognouerunt eum in benedictione panis, aut in acceptione, aut in porrectione eiuſdem, ſicut dixerunt in fractione: quoniam Chriſtus non ſolùm fregit, ſed accepit, ſed benedixit, ſed porrexit panem.

Quocirca explicando ſolùm fractionem, cauſam denotauerunt cognitionis. Et licèt Euangeliſta non explicet modum quo fractio panis cauſauit in eis cognitionem Chriſti: attamen ex hoc ipſo quòd ponit fractionem ipſam fuiſſe cauſam cognitionis, inſinuat miraculum aliquod in illa fractione interueniſſe, puta quòd manibus frangebat ſicut alij cultello incidunt. & hoc tanquam conſuetum fieri à Domino ante paſſionem, mouit eos ad cognoſcendum ipſum eſſe Chriſtum. Ex eo enim quòd iſti duo diſcipuli narrauerunt Apoſtolis quomodo cognouerunt eum in fractione panis, manifeſtè intelligitur modum aliquem interueniſſe in illa fractione quo cognouerunt illi ipſum eſſe Chriſtum Ieſum. nam non dicit eos narraſſe quòd cognouerunt eum, ſed quomodo cognouerunt eum. nec dicit quomodo cognouerunt eum abſolutè, ſed determinat, in fractione panis. Illud igitur Aduerbium *quomodo* determinans cognitionem in tali motiuo ad cognoſcendum, ſcilicet in fractione panis, incitat nos ad intelligendum interueniſſe in illa fractione panis, modum aliquem Domino Ieſu Chriſto proprium, ex quo diſcipuli cognouerunt ipſum eſſe Dominum Ieſum.

Et licèt de hoc mirabili actu fractionis quòd fuerit Chriſto conſuetus ante paſſionem, Euangelia non expreſsè teſtentur: ex hoc tamen textu & ex Euangelio Ioannis non irrationabiliter ſumitur. Ex hoc quidem textu non ſolùm quia tanquam ſolitus Ieſu Chriſti actus duxit iſtos diſcipulos in Chriſti cognitionem, ſed etiam ex eo quòd iſti diſcipuli narrauerunt Apoſtolis quomodo cognouerunt eum in fractione panis, tanquam atteſtantes actionem Chriſti propriam, & ex conſuetudine notam omnibus diſcipulis. quaſi dicerent: Nos cognouimus ipſum certa cognitione, quum vidimus ipſum frangere panem more ſolito, vt ſcitis quòd conſueuerat frangere. Ex Euangelio autem Ioannis, nam Ioan. vlt. quando ad mare Tyberiadis Chriſtus poſt reſurrectionem manifeſtauit ſe diſcipulis, ad inſinuandum per hunc conſuetum actum Chriſtum conuerſatum cum diſcipulis, dicitur, *Et venit Ieſus, & accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter.* Hæc enim verba ad id tendere videntur, quòd Chriſtus tam panem, quàm piſcem diuidebat diſcipulis propriis manibus. non enim integrum panem, neque integrum piſcem, illis dabat. Vnde & ſignanter Euangeliſta appoſuit ly *ſimiliter*, vt declararet quòd ſimili modo dabat piſcem, quo dabat panem, hoc eſt, quòd ita manibus frangebat piſcem ſicut frangebat panem. Hæc de primo.

QVÆ

QVÆSTIO II.

Vnde ſcitur quòd Thomas tetigit manus & latus Chriſti, vt Doctores affirmant.

Punctus difficultatis. CIrca ſecundum de tactu Thomæ ratio dubitandi eſt, quia in Euangelio non legimus Thomam tetigiſſe: ſacri autem Doctores, ſpecialiter Leo & Gregorius, tactum affirmant interueniſſe.

Diſcutitur. Ad hoc dicitur, quòd ex verbis Domini recitatis in Euangelio Ioannis, intelligitur Thomam tetigiſſe. nam per actum videndi ſignificauit Euangeliſta huiuſmodi tactum. quod non voluntariè dicimus, ſed ex pluribus Euangeliſtis manifeſtè habemus. Apud Lucam namque Dominus ipſo die reſurrectionis dixit diſcipulis, *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Vbi ly *videte*, non viſionem corporalem ſignificat, ſed certificationem cognitionis ex tactu, ita quòd dicendo, *Palpate, & videte*, dicebat, Palpate & certificate vos. Apud Ioannem quoque Dominus dixit Thomæ, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Non enim digito videre poterat manum, ſed digito certificare ſe poterat de fiſſura claui in manu. & propterea dicens, *Infer digitum tuum huc, & vide*, dicebat: Infer digitum tuum, & certificare. Nec Euangeliſtæ vſurparunt videndi vocabulum ad deſignandam certam cognitionem, ſed vſitatum loquendi morem ſequuti ſunt. Conſueuimus enim videndi verbo vti, non ſolùm ad ſignificandum corporalem viſionem, aut intellectualem, ſed etiam ad ſignificandum certam cognitionem ſecundùm quemcunque ſenſum. Et videtur hic vſus deriuatus ex certitudine ſenſus viſus. Vnde & in Pſal. dicitur de ſenſu guſtus ſpirituali, *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Ex hoc ergo quòd in hoc propoſito ipſe Dominus vſus eſt videndi verbo ad ſignificandã certam cognitionem ſecundùm tactum tam ad Apoſtolos alios apud Lucam in die reſurrectionis, quàm ad Thomam apud Ioannem poſt octo dies, conſequens eſt vt affirmante Domino, *quia vidiſti me Thoma, credidiſti*, affirmata ſit certificatio ſecundum tactum, quæ per verbum videndi ſignificata & oblata ab ipſo Chriſto erat. ita quòd dicendo, *quia vidiſti me, credidiſti*, dixit, quia tangendo certificatus es, credidiſti, &c. Vnde patet ex Euangelio haberi quòd Thomas tetigit, & propterea confeſſus eſt credendo, *Dominus meus, & Deus meus.* Hæc de ſecundo.

QVÆSTIO III.

Apoc.5. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere diuinitatem.

Difficultas. CIrca tertium dubitandi ratio eſt, quia Chriſtus Dominus ab æterno fuit Deus, nec per mortem deſiit eſſe Deus: nam totus Deus erat in ſepulchro, & totus Deus erat in inferno cum anima Chriſti. Quomodo ergo poſt reſurrectionem ſuam de eo dicitur, quòd dignus eſt accipere diuinitatem, quaſi non haberet illam.

Soluitur. Ad hoc breuiter dicitur, quòd accipere dicimur aliquid non ſolùm ſi de nouo accipimus illud, ſed etiam ſi priùs illud habentes de nouo vtimur. Vnde & habens gladium dicitur accipere gladium, quando de nouo vtitur illo.

Et iuxta hunc ſenſum Dominus Ieſus licèt ab æterno fuerit Deus, & nunquam deſierit eſſe Deus, quia tamen poſt reſurrectionem ſuam vſurus erat diuinitate ſua manifeſtè, quam ſubit paſſibili carne, tanto tempore occultam tenuit, & ex merito paſſionis ſuæ dicebatur ſibi manifeſtatio gloriæ ſuæ (vt Apoſtolus *ad Philip.2.* dixit) ideo dignus poſt reſurrectionem ſuam dicitur accipere diuinitatem, non ad de nouo habendum illam, ſed ad manifeſtum vſum illius. qui vſus vſque ad diem iudicij, quo manifeſtiſſimè apparebit omnibus Deus, extenditur. Hæc de tertio, & tota hac parte. Budæ ſabbato in Albis. M.D.XXIV.

IENTACVLVM VIII.

De peccatis.

OCcvrrvnt octauò declaranda de peccatis quinque.

Primum eſt Matth.12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.*

Secundum eſt primæ ad Cor.6. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.*

Tertium eſt 1. Ioan.vlt. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.*

Quartum eſt Apoc.3. *Vtinam eſſes calidus, aut frigidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis, Diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Quintum eſt Apoc.vlt. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc.*

QVÆSTIO I.

Matth.12. Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur.

CIrca primum Matth.12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur*, dubium occurrit de *Dubium.* differentia poſita inter ſpiritum blaſphemiæ, & reliqua peccata hominum quantum ad hoc quòd ſpiritus blaſphemiæ non remittetur, reliqua verò remittentur. Nam aut eſt ſermo de remiſſione quantum eſt ex natura peccati, & ſic non ſaluatur differentia poſita, quia commune eſt omni peccato mortali, quantum eſt ex parte ſui, eſſe irremiſſibile, quum faciat hominem dignum æterna morte, & conſtituat inimicum Deo. Aut eſt ſermo de remiſſione ſecundùm potentiam, & nec ſic ſaluatur differentia poſita, quia commune eſt omni peccato mortali poſſe remitti non ſolùm per omnipotentiam Dei, ſed per miſericordiam eius ſolitam, tam per ſacramentum Baptiſmi, quàm per ſacramentum Pœnitentiæ

nitentię. Aut de remiſſione in actu, hoc eſt, quòd reliqua remittentur, & hoc non. Et nec ſic ſaluatur differentia poſita, ſed vtrinque falſa videtur. nam nec de omnibus reliquis peccatis hominum verificatur quòd quandoque remittentur hominibus, quum multi damnentur propter huiuſmodi peccata. Nec pro vero aſſerendum eſt aliquod quodcunque ſit illud peccatum hominis in hac vita, quod nunquam remittetur: quoniam affirmare hoc, eſt ponere hominem illum in deſperationem. Nam ſi certificatus eſſet quis per Domini ſententiam quòd peccatum ſpiritus blaſphemiæ nunquam remittetur, haberet cauſam deſperandi habens tale peccatum, vtpote certus de non conſequendo remiſſionem.

Ad hoc dicitur, quòd quum manifeſtè ſpiritus blaſphemiæ diſtinguatur in litera contra blaſphemiam, videtur per ſpiritum blaſphemiæ intelligendum quoddam ſpeciale blaſphemandi genus: quod, iudicio meo, conſtat ex maligna machinatione aduersùs Deum, dum aliquis ad hoc dat operam vt quæ Dei eſſe cognoſcit, aut putat, deſtruat, peruertat, alij attribuat, &c. huiuſmodi enim blaſphemiæ genus meritò blaſphemiæ ſpiritus appellatum eſt, propter plenitudinem rationis blaſphemandi, & propter conſuetum loquendi morem, quo appellamus hominem omnibus opponentem habere ſpiritum contradictionis. ita huiuſmodi malignantes dicuntur habere ſpiritum blaſphemiæ.

Inter hoc igitur crimen ſpiritus blaſphemiæ, & alia peccata, & ipſas blaſphemias differentia quo ad remiſſionem eſt, quòd reliqua, regulariter loquendo, remittuntur hominibus, hoc autem, regulariter loquendo, nunquam remittitur: ita quòd Dominus hanc differentiam reuelaſſe videtur in hoc textu. Et quamuis etiam iſtis ſi pœnitentiam agerent, venia daretur: diſpoſuit tamen diuina iuſtitia permittere iſtos impœnitentes perſeuerare: ita quòd ſub hac Dominica reuelatione cadit non ſolùm negatio remiſſionis, ſed negatio doni pœnitentiæ. tanquam ſi dictum fuerit quòd peccantibus ſpiritu blaſphemiæ nunquam concedetur remiſſio: quia nunquam concedetur ex gratia pœnitendi, exigente hoc maxima illorum nequitia.

Soluitur. Ad dubitationem igitur reſpondetur quòd ſermo eſt de actuali remiſſione non ſimpliciter & abſolutè, ſed regulariter, hoc eſt, ſecundùm communem curſum. Et quum obiicitur quòd non omnia reliqua remittuntur etiam ſecundùm communem curſum: reſpondetur Dominum non dixiſſe quòd omnia reliqua remittentur ſingulis hominibus, ſed dixit quòd remitterentur hominibus. ad quod verificandum ſufficit quòd remittantur aliquibus hominibus.

Quod verò obiicitur de deſperatione, ſoluitur dicendo quòd talis non debet deſperare: quoniam Deus non alligauit miſericordiam ſuam communi curſui, ſed præter illum, ſeu ſupra illum pluries miſertus inuenitur peccatorum: vt patet de latrone, de Paulo, de Magdalena, quos ſupra communem curſum ſtatim ita euexit. Omni ergo conatu, ieiuniis & eleemoſynis & orationibus, alieniſque ſuffragiis tanto magis conari talis deberet ad diuinam implorandam miſericordiam, quanto remotiorem ſe ab illa conſtituit. Hæc de primo.

QVÆSTIO II.

1. *ad Corinth.* 6. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.

CIrca ſecundum 1. ad Corinth. 6. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* quæſtio occurrit, tum contra primam partem, tum contra ſecundam. *Quæſtio.*

Contra primam quidem: quoniam falſum videtur omne aliud à fornicatione peccatum extra corpus eſſe. Apparet enim triplex manifeſta inſtantia. Prima, de comeſſationibus & ebrietatibus, quas conſtat peccata eſſe in corpore, & non extra corpus. Secunda, de percuſſione & vulneratione ſui ipſius: quum enim quis percutit, aut vulnerat ſeipſum, manifeſtè peccat contra corpus ſuum plus quàm inebrians ſe. Tertia, de abuſu manuum loco pedum: vt ſi quis ambularet more quadrupedum. hinc enim maximè peccaret in corpus ſuum, dehoneſtans illud, & abducens ac deiiciens ab humana dignitate, & efficiens illud ſimile beſtiis.

Contra ſecundam verò partem, quoniam non apparet vera neque per ſe, neque per accidens. Non per ſe: quia licèt in peccatis contra naturam contumelia fiat corpori (iuxta illud ad Rom. 1. *Vt contumeliis afficiant corpora propria*) in peccatis tamen naturalibus, quale eſt fornicatio, nulla apparet iniuria corporis, ſed animæ: dum anima ſubditur corpori, & inquinatur peccato. Nec per accidens: quoniã non oportet fornicãtem nocere corpori proprio, quũ ſemen ſit de ſuperfluo indiuidui, &c. Et ſi ad ea quæ ſunt per accidens, egrediendum eſt, in prõptu obiiceretur quòd plures occidit crapula, quàm gladius.

Ad hoc dicitur, ſermonem Apoſtoli eſſe de peccatis humanis in genere, ita quòd non intendit fornicationem comparare ſingulis peccatorum ſpeciebus, ſed communibus generalibus peccatis: nec loquitur de effectibus peccatorum, ſed de peccatis ipſis: & intendit quòd ſolum peccatum fornicationis, & tanto magis adulterij & ſimilium, eſt peccatum in corpus proprium. hoc eſt, infert iniuriam proprio corpori. quum diſtinguitur enim peccatũ in Deum, in proximum, &c. ſenſus eſt quòd infert iniuriã Deo, infert iniuriã proximo, &c. Ac per hoc quũ dicitur hîc quòd peccat in corpus propriũ, ſenſus eſt quòd iniuriam facit proprio corpori. *Soluitur.*

Vnde ad obiecta contra primam partem reſpondendo, dicitur quòd neque comeſſatio, neque ebrietas iniurioſa eſt corpori proprio in ipſo actu peccati, quamuis effectus earum iniurioſus ſit corpori, pro quanto illi nocet. & pro tanto dicuntur extra corpus eſſe quo ad iniuriam, quia extra corpus ſumitur hîc vt diſtinguitur contra peccare in corpus proprium, in quo fornicatio à reliquis differre dicitur.

De percuſſione autem, & vulneratione propria, dicitur huiuſmodi crimina computari extra generalem rationẽ peccatorũ cõmunium, vt patet ex hoc quòd homicidiũ ſecũdùm communẽ ſuam rationem nõ ponitur peccatum in corpus proprium. & tamẽ occidere ſeipſum, maximè eſt contra corpus propriũ. Vnde huiuſmodi ſpecia-

lia peccata vt exiſtentia extra comparationem quam facit Apoſtolus, reiicienda ſunt.

Deambulatione verò more quadrupedum & ſimilibus, dicitur quòd quum hæc ſint peccata pluſquam humana (quoniam apud Philoſophos ſunt peccata beſtialitatis) valde remota ſunt à comparatione quæ ab Apoſtolo fit.

Ad ea verò quæ obiiciuntur contra ſecundam partem, reſpondetur quòd ſermo eſt de iniuria quam per ſe facit fornicatio corpori proprio. Et quum quæritur quæ eſt illa iniuria, reſpondetur quòd eſt duplex, ſcilicet dehonorationis & ſubiectionis. Dehonorationis quidem, quia membra ſua membra facit meretricis. qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea. Subiectionis verò, quia membra ſua ſubiicit poteſtati meretricis. vnde patet quòd non oportet recurrere ad nocumenta per accidens, aut ad quæcunque alia per accidens. Hæc de ſecundo.

QVÆSTIO III.

1. *Ioan. vlt.* Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.

CIrca tertium, 1. Ioan. vlt. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* difficultas occurrit de differentia peccati ad mortem, & peccati non ad mortem, an ſit ſermo de morte corporis, an de morte animæ: ita quòd ſi ad mortem corporis ſpectatur, peccatum ad mortem intelligitur finalis impœnitentia, hoc eſt, quando homo moritur in peccato mortali abſque pœnitentia interiori. hoc enim eſt peccatum durans vſque ad mortem corporis incluſiuè, & propterea ducens ad mortem æternam. Si autem ad mortem animæ ſpectatur, vocatur peccatum ad mortem omne peccatum mortale, quia mors animæ eſt. Quæſtio igitur eſt quis ſit ſenſus Ioannis Apoſtoli per hæc verba. Nam contra primum ſenſum militant verba ipſius textus dum dicitur, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare.* de finali ſiquidem impœnitentia non poteſt aliquis dum viuit ſcire quòd peccat huiuſmodi peccato, ſed ſolùm poſt mortem poteſt ſciri quot peccaui finali impœnitentia: quoniam quamdiu viuit, poteſt pœnitere, ac per hoc non eſt adhuc finaliter impœnitens. Et propterea de hoc peccato non eſſet dicendum, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare*, ſed qui ſcit fratrem ſuum peccaſſe. *Difficultas.*

Contra ſecundum verò ſenſum (iuxta quem ſolummodo peccatum veniale eſt peccatum non ad mortem) militant duo verba textus. Primum quum dicitur, *& dabitur ei vita.* nam peccans ſolùm venialiter, non eget vt detur ei vita: quum habeat ipſam ſpiritalem vitam per charitatem, quæ ſtat cum peccato veniali. vnde ex hoc quod dicit, *& dabitur ei vita peccanti non ad mortem*, ſignificat quòd talis peccans non ad mortem, eget vita, vtpote non habens illam, ſed expectans vt detur ſibi quod non conuenit peccato veniali, ſed mortali. Secundum, quum dicitur, *Non pro illo dico vt roget quis.* Nam hinc ſequeretur Ioannem non dicere vt rogetur pro peccantibus mortaliter: cuius contrarium Dominus docuit, *Orate pro perſequentibus vos.* & fecit, orans pro crucifixoribus; & Stephanus orauit pro lapidantibus. conſtat autem hos omnes peccaſſe mortaliter, & non eſſe rationabile vt Ioannes Euangeliſta diſcordet à doctrina & exemplis Chriſti & Sanctorum: diſcordaret autem, ſi timeret orandum eſſe pro irretitis peccatis mortalibus.

Ad hoc dicitur quòd quum ſermo omnis niſi per ſe intelligatur, incertus ſit (vtpote vagus per accidentia) per peccatum ad mortem intelligendum eſt peccatum quod per ſe machinatur ad mortem animæ: hoc eſt, ex intentione abiicit vitam animæ, vt quum quis ex intentione non curat de ſalute animæ ſuæ, de paradiſo, & huiuſmodi. Dico autem ex intentione, propter eos, qui non ex huiuſmodi intentione, ſed ex conſuetudine delitiarum & luxuriarum, ex conſuetudine vſurarum, & ſic de ſimilibus, viuunt tanquam non curantes de ſalute animæ ſuæ. tales enim non ex intentione peccant contra vitam animæ ſuæ, ſed ex paſſionibus, infirmitatibus, &c. Intendit ergo Ioannes Euangeliſta differentiam inter peccatores ex contemptu propriæ ſalutis peccantes, & inter alios, qui ex ignorantia, aut paſſione & huiuſmodi incurrunt peccata mortalia. Et inſtruit Chriſtianos vt quum viderint aliquos peccare ex ignorantia, aut infirmitate, &c. orent pro illis cum fiducia. quum viderint autem peccantes ex contemptu propriæ vitæ, non præſumant petere pro eis veniam: ſed vel relinquant eos in curſu ſuo, vel (vt Bernard. inſinuat) gemant ſi fortè diuina miſericordia adiiciat quod oratio non præſumit. Et benè nota quòd Ioannes non affirmat repellendam eſſe orationem pro talibus, ſed non audet dicere vt orent pro talibus, tanquam petitio videatur præſumptuoſa, ait enim, *non dico vt oret quis.* Et hic ſenſus conſonare videtur non ſolùm toti textui, & contextui, ſed etiam geſtis Sanctorum. nam Dominus orans pro crucifixoribus, adiecit cauſam ignorantiæ: *Quia neſciunt quid faciunt.* & Paulus pro quo exauditus fuit Stephanus, teſtatur ſe miſericordiam conſecutum, quia ignorans fecit. Vnde patet quòd neuter quæſitorum ſenſuum eſt intentus ab Apoſtolo, ſed iſte quem diximus, cui omnia conſonare videntur. Hæc de tertio. *Soluitur.*

QVÆSTIO IV.

Apoc. 3. Vtinam eſſes calidus, aut frigidus: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

CIrca quartum Apoc. 3. *Vtinam eſſes frigidus, aut calidus; ſed quia tepidus es, nec calidus, nec frigidus, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* ambiguitas occurrit ex quadruplici capite. *Ambiguitas.*

Primò, quia inconueniens manifeſtum eſt attribuere

tribuere alicui ſancto Angelo deſiderium mali culpæ: ac per hoc non conſonat illi dicere, Vtinam eſſes calidus, aut frigidus: nam per eſſe frigidum intelligitur alienum manifeſte eſſe à toto charitatis igne.

Secundò, quia non conſonant hæc duo ſibiinuicem, ſcilicet tepor & feruor arrogantiæ, & tamen in litera vtrunque dicitur hunc Epiſcopum habere: nam primò dicitur, *quia tepidus es.* & deinde ſubiungitur, *dicis quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo.* vbi ſuperbiæ feruor magnus notatur, quũ falsò ſibi arroget diuitias, &c.

Tertiò, quia aliud eſt ex tempore, aliud ex ignorantia peccare. nam tepor ad infirmitatem animi ſpectare videtur, & propterea mirum eſt quòd in litera iſte dicitur tepidus, & deinde ſubditur eius ignorantia, dum dicitur, *& neſcis quia miſer es, & miſerabilis*, &c.

Quartò, quia nulli debet imputari defectus non ſolùm inculpabilis, ſed impoſſibilis euitari. nullus (inquit Philoſophus) imperabit cœco nato. Sed hominem in hac vita neſcire ſe eſſe abſque charitatis gratia, eſt defectus & inculpabilis & ineuitabilis. nullus enim ſcit an odio, vel amore dignus ſit, vt dicitur *Eccleſiaſtic 9.* Inconuenienter ergo arguitur iſte quòd neſciat ſe miſerum, &c.

Solutio.

Ad hoc dicitur quòd homo iſte vltimò deſcriptus, de quo eſt ſermo, habet ſecundùm planum literæ ſenſum conditiones quatuor.

Hominis hic deſcripti quadruplex conditio.

Prima eſt, eſſe extra charitatem: quæ ex eo habetur quòd deſcribitur miſer, miſerabilis, pauper & cæcus ſecundùm veritatem.

Secunda eſt, eſſe tepidum, quæ clarè patet in litera.

Tertia eſt, æſtimare ſe diuitem, locupletatum, & nullius egere. Et hæc etiam clarè patet in litera. Et ponitur cauſa tepiditatis, quoniam cum Coniunctione cauſali in litera ponitur, dicendo, *quia dicis quòd diues ſum*, &c.

Quarta eſt, neſcire ſe eſſe miſerum & miſerabilem, pauperem, cæcum & nudum. Et hæc quarta conditio ſimiliter ponitur concauſa tepiditatis: dum continuatur in textu cum antedicta cauſa ſub eadem Coniunctione cauſali, vt patet intuenti.

Ex quibus omnibus colligitur huiuſmodi hominem abundare multis donis ſiue naturalibus, ſiue gratuitis, & multis bonis operibus: ita quòd primum iſtius peccatum apparet ſuperbia de multis bonis quæ in ſe recognoſcit. Et ſi ſingula diſcernimus, iſtius hominis oculus adeò perſpiciebat bona quæ in ſe erant, vt erraret & ſuperbiret. Erraret quidem, quoniam ex bonis ſecundùm quid, æſtimauit ſe bonum ſimpliciter, hoc eſt, ex donis & bonis operibus, quibus abundabat ſine vera charitate, æſtimauit ſe etiam charitatem & illius dona habere. Hoc enim ſonant verba ſua, dum interiori verbo dicebat, *Diues ſum*, & hoc quo ad dona tam naturæ, quàm gratiæ. *locupletatus ſum*, & hoc quo ad bona opera, & ſtudia. *& nullius egeo*, & hoc vniuerſaliter quo ad dona quæcunque neceſſaria: ita quòd æſtimabat ſe nullo amplius dono egere. & tamen falſum erat, quoniam carebat charitate & gratia gratum faciente. Superbiret autem, quoniam bonis illis quæ habebat, ſeipſum magnificabat. nam dicebat: Ego ſum diues, ego locupletatus, ego nullius egeo. quum vir rectus debuiſſet dicere, quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, &c. & Deum, non ſe magnificare, nec vnquam prorumpere in tam temerariam æſtimationem quòd nullius egeret. Nec intelligo hunc eſſe tanta elatum ſuperbia, vt ex intentione ſuperbiret (quoniam iam eſſet in numero non tepidorum, ſed frigidiſſimorum) ſed quia per modum ſuperbientis & tali æſtimationi innitentis ſe habebat: quod vt clariùs patebit, facit hominem tepidum. Erat quoque huic ſuperbæ ac falſæ æſtimationi annexum alterum peccatum negligentiæ. nam cum hac æſtimatione negligebat iſte diſcutere interiorem diſpoſitionem animæ ſuæ quo ad mala pœnæ atteſtantia malum culpæ. Neſciebat enim ſe eſſe miſerum, miſerabilem, pauperem, cæcum & nudum: quæ ſunt mala pœnæ atteſtantia malum culpæ. Et fomentum huius negligentiæ quamuis ex litera non habeatur niſi antedicta ſuperba æſtimatio, videtur tamen eſſe incertitudo charitatis: ita quòd ex hoc quòd non poteſt homo ſcire certa cognitione ſe habere gratiam gratum facientem, ſeu charitatem, neglexit perſcrutari antedicta mala ſua: tanquam eiuſdem rationis ſit cognoſcere habere ſe bona gratiæ & charitatis, & diſcutere huiuſmodi mala. quod tamen non eſt verum: nam etſi homo non poteſt cognoſcere in ſe eſſe donum charitatis infuſæ, poteſt tamen diſcernere an ſit pauper, & cæcus: paupertas enim conſiſtit in penuria operum interiorum ſimilium operibus interioribus charitatis, puta ſi habebat interiorem actum pœnitentiæ, ſi interiorem actum gratitudinis, ſi reuerentiæ & tremoris in Deum, ſi miſericordiæ in proximos, ſi humilitatis in ſeipſum. Similiter de viſu, ſi videbat eo modo videndi de quo ſcriptum eſt: *Ad videndum in bonitate electorum tuorum.* vident enim electi in bonitate, propria quidem bona, vt Dei: propria verò mala culpæ, accuſando ſe, corrigendo, puniendo: propria verò mala pœnæ æquanimiter tolerando, bono aliorum gaudendo, malo aliorum condolendo, &c. quo contrà cæci videntes in ſuperbia cordis ſui, proximos vident iudicando, ſeu contemnendo, bona eorum parui faciendo, mala eorum accuſando, indignando, &c. bona quæ habent vt ſua magnificando, mala quæ habent excuſando, &c. huiuſmodi enim paupertatem, cæcitatem & nuditatem virtutum his annexam poteſt homo, ſi vult, diligenter in ſe diſcutere & cognoſcere. Et in hoc iſte homo defecit: neglexit enim huiuſmodi mala pœnæ in ſe diſcutere, & ſic neſciuit ſeipſum miſerum, &c. Ex his autem duobus (ſuperbia ſcilicet, & negligentia) conſurgit in homine quædam confidentia, quaſi manendi in ſtatu in quo ſtat. Ex eo enim quòd æſtimat ſe abundantem in bonis, & neſcit miſeriam ſtatus ſui, quaſi ſecurus incedit: etiam inde naturaliter procedit affectus tepidus ad dona gratiæ gratum facientis habenda. Et propterea homo iſte ponitur tepidus ex his cauſis, ſcilicet quia dicebat, *diues ſum*, &c. & neſciebat ſe eſſe miſerum, &c. Huiuſmodi autem diſpoſitio tepidi animi vtinam non frequens inueniatur in iis qui putantes ſe in gratia Dei eſſe, negligunt diſcutere interiorem animi ſui diſpoſitionem quo ad penuriam interiorem actuum virtutum & interioris viſus. Signum autem tepidi animi videtur eſſe non progredi, ſeu non augeri in interioribus actibus virtutum infuſarum. Et licèt ex recitatis in hac litera appareat iam hunc eſſe verum

literæ ſenſum, ſolidior tamen ſenſus iſte apparet ex ſubiuncto conſilio exhibito in textu iſti homini, dum ſuadetur ei in remedium ſtudium emendi aurum ignitum, &c. In emendo ſiquidem, duo inueniuntur contraria tempori. Alterum eſt, appretiare, ſeu magni æſtimare id quod eſt emendum. alterum eſt, exhibere pretium æquale rei emendæ. Et primum quidem ſpectat ad animum, ſecundum autem ad executionem operis. Quæ ideo tolluntur tempore, quia tepidus non æſtimat donum gratiæ tanquam emendum, nec ſtudet in executione exhibere opera quaſi æquiualentia ad gratiam: ad quæ tamen duo maximè debet aſſurgere tepidus, & vt ſummè magni faciat (quo caret) gratiæ donum, & vt omni conatu exerceat ſe quaſi ad cogendum Deum, vt det ſibi gratiam. Secundum quoque remedium quod adiungitur, idem teſtatur ad cauſas tepiditatis relatum. nam quia & malè videndo bona quæ habet, & non videndo mala quæ habet, tepidus effectus eſt: medicina pro oculis ei offertur, qua impedimenta videndi tollantur: inter quæ præcipuum eſt ſuperbia, quæ collyrij vnctione tollitur, ſi à Christo diſcimus, quia mitis eſt, & humilis corde.

Obiectis occurritur. Ad obiecta igitur ordinatè reſpondendo, dicitur dupliciter poſſe accipi metaphoram hanc de calido & frigido, & tepido. Primò, intelligendo per calidum manifeſtam charitatem, & per frigidum manifeſtam iniquitatem, per tepidum verò medium: qualis deſcriptus eſt qui ſibi videtur bonus, & tamen eſt malus. Et iuxta hunc ſenſum optat Angelus magis frigidum, quàm tepidum, non vt meliorem, ſed vt faciliorem ad reſipiſcendum; qui enim cognoſcit ſe eſſe malum, facilius correctionem ſuſcipit, quàm is, qui putat ſe eſſe bonum, & quaſi tutus tepet.

Secundò, referendo metaphoram totam ad guſtum, ſeu ſumentem. Et iuxta hunc ſenſum tam frigidus, quàm calidus bonus eſt. nam & calida libenter ſumimus, & ſimiliter frigida libenter ſumimus, ſolum autem tepidum abominabile eſt, vtpote vomitum cauſans. Et ſic optans Angelus, *Vtinam eſſes calidus, aut frigidus*, optat bonum. Vtinam eſſes ſicut cibus, aut potus habilis ad ſumendum: vt eſt alimentum calidum, & alimentum frigidum. Et hic ſenſus magis conſonat literæ pro quanto parabola hæc ad hoc tendit, vt ſolum tepidum abominabile dicatur, tanquam vomitiuum. Vnde patet nihil mali per hæc verba optari ab Angelo.

Ad ſecundam obiectionem dicitur quòd in iſto homine tepido eſſet feruor ſuperbiæ, & arrogantiæ, ſi ex intentione ſuperbiret ad hoc vt ſe diuitem, locupletatum, & nullius egentem magnificaret, ſed iſte tepidus non ex intentione ſic ſuperbit, ſed ex modo ſe habendi, quandoquidem ſic concidit in iis quæ habet, tanquam iudicans ſe locupletem, diuitem, & nullius egentem. Videtur enim ſuperbia ſicca magis, quàm ſuperbiæ feruor: & propterea non inde apertè malus, ſed tepidus effectus eſt.

Ad tertiam dicitur quòd tepor & ignorantia poſſunt ſubordinari, ita quòd ambo poſſunt diuerſimodè cauſare peccatum, tepor immediatè, ignorantia mediatè. Sic autem eſt in propoſito: ignorantia enim propriæ miſeriæ concauſat teporem, quo deinde peccatur. Nec iſta ſimultas contrariatur diuerſitati cauſarum peccandi, ſcilicet ex ignorantia, vel infirmitate: quoniam illa diuerſitas intelligitur ſecundùm cauſas proximas, quando ſcilicet cauſa proxima eſt infirmitas, non ignorantia, aut econtrario. Secus autem eſt quum infirmitas circa vnum actum ſubordinatur ignorantiæ alterius rei præcedentis, vt patet eſſe in propoſito.

Ad quartam dicitur quòd huic tepido non imputatur neſcientia doni charitatis in ſeipſo, ſed ignorantia propriæ miſeriæ: quæ non eſt ſolùm euitabilis, ſed valde culpabilis, vt patet ex dictis. Hæc de quarto.

QVÆSTIO V.

Apoc. vlt. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.

CIrca quintum Apocal. vlt. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui iuſtus, iuſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc.* difficultas ex triplici capite occurrit. *Difficultas.*

Primò, de veritate: quia vtraque pars, progreſſus ſcilicet tam malorum, quàm bonorum, falſa videtur. nam multi hodie mali, cras boni: vt patet de Paulo & latrone, &c. & ſimiliter multi hodie boni, cras mali: vt patet de Nicolao, Salomone, &c.

Secundò, de decentia: quia hæc verba ſunt Angeli alloquentis Ioannem, indecens autem videtur vt Angelus ſanctus dicat, *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* multo magis quàm indecens fuerit iudicium inferre blaſphemiæ in Diabolum: quod tamen non eſt auſus Michael Archangelus, vt Iudas in epiſtola ſua dicit.

Tertiò, de conceſſione temporis: nam Deus nemini dedit ſpatium malè operandi (vt dicitur *Eccleſiaſtici* 15.) immò, vt Eſaias dixit, *propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* Quomodo ergo nunc Angelus tempus propinquum denuncians, dicit: *Qui nocet, noceat: & qui ſordet, ſordeſcat*, tanquam concedens malis tempus peiora faciendi.

Ad hoc dicitur quòd literalis ſenſus horum verborum ad præſcitorum & prædeſtinatorum conditionem, ac tempus vſque ad iudicium tendere videtur. *Soluitur.* Ad cuius euidentiam prænotandum eſt Angelum more humano allocutum eſſe Ioannem in fine Apoc. monendo eum ne claudat librum Apocalypſis, aſſignando pro ratione, *quia tempus prope eſt.* Conſueuimus ſiquidem quando in aliud tempus differenda eſt lectio libri, claudere librum, reſeruando ipſum ad tempus opportunum: quando verò tunc imminet tempus vtendi libro qui inuenitur apertus, dicimus, ne claudas librum, quia iam inſtat tempus vtendi illo. Sic Angelus Ioanni ſcribenti Apocalypſis librum dicit, *Ne ſignaueris librum hunc, quia tempus inſtat exequendi ea quæ ſunt ſcripta in illo.* Et notanter ex parte inſtantis temporis ad vniuerſale iudicium, reddit rationem non ſigillandi librum. duo namque exequendorum genera in Apocalypſi reuelata ſunt. *Duo exequendorum genera in Apocalypſi reuelata.* Quædam adimplenda in tempore, & ſunt quæ fient vſque ad diem iudicij: quædam adimplenda in æternitate, & hæc ſunt quæ fient poſt diem iudicij. Et quoniam illa quæ fient in æternitate, diſtantia multum videntur, ideo Angelus ex parte temporis, & eorum quæ

quæ in tempore fiunt, reddit rationem non ſigillandi librum, vtpote quia tempus iudicij inſtat, & exequenda in tempore iam ſunt. Et hoc denotauit, dicendo, *Tempus enim prope eſt*, & dicit abſolutè *tempus*: quoniam tempus ad iudicium, & tempus abſolutè æquiualent: quoniam poſt iudicium non erit vltra tempus, iuxta illud: *Iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, quòd tempus non erit vltrà.* Et ad declarandum quòd propinquum ſit tempus iudicij, ſubiungit quaſi epilogando totum quod interim agendum eſt, ſcilicet quòd adimplenda ſunt præſcitorum demerita, & prædeſtinatorum merita: vt ex his paucis adimplendis perpendatur breuitas temporis ad iudicium. Omnia enim quæcunque vſque ad diem iudicij agenda ſunt in his duobus conſiſtere videntur. Significauit autem Angelus hæc duo per propoſita verba, ſcilicet *qui nocet, noceat adhuc*, &c. Quod vt facilius clariúſque percipiatur, nota in his verbis myſteria ſeptem.

Verborum quæſtionis ſeptem myſteria.

Primum. Primum eſt, quòd tam in hominibus bonis, quàm in malis præſupponitur initium, & apponitur terminus per modum progreſſus perſeuerantis. Præſupponitur quidem initium, dicendo, qui nocet, qui in ſordibus eſt, qui iuſtus eſt, qui ſanctus eſt, manifeſtè enim per modum præſuppoſiti hæc dicuntur: illa de malis, iſta de bonis. Apponitur verò terminus, dicendo, noceat adhuc, ſordeſcat adhuc, iuſtificetur adhuc, ſanctificetur adhuc. Et apponitur per modum perſeuerantiæ: quia ſola perſeuerantia & in malis damnatur, & in bonis coronatur. Per modum quoque progreſſus, quia in vitæ termino & mali ſi poſſent adderent ad malum, & boni adderent ad bonum. Ex hac igitur ordinatione literæ intelligimus myſterium hoc quòd de præſcitis & prædeſtinatis eſt ſermo, qui ex præſuppoſita prædeſtinatione & præſcientia procedit, dum in malis ex præſuppoſito primo quaſi effectu reprobationis, ſcilicet prima præſciti iniquitate, & in bonis primo prædeſtinationis effectu, ſcilicet prima prædeſtinati iuſtitia, ad progreſſum termini vltimi in malo quo ad præſcitos, & in bono quo ad prædeſtinatos extenditur ſermo, ita quòd ſenſus eſt, Qui præſcitus eſt nocens, aut in ſordibus, impleat menſuram iniquitatis ſuæ: & qui prædeſtinatus eſt iuſtus, aut ſanctus, adimpleat menſuram iuſtitiæ ſuæ.

Secundum. Secundum eſt, quòd in ordine malorum, ſolius iniquitatis, & in ordine bonorum, ſolius bonitatis mentio fit, vt clarè patet. Hinc enim per malos, præſcitos, & per bonos, prædeſtinatos intelligimus. quia, Ezechiele teſte, didicimus quòd Deus obliuiſcitur omnium iniquitatum quas fecerat, qui conuerſus in bono perſeuerat vſque in finem, & ſimiliter omnium bonorum quæ fecerat, auerſus & perſeuerans in malo vſque in finem.

Tertium. Tertium quoque ad hoc idem myſterium eſt, quòd licet in iſto decurſu temporis vſque ad iudicium interueniat diuerſitas bonorum & malorum ſecundùm præſentem gratiam, vel nequitiam, vt patet: nulla tamen de hac diuerſitate hic mentio fit, quia huiuſmodi diuerſitas non tenſanebit iudicanda, ſed ſola diuerſitas quæ eſt ſecundùm bonitatem prædeſtinatam & malitiam præſcitam ſimpliciter.

Quartum. Quartum eſt ex modo loquendi dum non enuntiando per verbum indicantiuum, non enim dicitur, nocebit, ſordeſcet, iuſtificabitur, ſanctificabitur, ſed per verbum Imperatiuum noceat, ſordeſcat, iuſtificetur, ſanctificetur, exprimitur huiuſmodi progreſſus perſeuerans ſiue in bono, ſiue in malo. Hinc enim ordo diuinæ præſcientiæ ac reprobationis & ſimiliter prædeſtinationis inſinuatur. nam inter primum peccatum præſciti, & poſteriora hæc eſt differentia, quòd primum eſt tantummodo permiſſum: poſteriora verò ſunt & permiſſa & ordinata in pœnam prioris, iuxta illud ad Rom. 1. *propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, &c. Et propterea de poſterioribus peccatis tanquam de ſpeciali modo ſubiectis ordinationi diuinæ, imperando ordinem ac tolerantiam eorum dicitur, ſordeſcat & noceat. De bonis autem prædeſtinatorum clarum eſt quòd non ſolùm ſub ordine, ſed etiam ſub efficientia diuinæ prædeſtinationis denotantur. Apparet quoque in vtriſque denotari per hoc menſuram eorumdem. nam & diuina prædeſtinatio definiuit vſque quo merita prædeſtinatorum progredientur: & ſimiliter diuina diſpoſitio ordinauit vſque quo ſuſtinebit in multa patientia, ſeu tolerabit demerita præſcitorum. Et hoc fortè denotant hæc verba determinata illo Aduerbio, *adhuc*. Cum his quoque omnibus retine quòd per huiuſmodi loquendi modum, ſordeſcat, noceat, &c. humana libertas deſignatur: vt ſolemus dicere relinquentes aliquem in ſua libertate, faciat, dicat, &c.

Quintum eſt diuerſitas ordinum tam in bonis, quàm in malis. nam ponuntur duo ordines bonorum, ad denotandam diſparitatem præſcitorum inter ſe: aliis minus malis, & aliis peioribus exiſtentibus, & ſimiliter ad denotandam diuerſitatem prædeſtinatorum bonorum & meliorum. Mali ſiquidem denotantur per eos qui in ſordibus ſunt, peiores verò per nocentes, boni quoque notantur per iuſtos, meliores verò per Sanctos. Quemadmodum enim paratæ ſunt prædeſtinatis diuerſæ manſiones in domo Patris cœleſtis: ita & præſcitis in inferno diuerſa tormenta parata ſunt pro diuerſitate demeritorum. *Quintum.*

Sextum ex ordine quo reuelata dicuntur, ſumi poteſt. Ex hoc enim quòd priùs præſciti, & demum prædeſtinati poſiti ſunt: intelligi poteſt ipſe, qui in rei veritate eſt ordo inter tolerantiam præſcitorum, & prædeſtinatos. nam tolerantur præſciti propter prædeſtinatos, iuxta illud, *Nolite nocere terræ, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frõtibus eorum.* Et rurſus quum ſancti Martyres ſuſpirarent ad diem iudicij pro corporum reſurrectione, dictum eſt vt expectarent adhuc modicum tempus donec impleatur numerus fratrum ſuorum. ita quòd manifeſtè patet Deum tolerare malos donec impleatur numerus electorum: imò & ipſos præſcitos & etiam Dæmones ordinat Deus ad exercitium electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. *Sextum.*

Septimum eſt continuatio horum verborum cum promiſſione aduentus celeris ad iudicium, dum cum nota copulationis & demonſtrationis quaſi præſentis ſubiungitur in perſona Chriſti, *Et ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique iuxta opera ſua.* Ex his enim manifeſtũ videtur quòd de præſcitorum demeritis & prædeſtinatorum meritis adimplendis & per Chriſtum iudicandis eſt ſermo in præſenti litera. *Septimum.*

Obiectis occurritur. Ad obiecta ergo in oppoſitum ordinatè reſpondendo, dicitur verba hæc pro vtraque parte eſſe veriſſima, de præſcitis & prædeſtinatis intellecta. nam & præſcitus quiſque impleturus eſt tandem ſuas iniquitates, & prædeſtinatus quiſque tandem ſua merita, quod per hæc verba ſignificatur. Vnde non obſtat varietas interpolationum ſecundùm præſentem iuſtitiam, vel iniquitatem, quoniam de termino præſens eſt ſermo.

Ad ſecundùm verò dicitur quòd aliud eſt dicere imprecatiuè, aliud eſt dicere ordinatiuè. Et quòd licèt dedecens appareat quòd Angelus imprecetur malum, non tamen dedecet illum dicere ordinationem mali, vt accidit in propoſito, vt patet ex dictis.

Ad tertium verò dicitur quòd licèt verum ſit Deum nulli dare ſpatium peccandi, formaliter intelligendo, hoc eſt, quia nulli dat tempus ad hoc vt peccet: cum hoc tamen ſtat quòd ſuauiter regendo creaturas rationales, relinquendo illas in manu conſilij ſui, permittat eas peccare, & in multa patientia ſuſtineat poſt peccata nos perſeuerare in illis. Sic autem eſt in propoſito, in quo & plus adhibetur diuinæ bonitatis, pro quanto etiam in peccatis bonum ordinis ſui adhibet. Propter quod non ſolùm permiſſiuè, ſed ordinatiuè conceſſum eſt tempus peccandi: materialiter tamen intelligendo reſpectu peccati. Conceſſit enim Deus tempus non vt peccaretur, ſed quo quæ fiunt peccata ordinarentur, & in bonum cederent electorum. Hæc de quinto. Badæ in die ſancti Vincentij Confeſſoris. M.D.XXIV.

IENTACVLVM IX.

De quatuor Scripturæ locis.

OCCVRRVNT nonò quatuor declaranda.

Primum Matthæi 19. *Erunt duo in carne vna, itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.*

Secundum Matth. 21. & Luc. 20. *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.*

Tertium Lucæ 13. *Ite & dicite vulpi illi, Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio,* &c.

Quartum 1. ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent. ſed non omnia expediunt,* &c.

QVÆSTIO I.

Matth. 19. Erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.

Circa primum, ſcilicet, *Erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro,* difficultas occurrit ex duplici capite.

Difficultas. Primò, de qua carne eſt ſermo, an ſcilicet de carne coniugum inter ſe: an de carne coniugum in ſua prole. Nam contra primum ſenſum militat veritas, quia non eſt vna numero caro coniugum, ſed quantumcunque iungantur, ſemper remanent duæ: quoniam non continuantur, ſed ſolo tactu iunguntur. Contra ſecundum verò militat requiſita ſufficientia: quia licet verum ſit quod coniuges ſunt duo in vna carne prolis, hoc tamen non ſufficit ad verificandam Domini ſententiam. nam ad verificandam rationem Domini inferentis, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet;* exigit illius carnis vnitas ex qua ſufficienter inferatur inſeparabilitas coniugum. Conſtat autem quòd ex vnitate carnis prolis non ſufficienter infertur inſeparabilitas coniugum, quoniam coniuges non habent hanc vnitatem antequam vxor ſit grauida, vt patet. ac per hoc ſeparabiles eſſent coniuges ſteriles, & etiam antequam vxor ſit grauida: quia non ſunt adhuc duo in carne vna prolis.

Secundò, de quali vnitate eſt ſermo, an de vnitate coniugali, an de vnitate carnali. Nam ſi de carnali intelligitur, ſequeretur quòd etiam fornicantes eſſent inſeparabiles, quia effecti ſunt caro vna carnaliter. Si autem de coniugali eſt ſermo, obſtat Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 6. vbi ex allegato teſtimonio Geneſis, *Erunt*, inquit, *duo in carne vna*, dicit: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.*

Soluitur. Ad hoc dicitur quòd ſermo eſt de carne ipſorum coniugum, & de vnitate numerali carnalis generationis principij perfecti ac iuſti: ita quòd ſenſus eſt quòd erunt duo in carne vna, hoc eſt, in vno carnalis generationis perfecto iuſtóque principio. Et quidem quòd interueniat hic vnum carnale generationis principium perfectum, clarè patet: nam licèt mulieris & viri ſint duæ carnes, & ſingulæ ſint duo partialia principia generationis: ambæ tamen concurrunt ad integrandum vnum numero completum generationis principium. Quòd verò hoc vnum carnale perfectum principium ſit etiam iuſtum in coniunctione coniugum, ex eo patet, quòd inter coniuges & fornicarios hæc eſt differentia, quòd in fornicariè ſe commiſcentibus inuenitur hoc tantùm, ſcilicet quòd integrant vnum completum generationis principium, ſed non inuenitur alia conditio, ſcilicet iuſtitia, hoc eſt, quòd illud principium ſit non ſolùm completum, ſed iuſtum: in coniugibus autem coniunctio fit ad integrandum non ſolùm vnum perfectum, ſed etiam iuſtum generationis principium. Vnde & in Geneſi vbi primò ponuntur hæc verba, præmittitur, *Adhærebit vxori ſuæ.* & ſubiungitur, *Erunt duo in carne vna.* per nominatam vxorem ſignificans quod de iuſta vnitate loquebatur, dicendo, *erunt duo in carne vna.* Et Dominus tam *Matth.* 19. quàm *Marci* 10. intulit in neutro genere, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* & non in maſculino genere, *Quos ergo Deus coniunxit.* per illud enim denotauit vnum iuſtum generationis principium quod Deus coniunxit in coniugio. Propter quod ſignanter ponitur Deus autor coniunctionis iſtius. Coniunctio ſiquidem viri & mulieris quatenus iuſta, à Deo eſt ſingulariter, tanquam ab inſtitutore ipſius. Et quidem in plantis perfectum generationis principium vnum natura coniunxit, faciens in vna planta virtutem vtriuſque ſexus: in animalibus verò vnum generationis completum principium appetitus animalis coniunxit, trahens ad commixtionem maris & fœminæ. In hominibus quoque vnum generationis principium perfectum appetitus carnalis facit: vt patet in

Coniuges & fornicarij differunt.

fornicariis, adulterinis, & inceſtuoſis commixtionibus. Sed quòd completum generationis principium vnum ſit etiam iuſtum, fecit Deus inſtituendo in humano genere coniugium. Et propterea infertur, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et per hoc patet reſponſio ad vtrumque ambiguitatis caput, & ſolutio omnium obiectorum, niſi obiectionis allatæ ex Apoſtolo. Ad quam dicitur quòd Apoſtolus ibi vſus eſt illa autoritate quantum ad id quod eſt materiale in vnitate coniugij, hoc eſt, quantum ad ipſam corporum commixtionem, qua fit vnum perfectum generationis carnalis principium. hoc enim ſufficiebat ſuo propoſito, & non quantum ad totum quod in illis verbis Geneſis comprehenditur. Vnde non obſtat integritati totius ſenſus. Hæc de primo.

Obiectioni ex Apoſtolo occurritur.

QVÆSTIO II.

Matth. 21. & *Luc.* 20. Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.

Difficultas.

CIrca ſecundum. *Omnis qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum*; difficultas occurrit, an huiuſmodi diuerſitas ſignificet diuerſam grauitatem peccatorum, an diuerſam grauitatem pœnarum, hoc eſt, iuxta primum ſenſum denotetur diuerſa grauitas peccati infidelitatis ex vna parte, & aliorum peccatorum ex alia parte: vt per cadentes ſuper lapidem denotentur alij peccatores: per eos verò ſuper quos cadit lapis, denotentur infideles. Et contra hunc ſenſum militant duo. Primum eſt, quia agricolæ, contra quos directè hæc verba dicuntur, non peccabant in fide, imò dixerunt, *Hic eſt hæres.* Secundò, quia 1. *Pet.* 2. inter cadentes ſuper lapidem computantur infideles, dum ibi dicitur de Chriſto, *Et lapis offenſionis & petra ſcandali ijs qui offendunt, nec verbo credunt.* Iuxta ſecundum verò ſenſum denotetur differentia inter pœnas præſentis vitæ, & futuræ, ita quòd confractio cadentium ſuper petram, denotet pœnam præſentis vitæ: contritio verò, ſeu comminutio eorum, ſuper quos cadit lapis, denotet pœnas æternas. Et hic ſenſus extra propoſitum apparet: pro quanto de pœna agricolarum præſentis temporis Dominus loqui videtur, dicens, *Auferetur a vobis regnum, & dabitur genti*, &c.

Euoduatur.

Ad hoc dicitur quòd verba iſta, vtpote metaphorica aſſumpta à Domino, pro magna parte ex 8. cap. Eſai. multipliciter exponi poſſunt. videtur tamen nihil ad literam tendere hanc metaphoram ad diuerſam grauitatem pœnarum: ita quòd metaphora conſiſtit in ſimilitudine patientium diuerſimodè à lapide; dupliciter enim contingit pati nos à lapide, vel quòd impingendo, ſeu ruendo cadamus ſuper lapidem: vt contingit tam ambulantibus cadentibus ſuper lapidem, quàm ruentibus ex aliquo loco cadendo ſuper aliquem lapidem; vel quòd lapis cadat ſuper nos: vt contingit quum proiicitur, vel demittitur ſuper nos lapis. Vtroque enim modo quum patiamur à lapide, minus patitur cadens ſuper lapidem: & hoc deſignatur per confractionem, dum dicitur, *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur.* magis autem patitur ſuper quem cadit lapis, & hoc deſignatur per comminutionem, dum dicitur, *ſuper quem vero ceciderit, comminuet eum.* magis enim patitur qui comminuitur, quàm qui frangitur. Vult ergo Dominus docere quod licet peccando in ipſum Chriſtum qui ſignificatur per lapidem, incurratur pœna: maior tamen pœna incurritur ab iis, ſuper quos Chriſtus ipſe iratus eſt. Et reuera nulla eſt maior pœna, quàm ſit Chriſti ira tam in hac vita, quam in futura. Quum enim Deus iratus eſt, ita quòd in furore ſuo punit, indurat cor ſubtrahendo gratiam, punit etiam & temporaliter & æternè, etiam pœna ſenſus, vt patet in Herode & Iuda, &c. Et hoc directè videtur ad propoſitum Saluatoris, qui cõtra Scribas & Phariſæos intendebat declarare eis acerbitatem pœnæ, quam ipſe erat eis illaturus. & in hac vita puniendo eos per Romanos tam acerbe, & in inferno. Nec obſtat quòd de ereptione regni fiat ſermo: quoniam dupliciter puniendi erant agricolæ, ſcil. tollendo ab eis vineam, & aliis locando (quod ſpectat ad tranſlationem regni à Iudæis in gentes) & malos malè perdendo: quod ſpectat ad punitionem Iudæorum per excidium à Romanis in præſenti vita, & ad damnationem æternam in futuro. Et hæc videntur vera ad litteram quantum ad illos. extendendo autem ſententiam hanc ad omnes, quia Dominus extendit eam ad omnes, referente Euangeliſta quòd vniuerſaliter dixit, *Omnis qui ceciderit ſuper lapidem*, &c. ſignificari poteſt eadem ſententia, ſcilicet quòd offendentes Chriſtum non erunt impunes, verumtamen niſi ſint tales ſuper quos cadat furor Chriſti vt lapis comminuens, erit plaga eorum curabilis: nam illi ſuper quos Chriſtus cadit, indurans eos, incurabiles ſunt, vtpote comminuti. Hæc de ſecundo.

QVÆSTIO III.

Luc. 13. Ite & dicite vulpi iſti: Ecce eiicio dæmonia, & ſuauitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor: verumtamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.

CIrca tertium, ſcilicet verba Domini de Herode tetrarcha, ſcilicet, *Ite & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſumor; verumtamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem*, quæſtiunculæ occurrunt tres.

Triplex quæſtio.

Prima, quorſum tendant hæc de Herode verba, quum in Euangelio non legatur quòd ipſe inſidiatus fuerit Chriſto Domino, ſed potiùs quòd deſiderabat eum videre, quòd gauiſus eſt ipſo viſo, quòd interrogauit eum in multis ſermonibus, quòd ſperabat aliquod ſignum videre fieri ab eo, quod nihil morte dignum in cauſa ipſius iudicauit.

Secunda, quid ſibi vult replicata hæc diſtinctio per tria tempora *hodie, cras & tertia die.*

Tertia, quid ſignificat per illa verba, *quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem*, quum Latina conſtructio nullam videatur habere

ſign.ficationem.nunquid deerant vocabula Lucæ Euangeliſtæ ad ſignificandum quòd oportebat Chriſtum mori in Hieruſalem.

Reſponſio. Ad hæc breuiter dicitur quòd Herodes ideo vulpes appellatus eſt à Domino, quia doloſè incedere videbatur. Et verè intentionem occidendi Chriſtum videtur habuiſſe: quamuis poſtea videns illum deſpexerit, & non curauerit occidere illum, vtpote non æſtimans ipſum ſicut æſtimauerat Ioannem Baptiſtam. Nam ſi tanti feciſſet illum ſicut Ioannem, eandem habuiſſet de eo ſententiam, quam habuit de Ioanne, propter eandem cauſam, ſcilicet concurſum populorum ad prædicationem eius. Apparet autem doloſitas Herodis ex Euangelio tripliciter in ſimulatis ſignis. Primò, quia ex vna parte volebat occidere Ioannem: ex altera parte contriſtatum ſe monſtrauit quum puella petiit in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Similiter ex vna parte libenter Ioannem audiebat: ex alia parte nolebat quòd prædicaret populo, ſed incarcerauit ipſum. Simili quoque modo ex vna parte deuinxit ipſum in carcere, & occidit propter Herodiadem: ex altera parte explebat intentum ſuum de occidendo Ioannem propter concurſum populorum: vt Ioſephus teſtatur. Vnde Dominus audiens quòd Herodes volebat ipſum interficere, & videns intima cordis Herodis, meritò appellauit ipſum vulpem, vtpote occultè in mente ſua inſidiantem vitæ ipſius Domini. quod ex ſubiunctis verbis quæ referenda dixit Herodi, colligi facilè poteſt.

Vnde ad ſecundam quæſtiunculam dicitur, quòd Dominus & perfectionem operum ſuorum primò, & modum perficiendi opera ſua ſecundò, non obſtante quacunque Herodis doloſitate, in hac iterata temporum diſtinctione declarauit. Nam primò tria vniuerſalia opera ſe perfecturum declarauit, ſcilicet eiectionem dæmoniorum, & in hoc clauditur expulſio malorum: perfectionem ſanitatum, & ſub hoc clauditur collatio bonorum & ſacrificium mortis ſuæ: in quo eſt myſterium æternæ vitæ, &c. Deinde modum quo prædicta perfecturus erat, ſcilicet ambulando, aperuit: quia ad literam diſcurrebat Chriſtus eiiciendo dæmonia, conferendo ſanitates, &c. Vtrunque autem diſtinxit per tres dies, ad ſignificandum totum tempus ordinatum ad hæc perficienda, & ad modum perficiendi adimplendum, trinarius enim perfectionem ſignificat. & rurſus principium, medium, & finis, perfectionem ſignificant. hodie autem principium, cras medium, & tertia dies finis eſt. Et ipſa quidem opera abſolutè ſibi Dominus attribuit, dicens, *Ecce eiicio dæmonia*, &c. modum verò perficiendi cum nota neceſſitatis ſignificauit, dicens, *oportet me ambulare*, vt & ſuam voluntatem & neceſſitatem implendi diuinam præordinationem ſignificaret. definierat ſiquidem Deus vt Dominus Ieſus diſcurreret prædicando tanto tempore, & in Hieruſalem occideretur, non ab Herode, ſed à Pilato.

Ad tertiam quæſtiunculam dicitur quòd conſtructio literalis inuenitur ſi ly *Hieruſalem* ſit nominatiui caſus, & ordinãda ſic eſt litera: quia Hieruſalem non capit Prophetam perire extrà. hoc eſt, quia Hieruſalem non recipit, non eſt capax huius gratiæ, ſcilicet Prophetam perire extrà. Tanquam diceret quòd Hieruſalem tantam operam dat occiſioni Prophetarum, quòd non recipit vitationem huius mali, quod eſt occidere Prophetas. Vnde & ſtatim Dominus ſubiungit, *Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis Prophetas*, &c. aſſignans pro cauſa quare in tantum malum deuenerit ob ſuam obſtinationem, &c. vt patet in textu. Hæc de tertio.

QVÆSTIO IV.

1. *ad Corinth.* 6. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. *& cap.* 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.

Circa quartum, ſcilicet, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*, &c. ambiguitas duplex occurrit. *Duplex ambiguitas.* Primò, circa primam partem: quoniam contraria implicare videtur, ſcilicet licita coram Deo, & non expedientia propter offenſionem hominum, qui inde impediuntur à bono. Nam ſi non expediunt ad bonum, iam non ſunt licita: & ſi ſunt licita, non impediunt à bono. Deinde circa ſecundam partem: quia aut eſt ſermo de redactione totali ſub alterius poteſtate, aut de ſubiectione quo ad aliquem actum pro tunc. Si primo modo, ſermo non videtur ad propoſitum, perinde eſt enim ac ſi dixiſſet: ſed ego ſub nullius ero perpetua poteſtate, quod ad nullum videtur propoſitum Apoſtoli in illo loco. Si ſecundo modo, ſuperba videtur & ſtulta & impoſſibilis ſententia: quum impoſſibile videatur hominibus conuerſantibus hæc euitare. Nam ſicut qui litigat, ſubiicitur pro tunc quo ad litem ſub iudicis poteſtate: ſic qui nauigat, ſubiicitur pro tunc quo ad nauigationem ſub nautæ poteſtate, & qui veſtem conficiendam tradit artifici, ſubiicitur pro tunc quo ad actum illum artificis poteſtati. Quomodo ergo verificabitur hæc Apoſtoli ſententia: Ad hoc dicitur quòd in his ſententiis Apoſtolus prudentiam docere intendit circa opera licita ex ſuo genere, hoc eſt, nulla lege ſibi prohibita, & ex duplici capite docet abſtinendum quandoque fore à licitis, primò ex parte finis: ſecundò ex parte operantis. Et ſi adiunxerimus quod ipſe poſtmodum *cap.* 10. docet, tertiò abſtinendum eſt ex parte circunſtantium. Et ex parte quidem finis dicit, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*; ex parte verò operantis dicit, *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*; ex parte verò circunſtantium dicit, *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Ex fine ſiquidem ratio pendet eorum quæ ordinantur ad finem: ac per hoc ex fine diſcernuntur quæ impediunt, & quæ expediunt ad finem: atque inde volentes finem conſequi, eligenda decernimus quæ expediunt, hoc eſt, quæ impedimenta tollunt, quæ vtilia ſunt ad talem finem, & refutamus tam impedientia, quàm inutilia, vtpote vana. Verbi gratia: licebat Apoſtolo viuere de Euangelio, ſed quia alicubi non erat hoc vtile ad finem intentum, ſcilicet fructum ſpiritalem prædicationis, abſtinuit ab hoc licito. Ex parte verò operantis penſanda ſunt valde quæ fiunt, quoniam multa decent vnum, quæ dedecent alterum. Specialiter autem libertas ſeruanda eſt,

vt

vt ſcilicet homo non ſe obliget alicui vnde poſtea detineatur, vt non poſſit, aut quaſi non poſſit liberè exercere officium ſuum, aut quod decet ipſum facere, vel omittere. Verbi gratia: licet vxorem accipere. ſed quia per coniugium ſub alterius poteſtate vterque coniunx redigitur, eſt quandoque abſtinendum à nuptiis, quando ſcilicet hinc homo detinetur vt non poſſit ſtudio, aut arduo alicui negotio vacare. Ex parte verò circunſpectantium conſtat operationem moderandam, vel omittendam quandoque eſſe. nam quamuis opus ſit licitum, ſi tamen inde offenduntur non maligni, ſed infirmi, ſed puſilli, abſtinendum eſt ab illo opere, vt non ſcandalizentur, vt non ruant inde in peccatum aliquod. Verbi gratia: licet veſci quocunque cibo, quia omnis creatura Dei bona eſtј: ſi tamen quandoque contingat aliquos ex qualitate, aut hora cibi ſcandalizari, abſtinendum eſt. Diligenter autem in omnibus licitis quæ quádoque omittenda ſunt, diſtinguendum eſt, quia dupliciter contingit omittenda eſſe quæ licita ſunt. Primò, quia in tali caſu effecta ſunt illicita ratione ſcandali annexi, tunc vel ratione nocumenti quod tunc emergeret, vel ratione otioſitatis tunc occurrentis, hoc eſt, quòd vanè fieret ſi fieret, & ſic de ſimilibus. Et in huiuſmodi caſibus ſermo Apoſtoli intelligendus eſt de licito ſecundùm ſe; ita quod ſenſus eſt: omnia non prohibita, mihi licent ſecundùm ſe ſola conſiderata. cum hoc enim ſtat quòd ex adiuncto aliquo ſingulari accidente fiant illicita, vel ex parte finis, vel ex parte perſonæ, vel ex parte ſpectantium. Secundò, quia melius eſt in tali caſu omittere illa: ita quòd ſermo Apoſtoli ſit de licitis non ſolùm ſecundùm ſe, verùm etiam in caſu illo occurrente. Et licèt vtroque modo poſſint verba Apoſtoli gloſſari ſi ſpectetur ad primam cuiuſlibet ſententiæ partem, ſcilicet *omnia mihi licent*, ter repetitam, ſi tamen ad ſubſequentem cuiuſque partem ſpectetur, ſecundùm ſenſum ſolum quælibet ſententia ſonat: dum ſolius melioris negatio contraponitur in ſingulis ad licitum. In prima ſiquidem ait, *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*: vbi negat melius expeditionis bonum. Et non dixit, ſed aliqua impediunt. vbi affirmáretur malum impedimenti. In ſecunda quoque ait, *omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*: vbi negatur melius libertatis bonum. Et non dixit, ſed ego ſub nullo redigar peccato: vbi mala peccati ſeruitus opponeretur. In tertia demum ait, *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant*, vbi melius ædificationis ſpiritalis bonum negatur. Et non dixit, ſed quædam deſtruunt, ſeu ſcandalizant: vbi malum ſcandali opponeretur. Et propterea ſententiæ iſtæ de licitis quæ ex conſilio omittenda quandoque ſunt, intelliguntur iuxta planum literæ ſenſum.

Obiecta in oppoſitum occurritur. Ad obiecta autem in oppoſitum reſpondendo, dicitur falſum eſſe quod omnia non expedientia ſunt illicita: imò falſum etiam eſt omnia impedientia eſſe illicita. multa enim ſunt quæ impediunt à meliori bono fine, quæ tamen ſunt licita: vt patet de coniugio impediente contemplari liberè quæ Domini ſunt, & tamen eſt licitum: & ſic de aliis.

Ad aliam obiectionem dicitur quòd non refert intelligere hanc ſententiam de perpetua, vel temporali ſubiectione: quoniam ſermo Apoſtoli non tendit ad euitandam omnem ſubiectionem, vt obiectio interpretatur, ſed ad euitandam ſubiectionem, ſiue ſimpliciter, ſiue pro tunc, quæ detineret ipſum à meliori opere. Nam ſi prudentia huius mundi renuit quandoque petere, vel ſuſcipere aliquod beneficium ab aliquo, ne inde quaſi alligatus ſit ad aliquid committendum, vel omittendum, quod ipſe intendit committere, vel omittere: multo magis prudentia Ieſu Chriſti docet hominem abſtinere quandoque ab aliquo licito vt liber totaliter ſit ad ea quæ religionis, aut ſancti officij ſunt. Experientia ſiquidem teſtari videtur, multa meliora bona omitti à Religioſis, propterea quia non vſi ſunt hoc Pauli conſilio, *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*; ſed alligauerunt ſeipſos particularibus beneficiis, ſeu perſonis, & inde detinentur & abſtrahuntur à melioribus bonis. Hæc de quarto. Budæ die *9.* Aprilis. M. D. XXIV.

IENTACVLVM X.

De quatuor Domini dictis apud Ioannem.

OCCVRRVNT decimò tractanda quatuor apud Ioannem Euangeliſtam.

Primum, Ioan. 5. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.*

Secundum quoque Ioan. 5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis.*

Tertium Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum.*

Quartum eſt Ioan. 17. *Et nunc clarifica tu me Pater apud temetipſum claritate quam habui priuſquam mundus fieret apud te.*

QVÆSTIO I.

Ioan. 5. Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum. *quum tamen Ioan.* 8 *dicat*: Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.

CIrca primum, ſcilicet, *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*, dubium occurrit ex duplici capite. Primò, quia conditionalis iſta falſa videtur, ſiue antecedens demonſtret Chriſtum in quantum homo, ſiue in quantum Deus. Nam Chriſtus non ſolùm ſecundùm diuinam naturam erat impeccabilis, ſed etiam ſecundùm humanitatem aſſumptam: ac per hoc ſecundùm quamcumque naturam perhibeat teſtimonium de ſeipſo, non poteſt mentiri, & conſequenter teſtimonium eius erit verum. cuius oppoſitum conditionalis iſta ſignificat. Et augetur dubitatio ex eo quòd ipſemet Dominus *Ioan.* 8. quum dixiſſet, *Ego ſum lux mundi*, & Iudæi opponerent ei, *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non* *Dubium.*

eſt

eſt verum, reſpondit Ieſus, & dixit eis, *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.* vbi clarè apparet Dominum aſſerere contrariam conditionalem.

Soluitur. Ad hoc dicitur quòd ſimpliciter & abſolutè loquendo conditionalis ſecunda quam protulit Dominus Ioan. 8. eſt vera, & aſſerenda: illa autem quæ ex Ioan. 5. allata eſt, non eſt extendenda, ſed exponenda iuxta contextum ad præcedentia. Duo ſiquidem ante illa verba Dominus dixerat, ex quibus ſenſus intentus per hanc conditionalem accipi poteſt. Primum eſt, *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam.* Ex quo ſumitur quòd in antecedente huius conditionalis ſubintelligitur ly *à meipſo*; ita quòd conditionalis eſt iſta: *Si ego à meipſo perhibeo teſtimonium de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.* Et ſic conditionalis verificatur; quia ſi à ſeipſo non poteſt facere quicquam, nō poteſt quoque à ſeipſo perhibere teſtimonium verum de ſeipſo. & ſi à ſeipſo teſtimonium perhiberet de ſeipſo, teſtimonium eius non eſſet verum, vtpote contrarium origini veritatis: quoniam ipſe non eſt ex ſeipſo. Et eſt iſta conditionalis de genere illarum, quarum tam antecedens, quàm conſequens eſt impoſſibile: vt ſi leo volat, leo habet alas, & ſimiles. Simili quoque modo verificatur dicta conditionalis, ſi exponatur iuxta ſecūdùm quod præmiſerat Dominus *ibidem*, ſcilicet *quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Hinc enim ſubintelligitur in antecedente dictæ conditionalis ly *quærens voluntatem aliam, quam eius qui miſit me*; ita quòd conditionalis eſt iſta: Si ego quærendo voluntatem aliam, quàm eius qui miſit me, teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum; quia quærendo aliam voluntatem, quàm Patris, contrariaretur veritati, & ſic teſtimonium ſuum non eſſet verum. Sed ſic etiam conditionalis eſt vera, & tam antecedens, quàm conſequens eſt impoſſibile. Illa autem conditionalis quæ dicitur *Ioan.* 8. gloſſa non eget: quoniam vt ſonant vera eſt: & dupliciter ibi à Domino probatur. Primò, quo ad veritatem in ſe, ſcilicet quòd teſtimonium eius verum eſt ſecundùm rem, dicendo, *Quia ſcio vnde venio, & quo vado*, hoc eſt, quia ex certa ſcientia totius progreſſus mei loquor. ſcio enim vnde veni, à principio, à Patre, ab æternitate, &c. & quò vado, ad Patrem, ad cœlum, &c. Quia enim quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur: ex certitudine ſuæ ſcientiæ probat Dominus teſtimonium ſuum eſſe verum. Secundò, quantum ad ſufficientiam legitimam; quia in lege veſtra ſcriptum eſt quòd duorum hominum teſtimonium verum eſt: ac per hoc multo magis verum eſt teſtimonium æterni Filij & Patris, *Ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater.* Poteſt quoque accipi & tertia probatio quo ad veritatem præſumptionis ex ſubiunctis verbis Domini in eodem cap. *Ego gloriam meam non quæro, ſed honorifico Patrem meum*, &c. Præſumi ſiquidem poteſt teſtimonium de ſeipſo falſum, propterea quia homo quærit proprium bonum, ſeu propriam gloriam. ſed vbi homo bona dicit de ſe (vt Chriſtus prædicabat ſe Deum) & propriam non quærit gloriam, non eſt locus præſumptioni, aut ſuſpicioni quòd teſtimonium eius non ſit verum. Et propterea omnia colligendo, amplectimur ſimpliciter & abſolutè veram eſſe hanc conditionalem, ſcilicet *ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.* eſt ſiquidem verum, & re, & lege, & præſumptione. Re quidem, quia ſic eſſe ſcio: lege autem, quia duo teſtes: præſumptione verò, quia non propriam, ſed Patris gloriam quæro. Et per hoc patet ſolutio obiectionum.

Qvæstio II.

Ioan. 5. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis: & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis.

Circa ſecundum, *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis*: dubitatio occurrit ex duplici capite. Primò, circa primam partem, *Quomodo poteſtis credere qui abinuicem gloriam accipitis.* Nam aut eſt ſermo de fide informi, & ſic experientia teſtatur in multis Chriſtianis quod credunt, & tamen adinuicem gloriam accipiunt, ponendo vltimum finem in gloria. Si verò eſt ſermo de fide formata charitate, apparet ſermo Domini per accidens. nam omne peccatum mortale tollit charitatem, & gloriam, non directè opponitur charitati, ſed odium. Vnde qua ratione obiectum eſt peccatum vanæ gloriæ ad impediendum fidem formatam: pari ratione quodlibet aliud peccatum obiici potuit, & maiori ratione obiici potuit peccatum aliquod directius oppoſitum charitati: vt inuidia, odium, diſcordia. *Dubium.*

Circa ſecundam deinde partem, ſcilic. *& gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis*, duplex difficultas occurrit. *Duplex difficultas.*

Prima, quia nulla videtur gloria quæ à ſolo Deo ſit, quum etiam gloria filiorum Dei ſit non à Deo ſolo, ſed à Deo & aliis, iuxta beatæ Virginis verbum, *Beatam me dicent omnes generationes.* & in Pſalm. Sancti dicunt de ſeipſis: *Tunc dicent inter gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis.*

Secunda difficultas eſt, quia quærere gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non ſpectat ad amorem Dei, ſed ad amorem proprium. non enim hoc ſpectat ad amorem amicitiæ, ſed ad amorem concupiſcentiæ, qua homo concupiſcit ſibi bonum gloriæ. Et propterea etiam ſi homo quæreret gloriam quæ à ſolo Deo eſt, quum per hoc proprium bonum quærat, non euaderet difficultatem, ſeu admirationem de fide formata charitate, quæ eſt amor amicitiæ ad Deum. Vndique ergo obſcura apparēt hæc Domini verba.

Ad hoc dicitur poſſe duplicem ſenſum habere illa verba, *Qui abinuicem gloriam accipitis.*

Primus eſt: qui accipitis humanam gloriam vt finem ex intentione præſtitutum. Et iuxta hunc ſenſum duo maxima impedimenta fidei opponuntur. Alterum poſitiuum, ſcilicet inanis gloria. Alterum priuatiuum, ſcilicet non quærere gloriam cœleſtem. Et inanis quidem gloria fidei impedimentum præſtat, & ex parte principij, quoniam oportet credentem intellectum captiuare in obſequium Chriſti. Qui autem humanam gloriam quæritat, nō ſe ſubiicit, ſed exaltare ſtudet vt habeat vnde glorificetur.

Et ex parte termini. fides enim eſt ſperandarum ſubſtantia rerum. Qui autem mercedem ſuam conſtituit in gloria humana, ad illius faſtidium tendit, non ad ſperanda quæ per fidem promittuntur. Non quærere autem gloriam cœleſtis patriæ, maximum fidei impedimentum eſt, quia tollit motiuum ad credendum. Veniſſe ſiquidem ad fidem homines propter cœleſtis gloriæ quam audierunt promiſſam credentibus, non opus eſt probare. & ſimiliter perſeuerare homines in fide ob ſimilem amorem, conſtat. Et poteſt iuxta hunc ſenſum intelligi Dominica hæc ſententia de fide tam formata, quàm informi. Et ſi de formata fide intelligitur, ſenſus eſt: Quomodo vos poteſtis credere? quaſi diceret: Nullo modo poteſtis vos credere fide viua, qui finem veſtrum habetis in gloria humana, & cœleſtem non quæritis. Si verò de fide informi intelligitur, ſenſus eſt, Quomodo poteſtis credere? quaſi diceret: Difficile, aut malè poteſtis credere qui humanam gloriam habetis pro fine, &c.

Secundus autem ſenſus eſt, *Qui abinuicem gloriam accipitis*, hoc eſt, qui delectamini in gloria humana. Et iuxta hunc ſenſum principale impedimentum fidei ponitur priuatiuum, hoc eſt, non quærere gloriam cœleſtem: ita quòd principalis vis impedimenti conſiſtit in hoc quòd non quæritur cœleſtis gloria. Et delectari in humana gloria vt ſecundarium impedimentum appoſitum hîc eſt, & ad maiorem confutationem eorum. nam ex hoc quòd delectamur de gloria humana, reprehenſibiles magis ſumus quòd non quærimus gloriam cœleſtem. Si enim ab appetitu gloriæ alieni eſſemus, quaſi excuſabiles eſſemus à fidei impedimento, ſcilicet quòd non quærimus gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, vtpote qui de nulla gloria curam haberemus. ſed vbi nos appetitores ſumus gloriæ, & ea gloria quæ ſecundùm quid eſt gloria (qualis eſt humana) delectat nos: confutamur ſi eam quæ vera & ſimpliciter gloria eſt, non quærimus, qua fides habetur & ſeruatur. Erit ergo ſenſus: Quomodo vos poteſtis credere, qui delectamini gloria humana, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Et poteſt exponi tam de fide viua, quàm mortua, vt ſuperiùs expoſitum eſt, hoc eſt, nullo modo quantum ad fidem viuam: & difficile, vel malè quantum ad fidem mortuam. Nam aut cum difficultate, aut debiliter fides ab iis haberi videtur propter ſupradictas rationes. minus tamen difficile & ſimiliter minus malè ab iis fides informis haberi poteſt, quàm à priùs dictis qui ex intentione gloriam humanam præſtituerunt ſibi finem. Nam qui ex huiuſmodi intentione ad gloriam humanam anhelant, aut non credunt, aut vix credunt: qui verò ex paſſione ad gloriam humanam trahuntur, debilitantur in fide, eo ipſo quòd ſeipſos extollunt: quoniam fides in ſubiugatione ſui ipſius conſiſtit. Ad intuendum autem qualiter ſermo Domini eſt per ſe, & non per accidens, diſtinguendum eſt de fide ſecundùm ſe, vel ſecundùm ſuum motiuum, & ſimiliter de oppoſitis fidei, vel ſecundùm ſe, vel ratione ſui motiui: nam licèt fides ſecundùm ſe ſit in intellectu, quia tamen eſt intellectu moto à voluntate, motiuum ad fidem ex parte voluntatis ſe tenet. Et quia, vt dicitur 8. *Ethic.* amabile quidem bonum: vnicuique autem proprium voluntas affecta ad proprium bonum nõ quodcunque, ſed cœleſtis gloriæ, eſt motiuum hominis ad fidem. Et huic motiuo clarè patet opponi priuatiuè, ſeu negatiuè non quærere cœleſtem gloriam: contrariè autem quærere inanem gloriam. Et propterea Dominus fidem ex parte motiui conſiderans, ambo appoſita iniecit, contrarium quidem, dicens, *qui abinuicem gloriam accipitis*. priuatiuum verò, dicens, *& gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis.*

Obiectis occurritur.

Vnde ad obiecta reſpondendo dicitur quòd (vt patet ex ſupradictis) præſens ſententia de fide vtroque modo, ſcilicet tam informi, quàm formata, poteſt intelligi. & quum obiicitur contra fidem informem, quoniam multi cum inani gloria habent fidem informem; iam ex dictis patet ſolutio, quòd ſi tales ex intentione habent inanem gloriam pro fine, vix habent fidem informem. ſi verò ex paſſione trahuntur ad inanem gloriam, ſicut ex paſſione peccant homines in aliis vitiis, malè habent fidem, pro quanto debilitantur in habendo fidem, vt declaratũ eſt.

Ad id verò quod deinde obiicitur contra fidem formatam, quod obiiceretur impedimentum per accidens, iam patet ſolutio, quòd ſcilicet eſt impedimentum per ſe ex parte motiui ad fidem, & conſequenter ad charitatem per quam fides operatur.

Triplex gloria.

Ad primum verò contra ſecundam partem obiectum dicitur trifariam inueniri gloriam. Aliqua namque eſt gloria quæ eſt ab hominibus ſolis, hoc eſt, non à Deo: vt quum laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur ab hominibus. Quædam verò eſt gloria quæ eſt & ab hominibus, & à Deo: vt quum commendamur de actibus virtutum. actus enim virtutum approbantur à Deo, & laudantur ab hominibus. Quædam verò gloria eſt à ſolo Deo, & hæc eſt gloria filiorum Dei per adoptionem. Quæ gloria dicitur eſſe à ſolo Deo tripliciter. Primò, quo ad radicem gloriæ, quia à ſolo Deo eſt filialis adoptio quæ digna eſt gloria. Secundò, quo ad notitiam in hac vita, quia ſolus Deus nouit qui ſunt eius. Tertiò, ſubſtantialiter, quia gloria filiorum Dei conſiſtit ſubſtantialiter in hoc quòd à Deo homo commendetur: commendationem autem aliorum accidentaliter reſpicit, ita quòd ſi à ſolo Deo & à nulla creatura commendaretur, ſufficit adoptionis filio. Et ex hoc capite videtur ad literam exponenda iſta Domini ſententia, dum contra gloriam quæ eſt ab hominibus, gloriam quæ à ſolo Deo eſt, oppoſuit.

Gloria filiorum Dei per adoptionem triplex.

Et ad hunc etiam ſenſum Paulus Apoſtolus dixit, *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.* & non dixit, ſed quem homines commendant: neque dixit, ſed quem Deus & homines commendant: vt doceret quòd in ſola commendatione Dei conſiſtit ſubſtantialiter gloria filiorum Dei. Vnde conceditur quòd gloria filiorum Dei eſt etiam ab aliis, ſed accidentaliter: à ſolo autem Deo ſubſtantialiter: ſicut beatitudo Sanctorum ſubſtantialiter conſiſtit in fruitione Dei: accidentaliter autem in ſocietate aliorum Sanctorum.

Ad vltimum autem de amore concupiſcentiæ dicitur, concedendo quòd appetitus gloriæ quæ à ſolo Deo eſt, ad amorem concupiſcentiæ ſpectat: quo homo concupiſcit ſibiipſi bonum huiuſmodi gloriæ conſiſtentis in ſola

com

commendatione diuina: & quòd affectus iſte licèt non ſufficiat ad charitatem, quæ eſt amor amicitiæ ad Deum: ſufficit tamen ad hoc quòd ſit motiuum ad fidem & charitatem. Nam quum gratia perficiat naturam, & naturæ ordo habeat vt amicabilia quæ ſunt ad alios, veniant ex amicabilibus quæ ſunt ad ſeipſos (vt Philoſophus dicit 9. *Ethic.*) conſequens eſt vt huiuſmodi gloriæ amor moueat & inducat ad fidem & charitatem, quæ ita facit hominem amicum Dei, vt faciat etiam eundem concupiſcere ſibiipſi hanc gloriam. Et quia Dominus de motiuo & conſeruatiuo fidei ex parte noſtri loquebatur: ideo de huiuſmodi amore tam ſanctæ concupiſcentiæ locutus eſt hîc: qui paulo ſuperiùs de amore amicitiæ erga Deum eiſdem dixerat, *Scio quòd non habetis dilectionem Dei.* Hæc de ſecundo.

QVÆSTIO III.

Ioan. 14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.

Circa tertium, *In domo Patris mei manſiones multa ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis; quia vado parare vobis locum.* quæſtiunculæ tres occurrunt. *Triplex quæſtio.*

Prima eſt, quid negatur per illa verba, *ſi quo minus.*

Secunda eſt, quid eſt illud quod affirmat Dominus, conditionaliter tamen, ſe fuiſſe dicturum diſcipulis in illis verbis, *dixiſſem vobis.*

Tertia eſt, quomodo Dominus vadit parare diſcipulis locum, quum ipſe dixerit filiis Zebedæi parata eſſe electis loca à ſuo Patre, dicendo, *Sedere ad dextram, vel ſiniſtram meam, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Et rurſus dixit ſe in iudicio dicturum, *Venite, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.* Quomodo ergo vadit parare, ſi iam parata ſunt?

Solutio. Ad hoc dicitur ſequendo ſenſum qui mihi videtur literalis, quòd per illa verba, *ſi quo minus,* negatur vnitas manſionis in domo cœleſtis Patris, ita quòd ſenſus eſt, Si non eſſent in domo Patris mei multæ manſiones. Quas multas eſſe affirmauerat, ad declarandum diſcipulis quòd licèt omnes habitaturi eſſent in domo Patris ſui, diuerſas tamen ſortituri eſſent habitationes in eadem communi domo pro diuerſitate meritorum: vt hinc non deſperarent de æterna beatitudine minus perfecti. Si enim in domo cœleſtis Patris vnica tantùm eſſet manſio (hoc eſt, vnicus eſſet gradus beatitudinis) oporteret in hac vita æqualia eſſe omnium ſperantium beatitudinem merita, alioquin non poſſent pertingere ad illam vnicam manſionem: ac per hoc imperfecti qui ad æqualitatem perfectorum non aſcendunt, non haberent locum in illa beatitudine, vtpote quibus non deberetur illa vnica manſio, ille beatitudinis gradus. Et propterea Dominus ſubiunxit, *Dixiſſem vobis*, hoc ſcilicet, quòd in domo Patris mei non eſt niſi vnica manſio: vt per hoc ſtuderetis fieri omnes æquales in meritis. Magna ſiquidem conſolatio eſt Chriſtianis data ex hac Domini ſententia, *In domo Patris mei manſiones multa ſunt.* quandoquidem & imperfectis & perfectis & magis perfectis, & breuiter omnibus diligentibus Deum, quantumcunque parum, certa data eſt ſpes ſuæ manſionis, ita vt quilibet ſecundùm ſua merita inuenturus ſit manſionem propriam in vna communi domo cœleſtis Patris. Et ad corroborandum hanc ſpem, conſolandaque diuerſa diſcipulorum ſtudia ac merita, non ſufficit Domino affirmare, *in domo Patris mei manſiones multa ſunt.* ſed adiunxit, *ſi quo minus.* hoc eſt, ſi non eſſet ſic, hoc eſt, ſi non eſſent multæ manſiones, ſed eſſet vna tantùm manſio, dixiſſem vobis hoc ipſum. Et dignatus eſt reddere rationem quare dixiſſet eis hoc, quia ſcilicet ex officio mihi incumbit: quia officium meum inſtat exercendum, ſcilicet quia vado parare vobis locum. Ac ſi apertè diceret: Ad me ſpectat ſignificare vobis multitudinem, vel vnitatem manſionum in cœleſti domo, quia vado parare vobis locum. Et propterea ſignificaui vobis quòd multæ ſunt: & ſi non eſſent multæ, ſed vna, ſignificaſſem vobis. Et loquitur Dominus more humano. Ad præparatorem ſiquidem locorum ſpectat denuntiare venturis diſpoſitionem manſionum ſuarum, vt præcipuè ſecundum vnitatem, vel multitudinem. Magna ſiquidem datur conſolatio venturis, quum prædicitur eis quòd quilibet habiturus eſt manſionem propriam in eadem communi domo. Et per hoc patet reſponſio ad duas primas quæſtiunculas.

Ad tertiam verò dicitur quòd licèt præparatio cœleſtium manſionum ab æterno fuerit ſecundùm diuinam prædeſtinationem, iuxta verbum Domini, *Quibus paratum eſt à Patre meo*, regnum cœlorum à principio mundi paratum ſit etiam ſecundùm executionem inchoatiuè, pro quanto in ſanctis Angelis inchoauit regnum cœlorum commune eis & futuris hominibus electis: Dominus tamen Ieſus quodam ſpeciali modo per mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem ſuam, iuit ad parandum nobis locum. Ex parte quidem noſtri, quia iuit ad tollendum impedimenta tam naturæ, quàm perſonalia: & ad donandum nobis dona quibus præparamur ad cœleſtes manſiones. *Nondum enim erat ſpiritus datus* (inquit Ioan.) *quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Ex parte autem paternæ domus, quia aperuit ianuam felicitatis, & in poſſeſſionem poſuit genus humanum ipſius cœli ſupremi. Et ſic diuerſimodè intelligendo, & manſiones paratæ priùs erant, & per Dominum Ieſum præparandæ adhuc alio ſpeciali modo reſtabant. Hæc de tertio.

QVÆSTIO IV.

Ioan. 17. Et nunc clarifica tu me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret apud te.

Circa quartum, ſcilicet, *Et nunc clarifica tu me Pater apud temetipſum claritate quam habui antequam mundus fieret apud te.* difficultas occurrit de re petita. Nam apparet implicationem fieri in hac petitione, quia petitur quod habetur, imò quod habitum eſt ab æterno. Petitur enim clarificatio filij apud Patrem, quam filius habuit apud Patrem ab æterno. Hinc enim difficultas conſurgit, quia petitio eſt rei non habitæ. *Difficultas.*

habitæ. Rurſus aut petitur clarificatio filij ſecundùm humanam naturam, aut ſecundùm diuinam. Non ſecundùm diuinam, quia ſtulta videtur huiuſmodi petitio. Nullus enim niſi ſtultus petit quòd Deus ſit Deus, aut quòd Deus ſit omnipotens, & ſimilia. Nec ſecundùm humanam, quia falſum eſt quòd ipſa claritatem habuerit apud Patrem antequam mundus fieret. hoc enim competit filio ſecundum deitatem, vt patet.

Soluitur. Ad hoc dicitur quòd ſine dubio petit hîc Chriſtus Dominus clarificationem ſui ſecundùm humanam naturam. Et ad literam petit clarificationem reſurrectionis, aſcenſionis & ſeſſionis ad dexteram Patris cum annexis vſque ad diem iudicij excluſiuè, vt ex appoſitis duabus conditionibus colligitur.

Prima eſt, *apud temetipſum.* hoc eſt, da mihi gloriam apud te, hoc eſt, gloriam conſiſtentem in commendatione tua. talis enim eſt gloria Chriſti vſque ad iudicium. Apud Deum ſiquidem commendatur & glorificatur: apud homines verò partim blaſphematur, partim parum æſtimatur. & ſi glorificatur fide, glorificatio iſta in commendatione diuina conſiſtit.

Gloria Chriſti vſque ad iudiciū quæ.

Altera conditio eſt illud aduerbium *nunc*, denotans tempus præſens, quod tunc ſcilicet à tempore mortis ipſius inchoauit, quum cœpit triumphare de inferno. Ex his enim intelligimus quòd Dominus petit ſe ſecundùm humanam naturam quantum ad tempus præſens glorificari apud Patrem, hoc eſt, gloria conſiſtente in commendatione ipſius Dei, hoc eſt, vt vno verbo dicatur, gloria ſpirituali, quæ in commendatione Dei conſiſtit. Ad huiuſmodi enim gloriam ſpectat quicquid habuit humana natura in Chriſto poſt mortem: & gloria fidei quam apud fideles habet in hac vita. A tempore verò iudicij erit tunc gloria extenſa ad totum vniuerſum, velint nolint inimici eius.

A iudicio quæ.

Obiecta reſponduntur. Ad obiecta autem in oppoſitum dicitur quòd per claritatem habitam ab æterno, duo poſſumus intelligere. Vel claritatem humanæ naturæ aſſumptæ à Verbo. & tunc eſt ſenſus, *Clarifica tu me Pater apud temetipſum*, ponendo in executione claritatem quam habui per prædeſtinationem antequam mundus fieret apud te: quia antequam mundus fieret, apud Deum erat prædeſtinata gloria humanitatis Chriſti. Et iuxta hunc ſenſum confutat Dominus erroneam ſtultitiam illorum, qui negligunt petere ea, quæ prædeſtinata ſunt à Deo, dicentes, Si Deus prædeſtinauit ſic fore, non oportet me orare, non oportet me ſolicitari. Ecce Dominus Chriſtus fatetur ſe ſcire prædeſtinatam ſibi gloriam, & cum hoc orat vt prædeſtinata gloria mandetur executioni, docens nos hac ſua oratione, vt etiam ſi ſciremus nos prædeſtinatos, oraremus & operaremur, ad hoc vt prædeſtinata executioni mandarentur. Poſſumus quoque per habitam claritatem intelligere claritatem æternam ipſius filij Dei. & tunc eſt ſenſus, Clarifica tu me Pater apud temetipſum, quaſi extēdo ad humanitatem claritatem meam diuinam quam ab æterno habui. Et iuxta hunc ſenſum denotatur differentia inter glorificationem humanitatis Chriſti, & glorificationem aliorum Sanctorum, penes hoc quod glorificatio cæterorum eſt ab extrinſeco veniens: glorificatio autem humanitatis Chriſti, eſt velut ab intrinſeco deriuatiua, quoniam deriuatur à propria gloria ſuæ perſonæ. Vnde *Ioan.* 1. de Verbo incarnato dicitur, *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre.* quia gloria ipſius quæ apparuit, ex intrinſeca gloria vnigeniti à Patre emanauit. Petit ergo Dominus vt executioni mandetur hoc, ſcilicet quòd ex gloria ſua æterna deriuetur gloria in ipſum ſecundùm humanam naturam nunc apud Patrem, modo priùs expoſito. Et vterque ſenſus literalis eſt & verus, nec habet diſſonantiam aliquam, quoniam licet ſecundùm verba videatur peti quod habetur: ſecundùm tamen ſenſum petitur alio modo habendum quod vno modo habetur, quia iuxta primum ſenſum petitur habenda gloria in executione quæ habebatur in prædeſtinatione. Iuxta ſecundum verò ſenſum petitur ab habenda gloria deriuationem, quæ habebatur ſecundùm eſſentiam in eadem perſona. Vnde non dixit, Claritatem quam habuit humanitas mea, ſed quam habui ego. petit enim in ſe ſecundùm humanam naturam deriuari gloriam quam ipſemet habet ſecundum diuinam naturam ab æterno. Hæc de quarto. Budæ die 14. Aprilis M. D. X X I V.

Glorificatio humanitatis Chriſti, & glorificatio aliorum Sanctorum differunt.

IENTACVLVM XI.

Circa tria occultiora.

OCCVRRVNT vndecimò tria occultiora tractanda.

Primum eſt, *Ioan.* 10. quum Dominus Iudæis reſpondit: *Ego dixi, Dij eſtis*, &c.

Secundum eſt ad Philip. 2. *Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt*, &c.

Tertium eſt Apoc. 4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt.*

QVÆSTIO I.

Ioan. 10. *quum Dominus poſtquam dixerat ſe eſſe verum Deum, Iudæis ipſum propterea lapidare volentibus reſpondit ſcriptum eſſe:* Ego dixi, Dij eſtis, &c. *Vbi videtur Dominus diuertere ſermonem à deitate per eſſentiam, ad deitatem per participationem.*

CIrca primum ambiguitas magna occurrit, cur Dominus quum dixiſſet ſe eſſe verum Deum, dicendo, *Ego & Pater vnum ſumus*, & Iudæi vellent ipſum propterea lapidare tanquam blaſphemum, dicentes, *Tu homo quum ſis, facis teipſum Deum?* cur, inquam, diuertit ſermonem Dominus a deitate per eſſentiam, ad deitatem per participationem, afferendo Pſalmum loquentem de viris excelſis, *Ego dixi, Dij eſtis.* Videtur enim ex hoc Dominum voluiſſe occultare veritatem qua dixerat ſe eſſe verum Deum, & reddere rationem quare non blaſphemauerit, quia ſacra Scriptura attribuit Dei nomen etiam viris excelſis. Apparet ſiquidem quòd ſeipſum voluit intelligi Deum ſimili modo, ſicut illi quibus dicitur, *Ego dixi, Dij eſtis.* Et hinc ſequeretur Arriana

Difficultas.

Arrianorum hæreſis.

Arriana hæreſis, quòd Chriſtus non ſe dixit verum Deum per eſſentiam, dicendo, *Ego & Pater vnum ſumus*, ſed expoſuit ſe eſſe Deum per participationem, inducendo hanc Pſalmi autoritatem. Et augetur difficultas ex ſubiunctis verbis de ſeipſo, ſcilicet, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum.* Nam ſanctificari alienum eſt à Deo per eſſentiam. filius enim Dei non eſt ſanctus factus, ſed eſt ſanctus genitus. Et propterea affirmando ſe ſanctificatum à Patre, affirmat ſe factum ſanctum à Patre, ac per hoc non eſſe Deum per eſſentiam, ſed eſſe ſanctum factum: ſicut etiam Hieremiæ dictum eſt, *Antequam exires de ventre, ſanctificaui te.* Vndique ergo hæc Domini verba indecentia videntur, tunc maximè quando de eius deitate agebatur.

Solutio. Ad hoc dicitur quòd licèt prima facie hæc Domini verba diuerſiua videantur, & ad condeſcendendum debilibus Iudæorum intellectibus, aſpice impotentibus ad claritatem ſuæ deitatis dicta à Domino: perſpicaciùs tamen intuentibus apparet oppoſitum. nam per hæc vel Dominus & directe reſpōdet obiectioni Iudæorum, & ſeipſum ampliùs manifeſtat eſſe verum Deum.

Aduertendū. Ad cuius veritatis euidentiam, aduertendum eſt Dominum dixiſſe inueniri tripliciter communicatum Dei nomen. Primò, per originem, dicendo, *Ego & Pater vnum ſumus.* Secundò, per participationem diuini ſermonis, dicendo, *ſi illos dixit deos, ad quos Dei ſermo factus eſt.* Tertiò, per gratiam vnionis perſonalis, dicendo, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum.* Dominus nāque noſter Ieſus Chriſtus quatenus filius Dei eſt, verus Deus eſt per originem æternam à Patre. quatenus verò filius hominis eſt, verus quoque Deus eſt per gratiam vnionis perſonalis naturæ humanæ aſſumptæ ad perſonam filij Dei, ita quòd per gratiam vnionis effectum eſt vt homo, vt filius hominis, vt Ieſus Chriſtus, eſſet verus Deus, iuxta verbum Apoſtoli ad Heb. 1. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu.*

Quia igitur Iudæi obiecerant Chriſto quòd blaſphemaſſet, propterea quia quum eſſet homo, faciebat ſeipſum Deum, Dominus directè reſpondet non eſſe blaſphemiam quòd homo ſit Deus, intelligendo de Deo vero, quia per gratiam vnionis perſonalis ipſe verus homo erat verus Deus. Et vt hoc poſſent intelligere, manuduxit eos per illos qui facti ſunt dij per gratiam diuini ſermonis, ita quòd cognoſcendo homines inueniri deos per gratiam vno modo, aſcenderent ad credulitatem quòd per gratiam excellentiori modo (ſcilicet per gratiam vnionis perſonalis) inuenitur homo Deus verus. Ex hoc enim quòd vterque modus quo homo eſt Deus, ad gratiam ſpectat: rationabiliter, conuenienter ac ſapientiſſimè Dominus manuducebat Iudæos ex vno modo ad alium, ex inferiori modo ad ſuperiorem, ex gratia multis communi ad gratiam ſingulariſſimam ſoli naturæ aſſumptæ à filio Dei conceſſam. Vnde & Dominus etiam in modo loquendi argumentatus eſt ab inferiori gratia ad ſuperiorem, à communi ad ſingulariſſimam, dicens, *Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificauit*, &c. inſinuando ex differentia inter numerum pluralem & ſingularem, ſcilicet *illos*, & *quem*: & ex differentia grati (ſcilicet ad quos ſermo Dei factus eſt, & ſanctificauit & miſit in mundum) rationem ſuam aſcendere & procedere ab inferiori gratia ad ſuperiorem, imò ad ſupremam. Vbi etiam aduerte, quòd quia Iudæi dixerant, *Facis teipſum Deum*, Chriſtus reſpondet, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*, attribuens quòd Pater fecit, & quòd non ipſe vſurpat ſibi eſſe Deum. Verba autem illa, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*, ex duplici capite ſignificant gratiam vnionis perſonalis. Primò, ex vi illius relatiui *quem*, quod eſt relatiuum ſubſtantiæ, & refert hypoſtaſim. Inter ſanctificationem ſiquidem aliorum hominum & Chriſti hominis hæc eſt differentia quòd ſanctificatio aliorum primò refertur ad animam, & mediante anima ad perſonam quæ ſanctificatur: ſanctificatio verò Chriſti hominis primò terminatur ad perſonam. nam ex hoc ipſo humanitas Chriſti fuit primò ſancta, quia facta eſt in hypoſtaſi Verbi. Et propterea de Chriſto homine ſingulariſſime dicitur, *quem Pater ſanctificauit*, hoc eſt, perſonaliter ſanctum fecit. Et licet ſanctitas illius perſonæ non ſit facta in ſe, eſt tamen facta ſanctitas illius naturæ aſſumptæ: ſicut perſona filij Dei eſt facta perſona illius naturæ. Sanctificatus ergo ſingulariſſimè dicitur Chriſtus homo, pro quanto ſanctus factus eſt ſecundùm naturam humanam ex perſonalitate diuina. Et hinc patet quam excellentior ſit huiuſmodi ſanctificationis gratia, quam ſit gratia ſermonis Dei, ob quam ſcriptum eſt, *Ego dixi, dij eſtis.* Et illa quidem gratia eſt allocutionis ad homines præexiſtentes: iſta autem eſt ad conſtituendum ſubſtantialiter hominem ſanctum, hoc eſt, hominem Deum: quoniam per antonomaſiam ſanctitas ſoli Deo attribuitur, iuxta cœleſtem hymnum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus.* Et ad propoſitum de Chriſto dixit Angelus *Luc.* 1. ad beatam Virginem, *Quod ex te naſcetur ſanctum.* Nec ſolùm verificantur hæc ſecundùm rem, ſed etiam ſeruata proprietate locutionis. Etenim ſicut Chriſtus verè dicitur ſanctificatus ratione gratiæ habitualis in anima ipſius, ita verè dicitur ſanctificatus ratione gratiæ vnionis perſonalis conceſſæ humanitati ipſius. Et quia hæc ſanctificatio eſt & prior & potior illa, imò eſt cauſa illius (vtpote faciens hominem Deum verum in perſona ſignificata per relatiuum *quem*) ideo proculdubio de ſanctificatione per gratiam vnionis hæc Domini verba intelligenda ſunt.

Sanctificatio Chriſti & aliorum hominum differunt.

Et quoniam profundus nimis eſt huiuſmodi intellectus ad quem Iudæi aſcendere non poterant, adiunxit bonus Dominus alterum manifeſtum caput vnde poterant huiuſmodi vnionis gratiam percipere, addendo illud verbum, *& miſit in mundum.* Nam etiam ſi ſanctificatio communi modo acciperetur, ex iſto adiuncto intelligeretur vna perſona filij Dei & filij hominis. fuerunt ſiquidem multi alij ſancti facti, ſed nullus fuit cui conuenerint hæc duo, ſcilicet quòd fuerit ſanctificatus, & fuerit miſſus in mūdum. Et nota bene ly *in mundum*, hoc eſt, in Vniuerſum, & non in mundum viſibilem tantùm, ſed ſimpliciter & abſolutè in mundum. quoniam qui mittitur in mundum, extra mundum erat. extra quem ſolus Deus eſt, omnes enim res, partes ſunt mundi, ac per hoc ſunt in mundo ſicut partes in toto, excepta ſola illa re quæ Deus eſt, quæ etiam ſecundùm Philoſophos eſt

bonum

bonum extrinſecum totius Vniuerſi: vt patet 12. *Metaph.* Ex hoc igitur quod vnuſmet homo eſt ille quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, etiam ſi ſanctificatio communi modo intelligeretur, ſignificatur quòd vnuſmet homo eſt & verus homo & verus Deus, quatenus ſanctificatus, verus homo, quatenus miſſus in mundum à Patre, verus Deus, ac per hoc in verbis iſtis ſignificatur gratia vnionis perſonalis, qua factum eſt vt filius hominis eſſet filius Dei, qua manifeſtè excluditur quòd blaſphemauit Dominus Ieſus, qui quum homo eſſet, & filius hominis, dixit, *quia filius Dei ſum.* dixit, *ego & Pater vnum ſumus.* Et ſic manifeſtum eſt quòd Dominus non timuit perſeuerare in confeſſione ſuæ veræ deitatis, nec diuertit ſermonem ad deitatem per participationem: ſed quum dixiſſet ſe verum Deum per eſſentiam (quod verificatur de ipſo quatenus eſt filius) aperuit Iudæis & nobis quòd etiam quatenus eſt filius hominis, eſt per gratiam vnionis verus Deus. & ad hoc intelligendum manuduxit eos per illos qui dicti ſunt dij per gratiam ſermonis diuini. vnde non dedit Arrianis occaſionem errandi, ſed perſcrutandi ad intelligentiam ſuæ doctrinæ. Et quòd hæc fuerit ad literam intentio Domini, manifeſtatur per ſubſequentia verba. nam hæc quæ dixit de identitate ſuæ perſonæ quòd erat vnus Deus & homo, ſtatim probat ſubiungendo, *ſi non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Vbi ex vnitate operationis ſuæ & Patris, probat vnitatem ſubſtantialem ſui & Patris, quam prædixerat. Vnde etiam Iudæi auditis his, quia intelligebant hanc Domini reſponſionem ad idem tendere quod dixerat, ſcilicet *ego & Pater vnum ſumus,* propter quod volebant eum lapidare, non quieuerunt: ſed his auditis, vt Euangeliſta dicit, quærebant eum apprehendere, ſed ipſe exiuit de manibus eorum. Ex quo facto manifeſtius redditur quod diximus, ſcilicet quòd ſermo Domini non erat ad diuertendum, ſed ad manuducendum eos ad veritatem quam dixerat. Si enim fuiſſet diuerſus ſermo, non perſtitiſſent vt apprehenderent eum, & lapidarent extra templum, vtpote perſiſtentem in blaſphemia. Et per hæc patet ſolutio ad quæſita omnia. Hæc de primo.

QVÆSTIO II.

Ad Philipp. 2. Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.

CIrca ſecundum ad Philipp. 2. ſcilicet, *Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*; difficultas ex multis capitibus occurrit. *Difficultas.* Et primò, quia impertinentia multa videntur hic appoſita. Quum enim Apoſtolus intenderet dicere Chriſtum quum eſſet Deus ſemetipſum humiliaſſe ad incarnationem, &c. impertinens primùm videtur quòd æqualitatem ad Deum immiſceat. ſufficiebat enim dicere, *Qui quum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum,* &c. Rurſus, ſi æqualitas ad Deum inſerenda erat, quorſum inſeritur iudicium, ſeu arbitrium de æqualitate? Satis enim fuiſſet dicere: *Qui quum in forma Dei eſſet, & æqualis eſſet Deo, exinaniuit ſemetipſum.* Iterum, ſi æqualitatis arbitrium interponendum erat, quorſum de non rapina ſermo hîc eſt, vbi ad humilitatis virtutem hortabatur Apoſtolus Chriſti exemplo, non ad fugam vitiorum? Nec caret denique ſcrupulo, quorſum Apoſtolus incarnationem appellauit euacuationem ipſius filij, dicendo, *exinaniuit ſemetipſum,* quum nulla interuenerit euacuatio in hoc myſterio.

Secundò, magna eſt difficultas circa contextum huius ſermonis. *Alia difficultas.* non enim apparet ad quid reſpicit illa aduerſatiua Coniunctio *ſed*, quum dicitur, *ſed exinaniuit ſemetipſum.* videtur enim quòd debuiſſet dicere, & tamen ſemetipſum exinaniuit: quoniam ex hoc dicto, *qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo,* quo dicto ſignificatur quòd Chriſtus cognouit non rapina, ſed natura eſſe ſe æqualem Deo) conſequenter ſubiungendum erat, & tamen exinaniuit ſemetipſum: & non ſubiungendum erat, *ſed exinaniuit ſemetipſum,* quoniam nihil præmiſſum eſt cui aduerſetur ly *ſed.*

Ad euidentiam huius ſententiæ perſpicere oportet prius intentionem & ſenſum, deinde ad verba deſcendere Apoſtoli. *Solutio.* Intentio eius (vt ex contextu apparet) eſt exemplum humilitatis, qua ſuperiores nobis inuicem nos arbitremur, ex Chriſti actione afferre. præmiſerat enim, *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes.* & ſubiunxit exemplum de Chriſto cum cauſali coniunctione, dicens, *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu.* Exemplum autem Chriſti conſiſtit in duobus. primò, in myſterio incarnationis, de quo nunc eſt ſermo: deinde in myſterio paſſionis, de quo pòſt ſubiungitur, *humiliauit ſemetipſum.* Ex myſterio autem incarnationis intendit Apoſtolus humilitatis exemplum afferre, aſſignando rationem quare Chriſtus recognouit Deum vt ſuperiorem. & hoc directè ſeruit propoſito ſuo, quo inſtruebat Philippenſes vt in humilitate ſuperiores ſibiinuicem arbitrarentur. nam ſi Chriſtus quum ſit Deus, arbitratus eſt Deum ſuperiorem ſibi: tanto magis homo debet hominem ſuperiorem ſibi arbitrari. Et quoniam Chriſto Domino huiuſmodi ſubiectio non conuenit ex natura (quoniam ex natura æqualis eſt Deo) ſed ex libero arbitrio quo voluit incarnari: ideo Apoſtolus mira ſubtilitate radices ex parte rei & intellectus, humilitatis omnis & humilitatis iſtius ſingulariſſimæ incarnationis in hac ſententia tangit. Quod vt clariùs intelligatur, recolendum eſt quod humilitas ex parte rei conſurgit ex aliqua minoritate: ex parte autem intellectus conſurgit ex cognitione & iudicio illius minoritatis. ex hoc enim arbitror alium mihi ſuperiorem, quia in aliquo minor ſum illo, & recognoſco me in aliquo minorem illo: ſi enim eſſem minor, & non recognoſcerem me minorem, non propterea eſſem humilis. Et per oppoſitum ſi aliquam minoritatem habeo reſpectu alterius, & æqualem me illi facio, ſeu iudico, rapinam committo. rapio enim æqualitatem quam non habeo, quum ſim minor. Et hinc amplius

ampliùs ſequitur : quòd ſi nos ſuperiores nobis inuicem non arbitraremur, rapinam committeremus, quia quilibet minor quum ſit altero, æqualem ſaltem ſe faceret illi, ac per hoc raperet æqualitatem. Quibus prælibatis ſenſus Apoſtolicus eſt, quod Chriſtus quum Deus eſſet non ex iudicio rapinæ æqualitatis diuinæ, ſed ex propria voluntate recognouit Deum ſuperiorem, formam ſerui accipiens. Et per id quod dixit non ex iudicio rapinæ, excluditur primò omnis minoritas à filio Dei. Si enim minor in aliquo eſſet Deo, iudicium quòd eſſet æqualis Deo, eſſet iudicium per rapinam : ac per hoc quòd non ex iudicio rapinæ æqualitatis diuinæ incarnatus eſt, declaratur quòd non ex iudicio alicuius minoritatis in ſeipſo, ac per hoc quòd non ratione alicuius minoritatis ſubiectus eſt Deo. Fuiſſet ſiquidem ex iudicio rapinæ diuinæ æqualitatis ſubiectus, ſi ex iudicio alicuius minoritatis in ſeipſo ſubditus eſſet, arbitrans (& meritò) rapinam, eſſe ſe æqualem Deo, quo minorem ſe cognoſceret. Sed non ex rapinæ iudicio, ſed ex mera ſua voluntate ſubiecit ſe Deo, formam ſerui accipiens. Excluditur ſecundò omnis cautela rapinæ æqualitatis diuinæ, ſiue quantum ad rem, ſiue quantum ad effectum, ſiue quantum ad æſtimationem aliorum. Fuiſſet ſiquidem ex iudicio rapinæ huiuſmodi incarnatus, ſi cauens ne Deo debitum honorem vſurparet ſibi, aut cauens ne in affectum celtitudinis diuinæ veniret, aut cauens ne æſtimaretur ab aliis Deus, formam ſerui accepiſſet. Sed omnis huiuſmodi cautela excluditur ex hoc quòd non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe Deo æqualem in omnibus & per omnia, hoc eſt, hoc quod non ex iudicio rapinæ diuinæ æqualitatis quomodolibet, ſed ſpontanea voluntate formam ſerui accepit. Et poteſt hæc ſententia cauſam denotans ſubiectionis Chriſti ad Deum, ſuam voluntatem, & non iudicium de minoritate aliqua in ſe cognita, adhuc duplicem ſenſum habere. Primus eſt intelligendo per æqualitatem ad Deum, æqualitatem intrinſecam. Et tunc eſt ſenſus, quòd Chriſtus quum in forma Dei eſſet, non ex iudicio rapinæ diuinæ æqualitatis, hoc eſt, non ex iudicio quo cognoſceret ſe rapere diuinam æqualitatem, quia non ex iudicio quo ſe recognoſceret in aliquo minorem Patre, vt quia minor Patre honorare voluerit Patrem accipiendo formam ſerui, ſed propria voluntate ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Aliter ſenſus eſt, intelligendo per æqualitatem ad Deum, æqualitatem puram, hoc eſt, æqualitatem non adiunctam ſeruituti. Et tunc eſt ſenſus, quòd Chriſtus quum in forma Dei eſſet non ex iudicio rapinæ æqualitatis purè, hoc eſt, non quòd iudicauerit rapinam, permanere ſe in pura æqualitate ad Deum, ſed propria voluntate adiunxit ſeruitutem æqualitati, dum exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Et iuxta hunc ſenſum intendit dicere Apoſtolus, quòd ſi Chriſtus quum in forma Dei eſſet, voluiſſet permanere Patri æqualis purè (hoc eſt, æqualis ſine adiuncta minoritate quam per incarnationem ſibi adiunxit) non commiſiſſet rapinam, quoniam in forma Dei erat, hoc eſt, quia Deus verus erat. Et propterea non ratione alicuius debiti, aut defectus, aut minoritatis, &c. ſed ſola voluntate ſemetipſum exinaniuit, fomam ſerui accipiens, hoc eſt, facit ſe minorem, quum eſſet æqualis nō minuendo æqualitatem, ſed adiungendo æqualitati minoritatem. Et hic ſenſus vltimus qui includit primum, & addit, magis videtur amplectendus ad literam, quia ſaluat ad literam tum proprietatem vocabulorum, tum claritatem & felicitatem ſententiæ & exempli ad humilitatem: iuxta hunc ſiquidem ſenſum filius Dei verè & propriè exinaniuit ſemetipſum, hoc eſt, euacuauit perſonam ſuam, non aliquo intra ſuam perſonam contento, ſed puritate æqualitatis ad Patrem. nam vbi priùs erat patri æqualis, & nullo modo minor, modò eſt æqualis & minor. Et ſignanter dixit *ſemetipſum*, quia ita ſuam perſonam filius exinaniuit, hoc eſt, euacuauit puritate æqualitatis, quòd perſonam Patris, aut Spiritus ſancti euacuauit tali puritate. Spiritus enim ſanctus æqualis Patri ita eſt quòd nullo modo minor: & ſimiliter Pater ita eſt æqualis filio & Spiritui ſancto quòd nullo modo minor. Solus autem filius ſemper eſt & æqualis & minor, quia ſemet ipſum exinaniuit, hoc eſt, euacuauit puritate æqualitatis diuinæ, formam ſerui accipiens, hoc eſt, adiungens æqualitati ſeruitutem. Similiter iuxta hunc ſenſum ſententia & facilis & clara eſt, vt decet epiſtolarem textum, & præcipuè in exemplis. Inuenitur ſiquidem accommodatum valde bene ſic intellectum exemplum Ieſu Chriſti ad humilitatem, ex hoc quòd quum eſſet Deus, & noſſet quòd non eſſet ſuperbiæ rapina permanere in diuina æqualitate pura, voluit propria voluntate ſuam perſonam euacuare puritate æqualitatis, adiungendo ſibi ſeruitutem, qua Patrem ſuperiorem haberet. Si ipſe ſic fecit, quanto magis nos, quos oportet arbitrari rapinam, eſſe nos æquales aliis, quia minores in aliquo ſumus, debemus ſuperiores nobis inuicem arbitrari? Rurſus, ſatisfacere quòd inuenitur hoc exemplum præcedentibus immediatè verbis, ſcilicet non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum: quoniam hinc habemus quòd Chriſtus Ieſus quum eſſet filius Dei, non quæ ſua ſunt, ſcilicet diuinam æqualitatem puram conſiderauit ſeruandam, ſed ad ſalutem aliorum exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Et ſi altiùs ſcrutatus fueris, inuenies maximum humilitatis exemplum: quoniam quum in forma Dei eſſet, & ſecundùm Dei formam nec haberet, nec habere poſſet vllo modo ſuperiorem, ſecundùm verò perſonam non haberet quoque ſuperiorem, nec habere poſſet ſuperiorem ſeruata puritate æqualitatis, maluit euacuare ſuam perſonam puritate æqualitatis formam ſerui accipiendo vt haberet ſuperiorem, quàm in ſuæ æqualitatis puritate perſiſtere. Propter quod formaliſſimè Apoſtolus non dixit formam creatam, ſed formam ſerui: vt æqualitati minoritatem ſeruilem adiunxiſſe intelligeres, non ſolùm ad confundendam noſtram ſuperbiam qua ſuperiorem vllum, ſi fieri poſſet, nollemus, ſed ad impellendum ad humilitatem qua ſuperiores nobis inuicem arbitremur, imò ad tandiu vacandum humilitatis affectui donec ſentiamus in nobis quod & in Chriſto Ieſu ſẽtimus: donec affectemus ob aliorum bonum ſuperiores alios nobis facere, euacuando nos circundantibus nos condignitatibus noſtris, & inferiorum, aut etiam ſubditorum perſonas agendo, etſi non ſemper extra, ſaltem intus.

Ad

Ad verba autem deſcendendo, dicitur quòd oportuit Apoſtolum meminiſſe æqualitatis dum tractaret de extremis, ſcilicet ſuperiore & inferiore. dixerat enim, *ſuperiores ſibiinuicem arbitrantes*, æquale enim medium eſt inter maiorem & minorem. Oportuit quoque de arbitrio æqualitatis loqui, dum de cauſa rationali, hoc eſt, agente à propoſito, tractabat. Rapinam quoque inſeruit, quoniam rapina æqualitatis ita contrarium humilitatis ſignificat, vt radicem humilitatis, ſcilicet minoritatem oſtendat. Et ſcito quòd, vt contextus planus literæ habeatur, negatio ſuper verbum conſtruenda eſt, ita quòd litera ſic ordinetur: Qui quum in forma Dei eſſet, non eſt arbitratus rapinam eſſe ſe æqualem Deo, ſiue æqualitate intrinſeca, ſiue æqualitate pura, hoc eſt, non ex iudicio rapinæ æqualitatis, ſed ſemetipſum exinaniuit (in quo clauditur quòd voluntariè ſe exinaniuit) formam ſerui accipiens. Et ſic aduerſatiua Coniunctio habet cui aduerſetur, dum cauſa aduerſatur cauſæ, hoc eſt, voluntas aduerſatiuè ponitur ad non iudicium rapinæ. verba enim hæc licèt non per modum cauſæ inducantur quantum ad ſonum verborum, vt cauſas tamen continentia intelligenda ſunt. Et ſic intellecta, per aduerſatiuam Coniunctionem cauſa affirmata, ſcilicet voluntas contraponitur cauſæ negatæ, ſcilicet non arbitrio rapinæ æqualitatis, & ſignificatur quòd non ex iudicio rapinæ, ſed ſponte exinaniuit ſemet ipſum. Hæc de ſecundo.

QVÆSTIO III.

Apoc. 4. Tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam erunt, & creata ſunt.

Difficultas. CIrca tertium Apoc. 4. *Omnia creaſti, & per tuam voluntatem erant, & creata ſunt*; difficultas occurrit, quo pacto verificatur hoc quòd omnia quæ Deus creauit, per ſuam voluntatem erant, & poſtea creata ſunt. Dupliciter enim res dicuntur eſſe, vel in ſeipſis, vel in ſuis cauſis: ſicut domus dicitur eſſe vel in ſeipſa quando eſt facta, vel in mente artificis antequam fiat. Neutro autem modo verificari poſſunt hæc verba. Non de eſſe rerum in ſeipſis, quia tale eſſe non habent antequam creatæ ſint: in textu autem dicitur, *erant & creata ſunt*. Nec de eſſe in arte diuina: quoniam creatura ſecundùm eſſe quod habet in Deo, eſt creatrix eſſentia, & eſt ipſe Deus, iuxta illud Ioan. 1. *Quod factum eſt in ipſo, vita erat*, ac per hoc non dependent ſecundùm tale eſſe à voluntate Dei. & conſequenter falſum eſt dicere quòd per voluntatem tuam erant: ſicut falſum eſt dicere quòd ipſe Deus eſt per voluntatem ſuam. debuit enim dicere, & per naturam tuam erant, aut ſaltem per intellectum tuum erant.

Soluitur. Ad hoc dicitur quòd proculdubio ſermo iſte intelligitur de creaturis ſecundùm quòd ſunt in mente Dei ſummi omnium artificis. Et quum obiicitur quòd creaturæ non ſunt in mente Dei per voluntatem Dei, ſed per naturam, ſeu intellectum eius; reſpondetur quòd creaturæ dupliciter intelliguntur eſſe in ipſo ſummo opifice. Primò ſimpliciter & abſolute, vt effectus ſunt in cauſa à qua produci poſſunt ſecundò vt effectus producendi ſunt in cauſa. Et vt percipias hanc diſtinctionem, conſidera quòd præter creaturas productas & producendas, multa ſunt alia in diuina poteſtate quæ poſſet producere, quæ tamen nunquam produxit, nec producet. Et ex his eleua mentis oculos, & conſidera Deum glorioſum in duplici ſigno naturæ, hoc eſt, conſidera primò ipſum ſecundùm ſe, hoc eſt, non conſiderata determinatione voluntatis eius ad producendum aliquas creaturas, & ſic videbis omnes creaturas tam quandoque productas, ſeu producendas, quàm nunquam productas, ſeu producendas, habere eſſe in Deo vt in cauſa potente illas producere. Et loquendo de tali eſſe creaturarum in Deo, dicendum eſt quòd ſunt in Deo per naturam, & non per voluntatem Dei: quoniam hoc conuenit Deo ex ſua natura, & non ex libero arbitrio. Si verò conſideres ipſum Deum glorioſum, deinde in ſecundo ſigno, hoc eſt, quum voluntas ſua liberè determinauit ſe ad producendum ita iſtas creaturas, puta quæ ſunt, fuerunt, ſunt, aut erunt in hoc mundo, quòd non alias quæ nunquam fuerunt, ſunt aut erunt, videbis differentiam inter creaturas & creaturas in Deo, in hoc quòd quædam ſunt in eo ſolùm in potentia, quia ſcilicet poſſunt ab ipſo fieri. quædam verò ſunt in eo non ſolùm ſic, ſed etiam vt producendæ: & quòd creaturæ quæ ſunt in eo hoc ſecundo modo, ſcilicet vt producendæ, per voluntatem ipſius Dei habent hunc eſſendi modum: quoniam ex libera Dei voluntate quaſi tranſlatæ ſunt de ordine poſſibilium abſolutè ad ordinem producendorum quandoque. Et de creaturis ſecundum tale eſſe Apoc. loquitur. Et verum dicit, quoniam per voluntatem Dei quæ creata ſunt erant producibilia, quamuis per naturam Dei erant ſimpliciter poſſibilia. Et ſic creaturæ vt producendæ erant in arte Dei per ſuam voluntatem, & creatæ ſunt per eandem voluntatem.

Ad obiectionem autem in oppoſitum, quòd creatura in Deo eſt creatrix eſſentia & vita. &c. reſpondetur diſtinguendo, formaliter, vel identicè, hoc eſt, quòd creaturæ in Deo ſecundùm illam rem in qua ſunt, non ſunt per voluntatem, quia ſic ſunt ipſa deitas; ſed formaliter vt ſunt producendæ, ſunt per voluntatem: quemadmodum actus liberi arbitrij diuini formaliter eſt per diuinam voluntatem in Deo. nam quia vult, eligit: & idem ipſe actus identicè, hoc eſt, ſecundùm rem quæ eſt, quia eſt ipſa deitas, per naturam eſt, non per voluntatem. Hæc de tertio. Budæ, die vigeſima Aprilis M.D.XXIV. Obiecto occurritur.

IENTACVLVM XII.

De rebus geſtis.

OCCVRRVNT duodecimò conſideranda circa res geſtas quinque.

Primum, *Luc.* 7. quo pacto mulier peccatrix ſtans lauerit pedes Domini lachrymis.

Secundum, vnde conſtet ex Euangelio hanc mulierem peccatricem eſſe Mariam Magdalenam & ſororem Lazari.

Tertium, cur *Marc.* 7. Dominus cæcum illuminauit paulatim, ita quòd primò imperfectè, dum dixit, *Video homines ambulantes ſicut arbores.*

& ſecundò impoſitione manuum perfectè, vt clare videret omnia.

Quartum, cur Paulus Apoſtolus tam 1. *ad Timoth.* 3. quam *ad Titum* 1. tradens conditiones requiſitas ad Epiſcopum, tradat tantummodo poſitiuas, puta ſobrium, prudentem, &c. & nunquam meminit conditionis comparatiuæ, ſcilicet quòd ſit dignior aliis.

Quintum, cur tentator Chriſti in prima & ſecunda tentatione dixit, *Si filius Dei es*; in tertia autem hoc non dixit, ſed ad maximum ſcelus auſus eſt Chriſtum prouocare.

QVÆSTIO I.

Luc. 7. *Quo pacto mulier peccatrix ſtans lauerit pedes Domini lachrymis.*

AD primum horum dicitur quòd Lucas Euangeliſta exuberantiã fletus & lachrymarum in illa peccatrice deſcripſit ex hoc quòd non potuit continere lachrymas, imò lachrymarum profluuium, vſque ad ſui proſtrationem ad pedes Chriſti: ſed tanta erat commotio ad fletum, & affectus ad irrigandum pedes, lachrymis, vt adhuc ſtans, id eſt, erecta profluuium lachrymarum inceperit ad pedes emittere. Propter quod ſignanter Euangeliſta non dicit quòd ſtans rigauit pedes eius, ſed quòd ſtans cœpit rigare, ſignificans per hoc incontinentiam & exuberantiam lachrymarum.

QVÆSTIO II.

Vnde conſtet ex Euangelio hanc mulierem peccatricem eſſe Mariam Magdalenam, & ſororem Lazari.

AD ſecundum dicitur quòd ex Euangelio Marci vlt. habetur Mariam Magdalenam eſſe illam de qua Dominus eiecerat ſeptem dæmonia. Et quoniam Marcus ideo deſcripſit eam à ſeptem dæmoniis, vt denotaret dignitatẽ hominum peccatorum qui ad Chriſtum conuerſi ſunt, per hoc quòd Chriſtus mulieri olim tam peccatrici reſurgens primò apparuit, conſequens eſt vt per ſeptem dæmonia intelligãtur vniuerſa vitia, vt Greg. optimè expoſuit. alioquin non fuiſſent ex hoc peccatores ſignificati. Nam vexari corporaliter hominem à ſeptem dæmoniis, non eſt peccatum, ſed pœna, ac per hoc nõ fuiſſet denotata mulier peccatrix, ſed mulier afflicta à dæmoniis. Quũ itaque Maria Magdalena, cui Chriſtus reſurgens primò apparuit, ſit illa quæ vniuerſis vitiis erat ſubiecta, & nulla alia legatur niſi illa, quæ erat in ciuitate adeò peccatrix vt etiam proprio nomine non meruerit nominari: rationabilis valde apparet communis opinio eandem dicens Mariam Magdalenam, & peccatricem apud Lucam. Et confirmatur ex eo quòd Lucas ipſe poſt lachrymas mulieris peccatricis, ſequenti capitulo ponens mulieres Chriſti ſequaces, ante omnes ponit Mariam Magdalenam, nominans eam iam Chriſti pediſſequam, cuius peccatricis nomen tacuerat. Simile enim quod fecit de Matthæo Euangeliſta, dum ſedentem ad telonium nominat *Leui*, quem poſtea in catalogo Apoſtolorum nominat *Matthæum*.

Firmatur quoque non ſolùm eadem ſententia, ſed etiam quòd ipſa fuerit ſoror Lazari, ex verbis Ioannis Euangeliſtæ, dicentis de Maria ſorore Lazari, *Maria autem erat quæ vnxit pedes Domini vnguento.* Ex tempore enim quo Ioannes hæc verba dixit, habetur ipſam fuiſſe quæ olim vnxerat pedes Domini vnguento. nam per hæc verba deſcripta eſt ante reſurrectionem Lazari, ac per hoc ante tempus cœnæ, in qua Lazarus reſuſcitatus vnus erat ex diſcumbentibus ante ſex dies Paſchæ, quando Maria iterum vnxit pedes Domini. Ex quo enim Ioannes ſcripturus erat cœnam illam, & vnctionem quæ ibi facta poſtea fuit, non erat ſoror Lazari deſcribenda per futuram vnctionem verbo præteriti temporis, ſcilicet *vnxit*; ſed ad ſignificandum præteritam vnctionem quam deſcriptam ſciebat à Luca Euangeliſta, deſcripſit eam à præterito actu, vt ad quantam gratiam ſint peccatores à Chriſto admiſſi, ſignificaret. Vnde & vtitur ſimili modo loquendi quo vtitur in deſcriptione aliarum perſonarum ex præteritis actibus. Quum enim deſcribit Nicodemum ſepelientem Chriſtum, dicit quòd ipſe eſt qui venerat primùm ad eum nocte. Et ſimiliter quum deſcribit Caypham indicantem Chriſtum, ait: *Erat autem Cayphas qui conſilium dederat Iudæis*, &c. Ita quoque de ſorore Lazari dicit: *Maria autem erat quæ vnxit pedes Domini vnguento, & extersit capillis ſuis.* Conſtat enim quòd nulla alia pro tunc erat quæ vnxit pedes Domini, & extersit capillis ſuis, niſi peccatrix apud Lucam. Nec ſolùm ex tempore, ſed etiam ex loco idem confirmatur. Nam in eadem domo vtraque vnctio facta inſinuat eandem eſſe perſonam vngentem cui commoda erat illa domus. Prima ſiquidem vnctio facta eſt in domo Simonis Phariſæi. Secunda quoque in domo Simonis leproſi; quia Dominus curauerat eum à lepra, vt gloſſa dicit. Ex quo apparet quòd tam commoda, imò & familiaris domus Simonis erat Mariæ ſorori Lazari, vt fortè (quod etiam aliqui putant) in eadem domo ſub diuerſa tamen continuatione habitaret Maria Magdalena. Quod ex tribus elici quodammodo poteſt. Primò, ex eo quòd domeſticè videtur ingreſſa ſuper conuiuantes quando primùm rigauit pedes eius, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Simonis Phariſæi, quaſi nacta loci commoditatem. Secundò, ex eo quòd quaſi ad manum habens dum cœnaretur ante ſex dies Paſchæ, accepit alabaſtrum vnguenti, &c. Tertiò, ex eo quòd in domo Simonis Martha miniſtrabat. Et confirmatur adhuc eadem ſententia ex fiduciali augmento familiarium tactuum. Nam quum Dominus Ieſus à mulierum conuerſatione eſſet tam alienus, vt diſcipuli videntes eum loqui cum Samaritana, mirarentur quòd cum muliere loquebatur: credibile non eſt quòd mulier aliqua auſa fuerit prima vice vngere caput ipſius; ſed quòd mulier illa quæ prima vice pedes lacrymis lauit, & gratum ſuum officium fuiſſe experta eſt dum audiuit propterea ſibi dimiſſa eſſe peccata multa: poſt multum temporis animæquior facta ex multis ſibi monſtratis beneuolentiæ ſignis, & multis perceptis effectibus gratiæ ſpiritalis,

tantum

tantum fiduciæ acceperit vt iterum pedes & caput ſimul vnxerit: rationalis proceſſus fiduciæ admittit, qui vſque adeò excreuit, vt ad reſurgentis Domini amplexum amoris ardor magnitudoque lætitiæ incitauerit, quum prohibita eſt à Domino dicente, *Noli me tangere.* Quòd enim tunc in amplexum ruere volebat, inſinuat primò ipſa Domini prohibitio, qui tamen non prohibuit eam oſculari ſibi pedes, quoniam ſcriptum eſt, *Acceſſerunt & tenuerunt pedes eius.* Atteſtari etiam dicitur incorrupta adhuc caro in ſola fronte capitis eius perſeuerans, vtpote quam Dominus manu immortali tetigit, prohibens eam, *Noli me tangere*, hoc eſt enim ſignum quòd vultum ſuum Magdalena non ad terram versùs pedes dirigebat, ſed neſciens quid faceret, ad amplexum. Et hæc dicta ſint, vt percipiatur quòd vna met perſona fuit quæ primò pro remiſſione peccatorum lachrymis rigauit pedes eius: poſtea animæquior facta ad caput vngendum aſcendit, & poſt reſurrectionem ardens Magiſtri amore in amplexus ruere voluit. huiuſmodi enim fiduciæ progreſſus identitatem perſonæ monſtrat. Et quum conſtet quòd Maria Magdalena fuit quæ fecit hunc vltimum actum, & quòd ſoror Lazari fuit quæ fecit penultimum, & quòd peccatrix mulier quæ fecit primum: conſequens ex hoc & tot aliis antedictis eſt, vt ex Euangelicis dictis credamus vnam & eandem eſſe Mariam Magdalenam, ſororem Lazari, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt Eccleſiaſticum etiam officium teſtatur. Hæc de ſecundo.

QVÆSTIO III.

Cur Marci 1. *Dominus cæcum illuminauit paulatim, ita quòd primò imperfectè, dum dixit:* Video homines ambulantes ſicut arbores. *& ſecundò impoſitione manuum perfectè, vt clarè videret omnia.*

AD tertium dicitur quòd ratio talis quaſi imperfecti modi curandi fuit duplex, vna ex parte cæci, quia ſcilicet indiſpoſitus erat ad recipiendum ſubitam ſanitatem perfectam, vt patet ex eo quòd ipſe non rogabat pro ſeipſo, ſed alij rogabant pro eo. Hæc tamen cauſa non eſt ſufficiens: quoniam legitur Dominum ſubitò curaſſe paralyticum ſubmiſſum per tegulas, ad fidem aliorum, ipſo paralytico tacente. Vnde altera cauſa ex parte Domini ſimul cum prædicta concurrit, ſcilicet vt doceret nos miraculoſa Dei opera non ſolùm eſſe quæ ſubitò perfecte fiunt, ſed etiam procedendo de imperfecto ad imperfectum. Et quidem cæcus ille ita erat diſpoſitus, vt non eſſet capax perfectæ ſanitatis vno ictu, ſed paulatim ſicut diſpoſitio erat fidei & deuotionis, ita etiam paulatim ſanitatis donum conceſſum eſt. Quod in paralytico non eſt obſeruatum, quia ratio alia vrgebat, ſcilicet vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra hominibus dimittendi peccata. Inſtruimur ergo ex hac per partes illuminatione cæci, recognoſcere etiam diuinam gratiam quum poſt votum emiſſum ob ſanitatem conſequendam, paulatim ſani fimus, & ſimiliter quum ſanitatem animæ paulatim à Deo conſequimur, procedentes de imperfecto ad minus imperfectum, & inde ad aliquam perfectionem, & inde ad aliam, &c. Huiuſmodi enim ſanandi modum ex ſpeciali gratia Dei procedere ex hoc Domini facto inſtruimur, & non ſolùm ea quæ ſtatim perfecta ſunt opera diuino eſſe tribuenda miraculo. Hæc de tertio.

QVÆSTIO IV.

Cur Paulus Apoſtolus tam 1. ad Timoth. 3. *quàm* ad Tit. 1. *tradens conditiones requiſitas ad Epiſcopum, tradit tantummodo conditiones poſitiuas (puta ſobrium, prudentem, &c.) & nunquam meminit conditionis comparatiuæ, ſcilicet quòd ſit dignior alijs.*

AD quartum dicitur quòd Paulus Apoſtolus ad illius temporis Epiſcopos reſpexit, quando Epiſcopatus non erat honoris, ſed oneris, non habebat annexum beneficium bonorum temporalium, ſed erat tantùm ſuperintendens ſpiritalibus, & temporalium per Diaconos adminiſtrator. In impoſitione autem onerum ſufficit eligere idoneum ad tale onus ſuſtinendum, & non oportet digniorem aliis præferre: quoniam ratio exigens conditionem comparatiuam (ſcilicet quòd ſit aliis dignior) fundatur ſuper exhibitionem boni debiti: onus autem non clauditur ſub genere bonorum, ſub quo clauduntur honores, dignitates, beneficia, &c. Sed hæc reſponſio licet vera dicat, non tamen ſatisfacit: quoniam Apoſtolus ſcripſit Epiſtolas ad inſtruenda non ſolùm illa tempora, ſed omnia ſuccedentia. Similiter non ſatisfacit reſponſio, dicens quòd locus ab autoritate negatiuè parum, aut nihil valet, & ſic per hoc quòd Paulus tacuit conditionem comparatiuam, non poteſt deduci. ergo conditio comparatiua non requiritur. Deficit ſiquidem hæc reſponſio in propoſito propter duo. Primò, quia Titus pluſquam legitimam excuſationem habuiſſet erroris ſui, præficiendo Epiſcopos, & non adhibendo diligentiam vtrùm ſit aliquis dignior. Nam Paulus Apoſtolus ſcribit ei quòd inſtituat Epiſcopos in Creta, & dat ei regulam circa conditiones eligendorum ad Epiſcopatum. nullus certè culpare poſſet Titum præficientem Epiſcopos iuxta regulam Pauli præcisè, ac per hoc non cunctantem de comparatiuis. potuiſſet enim ſemper dicere, feci iuxta regulam à te mihi traditam: tu in culpa es ſi inſufficienter me inſtruxiſti. Secundò, quia ipſe Paulus Apoſtolus *Act.* 20. ait ad Epheſios in perſona omnium quibus prædicauerat, *Mundus ſum à ſanguine omnium.* non enim ſubterfugi quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis. Quomodo nanque omne conſilium Dei annuntiaſſet, ſi tradendo regulam de eligendis Epiſcopis, tam neceſſariam conditionem tacuiſſet.

Dicendum ergo videtur quòd propterea Paulus Apoſtolus hanc conditionem comparatiuam tacuit, quia, per ſe loquendo, non eſt neceſſaria. Dico autem *per ſe*, quia Epiſcopatus dupliciter conſiderari poteſt, vel ſecundùm id quod

Epiſcopatus duplex conſideratio.

quod conuenit ei per ſe, vel ſecundùm ſibi annexa. Et ſiquidem conſideretur ſecundùm ſibi annexa, ſcilicet ſuperioritatem, honorem, dignitatem, beneficium Eccleſiaſticum, ſic eſt in genere bonorum. Et quoniam huiuſmodi annexa ſunt communia bona Eccleſiaſtica, & debita membris Eccleſiæ vt diſtribuantur illis: idcirco ſecundùm hæc exigitur conditio comparatiua, vt ſcilicet digniori maiora dentur, & oppoſitum facere, eſt vitium acceptionis perſonarum. Et iuxta hoc intelligenda eſt doctrina dicentium quòd oportet in foro conſcientiæ eligere digniorem ad hoc, & non ſufficit eligere bonum, ſeu dignum, quia vitium acceptionis perſonarum eſt exhibere bona debita ſic vt minus dignus præponatur magis digno. Si verò conſideretur Epiſcopatus ſecundùm id quod conuenit ſibi per ſe, ſic eſt in genere onerum, vt patet ex actu ſibi proprio, qui eſt paſcere oues & agnos Chriſti, iuxta verbum Domini *Ioannis vltimo.* hoc enim oneroſum manifeſtè eſt, & purè oneroſum. Propter quod Dominus voluit quòd Petrus ex amore quem haberet ad ipſum Dominum, ſubiret tale onus. Et Paulus Apoſtolus docet, dicens, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* non bonam dignitatem, non gradum, non beneficium, non honorem, &c. ſed opus tantùm, ac per hoc onus. vnde & merces operario debetur, iuxta illud Matth. 20 *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Nec obſtat puritati oneris, quòd paſtorale officium gradum poteſtatémque ſuperiorem per ſe ſupponit, aut conſtituit: quoniam huiuſmodi gradus ac poteſtas non concurrit vt bonum perſonæ quæ aſſumitur ad paſtorale onus, quia non datur ei vt bene ſibi ſit, ſed propter neceſſitatem, aut vtilitatem ouium. Et, vt vnico dicatur verbo, totum paſtorale officium ordinatur per ſe ad bonum non paſtoris, ſed Eccleſiæ Chriſti, ac per hoc in genere non bonorum, ſed onerum diſtribuendorum perſonis Eccleſiſticis, per ſe loquatur. Conſiderando itaque Epiſcopatum per ſe, nulla apparet ratio quòd requiratur conditio comparatiua: nam ex parte perſonæ quæ eligitur, ceſſat ratio acceptionis perſonarum, quia non diſtribuitur commune bonum, ſed commune onus. vnde non cadit acceptio perſonarum, niſi fortè plus grauando illum cui datur. Ex parte verò Eccleſiæ cui ſuperintendere debet, non eſt maius debitum, quàm vt ſufficienter ei prouideatur, quia Eccleſia non habet ius niſi ad ſufficientem habendum paſtorem. Cuius ſignum eſt quòd non eſt locus querelæ ſi ſufficienter ei prouidetur. Et ad ſupererogationis bonum ſpectat ſi pluſquam ſufficiens ei detur paſtor. Et confirmatur ex cæteris promiſſionibus officialium quæ in mundo fiunt. nam vbique rectæ rationi ſatisfit, ſi ſufficienter ciuitatibus, oppidis, regnis, adminiſtrationibus, &c. prouidetur. Et ad hanc ſententiam ducunt duæ priùs inductæ rationes pro ſufficientia doctrinæ ab Apoſtolo traditæ, ambæ enim multum cogunt. Et ſi contra hanc ſententiam applicetur illa ratio, ſcilicet quare eligis ex duobus ſufficientibus minus dignum? in promptu eſt reſponſio, quia non teneor eligere meliorem, ſed multis exiſtentibus ſufficientibus, locus eſt gratificationi; nec eſt acceptio perſonarum præeligere minus dignum, ſufficientem tamen, ſed libertas. Et ſi his adiunxeris quòd temporalia bona annexa paſtoralibus officiis, per accidens concurrunt, videbis conſequenter quòd omnibus conſideratis ſufficit etiam in foro conſcientiæ ad euitandum peccatum mortale, eligere ſufficientem, quoniam actus humanus iudicandus ex ſuo genere eſt ſecundùm id quod eſt per ſe, quamuis peccet poſtponens digniorem ſine rationabili cauſa, eo quòd præter rectam rationem temporalia annexa diſpenſat. Et ſpectat hoc peccatum reductiuè ad vitium acceptionis perſonarum. Dico autem *reductiuè*, quia non per ſe in hoc actu ſit diſpenſatio bonorum, ſed per viam concomitantiæ. Qui autem in diſpenſatione paſtoralium officiorum ad bona dignitatis, honoris, præbendæ, &c. diſpenſanda directè reſpiciunt, vitium per ſe incurrunt acceptionis perſonarum ſi digniorem abſque rationabili cauſa poſtponunt, & mortale conſequenter ex ſuo genere peccatum incurrunt. Hæc de quarto.

QVÆSTIO V.

Cur tentator Chriſti in prima & ſecunda tentatione dixit: Si filius Dei es. *in tertia autem non hoc dixit: ſed ad maximum ſcelus auſus eſt Chriſtum prouocare.*

AD quintum de tertia Chriſti tentatione, dicitur quòd Diabolus eadem intentione, qua duas præcedentes, tertiam exercuit tentationem, ſcilicet animo explorandi ſi ille homo erat filius Dei. Sed non eodem modo ingeſſit tertiam quo ingeſſerat primam & ſecundam. nam illas apertè hoc continentes propoſuit, iſtam verò occultè & inſidioſè ad hoc tendentem. Cogitauit enim apud ſe callidus tentator per viam indirectam explorare ſi Ieſus erat filius Dei. Et duo propoſuit. alterum eſt ſe daturum ei omnia regna mundi: alterum vt cadens ipſum adoraret, non ea intentione vt putaret Ieſum daturum conſenſum ad hæc, ſed quòd reſpondendo ad primum induceret Ieſus aliquam autoritatem Scripturæ, ex qua omnia regna mundi eſſe ipſius Ieſu haberent, ac per hoc non indigeret vt à tentatore ſibi darentur, & ſic tentator haberet intentam explorationem. Vel ſaltem reſpondendo ad ſecundum, increparet eum, dicens, Tu debes me adorare, non ego te. vel aliquid ſimile, ex quo haberet intentam explorationem. Sed Dominus verſutias eius præuidens, nihil de Meſſia dixit, ſed tantùm de adoratione Dei ſolius. Hæc de quinto. Villiaci, in die ſancti Viti. M. D. XXIV.

FINIS.

THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. XISTI,

RESPONSIO

Ad cenſuras XVI. Articulorum ſub nomine Theologorum Pariſienſium editas,

Magiſtro IOANNI *Regenti Maguntini miſſa.*

MISISTI ad me concluſam in tuis literis ſchedulam, ſcandaloſam apud Germanos, rogans vt ſcandalo prouidere velim, declarando veritatem. Precibus itaque tuis ſatisfacere cupiens, reſponſionem mitto ad receptam à te ſchedulam ſexdecim articulorum: quorum titulus eſt,

Articuli aliquot pro erroneis, à Theologis Pariſienſibus ex libris Caietani excerpti.

Titulus iſte in primis falſus eſt, quoniam multi ſubſcripti articuli non ſunt in libris meis. Et deinde titulus iſte, incertum manifeſtat authorem. Ex eo enim quod dicitur, *à Theologis Pariſienſibus*, non explicatur qui ſunt iſti Theologi. nam innumerabiles ſunt Theologi Pariſienſes, & ad verificandum numerum pluralem ſufficiunt duo. Quocirca multi ſuſpicantur animo fallaci ſcriptum hunc titulum, ita quòd ille qui titulum hunc appoſuit, aliud dixerit, & aliud intenderit. dixit enim, *à Theologis Pariſienſibus:* intendit autem vt paſſim legentes & audientes fallantur, intelligendo ab vniuerſa Theologorum ſchola Pariſius. Nec temere ſuſpicantur, quoniam quiſquis ille fuerit, imponit mihi multa quæ non ſcripſi: ipſa enim impoſitio, ſignum eſt mali animi. propterea vos quidem eſtote cauti vt non fallamini ex hoc titulo: illius verò, quiſquis fuerit ille, miſereatur omnipotens Deus. Ego autem tanquam ad libellum famoſum reſpondebo.

ARTICVLVS itaque I. eſt, *Licitum eſt viro vxore fornicante ducere aliam.*

II. eſt, *Non eſt eadem libertas vxori quæ viro.*

Articuli iſti non ſunt mei. neuter enim inuenitur aſſertus in libris meis: vt patet in commentariis ſuper Matthæum *cap. 19.* vbi duntaxat diſputaui de hac materia, & reliqui diffiniendam ab Eccleſia.

III. eſt, *Epiſtola Pauli ad Hebræos non eſt authentica.*

Iſte articulus non eſt meus. in commentariis enim ſuper dictam epiſtolam non negaui epiſtolam eſſe authenticam: ſed dixi quòd dubio apud Hieronymum authore huius epiſtolæ exiſtente, dubia quoque redditur epiſtola, quam niſi ſit Pauli, non perſpicuum eſt canonicam eſſe. Vbi vides quòd nego perſpicuitatem authenticæ, & non nego ipſam authenticam, exiſtente authore epiſtolæ dubio. Aliud eſt enim epiſtolam eſſe canonicam, & aliud eſt eſſe perſpicuum quòd eſt canonica. perſpicuitas enim ſpectat ad notitiam noſtram: eſſe verò canonicam, ſpectat ad ipſam epiſtolam ſecũdùm ſeipſam. ſi nanque tolleretur dubitatio, & fieret perſpicuum, non propterea epiſtola fieret nouiter canonica: ſed quæ erat ſecundùm ſe canonica, manifeſtaretur canonica. certum eſt tamen quòd durante dubio, non eſt tantæ authoritatis apud nos vt ſola ſufficiat ad ea quæ ſunt fidei. Ego igitur locutus ſum de noſtra notitia, non de ipſa epiſtola, vt verba mea clarè ſonant; articulus verò loquitur de epiſtola ſecundùm ſe.

IV. eſt,

IV. eſt, *Poſterior pars vltimi capitulis Marci*, ſcilicet nouiſſimè autem recunbentibus, *non eſt authentica.*

Iſte articulus non eſt meus, vt patet in commentariis ſuper Marcum. Sed ex verbis Hieronymi dixi quòd illa ſcripta Marci, quæ Hieronymus habet pro dubiis, non ſunt ſolidæ authoritatis ad firmandam fidem, ſicut ſunt reliqua Marci indubitata. Certum eſt enim quòd ea quæ vertuntur in dubium, non ſunt tantæ authoritatis, quantæ ſunt indubitata: dubitatio enim ad noſtram ſpectat notitiam, & non ad ſcripta ipſa in ſe.

Aduertendum eſt autem circa hunc articulum, præcedentem & ſimiles, quòd ego nullam Bibliæ partem reieci, niſi quas reiicit beatiſſimus Hieronymus, & nullam partem, aut particulam in dubium verti, niſi illas de quibus dubitat Hieronymus. Secutus ſum Hieronymum, & ex illius verbis deduxi conſentanea ſermoni eius. Hieronymus enim vniuerſæ Eccleſiæ lumen eſt ad diſcernendas partes & particulas ſacræ Scripturæ ab iis quæ non ſunt partes, nec particulæ eius, & ad diſcernendum partes, ſeu particulas certas à dubiis. Cur itaque accuſor ſequens beatiſſimum Hieronymum? accuſando ſiquidem in iſtis me, accuſant Hieronymum, qui eſt principalis author huiuſmodi dubiorum.

V. eſt, *Confeſſio auricularis non eſt inſtituta à Chriſto inquantum auricularis & ſecreta.*

Iſte articulus non eſt meus, ſed Ioan. 20 ſcripſi quòd Chriſtus inſtituit confeſſionem voluntariam peccati, ſed modum confitendi, & ſimiliter abſoluendi (an ad aurem, an publicè) Eccleſiæ vſui reliquit, iuxta tamen qualitatem peccati publici, vel occulti. Quod non eſt dicere hanc negatiuam, *confeſſio auricularis non eſt inſtituta à Chriſto*; ſed eſt dicere quòd confeſſio inſtituta à Chriſto, non reſtringitur ad hunc modum confitendi, quia extenditur etiam ad confeſſionem publicam. ſatisfacit enim præcepto Chriſti, qui poſtquam publicè peccauit, publicè confitetur, publicè abſoluitur, & publicè ſatisfacit.

VI. eſt, *Non eſt neceſſarium hominem qui mortaliter peccauit, & qui habet copiam Confeſſoris, confiteri antequam Euchariſtiam ſumat.*

Hic articulus meus eſt, & fundatus ſuper doctrinam Apoſtoli Pauli, dicentis de exiſtente in peccato mortali, quòd manducaret & biberet indignè Euchariſtiam, niſi priùs probaretur. *probet autem*, inquit, *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè*, &c. Probare enim ſeipſum, ad contritionem ſpectat; confeſſio verò ſpectat ad probationem non ſolùm à ſeipſo, ſed etiam ab alio, videlicet à Confeſſore. Ex hoc itaque quòd Paulus dicit ſufficere ad euitandam indignitatem probare ſeipſum, dicit contritionem ſufficere ad ſumendam Euchariſtiam. niſi enim ſufficeret probare ſeipſum, non adiunxiſſet, *& ſic de pane illo edat.* clarè enim ſignificat quòd homo qui ſic eſt probatus à ſeipſo, de pane illo edat, & de calice bibat. Non eſt itaque articulus erroneus quem Paulus docuit.

VII. eſt, *Non habetur verus textus ſacræ Scripturæ in lingua Latina, niſi fiat tranſlatio de verbo ad verbum ex lingua ex qua ſumitur, & fiat omnino talis, qualis in ſua origine eſt.*

Iſte articulus nunquam fuit à me ſcriptus, vt teſtatur proœmium ſuper Pſalterium, in quo ſolo materiam hanc tractaui.

VIII. eſt, *Melius eſt quod orationes dicantur in lingua vulgari in Eccleſia, quàm in lingua Latina.*

Iſte articulus non integrè recitatur, quoniam non ſcripſi quòd eſt melius, ſed quòd eſt melius ad ædificationem Eccleſiæ. neque ſcripſi *orationes*, ſed *orationes publicas*, quæ audiente populo dicuntur. hoc autem ſuper doctrinam Pauli fundaui 1. *ad Cor.* 14.

IX. eſt, *Penſiones ſuper beneficiis curatis pecunia numerata redimi poſſunt.*

Iſte articulus recitat plus quàm ego ſcripſerim: quoniam ego non ſcripſi de beneficiis curatis in ſpecie, ſed de beneficiis Eccleſiaſticis in genere, & fundaui dicta mea ſuper doctrinam diui Thomæ. Et ea vera eſſe, teſtatur mos Eccleſiæ paſſim. nam quotidie fiunt huiuſmodi redemptiones, etiam à viris timoratis. Et conſueuit quantitas penſionis redimi ſoluendo pecuniam in proportione quincupla: reputatur enim communiter huiuſmodi pretium iuſtum.

X. eſt, *Nec ratione, nec authoritate probari poteſt, quòd, abſolutè loquendo, Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quin potiùs & ratio ducit ad oppoſitum.*

Iſte articulus non eſt meus quantum ad illam particulam, *probari poteſt*: quoniam, vt textus quæſtionis manifeſtat, ſcripſi, *nec ratione, nec authoritate probatur quod Sacerdos ſeclusis legibus iuris poſitiui & votis, peccet contrahendo matrimonium*, &c. & attuli rationem, contra quam oportet aduerſantes, rationibus procedere, & non libello famoſo.

XI. eſt,

X I. eſt, *Summus Pontifex, ſalua conſcientia, poteſt diſpenſare cum Sacerdote occidentali quod contrahat matrimonium, etiam ceſſante cauſa publicæ vtilitatis.*

Iſte articulus eſt meus, & alienus monſtratur ab omni errore in illa quæſtione. nulla enim iura arctant cauſam diſpenſandi ad vtilitatem publicam ſolam: occurrente enim alia cauſa rationabili, poteſt Papa vti ſua poteſtate, vt clarè patet.

X I I. eſt, *Vtrùm diſcordia orta inter coniuges huiuſmodi ſine ſpe remedy, ſit rationabilis cauſa diſpenſandi vt vterque cum alio contrahat, crediderim quòd ſic, coniugum conſenſu accedente.*

Iſte articulus de coniugio non conſummato meus eſt, & tam moderatus, vt irreprehenſibilis omnino ſit. tum, quia nihil aſſerui niſi credulitatem. tum, quia innititur authoritati Sedis Apoſtolicæ, quæ huiuſmodi cauſam habet pro rationabili, vt Apoſtolica reſcripta teſtantur.

X I I I. eſt, quòd *Chriſtus deſcendens ad inferos prædicauerit dæmonijs & damnatis.*

Iſte articulus non eſt meus: quoniam nunquam hoc aſſerui. Sed in commentariis ſuper primam epiſtolam Petri *cap.* 3. manifeſtè dixi quòd Petrus non loquitur de prædicatione qua Chriſtus manifeſtauit apud inferos ſeipſum eſſe Meſſiam, & conuicit tam Dæmones, quàm incredulos omnes, huiuſmodi enim prædicatio communis fuit omnibus apud inferos. Vbi clarè patet quòd non de prædicatione abſolutè, ſed de prædicatione huiuſmodi, hoc eſt, confutante & conuincente Dæmones & incredulos omnes, locutus ſum: iſti autem imponunt mihi prædicationem ſine aliqua additione.

X I V. eſt, *Epiſtola ſecunda Ioannis non tam eget expoſitione, quàm correctione.*

Iſte articulus non integrè recitatur. nam in commentariis ſuper ipſam epiſtolam ſcripſi, *nec tam eget expoſitione, quàm correctione, quoniam in multis differt à textu Græco.* Vbi clarè patet quòd de correctione verborum diſſonantium à textu Græco locutus ſum. Et ſi hoc eſt error, quare Hieronymus tanto tempore laborauit ad corrigendum libros ſacræ Scripturæ iuxta Hebraicam veritatem? quare Auguſtinus pro correctione librorum veteris Teſtamenti remittit lectores ad Hebraicum textum, & pro correctione librorum noui Teſtamenti ad textum Græcum?

X V. eſt, *Iacobus Alphai, frater Domini appellatur, quia filius fuit Ioſeph ex alia vxore.*

Iſte articulus non eſt meus. nunquam enim ſciui, nunquam aſſerui quòd Ioſeph habuerit aliam vxorem. quanuis opinio dicentium hoc non mihi diſplicuerit: & propterea ſcripſerim in commentariis ſuper epiſtolam ad Galatas *cap.* 1. & fortè nulla magis quadrare videtur ratio, quàm quòd fuerit filius Ioſeph ex alia vxore. nihil enim vt certum ſcripſi.

X V I. eſt, *An Paulus vxorem habuerit, diſputare ſuperfluum eſt: quoniam ex eius epiſtolis nihil certi habetur, licèt ex aliquibus ſenſu valde rationabili monſtretur eum habuiſſe vxorem.*

Iſte articulus non eſt meus. nam in commentariis ſuper epiſtolam ad Philipp. *cap.* 4. ſcripſi, *Diſputare hic an Paulus habuerit vxorem, ſuperfluum duxi, cum ex alijs locis epiſtolarum Pauli nihil certi habeam, & hic locus cogere videatur non ratione demonſtratiua, ſed ſenſu valde rationabili quòd Paulus habuerit vxorem.*

Ex hoc autem articulo & multis aliis prærecitatis, facile patere poteſt quòd articuli iſti indigni ſunt Theologis, indigni & reſponſione: vtpote vel impoſiti, vel alieni à materia erroris. nullus ſiquidem error incurritur putando Paulum habuiſſe vxorem, vel non habuiſſe vxorem, nullus error eſt putare Ioſeph habuiſſe, vel non habuiſſe aliam vxorem ante beatam Virginem: nullus error eſt epiſtolam Ioan. eſſe correctam, vel non correctam iuxta textum Græcum: nullus error eſt dubitare de illis, de quibus dubitat beatus Hieronymus: & id genus multa in articulis ſchedulæ iſtius contenta. Pro conſolatione itaque tua & Germanorum, honorande Magiſter, hæc ſcripſerim, vt perpendas ridiculo fore apud eos, qui libros noſtros legunt, & intelligunt libellos hos famoſos, pugnent rationibus & authoritatibus Scripturæ ſacræ (non libellis famoſis, non nominis ſupercilio) qui oppugnare noſtra cupiunt. Bene vale. Romæ 30. Decembris. 1534.

INDEX

INDEX

Rerum & Verborum notabilium, quæ hoc quinto Tomo continentur.

Prior numerus paginam, poſterior columnam, litteræ, a, eiuſdem columnæ initium, b, medium, c, finem deſignant.

A

Abba.

ABBA Syra dictio, & Pater Latina, ex Græcis tamen mutuata, idem ſignificant. 45.1.a 211.2.b

Abel.

Abel defunctus adhuc loquitur, quomodo. 353.2

Abelis liberalitas. ibid.

Abraham.

Abraham an conſiderauerit emortuum corpus, vt Paulus aſſerit. 23.1.b

Abraham quid inuenerit ſecundùm circumciſionem in carne, ſi non inuenit iuſtitiam Dei. 20.1.c

Abraham pater omnium credentium per præputium. 21.2.a

Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 207.2.b

in Abrahæ ſemine, ſcil. Meſſia, omnes nationes benedictæ. 21.2.c

Abrahæ paternitas probatur. 22.1.a

Abſurdum.

Abſurda, de inconuenientiis ſecundùm rationem. 289.1.a

Abundantia.

Abundantia, propria materia eleemoſynæ. 183.1.a

Abundantia, de magna pecuniæ ſumma mittenda in Hieruſalem. 184.1.a

Abundo, pro exubero. 27.2.a

Abuſus.

Abuſus, de obſeruatione præceptorum corporalium. 269.1.c

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum quid. 11.1.a

Acceptio perſonarum apud Deum nulla. 10.2.c

Acceptio perſonarum, vitium iuſtitiæ contrarium. ibid.

Vide *Perſona.*

Accepto ferre, pro imputare. 21.1.a

Acceſſus.

Acceſſus ad introeundum in Sancta qualis ſit. 351.1

Accuſatio.

Accuſatio in Preſbyterum non facilè admittenda. 303.2.a

Aquieſcendi verbum.

Aquieſco, pro obtempero. 10.2.a

Actio, Actus.

Actio gratiarum benedictionis nomine ſignificata. 137.1.b

Actio gratiarum, inuocato Chriſto homine tanquam medio, mandata. 240.1.c

Actionis gratiarum triplex materia communis omnibus Chriſtianis: 260.1.c

Actiones quinque quas Iudæus ſibi arrogat. 13.1.a

Actus debitus, & actus ſupererogationis differunt. 114.1.c

Ad, pro contra. 64.1.b

Adam.

Adam ſi non peccaſſet, Euà peccante non fuiſſet effectum genus humanum. 26.1.c

Adam forma futuri quid. 27.1.a

Adam & homo ſynonyma. 146.2.a

Adam nouiſſimus, de Chriſto. ibid.2.a,c

Adam primus, & Adam nouiſſimus differunt. 146.2.c 147.1.a

Adæ Chriſtus oppoſitus. 142.2.b

Adhæſio.

Adhæſionis donum. 71.1.a

Admonitio.

Admonitio correctionis nomine ſignificata. 117.1.b

Adoptio.

Adoptio. 231.1.c

Adoptio expectata, corporis à corruptione redemptio. 47.2.b

Adoptio Iudæorum. 54.2.c

Adoptionis gratia à Patre cœleſti communis Angelis & hominibus. 231.2.a

Aduentus.

Aduentus Chriſti glorioſus cum comitatu omnium Sanctorum deſcribitur. 279.2.b 285.1.c

Aduentus vterque Meſſiæ. 332.1.b

Aduentus Domini ſecundus. 349.1.c

Aduentus Chriſti tempora & momenta. 282.1.b

Aduentum Chriſti quæ præcedere oporteat. 286.2.a 287.1.c

Index Rerum,

Adulterium.

Adulterium. 99.2.b

Adulterium per verba *ſupergredi & decipere fratrem*, ſignificatum. 280.1.c

Ædificatio.

Ædificatio proximi maximi facienda. 120.1.c

Æmulandi verb.

Æmulor, pro prouoco. ibid.c

Æqualitas.

Æqualitas eleemoſynæ comparatione mannæ qualis. 183.1.b

Æqualitas Chriſti ad Deum, confutato errore Arrianorum. 249.2.c Vide *Chriſtus.*

Æqualitas Chriſti cum Deo & Patre. 265.1.c

Aer.

Aër, de ſubtili corpore noſtris ſenſibus ignoto. 225.2.b

Ætas.

Ætas Chriſti plena 33. annorum. 234.2.b

Æternitas.

Æternitas non habet heri, aut cras, ſed ſemper eſt hodie. 331.2.c

Æternitas Chriſti per tria tempora, præteritum, præſens, & futurum, ſignificata. 360.1

Affectus.

Affectus intimi viſcerum nomine indicati. 180.1.b

Affectus Pauli erga Theſſalonicenſes. 278.1.b

Afflictio.

Afflictio, materia patientiæ. 24.2.a

Afflictio tentationis nomine ſignificata. 117.2.a

Afflictionis donum. 71.1.b

Afflictiones Apoſtolorum aliorúmque diſcipulorum Chriſti, aliorum Chriſtianorum conſolationes. 152.2.c

Afflictiones & tormenta euangelizantium, teſtimonia Chriſti viuentis. 165.1.a

Afflictiones hic leues & momentaneæ, gloria ponderoſa & æterna. 166.1.c

Afflictiones viriliter tolerandæ. 356.1

Afflictiones, tormenta, occiſiones, iudicij nomine intellectæ. 379.1

Affligi pro Chriſto quid. 254.1.a

Aliud, id eſt, præſtantius. 191.1.b

Altare.

Altare Chriſtianum quod. 360.2

Altarium, pro ſacrario. 113.2.b

Amaritudo.

Amaritudinis radices hic quæ. 358.1.

Ambulatio.

Ambulantes ſecundùm carnem, & ambulantes ſecundùm ſpiritum, differunt. 42.1.c

Ambulare dignè ſecundùm omne beneplacitum Domini, quid. 260.1.a

Ambulare, & placere Deo totam Chriſtianæ vitæ formam continet. 279.2.c

Amen.

Amen, id eſt, fiat, ſeu verè. 108.2.a 137.1.b

Amen, confirmantis eſt, & finem imponentis ſalutationi. 201.1.b

Amor.

Amor proprius inconſtans valde. 132.2.b

Amor Apoſtoli in Corinthios. 178.1.a

Amori cuicunque ſua reſpondet delectatio, & è conuerſo. 135.1.a

Anathema.

Anathema Græca dictio, per tranſlationem ſegregatum ſignificat, quemadmodum Deo dicata à communi vſu ſegregata ſunt, & proptereà hoc nomine appellati Excommunicati. 54.2.b 150.2.c 201.2.c

Angelus.

Angelus infimarum ſubſtantiarum ſpiritualium nomen eſt, principatus autem ordinis illarum quæ pro curatis præſunt; virtutes verò ordinis ſupremi miniſtrantium, ſeu exequentium. 53.2.c

Angeli, & reliquæ ſuperiores nobis intelligentiæ quomodo conſpiciant Deum per ea quæ facta ſunt intellecta. 6.2.b

Angeli in ſacris Scripturis ſæpe introducuntur loquentes, non ſolùm hominibus, ſed quandoque inter ſeipſos, quam locutionem Theologi intelligibilem interpretantur. 131.1.c

Angeli an omnes mittantur. 333.1.b

Angeli per verba *in ſanctis millibus ſuis*, ſignificati. 40.col.3

Angelorum religio, vide *Religio.*

Angulus.

Angulorum quatuor ordines. 224.2.c

Anguſtia.

Anguſtia corporum ab extra parata ne poſſimus euadere. 174.1.b

Anima.

Anima in eſſe animæ viuit propriis officiis quatenus eſt anima; ita quòd non ſolùm corpus noſtrum viuit officiis animæ quatenus animat corpus, &c. 146.1.b

Anima noſtra & eſt anima, & eſt ſpiritus. anima pro quanto animat corpus eſt: ſpiritus, pro quanto intellectualis ordinis eſt, & ſupernis communicat. ibid.

Anima Chriſti habuit plenitudinem gratiæ ex beneplacito diuino, non ex merito 262.1.c

Anima & ſpiritus, quamuis vnum & idem, differunt tamen penes officia. 283.2.c

Anima, pro vita corporali. 395.1

Animæ ſeparatæ à corpore, præmij certitudo & confidentia. 168.1.c

Animæ vita ex fide articuli mortis Chriſti. 206.1.c

Animæ beatitudo vſque ad mortem Chriſti dilata. 356.1

Animæ in inferno velut in anguſtia & preſſura cruciantur: quorum neutrum conſumit, & tamen cruciat. 10.2.b

Animus.

Animus concupiſcens vetita, & animus concupiſcens illa met non vetita, differunt. 36.2.b

Animi noſtri renouatio in quo conſiſtat. 169.1.c

Animi virtus ſimplicitatis nomine ſignificata. 286.2.a

Animi perturbatio paſſionis nomine intellecta. 280.1.b

Ante tempora ſecularia, id eſt, æterna. 320.1.a

Antichriſtus.

Antichriſtus aduentũ Chriſti præceſſurus. 286.2.b

Antichriſtus deſcribitur. ibid. & 393.2

Antichriſti ſequaces vſque ad apparitionem aduenientis Chriſti duraturi. 287.2.b

Antichriſti progreſſus. ibid.

Antichriſti ſigna & prodigia mendacia. ibid.c

Antichriſti ſeductio. ibid.

Antichriſti ſequacium crimina. 288.1.b,c

Antichriſtum detineri donec impleantur iniquitates Imperij Rom. 287.1.b

Anus.

Anus quomodo gubernari debeat. 301.1.b

Anxietas

Anxietas.

Anxietas animi circa futuros euentus eorum quæ capimus, aut timemus, prohibita. 256.2.b

Aporiandi verb.

Aporiamur, Græca dictio, pro egemus. 164.1.b

Apoſtaſia.

Apoſtaſia aduentum Chriſti præceſſura. 286.2.a

Apoſtolatus, Apoſtolus.

Apoſtolatus, pro legatione. 201.1.c

Apoſtolatus Paulo ad ſalutem noſtram iniunctus. 291.1.c

Apoſtolus, pro nuntio. 252.1.b

Apoſtoli ad hoc miſſi, & ad hoc ſtuduerunt, vt inſererent obedientiam fidei, vt in captiuitatem reducerent omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2.2.c

Apoſtoli, cœli ſpirituales. 63.2.b

Apoſtoli ſpectaculum facti mundo. 98.2.a

Apoſtoli Chriſti cum prædicando diſcurrerent, circunducebant mulierem aliquam miniſtrantem eis ſumptos neceſſarios. 112.2.b

Apoſtoli, & miniſtri noui Teſtamenti quomodo ſuſceperint Chriſtum ſecundùm carnem, h.e. ſecundùm carnis officia viuentem. 170.2.c

Apoſtoli apud multos habiti infames, & ignoti. 175.1.a

Apoſtoli tanquam caſtigati à Iudæis. ibid.b

Apoſtoli Eccleſiarum, id eſt, legati miſſi ab Eccleſiis. 184.1.c

Apoſtoli omnes Prophetæ reſurrectionis mortuorum, venturique ſæculi. 230.1.a

Apoſtolorum præcipuum officiũ diſpenſatio. 97.1.a

Apoſtolorum Chriſti officium quod. 112.1.c

Apoſtolorum vniuerſalis Eccleſiæ regimen nõ ſolùm verbo, & actione, ſed etiam ſcripturâ: vnde ſola ſcripta ab Apoſtolis, ſeu ab eis approbata ſacræ Scripturæ authoritatẽ habent. 130.2.a

Apparitio.

Apparitio Chriſti. 140.2.b

Vide *Chriſtus.*

Apparitio Chriſti in iudicio vniuerſali. 270.1.c

Vide *Viſio.*

Apta, pro aptata. 57.2.c

Aqua.

Aqua omnium viuentium mater. 386.1

Arcanum.

Arcana diuinæ voluntatis in diſpenſatione temporum. 221.1.c

Archangelus.

Archangelus, de Chriſto. 281.2.a

Archangeli vox ante iudicium vniuerſale, qualis. ibid.1.c

Arma.

Arma lucis quæ. 74.2.c

Arma iuſtitiæ quæ. 174.1.b

Arma Apoſtolicæ militiæ qualia ſint. 187.2.b

Armorum vis. ibid.c

Armatura.

Armatura, de vniuerſis armis. 243.2.c

Armatura Chriſtiani quæ. 244.1.a

Arrha.

Arrha Miniſtrorum Euangelij. 155.2.b

Arrha in ſecuritatem contractus tam ſponſis, quàm negotiatoribus datur. ibid.

Arrha ſpiritûs, de Spiritu ſancto habitante in noſtro ſpiritu. 168.2.b

Arrhabo.

Arrhabo, pro prima parte ſolutionis. 233.2.a

Arriani.

Arrianorum hæreſis. 261.1.b 461.2

Ars.

Ars dicendi ab Euangelio reiicitur. 87.2.a

Aſtutia.

Aſtutia in operibus diſponendis occultum dedecus. 163.1.b

Auaritia, Auarus.

Auaritia, & rapacitas, de omnibus peccatis in proximum. 101.1.b

Auaritia ſimulachorum cultus, cur. 270.2.b

Auaritia & diſcordia cum proximo ante orationem purgandæ. 295.2.c

Auaritia cupiditatis nomine intellecta. 305.2.b

Auaritia quantum mali induat. ibid.

Auaritia infidelitatis radix. ibid.

Auaritia Cain. 353.2

Auaritiæ crimen. 385.1

Auarus idolorum cultor. 238.2.c

Auditus.

Auditus noſter, de auditione populi ex ore Prophetarum. 63.1.b

Augmentum.

Augmentum corporis per ædificationem explicatum. 235.2.b

Auris.

Auribus vſque hodie inaures ſuſpenduntur aureæ, cur. 129.2.c

Autem, pro ecce. 12.2.a

Autem, pro enim. 59.1.b 105.2.b

Azymus.

Azymi, id eſt, fermentati. 100.2.a

B

B*Altheus*, vide *Veritas.*

Baptiſma.

Baptiſma triplex, fluminis, flaminis, & ſanguinis. 340.1.b

Baptiſmus infantum. 28.1.b

Baptiſmus ſignificatus *in verbo.* 241.1.b

Baptiſmus vnus. 235.1.a

Baptiſmi vis. 29.1.c 30.1.c

Baptiſmi ritus. 422.1.c

Baptiſmi ritus, vt qui baptizatur, ſub aqua mergatur, & ex aqua leuetur. 267.1.a

in Baptiſmo aſſimilamur Chriſto ſepulto. 266.2.c

Baptizati Chriſtum induunt. 210.1.b

Baptizatorum multa differentia. ibid.

Barbarus.

Barbarus quis. 136.1.c

Barbarum eſſe eſt eſſe relatiuum, & nullus homo eſt abſolute barbarus. ibid.

Beatus.

Beati pauperes ſpiritu qui. 431.2.b

Beatorum mundo corde præmium. 435.2.b

Beatificatio, Beatitudo.

Beatificatio Galatarum. 212.2.b

Beatitudo promulgata à Dauide, an habeat locum in ſolis circumciſis, an etiam in non circumciſis. 21.1.b

Beatitudo animæ vſque ad mortem Chriſti dilata. 356.1

Beatitudo in quo conſtituta. 430.1.b

Beatitudinem corporis differri vſque ad diem iudicij. 356.1

Beatitudines Euangelicæ. 429.1.b

Belial.

Belial quid, & vnde. 176.1.b

Benedictio.
Benedicere ſpiritu quid. 137.1.b
Benedicere Dei, benefacere eſt. 220.2.c
Benedictio, pro gratiarum actio. 137.1.b
Benedictio, de eleemoſyna. 185.1.a
Benedictio, pro multiplicatione. ibid b
Benedictio contra auaritiam diſtincta. ibid.
Benedictio, pro beneficium. 220.2.c
Benedictiones ſupercœleſtium in Chriſto quæ. 226.2.a,b

Beneficium.
Beneficium eſt ſine meritis. 3.1.a

Beneplacitum.
Beneplacitum Dei in obedientia Chriſti explicatum. 201.1.a
Beneplaciti materia quæ. 222.1.b

Beneuolentia.
Beneuolentia Galatarum in Paulum. 212.2.b

Benignitas.
Benignitas. 174.1.c
Benignitas, feracitas beneficiorum. 226.2.c
Benignitas & miſericordia commendatæ. 238.1.b

Blaſphemandi verb.
Blaſphemoi, pro infamia notor cõtra Deum. 121.1.b

Bonitas.
Bonitas, pro benignitas. 9.2.c
Bonitas ſpiritûs triplici relatione explicatur. 240.1.b

Bonum, Bonus.
Bonum ſpirituale, & corporeum differunt. 130.1.c
Bonus nõ fuit, qui nõ potuit tolerare malos. 133.1.b

C

Caballiſtica.
Caballiſtica hic picta. 307.2.b

Caducitas.
Caducitas diuitiarum. 363.2

Cæcitas.
Cæcitas cordis. 236.1.c
Cæcitas in Iſrael. 67.2.a

Caræmoniale.
Cæremonialia legis vmbræ comparata. 268.1.c

Cæſar.
Cæſar, pro Nerone. 258.2.b

Cain.
Caini auaritia. 353.2
Calceamenta, vide *Pax.*

Calix.
Calicis vſus à multis, eſt communicatio ſanguinis Chriſti bibentibus. 118.1.b

Canis.
Canes, de Pſeudo-Apoſtolis. 252.2.b

Capillus.
Capilli, pro coma. 223.2.b

Caput.
Caput myſticum quod. 122.1.b

Carcer.
Carcer, damnatorum ad mortem. 174.1.c

Caro.
Caro peccati quæ. 41.1.b
Caro, pro Iudæis. 66.2.a
Caro & vinum, de quocunque cibo, & quocunque potu. 78.1.b
Caro & ſanguis quomodo regnum Dei poſſidere non poſſint. 147.2.a
Caro pro homine. 205.2.b
Caro velaminis nomine ſignificata. 351.1
Carnis facta mortificanda, non extinguenda. 44.2.a
Carnis omne genus ſub quatuor generibus comprehendit Paulus Apoſtolus. 145.2.a
Carnis infirmitas, de perpeſſione malorum. 212.1.c
Carnis & ſpiritûs mutua repugnantia. 216.1.b
Carnis fructus, corruptio. 219.1.a
Carnem ſuam quo ſenſu nemo vnquam odio habuerit. 241.2.a

Caſtitas.
Caſtitas. 174.1.c

Cauſa.
Cauſa Domini Ieſu ſcripta ex parte Põtificũ. 414.2.c
ex parte cauſarum quæ allatæ ſunt præualet cauſa regni. 415.1.c
ex parte Pilati. ibid.2.a
ex diuina prouidentia. ibid.c
Cauſæ extrinſecæ duæ, finalis, & efficiens. 46.2.c

Certitudo.
Certitudo intellectus, quando non dubitat de rebus fidei. 265.1.b
Certitudo plenaria quæ. ibid.

Ceſſatura.
Ceſſatura quæ. 133.2.a & ſeqq.

Chariſma.
Chariſmata, pro donis. 130.2.c

Charitas.
Charitas, pro dilectio. 24.2.b 131.1.b
Charitas vnicum debitum. 73.2.c
Charitas conſtans exteriùs, & interiùs. 132.2.c
Charitas quæ eſt ex parte, an ſit ceſſatura. 133.2.c
Charitas maior fide, & ſpe. 135.1.b
Charitas non ficta. 174.2.a
Charitas Chriſti ſuperans ſcientiam quid. 232.1.b
Charitas & fides, duo præcipua bona Chriſtianorum. 278.2.c
Charitas Patris imitanda nobis præcipitur, non abiicienda. 392.2
Charitas Dei erga homines. 393.col.3
Charitas perfecta foris mittit timorem. 396.col.4.
Charitas vera erga Deum, quæ. 397.1
Charitatis donum. 71.1.b
Charitatis excellentia reſpectu tam donorum, quàm miniſteriorum. 131.2.b & ſeqq.
Charitatis excellentia ex fructu. 132.1.c

Cherubin.
Cherubini gloriæ. 347.1.b

Chirographum.
Chirographi quod deleuit Chriſtus, duplex conditio. 267.1.c

Chloës.
Chloës mulier Corinthiis nota. 86.1.b

Chriſtianus.
Chriſtiani nomen Græcum. 4.2.c
Chriſtianum grauius peccare in eodem peccati genere, quam non Chriſtianum. 352.1
Chriſtiani tantummodo à Iudæis afflicti. 175.1.b
Chriſtiani templum Dei. 176.1.c
Chriſtiani ex Iudæis conuerſi ad Baptiſmum falſorum fratrum nomine ſignificati. 204.1 b
Chriſtiani, domeſticorum fidei nomine intellecti. 219.1.b
Chriſtiani, Iſrael Dei nominati. ibid.2.c
Chriſtiani quomodo ſint membra Chriſti in vno corpore. 232.2.a
Chriſtiani mortui dormientium nomine intellecti. 281.1.a
Chriſtiani per fratres ſignificati. 576.2
Chriſtianorum prima perſecutio à Nerone. 117.1.c

Chriſtianorum primæ perſecutiones in Iudæa fuerunt,& à Iudæis. 277.2.b
Chriſtianorum duo præcipua bona, fides & charitas. 278.2.c
Chriſtianis coniugium cum infidelibus interdictum. 176.1.c
Chriſtianis Deus vtitur non ſolùm vt templo, ſed vt vià gratà. 177.1.a

Chriſtus.

Chriſtus ſicut mediator eſt dum hominibus à Deo dona conferuntur, ita mediator eſt in actione gratiarum. 3.1.c
Chriſtus niſi reſurrexiſſet, homines à peccatis ſuis iuſtificati non fuiſſent. 23.2.b
Chriſtus nullum vnquam habuit in ſeipſo peccatum, ſed peccatum induit, aſſumendo ſimilitudinem carnis peccati. 41.2.a
Chriſtus, ſecundùm carnem, Iudæorum frater. 55.1.b
Chriſtus lapis & offenſionis, & percuſſionis, & offendiculi. 60.1.c
Chriſtus quòd ſit finis legis etiam Iudæi increduli fatentur, dum dicunt Prophetas vſque ad Meſſiam prophetaſſe. 61.1.b
Chriſtus pro Deo. 63.1.c 90.2.1
Chriſtus non elegit ea quæ ſibi ſecundùm naturalem affectum voluntatis placebant, ſed quæ ſummè diſplicebant ad ædificationem Eccleſiæ. 79.1.b
Chriſtus quo pacto diuiſus. 86.2.a
Chriſtus crucifixus quare Iudæis ſcandalum, Græcis ſtultitia. 89.1.b
Chriſtus crucifixus quare tam Iudæis, quàm Græcis vocatus Dei potentia,& Dei ſapientia. ibid.
Chriſtus factus nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio,& redemptio. 90.1.a
Chriſtus in Euangelio ſoli marito, Paulus vtrique coniugi legem libertatis promulgat. 107.1.b
Chriſtus velut hypoſtaſis ſui corporis myſtici, quod eſt Eccleſia. 129.1.a
Chriſtus apparuit Cephæ,h.e.Petro,Principi Apoſtolorum. 140.2.b
cur non apparuerit mulieribus. ibid.
apparuit poſt hoc duodecim. ibid.
Chriſtus quomodo dicatur poſt reſurrectionem apparuiſſe duodecim, cùm non eſſent niſi vndecim. ibid.
Chriſtus apparuit pluſquam quingentis fratribus. ibid.
apparuit Iacobo. ibid.c
Iacobus hic quis. ibid.
apparuit Apoſtolis omnibus. ibid.
& quando. ibid.
Paulo apparuit. 141.1.a
quando verò,& vbi,neſcitur. ibid.
Chriſtus dormientium primitiæ. 142.1.c
Chriſtus Adæ oppoſitus. ibid.2.b
Chriſtus omnia ſubiecit ſub pedibus ſuis. 143.3.b
Chriſtus nouiſſimi Adami nomine ſignificatus. 146.2.a,b
Chriſtus V. Teſtamenti finis. 161.2.b
Chriſtus imago Dei. 163.2.b
Chriſtus qua a Spiritu ſancto differat. ibid.
Chriſtus author noui Teſtamenti ſecundùm vtrumque ſtatum. ibid.c
Chriſtus qualiter prædicatur, & qualiter geſtatur. 164.1.c
Chriſtus vnus pro omnium ſalute mortuus eſt, quantum ad ſufficientiam, & quantum ad effectum. 170.1.c
Chriſtus quomodo vixerit in corpore poſt reſurrectionem non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritûs officia. ibid.2.b
Chriſtus vexationi Satanæ tradebat quos damnabat Paulus. 198.2.b
Chriſtus crucifixus ex infirmitate, & nos infirmi in illo. ibid.
Chriſtus quomodo crucifixus in Galatis. 207.1.b
Chriſtus factus pro nobis maledictum. 208.2.b
Chriſtus factus ex muliere. 211.1.b
Chriſtus legi ſubditus factus. ibid.c
Chriſtus ſedens ad dextram deſcriptus. 224.2.b
Chriſtus datus caput Eccleſiæ. 225.1.b
Chriſtus caput ſuper Gentiles. ibid.c
Chriſtus pax noſtra. 227.2.c
Chriſtus quomodo abſtulerit legem mandatorum, cum dixerit, *non veni ſoluere legem*, &c. 228.1.c
Chriſtus ſummangularis. 229.1.b
Chriſtus hæres vniuerſorum. 230.2.b
Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. 233.2.a
Chriſtus ſupra omnes cœlos. ibid.c
Chriſtus cur deſcenderit, & aſcenderit. ibid.
Chriſtus modò æqualis, & minor Deo, qui priùs erat ſimpliciter æqualis. 250.1.a
Chriſtus de æquali ad Deum non ſolùm fecit ſe minorem,ſed ſeruum. ibid.b
Chriſtus quomodo dicatur primogenitus omnis creaturæ. 261.1.c
Chriſtus ipſa opulentia gloriæ myſterij manifeſtati in gentibus. 264.1.c
Chriſtus æqualis Deo & Patri. 265.1.c
Chriſtus elementis mundi, & traditioni hominum præponderat. 266.1.c
Chriſtus Archangeli nomine ſignificatus. 281.2.a
Chriſtus ad ſaluandum peccatores venit. 293.2.b
Chriſtus redemptor omnium,non ſolùm quantum ad ſufficientiam,ſed etiam quantum ad efficientiam. 295.2.a
Chriſtus mortem deſtruxit. 310.1.a
& Paulum in Gentium doctorem elegit. ibid.b
ſeruans ei debitum ipſius laboribus præmium. ibid.c
Chriſtus mortem guſtauit non neceſſitate, ſed gratià. 334 2.b
Chriſtus Apoſtolus & Pontifex. 335 2.b
Chriſtus factus noſter Pontifex. 338.2.b & ſeq.
Chriſtus miniſter tabernaculi. 345.1.b
Chriſtus mediator inter Deũ & homines. 348.2.b
Chriſtus Pontifex & hoſtia ſemel oblata emundat conſcientiam à peccatis. 349.1
Chriſtus pro ſpiritus. 397.2
Chriſti fides explicita, vel implicita in omnibus qui conſecuti ſunt remiſſionem peccatorum ab initio mundi. 20.1.a
Chriſti iuſtificatio in cruce ſuapte natura fuit in omnes homines, & propterea ipſius meritum eſt ſuapte natura meritum omnium quantum ad ſufficientiam. 27.2.a
Chriſti fidem Paulus plantauit apud Corinthios, Apollo autem rigauit. 94.1.b
Chriſti corpus multipliciter fractum. 125.1.b
Chriſti corpus aliqui ſacramentaliter tantùm manducant, & bibunt, quos Paulus appellat manducare, vel bibere indignè; aliqui verò ſumunt ſacramentaliter & ſpiritualiter, qui à Paulo appellantur mãducãtes,ſeu bibẽtes dignè. ibid.2.c
Chriſti mors. 140.1.c
reſurrectio. ibid.2.a
apparitio. ibid.b

Chriſti cohæredes, quomodo. 45.2.c
Chriſti creatura, de homine in fide Chriſti formato. 171.1.a
Chriſti Euangelium quomodo Galatis prædicatum à Pſeudo Apoſtolis. 201.1.b
Chriſti corpus, de Eccleſia. 225.1.c
Chriſti diuitiæ inueſtigabiles quæ. 230.2.b
Chriſti charitas ſcientiam ſuperans, quid. 232.1.b
Chriſti corpus myſticum non terminari niſi ſit in ſtatu perfecto. 234.2.a
Chriſti ætas plena 33. annorum. ibid.b
Chriſti dies quis. 245.1.c
Chriſti æqualitas ad Deum, confutato errore Arrianorum. 249.2.c
Chriſti obedientia vſque ad mortem. 250.1.c
Chriſti anima habuit plenitudinem gratiæ ex beneplacito diuino, non ex merito. 262.1.c
Vide *Anima*.
Chriſti æqualitas cum Deo & Patre. 265.1.c
Chriſti apparitio in iudicio vniuerſali. 270.1.c
Chriſti aduentus cum comitatu omnium Sanctorum deſcribitur. 279.2.b
Chriſti diuina perſona ſignificata. 293.2.b
Chriſti longanimitas ad peccatorum informationem oſtenditur. ibid.c
Chriſti reſurrectio à mortuis. 311.2.b
Chriſti etymon. 332.2.b
Chriſti excellentia reſpectu Moyſi explicata. 335.2.c
Chriſti lachrymæ in cruce. 339.1.a
Chriſti Pontificis officium quod. 344.2.b
Chriſti improperium, de improperio populi Iſraëlitici. 355.1
Chriſti æternitas per tria tempora ſignificata. 360.1
Chriſti morte redempti pergant deuitare peccata præterita. 378.1
incumbant orationibus ac mutuæ dilectioni. ibid.2
gaudeant ſi propter Chriſtum pati oporteat. ibid.
Chriſti membra cur tanta dignitate ſint dignata, & tamen ignota maneant. 393.col.4
Chriſti ſanctificatio & aliorum hominum, differunt. 461.2
Chriſto ſepulto aſſimilamur, quòd ſepelimur in Baptiſmo. 29.1.c
Chriſto ſubiecta omnia. 143.2.c
Chriſto infirmo aſſimilamur afflicti. 196.2.b
aſſimilamur quoque Chriſto viuenti ex potentia Dei, in hoc quòd viuimus cum Chriſto vitâ ſpiritus ex eadem Dei potentia. ibid.c
Chriſto crucifixus quis. 206.1.b
Chriſto conuiuificari, eſt, Chriſtum accipere in caput. 226.1.c
Chriſtum eſſe Deum, non qualitercunque, ſed ſuper omnia benedictum in ſæcula, Amen. contra Arrianos. 55.1.b
Chriſtum ſoli nationi Iudæorum doctrinam & miracula tradidiſſe, cur. 79.2.b
Chriſtum regnum Deo & Patri tradere, quid. 143.1.a
Chriſtum aboliturum omnem principatum, omnem poteſtatem, & omnem potentiam. ibid.
Chriſtum regnaturum donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ſuis. ibid.b
Chriſtum oportuit reſurgere vt primitias. ibid.
extra Chriſtum nulla ſalus. 172.1.b
Chriſtum accipere dona in homine, quid. 233.1.c
Chriſtũ magnificari in corpore Pauli quid. 247.2.c
Chriſtum ad teſtamenti ſui confirmationem mori neceſſe fuit. 349.c
Chriſtum verum hominem tres teſtantur in terra, verum Dei filium tres in cœlo. 397.2
in quem credens habet vitam æternam. ibid. col.3
in Chriſto duas hypoſtaſes dicentium error excluditur. 2.1.b
in Chriſto tanquam exemplari omnia ſunt condita. 261.2.a,b
in Chriſto omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. 265.2.a

Cibus.

Cibus nullus ſecundùm ſe, ſeu per Chriſtum eſt mundus: relatus autem ad conſcientiam exiſtimantem eũ immundũ, immundus eſt illi. 77.1.a
Cibus ſolidus, perfectorum. 93.2.b
ſpiritualium. ibid.
Cibus cum gratiarum actione ſumendus. 299.2.c

Circumciſio.

Circumciſio. 13.2.a
Circumciſio quomodo proſit. ibid b,c
Circumciſio erat ſignum profeſſionis legis. ibid.
Circumciſio cur Iudæis prædicata à Pſeudo-Apoſtolis. 219.2.a
Circumciſio, de Chriſtianis. 253.1.a
Circumciſio per Chriſtum impleta in Baptiſmo. 266.2.b
Circumciſio triplici conditione deſcripta in Chriſto. ibid.c
Circumciſio Chriſti cur. ibid.
Circumciſionis duplex vtilitas. 21.1.c
Circumciſionis vanitas. 219.1.c
Circumciſionis Chriſti modus quis. 266.2.c

Circumferro.

Circumferre mortificationem Ieſu in corpore, quid. 163.1.a

Ciuis.

Ciues cœleſtes electorum nomine ſignificati. 349.2

Cœleſtia, Cœleſtis.

Cœleſtia, pro ſupercœleſtia. 221.1.a
Cœleſtia, de hominibus cœleſtibus, h.e. electis ad habitandum in cœlis. 149.1
Cœleſtis patria Ieroſolymæ nomine ſignificata. 213.2.c

Cœlum.

Cœli tres, infimum, medium, & ſummum. 195.1.c
Cœli quomodo perituri. 331.2.c

Cœna.

Cœna Domini quomodo antiquitus repræſentabatur. 124.1.c
Cœna repræſentatiua Cœnæ Dominicæ. 116.2.b
Cœnæ Dominicæ repræſentationi duo abuſus admiſti. 124.2.a
Cœnæ Domini ſumẽdæ mos antiquis, quis. ibid.1.c

Cogitatio.

Cogitatio duplex. 187.2.c
Cogitationes & conſcientia accuſantes, vel defendentes differunt. 11.1.b
Cogitationes conſiliorum nomine ſignificatæ. 167.2.b
Cogitationes, prima munimenta Diaboli. ibid.
Cogitationes malæ hîc quæ. 365.2
Cogitationum & conſcientiæ accuſantium merita deſcribi in die quo Deus iudicabit occulta hominum. 12.1.c

Cognitio.

Cognitio, pro notitia approbationis. 64.1.c

Cogni

Cognitionis duplex modus. 6.2.a
Cognoſcere Ieſum Chriſtum quid. 253.1.c

Cohæres.

Cohæredes Chriſti quomodo. 45.2.c

Collatio.

Collatio damni ad mortem. 60.2.c

Colloquium.

Colloquia mala corrumpunt bonos mores. 144.2.b

Coma.

Coma capillorum nomine ſignificata. 123.2.b
Coma pro velamine data mulieri. ibid.
Coma virum dedecet. ibid.

Comeſſatio.

Comeſſatio. 74.2.c

Commune.

Commune, de immundo apud Hebræos. 352.1

Communicatio.

Communicatio, pro eleemoſyna. 81.2.b
Communicationes, de ſubuentionibus ad victum Pauli. 257.2.c

Communio.

Communio ſacramentalis, & ſpiritualis diſtinctæ. 125.2.c
Communio Sanctorum. 247.2.a

Complantatio.

Complantatio apud Apoſtolum, pro inſitione. 29.2.b

Comprehendo.

Comprehendere, id eſt, peruenire ad ſtatum perfectionis. 254.1.b

Compresbyter.

Compreſbyter conſenioris nomine ſignificatus. 379.2

Compunctio.

Compunctio, pro percuſſio. 64.2.c

Conciſio.

Conciſio, pro circumciſio. 252.2.b

Concupiſcentia.

Concupiſcentia. 35.1.c
Concupiſcentia quid. 264.1
Concupiſcentiæ partes variæ. 35.2.b
Concupiſcentiæ duplex officium deſcribitur. 364.1
Concupiſcentiâ carnis carere non eſt hominis mortalis, ſed non executioni mandare, opus eſt ſpiritûs. 216.1.b
Concupiſcentiis non obſequendum. 368.2

Conditio.

Conditiones corporis noſtri, quæ. 146.1.a
Conditiones excellenti laude digniſſimæ, exceſsûs nomine ſignificatæ. 170.1.a
Conditiones requiſitæ in eligenda vidua. 302.1.b

Condonatio.

Condonatio peccatorum per Chriſtum. 267.1.b

Confeſſio.

Confeſſio fidei Chriſtianæ communis effectus Spiritus ſancti in omnibus Chriſtianis. 127.1.a
Confeſſio bona facta coram multis teſtibus, de profeſſione quam facit Epiſcopus ſuperintendenti aliis. 305.2.c & ſeq.
Confeſſio bona Domini ſub Pontio Pilato. 306.1.b

Confidentia.

Confidentia, audaciæ fundamentum, imò proprium confidentium, audere. 187.1.b

Confirmatio.

Confirmatio prædicantium. 155.1.c

Confiſcatio.

Confiſcatio bonorum rapinæ nomine intellecta. 352.2

Conformatio.

Conformari huic ſæculo quid. 69.2.b

Confundo.

Confundi, pro pudefieri. 60.1.c

Coniugium, Coniux.

Coniugium fidelis cum infideli. 106.1.b.c
Coniugium Chriſtianis cum infidelibus interdictum. 176.1.c
& cur. ibid.2.a
Coniugium ſalutis meritorium mulieri. 296.2.b
Coniugij vſus. 105.1.b
à Coniugij vſu licitæ vacationis conditiones tres. ibid.a
Coniugij multa incommoda. 109.1.a
Coniugij myſterium. 241.2.c
Coniugia inter diſpares cultu prohibita. 106.1.b
Coniux infidelis ſanctificatur, (h. e. purificatur, & mundus fit) in coniuge fideli. 106.1.c & ibid.2.b
Coniugi negare debitum, ſiue fraude, ſiue apertè, peccatum iniuſtitiæ eſt, & ex ſuo genere mortale. 105.1.c
Coniugi fideli quid agendum, ſi coniux infidelis vult ſeparari. 106.2.c
Coniuges & fornicarij differunt. 454.2

Connexio.

Connexio membrorum ſecundùm paſſiones. 130.1.b

Conſcientia.

Conſcientia idoli, quid. 111.1.b
Conſcientia infirma, quæ. ibid.
Conſcientiæ & cogitationum accuſantium, vel defendentium differentia quæ. 12.1.b
Conſcientiæ & cogitationum accuſantium, aut defendentium merita deſcribi in die quo iudicabit Deus occulta hominum. ibid.c
Conſcientiæ bonæ officium. 300.1.b

Conſenior.

Conſenior, pro Compresbyter. 379.1

Conſilium.

Conſilia, pro cogitationes. 187.2.b

Conſolatio.

Conſolari paſſiuè ſumptum. 3.2.c 178.2.a 179.1.c 264.2.c
Conſolatio diuina quas comitetur afflictiones. 152.2.b
Conſolatio comes tribulationis. 173.2.b
Conſolatur Deus humiles, ſuperbis reſiſtit. 178.1.c
Conſolatio Pauli in Aduentu Titi. ibid.2.a
ex relata conſolatione, quum ipſe Titus acceperat ex Corinthiis. ibid.
Conſolatio æterna, de ſpiritali conſolatione Spiritus ſancti, quâ repleti ſunt Apoſtoli in præſenti vita. 288.2.c

Conſuetudo.

Conſuetudo præcipuum locum habere debet in iis quæ non ſunt definita in Scriptura. 124.2

Contentio.

Contentio & factiones arguuntur in Corinthiis. 93.2.b
Contentiones euitandæ. 312.1.c
Contentionum partes quæ. 251.1.a

Continentia.

Continentia virginalis. 108.2.b

Contrarium.

Contrariorum eadem ſcientia. 11.1.c

Contriſto.

Contriſtare Spiritum ſanctum quid. 237.2.c

Contumelia.

Contumelia, pro ignorantiâ. 7.2.c

Conuentus.

Conuentus ad quid ordinetur. 124.1.a

Conuentus publicus totius humani generis tubæ nomine ſignificatus. 148.1.b

Conuerſatio.

Conuerſatio qualis ſit. 305.2.b

Conuerſatio vana paternæ traditionis, de conuerſatione legali iuxta legem Moyſi. 373.1

Conuerſatio mutua inter coniuges. 375.2.& ſeq.

Conuerſationis ſubtractio, excommunicationis ſpecies. 289.1.c

Conuerſio.

Conuerſio gentium quantæ diuitiæ gloriæ. 264.1.c

Conuerſionis gentium termini tres. 68.1.b

Conuerſionis futuræ Iudæorum termini tres. ibid.

Conuiuifico.

Conuiuificari Chriſto, id eſt, Chriſtum accipere in caput. 226.1.c

Cooperatio, Cooperor.

Cooperantes quatenus a Legatis diſtincti. 173.1.a

Cooperari, vide *Symen.*

Cooperatio quatenus à legatione paſſiua diſtincta. ibid.

Cooperationis materia quæ. ibid.1.b

Cor.

Cor, pro voluntate. 91.2.c

Cordis cæcitas. 236.1.c

Cordis dilatatio duabus partibus conſtat. 176.1.b

Vide *Dilatatio.*

Corde credere quid. 62.1.c

Corban.

Corban, id eſt, donum. 439.2.c

Corinthij.

Corinthij agricolationi Dei ſimilati. 94.2.b

aſſimilati ædificationi Dei. ibid.

Corinthij quomodo D. Pauli epiſtola commenditia. 158.2.b & 159.1.a

& quæ contenta in illa. ibid.b

Corinthij Chriſti epiſtola. 158.2.c

Corinthij in quibus arctati ab Apoſtolo. 175.2.c

Corinthiorum Eccleſiæ laus. 85.2.b

Corinthiorum reprehenſio de ipſorum ſectis. ibid c

Corinthiorum diſſidia qualia ſint. 86.2.b

apud Corinthios ſectæ variæ. ibid.1.c

à Corinthiis quæ Paulus exigat. ibid.1.a

in Corinthiis arguuntur, zelus, contentio & factiones. 93.2.b

Corpus.

Corpus Chriſti aliqui ſacramentaliter tantùm manducant, & bibunt, quos Paulus appellat manducare, vel bibere indignè; aliqui verò ſumunt ſacramentaliter & ſpiritualiter, qui à Paulo appellantur manducantes, ſeu bibentes digne. 125.2.c

Corpus Chriſti verum communicari multitudini ſumentium. 138.2.a

Corpus Chriſti multipliciter fractum. 125.1.b

Corpus humanum quod ſeminatur animale, id eſt, viuens ex officiis animæ vegetantis ipſum, reſurgit corpus ſpirituale, h. e. non ex officiis vegetationis, ſed ex virtute ſpiritus viuens. 146.1.b

Corpus Chriſti, de Eccleſia. 225.1.b

Corpus Chriſti myſticum non terminari niſi ſit in ſtatu perfecto. 234.2.a

Corpus noſtrum corruptibile mutatum iri in incorruptibile. 255.2.c

Corpus, de vniuerſitate peccatorum. 270.2.a

Corporis noſtri conditiones quæ. 146.1.a

Corporis humani corruptibilis conditiones. 167.1.a

Corporis corruptibilis antitheſes. ibid.b

Corporis corruptibilis conditiones non grauare. 168.1.c

Corporis augmentum per ædificationum explicatum. 235.2.b

Corporis beatitudinem differri vſque ad diem iudicij. 356.1

Corpora hominum qualia in reſurrectione mortuorum. 144.2.c & ſeq 145.1.a

Corpora cœleſtia, & terreſtria quæ. 145.2.b

Corpora noſtra mori ſeminaliter. 146.1.a

Corpora damnatorum fore incorruptibilia, ſed non glorioſa & impaſſibilia. 147.1.b

Corporum cœleſtium quoad gloriam ordines tres. 145.2.b

Corporum gloria in reſurrectione, & gloria noſtrorum differunt. 145.2.c

Corporum anguſtia ab extra parata ne poſſimus euadere. 174.1.b

Correctio.

Correctio, pro admonitio. 117.1.b

Corrigendi forma. 218.1.b

Correptio.

Correptionem quæ comitari debeant. 314.1.c

Corruptibile.

Corruptibile & mortale differunt. 148.2.b

Creatura.

Creatura Chriſti, de homine in fide Chriſti formato. 171.1.a

Creatura noua, pro vita ſpirituali. 210.2.c

omnis Creatura Dei bona. 299.2.c

Creaturæ nomine omnis natio, omnis hominum conditio appellata. 46.2.b

Credo.

Credo, pro obtempero. 10.2.a

Credere eſt opus noſtrum. 19.2.b

Credere Deo, id eſt, dare gloriam Deo. 23.2.a

Credere corde quid. 62.1.c

Credere præſupponit auditionem. ibid.2.c

Credere in Chriſtum ad conſequendam iuſtificationem, quæ. 205.2.b

Credenda duo. 353.2

Credere Deum, & credere in Deum differunt. 406.2.b

Crimen.

Crimen auaritiæ. 385.1

Crucifixio, Crucifixus, Crux.

Crucifixionis veteris hominis duplex fructus. 30.1.b

Crucifixus Chriſto quis. 206.1.b

Crux, potentia Dei, ſaluatrix omnium qui ſaluantur. 87.2.b

Cubile.

Cubilia, pro opere venereo. 74.2.c

Culpa

Culpa.

Culpæ ſtatus nocti comparatur, & ſomno. 74.1.c

Cum ſpiritu veſtro, pro cum omnibus vobis. 258.2.b

Cupiditas.

Cupiditas, pro auaritia. 305.1.b

Cupiditas omnium malorum radix. ibid.

Curatio.

Curationes. 130.2.b

Cymbalum.

Cymbalum, quid. 131.2.b

D

Dæmon, Dæmonium.

DÆmones ob euidentiam factorum coacti myſterium fidei credunt, ſed non ad iuſtitiam. 62.1.c

Dæmones Principum huius ſæculi appellatione intellecti. 91.1.c

Dæmones, id eſt, Principes huius ſæculi, ſi cognouiſſent Dominum, an crucifixiſſent. ibid.2.a

Dæmones quadrupliciter deſcripti. 143.1.c

Dæmonia, pro hominibus. 299.2.a

pro hæreticis. ibid.

Dæmoniorum qualitas. ibid.2.b

Damnatio, Damnatus.

Damnari quid. 41.2.c

Damnationis æternæ grauitas. 354.2

Damnati à Paulo vexationi Satanæ tradebantur à Domino. 198.2.b

Damnatorum corpora fore incorruptibilia, ſed non glorioſa, & impaſſibilia. 147.2.b

Damnum.

Damni collatio ad mortem. 162.2.c

Debitum.

Debitum parentum erga filios. ibid.1.c

Debitum ſeruorum erga dominos. [illegible]

Debitum dominorum erga ſeruos. ibid.a

Debitorum quatuor genera. 73.2.b

Dedecus.

Dedecus & ignominia, materia erubeſcentiæ. 313.1.a

Defenſio.

Defenſio, pro purgatione. 179.2.a

Deformitas.

Deformitas vetuſtati comparata. 271.1.b

Defunctus.

Defuncti iuxta fidem Abraham, Iſaac, & Iacob. 354.1

Delectatio.

Delectatio naturalis quid. 130.1.c

Delectationes gulæ. 354.2

venereæ. 355.1

Delectationũ prima principia pugnæ & bella. 358.2

Delictum

Delictum Iudæorum, mundi diuitiæ. 66.1.a

Demeritum.

Demeritum & incredulitas hominum non tollit veracitatem Dei; quamuis tollat quandoque executiones, quæ ſecundùm eorum merita erant futuræ. 15.1.c

Demerita, & incredulitatem hominum vinci à veritate diuina. ibid.b

Depoſitum.

Depoſitum bonum Pauli apud Timotheum quod. 310.2.a

Deſcendens.

Deſcendentes ex Iſraël, & Abraham differunt. 55.1.c

Deſiderium.

Deſideria, pro concupiſcentiis. 75.1.a

in Deſideria, pro in concupiſcentias. 7.2.c

Detentio.

Detinere veritatem in iniuſtitia quid. 5.2.b

Deus.

Deus relucet in effectis ab eo velut in ſpeculis. & quemadmodum requiritur ad videndum relucens in ſpeculo, intuitus ſpeculi, ita ad conſpiciendum Deum per ea quæ facta ſunt, requiritur intellectio factorum à Deo. 6.2.a

Deus ipſum *eſſe*. 7.1.a

Deus benedictione laudis benedicendus eſt. 8.2.a

Deus dehoneſtatus à Gentilibus. 13.1.c

Deus verax. 15.1.a

Deus per cauſas ſecundas adimplet, quæ diſpoſuit ſe facturum. 50.2.a

Deus quòd velit malum alicui non ex operibus illius quo pacto verificetur. 56.1.c

Deus iuſtitiam ſuam oſtendit in reprobis. 57.2.a

oſtendit potentiam. ibid.b

Deus quomodo dicatur prouocare ad inuidiam, & commouere ad iram. 63.2.c

Deus vnus. 110.2.b, c 133.1

Deus nihil intuetur, niſi in ſeipſo. 134.2.c

Deus omnia. 144.1.a

Deus ſolus ſimpliciter & abſolutè Dominus. 147.1.a, b

Deus impartibilis vnus atque idem eſt non ſolùm Pater, ſed eſt Filius, ſed eſt Spiritus ſanctus. 151.2.c.

Deus aliter Pater Ieſu Chriſti, aliter miſericordiarum Pater. 152.1.a

Deus quatenus benedicatur abſolutè, & quatenus relatiuè. ibid b

Deus totius conſolationis ratio. ibid.

Deus huius ſæculi, de quoquo fine dilecto ab hominibus affectis in tranſitoriis. 163.2.a

Deus deditorum gulæ, de ventre. ibid.

Deus immediatè habitator templi ſui, id eſt, Chriſtianorum. 176.2.b

Deus conſolatur humiles, reſiſtit ſuperbis. 178.1.c

Deus Pater *noſter*, cui. 202.1.a

Deus ad merita reſpicit, non ad perſonas. 204.2.a

Deus ſimplici notitia omnes nouit, ſed approbationis notitia illos tantùm nouit, quos approbat. 211.1.c

Deus, nomen naturæ. 212.1.c

Deus non ſimpliciter miſericors, ſed diues in miſericordia deſcribitur. 216.1.b

Deus ſecundùm ſe caret nomine. 250.2.a

Deus ſolus ſapiens. 294.1.b

Deus vult omnes homines ſaluos fieri non voluntate beneplaciti, ſed voluntate ſigni. 295.1.b

Deus vnus, & mediator vnus. ibid.b, c

Deus vt paterfamilias manifeſtatus. 299.1.a

iuſtificatus in ſpiritu. ibid.b

viſus Angelis. ibid.

prædicatus Gentibus. ibid.c

creditus in mundo. ibid.

aſſumptus in gloria. ibid.

Deus ſaluabit omnes homines in vita futura, quomodo. [illegible].2.b

Deus ſolus potens. [illegible].c

Deus Rex regum, & Dominus dominantium. ibid.

Deus quamuis omnia creauerit, ac per hoc rerum

omnium rationes Angelis manifeſtauerit, & rerum naturas intelligendas porrexerit hominibus, reſeruauit tamen arcano ſuo notitiam certis temporibus agendorum, iuxta illud, *non eſt veſtrum noſſe*, &c. 32[illegible].2.b
Deus tribus modis loquitur homini. 330.1.c
Deus quomodo per filium ſuum fecit ſæcula. ibid. 2.c
Deus auctor omnis boni. 364.1
Deus non eſt tentator, vel auctor peccati. ibid.
Deus nec tentat, nec tentatur. ibid.
Deus quum apparuerit ſimiles ei erimus, quomodo intelligendum. 393.col.4.& ſeqq.
Dei filius omnipotens. 2.2.a
Dei iuſtitia quæ. 5.1.a
Dei ira de cœlo, vindicta æternæ damnationis. ibid.2.a
Dei inuiſibilia quæ in ſeipſis videri non poſſunt, ab aliis poſſunt conſpici per ea quæ à Deo effecta ſunt, vt cauſa per proprios effectus conſpicitur. 6.1.c
Dei inuiſibilia quomodo conſpiciantur per creaturas. ibid.
Dei inuiſibilia conſpiciuntur per ea, quæ facta ſunt intellecta. ibid.1.a
Dei inuiſibilia tria explicata à D.Paulo. ibid.b
Dei diuinitas. ibid.
Dei diuinitas & potentia differunt. ibid.c
Dei iudicium iuſtum quod. 10.1.c
Dei iuſtitia teſtificata à Lege Moyſi, & Prophetis. 18.1.a
Dei iuſtitia per fidem Ieſu Chriſti. ibid.b
Dei eloquia Iudæis credita. 14.2.c
Dei iuſtitia eſt redemptio facta per Chriſtum, non iuſtitia noſtra. 18.2.b
Dei iuſtitia, & legis iuſtitia, quæ Iudæorum propria. 60.2.c
Dei iuſtitia quæ. ibid.
Dei dilectio, ſolidum fundamentum ſpei. 24.2.b
Dei donum vita æterna. 33.2.b
Dei filij, filij adoptiui. 44.2.b
Dei filiorum Spiritus ſancti teſtimonium. 45.1.c
Dei filiationis duplex ſignum. ibid.2.a
Dei electio infallibilis. 58.1.c
Dei dona, & vocatio Dei, impœnitenda. 68.1.a
Dei voluntas bona. 69.2.c
Dei dona diuerſa. 70.2.b
Dei præcepta rationabilia. 72.1.c
Dei *eſſe* quomodo hic ſumatur. 89.1.c
Dei templum quomodo corripiatur. 96.1.c
Dei templum qui. ibid.
Dei triplex dominium.
Dij multi quo ſenſu dicantur. 110.2.b
Dei gloria, myſteria Dei manifeſtata per eius gloriam. 162.2.b
Dei dilectio erga peccatores. 172.1.b
Dei gratiam increduli reſpuunt, & contemnunt, Chriſtiani verò mali recipiunt, ſed in vanum. 173.1.c
Dei virtus. 174.2.a
Dei populus quis. 177.1.b
Dei beneplacitum in obedientia Chriſti explicatum. 201.1.a
Dei benedicere, benefacere eſt. 222.2.c
Dei gratia in Baptiſmo animæ collata vt ſignaculum quoddam promiſſæ hæreditatis æternæ. 223.1.c
Dei pax, tranquillitas ordinis diuini. 25[illegible].1.a
Dei efficacia erga Gentiles viuificando conſepultos Chriſto. 2[illegible].2.c
eius efficacia erga Iudæos, tollendo obligationem legis per crucem. 2[illegible].1.c
erga Dæmones, ſpoliando illos Sanctis omnibus qui erant in limbo, & triumphando de illis ſubactis, & traducendo palàm confidenter. 268.1.a
Dei imago, ad quam creatus eſt nouus homo quatenus nouus, quæ. 271.1.b
Dei tuba quæ. 281.2.b
Dei ſermonum elementa quæ. 339.1.c
Dei voluntas, mundationis noſtræ à peccatis. 350.2
Dei notitia atque dilectio quomodo comprobetur. 321.1
Dei erga nos charitas. 393.col.3
& quomodo diſtinguantur qui ex Deo ſunt, & qui ex Diabolo. 394.col.3
Deo ſoli naturale eſt noſſe quid eſt Deus. 6.2.c
Deo odibiles, pro Dei oſores. 8.2.c
Deo credere, id eſt, dare Deo gloriam. 23.2.a
Deo exhibendæ hoſtiæ conditiones quatuor. 69.1.c
Deo appropinquandum. 369.1
in Deum non cadit iniuſtitia. 15.2.c
Deum nulla latet ſimulatio. 218.1.c
Deum quòd nemo viderit vnquam, quomodo intelligendum. 366.1.c
apud Deum non eſt tranſmutatio. 364.1
nec conuerſionis obumbratio. ibid.
à Deo procedit omnis bona donatio. 364.1
Dij mortui qui. 276.1.b

Dextrum, & ſiniſtrum.

Dextrorum & ſiniſtrorum diſtinctiones nouem. 174.2.c

Diabolus.

Diabolus qua ratione habitator templi idolorum. 176.2.b
Diabolus in Angelum lucis ſe transfigurat. 191.2.b
Diabolus per Principem poteſtatis aeris huius ſpiritus ſignificatus. 225.2.b
Diabolus quomodo habeat mortis imperium. 335.1.b
Diaboli proprium officium, tentare. 278.2.c
Diabolo reſiſtendum. 369.1

Diaconus.

Diaconi quales ſint. 297.2.c
Diaconi, de iis qui præſunt gubernationi temporalium. 130.2.b

Dictio.

Dictio interpretata modò Græci, modò Gentiles, eadem eſt dictio, & propriè ſignificat Græcos, extenditur autem ad ſignificandum Gentiles. 85.2.a

Dies.

Dies Domini noſtri Ieſu Chriſti, de die iudicij in morte cuiuſque. 86.2.a
Dies Domini quis. 95.1.b 245.2.a
Dies humanus, humana cognitio, ſeu claritas nominatur. 97.1.b
Dies immediatè ſequens diem ſeptimum eſt vna Sabbatorum, qui ſemper apud Hebræos Sabbatum eſt. 149.2.c
Dies Dominica per vnam Sabbatorum ſignificata. ibid.
Dies redemptionis, de die Baptiſmi. 218.1.a
Dies Baptiſmi per diē redemptionis indicatus ibid.
Dies diei, dies iudicij vniuerſalis. 3[illegible].2
Diem iudicij inſperatum aduenturum. 2[illegible].1.b
non oppreſſurum incautos. ibid.2.a

Diffinitio.

Diffinitio diuina conformium filio Dei prior eſt diuina

diuina præſcientia eorumdem.

Dignè, Dignitas.

Dignè, vel indignè ſumens, in quo differant. 126.1.a
Dignitas regalis explicata. 426.2.c
Dignitas ſacerdotalis 427.1.b

Dilatatio.

Dilatatio cordis duabus conſtat partibus. 176.1b

Dilectio.

Dilectio Dei, ſolidum ſpei fundamentum. 24.2.b
Dilectio vnicum debitum. 73.2.c
Dilectio eſt plenitudo legis. ibid.& 74.1.b
Dilectio Chriſtiana quæ. 133.1.a
Dilectio Dei erga peccatores quanta. 172.1.b
Dilectio, radix & fundamentum. 231.2.c
Dilectio Chriſti propria, dilectio erga mundos. 259.1.b
Dilectio perfectionis vinculum. 271.2.c
Dilectio Pauli & ſociorum quanta. 279.1.b
Dilectio veritatis prædicata à Domino & Apoſtolis, adhuc prædicatur in Eccleſiis. 288.1.a
Dilectio qualis ſit. 292.1.b 300.2.b
Dilectio & odium fratrum. 294.col.4
Dilectio opere comprobanda. 295.1
Dilectionis donum. 71.1.2.b
Dilectioni mutuæ ſtudendum. 369.2
an in Dilectione proximi tantùm, vel in dilectione Dei & proximi pendeant lex, & Prophetæ. 74.1.b
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 50.2.b

Diminutio.

Diminutio Iudæorum, diuitiæ gentium. 66.1.b

Diſcipulus.

Diſcipuli aliqui primitiuæ Eccleſiæ etiam ſecundùm ſcientiam adquiſitam docti fuerunt. 89.2.b
Diſcipulorum perfectorum penuria apud Paulum inſinuata. 251.2.c

Diſcordia.

Diſcordia & auaritia ante orationem purgandæ. 295.2.c

Diſcretio.

Diſcretio. 128.1.c

Diſpenſatio.

Diſpenſatio præcipuum officium Apoſtolorum. 97.1.a
Diſpenſatio, pro officio. ibid.

Diſſidium.

Diſſidia Corinthiorum qualia ſint. 86.2.b

Diuerſitas.

Diuerſitas idiomatum ceſſatura. 133.1.a

Diues.

Diuitum ſtatus. 363.2
Diuitibus pauperum oppreſſoribus grauis comminata vltio. 369.2

Diuinum, Diuinitas.

Diuina videri à nobis per ſpeculum in ænigmate, duobus modis verificatur. 134.1.b
Diuina (horæ ſcil. Canonicæ, & Miſſæ) meliùs dici ſine melodia Muſica. 137.1.c
Diuinitas Dei. 6.2.b
Diuinitas & potentia Dei differunt. ibid.c

Diuitiæ.

Diuitiæ mundi, delictum Iudæorum. 66.1.a
Diuitiæ gentium, diminutio Iudæorum. ibid.b
Diuitiæ ſapientiæ Dei. 68.2.a
Diuitiæ Chriſti inueſtigabiles quæ. 230.2.b
Diuitiæ gloriæ latentis in myſterio conuerſionis gentium. 264.1.c
Diuitiæ plenæ certitudinis intellectus quæ. 265.1.b
certitudinis materia quæ. ibid.c
Diuitiæ cœleſtes terreſtribus ſunt meliores. 352.2
Diuitiarum Dei plenitudo. 69.1.a
Diuitiarum caducitas. 363.1

Diuortium.

Diuortium. 106.1.a

Docens, Doctor.

Docentis conditiones tres. 323.1.b
Doctoris donum. 70.2.c
Doctores. 130.2.b

Doctrina.

Doctrina communis ſobrietatis nomine ſignificata. 176.1.a
Doctrina & monitio omni homini neceſſaria. 264.2.b
Doctrina ſana quæ. 293.1.a
Doctrina hæreticorum à Dæmoniis, ſpiritus ab errore pictus. 299.2.a
Doctrina ſana, de doctrina Euangelica. 312.2.a
Doctrina Euangelica per doctrinam intellecta. ibid.
Doctrina ſenum qualis ſit. ibid.b
anuum qualis. ibid.
adoleſcentularum qualis. ibid.c
iuuenum qualis. 323.1.b
Doctrina communis omnibus. 324.2.a
Doctrinæ ſacræ finis. 79.1.c
Doctrinæ perfectio in quo conſiſtat. 85.1.c
Doctrinæ Euangelicæ elegantia & ſermone, aut doctrina philoſophica, an ad ſeruitium vti pro loco & tempore liceat. 87.1.c
Doctrinæ Apoſtolicæ excellentia in myſterio Chriſti. 229.2.c

Documentum.

Documenta fidei, teſtimonia Dei. 90.2.a

Dolus.

Dolo interno vti euangelizando occultum dedecus. 163.1.b

Domeſticus.

Domeſtici fidei, pro Chriſtianis. 219.1.b

Domicilium.

Domicilium qua ratione dicatur indui. 167.2.b

Dominium.

Dominium Dei triplex.

Dominus.

Dominus vnus. 232.2.c
Dominus breui & inſperatò aduenturus. 386.1
Domini propinquitas. 256.2.b
Domini quomodo ſe habere debeant erga ſeruos. 273.1.a
Dominorum debitum erga ſeruos. 242.2.c

Domus.

Domus Dei, de Eccleſia. 298.2.a 379.1.
Domus, pro familia. 335.2.b

Donum.

Donum Dei vita æterna. 53.2.b
Donum prophetiæ. 70.2.b
Donum Doctoris. ibid.c
Donum exhortatoriæ. ibid.
Donum facultatis. ibid.
Donum miſerationis. ibid.
Donum officij. ibid.
Donum adhæſionis. 71.1.a
Donum afflictionis. ibid.b
Donum dilectionis. ibid.a

Donum

Donum odij. ibid.
Donum charitatis. ibid.b
Donum tribulationis ibid.
Donum honoris. ibid.
Donum hoſpitalitatis. ibid.c
Donum orationis. ibid.
Donum perſecutionis. ibid.
Donum præeſſendi. ibid.
Donum quid. 122.2.b
Donum gratuitum, pro gratia. 182.2.b
Donum datum Timotheo, de gradu Epiſcopali. 300.2.c
Dona Dei, & vocatio Dei impœnitenda. 68.1.a
Dona Dei diuerſa. 70.2.b
Dona ſanationum. 128.1.c
Dona, chariſmatum nomine ſignificata. 130.1.c
Donorum genus. 127.2.b & 128.1.a

Dormiens.

Dormientes, de Chriſtianis mortuis. 281.1.a
Dormientium primitiæ Chriſtus Dom. 142.1.c
Ducit, pro prouocat. 12.1.a
Durum quod. ibid.

E

EA quæ non ſunt, de Gentilibus. 89.2.c
Ea quæ ſunt, de Iudæis. ibid.

Ebrietas, Ebrioſus.

Ebrietas. 74.2.c
Ebrietas prohibetur tanquam res reprehenſibilis. 140.1.a
Ebrioſi excluduntur à regno Dei. 101.2.c

Eccleſia.

Eccleſia vnde adiungat orationibus ſuis, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* 3.1.c
Eccleſia à Deo gubernata per hominem Ieſum. 151.2.c.
Eccleſia vnica Chriſti ſponſa, integra fide, & caſta moribus. 190.2.b
Eccleſia, Chriſti corpus. 215.1.b
Eccleſia, ciuitas & domus Dei. 219.1.a
Eccleſia glorioſa inſtar ſponſæ deſcribitur. 241.1.c
Eccleſia, corpus formatum de carne Chriſti, & de oſſibus eius in cruce, ſicut Eua de Adami carne & oſſibus. 241.2.b
Eccleſia, regnum Dei. 262.1.a
Eccleſia primitiuorum, ſeu primogenitorum, de Eccleſia Apoſtolorum & diſcipulorum immediatorum Chriſti. 338.2
Eccleſia aliàs ex domibus tantùm conſtabat, non ex tota ciuitate. 273.1.b
Eccleſia, domus Dei. 298.2.a
Eccleſia, columna & fundamentum veritatis. ibid.b
pietatis ſacramentum. ibid.
Eccleſia, tabernaculi nomine intellecta. 347.2.c
Eccleſia per donum Dei ſignificata. 379.1
Eccleſiæ Corinthiorum laus. 85.2.b
in Eccleſia primitiua erant Prophetæ publicè prophetantes, ſicut & linguis loquentes. 122.2.a
de Eccleſia Chriſti quinque propoſita. 432.1.c
Eccleſiarum Apoſtoli, id eſt, legati miſſi ab Eccleſiis. 184.1.c

Edo.

Edentes idolothyta quomodo idololatriæ crimen incurrant. 119.2.b

Effectus.

Effectuum ſpiritualium triplex genus. 127.2.b
Effectuum ſenſibilium promiſſorum veris Chriſti Apoſtolis quatuor genera. 197.1.b
Eiuſmodi, pro ij. 12.1.a

Electio, Electus.

Electio Dei infallibilis. 58.1.1.c
Electio noſtra ante mundi conſtitutionem. 221.1.b
ad quid illa electio. ibid.c
Electio in ſalutem magna materia gratiarum actionis. 188.1.c
tam Electionis, quàm reprobationis negotium conſiſtere in velle Dei. 56.2.c
Electionis, reprobationis, vocationis, permiſſionis, &c. incomprehenſibilitas. 68.1.c
Electionis ſignum quod. 288.2.a
Electi modò migrantes, nudi inuenientur tempore reſurrectionis, & induentur corpore glorioſo: electi verò reſidui in aduentu Domini inuenientur veſtiti, & ſuperinduentur. 167.2.c
Electi omnes quò peruenturi quadrupliciter deſcribitur. 234.1.c
Electi qui ad iudicium vniuerſale relinquentur viui. 281.1.b
Electi, ciues cœleſtes. 349.1
Electi tanquam peregrini in hoc mundo. 371.1
Electi tanquam peregrini ab omnibus mundanis abſtineant. 375.1
ſuperioribus obtemperent. ibid.
afflictiones ad Chriſti imitationem ferant. ibid.2
Electorum vocatio ad participationem, ad communionem, ad conſortium gloriæ Chriſti diuino imperio. 85.2.c
Electorum propria gloria. 148.2.a
Electorum conditiones quæ. 221.1.c
Electorum ſaluationis & vocationis prima radix voluntas diuina. 309.1.c
Electorum ſanctificatio vnde. 371.2
Electorum conditio. 372.1

Eleemoſyna.

Eleemoſyna communicationis nomine ſignificata. 81.2.b
Eleemoſyna oblata pro Sanctis in Hieruſalem apud quemlibet recondi qui dedit ordinatum. 149.2.c
Eleemoſyna gratiæ nomine intellecta. 180.1.c 181.1.c
Eleemoſyna à quatuor deſcripta. ibid.2.c
Eleemoſyna ſit commenſurata. 182.1.c
Eleemoſyna non niſi indigentibus conferenda. 183.1.a
Eleemoſyna benedictionis nomine ſignificata. 185.1.a
Eleemoſyna pauperibus eroganda. 190.1.a
Eleemoſyna per bona opera ſignificata. 320.1.a
Eleemoſyna non alicui certo pauperi, ſed pauperibus debita. 407.1.a
Eleemoſynæ moderamen adhibitum. 182.1.b
Occurrunt hîc nonullæ quæſtiones, quæ ſoluuntur. ibid.c & ſeqq.
Eleemoſynæ largitio non pariat largienti anguſtiam rei familiaris. ibid.
nec relaxationem cauſet iis quibus datur. ibid.
in Eleemoſynæ largitione æqualitas vtrinque, ex parte ſcil. largientis, & ex parte ſuſcipientis, habenda. ibid.
Eleemoſynæ æqualitas comparatione mannæ. 183.1.b
Eleemoſynæ triplex conditio. 185.1.c
Eleemoſynarum conditiones, quæ fiebant pro victu Sanctorum in Hieruſalem, vt prouocet Corinthios ad celeriter conſummandas eleemoſynas. 183.1.b

Elementa.
Elementa mundi, de corporeis rebus ſacrificiorum, cæremoniarum, & huiuſmodi. 211.1.b
Eleméta, de corporalibus cæremoniis legis. 211.1.b
Elementa ſermonum Dei quæ. 339.1.c
Eloquium.
Eloquia Dei Iudæis credita. 14.2.c
Eminentia.
Eminentia pacificationis. 436.1.b
Enim, pro igitur. 19.1.b
Enoch.
Enoch fide tranſlatus, vt creditur, in paradiſum terreſtrem. 353.2
non inueniebatur nec viuus, nec mortuus. ibid.
Epaphras.
Epaphras, Doctor Coloſſenſium. 318.2.b
Epaphræ commendatio. 259.2.b
Epiſcopatus, Epiſcopus.
Epiſcopatûs duplex conſideratio. 467.2
Epiſcopi officium quod. 316.2.b
Epiſcopi & Preſbyteri nomine idem gradus & officium ſignificatum. 311.1.a
Epiſcopi quales eſſe debeant. 297.1.b
Epiſcopalis gradus per donum datum Timotheo intellectus. 300.2.c
Errans, Error.
Errantes ad veritatem reducendi. 370.2
Error Arrianorum. 261.1.b
Erroris operatio. 288.1.b
Erubeſcentia.
Erubeſcentia, timor vituperationis. 4.1.c
Eſſendi verb.
Eſſe ſub lege, & debitum ſeruandi aliqua legis, differunt. 311.2.c
Eſſe Dei quomodo hîc ſumatur. 89.1.c
Eſſendi modus animæ propriæ tempore illius raptus ignotus fuit Paulo. 195.1.b
Eſus.
Eſus panis, h. e. ſpeciei panis, (non ſubſtantiæ panis) eſt in veritate communicatio corporis Chriſti, vt rei communicatæ participantibus illum, vna eademque res, ſcil. verum corpus Chriſti in ſubſtantia panis communicatur omnibus edentibus, quibus frangitur. 118.1.c
Eſus idolothytorum extra idoleum licitus. 120.1.b ibid.1.c
Eſus idolothytorum, & aliorum ciborum nihil differunt. ibid.2.c
Eua.
Eua virgo, mulier appellata in principio Geneſis. 211.1.c
Euaneſco.
Euaneſcere, pro vanum fieri. 7.1.b
Euangeliſta.
Euangeliſtæ opus, verbo & facto Euangelium regni prædicare, tueri, propagare. 317.1.b
Euangelium.
Euangelium pro re annuntiata eſt poteſtas ſalutaris omni credenti. 5.1.a
Euangelium ſecundùm rem euangelizatam eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti. 23.2.c
Euangelium, per inſtrumentum glorioſi Chriſti ſignificatum. 163.2.b
Euangelium Chriſti quomodo Galatis prædicatum à Pſeudo-Apoſtolis. 201.1.b
Euangelium in Iudæis compatiebatur obſeruationem legalium tanquam conſuetorum, non tanquam neceſſariorum ad ſalutem. ibid.c
Euangelium, de executione, & doctrina. 201.1.c
Euangelium, per verbum veritatis demonſtratum. 223.1.b
Euangelium ſalutis noſtræ cur. ibid.
Euangelium veritatis, vel veritatis Euangelij, h.e. veritatis manifeſtatæ per Euangelium. 259.1.c 263.1.c
Euangelium legis nomine ſignificatum. 295.1.a
Euangelij virtus. 4.2.a
Euangelij miniſtrorum arrha. 155.2.b
Euangelij profectus quòd Chriſtus annuntiatur, ſiue veritate inducente bonos Prædicatores, ſiue occaſione vel inuidiæ, vel diſſenſionis impellente malos Prædicatores. 247.1.c
Euangelij fructus in Theſſalonicenſibus. 275.2.c
Euangelij vniuerſa materia tribus comprehenſa.
Euágeliũ cõmune vniuerſo generi humano. 416.2.a
Euangelica.
Euangelica potentia ad ſalutem, non ad perditionem tendit. 4.2.a & 5.2.a
Euangelica ſcripta & Apoſtolica an ſint Teſtamentum nouum. 160.1.b
Euangelicæ doctrinæ elegantia & ſermone, aut doctrina philoſophica an ad ſeruitium vti pro loco & tempore liceat. 87.1.c
Euangelizandi officium gloriâ plenum. 163.1.b
Euangelizantibus & inſtruentibus ſuſtentationis ſtipendia debita. 218.1.b
Euangelizare, & abſtinere ab alieno ſumptu differunt. 114.1.a
Euangelizare quemadmodum Apoſtoli ex iniuncto officio tenebantur, ita modò Prælati tenentur; quibus ex officio prædicare incumbit, & væ ipſis niſi euangelizent. 114.1.b
Euangelizatio aliis odor mortis, aliis odor vitæ. 157.1.c
Euchariſtia.
Euchariſtia, vt eſt ſacrificium. 120.1.a
Euchariſtiæ ritum & vſum Paulus Corinthios docuit, antequam eis Epiſtolam ſcriberet, & vſque adeò Pauli traditio apud Græcos perſeuerat, vt vſque in hodiernum diem in ſacrificio Miſſæ conſecrando corpus Chriſti Græci Pauli verbis vtantur, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* 125.1.b
in Euchariſtia non eſſe ſignum corporis, ſed verum corpus Chriſti, oſtenditur. 126.1.a
Eutrapelia.
Eutrapelia officij nomen apud Paulum, & nomen virtutis apud Ariſtotelem. 238.2.b
Excæcatio.
Excæcatio Gentilium. 236.1.b
Excellentia.
Excellentia charitatis reſpectu donorum, & miniſteriorum. 131.1.b & ſeqq.
Excellentia charitatis ex fructu. 132.1.c
Excellentia gloriæ. 160.2.a
Excellentia Chriſti reſpectu Moyſi explicata. 335.2.c
Excellentia patientiæ. 363.1
Exceſſus.
Exceſſus de conditionibus excellenti laude digniſſimis. 170.1.a
Excommunicatio.
Excommunicat Paulus ſeipſum & reliquos Apoſtolos, & etiam Angelos ſanctos, ſi euangelizauerint aliud præter id quod ipſemet euangelizauerat Galatis. 201.2.b

Exemplar.

Exemplaria cœleſtia, de exemplatis ex cœleſtibus, tabernaculum, & ea quæ ſpectabant ad tabernaculum. 349.1.a
Exemplaria veterum. 349.1
Exequenda.
Exequendorum duplex genus in Apocalypſi reuelatum. 452.2
Exhortatio.
Exhortamur, pro obſecramus. 173.1.b
Exhortatio, pro conſolatione. 152.2.c
Exhortatio Pauli ad Theſſalonicẽſes quæ. 276.1.a eius ſermo quis. ibid b
Exhortatoriæ donum. 70.2.c
Exiſtimo.
Exiſtimare aliquem ſe aliquid ſcire dupliciter contingit, vel ſpeculatiuè, vel affectiuè. 110.1.c
Exterminator.
Exterminator, ignis egreſſus à Domino, qui palam conſumebat, niſi Aaron inter mortuos & viuos occurriſſet ad Dominum placandum. 117.1.b

F

Facies.
FAcie ad faciem, h. e. ſine medio. 134.1.c
Facio.
Facere ea quæ legis ſunt, & facere meritoriè differunt. 11.2.c
Facere naturaliter omnia naturalia quæ legis ſunt, & facere naturaliter aliqua moralia quæ legis ſunt, differunt. ibid.
Facta carnis mortificanda, non extinguenda. 44.2.a
Factor.
Factores legis, de iis qui factis exercent ea quæ legis ſunt. 11.2.a 17.2.c
Factores legis apud diuinum iudicium iuſtificaturos ex meritis operum propriorum. 12.1.a 17.2.c
Facultas.
Facultatis donum. 70.2.c
Familia.
Familia domûs nomine ſignificata. 335.2.b
Farina.
Farina miſta aquæ, conſperſio, ſeu maſſa. 100.2.a
Fermentum.
Fermentum vetus, de corruptione vitæ & morum. ibid.c
Fictio.
Fictiones Thalmudicæ prohibentur. 292.1.a
Fidelis.
Fidelis quis. 97.1.b
Fidelis quomodo cum coniuge infideli ſe habere debeat. 106.2.c
Fdelis quòd non dimittat infidelem. 107.2.a
Fidelis quis. 155.1.a
Fideles, Sancti cur. 96.1.c
Fideles, membra Chriſti. 225.1.b
Fideles quales ſint. 231.2.c
Fidelis Chriſti officium in quo conſiſtat. 198.2.c
Fides.
Fides in ſanguine Ieſu quæ. 18.2.c
Fides Chriſti explicita, vel implicita in omnibus qui conſecuti ſunt remiſſionem peccatorum ab initio mundi. 20.1.a
Fides fulcit legem. ibid b
Fides Abrahæ reputata eſt illi ad iuſtitiam apud Deum. ibid.2.a
Fides ex auditu. 63.1.c
Fides donum Dei, non creaturæ, quoad ipſam voluntatem credendi, ipſúmque credere in Deum. ibid.
Fides agendorum. 128.1.b
Fides formata, & informis quæ. 214.2.c
Fides prima virtus, mater virtutum reliquarum. 210.1.c
Fides, donum Dei. 227.1.a,b
Fides vna. 232.2.c
Fides & charitas, duo præcipua bona Chriſtianorum. 278.2.c
Fides magnificè cõmendatur ex actis Patrũ, à mundi exordio vſque ad Dauid ac Prophetas. 353.2
Fides quid. ibid.
Fides ſine operibus quomodo ſit mortua. 366.2. & ſeq.
Fides mundum vincit. 397.2
Fides Chriſtiana, de fide tradita Sanctis. 399.col.3
Fidei documenta, teſtimonia Dei. 90.2.a
Fidei Chriſtianæ confeſſio communis effectus Spiritus ſancti in omnibus Chriſtianis. 127.1.a
Fidei nomine Paulus diuerſimodè vtitur. 131.2.c
Fidei actus attribuitur charitati imperatiuè, ſicut & actus patientiæ, & ſimiliter ſpei. 135.1.b
Fidei ſcutum. 244.1.b
Fidei probatio ex tentatione. 362.2
Fidem Chriſti Paulus apud Corinthios plantauit, Apollo rigauit. 94.1.b
Fidem ſpes comitetur immobilis. 263.1.b
Fidem iuxta defuncti Abraham, Iſaac, & Iacob. 354.1
ex Fide in fidem, ſucceſſionem credentium iuxta eandem fidem denotat. 5.1.b
Fide, pro veracitate, fidelitate. 14.2.c
ſine Fide Chriſti explicitè, vel implicitè nullus vnquam ſaluatus eſt. 61.2.b
Fide Enoch tranſlatus eſt, vt creditur, in paradiſum terreſtrem. 353.2
Fide quanta patrata à Patribus. ibid.a ſeqq.
Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. 355.1.367.1
Figura.
Figura mundi fallax. 109.1.b
Figura quid. 240.1.b
Filiatio, Filius.
Filiationi Dei duplex ſignum. 45.2.a
Filius Dei omnipotens. 2.2.a
Filius Dei æternus, filius dilectionis Patris dicitur, qui eſt filius dilectionis eſſentialis, quemadmodum eſt filius eſſentiæ. 260.2.a
Filius imago Dei inuiſibilis. ibid.c
Filius germanus quis. 291.1.c
Filius ſplendor gloriæ. 330.2.c & figura ſubſtantiæ Patris. 331.1.a
Filij productio differt à productione Spiritus ſancti. 261.1.a
Filij nomen, proprium eſt Meſſiæ ſecundùm diuinam naturam in veritate: ſed apud Hebræos non penetrantes myſterium Trinitatis, admittebatur nomen filij Dei tanquam proprium epitheton Meſſiæ: vnde & Pontifices Iudæorum accuſabant Chriſtum quòd filium ſe dicit. 330.2.b
Filij Dei diuina natura ſignificata. 2.1.c
Filij Dei, filij adoptiui. 44.2.b
Filij promiſſionis à filiis carnis diſtinguũtur. 53.2.a
Filij promiſſionis vnde dicti. ibid.b
Filij parentum diſparis cultus immundi ſunt immunditia legali. 100.1.b
Filij inobedientiæ qui. 226.1.a

Filij

Filij iræ, id eſt, digni punitione. ibid.b
Filiorum debitum erga parentes. 242.1.b
Filij quomodo ſe habere debeant erga parentes. 172.2.a
Filij Dei, & filij Diaboli qui. 394.col.3
Filij Dei non facti,ſed nati ex Deo. 410.1.b
Filiorum Dei Spiritus ſancti teſtimonium. 45.1.c

Finis.

Finis præcepti, dilectio. 192.1.b
Fines orbis terræ, de finibus habitabilis terræ noſtræ chartæ. 63.1.a
Fines late, pro extremis regionibus. ibid.

Firmus.

Firmus fide quis. 75.1.c
Firmi & infirmi in domo Dei. 313.1.c
Firmiores, pro potentes ſpiritu, & actibus virtutum. 78.2.c

Fletus.

Flendum cum flentibus. 71.2.a

Forma.

Forma, pro formatione. 13.1.b
in Forma Dei eſſe,id eſt,eſſe Deum. 249.2.c

Fornicarius, Fornicatio.

Fornicarij à coniugibus differunt. 454.2
Fornicatio. 93.2.b
Fornicatio ſimplex non reputabatur peccatum apud Gentiles. 103.2.b
Fornicatio & immunditia, de vniuerſis peccatis venereis in opere. 170.2.b
Fornicatio non credebatur eſſe peccatum apud Gentiles. 18.1.b
Vide *Impudicitia.*

Frater, Fraternitas.

Fratres falſi, de Chriſtianis ex Iudæis conuerſis ad Baptiſmum,eo quòd legalia velut neceſſaria putabant ſeruanda. 204.1.b
Fratres ſe inuicem appellabant Chriſtiani. 258.2.c
Fratres,de Chriſtianis. 576.2
Fratrum dilectio & odium. 394.col.4
Fraternitas hîc quæ. 360.1

Fructus.

Fructus officij Apoſtolici primus quis. 2.2.c
Fructus ſpiritus. 217.1.a 239.1.b
Fructus carnis, corruptio. 219.1.a
Fructus ſpiritûs, vita æterna. ibid.
Fructus iuſtitiæ, de vniuerſo fructu iuſtitiæ ex fide Ieſu Chriſti. 246.2.a
Fructus mundantis ſeipſum. 313.2.b
Fructus reſurrectionis Dominicæ. 419.1.b
Fructûs quantitas reſpondet quantitati ſeminis. 185.1.b

Fuga.

Fuga quamuis ſit timidi, aliquando tamen eſt prudentis. 194.1.b

Fundamentum.

Fundamentum Apoſtoli & Prophetæ ratione poſteriorum appellantur, Chriſtus autem fundamentum ſimpliciter & abſolutè extat. 95.1.a

Furtum.

Furtum committens contra legem ſcriptam, duplicem incurrit præuaricationem. 160.1.b

G

Galata.

Galatæ Spiritum ſanctum acceperunt ex fide, ſicut Abraham. 207.1.b
Galatarum ſtultitia. ibid.1.c
Galatarum beatificatio. 212.2.b
Galatarum in Paulum beneuolentia. ibid.

Galea.

Galea ſpei ſalutis. 282.2.b
Vide *Salus.*

Gaudium.

Gaudendum cum gaudentibus. 71.2.a
ad Gaudium ſpirituale monet Apoſtolus. 256.2.b

Gemitus.

Gemitus ineffabiles, de iis, quorum termini ad quos tendunt, ſunt nobis incogniti. 49.2.b

Genealogia.

Genealogiæ interminatæ à Paulo prohibitę. 292.1.a

Generatio.

Generationis triplex modus in humanis. 420.1.c
quartus ex Deo. ibid.2.a,b

Gentes, Gentiles.

Gentilis appellatione præputij indicatus. 13.2.c
Gentiles ipſi ſibi lex ſunt. 12.1.a
Gentiles foris verbis & factis monſtrant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; intus verò huius legis in corde ſcriptæ teſtimonium reddit conſcientia ipſorum. ibid.b
Gentiles habere meritum circumciſorum. 13.2.c
Gentiles non gens, gens inſipiens nominati.63.2.c
Gentiles gens non quærens Deum cultu & iuſtitia dicti. 64.1.a
Gentiles ſubrogati in filios Abrahæ, in filios Iſraël. 67.1.a
Gentiles reprehenduntur ne glorientur aduerſus Iudæos ex vtilitate conſecuta in ipſis Gentilibus. ibid.b
Gẽtiles cohæredes & concorporei Chriſti. 230.1.b
Gentium ſalus à Græcis. 4.2.c
Gentium ſalus ex delicto Iudæorum. 65.2.b
Gentium diuitiæ, diminutio Iudæorum. 66.1.b
Gentium conuerſionis termini tres. 68.1.b
Gentium finis, vanitas. 235.2.c
vita quæ. 236.2.b
Gentium excæcatio ignorantia. 136.1.b

Genu.

Genua, pro roboribus animi. 357.2.

Gladius.

Vide *Spiritus.*

Gloria, Glorificatio.

Gloria, pro glorificatio. 20.1.c
Gloria Iudæorum. 55.1.a
Gloria,pro gloriatio. 80.2.c
Gloria corporum in reſurrectione, & gloria noſtrorum differunt. 145.2.c.
Gloria electorum propria. 148.2.a
Gloria Moyſi ex ſua excellentia gloriam innuit. 161.1.a
Gloria Dei, myſteria Dei manifeſtata ad Dei gloriam. 162.2.b
Gloria in perſona Ieſu Chriſti,ipſius deitas. 164.1.c
Gloria *Dei magni*,cur. 323.2.c
Gloria triplex. 459.2.
Gloria filiorum Dei per adoptionem triplex. ibid.
Gloria Chriſti ad iudicium quæ. 461.1
& quæ à iudicio. ibid.
Gloriæ excellentia. 160.2.a
Gloriæ æternæ pondus. 166.2.b
declaratur tam ſecundùm corpus, quàm ſecundùm animam. 167.1.a
Gloriæ nomine omnes partes beatitudinis & animæ & corporis intellectæ. 170.1.c
Gloriæ ſplendor Dei filius. 330.2.c
Gloriatio triplex. 25.1.b

Glorificatio naturalis quæ. 130.1.c
Glorificatio vera ſecundùm Deum quæ. 189.2.c
Glorificatio humanitatis Chriſti, & glorificatio aliorum Sanctorum differunt. 461.1.c
Glorificationis diuinæ triplex materia. 186.2.b,c

Glorioſus.

Glorioſus nobilis nomine ſignificatus. 98.2.c

Gnato.

Gnato, aſſentator. 154.2.c

Græcus.

Græcus, pro Gentili. 4.2.c & ſeq.

Gratia.

Gratia eſt ratio omnium donorum. 3.1.a
Gratia ſpiritualis, pro dono ſpirituali. ibid.2.b
Gratia, pro gratiarum actione. 32.2.b 39.2.a
Gratia, pro donum. 33.2.b
Gratia prophetiæ, & donum linguarum, & reliquæ gratiæ gratis datæ in Eccleſia Corinthi. 85.2.b
Gratia Dei tunc opera efficit, quando homo cooperatur gratiæ. 141.1.c
Gratia propria N T. deſcripta. 175.1.b
Gratia de eleemoſyna. 180.1.c 181.1.c
Gratia, de dono gratuito. ibid.2.b
Gratia, de officio procurandi eleemoſynas. 183.2.b
Gratia, primum donum. 200.2.b
Gratia & miſericordia donum primum, in queis omnia dona diuina comprehenſa. 219.2.c
Gratia gratis data, & gratia gratum faciens differunt. 221.2.c
Gratia Dei Baptiſmo animæ confertur vt ſignaculum quoddam promiſſæ hæreditatis æternæ. 223.1.c
Gratia capitalis in Chriſto. 225.1.a
Gratia adoptionis a Patre cœleſti communis Angelis & hominibus. 231.2.a
Gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti datur. 235.1.c
Gratia quomodo data nobis ante æterna tempora. 309.1.c
Gratia doctrinæ ſalutaris. 323.2.b
Gratia Dei erga nos noui Teſtamenti, relatiuè ad gratiam in veteri Teſtamento, declaratur. 358.1
Gratiæ ſtatus comparatur vigiliæ, & diei. 74.1.c
Gratiæ cooperandum. 263.1.b
Gratiam Dei increduli reſpuunt, & contemnunt: Chriſti verò mali recipiũt, ſed in vanum. 173.1.c
ſub Gratia & pace omnia media bona ſpiritualia contenta. 200.2.b
Gratiæ Dei aguntur ob fidem Timothei 308.1.c
Gratiarum actio benedictionis nomine ſignata. 137.1.b
Gratiarum actio, inuocato Chriſto homine tanquam medio, mandata. 240.2.c
Gratiarum actionis triplex materia communis omnibus Chriſtianis. 260.1.c

Gratificatio.

Gratificatio noſtra in Chriſto declarata. 221.2.c
Gratificatio ſpecialis facta diſcipulis Chriſti ex Iudæis aſſumptis. 222.2.b

Gratuitas.

Gratuitas æternæ damnationis monſtrata. 384.2
Gregorius quidam montem mouit. 131.2.c

Gubernatio.

Gubernationes, miniſterium, quo aliqui præſunt gubernationi temporalium, qui in primo principio Eccleſiæ Hieroſolymis vocati ſunt *Diaconi*. 130.2.b

Gula.

Gulæ opera. 74.2.c

H

Hæres.

HÆres cùm non ſit niſi mortui, quo pacto Paulus dicit *Dei hæredes*, cùm Deus immortalis ſit. 45.1.b
Hæres vniuerſorum Chriſtus Dom. 330.2.b

Hæreſis, Hæreticus.

Hæreſis, pro ſecta. 124.1.b
Hæreſis Arrianorum. 461.2.c
Hæreticus, pro pertinaci in propria electione credendorum. 325.2.c
Hæreticus deuitandus. ibid.
Hæretici hîc dæmoniorum nomine ſignificati. 299.2.b
Hęretici fontibus ſine aqua, quoad bonũ, & nebulis turbine agitatis quoad malum, aſſimilati. 385.1
Hæreticorum ſpiritus ab errore, doctrina verò à dæmoniis pingitur. 299.2.a
Hæreticos facillimè damnari. 385.2

Hebræus.

Hebræi veteris Teſtamenti per Patres intellecti. 330.1.c
Hebræorum genus ab Heber, cuius tempore ſectæ diuiſæ ſunt, proceſſiſſe ex eo apparet, quòd etiam Abraham Hebræus appellatur. 193.2.b

Helleni.

Helleni, pro Gentilibus. 16.1.c

Hieruſalem.

Hieruſalem, cunctorum Eccleſiarum mater. 149.2.c
Hodie, de toto tempore gratiæ. 336.2.b

Holocauſtoma.

Holocauſtomata. 350.1

Homicidium.

Homicidium. 17.1.c
Homicidium, pro æde. 8.2.c

Homo.

Homo omnis iudex aliorum inexcuſabilis. 9.1.b
Homo omnis mendax. 15.1.a
Homo omnis peccans. 27.1.a
Homo quantumcunque ſe in bonis operibus mortalibus & cæremonialibus exerceat: nunquam tamen per hoc peccatorum remiſſionem conſequitur; ſed ſecundum habitus operum in operibus, & in ſeipſo iuſtificatur, & propterea habet virtutum merita vnde glorietur, ſed non apud Deum, apud quem adhuc peccati ratione implicatus remanet. 29.2.a
Homo interior appellatur ſuperior animi pars: exterior autem homo ſecundùm partes ſenſitiuas tam interiores, quam exteriores, & cur. 38.2.c
Homo venditus ſub peccato, quomodo intelligendum. 37.1.b
Homo iuſtus ex duobus principiis cõpoſitus. ibid.
Homo ex contra ſe pugnantibus conſtat. ibid.c
Homo animalis quis, & vnde dictus. 92.2.c
ſpiritualis quis. 93.1.a
carnalis quis. ibid.2.a
Homo Latinè, & Adã Hebraicè, ſynonyma. 146.2.a
Homo internus & externus diſtinguitur. 166.1.b
Homo quo magis veteraſcit, eo magis deficit. ibid.
Homo in fide Chriſti formatus per creaturam Chriſti intellectus. 171.1.a
Homo carnis nomine ſignificatus. 205.2.b
Homo ex parte ſui nihil. 218.1.c
Homo id metet quod ſeminat. 218.1.c
Homo vetus quis. 236.2.b
Homo nouus. 237.1.a,b
Homo nouus, de ſpirituali vita fidei, ſpei, charitatis, &c. 271.1.b

Homo

Homo in ſpiritum, animam & corpus diſtinguitur. 283.2.c
Homo Dei, de Timotheo. 305.2.c
Homo,& filius hominis differunt. 334.1.a
Homo qualis ſit in audiendo, in loquendo qualis. 364.2
in ira qualis. ibid.
Hominis interni renouatio in quo conſiſtat. 169.1.c
Hominis noui partes in affectu deſcriptæ. 271.1.b & ſeqq.
deſcriptæ in intellectu. 272.1.b & ſeqq.
Hominis iudicium. 349.1.c
Hominis iuſtificatio per opera. 366.2
Homini prauo non vnum cor,ſed plura. 7.2.c
Hominem iuſtificari per fidem ſine operibus. 367.1
Homines lege Moyſi cognouerunt non ſolùm homicidia, & ſimilia, eſſe peccata; ſed etiam interiores actus, vt in libris Philoſophorum patet: ſed non cognouerunt peccatum ſecundùm primam rationem culpæ, quæ eſt offenſa Dei; nec ſecundùm primum pœnæ reatum, quo meretur damnationem æternam. quod per legem communiter eſt cognitum. 35.1.b
Homines in reſurrectione morte intercedente viuificabuntur, & acquirent corpora non qualia modò habent, ſed quæ vendicant ſibi propria, ſicut vnicuique Deus dedit ſibi corpus proprium, h. e quod ſibi proprium ex propria natura vendicat. 145.1.c
Homines omnes an ſint morituri. 148.1.a
Homines quamuis ſciant quid orent, non tamen ſciunt quo res petenda expedit, ſeu ipſis neceſſaria eſt, &c.
Homines quomodo efficiantur membra Chriſti, declaratum. 226.2.c & ſeq.
Homines omnes inimici Chriſti. 143.2.a
Homines mali menti propriæ inimici. 262.2.c
Homines Dæmoniorum nomine intellecti. 299.2.a
Homines iurare per maiores ſoliti. 341.2.c
Homines cœleſtes per cœleſtia intellecti. 349.1
Homines per Baptiſmum ſaluari, in ſimilitudinem eorum qui ſaluabantur in arca Noë. 377.2
Hominum quatuor nomina, ſiue epitheta. 25.2.b
Hominum viuorum corpora qui in ſecundo Chriſti aduentu reperientur non mortua, ſed mortalia, viuificabuntur. 44.1.c
Hominum corpora qualia ſint futura in reſurrectione mortuorum. 144.2.c & ſeq. 145.1.a

Honor.

Honor patri & matri debitus. 242.1.b
Honor in Scriptura non ſolùm ad officia, ſed etiam ad ſubſidia refertur. 301.1.b
Honor duplex in Scriptura, officij, & ſubuentionis. 303.1.c
Honoris donum. 71.1.b
Honoris debitum. 73.2.b

Honorifico.

Honorifico, pro glorifico. 66.1.c

Hora.

Hora nouiſſima, de hora Antichriſti quoad officium ſeductionis. 393.1

Hoſpitalitas.

Hoſpitalitatis donum. 71.1.c

Hoſtia.

Hoſtia pro peccato, peccati nomine ſignificata. 172.1.c
Hoſtia Chriſti, de immolatione ſui ipſius in ara crucis. 349.1
Hoſtia, de ſacrificiis pacificis. 350.1
Hoſtia Abel & Cain differunt. 353.2
Hoſtia laudis quæ. 361.2
Hoſtia laudis,& hoſtiæ legales differunt. ibid.
Hoſtia ſpiritalis per ſacrificium inuiſibile intellecta. 428.2.c
Hoſtia noui Teſtamenti omnibus melior. 429.1.a
Hoſtiæ Deo exhibendæ cōditiones quatuor. 69.1.c
Hoſtiæ ſpirituales an meliores. 428.2.b
Hoſtiarum vſus. 218.1.c

Humanitas.

Humanitas diuina, & cæteræ creaturæ differunt. 416.2.c
Humanum,quod contemperatum homini. 117.1.c

Humilis, Humilitas.

Humilium conſolatio à Deo. 178.1.c
Humilitas Pauli ab æmulis opprobrio data. 191.2.c
Humilitatis virtus. 252.2.b 249.2.a
Humilitatis exemplum in Domino. 431.2.c

I

Iacobus Alphei quomodo frater Domini. 203.1.c
Iannes & Mambres,Magi Pharaonis. 315.1.c

Identitas.

Identitas fidei & morum ſeruanda. 255.1.c

Idioma.

Idiomatum ceſſabit diuerſitas. 133.2.a

Idiota.

Idiota, pro illiterato. 137.1.b
Idiota & illiteratum,& plebeium ſignificat. 191.1.c

Idoleum.

Idoleum, locus, ſeu menſa, in qua comedebantur idolothyta. 111.2.b

Idololatra, Idololatria.

Idololatræ infidelium nomine ſignificati. 176.1.c
Idololatræ immundi nomine intellecti. 177.1.c
Idololatria duplex à Philoſophis orta dicitur. 8.1.c
Idololatria,de omnibus peccatis in Deum. 101.1.b
Idololatria ſummum inter mala opera locum tenet. 116.2.c

Idolothytum.

Idolothytum quid. 111.1.b
Idolothyta edentes quomodo incurrant crimen idololatriæ. 119.2.b
Idolothytorum eſus extra idoleum licitus. 120.1.b & ibid.2.c
Idolothytorum & aliorum ciborum eſus nihil differunt. ibid.

Idolum.

Idolum. 110.2.b
Idoli conſcientia, quid. 111.1.b
Idolorum cultus. 127.1.a

Ieiunium.

Ieiunia quandoque voluntaria,quandoque propter penuriam. 174.1.c

Ieruſalem.

Ieruſalem duplici ſeruitute ſeruit. 213.2.b
Ieruſalem,pro cœleſti patria. ibid.

Ieſus.

Ieſus placator Dei in ſanguine ipſius Ieſu. 19.1.a
Ieſus Chriſtus *Dominus* cur. 164.1.a
Ieſus,Dominus pacis. 290.2.b
Ieſus Moyſi comparatus. 335.2.b
Ieſus Naue,de Ioſue. 337.2.c
Ieſus & Sacerdos differunt. 350.2
Ieſus Chriſtus Aduocatus noſter apud Patrē. 392.2
propitiatio pro peccatis totius mundi. ibid.

Ignis.

Ignis appellatione,ſecundùm Apoſtolum,non corporeus

porcus ignis, nec tormentum aliquod, ſed rigoroſum, ac vndique exactùm diuini iudicij examen ſignificatur. 95.1.c & ibid.2.c
Ignis æmulatio de igne inferni. 351.1
Ignis inferni per æmulationem ignis intelligitur. ibid.

Ignobilis.

Ignobiles, pro inhonorati. 98.2.c

Ignominia.

Ignominia & dedecus, materia erubeſcentiæ. 313.1.a

Illicitum.

Illicitum quod prohibitum. 72.1.a

Illiteratus.

Illiteratus idiotæ nomine ſignatus. 137.1.b

Imago.

Imago conformitatis ad filium Dei in quibus conditionibus conſiſtat. 51.2.b
Imago Dei ad quam creatus eſt nouus homo quatenus nouus, quæ. 271.1.b
Imago quid. 349.2

Imbecillitas.

Imbecillitates, pro infirmitates. 78.2.c

Immenſitas.

Immenſitas dilectionis Pauli, & ſociorum. 279.1.b

Immolatio.

Immolatio Chriſti in ara crucis hoſtiæ nomine ſignificata. 349.1

Immortalitas.

Immortalitatis noſtræ futuræ cauſa quæ. 44.1.a
Immunditia, vide *Impudicitia*.

Immundum.

Immundum, de idololatris. 177.1.c
Immundum, communis nomine intellectum. 352.1

Imparcimonia.

Imparcimonia, pro imparcentia. 369.2.b

Imperium.

Imperium Romanum totaliter extinctum ante aduentum Antichriſti. 287.1.b
Imperiũ mortis quomodo habeat Diabolus. 335.1.b

Impietas.

Impietas, iniuſtitiæ ſpecies. 5.2.b
Impietas pietati contraria. ibid.

Impleo.

Implere peccata ſua, quid. 277.2.c

Impoſitio.

Impoſitio manuum. 340.1.b
Impoſitio manuum Preſbyterij. 300.1.c

Improperium.

Improperium Chriſti, de improperio populi Iſraëlitici. 355.1

Impudicitia.

Impudicitia, fornicatio, & immunditia diſtinguuntur. 198.1.b
Impudicitiæ, laſciuiæ tactuum. 74.2.c
In aera loqui, adag. 136.1.b

Inanitas.

Inanitates vocum aliæ prophanæ, h.e. ſacris aduerſæ: indifferentes aliæ, vt nugæ. 307.1.b

Inauris.

Inaures aureæ vſque hodie ſuſpenduntur auribus, cur. 129.2.c

Incarnatio.

Incarnationis myſterium ſignificatum. 62.1.b 262.1.b
Incarnationis myſterium quintupliciter declaratum. 416.2.b
Vide *Myſterium*.

Inceſtus.

Inceſtus. 99.2.b
Inceſtus pœna. 100.1.b

Inconuenientia.

Inconuenientia ſecundùm rationem per abſurda ſignificata. 289.1.a

Incorruptibilitas.

Incorruptibilitas omnibus communis. 148.2.a

Induo.

Indui, & ſuperindui differunt, quòd indui eſt animam ſeparatam corpori glorioſo vniri: ſuperindui verò nunquam animam à corpore ſeparatam donare glorioſa immortalitate corporis. 167.2.c

Induro.

Indurare, quid. 57.1.a

Infans.

Infantum Baptiſmus. 28.1.b

Infernus.

Infernus etiam ad gloriam Sanctorum cedit. 50.2.b
Infernus per loca ſubterranea ſignificatus. 250.2.b

Infidelis.

Infidelis, de idololatris. 176.1.c

Infirmitas, Infirmus.

Infirmitas carnis, de perpeſſione malorum. 212.1.c
Infirmitatem noſtram iuuari à Spiritu. 49.1.b
Infirmitates impotentium quæ. 78.2.c
Infirmitatum genera. 196.2.b
Infirmus fide quis. 75.1.b,c
Infirmi à Preſbyteris oleo vngendi. 370.2
Infirmitates, pro impotentes. 78.2.c

Ingreſſus.

Ingreſſus Ieſu in mundum per natiuitatem & aduentum ſignificati. 413.2.b

Inhoneſtum.

Inhoneſta religioni Chriſtianæ contraria. 257.1.b

Inhonoro.

Inhonoro, pro dehoneſto. 13.1.c

Inimicitia.

Inimicitiæ quas Chriſtus interfecit per mortem ſuam in cruce, quæ. 228.2.b

Iniquitas, Iniquus.

Iniquitas, pro iniuſtitia. 8.2.c 15.2.a
Iniquitates remiſſæ quoad offenſum. 21.1.a
Iniquus, pro iniuſtus. 15.2.b
Iniqui regnum Dei non poſſeſſuri, cur. 102.2.c

Iniuria.

Iniuriarum mutua condonatio commendata. 238.1.b

Inobediens.

Inobedientium duplex pœna. 290.1.b

Inquinamentum.

Inquinamentum carnis, de immunditia quacunque animi proueniente ex carne tam propria, quàm propinquorum. 277.2.b
Inquinamentum ſpiritûs, de immunditia quacunque proueniente ex ſpiritualibus. ibid.

Inſipientia.

Inſipientia ſapientiæ contraria. 7.1.c

Inſtructio.

Inſtructio ſeruorum. 323.1.c

Inſtrumentum.

Inſtrumentum Chriſti glorioſi, de Euangelio. 163.2.b

Integritas.
Integritas Eccleſiæ deſcripta. 125.1.b
Intellectus.
Intellectus humanus naturali lumine de Deo cognoſcit, quòd eſt vnus Princeps omnium, actus purus, æternus, &c. 5.2.c
Intellectûs certitudo, quando non dubitat de rebus fidei. 265.1.b
Interpello.
Interpellare, pro colloqui, ſeu poſtulari. 64.2.a
Interpretatio.
Interpretatio linguarum. 128.1.c
Interpretatio an ſit de dono linguarum. 138.1.b
Interpretationis fructus quis. 136.1.a
Interrogo.
Interrogo, pro diiudico. 112.1.c
Inuiſibile.
Inuiſibilia, id eſt, inuiſibiles Dei conditiones. 6.1.a
Inuiſibilia Dei quomodo conſpiciantur per creaturas. ibid.c
Inuiſibilia Dei conſpiciuntur per ea quæ facta ſunt intellecta. ibid.1.a
Inuiſibilia Dei tria explicantur à D.Paulo. ibid.b
Inuiſibilia & non apparentia differunt. 355.1
Inuitus.
Inuitus abſolutè nullus agit. 114.1.c
Inuocatio.
Inuocatio ſpecies confeſſionis. 62.1.b
Inuocatio præſupponit fidem. ibid.c
Ioannes Apoſt.
Ioannes quod de Chriſto vidit, & audiuit, aliis annuntiat. 388.1
quorſum annuntiet. 389.1
Ira.
Ira Dei de cœlo, vindicta æternæ damnationis. 5.2.a
Iræ malum. 365.1
Iræ terminus ante Solis occaſum. 237.2.a
Iraſci moderatè, virtutis actus. ibid.1.c
Iſrael, Iſraelita.
Iſraël Dei, pro vniuerſo Chriſtiano populo, ad differentiam Iſraëlis non Dei, ſed carnalis populi, ſcil. Iudaici in legalibus pertinacis. 219.2.c
Iſraëlitæ ex quo tempore appellati Iudæi. 12.2.b
Iſraëlitæ non venerunt in legem iuſtitiæ fidei prius quam Gentiles. 59.2.b
Iſraëlitæ ante aduentum Chriſti ad modum puerorum ſub lege cuſtoditi. 210.1.c
Iſraëlitæ Pauli tempore Iudæi nominabantur, ſicut & hodie.
Vide *Iudæi.*
Iudæus.
Iudæus in quo præferatur Gentili. 12.2.c
Iudæus quinque actiones ſibi arrogat. 13.1.a
Iudæus profitebatur ſe ducem Gentilium. ibid.
Iudæus ex lege confidit illuminare Gentiles. ibid.
Iudæus confidit eruditorem ſe eſſe errantium in notitia Dei. ibid.
Iudæus confidit ſe noſſe voluntatem Dei. ibid.b
Iudæus confidit habere ſe rationem formandi alios ſecundùm notitiam legis, & ſecundùm verum ſenſum legis. ibid.
Iudæus in abſcondito quis. 14.1.a,b
Iudæi credentium primi. 4.2.b
Iudæi à tribu Iuda dicti. 12.2.b
Iudæi, & Græci (h.e. Gentilis) non eſt diſtinctio quo ad fructum fidei. 62.2.a
Iudæi omnes prope finem mundi ad Chriſtum reducendi. 66.2.b
Iudæi occiſores Ieſu, cur. 277.2.b
Iudæorum prærogatiuæ. 12.2.b 14.2.c
Iudæorum principia duo. 13.2.a
Iudæorum priuilegia. 54.2.c
adoptio. ibid.
gloria. 55.1.a
teſtamentum. ibid.
legis latio. ibid.
obſequium. ibid.
promiſſa. ibid.b
merita. 59.1.c
Iudæorum ſtatus ſpiritualis, & obcæcatio. 161.2.c
Iudæorum duo extrema, & vnum medium diſtinguendum. 65.2.a
Iudæorum delicto ſalus fit gentibus. 65.2.b
Iudæorum obſtinatione duas maximas vtilitates percipi. 65.2.c
Iudæorum vtilitas. ibid.
Iudæorum delictum, mundi diuitiæ. 66.1.a
Iudæorum diminutio, mundi diuitiæ. ibid.b
Iudæorum diminutio, gentium diuitiæ. ibid.
Iudæorum conuerſionis futuræ termini tres. 68.1.b
Iudæis innumeris ſpes erat in Chriſto venturo. 212.2.c
Iudæos iuſtificaturos ex malefactis. 12.2.a
Iudæos aſſumptos in veritate, ſeu fide; Gentes autem in miſericordia. 79.2.c
Iudaicum cognomen à tribu Iuda ad omnes tribus Iſraël deriuatum. 12.1.b
Iudex.
Iudex alios iudicans ſeipſum condemnat in eodem genere facti. 9.1.c
Iudex ab aliis quid differat. ibid.2.a
Iudicem facientem ſimilia iis quæ iudicat inexcuſabilem, quid. ibid.
Iudices terræ primum locum tenent poſt ſapientes mundi. ibid.1.c
Iudices ex malefactis iuſtificaturos. 12.2.a
Iudicium.
Iudicium diuinum, & humanum differunt. 9.2.b,c
Iudicium Dei iuſtum quod. 10.1.c
Iudicium extremum indicatum. 169.1.c 317.2.a
Iudicium, de afflictionibus, tormentis, occiſionibus. 279.1
Iudicium hominis. 349.1.c
Iudicium magni diei, id eſt, vniuerſalis iudicij. 400.1
Iudicij dies inſperatus adfuturus. 281.1.b
non tamen incautos oppreſſurus. ibid.2.a
Iudicia hominum minimi penduntur à Paulo. 97.1.b
Iudicia præſentis vitæ non ſunt ad puniendum (hoc enim futuræ vitæ iudiciis reſeruatum) ſed ad promouendum ſpirituale bonum, vel in eo qui punitur, vel in Eccleſia. 199.2.b
Iudicans alium omnis inexcuſabilis. 9.1.a
Iuramentum.
Iuramentum per maiores. 341.1.c
Iuramentum fugiendum. 370.1
Iuramenti duplex vinculum à Paulo redditur. 155.2.b
Iurandi modus apud antiquos quis.
Iuſtificatio, Iuſtificatus.
Iuſtificari in ſermonibus quid. 15.1.b
Iuſtificatio Chriſti in cruce ſuapte natura fuit in omnes homines. 27.1.c
Iuſtificatio legis quid. 41.1.c

Iuſtificatio hominis non ex operibus legis, ſed per fidem in Chriſtum. 205.2.b & 206.2.b
in Iuſtificatione peccatoris concurrunt gratia Dei, & iuſtitia Dei. 18.2.a
Iuſtificati in Chriſto, ambulantes ſecundùm ſpiritum, & ſectantes legem Dei, ambulantes ſecundùm legem, differunt. 49.1.a
Iuſtificatorum ſalus in quatuor bonis quæ habent ex fide per Ieſum Chriſtum. 23.2.c
Iuſtificatorum triplex gloriatio. 25.2.b

Iuſtitia.

Iuſtitia Dei quæ. 5.1.a
alias iuſtitia fidei dicitur. ibid.
Iuſtitia vindicatiua, de ira Dei. ibid.2.a
Iuſtitia operis, & iuſtitia Dei differunt. 17.2.b & 19.1.b
Iuſtitia fidei in quibuſdam Gentilibus, ſed occulta. 18.1.a
Iuſtitia Dei teſtificata à lege Moyſi, & Prophetis. ibid.
Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti. ibid.b
Iuſtitia Dei eſt redemptio facta per Chriſtum, non iuſtitia noſtra. ibid.2.b
Iuſtitia humana excluditur. 19.2.a
Iuſtitia ex operibus, & iuſtitia ex fide differunt. 20.2.b
Iuſtitia non confertur ex debito. ibid.c
Iuſtitia Chriſti omnibus hominibus communis. 28.1.b
& per hoc infantibus. ibid.
Iuſtitia ex fide quid 59.2 b
Iuſtitia Dei, & iuſtitia legis, quæ Iudæorum propria. 60.2.c
Iuſtitia Dei quæ. ibid.
Iuſtitia legis quæ. 61.1.a
Iuſtitia legis, & iuſtitia Dei differunt. ibid.c
Iuſtitia Dei in Deo, in reprobis, & in Chriſto quæ. 171.2.a
Iuſtitia noui Teſtamenti quæ ibid.b
Iuſtitia legis, & iuſtitia fidei differunt. 208.1.c
Iuſtitia veritatis comes. 244.1.a
Iuſtitia legis. 253.2.c
fidei. ibid.
Iuſtitiæ arma quæ. 174.2.b
Iuſtitiæ lorica. 244.1.a
Iuſtitiæ fructus, de vniuerſo fructu iuſtitiæ, ex fide Ieſu Chriſti. 246.2.a
Iuſtitiam effici, id eſt, tranſmutari in communicatam nobis iuſtitiam Dei in Chriſto. 172.2.b
Iuſtitiæ legis, iuſtitiæ operum. 11.2.b

Iuſtus.

Iuſtus dicitur non à iuſtitia, quæ eſt virtus ad alterum, ſed à iuſtitia, vt eſt recta diſpoſitio totius animi, ſecundùm quam frequenti vſu in ſacris literis iuſtus ab iniuſto diſtinguitur, h.e. bonus ſecundùm Deum, ad differentiam in peccato mortali exiſtentis. 5.1.a
Iuſtus ex fide, non ex operibus legis, eſt qui viuet. 352.2
Iuſto non eſt lex ſcripta poſita. 292.2.b

Iuuencula.

Iuuenculæ quomodo gubernandæ. 301.1.b

L

Labium.

LAbium omnium vnum multo magis futurum, quàm fuerit olim ante linguarum confuſionem. 133.2.a

Labor.

Labor, pro zelo. 273.2.c
Labore itinerum, vel etiam manuum quandoque, ne quemquam grauemus. 174.1.c

Lac.

Lactis duæ conditiones explicantur. 373.2

Lachryma.

Lachrymæ Chriſti in cruce. 339.1.a

Lapis.

Lapis viuus, de Chriſto Domino. 374.1

Latitudo.

Latitudo, longitudo, ſublimitas, profunditas in Deo quæ. 231.1.a

Latria.

Latria. 3.2.a

Laus.

Laudare ſeipſum regulariter eſt inſipientiæ, in aliquibus autem euentibus neceſſarium eſt, vt homo ſeipſum laudet, & tunc homo ſecundùm rei veritatem ſapientis officium exercet. 190.2.a
Laus Mariæ. 82.2.b
Laus propria non reddit hominem verè laudatum in rei veritate, ſed laus hominis proficiſcens à Deo. 190.1.c
non Laudes aliorum curandæ. 218.2.a

Legalia.

Legalia cur Galatis ingeſta à Pſeudo-Apoſtolis. 219.1.c
Legalia omnia abiecit Paulus propter Chriſtum. 253.1.a
Legalium vnitas à Paulo demonſtrata. 219.1.c

Legatio.

Legatio Apoſtolatus nomine ſignificata. 201.1.c
Legationis N. T. conditiones. 172.1.a

Leo.

Leo, de Nerone. 318.2.b

Lex.

Lex Moyſi tantùm Iſraëlitis data. 11.2.b
Lex, de vniuerſa Scriptura Teſtamenti veteris. 17.2.a
Lex fidei à lege operum, etiam moralium, diſtinguitur, quomodo. 19.2.b
Lex ſancta. 36.2.a
Lex Moyſi lex ſpiritualis quî. 37.1.a
Lex ſpiritûs quid. 40.2.a
Lex carnis è regione legis mentis, & lex peccati è regione legis Dei locantur; & ſicut lex mentis ſubdit hominem legi Dei: ita lex carnis ſubdit hominem legi peccati. 39.1.b
Lex carnis quid. ibid.
Lex peccati quid. ibid.
Lex dominatur in homine quamdiu homo viuit ſecundùm illum ſtatum quem dirigit lex. 34.1.a
Lex, pro toto veteri Teſtamento. 137.2.b
Lex, & peccare poſſe, eodem tempore concurrunt. 149.1.b
Lex & promiſſio dupliciter differunt. 208.2.c
Lex propter tranſgreſſionem. 209.2.b
Lex & teſtamentum authoratum à Deo in Chriſtum differunt. ibid.c
Lex ad viuificandum impotens. 210.1.a
Lex pædagogus Iudæorum vſque ad Chriſtum. ibid.c
Lex Chriſti, lex ſpiritûs, alio nomine lex charitatis dicta. 218.1.b
Lex non iuſto poſita, ſed iniuſto. 292.2.b
Lex, de Euangelio. 293.1.a
Lex Moyſi lex carnalis cur. 343.2.c
Lex Moyſi non mala, ſed infirma, & inutilis, inde reprobata. 344.1.b

Lex

Lex Moyſi deſcribitur habens futurorum bonorum in cœleſti patria vmbram, non ipſam imaginem rerum. 349.2
Lex vetus & noua differunt. ibid.
Lex propter quid poſita. 423.1.b
Lex ſcripta qua differat à fide Abrahæ. ibid.
Lex Moyſi non perpetua, ſed temporalis. 423.2.b
Lex quando dicatur perpetua. ibid.
temporalis quando. ibid.
Legis iuſtitiæ, iuſtitiæ operum. 11.2.b
Legis contenta quæ. ibid.c
per Legis præuaricationem Deus dehoneſtatur à Gentilibus. 13.1.c
Legis medium, quo ſcil. lex trahit homines, eſt pœna, vt experientia teſtatur. 22.1.b
Legis appellatione lex Moyſi intelligitur, lex autem Moyſi non ſecundùm partem, puta præcepta cæremonialia, aut iudicialia, ſed integra, concludendo etiam realia comprehendi. 31.2.b,c
Legis Moſaicæ ſtatus, eſt ſtatus vetuſtatis. 35.1.a
Legis proprium quod. ibid.c
Legis vis. ibid.
Legis iuſtificatio quid. 41.2.c
Legis latio Iudæorum. 55.1.a
Legis iuſtitia quæ. 61.1.a
Legis iuſtitia, & Dei iuſtitia differunt. ibid.c
Legis iuſtitia, & iuſtitia fidei differunt. 208.1.c
Legis conditiones variæ. 209.2.b
Legis & fidei radicalis diuerſitas. 210.1.b
Legis ſtatus pueritiæ ſimilatus. 211.1.a
Legis tranſgreſſor qui vnicum legis præceptum tranſgreditur. 366.1
Legis quadruplex conditio. 423.1.b
Legis finis & effectus differunt. ibid.c
Legi eſſe ſubiectum vt ad eſſe ſub gratia opponitur, eſt nomen ſtatus legalis, qui ex tribus conditionibus integratur. 32.1.a
Legi ſubiici & debitum ſeruandi aliqua quæ in lege continentur, valde inter ſe diſtant. ibid.
per Legem peccati cognitio, non verò remiſſio. 17.2.c

Liber.

Liber iuſtitiæ, pro exemptus à iuſtitia. 33.1.c
Liber vitæ, de diuino intellectu continente nomina omnium prædeſtinatorum ad vitam æternam. 256.2.b
Libri Teſtamenti veteris, quos Canonicos appellamus, apud Hebræos Scripturæ ſanctæ appellantur. 1.2.c

Liberalitas.

Liberalitas Abel. 353.2

Libertas.

Libertas Euangelica, libertas ſpiritûs. 216.1.a

Libido.

Libido & conſcientia mala, de internis delictis. 270.2.b

Lingua.

Lingua Græca tempore Apoſtolorum quaſi omnibus communis. 4.1.a
Lingua freno & temoni aſſimilata. 267.2
aſſimilata igni. ibid.
mundo iniuſtitiæ ſimilata. ibid.
Linguæ mala recenſentur, quam difficillimum eſt rectè gubernare. 367.1.& ſeqq.
Linguæ & prophetia differunt. 237.2.b
Linguarum genera. 128.1.c 130.2.b
Linguarum donum non habet ex ſui ratione, vt ipſe loquens intelligat verba ſua. 135.1.c
Linguarum donum & interpretatio non poſtponitur prophetiæ. ibid.2.c
Linguarum dono vtendi modus. 138.2.a

Lis.

Litium cauſæ quæ. 102.2.b

Litera.

Litera, de lege ſcripta. 35.1.a
Litera quomodo occidat. 160.1.b

Liuor.

Liuor, de vniuerſis plagis in Chriſti corpore. 375.2

Longanimitas.

Longanimitas Chriſti ad peccatorum informationem. 293.2.c

Loquutio.

Loqui linguâ quid. 136.2.b
Loqui internum, de intellectu. 240.2.b
Loquutio intellectûs interpres. 127.1.b
Loquutio, conuerſatio & dilectio qualis ſit. 300.2.b

Lorica.

Lorica fidei & charitatis. 282.2.b
Vide *Iuſtitia.*

Lux.

Lux, pro ſpiritu. 239.1.b
in Luce & in tenebris quis. 321.2

Luxuria.

Luxuria hîc de luxu. 240.2.a
Luxuriari in Chriſto, quid. 302.2.a

M

Macedones.

MAcedonum duplex virtus. 180.2.a

Mahometus.

Mahometus non fuit Antichtiſtus. 286.2.b

Malignitas.

Malignitas, pro malo more. 8.2.c

Malitia.

Malitia & nequitia differunt. 100.2.c
Malitia paruuli, de iis qui maligno carent animo. 137.2.a

Malum.

Malum pœnæ, de morte tam animæ, quàm corpore. 36.2.a
Malum pro malo reddere propriè quid. 71.2.b
Malum pro malo reddere, & vindicta differunt. 72.1.a
Malum velle, actus odij. ibid.
Malum] hoſtis viliſſimus, ſimul ac debiliſſimus. ibid.2.b
Malum, maſculinum, de omni malo homine. 101.2.b
Mali peioris vitatio eſt quoddam bonum quoad iuſtum, & iniuſtum, honeſtum, vel inhoneſtum, vt etiam Philoſophi ſenſerunt. 16.1.c
Malorum nouem genera, in quibus multa patientia opus eſt. 174.1.b

Mandatum.

Mandatum ſanctum. 36.2.a
& iuſtum. ibid.
& bonum. ibid.
Mandatum vetus & nouum quod. 321.1
Mandato communia ſubiuncta. 283.1.c

Manduco.

Manducantis & bibentis indignè pœna quę. 126.1.c

Maneo.

Manere in peccato, & multiplicare peccatum, vnum eſt. 28.2.c

Manichæus.
Manichæorum præcepta circa nuptias, & cibos. 299.2.b
Manifeſtatio.
Manifeſtatio ſpiritus. 128.1.b
Manna.
Manna quomodo ſpiritualis eſca. 116.1.c
Manſuetudo.
Manſuetudo commendatur, & Chriſtianos maximè commendat. 314.2.b
Manſuetudinis virtus. 232.2.b
Manus.
Manus, pro tutela capitis. 130.1.b
pro operibus. 157.2
Manus citò nemini imponenda. 303.2.c
Maran atha.
Maran atha duæ dictiones, cuius ſint nominis, & quid ſignificent. 150.2.c
Maria.
Maria ex ſemine Dauid deſcendit, alioquin verum non eſſet quòd Chriſtus ſecundùm carnem ex Dauid ſemine factus eſſet. 2.1.a
Mariæ laus. 81.2.b
Maritus.
Mariti quales ſint. 376.2
Martyr, Martyrium.
Martyres omnes paſſi pro regno Dei. 285.1.b
Martyres per Principes Chriſtianæ Relionis ſignificati. 438.1.a
Martyria, de afflictionibus & tormentis euangelizantium. 165.1.a
Materia.
Materia beneplaciti quæ. 221.1.b
Matrimonium.
Matrimonium contrahere omnes debebant in lege veteri. 108.2.b
Matrimonij vſus & indiſſolubile vinculum. ibid.c
Mechiſedech.
Mechiſedech quis. 342.1.c
eius nominis ratio. ibid.
quomodo ſine patre & matre. ibid.2.a
Mediator.
Mediatoris officium quod. 423.1.a
Melius, pro ſatius. 105.2.c
Membrum.
Membra omnia vnius naturalis corporis duas conditiones habent. 129.1.b
Membra infirmiora quæ. ibid.2.c
inhoneſta quæ. ibid.
honeſta quæ. ibid.
Membra Chriſti, de fidelibus. 115.1.b
Membra diuerſa corporis Chriſti. 233.2.c
Membra noſtra vt mortificanda. 270.2.a
Membra iſta quæ. ibid.
Membra, de cadaueribus. 336.2.c
Membra Chriſti cur tanta dignitate donata, & tamen ignota maneant. 393.col.4
Membrorum cónexio ſecundùm paſſiones. 130.1.b
Membrorum diſtinctorum in Eccleſiaſtico corpore triplex fructus deſcribitur. 234.1.b
Membrorum officium quod. 235.1.a
Mendacium.
Mendacium noſtrum materia diuinæ gloriæ. 16.1.c
Mens.
Mens reproba quæ. 8.2.b
Mens ſuprema pars animæ, quæ in progreſſu cognoſcitiuæ partis infimum locum tenet, vtpote terminus cognitionis tam practicæ, quàm ſpeculatiuæ. 86.1.b
Mens & ſpiritus differunt. 136.2.b
Menſa.
Menſa, pro ſacra Scriptura, quæ eſt menſa credulitatis Iudæorum. 65.1.b
Meritum.
Meriti terminus, vide *Terminus.*
Merita Iudæorum ſimilia meritis Sodomæ & Gomorrhæ. 59.1.c
Meſſias.
Meſſias prædicitur venturus ex Sion. 67.2.b
Meſſias à regia dignitate deſcribitur. 332.1.c
Meſſiæ vterque aduentus. ibid.b
τὸ Meſſiæ etymon. ibid. 2.b
Meto.
Metendi tempus, in altera vita. 219.1.b
Metus.
Metus internus, tremor externus eſt. 250.2.c
Miles.
Miles Chriſti armatæ militiæ aſſimilatus. 311.1.b
Miniſter.
Miniſter in Domino commune nomen Apoſtolis. 144.2.c
Miniſtri & operarij, de Apoſtolis & Prædicatoribus. 94.1.a
Miniſtri Euangelici inter Deum & Chriſtianos medij. 152.2.b
Miniſtri Euangelici boni & mali quid differant. 157.1.b
Miniſtri noui Teſtamenti Ieſum Chriſtum prædicant. 163.1.b & ſeqq.
Miniſtri Euangelici ſerui Chriſtianorum. 164.1.a
Miniſtri Euangelij alios illuminant dupliciter. ibid.b.
Miniſtri noui Teſtamenti quomodo inſcribant Chriſti Epiſtolam, illuminent alios, miniſtrent ipſum Teſtamentum nouum. 165.1.c
Miniſtri noui Teſtamenti quomodo ſuſceperint Chriſtum ſecundùm carnem, id eſt, ſecundùm carnis officia viuentem. 170.2.c
Miniſtri N. T. & legati Dei, & ſubrogati Chriſto. 171.2.c
Miniſtri N.T. quatenus funguntur purè officio legati, & quatenus cooperatores, diſtincti. ibid.
Miniſtri N. T. non ſunt inſtituti purè legati, ſed legati cooperantes Deo, & Chriſto. 173.1.a
Miniſtri Euangelici quomodo commendare ſeipſos debeant. 174.1.a
Miniſtri N. T. in quibus ſe exhibeant commendabiles. ibid.2.c
Miniſtrorum operum duo genera. 214.1.a
Miniſtrorum Euangelij confirmatio. 155.1.c
vnctio. ibid 2.a
ſigillum. ibid.
arrha. ibid.b
Miniſtrorum Euangelij Arrha. 155.2.b
Miniſtrorum noui Teſtamenti excellentia relatiuè ad eam Miniſtrorum Teſtamenti veteris oſtenditur. 158.1.b
Miniſtrorum Euangelij transformatio. 192.2.c
Miniſterium.
Miniſterium, pro myſterio. 96.2.c
Miniſterium iuſtitiæ commiſſum Miniſtris N. T. declaratum. 171.2.c
Miniſterium Ieſu Pontificis, eiúſque excellentia. 345.2.b

Myſterium

Miniſteriorum genus. 127.2.c

Miniſtratio.

Miniſtratio Pauli, aliorúmque Miniſtrorum noui Teſtamenti quæ. 171.1.b 172.2.b

Miniſtrationis modus,& ratio. ibid.c & ſeqq.

Miniſtrationem veteris Teſtamenti quinque ſpectantia. 160.2.b

Miſeratio.

Miſerationis donum. 70.2.c

Miſericordia, Miſericors.

Miſericordia & benignitas commendatæ. 238.1.b

Miſericordia Prælatis maximè neceſſaria. 291.2.b

Miſericordes inter beatos computati. 435.1.a

Miſericordium præmium. ibid.b

Miſſio.

Miſſio ad prædicandum requiſita. 62.2.c

Mitis, Mititas.

Mites qui. 432.1.c

Mitium præmium. ibid.1.b

Mititatis perfectio. ibid.1.c

Modeſtia.

Modeſtia, verecundia, ornatus mulierum. 296.1.a

Modus.

Modus reſurrectionis noſtræ docetur. 281.1.b

Modus eundi in vitam æternam per fidem in Chriſtum. 294.2.a

Modus perſeuerandi in confidentia, eſt patientia. 352.1

Monitio.

Monitio & doctrina omnibus neceſſaria. 264.2.b

Monitiones ante excommunicationem. 325.2.c

Monita Pauli explicantur. 249.1.c

Mons.

Mons Sina, de Agor. 213.2.a

Mons tractabilis,de monte Sina. 358.1

Mors.

Mori cum Chriſto quid. 30.2.a

Mors ſeminandi verbo ſignatur. 145.2.c

Mors & ſepultura noſtra, & mors & ſepultura Chriſti differunt. 29.1.c

Mors animæ finis peccatis proportionatiſſimus. 33.2.a

Mors Chriſti. 140.1.c

Mors per hominem. 142.2.a

Mors, nouiſſimus inimicus. 143.2.b

Mors in nobis operatur, vita in vobis quid. 165.1 b

Mors, luctum. 247.2.c

Mors an ſit eligibilis. 248.1.b

non eſt eligibilis ſecundùm ſe, ſed ratione adiuncti,eſſe cum Chriſto. confutato errore eorum qui Sanctos vſque ad diem iudicij negant eſſe beatos. ibid.

Mors per Chriſtum deſtructa. 310.1.a

Mors Chriſti fructuoſa. 335.1.b

Mortis regnum ab Adam vſque ad Moyſem, poſtea verò habita eſt pœna. 26.2.c

Mortis dominium in damnatis etiam poſt iudicium. 30.2.b

Mortis Chriſti cauſa quæ. ibid.c

Mortis deſtructio. 143.2.b

Mortis reſponſum quid. 153.2.b

Mortis imperium quomodo habeat Diabolus. 335.1.b

Morſus.

Morſu nocumenta minora, comeſtione nocumenta maiora ſignificata. 215.2.c

Mortale.

Mortale & corruptibile differunt. 148.2.b

Mortuus.

Mortuus peccato quis. 29.1.a

Mortui quomodo ſint reſurrecturi. 148. .b

quomodo reſurrecturi quoad locum. ibid.c

Mortui Chriſtiani dormientium nomine indicati. 281.1.a

Motus.

Motus primi non reddunt ſanctos viros damnabiles tum ob eorum imperfectionem, tum quia à copia ſanctarum actionum continuarum abſorbentur. 4..1.b

Moyſes.

Moyſes primus tempore, & authoritate. 63.2.b

Moyſes velatus loquitur ad populum, detectus ad Dominum. 162.1.a

Moyſi ſcripta, adiunctis Prophetis, ſunt ipſum vetus Teſtamentum. 160.1.b

Moyſi gloria minuit gloriam ex ſua excellentia. 161.1.a

Mulier.

Mulier viri gloria. 123.1.b

Mulier quid, & vnde. 211.1.c

Mulier quomodo orare debeat. 296.1.a

ornari quomodo. ibid.

Mulieres apud Corinthios non velato capite, quemadmodum & viri in publica oratione, ſeu lectione comparebant pro actionum veneratione. 121.2.c

Mulieres in Eccleſiis taceant. 139.1.c

ſecus in conuentu aliquo particulari. ibid.

ſint ſubditæ. ibid.

poſſunt autem (more Chriſtiano) loqui in templo, confitendo peccata ſua, & interrogando priuatè vt diſcant. ibid.2.a

Mulieris non eſt docere, ſed diſcere in ſilentio. 296.1.c

Mulieres Epiſcoporum & Diaconorum quales ſint. 298.1.c

Mulieres ad varias virtutes hortatæ. 376.1.& ſeq.

Mulieres Chriſti exemplo ferant aduerſa. 377.1

Mulierum ornatus qualis eſſe debeat. 376.1

Mulierculas oneratas peccatis captiuas ducere, quid. 315.1

Multiplicatio.

Multiplicatio per benedictionem deſcripta.185.1.b

Mundo.

Mundantis ſeipſum fructus quis. 313.2.b

Mundus, adiect.

Mundis omnia munda. 321.1.b

Mundus, ſubſtant

Mundus, pro vniuerſitate corporalium. 219.2.b

Mundus tenebrarum, conſtans ex peccatoribus. 241.2.b

Mundus antiquus, ab Adam vſque ad Noë. 384.1

Mundus, de vniuerſitate rerum deordinatarum, non à regula naturæ,ſed à regula rectæ rationis. 392.1

Mundi diuitiæ, delictum Iudæorum. 66.1.a

Mundi figura fallax. 109.1.b

Mundi triſtitia quæ. 179.1.b

Mundi elementa,de corporeis rebus ſacrificiorum, cæremoniarum, & huiuſmodi. 211.1.b

Mundi odium. 394.col.4

Mutatio.

Mutatio in prædicatione à Paulo aliena. 154.2.c

Mutatio omnis,mortis quædam ſpecies. 306.2.a

Myſterium.

Myſterium Trinitatis perſonatum & incarnati Verbi ſignificatum. 200.1.b

Myſterium abſconditum à ſæculis in Deo, de arcano efficiendorum tali & tali tempore in Eccleſiaſticis. 230.1.b

Myſterium quare abſconditum in Deo. ibid.c

Myſterium quod per Chriſtum innoteſcit ſupernis ſpiritibus quod. 231. .a

Myſterium coniugij. 241.2.c

Myſterium Incarnationis quintupliciter declaratum. 416.2.b

Myſteria reſurrectionis quatuor explicita. 281.2.c

N

Natio.

NAtio prima in Chriſto credens poſt Iudæos natio Græcorum fuit, in qua primùm cognominati ſunt Chriſtiani. 5.2.c

Nati ex Deo, veraque erga ipſum charitas. 397.1

Naturale.

Naturale eſt vnicuique inſurgere in ſuum contrarium approximarum. 35.2.b

Neceſſitas.

Neceſſitas eorum quibus indigemus. 174.1.b

Nequitia

Nequitia, pro vitio, ſeu vitioſitate. 8.2.c

Nequitia quid. 100.2.c

Nequitiæ carnalia quæ, quæ ſpiritualia. 243.2.b

Nero

Nero Leonis nomine ſignificatus. 319.2.b

Nobilis.

Nobiles, pro glorioſi. 98.2.c

Noceo.

Nocere homini formaliter ex ſe eſt peccatum mortale. 216.2.c

Noë.

Noë tertius ante diluuium inducitur iuſtus. 354.2

Nomen.

Nomen Chriſto datum, ſimpliciter & abſolutè eſt ſuper omne nomen. 319.2.a

Nomen eius *Ieſu*, quod impoſitum fuit cùm circuncideretur. ibid.b

Non tenere caput ad Religionem, pro non attendere ad caput, ſcil. Chriſtum. 268.2.c

Notitia

Notitia præſens,& futura Dei differunt. 134.2.b

Notitia Dei, eiuſque dilectio quomodo comprobetur. 391.1

Notum Dei, de eo quod naturali lumine humani intellectus de Deo cognoſcitur. 5.2.c

Nouus, Nouiſſimum.

Nouus homo induendus, vetus exuendus. 237.1.a

Nouiſſimum, de tempore Meſſiæ. 330.2.a

O

Obcæcatio.

OBcæcatio filiorum Iſraël. 161.2.c

Obedientia.

Obedientia fidei, primus fructus officij Apoſtolici. 2.2.c

Obedientia, ſeruitutis ſpecies. 31.1.c

Obedientia filiorum & ſeruorum quantum differat. 242.1.a

Obedientia Chriſti vſque ad mortem. 250.1.c

Obedientiæ fructus finis quis. 2.2.c

Obedire, actus interior voluntatis; exhibere autem membra, actus exterioris executionis. 31.2.a

Oblatio.

Oblatio de inanimatorum oblatione, vt thymiamatis, thuris,&c. 350.1

Obligatio.

Obligationis legalium annullatio in cruce Chriſti. 267.2.b

Obſecratio.

Obſecrantis & præcipientis officio Paulus fungitur. 289.2.c

Obſecrationis materia quæ. 173.2.b

Obſecro, pro adhortor. 69.1.b 81.2.c 85.2.c

Obſequium.

Obſequium Iudæorum. 55.1.a

Obſequium, pro latria. 59.1.c

Obſtinatio.

ex Obſtinatione Iudæorum duas maximas vtilitates percipi. 65.1.c

Obtenebratio.

Obtenebrationis pœna. 7.1.c

Oculus.

Oculus,& auris, de oculis & auribus communibus Angelis & hominibus. 91.2.b

Odium.

Odium mundi. 394 col.4

Odij donum. 71.1.a

Offendiculum.

Offendiculum à ſcandalo nihil differt niſi in dictione Græca, & Latina. 76.2.c

Offenſio.

Offenſio, pro offendiculum. 60.1.c

Offenſio & offendiculum in quo differant. 76.2.c

Officium,

Officium membrorum quod. 235.1.a

Officium Diaboli proprium, eſt tentare. 278.1.c

Officium Chriſti fideliū in quo conſiſtat. 298.2.c

Officium conſcientiæ bonæ. 300.1.b

Officium Epiſcopi. 316.2.b

Officium miniſtrandi nouum Teſtamentum gloria plenum. 363.1.b

Officium Miniſtrorū noui Teſtamenti quod 171.1.c

Officium legatorum N. T. quatenus legati, quod. 171.1.a

Officium mediatoris quod. 423.1.a

Officij Apoſtolici fructus primus quis. 2.2.c

Officij Apoſtolici,& fructus obedientiæ finis quis. ibid.

Officij donum. 70.2.c

Officia veræ viduæ deſcripta. 301.1.b

Officiorum diſtinctorum in Eccleſia triplex fructus. 234.1.b

Oliua.

Oliua, pro arbore. 67.1.a

Omnia licent quæ non ſunt ex ſuo genere præcepta, nec prohibita. 103.1.b

Omnis terra, pro omnis plaga terræ. 63.2.a

Omnipotentia.

Omnipotentia diuina extra, & ſupra vniuerſum eſt. 28.1.a

Oneſimus.

Oneſimus, id eſt, vtilis. 327.2.b

Onus.

Onus ſuum vnuſquiſque portaturus. 218.2.b

Operatio.

Operantes malè à tribus deſcripti. 10.2.a

Operatio virtutum. 128.1.c

Operatio erroris. 128.1.b

Operationum genus. 117.2 b

Opus.

Opus naturæ, opus intelligentiæ primæ, quæ Deus eſt. 129.2.b
Opus ſuum vnuſquiſque probet. 218.1.a
Opus Chriſti, pro, id quod Chriſti eſt. 252.2.a
Opera mala dum puniuntur, laudantur bona. 74.1.b
Opera luci conſona, arma lucis. ibid.2.b
Opera tenebrarum quæ. ibid.c 384.2
Opera gulæ. ibid.
Opera virtutum dupliciter librantur. 132.1.b
Opera omnia bona ſunt fruſtrà facta ab iis, qui decidunt à gratia, nec ad eam redeunt: ſecus ſi redeunt. 209.1.a
Opera carnis quæ. 216.2.a
Quo pacto verificetur quòd *qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt*, cùm aliqua horum non ſint peccata mortalia. ibid.b
Operâ noſtra quomodo concurrant ad ſalutem. 222.1.b
Opera ad ſalutem electorum neceſſaria. 311.2.c
Opera bona, de eleemoſynis. 326.1.a
Opera manûs nomine intellecta. 357.2
Opera bona fidei iungenda. 366.1
Opera Sacerdotis applicata ad actus virtutum. 415.2.c
Operibus miſericordiæ incumbendum. 366.1
non ex Operibus noſtris, ſed ex voluntate Dei eligentis & vocantis, vnus eligitur, & alter reprobatur. 56 1.b
ex Operibus legis præciſe conſtantes ſub maledicto ſunt. 208.1.b
eſſe ſub maledictione, & non eſſe iuſtificatum apud Deum æquipollent. ibid.c

Opinio.

Opinio falſa dicentium duas in Chriſto hypoſtaſes. 2.1 b
Opinio Hæreticorum confutatur, dicentium non eſſe niſi ſignum corporis & ſanguinis Chriſti, dum à Paulo dicitur, *reus erit corporis, & ſanguinis Domini*. 126.1.a

Oratio, Orator.

Orandi publicus modus, qui modò in templis Dei ſeruatur, Pauli Apoſtoli apud Corinthios tempore introductus non erat, ſed vnus pro omnibus publica voce orabat, cæteris tacentibus. 122.1.c
Orandi media. 244.2.a
Orandum omni tempore. ibid.
Orandum in ſpiritu. ibid.
Orandum, & petendum. ibid.b
Orandum pro omnibus mundis, id eſt, Chriſtianis. ibid.
Orare linguâ quid. 136.2.b
Orare ſpiritu bonum eſt, melius tamen eſt orare ſpiritu, & mente etiam in oratione purè interna. 137.1.a
Orare quomodo debeant vir, ac mulier. 295.2.c & ſeqq.
Orantis mens neque ſenſum verborum meditans quatenus mentis officium exercet penetrando ſignificata eorum, quæ dicit orando, eſt ſine fructu proprio, qui eſt paſci ſenſibus, ſeu orationis ſignificatis, licèt deuotione ad Deum accendatur, & ad ſpiritualem gratiam remiſſionis peccatorum. 136.2.c
Oratio primus & communiſſimus actus dilectionis erga omnes. 294.2.b
Oratio iuſti quam efficax. 370.2
Orationis donum. 71.1.c
Orationes aliorum peccantibus ex ignorantia vtiles ſunt. 67.1.c
Orationes publicas, quæ ad Eccleſiæ ædificationem audiente populo dicuntur, melius eſt dici lingua communi Clericis & populo, quàm dici latinè. 137.1.b
Orationes aliorum proſunt, quemadmodum officia vnius membri interni proſunt aliis membris. 247.2.a
Orationes Eccleſiæ nunquam aliquid temporale petunt in ordine ad ſpirituale. 256.2.c
Orationes pro Regibus & magiſtratibus fiendæ, cur. 294.2.c & ſeqq.
Oratores aliqui Chriſtianos à puritate fidei abducere nitebantur. 265.2.b

Organum.

Organi duplex genus. 416.2.c

Ordo.

Ordo atque lex diuinæ prouidentiæ hoc habet, vt ea quæ diſpoſuit Deus ſe facturum mediantibus cauſis ſecundis adimpleat, quatenus in nobis habitans gemitibus ineffabilibus pro Sanctis poſtulat. 50.2.a
Ordines angelorum quatuor. 224.2.c

Ornatus.

Ornatus mulierum verecundia, & modeſtia. 296.1.a
Ornatus mulierum qualis ſit. 376.1

Oſculum.

Oſculum pacis in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia. 150.2.c

P

Pactum.

Pactum diuinum cum Abraham Gen. 17. de circumciſione in Meſſiæ aduentu conſummatum perfecte eſt. 168.1.a

Panis.

Panis, pro ſpecie panis. 118.1.c
Panis, hoc eſt, ſpeciei panis, (non ſubſtantiæ panis) eſus quid. ibid.
Panis fractione primæuo illo tempore Eccleſiam vſam fuiſſe communicando populum, etiam actus Apoſtolorum teſtantur, ad imitationem Chriſti, qui acceptum panem benedixit, fregit, & dedit diſcipulis: poſtea autem Eccleſiæ vſæ ſunt hoſtiis ſigillatim, quas non oportet frangere. ibid.

Parentes.

Parentum debitum erga filios. 242.1.c

Pars.

Partes inferiores, de partibus inferni. 233.1.b
Partes inferni, per partes inferiores ſignificatæ. ibid.

Paruulus.

Paruuli malitiâ, vide *Malitia*.

Paſcha.

Paſcha Hebraicè tranſitus, Græcè paſſio. 100.2.b

Paſſio.

Paſſio quælibet corporis mortificationis ſpecies eſt. 53.1.c
Paſſio, pro animi perturbatione. 180.1.b
Paſſionis Chriſti efficacia & fructus. 100.2.c
Patiendo gaudere plus eſt, quàm vincere. 53.2.a

Pater, Paternitas.

Pater, Latina dictio, idem quod Abba, dictio Syra. 45.1.a
Pater, nomen primæ perſonæ Trinitatis. 220.1.c
Patres communes, de Hebræis. 116 1.b

Patres quomodo ſe habere debeant erga filios. 272. 2.a
Patres, de Hebræis Teſtamenti veteris. 330.1.c
Paternitas Abrahæ probatur. 22.1.a

Patientia.

Patientia, pro tolerantia. 10.1.a
Patientia boni operis obiectiuè quæ, & quæ cauſaliter. ibid.c
Patientia perſeuerandi modus in confidentia. 352.2
Patientiæ virtus & excellentia. 363.1

Paulinus.

Paulinus Nolanus hominis ſe ſeruum fecit pro filio viduæ redimendo. 108.2.a

D. Paulus.

Paulus Apoſtolus an binomius fuerit, vel Saulus à principio, & temporis proceſſu Paulus nominatus, &c. 1.1.b
Paulus nomen accepit à Sergio Paulo Proconſule. ibid.c
Paulus à parum, ſecundùm Grammaticos, diminutiuum eſt. ibid.& 317.1.b
Paulus Apoſtolus vocatur ad Apoſtolatum. ibid. & ſegregatur in Euangelium Dei. ibid.2.b
Paulus à quinque actionibus deſcribit ſeipſum. 3.1.b
Paulus cur dixerit aliquando Abraham patrem omnium noſtrûm, & Paulo pòſt aſſeruerit ipſum fore patrem multarum gentium generatione carnali. 22.2.c
Paulus quomodo optârit anathema eſſe à Chriſto. 54.2.c
Paulus gentium Apoſtolus. 66.1.c
Paulus quâ ratione afferat contra ſectas Corinthiorum, quòd ipſe non baptizauerit illos. 86. 2 c
Paulus cur neget ſe miſſum ad baptizandum, cùm Chriſtus Apoſtolos miſerit ad docendum, & ad baptizandum. 87.1.b
Paulus quomodo oſtendebat Spiritum ſanctum in prædicatione ſua. 90.2.c
Paulus ſe deſcribit penes gradum officij. 94.1.a
Paulus cur ſolicitus fuerit vt vnuſquiſque in ſuo ritu perſeueraret. 107.2 c
Paulus an eſſet Apoſtolus Chriſti quod Corinthij in dubium verterent, vnde trahitur. 111. 2.c
Paulus pugnæ ferarum expoſitus apud Epheſum. 144.2.a
Paulus quo pacto ſupra vires grauatum ſe deſcribat, cùm alias dixerit, *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* 153.1.c
Paulus quomodo ſit gloriatio Corinthiorum, & Corinthij gloriatio Pauli. 154.1.c
Paulus leuitatem & carnalem affectum à ſe abiicit. 154 2 b
Paulus in prædicatione ſua immutabilis. ibid.c
Paulus in perſona Chriſti condonat. 157.1.b
Paulus res geſtas corporaliter in Moyſe ad ſenſum ſpiritualem trahit. 161.2.b
Paulus differentiam inter ſe, ſuíque æmulos interſerit. 169.2.b
Paulus in quibus arctauerit Corinthios. 175.2.c
Paulus cùm nullos ſumptus exigeret à Corinthiis, ab aliis Eccleſiis accipiebat vt Corinthiis parceret. 192.1.a
iurat Apoſtolus ad teſtandum deliberatum, ac immobilem animum ſuum. ibid b
Paulus quanta paſſus fuerit. 193.2.c & ſeq.
Paulus manifeſtat ab effectibus ſe verum Apoſtolum. 197.1.a
Paulus cur dixerit ſe dolo cepiſſe Corinthios. ibid.2.a
Paulus trinâ monitione præmiſſa minatur in aduentu ſuo ſe iudicaturum. 198.1.c
Paulus Corinthios monet vt ſe diſcutiant tam in fide, quàm in moribus. ibid.2.c
Paulus quantum cupiat Corinthios à peccato immunes. 199.2.b
Paulus quare cupiat apparere vt reprobus. ibid.c
Paulus cur ſe dicat Apoſtolum non ab hominibus. 200.1.b
neque per hominem. ibid.c
Paulus ſeipſum, & reliquos Apoſtolos, & etiam Angelos ſanctos excommunicat, ſi euangelizauerint aliud præter id quod ipſemet euangelizauerat Galatis. 201.2.b
Paulus quomodo excommunicauerit Apoſtolos & Angelos, cùm par in parem non habeat imperium, & multo minus in maiorem. ibid.c
Paulus quatenus nolit placere hominibus. 200.1.b
Paulus à quo & quomodo didicerit Euangelium. 201.1.c
quorſum didicerit. ibid.2.c
Paulus perſequutor Eccleſiæ. ibid.2.a
Paulus quid ſtatim poſt conuerſionem egerit. 203.1.a
an redierit Ieruſalem. ibid.
Paulus euangelizabat Gentibus, Petrus Iudæis. 204.2.b
Paulus Petro in faciem reſtitit. 205.1.b
Paulus Petrum reprehendit. ibid.c
Paulus ex Spiritu ſancto accepto conuincit Galatas. 207.1.b
Paulus hortatur Timotheum vt contentiones & profana colloquia deuitet. 212.1.c ibid.2.b
Paulus Propheta. 230.1.a
Paulus vult vt Epheſij orent pro ipſo. 244.1.b
Paulus Romæ cuſtoditur per biennium. 246.2.b
Paulus publicè cæſus Philippis, in vinculis eſt Romæ. 248.2.c
Paulus quo ſenſu adimpleat ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua. 263.2.b
Paulus patris & matris exercet officium. 277.1.c
Paulus Deo gratias agit quòd eum ab Eccleſiæ perſecutione vocauerit ad Apoſtolatum. 293. 1.b,c
Paulus crimina propria in ſtatu legis explicat. ibid.
peccauit ex ignorantia. ibid.c
Paulus Timotheum monet vt ſtrenuum agat militem. 294.1.b,c
Paulus Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit. ibid.2.a
Paulus præco, Apoſtolus, & veritatis Doctor. 295.2.b
Paulus ſecundò vinctus ſub Nerone hortatur Timotheum ad conſtantiam. 309.1.b
Paulus in Gentium Doctorem electus. 310.1.b
euidentem habuit notitiam, cùm raptus fuit, quòd Deus eſt ille cui credimus. ibid.c
hortatur Timotheum ad alios ſincerè docendum, & patiendum. 311.1b,c & ibid.2.b
facta mentione futuri præmij, ac reſurrectionis Chriſti. ibid.2.a,b
Paulus vinctus ob impoſitum maleficij crimen. ibid.b
Paulus, orator optimus. 328.1.b
Paulus & Iacobus conciliantur. 367.1

Pauli infirmitas. 90.2.b
ſermo & prædicatio. ibid.
Pauli humilitas. 141.1.b
Eius aſſiduitas. ibid.c
Pauli amor in Corinthios. 178.1.a
Pauli conſolatio in aduentu Titi. ibid.2.a
Pauli conuerſio. 205.1.a
Pauli maternus affectus in Galatas. 213.1.a
Pauli excellentia in myſterio Chriſti. 229.2.c
Pauli humilitas in commemorandis donis gratiæ. 230.2.a
Pauli conſtantia in vinculis. 246.2.c
Pauli gratia vinculorum quoad alios. ibid.
Pauli gratia in vinculis & defenſione ac confirmatione Euangelij relatiuè ad Philippenſes. 248.1.b
Pauli vita vſque ad quartumdecimum Neronis annum. ibid.c
Pauli monita explicantur. 249.1.c
Pauli ſolicitudo. 264.2.c
Pauli exhortatio ad Theſſalonicenſes quæ. 276.2.a
eius ſermo quis. ibid.b
Pauli labor, & fatigatio 277.1.b
Pauli affectus erga Theſſalonicenſes. 278.1.b
Pauli & ſociorum immenſa dilectio. 279.1.b
Pauli paupertas. 318.1.a
Pauli monita, vide *Monita*.
Paulum habuiſſe vxorem nonnulli ſuperfluè diſputant. 105.2.b
Paulum cur non pœnituerit contriſtaſſe Corinthios. 178.2.b

Pauper.

Pauper ſpiritu quis. 430.1.c 431.1.b
Pauperes Sanctorum nomine ſignificati. 149.2.c
Pauperes à Deo electi in hoc mundo. 366.1
Pauperes ad longanimitatem hortati. 370.1
Pauperum ſpiritu præmium quod. 432.1.b

Paupertas.

Paupertas Apoſtolorum multos ditauit diuitiis temporalibus. 175.2.a
Paupertas quid. 431.1.b
Paupertas ſpiritûs quæ. ibid.2.b

Pax.

Pax omnium gratiarum fructus. 3.1.a
Pax iuſtificatorum. 26.1.a
Pax non actionem, aut paſſionem ſignificat, ſed tranquilli ſtatus bonum. ibid.
Pax & bona, vniuerſa materia Euangelij. 63.1.a
Pax ſingulariſſimè opus Dei dicitur. 77.2.c
Pax vltimus fructus. 200.2.b
Pax vltimum donum. 219.2.c
Pax noſtra, Chriſtus. 227.2.c
Pax Dei, tranquillitas ordinis diuini. 257.1.a
Pax per ſanguinem crucis effecta. 262.1.b
Pax ſubditorum cum Prælatis. 283.1.b
Pacis bonum, ex quo eſt ſalus iuſtificatorum ex fide. 23.2.c
Pacis mediator, Ieſus Chriſtus. 24.1.a
Pacis vſus cum omnibus præcipitur. 71.2.c
Pacis Euangelici calceamenta. 244.1.b
Paci palma datur. 271.2.c
Pacem dandi inter Miſſarum ſolemnia antiquus mos Eccleſiæ. 199.2.c

Pacificatio.

Pacificationis eminentia. 436.1.b

Pacificus.

Pacificorum præmium. ibid.

Peccans, Peccator.

Peccans, Adiectiuum. 36.2.c

Peccantes publicè arguendi. 303.2.a
Peccandi potentia, & lex eodem concurrunt tempore. 149.1.b
Peccare quid. 32.1.c
Peccare reddit hominem ſeruum peccati; Euangelicè verò viuere reddit hominem ſeruum iuſtitiæ. ibid.
Peccatorum per Chriſtum ſaluatorum duplex genus. 293.1.b

Peccatum.

Peccatum nunquam eſt eligibile. 16.1.c
Peccatum Adæ aptè inobedientia appellatum. 28.1.a
Peccatum originale & Adæ inobedientia dicitur. ibid.
Peccatum originale omnibus commune. ibid.b
Peccatum de ſe impotens, eget vt armetur. 31.2.a
Peccatum habitans quid. 37.2.c
Peccatum non cognoſci niſi per legem. 35.1.b
Peccatum, pro fomite interno. ibid.2.a
Peccatum quomodo operetur concupiſcentiam per legem. ibid.
Peccatum ante legem mortuum. 36.1.a
per mandatum reuixit. ibid.b
Peccatum an omne quod non ex fide. 78.1.c
Peccatum, ſtimulus, aculeus, punctio mortis. 149.1.b
Peccatum, de hoſtia pro peccato. 172.1.c
Peccatum eſt materia diuinæ iuſtitiæ. ibid.
per Peccatum mors tranſiuit in omnes. 26.1.c
Peccati ſtatus ante legem. ibid.2.b
ſub lege. 28.1.c
Peccati & iuſtitiæ triplex conditio. 33.1.c
Peccati ſtipendia, mors. ibid.2.b
Pecati caro quæ. 41.1.b
Peccati modus, & genus, duæ conditiones alleuiantes. 217.2.c & ſeq.
Peccato quomodo ſimus mortui. 29..c
Peccato obedientia, morti verò iuſtitia opponitur. 32.2.a
cur. ibid.b
Peccata omiſſionis quæ. 16.1.b & ſeqq.
Peccata oris. 17.1.b
Peccata operis. ibid.c
Peccata ad quemcunque bonum finem vt media non ſunt eligenda. 16.1.c
Peccata ſunt materia diuinæ iuſtitiæ, & mendacium noſtrum eſt cauſa diuinæ gloriæ. ibid.
Peccata quatenus tecta dicantur. 21.1.a
Peccata reproborum non ſunt à Deo volita. 57.2.b
Peccata, quæ ſunt tenebrarum opera, ſunt tantùm opera noſtra: æternæ autem ſalutis meritoria opera, quæ arma lucis appellantur, non ſolùm ſunt opera luci conſona, ſed ſunt arma tum defenſiua, tum offenſiua hoſtium, virtute diuinæ gratiæ. 74.2.b
Peccata carnalia quæ. 101.1.b
Peccata, opera mortua. 340.1.a
Peccata inuicem confitenda. 370.2
Peccata ad mortem, & non ad mortem. 398.1
Peccatorum condonatio per Chriſtum. 267.1.b
Peccatorum condonatio, vide *Condonatio*.
Peccatis alienis non communicandum. 303.2.c
Per, pro propter. 13.1.c

Perfectio, Perfectus.

Perfectio doctrinæ in quo conſiſtat. 85.1.c
Perfectio Teſtamenti noui.
Perfectum quid. 86.1.a

Perfectum, cui nihil deeſt ad eius integritatem. 254.1.b
Perfecti qui. 339.2.b
Perfecti ſenſibus, de iis, qui pro conſuetudine ſancta exercitatos habent ſenſus mentis ad diſcretionem boni & mali. 137.2.a
Perfectioribus duo officia indicit Apoſtolus. 78.2.c

Peripſema.

Peripſema quid. 99.1.a

Permanentia.

Permanentia N. Teſtamenti declarata ex differentia inter æterna & temporalia. 166.1.a
Permanentiæ certitudo & confidentia quo ad præmium interim animæ ſeparatæ à corpore. 168.2.c

Permiſſio.

Permiſſionis diuinæ incomprehenſibilitas. 68.1.c

Perpeſſio.

Perpeſſio malorum per perpeſſionem carnis ſignificata. 212.1.c

Perplexio.

Perplexio non datur ex parte rerum. 16.2.b

Perſecutio.

Perſecutio Chriſtianorum prima à Nerone. 117.1.c
Perſecutionis donum. 71.2.c
Perſecutiones Chriſtianorum primæ in Iudæa fuerunt, & à Iudæis. 277.2.b
Perſequentibus nos ne maledicamus Paulus hic prohibet, & *Act.*23. maledixit perſecutorem ſuum, quomodo. 71.1.c

Perſeuerantia.

Perſeuerandi modus in confidentia, eſt patientia. 352.2

Perſona.

Perſona Chriſti diuina ſignificatur. 293.2.b
Perſonarum acceptio nulla apud Deum. 243.1.a
Perſonarum reſpectus ne quemquam moueat penes gloriam, ſeu honorem præſentem. 365.2

Pertingo.

Pertingere ad reſurrectionem mortuorum quid. 254.1.a

Perturbatio.

Perturbatio animi paſſionis nomine ſignificata. 280.1.b

Pes.

Pedes aureis ſocculis antiqui operiebant. 129.2.9

Petra.

Petra ſpiritualis, de Chriſto. 116.2.a

Petrus.

Petrus ſe Simonem Petrum nominat. 1.1.c
Petrus Iudæis, Paulus Gentibus euangelizabat. 204.2.b
Petrus quando fuerit Ieroſolymis. ibid.2.c
Petrus reprehenditur à Paulo. 205.1.c
Petri ſimulatio. ibid.b

Philippenſes.

Philippenſium perſeuerans communicatio in Euangelio. 245.2.b

Philoſophia, Philoſophus.

Philoſophia an excludatur à prædicatione Euangelica. 87.1.c
Philoſophia quomodo aduerſetur, vel non aduerſetur Chriſto. 166.1.b
Philoſophi qui Deum cognouerunt, in quo peccarint. 7.1.a
Philoſophi quomodo mutârint gloriam Dei. ibid.2.a
Philoſophi mutauerunt veritatem Dei, quomodo. 8.1.b
Philoſophi idololatræ. ibid.
Philoſophorum vanitas. 7.1.b
Philoſophorum commiſſi ſceleris contra gloriam Dei pœna quæ. ibid.2.c & 8.2.26

Pietas.

Pietas corporali exercitio præponitur. 300.1.b
Pietas ad omnia vtilis. ibid.
Pietas quæſtus magnorum bonorum, & quæſtus ſpiritualium. 305.1.b
ſub Pietate comprehenduntur in Scriptura omnia officia debita proximis. 304.2.b

Plaga, Plagiarius.

Plagæ flagellorum, virgarum, lapidum. 174.1.c
Plagiarij, de furibus hominum in mancipia vel vendenda, vel redimenda ab ipſiſmet captis, ſeu ſibi coniunctis. 292.2.c

Pœna, Pœnalia.

Pœna, legis proprium. 35.1.c
Pœnæ inobedientium. 290.1.b
Pœnalia pro Chriſto condiri. 196.2.b

Pœnitens, Pœnitentia.

Pœnitentis triſtitia qualis ſit. 156.2.c
Pœnitentiæ internæ actus tres. 179.1.b
Pœnitentiæ pœnitendæ quæ, ibid.c
& quæ impœnitendæ. ibid.

Pontifex.

Pontifex & Sacerdos ſynonyma. 425.2.c

Populus.

Populus Iſraël, populus incredulus. 64.1.b
Populus Dei quis. 177.1.b
Populus Chriſtianus quomodo fiat regnum Dei. 426.2.c
Poſſe peccare non eſt poſſe, ſed defectus potentiæ. 312.1.b

Poſſeſſor.

Poſſeſſor ſpiritualium, poſſeſſor omnium corporalium. 175.2.b

Poſtulo.

Poſtulare inferioris eſt, vnde & filio Dei non conuenit, niſi ratione humanæ naturæ, & ideo ipſe in nobis habitans ſecundùm actus noſtros poſtulat. 49.2.b

Potentia.

Potentia Euangelica ad ſalutem, non ad perditionem tendit. 4.2.a 5.2.a
Potentia Dei. 6.1.b
Potentia & diuinitas Dei differunt. ibid.c
Potentia quatenus ſcandalo oppoſita. 89.1.a
Potentia virtutis nomine ſignificata. 143.1.a 146.1.b
Potentia peccati lex. 149.1.c
Potentia diuina fragilitatem noſtram erigit. 164.2.a
Potentia virtutis nomine ſignificata. 174.2.b
Potentia Dei inexhauribilis. 231.1.b
Potentia diuina in Apoſtolis. ibid.c
Potentiam Dei in infirmitate perfici. 196.1.b

Poteſtas.

Poteſtas Apoſtolica in ædificationem, non in deſtructionem. 188.1.c
Poteſtati reſiſtens, Dei ordinationi reſiſtit. 73.1.a
Poteſtates omnes præcellentes à Deo. 72.2.c
Poteſtates ordinatæ à Deo. 73.1.a

Potus.

Potus ſpiritualis, cur. 116.1.c
Potus ex vaſe carente operculo immundus. 268.1.b

Praeceptum.

Præcepti finis, dilectio. 291.1.b
Præcepta Dei rationabilia. 72.1.c
Præcepta, pro traditiones. 321.2.c
Præcepta affirmatiua & negatiua differunt. 218.1.a
Præcepta aduersùs triſtitiam & luctum pro defunctis. 28.1.a
Præcepta quomodo obligent. 289.2.c
Præcepta Manichæorum circa nuptias & cibos. 299.2.b
Præcipientis & obſecrantis officio Paulus fungitur. 289.2.c

Præcipitatio.

Præcipitatio in ferenda ſententia à Paulo prohibita. 303.2.b

Præco.

Præco iuſtitiæ octauus denominatus, cur. 384.1

Prædefinitio.

Prædefinitio, præſcientiæ ratio. 51.1.c

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio. 221.1.c
Prædeſtinationis duplex bonum. ibid.2.b
de Prædeſtinatione & reprobatione, de qua totus mundus crocitat, quæſtio. 58.1.b

Prædicatio.

Prædicantium Chriſtum variæ intentiones. 246.4.c & ſeq.
in Prædicantibus quatuor dona diuina excludentia mutabilitatem prædicationis. 155.1.c
Prædicare quæ Dei ſunt, aut diuini conſilij, nullus rectè attentat, niſi a Deo miſſus: ſicut nullus miſſus a Rege abſque temeritate regium conſilium prædicare poteſt. 62.2.c
Prædicare Euangelium Apoſtolorum Chriſti proprium officium. 112.2.c
Prædicatio Apoſtolica neceſſaria eſt. 62.2.c
Prædicatio Euangelica comparatiuè ad doctrinam philoſophicam ſtultitia appellatur à Paulo. 88.2.a
Prædicatio Pauli immutabilis. 155.1.a
Prædicatoris veri conditiones quatuor. 158.1.c
Prædicatorum vnctio. 155.2.a
Præeſſendi donum. 70.2.c

Prælatus.

Prælatus qualis ſit. 321.1.c
Prælati ne ſint varij. 291.2.c
Prælati & ſubditi quomodo in vicem & erga Deum ſe habere debeant. 283.1.b
Prælati à tribus actionibus deſcribuntur. ibid.
Prælatis væ niſi euangelizent. 114.1.b
Prælatis maximè neceſſaria eſt miſericordia. 291.2.b

Præmium.

Præmium Sanctorum. 285.2.b
Præmium pauperum ſpiritu quod. 432.1.b
Præmium mitium. ibid.
Præmium miſericordiæ. 435.1.b
Præmium beatorum mundo corde. ibid.c
Præmium pacificorum. 436.1.b
Præmij & vindictæ par regula deſcribitur. 10.2.c
Præmij quantitas reſpondet quantitati meriti. 183.1.b
Præmia quæ videntur, temporalia, quæ non videntur, æterna. 166.2.c

Præputium.

Præputium, de Gentili ſecundùm lumen naturale. 13.2.c

Prærogatiua.

Prærogatiuæ Iudæorum quinque. 12.2.b
aliæ prærogatiuæ. 14.2.c

Præſens, & Abſens.

Præſentes in corpore, abſentes à Domino, & è conuerſo. excluſo errore eorum, qui dicunt animas à corpore ſeparatas non beari vſque ad reſurrectionem corporum. 168.2.c 169.1.b

Præſcientia.

Præſcire, pro præcognoſcere. 64.1.c
Præſcientia Dei euentuum rerum non præcedit diuinam prædefinitionem euentuum eorundem, ſed illam ſequitur. 51.1.c

Præuaricatio.

per Præuaricationem legis Deus inhonoratur à Gentilibus. 13.1.c

Prauitas.

Prauo nomini non vnum cor, ſed plura. 7.2.c

Preces.

Preces pro Iſraël. 60.2.c

Presbyter.

Presbyter hîc loci nomen Ordinis. 303.1.c
in Presbyterum non facilè admittenda accuſatio. ibid.2.a
Presbyteri probè ſuo fungentes munere dupliciter honorandi. ibid.1.c
Presbyteri quales ſint. 310.2.c
Presbyteri & Epiſcopi nomine idem gradus & officium ſignificatum. 311.1.a
Presbyteri ſeniorum nomine intellecti. 379.1

Primitiæ.

Primitiæ. 66.2.c
Primitiæ dormientium Chriſtus Dom. 142.1.c
Primitiæ quæ. ibid.

Primitiua.

Primitiua, pro primogenita. 355.1

Primogenitus.

Primogenitus filius Dei in multis fratribus quomodo metaphoricè dicatur. 51.2.c

Principatus, Princeps.

Principatus nomen quod. 53.2.c
Princeps, aut Philoſophus aliquis cùm conuertitur, ianua magna aperitur, quæ tunc eſt efficax, cum multitudo imitari conſpicitur. 150.1.b
Princeps poteſtatis aëris huius ſpiritûs, de Diabolo. 225.2.b
Principes non ſunt timor bonorum, ſed malorum. 73.1.c
Principes miniſtri Dei. ibid.
Principes huius ſæculi, de Dæmonibus. 91.1.c
Principes Chriſtianæ religionis, pro Martyribus. 448.1.a
Priuatim per domos docere hæreticorum proprium. 321.1.b

Priuilegia.

Priuilegia Iudæorum. 54.2.c & ſeq.

Probatio.

Probare ſeipſum quid. 126.1.b
Probatio fidei, de tentatione. 361.2

Prodigium.

Prodigia & ſigna mendacia Antichriſti. 287.2.c

Productio.

Productio filij differt à productione Spiritus ſancti. 261.1.a

Profeſſio.
Profeſſio Chriſtianæ fidei Spiritui ſancto propria. 127.1.c
Profeſſio quam facit Epiſcopus ſuperintendendi aliis, per confeſſionem bonam factam coram multis teſtibus, intellecta. 305.2.c

Progreſſus.
Progreſſus Antichriſti. 287.2.b

Promiſſio.
Promiſſa Iudæorum. 55.1.b
Promiſſio Abrahæ facta de hæreditate mundi quomodo adimplenda. 22.1.a
Promiſſio per fidem adimplenda, cur. ibid.c
Promiſſio, pro teſtamento confirmato à Domino. 433 2.a
Promiſſiones Dei omnes adimpletæ. 154.2.c

Promptum.
Promptum ſubſtantiue, pro promptitudine. 4.1.b

Prophanum.
Prophana deuitanda. 312.2.b

Propheta, Prophetia.
Propheta caret euidentia rerum quas prænuntiat. 134.2 b.
Prophetæ. 130.2.b
Prophetæ, legati Dei ad populum. 171.2.b
Prophetæ multi in nouo Teſtamento. 230.1.a
Prophetæ veri & falſi differunt. 383.2
Prophetarum ſpiritus Prophetis ſubiectus. 139.1.b
Prophetarum motor Deus. ibid.
Prophetandi duplex modus. 138.2.c
Prophetia. 128.1.c
Prophetia carens euidentia rerum quæ prophetantur, ceſſatura. 133.2.a
Prophetia & linguæ differunt. 137.2.b
Prophetia linguis præfertur. 138.1.a
Prophetia de Timotheo futuro Epiſcopo. 300. .c
Prophetia Scripturæ, de veteri Teſtamento. 48.1
Prophetiæ donum. 7[illegible].b
Prophetiæ donum linguarum dono præponitur. 135.1.c
Prophetiæ & linguarum donum dupliciter differunt. 135.2.b,c
Prophetiæ materia, non loqui vana, ſed quæ ſunt ædificationis, aut exhortationis, aut conſolationis ſpiritualis. 135.2.b
Prophetiæ doni vſus. 138.2.c
Prophetiæ de Timotheo. 294.1.c
Prophetiæ ſcriptæ, & ſcientiæ ſcriptæ differunt 383.1

Propinquitas.
Propinquitas Domini. 256.2.b

Propitiatorium.
Propitiatorium quid. 347.1.b

Prouentus.
Prouentus, pro euentus. 117.2.b

Proximus.
Proximum adiuuandi ratio. 218.1.b

Prudentia.
Prudentia carnis. 42.2.b
Prudentia ſpiritûs, vita & pax. ibid.
Prudentia. 174.1.c
Prudentia & diſcretio ſalis nomine ſignificata. 273.1.c

Pſeudo-Apoſtoli.
Pſeudo-Apoſtoli quomodo Galatis prædicârint Euangelium. 201.1.b
Pſeudo-Apoſtoli ſtudent complacere Iudæis. 219. 2.a,b
Pſeudo-Apoſtoli canum nomine ſignificati. 252. 2.b.255.2.b
Pſeudo-Apoſtoli æmuli D. Pauli. 191.2.b
Pſeudo-Apoſtoli crucis Chriſti inimici. 255.2.a
Pſeudo-Apoſtoli à gloria deſcripti. ibid.

Pſeudo-Propheta.
Pſeudo-Prophetæ multos ſeducent, verùm acriter punientur. 383.2

Pudenda.
Pudenda etiam hodie decorantur ſericis, & aureis braccis apud multas nationes. 129.2.c

Puer.
Pueri ſenſibus, de iis qui non diſcernunt inter bonum & melius. 137.2.a

Purgatorium.
Purgatorium euincitur. 95.2.b

Pugna.
Pugna aduerſùs Dæmonem fructui ſpiritûs attributa. 243.1.a

Q

QVærenda ea quæ ſuprà. 269.2.c
fructus quærendi quæ ſuprà, quis. 270. 1.c

Quæſtio.
Quæſtiones ſtultæ deuitandæ quæ. 314.1.b

Quæſtiuncula.
Quomodo verificetur quòd gratia data ſit nobis ante tempora æterna. 309.1.c
&, Quomodo *amè*, ſi tempora ſunt æterna. ibid. 2.b
&, Quo pacto verificetur quòd gratia Dei data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna, cùm Chriſtus Ieſus nomen ſit hominis, & certum ſit quòd filius Dei non fuit homo ante æterna tempora, ſed vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, &c. ibid.c
Qui ſint illi homines, in quibus eſt firmum fundamentum Chriſti. 313.1.b
Quomodo corona gloriæ debeatur operibus noſtris, quum non ſint condignæ paſſiones huius temporis. &c. 317.2.a
Membra Chriſti cur tanta dignitate donata, adhuc maneant ignota. 393.col.4
Cur ſingulariter de dilectione dicatur, *qui non diligit, non nouit Deum*, quum ſimiliter dici poſſit, qui non ſcit, non nouit Deum, quoniam Deus ſcientia eſt. & ſimiliter qui non ſapit, non nouit Deum, quoniam Deus ſapientia eſt. & ſimiliter qui non poteſt, non nouit Deum, quoniam Deus potentia eſt. 396.1
Cur Chriſtus reprehenderit ſuos diſcipulos, dicentes: *Vt quid perditio hæc*, &c. 405.1.c
Quantum valeat excuſatio Domini, *opus enim bonum operata eſt in me*, &c. ibid. 2.b
Quorſum tria dicta à Domino excuſationi Magdalenæ vngentis ipſum, adiecta, ſcil. de ſepulturæ ſuæ præuentione: de perpetua memoria huius vnctionis in laudem Magdalenæ futuræ; & quòd ipſa Magdalena fecit quod habuit. ibid.c
Quo pacto verba Domini ad diſcipulos de emendo gladio verificentur ad literam. 408.1.c
Ad quid Apoſtoli dixerint, *Ecce duo gladij hic.* ibid.
Cur Dominus meminerit perſecutionis ſuæ, non loquens de ſui defenſione. ibid.

Quam

Quàm conueniens fuerit hæc Domini ad Annam iudicem reſponſio: *Quid me interrogas.* 410.1.c

Quàm conueniens fuerit Domini ad Annæ miniſtrum percuſſorem reſponſio: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis.* ibid.2.a

Cur Dominus à Caipha adiuratus vt diceret ſi ipſe eſſet Meſſias, non ſolùm ſe eſſe Chriſtum reſpondit, ſed, *Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei*, &c. adiecit. ibid.b

Cur interroganti Pilato, *Tu es Rex Iudæorum?* reſponderit Dominus: *A te metipſo hoc dicis; an alij tibi dixerunt de me?* ibid.

Cur interroganti Pilato, *Quid feciſti?* reſponderit Dominus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, &c. ibid.

Cur ex verbis Domini inferenti Pilato: *Ergo Rex es tu.* reſpondendo ſubiunxerit Dominus: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* ibid.c

Cur interroganti Pilato, *Mihi non loqueris: neſcis quia poteſtatem habeo*, &c. reſponderit Dominus: *Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam, niſi tibi deſuper datum eſſet*, &c. ibid.c

Cur interrogatus Dominus ab Herode in multis ſermonibus, nihil omnino reſponderit: quum tamen affulgeret ſpes profectus. 411.1.b

Cur non reſponderit Dominus Annæ ad interrogationem de diſcipulis. 412.1.a

Cur Pilatus ſcripſerit cauſam ſuper crucem, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*; quum in multis Dominus fuerat accuſatus, & de nulla ſe iuſtificârit niſi de iſta. 414.2.b,c

An vna & eadem generatio negetur per tres negationes, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, an ſingulis negationibus reſpondeant ſingulæ generationes. 420.1.a

An vna eadémque voluntas ſit voluntas carnis, & voluntas viri. ibid.b

An filij Dei per adoptionem dicantur propriè nati ex Deo: an ſecundùm tantùm vſum, quo in humanis adoptatus in filium, dicitur genitus ab illo per adoptionem, qui etiam in hac litera dicitur genitus ex voluntate viri. ibid.

An in Apoc. 5. ſermo ſit de ſacerdotio propriè, an non? 425.1.c

An 1.Petri 2. ſit ſermo de ſacerdotio propriè. ibid. 2.a & ſeq.

Cur lugere ſine bonificante aliquo poſitum ſit inter beatitudines. 432.2.b

Cur inter beatitudines numeratus ſit luctus, non gaudium. ibid.

An iuſtitia in propoſito ſumatur generaliter pro rectitudine, ſeu bonitate, qua recti, ſeu boni dicimur: vel ſpecialiter vt ſpecialis virtus eſt, reddens vnicuique quod ſuum eſt. 433.2.c

Cur beatitudo munditiæ cordis non ſignificet aliquam perfectionem. 435.1.b

Cur nullam operationem ſonet, quum omnis beatitudo ſecundùm operationem aliquam attendatur. ibid.

An circa verba, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, ſit ſermo de iis, qui quomodolibet patiuntur, id eſt, opprimuntur, vexantur, affliguntur, &c. propter iuſtitiam: an de iis qui voluntariè patiuntur propter iuſtitiam. 436.1.c

Quomodo ſumatur hîc *iuſtitia*, in ſua ſcilicet communitate, an reſtringatur. ibid.

Cur in octaua beatitudine repetatur præmium primæ beatitudinis, & non ſit appoſitum octauum præmium. ibid.2.c

Cur cæteris beatitudinibus deſcriptis in tertia perſona, noua deſcribatur in ſecunda perſona, dicendo, *Beati eſtis.* 437.1.a

Cur multiplicentur in hac beatitudine tot vexationum genera, ſcil. maledictionis, perſecutionis, &c. ibid.b

Cur huic beatitudini ſoli adiungatur, *gaudete & exultate.* ibid.

Cur præmium huius beatitudinis ſolius deſcribatur ſub ratione mercedis. ibid.

Cur in hac ſola beatitudine indeterminatè ponatur præmium. ibid.

Quid ſignificet traditio hæc, *Qui dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit.* 439.1.b

An de munere dicando Deo, an de munere per votum dicato Deo ſit ſermo, quum dicitur, *Munus quodcunque ex me*, &c. ibid.

Quid ſit poteſtas illa Ioan. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* 442.1.b

Quomodo ſtant iſta duo ſimul, quòd receperint Deum, & quòd non ſint filij Dei, ſed habent poteſtatem vt fiant filij Dei: & ſi ſunt filij, non opus habent vt fiant filij. ibid.

Quomodo conſonent ſibi inuicem hæc duo, ſcil. poteſtas, & fieri. ibid.

Cur Pontifices Iudæorum recuſarint iudicare & crucifigere per ſeipſos Chriſtum, Pilato bis remittente Chriſtum ad eorum iudicium, vt Ioannes Euangeliſta teſtatur. 445.1.c

An apud Lucam dicentem de duobus diſcipulis euntibus in Emaus, quòd oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent; ſit ſermo de oculis corporis, an de oculis animæ. 446.1.c

An omne aliud peccatum à fornicatione, ſit extra corpus. 449.2

An circa illud 1.Ioan.vlt. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem*, &c. ſit ſermo de morte corporis, an de morte animæ. 450.1

De qua carne ſit ſermo in illo Matth. 19. *erunt duo in carne vna*, &c. an ſcil. de carne coniugum in ſua prole. 454.

De quali vnitate ſit ſermo, an de vnitate coniugali, an de virtute carnali. ibid.

An circa illud Matthæi & Lucæ, *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum*, huiuſmodi diuerſitas ſignificet diuerſam grauitatem peccatorum, an diuerſam grauitatem pœnarum, &c. 455.1

Quorſum tendant illa de Herode verba *Luc.* 13. quum in Euangelio non legatur quòd ipſe non inſidiatus fuerit Chriſto Domino, ſed potiùs quòd deſiderabat eum videre, &c. ibid.2

Quid ſignificet per illa verba, *quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.* quum Latina conſtructio malam videatur habere ſignificationem. ibid.

Quid negetur per illa verba, *ſi quominus.* 460.1

Quid ſit illud quod affirmat Dominus, conditionaliter tamen, ſe fuiſſe dicturum diſcipulis in illis verbis, *dixiſſem vobis.* ibid.

Quomodo Dominus vadit parare diſcipulis locum, quum ipſe dixerit filiis Zebedæi parata eſſe electis loca à ſuo Patre. ibid.

Cur Dominus quum dixiſſet ſe eſſe verum Deum,

& Iudæi vellent ipſum propterea lapidare tanquam blaſphemum, diuerteret ſermonem Dominus à deitate per eſſentiam ad deitatem per participationem. 461.2

Quæſtus.

Quæſtus denigrat, & non parum exauthorat Eccleſiam, quo plena hodie eſt per Indulgentias, Cruciatas, Hoſpitalia, &c. 150.1.a

Quæſtus eſt aut neceſſitatis, aut auaritiæ, nunquam autem pietatis. 305.1.b

Quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia. ibid.

Quamdiu pro in quantum. 66.1.c

Quia, pro quòd. 9.2.c

Quia, pro propterea quòd. 17.2.b

Quoniam, pro quod. 9.1.b 10.1.a

R

Radix.

Radix Ieſſe, de Meſſia. 80.1.b

Radices amaritudinis hìc quæ. 358.1

Ramus.

Rami, de Iudæis. 67.1.b

Rapina.

Rapina, de confiſcatione bonorum. 351.2

Raptus.

Raptus D. Pauli ſecundùm intellectum & voluntatem. 195.2.b

Ratio.

Rationes rerum, radij diuinæ ſapientiæ. 88.1.a

Reconciliatio.

Reconciliamini Deo, quo pacto rogetur, ſi iam mundus reconciliatus eſt Deo. 172.1.b

Reconciliationis modus, ratio. ibid.c

Redargutio.

Redarguendi forma. 239.2.b

Redemptio.

Redemptio Ieſu Chriſti non minuit, ſed potiùs auget gratiam Dei erga nos 18.2.c

Redemptio à ſeruitute peccati explicata. 222.1.a

Redemptionis dies, de die Baptiſmi. 238.1.a

Redempti Chriſti morte pergant præterita deuitare peccata. 378.1

incumbentes orationibus. ibid.2

ac mutuæ dilectioni. ibid.

gaudentes ſi propter Chriſtum pati oporteat. ibid.

Regnum.

Regnum Dei quod. 77.1.a

Regnum cœlorum euangelizatum firmari non in ſermone, ſed in poteſtate miraculorum. 99.2.a

Regnum filij regnum Dei, & regnum cœlorum, vnum eſt. 260.1.c

Regnum Dei, Eccleſia tam triumphans, quàm militans. 262.1.a

Regni Dei ſubſtantiale quid. 77.2.a

Religio.

Religio Angelorum quid. 268.1.b

Religio vera & immaculata quæ. 365.2

Reliquiæ.

Reliquiæ peccati. 29.1.c

Renouatio.

Renouari ſpiritu, quid. 170.1.a

Renouatio animi noſtri in quo conſtituta. 169.1.c

Renouatio interni hominis in quo conſiſtat. ibid

Reprehenſio.

Reprehenſio Corinthiorum de ipſorum ſectis. 85.2.c

Reprobatio, Reprobus.

Reprobationis diuinæ incomprehenſibilitas. 68.1.c

Reprobi vaſa iræ. 57.2.c

Reproborum peccata non ſunt à Deo volita. ibid.b

Reputatur, pro imputatur. 20.1.c

Res.

Rem ſperatam integrari ex duobus. 48.1.c

Rerum ſapientia quæ. ibid.b

Rerum dextrarum & ſiniſtrarum diſtinctiones nouem. 174.2.b

Reſipiſcentia.

Reſipiſcentia à peccatis, fundamentum ædificij ſpiritualis. 340.1.a

Reſponſum.

Reſponſum mortis quid. 153.2.b

Reſurrectio.

Reſurgens, pro excitatus. 30.1.b

Reſurrectio Chriſti. 140.2.a 311.2.b

Reſurrectio mortuorum aſtruitur. 141.2.b

Reſurrectio mortuorum per hominem. 142.1.a

Reſurrectio corporis glorioſi, ſuperexcellentis magnitudinis potentiæ diuinæ effectus. 224.1.c

Reſurrectio, generatio ex mortuis. 260.1.b

Reſurrectionis fides. 140.2.c

Reſurrectionis ordines tres. 142.1.b

Reſurrectionis noſtræ modus docetur. 281.1.b

Reſurrectionis quatuor myſteria explicantur. ibid.2.c

Reſurrectionis Dominicæ fructus notatur. 419.1.b

in Reſurrectione mortuorum qualia futura ſint corpora mortuorum. 144.1.c & ſeq 145.2.a

Reuelatio.

Reuelatio Euangelica à Deo. 5.2.a

Reuelationis ex fide in fidem, ſeu reuelationis iuſtitiæ ex fide in fidem, myſtica interpretatio. ibid 1.b

Reuocare, pro reducere. 62.1.a

Ritus.

Ritus Baptiſmi. 422.1.c

Vide *Baptiſmus*.

Robur.

Robur aduersùs Dæmones, eiuſdémque partes duæ. 234.1.b

Robora animi genuum nomine intellecta. 357.2

Rogo, pro adhortor. 99.1.c

Roma, Romanus.

Roma caput mundi tempore Pauli. 3.2.a

Romani quare ſint in ſpiritu, & non in carne. 43.1.b

S

Sabaoth.

Sabaoth Hebræa dictio ſignificat virtutes, non vt virtus eſt nomen moralis habitus, ſed humanæ poteſtatis. 59.1.c

Sacerdos, Sacerdotium.

Sacerdos propriè quis. 415.2.b

Sacerdos & Pontifex ſynonyma. ibid.c

Sacerdos ſimilitudinariè. 426.1.a

Sacerdotis opera applicata ad actus virtutum. 425.2.c

Sacerdotis propriè conditiones tres. 426.1.b

Sacerdotes Angeli dicti in Scriptura. 123.1.b

Sacerdotium Chriſti excellentius Leuitico. 345. 2. a
Sacerdotij duplex acceptio in Scriptura. 425.2.b

Sacramentum.

Sacramentum, pro myſterio. 241.2.c 298.2.b
Sacramenta conferunt gratiam faciendo, vel augendo. 118.2.c

Sacrarium.

Sacrarium, locus in quo ſacra fiunt. 113.2.b

Sacrificium.

Sacrificium expiationis quod. 250.2
Sacrificium iuge quod. ibid.
Sacrificium immolationis Pauli, ſacrificio fidei Philippenſium iungitur. 251.1.c
Sacrificium inuiſibile, de hoſtia ſpiritali. 428.2.c
Sacrificia Iudæorum, & noſtrum differunt. 118. 2. c
Sacrificia idolorum dupliciter conſiderata. 119. 1. c
Sacrificia pacifica hoſtiæ nomine ſignificata. 350.1
Sacrificiorum gloria ſoli Deo debita. 7.2.b

Saluatio.

Saluari poteſt aliquis dupliciter, vel quòd immediatè in rem termini transferatur, vel quòd mediante ſtatu ſpei transferendus ſit. 48.1.a
Saluationis & vocationis noſtræ prima radix diuina voluntas. 309.1.c

Salus.

Salus gentium à Græcis. 4.2.c
Salus noſtra ex fide Chriſti. 61.2.b
Salus futura credentis explicatur. 61.2.a
Salus Gentilium prædicitur. 64.1.a
Salus gentium ex delicto Iudæorum. 65.2.b
Salus extra Chriſtum nulla. 177.1.b
Salus Iudæorum & Gentilium. 226.2.b
Salutis galea. 244.1.c

Sanctio.

Sanctionum dona. 128.1.c

Sanctificatio.

Sanctificans, id eſt, ſacrum operans. 80.2.b
Sanctificatio, pro ſanctitate. 2.1.c
Sanctificatio idem quod mundificatio. 177.2.b
Sanctificatio electorum per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. 371.2
Sanctificatio Chriſti & aliorum hominum differunt. 461.2

Sanctitas.

Sanctitas, pro munditia. 106.2.a

Sanctus.

Sancti mundum iudicaturi. 102.1.a
iudicaturi Angelos, & quos. ibid.b
Sancti, de pauperibus. 149.2.c
Sancti, de mundis per Baptiſmum, & omnibus Chriſtianis. 223.2.c
Sancti, id eſt, mundi ex Baptiſmo. 245.2.b
Sancti, (id eſt, mundi per Baptiſmum,) etiam in domo Neronis fuere. 258.2.b
Sanctorum præmium. 285.2.b
Sanctorum integer triumphus in die iudicij. 317. 2. b
Sanctorum via ad cœleſtem patriam per mortem Chriſti aperta. 347.2.a
Sanctè, id eſt, mundè. 277.1.b

Sanguis.

Sanguinis hircorum & taurorum, & cineris vitulæ rufæ vſus in expiationibus. 348.1.b
Sapiendi verbum. 70.1.b 76.1.a

Sapiens, Sapientia.

Sapientes ſecundùm carnem, de ſapientibus ſapientiâ humanitus adquiſitâ. 89.2.a
Sapientia pro cura, ſeu prudentia. 42.2.b
Sapientia carnis Deo inimica. ibid.
Sapientia Dei. 68.2.a
eius effectus. ibid.b
Sapientia ſermonis quæ. 87.1.b
rerum quæ. ibid.
Sapientia ſapientum & intelligentium aduerſatur Deo. ibid.2.c
Sapientia ſtultitiæ oppoſita. 89.1.a
Sapientia huius ſæculi, & ſapientia Principum huius ſæculi differunt. 91.1.a
Sapientia D.Pauli ex Spiritu ſancto. ibid.2.c
Sapientia mundi, ſtultitia. 96.2.a
Sapientia & ſcientia differunt. 128.1.b
Sapientia Deo multifaria ſecundùm præfinitionem ſæculorum. 231.1.a
Sapientia à Deo poſtulanda. 363.1
Sapientia terrena & cœleſtis differunt. 368.& ſeq.
Sapientiæ pars ad eos qui foris. 273.1.c
ad eos qui intus. ibid.& ſeqq.

Scandalum.

Scandalum, ſeu offendiculum nulli ponendum eſt. 121.2.a
Scandalum actiuum reſpectu cuiuſcunque ſemper eſt peccatum. ibid.
à Scandalo fratris quadruplici ratione cauendum. 77.1.b

Schiſma.

Schiſma, & inflatio. 97.2.c

Scientia.

Scientia rerum abſolutè, & ſcientia euentuum, differunt. 51.1.c
Scientia, pro cognitione. 85.1.c
Scientia D.Pauli, Ieſus Chriſtus crucifixus. 90.2.a
Scientia pura, & ſcientia cum dilectione. 110.1.b
Scientia Sanctorum, quæ innititur fidei, carens euidentia rerum ſcitarum, ceſſatura. 133.2.a
Scientia claritatis Ieſu Chriſti, de cognitione deitatis ipſius. 164.1.b
Scientia Sanctorum. 174.1.c
Scientia Dei quatenus eſt rerum abſolutè, & quatenus eſt rerum euentuum, differunt: non quamuis vtraque ſit æterna.
Scientia Caballiſtica hìc pingitur. 307.2.b
Scientiæ ſcriptæ, & prophetiæ ſcriptæ differunt. 383.1

Scriba.

Scriba propriè Iudæorum eſt, ſapiens Græcorum. 88.1.b

Scriptura.

Scripta omnia propter nos. 117.1.b
S.Scriptura Iudæis facta in laqueum. 65.1.b
Scripturæ ſacræ vtilitas. 316.1.b

Scutum.

Scutum fidei. 244.1.b
Vide *Fides*.

Secta.

Secta hæreſis nomine notata. 124.1.b
Sectæ, ſeu hæreſes communi bono nocent. 216.2.c
Sectarum diuerſitas, diſcordiæ mater. 124.1.b
Sectarum capita quatuor coloribus depicta. 268. 2.a
Secundùm comminationem, & ſecundùm prædeſtinationem dicta Dei quæ. 15.1.c
Secundùm hominem, pro ſecundùm humanam diſcepta

diſceptationem. 15.2.b
Sed, pro &. 64.1.b

Seditio.

Seditiones quæ contra nos excitantur in ciuitatibus. 174.1.c

Seductio.

Seductio Antichriſti. 287.2.c

Semen.

Semen vitam habet in potentia,non in actu. 145.1.a
Semen corruptibile & incorruptibile quod. 373.2
Seminis vis à Deo. 145.1.c
Seminis triplex actio. 186.1.a
in Semine Abrahæ, ſcil. Meſſia, omnes nationes benedictæ. 21.2.c
in Semine naturali vt Deus cooperatur homini, ita cooperatur in ſemine ſpirituali. 115.2.c
Semino, pro mori. 145.2.c
Seminare in carne quid. 218.2.c

Sempiternitas.

Sempiternitas Dei. 6.1.b

Senior.

Seniores quomodo gubernari debeant. 301.1.b
Seniores pro Presbyteris. 379.1
Seniores verbo & exemplo paſcant gregem Dei. ibid.
omnes ſe demittant. 380.1
diuinæ curæ ſe tradentes. ibid.
& in ſobrietate ac fide diabolo reſiſtentes. ibid.

Senſibile, Senſualitas.

Senſibile excellens ſenſationem innuit ſua excellentia. 161.1.a
Senſualitas pugna. 37.2.a

Senſus.

Senſus reprobus quis. 8.2.b
Senſus, pro mente. 93.1.b 137.1.c
Sentiendi verbum. 70.1.b

Separatio.

Separationem ab idololatris omnimodo perſuadet Apoſtolus. 177.1.b
Sequaces Antichriſti vſque ad apparitionem aduenientis Chriſti duraturi. 287.2.b

Sermo.

Sermo ſapientiæ. 128.1.b
Sermo ſcientiæ. ibid.
Sermo bonus qui vtilis, & qui ædificat. 237.2.b
Sermo marcidus qui inutilis, qui abiiciendus. ibid. 1.c
Sermo Dei, de filio Dei. 337.2.b
Sermo iuſtitiæ, id eſt, doctrina de profectu in operibus iuſtis. 339.2.a
ad Sermonis rei integritatem duo exigi. 54.2.a
Sermonis ſapientia quæ. 87.1.b
Sermones docti humanæ ſcientiæ,qui. 91.2.b
Sermones docti Spiritus ſancti,qui. ibid.
Sermonum Dei elementa quæ. 339.1.c

Seruitium, Seruitus.

Seruire inuicem per dilectionem, eſt adimplere omnem legem. 215.2.b
Seruitium oculare ad placendum exteriùs homini non intuenti cor, deſcribitur. 242.2.b
Seruitus communis tam ſeruis, quàm liberis. 108.1.c

Seruus.

Seruus quicquid eſt, domini ſui eſt. 1.1.c
Seruus Dei quas veritates ſectari debeat. 314.1.b
Serui Chriſti omnes ſecundùm animam. 108.2.a
Serui quomodo ſe habere debeant erga dominos. 272.1.b
Serui dominis ſuis obſequantur, ſiue fidelibus, ſiue infidelibus. 304.1.c
Seruorum conſolatio. 108.1.c
Seruorum debitum erga dominos. 242.2.a
Seruorum inſtructio. 323.1.c
Seruos non abſolui ſeruitutis corporalis vinculo per Baptiſmum. 304.1.c

Sigillum.

Sigillum Miniſtrorum Euangelij. 155.2.a

Signum.

Signum electionis. 288.2.a
Signa & prodigia mendacia Antichriſti. 287.2.c

Similitudines.

Ædificationis Dei, & Corinthiorum. 94.2.b
Agricolæ. 311.1.c
Agricolationis Dei, & Corinthiorum. 94.2.b
Anchoræ, & ſpei. 342.1.a
Armatæ militiæ, & militis Chriſti. 311.1.b
Cancri, & ſermonis. 312.2.c
Corinthiorum, & agricolationis Dei. 94.2.b
Corinthiorum, & ædificationis Dei. ibid.
Cuſtodis expectantium in tenebris claritatem, & legis. 424.2.c
Diei clari, & vitæ futuræ. 383.1
Flatus, & operum. 367.1
Fræni atque temonis, & linguæ. ibid.2
Ignis, & linguæ. ibid.
Legis, & pueritiæ. 211.1.a
Legis ad cuſtodem expectantium in tenebris claritatem. 424.2.c
Legis ad pædagogum. ibid.
Legis actorum, & tutorum paruuli hæredis. 425.1.a
Linguæ, & mundi iniuſtitiæ. ibid.
Linguæ, & fræni atque temonis. 367.2
Linguæ, & ignis. ibid.
Literarum, & ſpiritûs. 160.1.b
Militis Chriſti, & armatæ militiæ. 311.1.b
Mundi iniuſtitiæ, & linguæ. 367.2
Operum, & flatus. ibid.1
Pædagogi, & legis. 424.2.c
Pueritiæ & legis. 211.1.a
Sermonis, & cancri. 312.2.c
Spei, & anchoræ. 342.1.a
Spiritûs, & literarum. 160.2.b
Tutorum paruuli hæredis, & actorum legis. 425.1.a
Vitæ futuræ, & diei clari. 383.1

Simplicitas.

Simplicitas, de virtute animi. 186.2.a
Simplicitas animi erga Chriſtum, de puritate Euangelica excludente admiſtionem ſeruitutis legalium. 190.2.c

Simulacrum.

Simulacrum, idolum, ſeu imago, formaliter nihil eſt. 110.2.b

Simulatio.

Simulatio D. Petri. 205.1.b

Sina.

Sina mons in Arabia. 213.2.a

Sion.

Sion ciuitas Dauid. 67.2.b

Sobrietas.

Sobrietas, de doctrina communi. 170.1.a

Societas, Socius.

Societatis ſpiritualis conditiones. 349.1.a
Socij, de communicantibus. 119.2.b

Solicitudo.

Solicitudo prohibetur. 256.2.c

Solicitudo Pauli Apoſtoli. 264.2.c
Solicitudinis donum. 71.1.b

Somnus.

Somnus, pro morte. 140.2.c

Sors.

Sors, pro hæreditas. 260.1.c
Sors Sanctorum quæ. ibid.
Sors Sanctorum quærenda ſupra. 269.2.c
Sorte, id eſt, parte, ſeu hæreditate. 222.2.c

Soſthenes.

Soſthenes hic quis. 84.1.c

Spes.

Sperantem oportere eſſe ad pericula ſubeunda paratum. 48.2.c
Spes animæ anchora. 342.1.a
Spes anchoræ aſſimilata. ibid.
Spei donum. 71.1.b
Spei bonum. 259.1.c

Spiritualia.

Spiritualia, de propriis effectibus Spiritus ſancti. 126.2.c

Spiritus.

Spiritus Chriſti quid. 43.1.b
Spiritus ſanctus habitans in hominibus quis. ibid.c
Spiritus vita. ibid.2.b
Spiritus adoptionis, id eſt, filiorum adoptionum. 43.1.a
Spiritus ſanctus quomodo pro nobis poſtulet. 49.2.b
Spiritus ſoporis, & ſpiritus compunctionis, idem. 65.1.a
Spiritus mundi quis. 92.1.c
Spiritus & mens differunt. 136.2.b
Spiritus quomodo viuificet. 160.1.b
Spiritus, de Domino. 162.1.b
Spiritus S per manus impoſitionem Apoſtolorum dabatur in primitiua Eccleſia. 207.1.b
Spiritus ſanctus promiſſionis cur. 223.1.b
Spiritus ſapientiæ, id eſt, ſpiritus notitiæ diuinorum. 224.1.a
Spiritus aërei qui. 225.2.c
Spiritus ſanctus dabatur per impoſitionem manuum Pauli. 275.2.b
Spiritus hæreticorum ab errore, doctrina à Dæmoniis pingitur. 299.2.a
Spiritus ex Deo qui, & qui non. 395.col 3
Spiritus, pro voluntate ſpiritali. 430.1.c
Spiritus quid. 421.1.b
Spiritûs donum. 71.1.b
Spiritûs ad literam collatio. 160.2.b
Spiritus bonitas triplici relatione explicata. 240.2.b
Spiritûs gladium. 244.1.c
Spiritum eſſe verum Deum vnde appareat. 128.2.b
per Spiritum ſapientiæ, & reuelationis, tria cognoſcenda. 224.1.b,c
Spiritum ſanctum contriſtare, quid. 237.2.c
Spiritu Dei agi, quid. 44.2.b
Spiritu viuere, & incedere quid. 219.1.a,b
Statuo, pro ſtatuo. 20.2.b

Status.

Status diuitum. 363.2
Status culpæ noſtri comparatus, & ſomno. 74.1.c

Stella.

Stella a ſtella differt in claritate. 145.2.b

Stephanus.

Stephanus viri nomen. 150.1.c

Stigma.

Stigmata, pro plagis innumeris. 220.1.a

Stimulus.

Stimulus mortis, de peccato. 149.1.b
Stimulus, pro ſudes. 196.1.b
Stimulus carnis datus Apoſtolo. ibid.

Stultitia.

Stulta mundi, de hominibus abſque ſcientia humana, qui apud mundum ſtulti habentur ad docendum alios. 89.2.b
Stultitia Galatarum. 207.1.c

Suauitas.

Suauitas, ſeu benignitas. 174.1.c

Subditus.

Subditi & Prælati quomodo erga inuicem & erga Deum ſe habere debeant. 283.1.b
Subditorum pax cum Prælatis. ibid.

Subiectio.

Subiectio moralis, & legalis quæ. 150.2.a

Subtraho.

Subtrahere conuerſationem, eſt quædam excommunicationis ſpecies. 289.1.c.

Subterraneus.

Subterraneus locus, de inferno. 250.2.b

Subuentio.

Subuentiones, de ordine eorum, qui in Eccleſia Dei operibus miſericordiæ vacant. 130.2.b

Sufficientia.

Sufficientia, pietatis comes. 305.1.c

Supererogatio.

Supererogationis actus, & actus debitus differunt. 114.1.c

Superinduo.

Superindui quibus conueniat purè, & quibus mixtum cum veſtiri. 168.1.c

Surſum.

quæ Surſum, aut ſuprà, quærenda. 268.2.c

Suſtentatio.

Suſtentatio, pro tolerantia. 19.1.b

T

Tabernaculum.

Tabernaculi velamenta duo. 346.2.b
Tabernaculum, de Eccleſia. 347.2.c

Templum.

Templum Dei quomodo corripiatur. 96.1.c
Templum Dei qui. ibid.& 176.2.c
Templum Dei, de Chriſtianis. ibid.

Tempus.

Tempus, pro occaſione. 74.1.c
Tempus vitæ huius breue. 109.1.a
Tempus medium inter primitias & finem. 143.1.b
Tẽpus Meſſię nouiſſimi nomine ſignificatū 330.1.a
Tempus gratiæ *hodie* nominatum. 336.2.b
Tempora nouiſſima, id eſt, tẽpora Euangelij. 400.1

Tentatio.

Tentare, proprium officium Diaboli. 278.2.c
Tentatio, pro afflictio. 117.2.a
Tentationum vtilitas. 362.2
Tentationibus variis affligimur, cur. 372.1

Terminus.

Terminum meriti nunquam attingi in hac vita, ſed ſemper mereri poſſe amplius. 255.1.a

Terra.

Terræ ſecundùm regulam Apoſtoli a Deo diſtributæ. 190.1.a

Teſtamentum.
Teſtamentum V. legis nomine ſignificatum. 137.2.b
Teſtamentum nouum & vetus differunt. 159.1.c & 160.1.a
Teſtamentum nouum an ſint Euangelica ſcripta & Apoſtolica, vt vulgò appellantur. ibid.b
Teſtamentum vetus ſunt ſcripta Moyſis, adiunctis Prophetis. ibid.
Teſtamentum vetus & nouum per genus de libera, & genus de ancilla, ſignificatum. 213.1.c
Teſtamentum nouum veteri excellentius. 345.2.b & ſeqq.
Teſtamentum nouum, & vetus, ſtatus Euangelicus & legis, penes gratiam & eſcas differunt. 360.2
Teſtamentum vetus per prophetiam Scripturæ ſignificata. 383.1
Teſtamentum confirmatum à Domino, promiſſionis nomine ſignificatum. 423.1 b
Teſtamenti noui natura & miniſtri. 159.2.b
Teſtamenti veteris & noui differentia penes affectus contrarios. 160.1.b
Teſtamenti veteris & noui differentiæ tres. ibid.c
alia differentia. ibid.2.a
Teſtamenti veteris & noui differentia penes *tolli*, & *manere*. 161.1.b
Teſtamenti V. & N. differentia penes gloriam. ibid c
Teſtamenti N ſubſtantia ſpiritus fidei, ſpei, & charitatis. 165.1.c
Teſtamenti noui permanentia, v. *Permanentia*.
Teſtamenti noui perfectio.
Teſtamenta Iudæorum. 55.1.a

Teſtimonium.
Teſtimoniorum quatuor genera quibus vſi ſunt Apoſtoli. 333.2.b

Thalmud.
Thalmudicæ fictiones prohibentur à Paulo. 292.1.a

Theſaurus.
Theſaurus, de ſpirituali luce cordium propriorum, aliorum illuminatiua. 164.1.c

Theſſalonicenſes.
Theſſalonicenſes primi Gentiles qui leguntur afflicti pro fide. 284.2.c

Timor.
Timor ſolus diuini intuitus ab interna animi deordinatione retrahit. 17.2.a
Timoris debitum. 73.2.b
an locum habeat in vero Chriſtiano reſpectu Principum. ibid.

Timotheus.
Timotheus ab experto ſeruitio, non in re quacunque, ſed in Euangelio, commendatus. 252.1.a
Timotheus iubetur ne facile aduersùs Presbyterum accuſationem ſuſcipiat. 303.2.a
ſed peccantes publicè arguat. ibid.b
nemini citò manus imponens, modico vtatur vino. ibid.c
Timotheus homo Dei dicitur ab Apoſtolo. 305.2.b
monetur vt mandata ad finẽ vſque ſeruet. 306.1.b
diuites à ſuperbia reprimat. ibid.2.c
inducentes eos ad eleemoſynas. ibid.
Timotheus ex materno genere Iudæus. 308.2.c
Timothei ſolicitudo & amor in Philippenſes. 251.2.c

Titus.
Titus, Gentilis diſcipulus Pauli. 320.1.c

Tolerantia.
Tolerantia diuina. 19.1.c

Tormentum.
Tormenta & afflictiones euangelizantium teſtimonia Chriſti viuentia. 165.1.a

Traditio.
Traditiones Euangelicæ commendatæ Apoſtolo. 288.2.b

Transformatio.
Transformatio Miniſtrorum Euangelij. 162.2.c

Transfretatio.
Transfretatio, de deſcenſione in abyſſum. 62.1.a

Tranſlatio.
Tranſlatio Enoch. 353.2

Tribulatio.
Tribulatio, id eſt, afflictio varia. 174.1.b
Tribulationis donum. 71.1.b
Tribulationes, pro afflictiones. 24.1.b

Tributum.
Tributa Principibus ſoluenda. 73.2.a
Tributorum debitum. ibid.b

Triſtitia.
Triſtitia ex ſe inutilis, & naturaliter omnibus exoſa. 178.2.c
quomodo fructuoſa. ibid.
Triſtitia duplex, vna ſecundùm Deum, altera ſecundùm mundum. 179.1.b
Triſtitia ſecundùm Deum quid. ibid.
Triſtitia ſecundùm Deum, & pœnitentiam ſalutarem differunt. ibid.
Triſtitia quam ſignificat pœnitentia, quid. ibid.
Triſtitia mundi quæ. ibid.c
Triſtitiæ vtilitas ſecundùm Deum. 179.1.a
Triſtitiæ ſecundùm Deum fructus quis. ibid.b

Triumphus
Triumphus Sanctorum in die iudicij. 317.2.b

Tuba.
Tuba Dei quæ. 281.2.b
Tuba, pro publico conuentu totius humani generis. 148.1.b

Turpiloquium.
Turpiloquium. 17.1.b

Tychicus.
Tychicus Diaconus. 244.1.c

V

Vaniloquium.
Vaniloquia deuitanda. 312.2.b

Vanitas.
Vanitas in Scriptura quid. 46.1.c
Vanitas circumciſionis. 219.1.a
Vanitas legalium à Paulo demonſtrata. ibid.
Vanitas paſſionum & actionum humanarum deſcribitur. 368.1

Vas.
Vas muliebre, de ſtatu coniugali. 576.2
Vaſa teſtacea, de propriis corporibus, tot miſeriis ſubiectis, vt meritò & vilia, & fragilia dicantur. 264.1.c

Vectigal.
Vectigalis debitum. 73.2

Velamen, Velamentum, Velum.
Velamen corporis quà virum, quà mulierem. 122.2.b
Velamen, pro poteſtate. 123.1.b
Velamen in capite mulieris orantis, aut prophetantis

tantis, ſignum ſubiectionis mulierum ad viros. ibid.
Velamen In V. & N. Teſtamento differunt. 163.1.c
Velamen, de carne. 351.1
Velamenta tabernaculi duo. 346.2.b
Velum reſpectu mulieris æquiparatur capillis. 122.2.b
Velle diuinum in electione & reprobatione quâ differat. 56.2.c

Venundatus.

Venundatus, pro Venditus. 37.1.a

Verbum.

Verbum veritatis. 174.2.a
Verbum veritatis, pro Euangelio. 223.1.b
Verbum Dei, gladius ſpiritus. 244.1.c
Verbum auditus Dei, pro verbum Euangelicum. 277.2.a
Verbum Euangelicum, id eſt, verbum Dei. ibid.
Verbum Dei viuum & efficax. 337.2.b,c
quod omnia conſpicit. 338.1.b
eius infirmitas, vt noſtris compateretur infirmitatibus. ibid.c & ſeq.
Verbum Dei, ad literam de verbo Dei expreſſo à Moyſe. 335.1
Verbum Dei Deum refert. 388.1
Verbi diuini relationes quatuor ad vniuerſa. 261.2.b
Verba maledica aduersùs Principes & honore dignos Chriſtianis interdicta. 324.2.b

Verecundia.

Verecundia & modeſtia, ornatus mulieris. 296.1.a

Veritas.

Veritas diuina omnia vincit. 15.1.b
Veritas ſecundùm pietatem quæ. 319.2.b
dupliciter cognoſcitur. ibid.c
Veritatis detentio in iniuſtitia quid. 5.2.b
Veritatis baltheus. 244.1.a
Veritatis dilectio. 288.1.a
Veritatis verbum quam efficax. 265.1

Veſtis.

Veſtis mulierum qualis ſit. 296.1.b

Vetus, Vetuſtas.

Vetus homo noſter, de reliquiis peccati in nobis. 29.2.c
Vide *Homo.*
Veteris hominis crucifixio. 30.1.b
Vetuſtas, quicquid ex peccato hominibus ſecundùm animam illatum eſt. 29.2.c
Vetuſtas vitæ, deformitas vitæ per peccata. 271.1.b

Via.

Via Sanctorum ad cœleſtem patriam per mortem Chriſti aperta. 347.2.a
Viæ Dei (gratia ſcil. & veritas, ad quas vniuerſæ viæ Domini) inueſtigabiles. 68.2.b

Viator.

Viatorum ambulandi mos. 240.1.b

Video.

Videre per ſpeculum dupliciter poteſt intelligi. 134.1.c
Videre per ſpeciem, quid. 169.1.a

Vidua.

Viduæ. 105.2.c
Viduæ ſeniores ac iuniores quomodo gubernari debeant. 301.1.b,c & ſeqq.
Viduæ eligendæ conditiones requiſitæ quæ. 302.1.b

Vigilia.

Vigiliæ, tum voluntariæ orationi vacando, tum coactæ propter inediam, vel propter opus, vel iter. 174.1.c
Vigilandum omni inſtantia, omni ſedulitate. 244.2.a

Vinculum.

Vinculorum Pauli gratia. 247.1.c

Vindicta.

Vindicare eſt actus iuſtitiæ. 72.1.a
Vindicta aduersùs ſapientes, & iudices differunt. 9.2.c
Vindicta diuina non parui facienda. ibid.
Vindicta, & malum pro malo reddere differunt. 72.1.a
Vindicta brachio Prætoris, vel Principis exerceri poteſt. ibid.
Vindictæ tempus ab ira, à reuelatione, & à iuſto Dei iudicio. 10.1.b
Vindictæ & præmij par regula deſcribitur. ibid.c

Vir.

Vir & mulier penes velamen capitis differunt. 121.2.b
Viri mago, & gloria Dei. ibid.c
Vir & mulier pares in Domino. 123.1.c
Vir comatus mollis ac muliebris. ibid.2.b
Vir caput mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ. 241.1.a
Vir vxorem diligat, vxor virum vereatur. 242.1.a
Vir quomodo orare debeat. 295.2.c
Vir præſit mulieri, & non è diuerſo. 296.1.a
Viri diligant vxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. 241.1.b
diligant vxores vt corpora ſua. ibid.c 272.2.a

Vires.

Vires virtutis nomine ſignificatæ. 153.1.c

Virginalis, Virgo.

Virginalis continentia perſuadetur. 108.2.b,c
Virginitas matrimonio præfertur. ibid.2.b 109.2.c
B. Virgo ex ſemine Dauid. 2.1.a

Virtus.

Virtus Euangelij. 4.2.init.
Virtus, pro potentia. 103.2.c 143.1.a 146.1.b 178.2.b
Virtus, pro viribus. 153.1.c
Virtus Dei. 174.2.a
Virtus animi nomine ſimplicitatis ſignificata. 186.2.a
Virtutis nomen quod. 53.2.c
Virtutes. 130.2.b

Vis.

Vis Baptiſmi. 29.1.c 30.1.c
Vis armorum. 187.2.c

Viſcera.

Viſcera, de intimis Titi affectibus. 180.1.b

Viſibile.

Viſibilia & apparentia differunt. 353.1

Viſio.

Viſio facie ad faciem, id eſt, ſine medio. 134.1.c
Viſio Chriſti, vide *Chriſtus.*
Viſio quando clara, quando non, 194.2.c
Vide *Apparitio.*

Vita.

Vita Chriſti glorioſa in quam ſurrexit, vita noua. 29.2.a
Vita æterna donum Dei. 33.2.b
Vita ſpiritualis nouæ creaturæ nomine ſignificata. 219.2.c
Vita Dei quæ. 236.1.b

Vita Chriſtus. 247.2.c
Vita futura diei claro aſſimilata. 383.1
Vita æterna in nobis, ipſum viuere ſecundùm diuinam gratiam. 395.1
Vita corporalis animæ nomine intellecta. ibid.
Vitæ Chriſtianæ perfectio ex duabus partibus integratur, ſcil. facere bona opera, & propter bonum opus malè pati. 10.1.c
Vitæ nouæ imitandæ conditiones quæ. 30.2.b
Vitæ æternæ conſequendæ modus. 294.1.a
Vitam æternam quærentibus eam reddit. 12.2.a
Vitæ duæ, & mortes duæ inducuntur. 35.1.c

Vitium.

Vitia quæ in Corinthios irrepſiſſe Paulus timet. 197.2.c
Vitia deponenda. 270.2.c

Viuo, Viuifico.

Viuere cum Chriſto quid. 50.2.a
Viuere ſpiritu, quid. 219.1.a
quid ſpiritu incedere. ibid.b
Viuere ſecundùm ſæculũ mũdi huius quid. 225.2.b
Viuere in carne, fructus operis. 248.1.a
Viuere cum Chriſto quid. 283.1.a
Viuificatio corporum qualis ſit. 44.1.c
Viuificatio corporum illorum, qui in ſecundo Chriſti aduentu inuenientur viui. ibid.
Viuificationis cauſa quæ. ibid.c
modus quis. ibid.

Vmbra.

Vmbra quæ. 349.2

Vnctio.

Vnctio Prædicatorum. 155.2.a
Vnctio gratiæ, & gloriæ. 332.2.b
Vnctio proprium gratiæ Spiritus ſancti. 393.2
Spiritus ſancti actio. ibid.
Vnae, pro quid. 107.1.c

Vnio, Vnitas.

Vnionis hypoſtaticæ duo valde mirabilia. 266.2.a
Vnitas corporis Chriſti myſtici. 118.2.a
Vnitas ſpiritus quomodo ſeruari queat. 232.2.b
Vnitas ſpiritus Chriſtianorum. 233.1.b
Vnitatem communem quæ perturbare ſoleant. 249.2.a
Vnus pro omnibus mortuus eſt, & quantum ad ſufficientiam, & quantum ad effectum. 170.1.c
Vnus nouus homo, omnes Chriſtiani. 228.1.c
Vnus Dominus. 232.2.c
Vnus Deus. 233.1.a
Vnus Deus, mediator vnus. 295.1.b,c
Vna Sabbatorum, de die immediatè ſequenti diem ſeptimum, qui ſemper eſt Sabbatum apud Hebræos, id eſt, die Dominica. 149.2.c
Vna fides. 232.2.c
Vnum Baptiſma. 233.1.a
Vnuſquiſque proximo ſuo placeat. 79.1.a
Vnuſquiſque ſicut Deus vocat ita ambulet. 107.2.a,b
Vnuſquiſque in quo vitæ ſtatu ad fidem vocatus eſt, in eo permaneat. 108.1.b
Vnuſquiſque onus ſuum portabit. 218.2.b

Vocatio.

Vocatio, prædefinire, ac præſcire differunt. 52.1.a
Vocatio electorum ad participationem, ad communionem, ad conſortium gloriæ Chriſti diuino imperio. 85.2.c
Vocationis diuinæ incomprehenſibilitas. 68.1.c

Voluntas.

Voluntas Dei bona. 69.2.c
Voluntas cordis nomine ſignificata. 91.2.c
Voluntas Spiritus ſancti pro ratione redditur. 128.2.b
Voluntas, de actuali volitione. 181.1.a
Voluntas diuina non mendicat bonitatem ab extrinſeco. 221.2.b
Voluntas diuina à ſapientia, prudentia, & beneplacito commendata. 222.1.b
Voluntas Dei, voluntas mundationis noſtræ à peccatis. 350.2
Voluntas ſpiritalis ſpiritûs nomine intellecta. 430.1.c
à Voluntate dupliciter quid efficitur. 421.1.a

Vox.

Vox Archangeli ante iudicium vniuerſale, qualis. 281.1.c & ſeq.
Vox Archangeli, vox Chriſti. ibid.2.a
τὸ Vocis notio. ibid.

Vſus.

Vſus coniugij. 105.1.b
Vſus calicis à multis eſt communicatio ſanguinis Chriſti bibentibus. 118.1.b
Vſus hoſtiarum. ibid.c
ab Vſu coniugij licitæ vacationis conditiones tres. 105.2.a

Vtilitas.

Vtilitas Scripturæ. 316.1.b
Vtilitas tentationum. 362.2

Vulua.

Vulua, de matrice. 23.1.a

Vxor.

Vxor & virgo diuerſis viis incedunt. 109.1.c
Vxor mortuo marito libera eſt, vt cui velit in Domino nubat. ibid.2.c
Vxor caro mariti. 241.2.a,b
Vxores ſubiiciantur viris, ſicut Eccleſia Chriſto. 240.2.c 241.1.b 272.1.c

Z

Zelus.

Zelus arguitur in Corinthiis. 53.2.b
Zelus, contentio & factiones in Corinthiis arguntur. 93.1.b
Zelus Pauli circa doctrinam Phariſaicam, ante conuerſionem ſuam. 201.2.b
Zelus laboris nomine ſignificatus. 273.2.c

Zena.

Zena legis peritus. 325.2.c

INDICIS FINIS.

Digitized by Google